PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES TERTIA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ GRÆCÆ A S. BARNABA USQUE AD PHOTIUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI TOMUS OCTAVUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1845

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC OCTAVO TOMO CONTINENTUR.

Ex TYPIS CATHOLICIS MIGNE, IN VICO DICTO *MONTROUGE*,
Juxta portam Gallice dictam, *barrière d'Enfer*, à *Paris*.

Præfatio

AD HOMILIAS

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

IN JOANNEM.

Ad homilias in Evangelium Joannis tandem devenimus, ubi novum prorsus concionandi ritum, insolitam deprehendimus disserendi rationem. Stylum sane eumdem cernimus, dictionem prorsus similem; eumdemque statim agnoscimus dicendi artificem Chrysostomum : in ordine autem et argumenti ratione magna sese offert diversitas. In cæteris namque in Scripturam sacram Commentariis, maximeque in Homiliis in Matthæum, postquam singulorum versuum literam explanavit, occasione ex serie sumpta, ad morum informationem spectantia multa interserit; atque in fine concionis longissimam moralem adhortationem adjicit, qua et procerum et popularium vitia insectatur, atque ad virtutem adeundam stimulos addit. In hisce autem in Joannem Homiliis alio concionandi genere procedit. Passim namque postquam singulos versus attulit, illosque maxime quos Catholicis hæretici quidam objicere solebant, auditores suos adversus illorum argumenta et sophismata munit roboratque; atque ut statim deprehenditur, iis qui contra hostes hujusmodi sæpe manus conserebant, arma ministrat. Hic scopus oratoris præcipuus, eo nervos omnes contendit, ut Christianum militem, qui passim contra hæreticos decertabat, ad illorum depellenda tela instituat.

Hæc porro non in omnibus homiliis occurrunt, sed in iis tantum ubi ea Joannis loca explicantur, quæ vel ad æqualitatem consubstantialitatemque Patris et Filii probandam apta sunt, vel quæ ab hæreticis ad illam impugnandam usurpabantur. Ubi vero de divinitate deque consubstantialitate Filii non agitur, literam ille paucis plerumque explanat. Moralem quoque disciplinam inter concionandum rarius attingit, concionemque brevissima adhortatione morali claudit; ita ut hæ in Joannem conciones, dimidia fere sui parte minores ut plurimum sint Homiliis in Matthæum.

Hinc certe jam multæ exsurgunt quæstiones : quinam nempe sint hæretici, qui Chrysostomi auditores telis ex Joannis Evangelio desumptis impetebant; cur illos Chrysostomus non nominet : ex qua familia orti hi hæretici essent; quibus maxime argumentis objectiones lucifugarum confutandas esse doceat. Hæc porro omnia expendere non pigebit, postquam de numero Homiliarum in Joannem, de urbe in qua hæc concionatus est, de concionis hora, deque aliis nonnullis quædam præmiserimus.

§ I. 1. *De numero Homiliarum in Joannem.* 2. *Qua in urbe hasce homilias habuerit Chrysostomus, Antiochiæne, an Constantinopoli.*

1. Homiliæ in Joannem apud Savilium octoginta octo feruntur, apud Morellum autem octoginta septem tantum, quandoquidem Morellus primam procemii tantum loco ponit, neque illam Homiliam primam inscribit, quia videlicet nihil de Evangelio Joannis in hac concione explicatur, estque tantum quasi præludium ad explicationem ejusdem Evangelii. Verum ut ut res est, hoc procemium non minus concio et homilia est, quam cæteræ sequentes conciones. Nam hic populum alloquitur, ad virtutem hortatur, a vitiis arcet, omniaque concionantis implet officia. Quamobrem jure illam Savilius inscripsit Homiliam primam : quem sequi visum est. Verum quia Morelli Editio, quæ a multis annis omnium manibus teritur, ut plurimum a scriptoribus affertur in medium, iique secundum Morellianam Editionem homilias numerant; eamque, exempli causa, vigesimam nonam inscribunt, quæ secundum Savilium et secundum veram numerandi rationem trigesima est, in summa pagina utrumque numerum sic attulimus : *Homilia trigesima* al. *vigesima nona,* et ita quoque in aliis.

Hanc porro numerandi varietatem non esse recentem suadet Facundus Hermianensis, qui libro 3, c. 3, p. 114, sexagesimam sextam dicit eam quæ vere sexagesima septima est. Verum altera etiam numerandi ratio, quæ vera utique est, apud alios in usu fuisse comprobatur. Ephræmius enim Antiochenus *undecimam* numerat eam quæ jam undecima est. Hancque numerandi rationem sequuntur Codices Græci manuscripti, quos hactenus videre licuit.

2. Altera exsurgit quæstio, an videlicet Antiochiæ, an Constantinopoli hasce homilias Chrysostomus habuerit. Utra in urbe tot conciones habitæ sint, in ipsis concionibus nusquam deprehendere potuimus. Nam si qua essent unde conjecturam ducere possemus, ex perpetuis nempe velitationibus adversus eos qui parem paternæ potestatem in Filio esse negabant, qui consubstantialitatem oppugnabant, adversus Anomœos nempe, quos ubique insectatur, id perinde Constantinopoli, atque Antiochiæ observatur. In utraque enim civitate contra Anomœos nominatim concionatus est Chrysostomus, in utraque magno numero Anomœi

erant, qui cum popularibus Catholicis sæpe de religione concertabant. Nihil igitur inde circa urbem ubi habitæ sunt hæ conciones expiscari possumus : nullumque aliud ea de re ex ipsis homiliis indicium possumus mutuari. Verum ex Homilia septima et Epistolam primam ad Corinthios t. 10 nostræ Editionis, discimus Homilias hasce in Joannem ante illas in Epistolam ad Corinthios habitas fuisse. Cum autem hæ ad Corinthios Homiliæ Antiochiæ habitæ fuerint, ut suo loco probabitur, hinc sane consequitur has etiam in Joannem conciones Antiochiæ dictas fuisse. Locus porro ille Homiliæ septimæ ad Corinthios sic habet : *Nam illis ait,* Neque me novistis, neque Patrem meum (*Joan.* 8, 19). *Quomodo ergo supra dixit,* Et me nostis, et nostis unde sim (*Id.* 7, 28) ? *Sed quis sit modus hujus lectionis, et quis illius, jam dictum est in Evangeliis, et ne idem frequentius versemus, eo lectores mittimus.* Mittit scilicet ad Homilias suas in Evangelium Joannis, ad Homiliam nimirum quinquagesimam, ubi hæc verba c. 7, v. 28, col. 279, explicans, *Et me scitis, et unde sim scitis,* ostendit illa optime conciliari cum aliis ejusdem Evangelii c. 8, 19, ubi ait Judæos nec se nosse, nec Patrem suum nosse. Certum itaque indubitatumque est Chrysostomum has homilias Antiochiæ habuisse antequam Homilias in primam et secundam ad Corinthios haberet, quæ item Antiochiæ habitæ fuere, ut suo loco probabimus.

§ II. 1. *Quo tempore has habuerit homilias.* 2. *Cur illucescente aurora, hæc concionatus sit.* 3. *Quod genus auditorum concionibus interfuerit.*

1. Jam diximus in Præfatione ad Homilias in Matthæum, non potuisse Chrysostomum annis tribus prioribus queis presbyter concionatus est, Homilias in Matthæum populum habere, quia videlicet his tribus annis 386, 387, 388, tot homilias tam longas dixit, ut alias addere vix potuisse videatur. Certe, ut in Vita Chrysostomi pluribus dicetur, vix credatur quot quantasque hisce tribus prioribus sacerdotii sui annis conciones dixerit; Panegyricas festorum et Sanctorum per annum, alias in Scripturæ libros, cæterasque variis de rebus. Itaque ut Homilias in Matthæum post annum 388 habitas, hac de causa statuimus, multo magis hasce, quæ secundum Homilias in Matthæum dictæ fuisse videntur, post annum illum dictas inferemus. Annum vero ipsum assignare quo has homilias cœperit, non humanæ videtur facultatis. Certum utique est illas ab anno 389 ad annum 398, quo ineunte ad sedem Constantinopolitanam evectus est, habitas fuisse; sed annum ipsum, vel etiam annos aliquot statuere (non enim uno eodemque anno hæ 88 homiliæ habitæ videntur), hoc opus, hic labor est. Videamus tamen an possimus aliquid ulterius circa rem illam expiscari. Cum has præcesserint Homiliæ in Matthæum, quæ nonaginta numero habentur, et post annum 388 habitæ putantur; nec videantur illæ in Matthæum nonaginta homiliæ uno compleri potuisse anno, illis probabiliter assignamus annos 389 et 390. Hasce vero in Joannem post annum 390 habitas congruenter statuimus, ab hoc anno scilicet ad annum 394, vel 395. Non enim possumus totum illud spatium assignare quod intercurrit usque ad annum 398, quo incipiente episcopus Constantinopolitanus electus est. Quia post Homilias in Joannem, compertum nobis est, illum conciones alias ingenti numero Antiochiæ habuisse, Homilias nempe in Epistolas ad Corinthios, quarum prima 44, secunda 30 concionibus, iisque longioribus absolvitur; inque cæteras Pauli Epistolas non paucas Antiochiæ, postquam has in Joannem peroraverat, concionatus est, ut pluribus suo loco probabitur. Non possumus ergo in ultimos presbyteratus ejus annos has in Joannem Homilias conjicere; sed tempus ipsis probabiliter consignamus ab anno 390 ad annum 394, vel 395. Hac sic constituta serie, omnia quadrare videntur.

Neque anno uno potuit hasce omnes 88 conciones absolvere si quinto quoque die tantum singulas habuerit homilias, ut ipse innuit paulo ante finem Homiliæ primæ, ubi talia fatur : col. 27 : *Nec mihi quis dicat, breve tempus inter hanc et sequentem concionem esse. Licet enim, non solum dierum quinque spatio, sed etiam uno temporis momento vitam totam mutare.* Si quinto quoque die tantum concionatus sit, hasce 88 conciones anno uno absolvisse non potuit. Sed si quinto quoque die tantum concionabatur, ut ait ille, quomodo illud quadrare possit ad id quod dicit initio Homiliæ 25, col. 147, *Neque enim quotidie, sed bis tantum in hebdomada, idque per brevem diei partem, ut laborem levemus, vos concioni adesse et attendere hortamur.* Si bis in hebdomade, non certe tantum quinto quoque die, sed frequentius concionatus est. Verum hæc conciliari poterunt, si dicatur illum modo rarius, modo frequentius esse concionatum.

2. Sed singulare prorsus est id quod habet Chrysostomus circa horam diei qua has conciones habebat. Homilia quippe 31, col. 182, ita loquitur : *Si vero mulier Samaritana tantum adhibet studium, ut quid utile ediscat, et Christo assidet, etiamsi illum non noscat : quam nos veniam consequemur, qui ipsum novimus, qui non secus puteum, non in deserto stamus, non in meridie, non adusti solaribus radiis; sed sub aurora, sub hoc tecto umbra fruimur et suaviter agimus, neque patienter audimus quidpiam, sed desidia torpemus?*

Itaque sub aurora, id est, matutinis horis illucescente aurora hos sermones habuit; cæteras utique conciones non primo diluculo habere solebat : sed in hisce Joannis Evangelium explicantibus homiliis multa præter morem fieri deprehendimus. Primo, quod longe breviores cæteris omnibus sint. Secundo, quod illucescente aurora habitæ; tertio, quod adhortationes morales contra consuetudinem brevissimæ sint. Quarto, quod præcipuus scopus videatur esse, in plerisque saltem homiliis, ut auditores contra hæreticos, Joannis Evangelio abutentes, ad pugnam instruat. Etenim cum primam homiliam quasi prœmium emisisset,

in secunda vero externorum philosophorum primipilares exagitasset : in tertia demum col. 39, propositum suum aperit his verbis : *Tempus autem est ut ad rem propositam veniamus, ne vos defessi hæc certamina adeatis. Certamina quippe nobis prostant contra veritatis hostes; contra eos qui nihil non machinantur, ut Filii Dei gloriam, imo potius suam dejiciant : illa quippe semper manet ut est*, etc. Ubi vides illum auditores suos ad certamina contra hæreticos adeunda acuere, ipsisque arma ministrare. Illud autem vere observes per totum Homiliarum in Joannem decursum, in concionibus saltem illis, Evangelii loca explanantibus, quæ vel Christum Patri æqualem et consubstantialem probant, vel ab hæreticis contra illam consubstantialitatem et æqualitatem detorta usurpabantur. Illi quippe hæretici, quia ex Joannis verbis validissime impeti solebant, ex ejusdem et ipsis verbis sententiam et impietatem suam tueri conabantur. Quia vero tunc hæretici illi Catholicis admixti magno numero erant, frequenterque cum obviis ex Joannis Evangelistæ verbis disputabant, necesse putavit Chrysostomus auditores suos ad talia certamina suscipienda instituere, ut ait ipse in loco jam allato, et passim in sequentibus concionibus repetit.

3. Sed cur illucescente aurora has conciones habuit, cur tam breves, cur moralem disciplinam, quam cum tanta ubertate in aliis concionibus frequentat, hic parcius attingit? Quantum auguror conjectura, ne cæterarum homiliarum cursum, quas assidue per totum annum habebat, et cui intererant Catholici omnes cujusvis ætatis, sexus atque conditionis; ne illas, inquam, interpellaret : hasce præterea illucescente aurora, non universo populo dicebat, sed iis tantum viris ac mulieribus, qui ferventiores essent, quique ingenio valerent, possentque in quotidianis cum hæreticis velitationibus, lucifugarum argumenta ex Evangelio Joannis ut plurimum petita, Chrysostomi monitis instituti, confutare. Sancto igitur doctori, cui in dicendi ubertate vix parem in omnibus retro sæculis deprehendas, duo præcipue munia imcumbebant : primum, ut totum Catholicorum cœtum contra vitia quæque institueret, id quod ille strenue exsequebatur, dum frequenter per annum ac bis sæpe in eadem hebdomada moralem omnem disciplinam cum mira facundia versabat; secundum, ut Catholicos inter innumeras hæreticorum catervas versantes, qui hæretici in familiaribus colloquiis veram fidem ex Evangelio maxime Joannis impetebant; ut Catholicos, inquam, illos contra adversarios suos armis instrueret. Quia vero non omnes omnino Catholici, ut diximus, viri atque mulieres, cujusvis ætatis atque conditionis, ad hanc capessendam pugnam idonei esse valebant, non omnes fortasse hisce matutinis concionibus intererant, sed ii tantum viri ac mulieres, qui ingenio valebant, poterantque tela sibi a Chrysostomo subministrata in hæreticorum capita contorquere. Hi ferventiores cæteris seorsim erant instituendi; argumenta quippe passim allata vulgi captum superabant. Hæc vero illucescente aurora concionabatur, ni fallor, quod aliud diei tempus reservaret ad majores illas conciones, queis ad vitia propulsanda, et virtutem omnem inculcandam uberiorem dabat operam. In concionibus autem matutinis disciplinam illam moralem parcius attingebat, quia præcipuus ipsi scopus erat arma suis contra hæreticos suppeditare. In his porro matutinis concionibus etiam mulieres admittebantur, illæ quæ possent in familiaribus colloquiis oblatas ab hæreticis difficultates depellere. Nam in hisce in Joannis Evangelium Homiliis mulieres aliquando, etsi rarius, alloquitur S. doctor. Jam vero ad cætera transeamus.

§ III. 1. *Hæretici qui in hisce concionibus impugnantur Anomœi erant.* 2. *Unde orti Anomœi : illorum historia compendio affertur.* 3. *Quis illorum status esset quo tempore hæc concionabatur Chrysostomus.*

1. Non est multa perquisitione opus ut deprehendatur quinam sint hæretici illi, qui ex Joannis Evangelistæ dictis tela mutuabantur ut Catholicos impeterent, etiam in familiaribus colloquiis : qui magno numero cum essent et cum popularibus admixti, quotidianas excitabant velitationes; ita ut sanctus doctor, et sanæ doctrinæ, et auditorum saluti prospiciens, cogeretur illos instituere ad ipsa tela in caput hæreticorum contorquenda. Hi certe hæretici, Anomœi sunt, quibuscum tamdiu concertavit Chrysostomus, et quidem toto tempore quo concionandi officio functus est, sive Antiochiæ presbyter, sive Constantinopoli episcopus cum esset. Antiochiæ certe anno primo quo cœpit concionari, certamen iniit contra hæreticos istos passim cum Catholicis intermixtos, atque in concionibus duodecim, Anomœos egregie confutavit, ipsorum tela depulit, validissimaque argumenta adversus illos subministravit. Illas porro duodecim homilias, quarum pleræque in priscis Editis hinc et inde sparsæ erant, in Edito nostro una collectas habes, incipiuntque Tomo 1, col. 701. Neque modo in illis duodecim orationibus sive homiliis hæreticos illos confutavit sanctus doctor, sed etiam in aliis ubicumque sese occasio offerebat.

Verum, quod observatu sane dignum fuerit, non statim ineunte primo presbyteratus sui anno Anomœos impetiit; sed ut ipse in prima concione testificatur, jam pridem destinatam contra Anomœos pugnam tardius, eodem licet anno, suscepit, quod multos Anomœorum videret concionibus adesse suis, ac cum voluptate aures sibi præbere. Quamobrem, *ne prædam abigeret*, ait ille, utque ipsorum animos irretiret, linguam ab hujusmodi certaminibus coercebat. Demum hortantibus illis ipsis Anomœis, in arenam descendit; Anomœorumque errores impetere orsus est, amico tamen animo, non ut adversarios feriret, sed ut jacentes erigeret. Verisimile autem est Anomœos tunc temporis mitiores fuisse, quia Catholici principes Valentinianus II et Theodosius tunc imperium moderabantur; nec poterant hæretici

illi ea libertate et petulantia uti, qua pridem sub Constantio, et postea sub Valente usi fuerant.

Amico licet animo Chrysostomus Anomœos confutaret, illos tamen acriter insectabatur : et quidem jure ac merito. Dicebant enim illi se omnem scientiam accepisse, quodque magis mireris, se ita Deum nosse, ut se ipse noverat. Cum porro se tanta instructos scientia ridicule putarent, nihil mirum si Dei substantiam audacter scrutarentur, totque circa illam quæstiones moverent, atque obviis quibusque Catholicis etiam in foro objicerent. Si quis porro ipsos de tanta audacia redargueret, reponebant illi, *An ignoras id quod colis?* T. 1, col. 742. Hæc vero perpetuo et ad aures omnium decantabant : Filium non esse Patri consubstantialem, esse rem factam, non habere parem Patri judicandi potestatem, non posse Patri æqualem esse, qui Patrem precaretur. Addebant etiam Filium non esse Patri ὅμοιον, *similem*, indeque ἀνόμοιοι, Anomœi, quasi dicas *dissimiles*, appellati sunt. Hos perpetuo in homiliis tam Antiochenis quam Constantinopolitanis insectatur Chrysostomus, etiam in concionibus illis quarum argumentum nihil affine videbatur habere cum Anomœorum hæresi. Cum enim hi hæretici omnino dicaces et pugnaces essent, ac perpetuo cum Catholicis velitarentur, nullam Chrysostomus occasionem omittebat tam procaces homines confutandi.

Verum licet passim et ubique in Chrysostomi homiliarum decursu Anomœorum argumenta adferantur et confutentur : nusquam tantam armamentarii lucifugarum illorum copiam deprehendimus, quantam in his in Joannis Evangelium Homiliis; quoniam videlicet illi ex hoc maxime Evangelio, secundum suam mentem, et omnigenam, ut ipsi dicebant, scientiam explicato, argumenta sua mutuabantur. Quæ eorum argumenta, saltem præcipua quædam, cum responsionibus Chrysostomi non pigebit referre, postquam de illius hæreseos ortu, et progressu ad hoc usque, quo de nunc agitur, tempus compendio retulerimus. Id quod lectori non displiciturum speramus; nam quos tam frequenter videmus a Chrysostomo exagitari, ab ortu et gestis cognoscere, nemo inutile fore dixerit.

2. Arius circa annum 320 exsecrandam hæresim in Ecclesiam Dei invexit, discipulos multos habuit, turbasque innumeras dedit, queis omnes pene orbis Ecclesiæ exagitatæ sunt. Arii autem et Arianorum præcipua capita et verba hæc erant : Deum non fuisse semper Patrem; Filium non semper fuisse, sed fuisse tempus cum non esset; non fuisse antequam nasceretur, in tempore factum esse et ex nihilo; non proprium esse naturæ Patris; creaturam esse perfectam, sed non ut aliam ex creaturis; non esse verum Deum, sed participatione Deum; non esse æternum, sed ante tempora et sæcula creatum; Filium non perfecte nosse nec perfecte videre Patrem. Eo etiam impietatis procedebant, ut dicerent, Filium non esse unicum et verum Verbum, sed solo nomine Verbum, solo nomine Sapientiam, gratia Filium, initium creaturarum; Verbum natura mutabile esse, multaque esse Verba. Imo dicebat ipse Arius aliud esse Verbum quod in Deo est, et aliud de quo ait Joannes, *In principio erat Verbum.* In hac enim impia doctrina non omnes sibi constabant, sed alius alia plerumque contraria dictitabat, imo, ut error vix consistere potest, iidem ipsi non sibi semper consentiebant,

Dicebant etiam inter eos multi, Filium non esse Patri similem. Circa hanc vero sententiam Arianorum facta sunt divortia. Alii enim omnem omnino similitudinem excludebant; alii similitudinem etiam in substantia admittebant; hi vero peculiarem quasi sectam constituerunt, qui ὁμοούσιον sive *consubstantialem* Filium esse negabant, sed ὁμοιούσιον, *similem substantia*, admittebant, cumque a perfectis Arianis in aliquo deficerent, Semiariani sunt appellati. Hi porro etiam sunt inter se divisi. Alii namque dicebant, Filium substantia similem esse Patri, similitudine imperfecta qualis posset esse creaturæ ad Creatorem, imaginis ad typum. Imaginem nempe et similitudinem illam extra Deum, a Deo factam esse dicebant, et Dei substantiæ similem esse, quatenus potest res extra Deum creata, Creatoris substantiæ esse similis. Hi vero nomine tantum tenus ab Arianis perfectis differebant. Non enim poterant Ariani negare qui Evangelium admittebant, aliquam similitudinem imperfectam esse posse inter creaturas et Creatorem : quandoquidem in Evangelio habetur, *Ut sitis similes Patris vestri*, etc.

Ex Semiarianis vero alii, quorum antesignanus erat Basilius Ancyranus, τὸ ὁμοιούσιον, nempe similitudinem substantiæ, longe alio modo interpretabantur. Omnimodam quippe similitudinem substantiæ in Patre atque Filio admittebant : τὸ ὁμοούσιον vero, sive consubstantialitatem Patris et Filii rejiciebant; et quidem multis de causis quas recenset et confutat Athanasius libro de Synodis, p. 764, et in eodem libro, p. 757, ait, ideo illam vocem, ὁμοούσιον, ab his de quibus loquimur Semiarianis rejici, quia in concilio Antiocheno, ubi Paulus Samosatenus damnatus fuit, proscripta fuerat; etsi non eo sensu quo postea in Nicæna synodo et admissa et promulgata, et in fidei confessione posita fuit. Nam quod in Antiochena synodo τὸ ὁμοούσιον non absolute damnatum fuerit, liquet ex verbis Dionysii Alexandrini, qui Antiochenæ synodo interfuerat et subscripserat. Accusatus enim apud Dionysium Romanum Pontificem, quod voce ὁμοούσιον non uteretur in concionibus suis, respondit ille se hujusmodi vocem et admittere, et ut omnino catholicam habere. Ab illa autem tunc abstinebat, quia sibi cum Sabellianis res erat. Hæc vero pluribus descripta habes in Athanasii libro de sententia Dionysii : ubi ille ipsa Dionysii verba refert, exscripta ex ejusdem epistola. Attamen hi mitiores Semiariani τὸ ὁμοούσιον rejiciebant, illique voci τὸ ὁμοιούσιον substituebant. Verum in ea explicanda voce ita procedebant, ut a vera Catholicorum sententia nihil differrent, licet in verbis ipsis pugnarent. Inter substantiam enim Patris et Filii perfectam similitudinem sta-

tuebant, et Filium Patri æqualem profitebantur, licet porro illud ὁμοιούσιον impietatem præ se ferat : nam si similis substantia Patri sit Filius, si vere Deus, ut illi confitebantur, alterius et diversæ substantiæ fuerit : idem enim ipsum numquam simile sibi dici possit. Si vero diversæ substantiæ sint Pater et Filius, si Pater Deus, et Filius quoque Deus ; ergo duo dii erunt; nam substantia Dei Deus ipse est. Sic Filius Patri substantia similis, erit Deus Deo similis ; ergo duo dii. Verum hanc consequentiam non admittebant hi, de quibus loquimur, Semiariani, licet ea aperte ex voce ὁμοιούσιον sequi videatur. Hi certe etsi ad catholicam sententiam accederent, male tamen hanc inducebant vocem, et culpandi etiam erant quod vocem ὁμοούσιον in sacra Nicæna synodo inductam non admitterent. Attamen magnum illud Ecclesiæ lumen Athanasius hos non vult quasi adversarios haberi. Libro namque de Synodis, p. 755, ita habet : *Viros autem qui alia quidem omnia Nicææ scripta recipiunt, de solo autem consubstantialis vocabulo ambigunt, non ut inimicos spectari par est. Neque enim velut Ariomanitas aut Patrum adversarios homines aggredimur, sed disputamus veluti fratres cum fratribus, qui eadem qua nos sunt sententia, solo nomine in controversiam adducto. Cum enim confiteantur ex substantia Patris, et non ex alia substantia esse Filium, nec creaturam vel opificium illum esse, sed genuinam naturalemque prolem, et ab æterno una cum Patre Verbum et Sapientiam exsistere, non longe absunt a recipienda* consubstantialis *voce. Talis est Basilius Ancyræ, qui de fide scripsit. Nam si similis tantum dicatur secundum substantiam, id non idem prorsus significat atque illud,* ex substantia, *quo verbo magis, ut ipsi dixere, Patris germanum Filium ipsum esse significatur*, etc. Ex his vides hos Semiarianos vocibus tantum a Catholicis dissensisse, re autem ejusdem sententiæ fuisse. Unde videtur Athanasius sperare illos tandem ad catholicam non modo sentiendi, sed etiam loquendi rationem accessuros esse, cum ait, ipsos non longe abesse a recipienda Consubstantialis voce. Et vere illi, ut quidem videtur, postea Catholicis adjuncti sunt : non diu enim loquendi formulas ab illis usurpatas videmus in medium afferri. Ut vero hi Semiariani re ipsa cum Catholicis consentiebant, ita quoque alii Semiariani, qui Filium rem factam esse nec coæternum Patri dicebant, etsi illum ὁμοιούσιον, id est, Patris substantia similem dicerent, vel parum, vel nihil differebant ab Arianis et ab iis qui ἀνόμοιον, id est, dissimilem Patri Filium asserebant; quapropter hi etiam Semiariani non diu ab Arianis et ab Anomœis segregati mansisse videntur, et sic demum fere omnes, uti quidem existimo, Anomœorum nomine sunt appellati.

Anomœi vero illi eodem suborti tempore Aetium auctorem habuisse perhibentur, Aetium, inquam, illum, qui impietatis causa *atheus* (ἄθεος) cognominatus est. Jam porro illi tempore Athanasii turbas dare cœperunt, dicebantque Filium Patri omnino dissimilem, quæ hæresis, cum Arii et Arianorum erroribus omnino consentiebat. Cum enim Filium rem factam et creatam Ariani dicerent, hinc sane sequebatur tantam esse Patrem inter et Filium dissimilitudinem, quanta est Creatorem inter et rem creatam. Cum porro inter creatorem et rem creatam immensa sit dissimilitudo, certe eamdem esse inter Patrem et Filium sequebatur. Ἀνόμοιον itaque seu dissimilem Christum dicebant, hincque illi Anomœi sunt appellati. Initio autem inter Anomœos et Arianos dissensiones subortæ sunt ; non omnes paria dicebant, et aliquando, licet re ipsa paria sentirent, verbis tamen digladiabantur ; sub hæc autem Anomœi sensim invaluere et Orientem pene totum occuparunt. Certe quo tempore Chrysostomus concionari cœpit, nempe anno 386, plena Anomœis Antiochia erat : quapropter eo ipso anno Homilias illas *de Incomprehensibili*, cœpit, ipsosque egregie confutavit illo et sequentibus annis ; una namque serie duodecim homilias dedimus Tomo primo, queis Anomœorum argumenta depellit Chrysostomus.

3. Præter autem Arianam totam hæresim quam ipsi amplectebantur et tuebantur, alia etiam addiderant amentiæ plena, quæ passim illis exprobrat sanctus doctor. Dicebant itaque illi, ut jam monuimus se omnem scientiam accepisse : se Deum perinde nosse, atque se ipse noverat; qua insania quæ major esse poterat ! Nec modo in orationibus illis, quas speciatim contra Anomœos habuit, illos exagitat Chrysostomus ; sed etiam passim in aliis homiliis Anomœos sæpe in medium adducit et confutat, et quidem aliquando, ut T. 3, col. 31, præsentes. Nam eorum plerique concionibus ejus intererant, ut jam diximus. Nec modo Antiochiæ, sed etiam Constantinopoli multos reperit Anomœos, quos etiam passim aggressus est. Hi enim catholicæ plebi admixti quotidie velitabantur cum obviis quibusque. Hæc præcipua cura fuit Chrysostomo cum Antiochiæ, tum Constantinopoli. Sed quia in hac postrema civitate, ubi episcopus concionabatur, gravissimis aliis curis negotiisque distentus fuit, impetitus a multis, ac bis in exsilium actus, non potuit tantam istic quantam Antiochiæ propulsandis Anomœis adhibere curam. Etsi vero, uti jam diximus, passim in homiliis suis contra Anomœos agat, licet eos raro suo nomine Anomœos appellet : numquam illorum argumenta ita speciatim affert ac refellit, ut hic in Homiliis in Joannem. Quamobrem hic saltem præcipua recensere animus est : longius enim excurrere oporteret, si omnia afferremus.

§ IV. *Anomœi ex Arianis orti; cur ex Evangelio Joannis argumenta mutuentur. Illorum argumenta ex illo ipso Evangelio confutantur.*

Ex Arianis orti Anomœi, hac nota et tessera ab illis distingui videbantur, quod dicerent se omnimodam scientiam adeptos esse ; se perinde Deum nosse ut Deus ipsos noverat, atque etiam, ut Deus se ipsum noverat : quod insanum simul et impium erat. Hac se fultos scientia putantes, Catholicos ubique confidenter aggrediebantur. Quoniam vero ex Evange-

lio Joannis maxime ipsi confutari solebant, indeque tela mutuabantur Catholici, ut illos depellerent ac profligarent, ideo illi ex eodem Evangelio multa detorquebant, ut tela adversum se missa declinarent. Mordebat impios quod his Joannis Theologi dictis ipsorum sententia everteretur, *Deus erat Verbum;* et, *Ego et Pater unum sumus;* et, *Ego in Patre, et Pater in me est;* et, *Ut omnes honorent Filium sicut honorant Patrem;* et, *Sicut novit me Pater, et ego nosco Patrem;* et, *Qui videt me, videt et Patrem;* et, *Si cognovissetis me, Patrem utique cognovissetis* (*Joan.* 1, 1; 10, 30, 38; 5, 23; 10, 15; 14, 9 *et* 7), et similibus aliis, queis se unum substantia cum Patre, ipsi æqualem, et verum Deum declarabat. Ut ergo ab his sese tuerentur, ex ipsis primis Evangelii Joannis verbis tela mutuari conabantur. Dicebant autem, illud, *In principio erat Verbum*, non æternitatem Filii significare, quandoquidem de rebus creatis etiam dicitur, *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Ergo, inquiebant, illud, *In principio*, incassum affertur ad Filii æternitatem comprobandam. Huic sophismati pluribus occurrit Chrysostomus, ad auditorum captum accommodatis; brevitatis vero gratia ea solum afferimus quæ opportuniora sunt ad hoc inutile telum depellendum. His explicandis, *In principio erat Verbum,* non procul testimonia petenda sunt; sed ex iis quæ sequuntur paucissima addenda : *Et Verbum erat apud Deum; et Deus erat Verbum.* Illud, *Erat apud Deum*, significat, In Deo. Quidquid autem in Deo est, æternum utique est. Quod autem in Deo Verbum sit ipse Filius dicit, *Ego in Patre, et Pater in me est.* Ego in Patre, et vicissim Pater in me, quo dicto paritas et æqualitas, ac proinde æternit..s Filii clarissime demonstratur.

Illud itaque, *Apud Deum*, In Deo significat. Quod vero, *In principio* dicatur, ne hinc tamen initium exsistendi, aut principium temporis vel durationis Verbo adscribas. Non enim hinc potest, quisquis sanæ mentis fuerit, tale principium Filio Dei tribuere. Illud enim, *In principio erat*, non in principio factum fuisse Verbum significare potest. Neque enim id verba ipsa sonant, et alioquin Deus numquam potuit esse sine Verbo, id quod magis ex voce Græca λόγος deprehenditur; significat enim et Verbum et rationem. Sine ratione autem et Verbo Deum numquam fuisse certissimum est : idque evidenter asseritur per illud quod sequitur : *Hoc erat a principio apud Deum*, atque hinc consequitur Verbum seu Filium æternum esse sicut et Patrem. Hæc porro quæ jam diximus non ex homilia tertia modo, sed etiam ex aliis Chrysostomi homiliis excerpta sunt.

Homilia vero quarta aliam Anomœorum objectionem depellit Chrysostomus, quæ quidem objectio inde petitur, quod in hisce Græcis Evangelii Joannis verbis, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, articulus τὸν ante vocem Θεὸν adhibeatur, ubi de Deo Patre loquitur, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν : ubi vero de Filio agitur et de Verbo, articulus non ponatur ante vocem Θεός : Καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. Hinc vero sic argutabantur illi : Vox Θεός cum articulo aliquam habet vim qua significatur, illum ipsum esse Deum, id est, verum Deum, quod de Patre legitur. Sine articulo autem, ut de Filio dicitur, non parem vim habet. Hinc significatur, aiebant, non eodem modo Patrem, eodemque Filium esse Deum : Pater enim natura Deus et solus verus Deus est, Filius autem per adoptionem tantum Deus, nec verus Deus. Hoc a principio inter præcipua Arianorum argumenta computabatur, hoc item Anomœi perpetuo venditabant. At talem objectionem non hic modo, sed in aliis etiam opusculis strenue refellit et confutat Chrysostomus, ita ut ne mutire quidem contra liceat, nisi summam impudentiam profitentibus. Ostendit enim in multis Scripturæ sacræ locis Deum Patrem sine articulo poni, et vicissim Deum Filium cum articulo, unde statim talis argumenti futilitas comprobatur. Brevitatis porro causa locis hujusmodi referendis supersedemus.

Homilia vero quinta, col. 53, eosdem hæreticos impetit, qui puncto interjecto hanc clausulam vitiabant, *Et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Illi vero post vocem *nihil* punctum adjicientes, totam sententiam adulterabant, dum ita interpunctionem ponerent : *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat.* Quam absurde ita legatur, et quot quantaque ex hujusmodi lectione absona sequantur pluribus ostendit Chrysostomus. Sed ab iis, quia longiora sunt, referendis abstinebimus; ipsam homiliam adeat studiosus lector.

Neque solos Anomœos aggreditur; verum etiam, neque raro, Paulum Samosatenum, Sabellianos, Marcionistas et Manichæos, necnon eos qui dicebant Filium specie tantum carnem assumpsisse; id est, incarnationem esse phantasiam atque figmentum, neque vere umquam Filium incarnatum fuisse; sed incarnationis speciem tantum præ se tulisse. Quæ hæresis primis Ecclesiæ sæculis suborta, Chrysostomi ævo adhuc vigebat, ut ipse testificatur Homil. undecima, col. 79.

Contra antiquiores hæreticos auditores suos non raro munit et armat Chrysostomus, quia illorum familiæ adhuc ævo suo supererant et cum Catholicis frequenter conflictabantur. Neque cum illis modo, sed etiam cum gentilibus, qui adhuc magno numero supererant, pugnandum Catholicis erat. Ideo ad hujusmodi certamina illos instituit Homil. 17, col. 112 et seq. Non solum ex gentilibus popularibus multi obvios Christianos adoriebantur; sed etiam philosophi quidam gentilium libros scribebant adversus religionem Christianam, quorum duos commemorat sanctus doctor col. 113 et seq.

Verum quamvis et gentiles et illas hæreses non raro commemoret et carpat, Anomœis confutandis maximam adhibet operam, modo illorum objectiones depellens et arma ministrans auditoribus, modo illorum arrogantiam et insaniam traducens, ut Homil. 16, col. 106 :

Joannes se indignum ait qui solvat corrigiam calceamenti. Inimici autem veritatis in tantam prorumpunt insaniam, ut dicant se nosse illum ut ipse se novit. Qua amentia quid deterius? qua arrogantia quid furiosius?

Hæ igitur quotidianæ velitationes quæ passim oriebantur inter populares, contra Anomœos maxime erant, qui et numero longe plures, et ad hæc adeunda certamina acriores insurgebant, ac quæ Christus ut homo humilius loquebatur detorquere solebant, ut ejus divinitatem minuerent, et illum Patre longe minorem esse probarent. Sic Homil. 30, col. 172, hunc locum: *Qui de cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit et audivit, hoc testificatur; et testimonium ejus nemo accipit;* hunc, inquam, locum contorquebant lucifugæ, ut illum Patre minorem esse arguerent. Verum hæc et similia dicta, inquit Chrysostomus, Christus ut homo profert, qualia sunt etiam istæc, *Sicut audio, judico;* et, *Quæ audivi a Patre meo, loquor;* et, *Quæ vidimus loquimur* (*Joan.* 3. 31. 32). Nam Christum ut hominem sæpe loquutum esse certissimum est; sæpissime etiam ut Deum et Patri æqualem multa dixisse non minus certum; ut cum dicit, *Ego et Pater unum sumus,* et, *Ego in Patre, et Pater in me;* et, *Ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem;* et, *Sicut novit me Pater, et ego nosco Patrem;* et, *Qui videt me, videt et Patrem;* et, *Si cognovissetis me, Patrem meum utique cognovissetis* (*Joan.* 5. 30. *et* 8. 26. *et* 3. 11). Alibi quoque sæpe se et Patri æqualem et Deum exhibet.

Inde vero erat quod Judæi illum arguerent, in illum insurgerent, imo illum occidere vellent: *Non solum quia sabbatum solvebat, sed et quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* (Vid. homil. 38, col. 215.) Hic vero respondebant hæretici, non Christum se Deo æqualem fecisse; sed id Judæos suspicatos fuisse. Contra vero Chrysostomus, in caput hæreticorum tela contorquet, ipsosque ita depellit, ut nullam subterfugiendi ansam relinquat. Ita vero arguit. Fatebantur Anomœi Judæos putavisse Christum se Deo æqualem facere: neque negare poterant Christum multa dixisse quæ hanc omnino inducerent opinionem; verbi gratia illud, *Ego et Pater unum sumus:* et, *Ego in Patre, et Pater in me;* et, *Qui videt me, videt et Patrem:* multaque similia, quæ supra attulimus. His etiam quamplurima addi possent, quibus et Judæi et quicumque alii, qui Christum audiebant, necessario putarent ipsum se et Deo Patri æqualem, et vere Deum exhibere. Si ergo non Patri æqualis, non vere Deus fuisset: an poterat ille, quem ipsi Anomœi pium, sanctum et justum profitebantur, Judæos in tali opinione relinquere, quod videlicet ille, se et Deo Patri æqualem, et Deum diceret? Annon illos a tali opinione removisset, dixissetque, se nec Patri æqualem, nec vere Deum esse? Non poterat certe, nisi fraudulentus et deceptor esset, quod nefas dictu, a tali declaratione abstinere. Ille vero contra in iisdem semper insistit, et suam cum Patre æqualitatem novis dictis confirmat.

Verum tamen est Christum dictis illis, quæ ipsius divinitatem, æqualitatem cum Patre, et consubstantialitatem probant, humilia multa admiscere, tum quia ut homo sæpe loquebatur, et mortalibus omnibus sese modestiæ humilitatisque exemplar exhibebat; tum etiam id quod innuit sæpe Chrysostomus, ut Judæos protervos homines, sibi infensos, qui occasionem captabant illum accusandi, et hanc de divinitate et consubstantialitate Christi doctrinam non ferebant, sensim reduceret, atque ad meliorem frugem revocaret. Neque tamen uspiam aliquam ex illis sententiis quæ ejus cum Patre æqualitatem et consubstantialitatem demonstrabant retractavit, quales sunt illæ; *Ego et Pater unum sumus;* et, *Ego in Patre, et Pater in me est;* et, *Ut omnes honorent Filium sicut honorant Patrem;* et, *Sicut novit me Pater, et ego nosco Patrem;* et, *Qui videt me, videt et Patrem;* et, *Si cognovissetis me, Patrem meum utique cognovissetis;* imo etsi humilia interdum misceat, alia identidem adjungit quæ vere Deum esse et Patri consubstantialem confirment. Quamobrem multa cautione opus est, ne quis in offendicula incurrat, neve ruat in præcipitia. Nam utrinque præcipitia sensui suo confidentibus, nec Ecclesiæ Dei hærentibus, objici probavit eventus. Sabellius enim Christi dicta attendens, queis se Patri æqualem et consubstantialem indicabat, ex male intellecta consubstantialitate distinctionem personarum sustulit, atque unum eumdemque esse Patrem, et Filium et Spiritum sanctum dixit; Arius autem ex humilibus Christi dictis, in contrariam deflexit impietatem cum aliam Patris, aliam Filii substantiam dixit, hancque minorem illa. Sic semper iis qui Ecclesiæ ancoram non tenent, naufragium timendum est.

Hæc satis sunto: si enim omnia annotata loca quæ impii illi Anomœi ex Joannis Evangelio ad suam hæresim tuendam excerpebant adferremus, longius excurreret oratio. Si ea quæ affert Chrysostomus ad hujusmodi depellenda tela recenseremus, nullus dicendi finis esset. Unum est in quo fortasse non frustra desudaret industria, in referendis scilicet, asserendis atque illustrandis iis locis, quæ ad divinitatem Christi, æqualitatem cum Patre, consubstantialitatem asserendam ac demonstrandam idonea in Evangelio Joannis deprehenduntur. Illud vero Chrysostomus non indiligenter exsequutus est in hoc commentario; sed id longe plenius et ardentius præstitit in duodecim illis Homiliis contra Anomœos, quas in primo Tomo editas habes. Ubi ipsis Anomœis plerumque præsentibus et audientibus, ut ipse ait, imo ut in arenam contra se descenderet hortantibus, ut videas col. 406 et seq., hanc ille pugnam agressus est, ubi non solum ejus eloquentia elucet, sed etiam vis argumentorum. Ibi ille tam validis responsionibus tela et objectiones hæreticorum depellit, ut parem vix deprehendas athletam, et jure fatearis istas adversus Anomœos orationes inter præstantissima Chrysostomi opera annumerandas esse.

§ V. 1. *Homilias Chrysostomi in Joannem quanti fecerit Suidas.* 2. *Loca ejus a Concilio Chalcedonensi, Theodoreto, Ephræmio Antiocheno apud Photium, et Facundo Hermianensi allata.* 3. *Cur mulieris adulteræ historiam prætermiserit Chrysostomus.*

1. Inter egregia Chrysostomi opera, quæ cæteris ejus scriptis præcellere putabantur, Homilias ejus in Joannem enumerat Suidas, dum ait : *Hic multa scripsisse fertur : inter ejus opera præcellunt libri de Sacerdotio, sublimitate, dictione et elegantia, nominumque forma. Cum illis concertant Commentarii in Psalmos Davidis, Annotationes in Evangelium Joannis, Commentaria item in Matthæum, Marcum et Lucam,* etc. Ita Suidas, ita fortassis alii Suidæ tempore. Verum non eadem fuisse videtur et nostro et superiori ævo multorum opinio qui hæc Commentaria non inter ea Chrysostomi opera accensent, in quibus expedita et profluente verborum copia utitur. Et vere non ad hasce conciones respicere potuit ipse Suidas cum dixit : *Lingua ejus Nili Catadupa dicendi copia superabat. Nemo umquam tantis eloquentiæ et ubertatis divitiis exornatus fuit : solus itaque aureum divinumque nomen sine labe sortitus est.* Nam in hisce in Joannem concionibus longe alia, quam in cæteris, usus est concionandi ratione. Hic brevius et pressius res enuntiat, quia illi alius scopus erat, ut videlicet circa Evangelium Joannis, quod in ore omnium etiamque hæreticorum ferebatur, auditores suos institueret, et ad propulsanda adversariorum tela compararet.

2. Ab aliis quoque scriptoribus cum laude memorantur hæc in Joannis Evangelium Commentaria, a Concilio nempe Chalcedonensi, a Theodoreto, ab Ephræmio Antiocheno apud Photium, et a Facundo Hermianensi in loco quem jam supra memoravimus.

Concilium Chalcedonense, Tom. 4 Conc., p. 830 : *S. J. Chrysostomi in Joannem. Quid enim adjicit?* Et habitavit in nobis : *ac si diceret, Nihil absurdum suspiceris ex hac voce,* Factum est ; *neque enim mutationem dicit immutabilis naturæ.* Quem locum habes Homilia undecima, col. 80.

Theodoretus, Dial. 1, T. 4, p. 32, locum Chrysostomi hunc affert : *Itaque cum audieris* Verbum caro factum est, *ne turberis neque decidas : neque enim substantia decidit in carnem.* Hunc quoque locum habes in Homilia undecima, col. 79.

Ephræmius Antiochenus apud Photium in Bibliotheca, cod. 229, p. 805 : *Joannes Chrysostomus Evangelium Joannis explicans in undecima Homilia testificatur dicens :* Unitate et conjunctione Deus Verbum et caro unum sunt sine ulla confusione vel substantiarum sublatione. Hunc vero locum habes, col. 80. Hic etiam vides recte Ephræmium hanc homiliam undecimam numerare, ut in Manuscriptis, et apud Savilium atque in nostra Editione numeratur. In Morelliana autem et aliis Editionibus decima fertur.

3. Jam vero quæratur, cur Joannes Chysostomus in hisce commentariis seu concionibus historiam mulieris adulteræ prætermiserit, quæ historia initium capitis octavi Joannis ad usque versum duodecimum complectitur. Chrysostomus vero homilia 52, col. 289 ubi caput 8 explanare incipit, omissa hac mulieris adulteræ historia, ab his ejusdem capitis verbis orditur, *Ego sum lux mundi,* quæ in duodecimo ejusdem capitis versu feruntur. Cur igitur hac omissa historia ad ulteriora pergit? Certum est hanc historiam in nonnullis exemplaribus desideratam fuisse, qua de re videndi sunt critici qui de Joannis Evangelio pertractarunt, et nominatim Sixtus Senensis in Bibliotheca ad Joannem Evangelistam. lib. 6, annotatione CXCVIII. Unde quidam hanc primam octavi capitis partem excludendam esse temere censuerant, aliis omnibus eam retinendam esse jure pronuntiantibus. Verum quæritur, ut jam dixi, cur Chrysostomus in Concione 52 illam prætermiserit. Illud certe ideo fecerit, vel quod hæc historia in ejus exemplari non ferretur, vel quod e re non fore putaverit, genti adulteriis nimium deditæ, ut ex ejus concionibus arguitur, hanc historiam exponere; vel alia nobis ignota de causa. An porro in exemplari Chrysostomi hæc historia fuerit necne, non possumus ex ejus scriptis expiscari. Etenim non memini me uspiam in Chrysostomi scriptis hanc historiam vel legere vel memoratam videre. Nam quod in Morelli Editione Homilia 60, quæ nunc est 61, p. 389, B, in Latina interpretatione fertur : *Quod autem hac et non discendi gratia interrogent, non hic tantum, sed multis in locis perspicuum est, ut cum rogarunt an liceret censum dari Cæsari, et an lapidanda esset adultera; et cum de ea quæ septem viros habuisse deprehensa erat, percontati sunt,* illud certe vitio veteris interpretis irrepsit. Illa quippe verba, *et an repudianda esset adultera,* hæc Græca pessime exprimunt, καὶ ὅτε περὶ ἀφέσεως γυναικὸς διελέγοντο, quæ sic habentur in Editione Morelliana, atque in aliis omnibus Exemplaribus tum editis, tum manuscriptis, et sic haud dubie reddenda sunt, *et cum de repudianda uxore disserebant.* Itaque nullam hactenus hujus historiæ notam apud Chrysostomum deprehendimus. Unde fortasse suspicio nascatur hanc historiam in Exemplaribus Antiochenis non fuisse : quod nihil ad ejus minuendam auctoritatem conferret. Nam ea in toto Occidente, in Africa, in Ecclesia Alexandrina, quæ secunda in orbe Christiano erat, atque etiam in tota Græcia, paucis exceptis locis, legebatur. Unde auctor Synopseos, quæ inter Athanasii opera circumfertur, illam historiam in Evangelio Joannis haberi confirmat his verbis : de hoc ipsissimo agens loco : *Hic agitur de muliere quæ de adulterio accusabatur.* Opinor itaque hanc historiam ab Exemplaribus Antiochenis abfuisse : non enim video, cur si lecta fuisset, Chrysostomus illam data opera prætermitteret. Hæc satis sunto.

MONITUM

AD LECTOREM ERUDITUM

CIRCA UNDECIM HOMILIAS CHRYSOSTOMI NONDUM EDITAS,

QUARUM ΑΠΟΓΡΑΦΑ NUPER MIHI TRANSMISSA SUNT.

Homiliæ illæ undecim numero ex Codice Vaticano prodeunt, qui Codex non ita pridem ex monte Atho, ut aiunt, in Bibliothecam Vaticanam translatus est. In isto autem monte variis in monasteriis septem bibliothecas Manuscriptorum Græcorum haberi post Joannem Comnenum, qui illas inviserat, diximus in fine Palæographiæ Græcæ, p. 438, 473. Neque fugit nostros qui Romæ degunt, et hisce rebus advigilant R. P. D. Petrum Maloet Congregationis nostræ Procuratorem Generalem et D. Josephum Avril ejus socium, Codicem istum *inedita* Chrysostomi opera complectentem in Bibliothecam Vaticanam allatum esse. Nec mora catalogum homiliarum, quæ in illo continentur, additis cujusque homiliæ principiis, mihi transmittunt. Inter illas autem homilias undecim reperi, quæ nusquam vel cusæ vel memoratæ fuerant, quæque vel ex ipsis titulis aliquid boni subindicarent. Rogavi statim mihi exscriptæ transmitterentur. Non impigre autem illi rei manum et operam admoverunt, et omnes illas mihi transcriptas misere.

Sunt autem omnes illæ sine dubio genuinæ: neque ullam fore puto circa *authentiam* sententiarum diversitatem. Omnes Constantinopoli habitæ sunt. Quodque mihi pergratum perque jucundum fuit, non parum ad historiam illius temporis illustrandam conferre possunt. Singularum autem hic notam dare operæ pretium esse duxi, quia non possumus illas in Tomis sequentibus nono, decimo, vel undecimo publici juris facere; non licet enim Homilias in novum Testamentum jam cœptas dividere, ut hasce conciones inseramus. Quapropter illæ ad duodecimum Tomum transmittendæ sunt, interimque illarum notitiam dabimus, ut si quid eruditi viri circa illas nobis subsidii conferre possint, qua de re agatur sciant. Ad hæc vero, cum in nonnullis earum hiatus occurrant, quis scit an eædem in aliis fortasse Codicibus habeantur, ubi omnibus suis partibus absolutæ erunt? Harum itaque titulos, initia et argumenta accipe.

I. *Homilia habita in martyrio sive ecclesia veteris Petræ, paucis ob hiemem convenientibus: quod oporteat assidue conventibus interesse: et quod non sit desperandum de salute, sed pœnitentia agenda sit.*

Initium: Quid hoc est? Cum oporteret hodie totam civitatem adesse, ne maxima quidem pars convenit?

Est autem contra avaros; agitur de terræ motu haud ita pridem, sive ante triginta circiter dies habito, qui multis damna intulerat. Auditores ut semel in hebdomada adsint hortatur. Non esse desperandum. (Hic autem uno avulso folio hiatus adest.) De Helia multa; de Paulo quoque plurima.

II. *S. Patris nostri Joannis Chrysostomi. Cum imperatrix media nocte ad magnam ecclesiam accessit, indeque Martyrum Reliquias assumpsit, ac per totum forum comitata est usque ad martyrium in Drypia, quæ ab urbe distat novem milliariis. Dicta fuit homilia in magno martyrio, præsente Imperatrice totoque populo et magistratibus.*

Initium: Quid dicam et quid loquar? exsulto et insanio; sed insania quæ ipsa sapientia melior est.

In hac homilia, quæ multis illustrabitur notis, Chrysostomus tantæ celebritatis lætitiam effert. Illic aderant omnes omnium ordinum viri mulieresque, monachi, virgines, senes et juniores. Ipsa Imperatrix pedes incedens arcam semper vel superpositum pannum tangebat. Hinc maris brachium seu Bosporus trajiciendus fuit, ut ad martyrium seu ecclesiam in quam deferebantur Reliquiæ iretur. Multis Augustam præconiis celebrat, et plurima intermiscet ad ritus et mores illius temporis spectantia.

III. *Ejusdem. Cum sequenti die venisset Imperator ad martyrium apostoli et martyris Thomæ situm in Drypia, cumque ante concionem recessisset. Post discessum ejus habita est homilia ad multitudinem populi.*

Initium: Benedictus Deus: quantæ sunt Martyrum virtutes! heri nobis illi totam civitatem cum Imperatrice, hodie Imperatorem cum exercitu et pietate multa nobis attraxerunt. Postquam Imperatrix præcedenti nocte, ut vidimus, Reliquias comitata ad martyrium seu ecclesiam venerat: insequenti die Imperator venit cum exercitu, id est, cum armatorum et satellitum manu. Laudat porro Imperatoris Arcadii pietatem, nec Imperatoris modo, sed etiam satellitum et militum ipsum comitantium: atque in concione ad populum habita, multa de resurrectione futura loquitur.

IV. *Homilia hortatoria habita in templo beatæ Anastasiæ, ad eos qui a concione abfuerant, et demonstratio de certaminibus et pugnis beati et justi Jobi.*

Initium : Quanto pauciores sunt ii qui convenire solebant, tanto majore nos utemur alacritate. Ipse titulus satis indicat quid in hac homilia contineatur.

V. *Ejusdem homilia habita in templo sanctæ Irenes, de studio eorum qui aderant, et de ignavia eorum qui aberant a concione. De psalmis canendis, et quod mulieres nihil sexus impediat quominus virtutis cursum suscipiant.*

Initium : Quam dulcissima est Scripturarum lectio et omni prato suavior, atque pomario paradiso delectabilior. Titulus concionis argumentum satis affert.

VI. *Homilia habita in ecclesia Apostolorum, in die Theodosii Imperatoris, adversus eos qui sese Catharos sive mundos vocant. Habita postquam duo jam episcopi concionati essent.*

Initium : Quam egregium est par illud eorum qui locuti sunt, quorum alius boum ministerio arcam trahit, alius primitias sermonum deposuit. Erat quædam constituta dies ad celebrandam memoriam Theodosii Magni Imperatoris, cujus laudes prædicat initio concionis Chrysostomus. In medio autem hiatus est, proh dolor, duobus excisis manuscripti foliis. Deinde contra hæreticos illos agit qui se Catharos seu mundos appellabant. Sæpe eveniebat ut, antequam Chrysostomus homiliam suam haberet ad populum, alius episcopus concionaretur. Hic vero duo episcopi concionem Chrysostomi prævenerant.

VII. *Homilia habita in templo sanctæ Anastasiæ.*

Initium : Modicus est præsentium conventus, sed magnum desiderium : quapropter nec modicus conventus est. In hoc autem argumento per totam concionem insistit, non tam spectandam esse auditorum multitudinem, quam illorum fervorem, amorem, discendi desiderium.

VIII. *Homilia habita in ecclesia Pauli, Gotthis legentibus, postquam Gotthus presbyter concionatus fuerat.*

Initium : Vellem hodie adesse Græcos, ut quæ lecta sunt audirent, et discerent quanta sit crucifixi virtus. Comparat doctrinam Græcorum idololatrarum, etiamque philosophorum, quos acriter mordet, cum doctrina Christi. Dicitque illam etiam apud Græcos ipsos pene interiisse, dum doctrina Christi viget etiam apud barbaras et longe remotas nationes ; occasione scilicet Gotthorum in ecclesia legentium et concionantium.

IX. *Ejusdem, quod accedere non oporteat ad Circenses ludos, neque ad theatra. Cumque illos mœrore affecisset, (in præcedenti videlicet concione) deindeque in sequenti concione, quæ post illam Dominicam habita fuit, locum concionandi cessisset episcopo qui ex Galatia venerat, ipseque tacuisset, atque in hoc etiam dolore affecisset, hanc in magna Ecclesia habuit homiliam in illud* : Pater meus usque modo operatur, et ego operor.

Initium : Nuper valde vos pupugi de theatris et de equestribus ludis loquens ; ideoque lætor et exsulto, secundum apostolicam vocem. Quæ in titulo feruntur hic pluribus explicat, ostenditque quam necesse sit aliquando auditores acrius incessere.

X. *Homilia habita in ecclesia Apostoli, postquam episcopus quidam concionem prius habuerat, in illud* : Messis quidem multa, operarii autem pauci.

Initium : Vidistis senem et juvenem; senem corpore, juvenem animo? Vidistis canitiem vigentem, et senectutem firmitate valentem. Videtur episcopum illum qui prius concionatus fuerat senem admodum fuisse. Hincque sumpto argumento ait Chrysostomus secus haberi in militia Christiana, quam in sæculari. In hac enim senes milites non ultra sunt ad militiam apti, in Christiana vero contra.

XI. *Ejusdem homilia habita postquam alius concionatus fuerat, qui admodum senex erat : De Eleazaro et septem pueris.*

Initium : Quam speciosa est hæc spiritualis olea, cum rami ejus veteres maturum nobis fructum attulerint. A senectute concionatoris orsus, ad Eleazarum et tres pueros venit.

SANCTI PATRIS NOSTRI
JOANNIS CHRYSOSTOMI
Opera omnia.

COMMENTARIUS.

IN SANCTUM JOANNEM APOSTOLUM ET EVANGELISTAM (a).

HOMILIA PRIMA.

1. *Laus evangelii Joannis; ipsius Joannis encomium; quinam illius evangelium intelligere possint.* — Agonalium certaminum spectatores, si quando strenuum quempiam athletam jam coronatum accedere compe-

(a) Commentarius in Joannem collatus fuit cum Codicibus Reg. 1816, 1820, 1946, 1947, 1948, 1950, 1952 : Colbert. 370, 409, 590, 706, 956, 2691 : Coislin. 72, qui Codex scriptus fuit anno 1072. Manuscripti porro et Savil., hanc pri-

riant, omnes accurrunt, ut ejus pugnas, artem, robur spectare possint; hincque videas innumerorum hominum theatrum, qui in ea re et mentis et corporis oculis toti incumbunt, ut nihil ad spectaculum pertinens se præterire possit. Tum si quis eximius musicus adventaverit, hi omnes similiter theatrum implent, missisque omnibus quæ præ manibus habent, etsi ea sæpe necessaria sint et urgentia, conscenso theatro sedent, studioseque cantum et instrumentorum sonum excipientes, de utrorumque concentu disputant. Ita quidem multi. Qui autem in rhetoricis periti sunt, idipsum erga sophistas (*a*) præstant. Nam apud istos quoque theatra sunt et auditores, plausus, strepitus, et dictorum examen exquisitum. Quod si rhetorum, tibicinum athletarumque seu spectatores, seu auditores simul et spectatores, cum tanta sedent attentione: quantum studii, quantum diligentiæ vos adhibere par est, cum jam non tibicen, non sophista, sed vir de cælo tonitru clariorem emittens vocem [1], ad spectaculum vos evocet? Totum quippe orbem hoc clamore occupavit, comprehendit; implevit, non clamoris magnitudine, sed lingua ex divinæ gratiæ motu loquente. Quodque mirum est, tantus ille clamor, non asper est, non insuavis, sed omni musica harmonia jucundior et desiderabilior captandique majorem vim habens: præterea sanctissimus est, et admodum tremendus, tot arcanis plenus, tot bona conferens, ut qui diligenter illum excipiunt atque conservant, non jam homines sint, non jam in terra maneant; sed supra sæcularia omnia et cum angelis sortem habentes, terram quasi cælum incolant. Etenim ille tonitrui filius (*Marc.* 3. 17), Christo dilectus, columna omnium quæ in orbe sunt Ecclesiarum, qui cæli claves habet, qui de calice Christi bibit, et ejus baptismo baptizatus est, qui cum magna fiducia supra pectus Domini recubuit, hic jam nos convenit; non fabulam acturus, non personatus accedit (neque enim talia loquuturus est), non in suggestum ascendit, non orchestram pede percutit, non aurea indutus est veste; sed ingreditur cum singularis pulchritudinis amictu. Christo enim indutus conspicitur (*Gal.* 3. 27), pedes *speciosos* calceatos habens in præparatione evangelii pacis (*Rom.* 10. 15); zona non pectus, sed lumbos præcinctus, non ex purpurea pelle, neque superne auro ornata, sed ipsa veritate contexta et concinnata. Talis nunc nobis offertur sine larva: nulla enim apud ipsum simulatio, nulla fictio vel fabula; sed nudo capite, nudam nuntiat veritatem. Neque cum reipsa alius sit, alia ex habitu, oculis, voce auditoribus suadebit; nec instrumentis ad hæc nuntianda opus habet, non cithara, non lyra, non alio quovis hujuscemodi; sed omnia per linguam operatur, et quavis cithara vel musica suaviorem utilioremque vocem emittit. Est illi proscenium, cælum totum; theatrum, orbis; spectatores et auditores, omnes angeli, et ex hominibus quotquot angeli sunt, aut fieri cupiunt. Hi namque soli possunt hanc harmoniam accurate auribus percipere, et operibus exhibere, atque auditores, quales oportet, esse [1]. Alii vero omnes, ceu infantes, [audiunt quidem, nec tamen audita intelligunt, sed] placentis puerilibusque ludis intenti sunt: ita hi quoque risui, deliciis, opibus, potentiæ dediti, ventrique viventes, dicta quidem interdum audiunt; sed nihil magnum vel sublime operibus exhibent, quod se semel lateritio operi et luto dediderint. Huic apostolo adstant supernæ virtutes, illius animæ pulchritudinem, prudentiam virtutisque speciem mirantes, per quam ipsum Christum attraxit, et spiritualem accepit gratiam. Etenim ceu lyram quamdam speciosam lapillis aureisque fidibus ornatam, sic animam componens suam, id effecit ut magnum et excelsum quidpiam Spiritu sonaret.

2. *Joannis sublimitas. Quomodo evangelium ejus sit audiendum.* — Itaque non ut piscatoris, nec ut filii Zebedæi, sed ut ejus qui profunda Dei novit, Spiritum dico hanc lyram pulsantem, sic audiamus. Nihil enim humanum dicet, sed quidquid loquetur ex spiritualibus abyssis haustum est, ex arcanis illis, quæ ne angeli quidem, antequam illa fierent, noverant. Nam et ipsi nobiscum per Joannis vocem, et per nos didicerunt ea quæ nos novimus. Et hoc quoque significavit alius apostolus his verbis: *Ut innotescat nunc principatibus et potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei* (*Ephes.* 3. 10). Si ergo principatus, potestates, Cherubim et Seraphim hæc per Ecclesiam didicerunt, palam est illos magna cum attentione hæc edidicisse. Certe non parvo hinc honore afficimur, quod angeli ea nobiscum audiant, quæ ignorabant: quod autem etiam per nos, nondum dicam quomodo. Multum ergo adhibeamus cum modestia silentium, non hodie tantum, aut eo dumtaxat quo audimus die, sed per totam vitam; quia illum omni tempore audire fructuosum est. Nam si ea quæ in regia geruntur, scire optamus; nempe quid Imperator faciat, quid de subditis consulat, etiamsi sæpe id nihil ad nos attineat: multo magis quæ Deus dixit audire optandum est: cum maxime illa omnia ad nos spectent. Hæc porro cuncta accurate ille nobis enarrabit, quod regis amicus sit, imo quod regem in se loquentem habeat omniaque ab illo audiat, quæ ille a Patre accipit: nam ait, *Vos dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* 15. 15). Quemadmodum igitur, si quem e summo cælo pronum repente videremus, qui promitteret se nobis cælestia accurate dicturum, omnes accurreremus: ita nunc quoque affecti simus. Ex cælo namque vir ille nos alloquitur: non enim est ex hoc mundo, ut etiam dicit ipse Christus: *Vos de hoc mundo non estis* (*Joan.* 15. 19); et Paracletum in se loquentem habet, ubique præsen-

mam Commentarii partem, inter homilias, et quidem jure merito, recensentes, tituli instar habent: *Homilia prima*; Morel. vero, in superscriptionem effert: *Procemium*.

[1] Unus habet, *voce clariorem emittens vocem*.

(*a*) Sophistæ dicebantur rhetores, artium magistri, sapientes, doctores; illa autem ipsa vox aliquando in malam partem accipitur, pro iis qui simulatis ratiociniis veritatem detorquent.

[1] Hæc, *atque auditores, quales oportet, esse*, desunt in Savil., et in quibusdam Mss. Quæ paulo inferius uncinis clauduntur, desiderantur in Mss. plurimis.

tem, qui ita novit ea quæ Dei sunt, ut anima hominis res suas novit; Spiritum nempe sanctitatis, Spiritum rectum, qui dirigit et ducit in cælum, qui novos dat oculos, qui id efficit ut futura tamquam præsentia videamus, et in carne cælestia intueamur. Per totam ergo vitam nos ei sedato et tranquillo animo exhibeamus: nemo ignavus, nemo somniculosus, vel maculis respersus hic maneat: sed in cælum nos transferamus, ubi evangelista loquitur iis qui istic conversantur. Si in terra maneamus, hinc nihil lucri referimus: Joannis quippe disciplina nihil attinet ad eos, qui a vita porcis digna non absistunt, quemadmodum nihil attinent ad eum res humanæ. Tonitru quidem, inconditum emittens sonum, animos nostros perterrefacit; Joannis autem vox neminem fidelium turbat, imo ex tumultu et perturbatione eximit, solisque dæmonibus terrori est, et dæmonum servis. Ut videamus ergo quo pacto illos terreat, et animo sileamus et ore, animo tamen maxime. Quænam utilitas, cum tacente ore, animus tumultuatur? Animæ quietem quæro, quia animam audientem exopto. Nulla ergo nos commoveat pecuniæ cupiditas, nullus gloriæ amor, non iræ tyrannis, non aliorum affectuum tumultus. Non potest enim non purgatus auditus dictorum sublimitatem, ut par est, vel capere, vel arcanam et tremendam horumce mysteriorum rationem, cæterasque virtutes omnes in his oraculis contentas accurate cognoscere. Si enim tibia et cithara ludere nemo didicerit, nisi iis animum adhibuerit, quomodo mysticas voces quis sedens audiat, si animus in segnitie degat?

3. Ideo Christus his nos verbis admonet: *Nolite dare sancta canibus, neque projiciatis margaritas ante porcos* (*Matth.* 7. 6). Margaritas hæc verba vocavit, licet hæc margaritis longe pretiosiora sint, quia hac materia nulla præstantior. Ideo horum sermonum suavitatem melli comparare solet, non quod mel ipsam æquare possit, sed quod nihil melle dulcius apud nos sit. Nam quod et gemmarum pretium, et mellis suavitatem longo intervallo superent, audi prophetam hæc asserentem his verbis: *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum* (*Psal.* 18. 11. 12); sed bene valentibus tantum; ideo subdidit, *Etenim servus tuus custodit ea.* Et alibi quoque, cum dulcia dixisset, addidit, *Faucibus meis. Quam dulcia*, inquit, *faucibus meis eloquia tua;* et excellentiam efferens addit, *Super mel et favum ori meo* (*Psal.* 118. 103), quia sana mente præditus erat. Ne itaque morbo affecti hæc adeamus, sed post expurgatum animum, hunc cibum sumamus. Ideo namque tot verbis præmissis nondum ad hæc deveneram, ut singuli omni depulso morbo, ac si in cælum intrarent, sic ira, curis, sollicitudinibus cæterisque animi affectibus vacui ingrederentur. Non possumus enim hinc quid magnum lucrari, nisi prius animam ita purgaverimus. Nec mihi quis dicat, breve tempus inter hanc et sequentem concionem esse. Licet enim non solum dierum quinque spatio, sed etiam uno temporis momento vitam totam mutare. Quid, quæso, latrone et homicida scelestius? annon extremum hoc improbitatis genus est? Attamen latro ille ad summum virtutis apicem statim pervenit, et in paradisum abiit, nec plurimis diebus, nec dimidio die opus habuit, sed brevi tantum momento. Itaque licet repente mutari, et aureum ex luteo effici. Cum enim neque virtus, neque vitium ex natura insint, facilis est mutatio, omni necessitate libera. *Si volueritis et audieritis me*, inquit, *bona terræ comedetis* (*Isai.* 1. 19). Viden' sola opus esse voluntate: voluntate, inquam, non vulgari illa quæ plurimorum est, sed diligenti. Scio quippe omnes in cælum avolare velle; sed voluntas operibus exhibenda est. Siquidem mercator vult ditescere, neque voluntas in cogitatione tantum consistit; sed navim parat, nautas cogit, gubernatorem accersit, cæterisque omnibus navim instruit, aurum mutuatur, pelagus trajicit, in peregrinam terram proficiscitur, pericula multa subit, aliaque plurima patitur, quæ norunt ii qui navigare solent. Ita nos oportet voluntatem exhibere. Navigamus et nos quoque, non ab alia in aliam terram, sed a terra in cælum. Nos ergo mente apparemus ad gubernationem, quæ nos superne ducat, ac nautas obsequentes, firmamque navim nobis comparemus, ne calamitate quadam sæculari vel mœstitia demergamur, neve arrogantiæ spiritu efferamur, sed leves et expediti simus. Si ita navim, gubernatorem et nautas paremus, secundo vento navigabimus, Filiumque Dei, verum gubernatorem, ad nos attrahemus, qui non sinet scapham nostram demergi: sed licet innumeri spirent venti, ventos ille increpabit et mare, et vice procellæ tranquillitatem efficiet magnam.

4. *Descriptio dispositionum quæ ad evangelium audiendum requiruntur. Theatrorum spectacula fugienda, Pactis cum Deo et Ecclesia initis standum. Attentas aures præbendum.* — Sic comparati ad sequentem accedite concionem, si tamen cupiatis utile quidpiam audire, et in mente reponere. Nemo sit via, nemo petra, nemo spinis repletus. Faciamus nos ipsos novales: sicque libenti animo semina jaciemus, si nempe terram puram videamus; sin contra petrosam et asperam, ignoscite si nolimus frustra laborare: nam si serendo desistentes, cœperimus spinas evellere, tunc extremæ dementiæ esset in terram incultam semina jacere. Hujus concionis auditorem, non licet mensæ dæmoniorum esse participem. Quod enim consortium justitiam inter et iniquitatem? Stas Joannis auditor, ac per illum ea quæ Spiritus sunt ediscis: et postea abscedis meretrices auditurus, obscœna loquentes, obscœniora repræsentantes (*a*), et effeminatos qui se mutuo alapis cædunt? Quomodo poteris probe ablui et purgari, in tanto cœno volutatus? Quid opus est obscœnitatem illam totam minutatim recensere? Omnia illic risus, omnia opprobrium, contumeliæ, dicteria: omnia dissolutio, omnia pernicies. Ecce prædico et annuntio omnibus vobis: nemo eorum, qui hac mensa fruuntur, animam suam exi-

(*a*) Histrionum more in theatro repræsentantes, in quæ turpia theatralium meretricum spectacula sæpe invehitur Chrysostomus.

tiosis illis spectaculis corrumpat. Illa quippe omnia dicta et facta, pompa satanica sunt. Scitis autem quotquot initiati estis, quæ pacta nobiscum inieritis; imo quæ cum Christo, quando ille ipse est qui vos initiat: quid illi dixeritis; quæ de satanica pompa cum illo verba habueritis; quomodo et satanæ et angelis ejus simul abrenuntiaveritis, promiseritisque vos ad illa non deflexuros esse? Timendum ergo admodum ne quis his violatis promissionibus, sese his indignum mysteriis effecerit. Annon vides quomodo in regiis ædibus, non ii qui in aliquo offenderunt, sed qui in honore habentur, consilii participes advocentur, et inter amicos regis constituantur? Legatus nobis de cælo venit, ab ipso Deo missus, de necessariis nos rebus alloquuturus. At vos nihil curantes audire quid velit, quidve loquatur, sedetis mimos audientes. Et quot quantisque fulminibus hæc digna non fuerint? Ut enim non licet participare mensæ dæmoniorum, sic nec illa dæmoniaca audire fas est, neque sordida veste ad lautam illam mensam tot bonis refertam accedere, quam apparavit ipse Deus. Tanta enim ejus vis est, ut repente nos ad cælum ipsum rapiat: si tamen vigili mente attendamus. Neque enim qui divinis sermonibus frequenter institutus est, in hoc vili statu manet: sed necessario statim evolat, et sublimem illum petit locum, immensisque potitur thesauris: quos utinam nos omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

Cap. 1. v. 1. *In principio erat Verbum.*

1. Si Joannes nos alloquuturus esset, et sua narraturus, e re foret, ejus genus, patriam et educationem recensere. Quia vero non ipse, sed per illum Deus humanam alloquitur naturam, superfluum mihi videtur hæc disquirere; imo vero id non supervacaneum fuerit, sed valde necessarium. Cum enim didiceris quis, unde, a quibus ortus, qualis vir fuerit, deindeque audieris ejus vocem philosophiamque totam, tunc probe scies hæc verba non ejus esse, sed divinæ virtutis, ejus animam moventis. Qua ergo fuit patria? Nulla quidem patria; sed ex vico (a) prodiit et regione abjecta, quæ nihil alicujus pretii ferret. Galilæam enim contemnunt scribæ cum aiunt: *Interroga et vide, quod ex Galilæa non surgit propheta* (*Joan.* 7. 52). Nihili facit eam ille quoque vere Israelita dicens: *Ex Nazaret potest aliquid boni esse* (*Joan.* 1. 46)? Neque igitur ex insigni quopiam ejus regionis loco erat. Sed neque nomen ejus ibi notum, patre piscatore paupere: quin ita paupere ut filios eadem in arte exerceret. Scitis porro omnes, nullum artificem cupere filium suæ artis heredem relinquere, nisi summa paupertate coactum; maxime vero si ars sit vilis. Piscatoribus vero nihil pauperius, nihil abjectius; imo nihil indoctius: attamen inter eos, alii majores, alii minores sunt. Apostolus vero inter minores computabatur: neque enim in mari piscabatur, sed in modico stagno: ibique versantem cum patre et Jacobo fratre, quibuscum retia reficiebat (quod erat extremæ paupertatis indicium), Christus vocavit. Hinc intelligitur quam expers fuerit externæ disciplinæ. Alioquin vero Lucas testificatur ipsum non modo idiotam, sed etiam illiteratum fuisse (*Act.* 4. 13); et jure quidem. Nam qui ita pauper erat, ut neque forum adiret, neque cum honestis civibus versaretur, sed cum solis piscium cauponibus et coquis, qua in re feris et brutis præferri potuerit? quomodo non piscium instar mutus fuerit? Hic tamen piscator, qui circa stagna, retia et pisces versabatur, ex Bethsaida Galilææ, patre piscatore paupere, extrema inopia laborante, qui rudis erat et summe imperitus, qui literas nec ante, nec postquam Christo hæsit, edidicit, videamus quid loquatur, et quibus de rebus edisserat. Num de agris, de fluminibus, de piscium commercio? talia enim fortassis ex piscatore audire quis exspectet. Verum ne timeatis; nihil quippe hujusmodi audiemus; sed cælestia tantum, et quæ nemo hactenus edidicit. Tam sublimia enim dogmata, tam præclarum vitæ institutum, tantamque philosophiam nobis afferet, quantam par est eum, qui ex thesauris Spiritus hausit; (a) [tamquam modo ex cælo descenderit; imo neque omnes qui in cælo erant hæc scivisse verisimile est, ut jam dixi.] Hæccine, quæso, piscatoris erant? an rhetoris? an sophistæ vel philosophi? an cujuspiam externa illa imbuti sapientia? Nequaquam. Neque enim humanæ mentis prorsus est de immortali illa et beata natura ita philosophari, neque de potestatibus quæ post illam sunt, vel de immortalitate et vita æterna, vel de corporibus mortalibus, quæ immortalia postea futura sunt, de supplicio, de futuro tribunali, de rationibus exigendis operum, verborum, cogitationum; scire quid sit homo, quid mundus; quid vere homo sit, quid illud quod videtur esse, cum tamen non sit; quid nequitia, quid virtus.

2. *Philosophi externi cum Joanne comparati, quantuli sint pretii.*—Horum quædam Plato et Pythagoras rimati sunt: cæteri namque philosophi non memorandi; ita nempe ridiculi omnes fuerunt. Qui vero apud illos admirandi et disciplinæ principes habentur, hi maxime sunt: qui de republica et de legibus quædam scripsere, et tamen in omnibus plus quam

(a) Juxta Boisium et Savil., post vocem *patria*, subintelligendum est, *insigni*: nemo enim sine patria est. Melius forte textus instauraretur, si voci *patria* substitueretur vox *civitate*; tunc enim legeretur, *ex nulla quidem civitate, sed ex vico.*

(a) Quæ uncinis clauduntur, deerant in Savil. et Morel. Sed ex uno Codice desumpta sunt, et lecta fuerant a Francisco Aretino. Quod autem dicit Chrysostomus, ea quæ narrat Joannes evangelista, non omnibus angelis nota ante fuisse, jam dixerat supra in Procemio.

pueri ridiculi habiti sunt: quod mulieres omnibus communes fecerint, vitam ipsam pessum dederint, et honorem connubii deturparint, aliaque hujusmodi ridicule statuerint; et in his totum vitæ tempus insumpserint. De anima vero doctrinam omnium turpissimam statuerunt, dum animas hominum, muscas, culices, frutices fieri, Deumque ipsum animam esse dicerent; et alia quædam turpissima assererent. Nec ea solum de causa culpandi: sed et magnus est ipsis verborum Euripus. Quemadmodum enim in Euripo huc illuc jactati, sic numquam in iisdem persliterunt, utpote qui ex incerta et fluxa mente loquerentur. Verum non ita piscator hic, qui omnia certa pronuntiat, et quasi in petra stans, numquam titubat. Cum enim in ipsa adyta induci dignatus sit, et ipsum habeat Dominum in se loquentem, nihil humanum passus est; at illi haud secus quam ii qui ne per somnium quidem in regiam admissi sunt, sed in foro cum aliis permixtim hominibus versantur, dum ex propria mente de invisibilibus conjectarent, in summos errores inciderunt, de ineffabilibus disserere aggressi [1], et quasi cæci vel ebrii in ipso errore contra se mutuo impegerunt: nec mutuo tantum alii contra alios, sed etiam secum de iisdem rebus semper pugnant. Atqui hic illiteratus, rudis, ex Bethsaida, Zebedæi filius; etsi Græci nominum asperitatem admodum rideant, nihilo tamen minore, imo majore fiducia jam loquar: quanto enim magis barbara ipsis videtur natio illa, et a Græco instituto aliena, tanto splendidiora nostra videbuntur. Cum enim barbarus et indoctus ea loquatur, quæ nullus hominum umquam noverat; nec loquatur modo, sed etiam suadeat (quod si illud solum esset, magnum foret miraculum; nunc vero præter hoc, etiam aliud majus suppeditetur argumentum quod ea quæ dicuntur divinitus inspirata sint, quia nempe auditoribus omnibus semper doctrinam suam persuaserint); quis immanentem in eo virtutem non mirabitur? Illud enim, ut jam dixi, maximo signo est, ipsum non ex seipso doctrinam et leges proferre. Hic itaque barbarus evangelio suo universum comprehendit orbem, corpore autem mediam tenuit Asiam, ubi olim philosophabantur omnes Græcæ disciplinæ homines; hincque dæmonibus est formidabilis [2], quod in hostium medio fulgeat, illorum calliginem exstinguat, dæmonumque arcem diruat: anima autem in eum secessit locum, qui talia operanti competeret. Ac Græcorum quidem opiniones exstinctæ deletæque sunt; hujus vero res quotidie splendidiores evadunt. Ex quo enim hic et reliqui piscatores fuerunt, Pythagoræ Platonisque disciplinæ, quæ prius obtinere videbantur, silentio missæ sunt, ac ne nomine quidem illos norunt plerique. Atqui Plato tyrannos adiit accitus, ut aiunt, amicos habuit multos, atque in Siciliam navigavit: Pythagoras vero magnam adiens Græciam, præstigias induxit innumeras (a); nam quod cum bobus loqueretur (id enim de illo narratur), non nisi magica arte præstari poterat. Hincque maxime palam est, quod is qui bruta sic alloquebatur, nihil utilitatis hominibus præstaret, imo ipsis multum noceret. Certe aptior ad philosophiam erat hominum natura: attamen ille cum aquilis et bobus, ut aiunt, per præstigias loquebatur. Non ille rationis expertem naturam rationalem effecit; id quod homo non potest: sed præstigiis stultos decipiebat. Non utili doctrina homines instituebat; sed docebat idem esse fabas edere et parentum capita devorare; auditoribusque persuadebat, doctoris sui animam, modo fruticem, modo puellam, modo piscem effici. Annon jure illa exstincta penitus deletaque sunt? Certe jure ac merito, ut ratio postulabat. At non sic illa quæ ad rudem illum et illiteratum pertinent: verum Syri, Ægyptii, Indi, Persæ, Æthiopes, innumeræque aliæ gentes, dogmata ab illo inducta in linguam suam transferentes, barbari licet essent, philosophari didicerunt.

3. Non ergo frustra dicebam, totum orbem theatrum ipsi fuisse. Neque enim missis congeneribus, vanam brutis instituendis operam ponebat; quod supervacaneum studium et ingens insipientia fuisset; sed et hujus et aliorum expers vitiorum, id unum curabat, ut totus orbis utile quidpiam edisceret, quod posset illum a terra in cælum transferre. Ideoque non caligine et tenebris doctrinam suam involvit, ut illi, qui pravæ doctrinæ suæ obscuritatem ceu velum quodpiam obtendebant; sed hujus dogmata sunt radiis solaribus clariora: ideo omnibus per orbem hominibus patefacta sunt. Non enim quinque annorum silentium accedentibus imperabat, ut ille; nec sic docebat, ut insensibilibus lapidibus assideret; neque numeris omnia definiri fabulabatur: sed abjecta omni hujusmodi ingrata doctrina et pernicie satanica, tantam verbis admiscuit facilitatem, ut non modo viris et sapientibus, sed etiam mulierculis et adolescentibus dicta omnia perspicua essent. Illa enim vera et utilia audituris, esse confirmavit totum, quod postea sequutum est, tempus: nam totum ad se pertraxit orbem, et ab omni aliena tragœdia vitam nostram liberavit, postquam hæc audita fuere. Quapropter quotquot hæc audimus animam effundere optamus potius, quam a dogmatibus ab illo traditis absistamus. Hinc ergo et omni ex parte liquet, nihil humanum ab ipso, sed divina et cælestia esse dogmata, quæ a divina illa anima ad nos pervenerunt. Neque enim verborum strepitum, non dictionis fucum, neque nominum verborumque ornatum et compositionem superfluam vel inutilem videbimus (hæc quippe procul sunt ab omni philosophia); sed vim invictam et divinam, et rectorum dogmatum immensam virtutem, innumerabi-

[1] Hæc, *de ineffabilibus disserere aggressi*, posuit in margine Savilius, licet in aliquot Mss. habeantur, quorum unus legit *invisibilibus*, pro, *ineffabilibus*.

[2] Hæc, *hincque dæmonibus est formidabilis*, in Savil., et aliis desunt.

(a) De Platonis in Siciliam appulsu multi narraverunt. De Pythagoræ cum bobus et aquilis colloquio nusquam me legere memini; nisi forte referatur ad id quod ait Diogenes Laertius in principio vitæ Pythagoræ, animam ejus in quas vellet arbores vel animantes commigrasse; cætera quæ de Pythagora sequuntur, vide apud Diogenem Laertium.

liumque bonorum largitionem. Nam in prædicatione nimia verborum curiositas superflua esset, et sophistis digna; imo non sophistis, sed pueris insipientibus; ita ut apud eos ipse philosophus induceret magistrum suum quem suæ artis pudebat, quique dicebat judicibus ipsos audituros ab se esse verba sine artificio, et ut casus ferebat, prolata; non exquisitis ornata dictis, non verbis et nominibus selectis fucata. Neque enim par est, inquiebat, o viri, hujus ætatis virum, adolescentis proferre verba coram vobis judicibus. Ac vide quam sit illud ridiculum. Quam enim rem tamquam turpem, philosophia indignam, adolescentiumque opus, magistrum suum fugere dixit, huic maxime ipse operam dedit. Ita ubique ambitioni studebant illi; (a) [nihilque præter hoc in Platone admiratione dignum videtur.] Ac quemadmodum si sepulcra exterius dealbata aperueris, sanie, fœtore, corruptisque ossibus plena videbis: ita si philosophi dogmata dictionis ornatu nudaveris, multa videbis abominatione plena; maxime si de anima philosophetur, quam nimio honore ad blasphemiam usque afficit. Hic enim diabolicus laqueus est, mensuram nusquam servare, sed in utrumque extremorum illo captos per pravam doctrinam deducere. Nunc enim illam ex Dei substantia esse dicit; nunc illam præter modum et impie elatam, per alteram hyperbolen deturpat, dum illam in porcos, asinos, inque viliora animantia inducit. Sed hæc satis sunto; imo ultra modum de his disseruimus. Si quid enim utile ab illis edisci posset, pluribus iis insistere oportuisset; sin vero tantum quantum ad eorum declarandam turpitudinem satis esset, dicendum oportuit, hæc plus quam satis sunt. Quare missis illorum fabulis, jam nostra attingamus dogmata, quæ nobis per hujusce piscatoris linguam de cælo demissa sunt, quæque nihil habent humanum. Age ergo, hæc dicta in medium afferamus, et ut initio hortati sumus, dictis esse attendendum, hoc nunc iterum monemus. Quid ergo initio dicit evangelista? 1. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Vidistin' fiduciam et vim verborum maximam? quomodo nihil dubitans, nihil conjiciens, sed omnia affirmantis more loquatur? Hoc est enim doctoris, non vacillare in iis quæ profert. Nam si is qui alios instituit, altero opus habeat, qui dicta sua confirmare possit, non doctorum, sed discipulorum ordinem jure obtineat. Si quis vero dixerit, Cur prima omissa causa, statim nobis de secunda disserit? primum et secundum hic dicere recusabimus: divinitas enim et numero et temporum consequentia superior est. Ideoque his repudiatis, Patrem confitemur ex nullo esse, Filiumque ex Patre natum.

4. *Cur Joannes, relicto Patre, de Filio disserat. Describuntur sapientia et sublimitas evangelistæ.* — Recte, inquies: verum cur relicto Patre, de Filio disserit? Quia ille cognitus omnibus erat, si non ut Pater, saltem ut Deus: Unigenitus vero ignorabatur. Ideoque jure a principio statim ejus notitiam indere festinat iis qui ipsum non noverant. Alioquin vero Patrem in hoc sermone non tacuit. Ac vide mihi spiritualem prudentiam. Novit homines jam olim et ante omnia Deum præ omnibus colere et asserere. Ideo inde principium fecit, et progressus Deum esse dicit. Non sicut Plato alterum mentem, alterum animam esse dicit: hæc enim procul sunt a divina illa et immortali natura. Neque enim commune quidpiam nobiscum habet, sed longe est a communicatione cum creaturis; secundum substantiam dico, non secundum habitum. Ideo verbum illum appellavit. Cum enim docturus esset hoc Verbum esse unigenitum Filium Dei, ne quis generationem passibilem suspicaretur, præmissa Verbi appellatione omnem tollit malam suspicionem, dum et Filium ex ipso esse, et impassibiliter Filium esse declarat. Viden' quomodo, ut jam dixi, cum de Filio loqueretur, Patrem non tacuit? Quod si hæc non satis sint ad totam rem declarandam, ne mireris. De Deo namque nobis est sermo, quem pro dignitate neque dicere, neque cogitare possumus. Ideo hic substantiæ nomen nusquam ponit: quia nemo potest dicere quid Deus sit secundum substantiam: ubique autem illum nobis ex operibus demonstrat. Siquidem hoc Verbum videre est postea lucem dictum, et lucem rursus appellari vitam [1]. Neque hac solum de causa sic illum vocavit: sed hæc prima causa est secunda, quia quæ Patris erant nobis erat nuntiaturus; nam ait: *Omnia quæ audivi a Patre, annuntiavi vobis* (*Joan.* 15. 15). Vocat autem illum et vitam et lucem: nam cognitionis lucem nobis dedit, et ex luce vitam. In summa non unum nomen, non duo, non tria, non plura satis sunt ad ea quæ Deum spectant edocenda: sed optandum est, ut etiam per multa vel obscure possimus ea quæ ad Deum spectant complecti. Non autem simpliciter Verbum appellavit, sed cum articuli adjectione a reliquis ipsum distinxit. Viden' me non frustra dixisse hunc evangelistam nobis de cælo loqui? Animadverte enim, quo sublimitatis statim a principio auditorum mentem et animam evexerit. Postquam enim illam supra omnia quæ sub sensum cadunt, supra terram, mare, cælum evexit, etiam supra Cherubim, Seraphim, Thronos, Principatus, Potestates, supra omnem denique creaturam incedere suasit. Quid igitur? an postquam nos ad tantam sublimitatem deduxit, ibi nos sistere potuit? Nequaquam; sed perinde ac si quis stantem ad littus maris, ac respicientem urbes, oras, portus; postquam in medium pelagus adduxerit, a prioribus quidem amovit, at aspectui ejus terminos non posuit, sed immensum ipsi spectaculum dedit: sic et evangelista postquam nos supra omnem creaturam induxit, et ad superiora creaturis sæcula misit, sublimem oculum mentis relinquit, qui nullum finem in supernis attingere possit, eo quod nullus sit. Nam ubi ad principium ascendit ratio, quærit quid sit illud principium: deinde ubi illud, *Erat*, reperit,

(a) Quæ uncinis clauduntur, Savil. in margine posuit.

[1] Morel. hunc locum sic habet....... *et lucem rursus appellari vitam, et vitam vocari veritatem.*

semper ulterius mente procedens, ubi cogitationem sistat non habet : sed intente respiciens, cum terminum non reperiat, defessus rursum ad inferiora descendit. Illud enim, *In principio erat*, nihil aliud significat, quam quod semper fuerit, et æternus sit. Viden' veram philosophiam, et divina dogmata, non qualia Græcorum, qui tempora constituunt, et deos alios seniores, alios juniores dicunt? At nihil apud nos simile. Si enim Deus est, ut revera est, nihil est ante illum ; si Creator omnium, ipse primus est ; si Dominus et dominator omnium, omnia post ipsum sunt, et opificia et sæcula. Volebam in alia certamina descendere, sed fortasse fatiscit vobis animus. Quare post quædam monita, quæ vobis ad dictorum et dicendorum captum erunt utilia, finem dicendi faciam. Quænam igitur ea sunt? Scio multos dictorum longitudinem fastidire. Hoc vero tunc fit, cum anima multis sæcularibus curis sarcinisque obruitur. Sicut enim visus, dum purus lucidusque est, acute videt, neque laborat cum vel tenuissima corpora perspicit : quando autem de capite malus humor aliquis defluit, vel densa quædam nebula, ex infimis partibus ascendens, ante pupillam sistitur, ne crassiora quidem clare perspicere potest : sic et in anima contingit. Cum enim expurgata, nullo animi morbo turbatur, acute intuetur ea quæ videre opus est ; cum porro multis fœdata affectibus, virtutem pristinam amiserit, non facile potest sublimia attingere : sed statim fatiscit et decidit, et ad somnum ignaviamque declinat, atque ea, quæ ad virtutem et vitam probam pertinent, prætermittit, neque illa diligenter adit.

5. *Quomodo et quare animus omni cupiditate terrena vacuus fieri debeat ad evangelicam doctrinam recte intelligendam. Liber Joannis quanta cum attentione legendus. Moralis exhortatio ad recte audiendum. Nequitia ex arbitrio et voluntate.* — Quod ne vobis accidat (neque enim hæc dicendi finem faciam), vestrum roborate animum, ut ne eadem audiatis, quæ fidelibus Hebræis a Paulo dicta sunt. Nam illis grandem dicit esse sermonem et interpretatu difficilem : non quod natura sua talis esset, sed quia, inquit, *Imbecilles facti estis ad audiendum* (*Hebr.* 5. 11). Nam qui imbecillus est et infirmus, perinde brevi atque longa oratione turbatur, et quæ clara expeditaque sunt, captu difficilia arbitratur. Verum nullus hic talis esto, sed omni depulsa sæculi cura, quisque hanc doctrinam audiat. Cum enim auditor pecuniarum cupiditate tenetur, non potest certe cupide audire ; neque enim potest anima una multis sufficere cupiditatibus ; sed alia aliam cupiditatem pellit, et discissa anima infirmior evadit, dum altera prævalens cupiditas, totum ad se trahit. Quod etiam in liberis contingere solet. Nam cum unum tantum quis habet, eum supra modum amat ; cum multos, divisus amor minor ad singulos efficitur. Quod si ubi illa vis et ceu tyrannis est, atque ejusdem generis sunt ii qui diliguntur, ita contingit : quid dixerimus de amore qui ex voluntate et affectu prodit, maxime vero cum amores illi sese mutuo impugnant? Contrarius enim est pecuniarum amor doctrinæ hujus amori. In cælum intramus cum huc ingredimur. Non de loco, sed de affectu loquor : potest enim qui in terra degit, in cælo stare, et cælestia cogitare, imo audire. Nemo igitur in cælum terrena inducat : nemo dum hic versatur, de re domestica sollicitus sit. Oporteret enim lucra hinc hausta domum et in forum deferri, non autem ecclesiam domesticis et forensibus sarcinis gravari. Ideo namque ad doctrinæ thronum [1] ingredimur, ut hinc externas illas sordes deponamus. Quod si debeamus hoc tantillum otii externis illis dictis et gestis labefactare, melius esset ab ingressu prorsus abstinuisse. Nemo igitur in ecclesia res domesticas animo verset ; sed domi res ecclesiæ cogitet. Hæc cæteris omnibus nobis sint pretiosiora. Hæc enim ad animam, illa ad corpus pertinent ; imo quæ hic dicuntur et corpori et animæ competunt. Ideo hæc quasi præcipua tractentur, alia omnia perfunctorie. Hæc quippe et futuræ et præsentis vitæ sunt : illa ad neutram pertinent, nisi secundum legem de his positam tractentur. Non enim solum qui post hæc futuri simus, et quomodo illic vivemus, hic ediscimus ; sed etiam qua ratione hic nobis sit vivendum. Nam medicamentorum officina spiritualis domus hæc est ; ut quæ vulnera foris accipimus, hic curemus ; non autem ut hic aliis acceptis vulneribus recedamus. Nam si Spiritui sancto nos alloquenti non animum adhibeamus, non modo priora peccata non abluemus, sed etiam alia admittemus. Huic igitur libro nobis per revelationem tradito magna cum diligentia attendamus. Non enim multo postea studio egebimus, si principia et argumenta didicerimus : sed si tantillum initio laboris susceperimus, alios deinde secundum Paulum monere poterimus. Hic namque apostolus admodum sublimis est, multisque plenus dogmatibus, in quibus magis versatur, quam in aliis. Ne, quæso, perfunctorie audiamus. Ideo enim nos paulatim hæc explicamus, ut vobis captu facilia omnia sint, nec ex memoria effluant. Timeamus ergo, ne ex sententia illa culpandi simus, qua dicit : *Si non venissem et loquutus fuissem eis, peccatum non haberent* (*Joan.* 15. 22). Quid plus habebimus, quam ii qui nihil audierunt, quando post concionem nihil domum referemus, sed verba tantum mirati fuerimus? Date nobis igitur, ut in bonam terram semen jaciamus : date, ut nos magis attrahatis. Et si quis spinas habeat, ignem Spiritus injiciat : si quis cor durum et contumax, eodem igne molle illud et tractabile reddat. Si quis per viam a turba cogitationum invadatur, interiora petat, nec attendat iis quæ ad rapiendum intrare vellent ; ut comantes segetes vestras videamus. Nam si eam de nobis curam exhibeamus, et si magno studio spirituali concioni attendamus : si non confestim, saltem paulatim a sæcularibus omnibus rebus nos expediemus. Ideo animum adhibeamus, ne de nobis dicatur : *Aspidis surdæ aures eorum*

[1] Savilius mallet legere, *tempus*. Mss. omnes habent *thronum*.

(*Psal.* 57. 5). Qua in re, quæso, a fera differt hujusmodi auditor? Quomodo non sit irrationabili quovis irrationabilior, qui Deo loquente non attendit? Nam si placere Deo, illud est homo esse : qui ut hoc adipiscatur, audire non vult, nihil aliud quam fera esse dicatur. Cogita ergo quantum sit malum, cum Christus nos velit ex hominibus angelis æquales facere, si nos ex hominibus in feras transmutemus. Nam ventri servire, pecuniarum cupiditate teneri, irasci, mordere, calcitrare, non hominum, sed ferarum est. Atqui feræ singulæ suum habent affectum, idque secundum naturam : at homo qui principium cogitationum, et vitam secundum Deum instituendam abjecit, omnibus sese animi morbis addicit; nec modo fera efficitur, sed et multiforme monstrum, neque secundum naturam veniam meretur. Nequitia quippe omnis ex arbitrio et voluntate est. Sed absit ut hoc unquam de Ecclesia Christi suspicemur : de vobis enim meliora, quæque ad salutem ducant, sentimus. Verum quanto magis hoc ita esse confidemus, tanto majorem cautelam in concionibus adhibere non cessabimus; ut postquam ad ipsum virtutum culmen pervenerimus, nobis promissa bona consequamur : quæ utinam adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque Spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

In principio erat Verbum.

1. Supervacaneum jam esset vos de attentione concioni adhibenda monere; tam cito nempe admonitionis fructum re et opere exhibuistis. Concursus enim, diligens attentio, præpropera cum impulsu festinatio ad interiorem occupandum locum, unde facilius vocem nostram audire possitis; perseverantia, qua vel in angustia positi recedere non vultis, donec spirituale theatrum solutum fuerit; plausus strepitus, cæteraque similia, et fervorem animi et intentam concioni mentem indicant. Quapropter superfluum esset hac de re monere; sed illud dicere et monere operæ pretium fuerit, ut hoc animo esse perseveretis : nec modo hic idem studium exhibeatis, sed etiam domi vir uxorem, pater filium de his alloquantur; sua hi dicant, et paria ab illis exigant, omnesque hoc mutuum pignus in medium afferant. Ne quis mihi dixerit, pueros in hoc occupari non oportere : opus esset enim non modo his incumbere, sed hanc solam habere curam. Attamen infirmitatis vestræ causa id non dico, neque pueros ab externo illo studio avoco; ut neque vos a civilibus negotiis. Verum ex septem his diebus unum, rogo, communi Domino nostro consecretis. Annon absurdum fuerit, si cum servos nostros obsequia sua nobis semper præstare jubeamus, nos ne minimum quidem otii nostri Deo addicamus; præsertim cum hæc servitus Deo nihil conferat (Deus enim nulla re eget), sed ad nostram redundet utilitatem? Verum cum ad theatra filios adducitis, neque disciplinas, neque aliud quidpiam obtenditis; si vero quidpiam spiritualis lucri sit colligendum, vacationem illud esse dicitis. Et quomodo iram Dei non provocabitis, dum cæteris omnibus suo tempore operam dantes, divinis operam dare, molestum et importunum filiis existimatis?

Juvenes quomodo instituendi. Doctrinæ Joannis quanta vis. Mens quæ divina meditatur diabolo formidabilis est. — Ne ita, ne ita, fratres mei, agatis. Etenim hæc maxime ætas ista eget disciplina : tenera enim cum sit, cito illa quæ dicuntur, imbibit, doctrinaque ibi ceu sigillum in cera imprimitur. Alioquin autem hac primæva ætate vel ad vitium vel ad virtutem declinatur. Si quis igitur a principio et quasi a vestibulo illos a vitiis abduxerit, et ad optimam viam direxerit, ceu in quemdam habitum et rectam vitæ rationem eos constituet : neque sponte sua facile ad malum declinabunt, consuetudine illos ad bona opera trahente. Ita nobis vel ipsis senibus venerabiliores erunt, et urbanis negotiis gerendis aptiores, dum in juventute senilem ætatem exprimunt. Neque enim fieri potest, ut jam dixi, ut qui hujusmodi concione fruuntur, et tantum apostolum frequentant, non ingens quodpiam bonum secum referant; sive tandem vir, sive mulier, sive juvenis sit is qui hujus mensæ particeps efficitur. Nam si feras verbo domitas cicuramus, quanto magis homines hac spirituali doctrina ad frugem deducemus, cum inter medicinam et eum qui curatur tantum sit discrimen? Neque enim tanta nobis inest feritas, quanta belluis : nam hæc ex natura, illa ex arbitrio proficiscitur: neque verborum eadem vis est. Illa enim ex humana mente prodit, hæc ex Spiritus virtute et gratia. Si quis igitur de se desperet, mansuetas illas feras cogitet, et nunquam in desperationem incidet : sæpe hanc medicamentorum officinam adeat, divinas leges omni tempore audiat, et domum reversus, quæ audivit, in mente describat : sicque in bona spe et securitate constituetur, et experientia profectum sentiet. Cum enim diabolus legem Dei in anima descriptam videbit, et tabulas esse cor illius, non accedet ulterius. Ubi enim literæ regiæ, non in æreo cippo sculptæ, sed in religioso animo a Spiritu sancto efformatæ multa fulgent gratia, nec contra respicere ille poterit, sed procul nobis terga vertet. Nihil enim ita formidabile est et illi et cogitationibus ab illo immissis, ut mens quæ divina meditatur, et huic semper hæret fonti. Hanc nulla rerum præsentium turbabit, quantumvis molesta sit, nulla inflabit et extollet, quantumvis prospera fuerit : sed in tanta procella et tempestate, tranquillitate magna fruetur.

2. *Non turbamur nisi ex animi nostri infirmitate. Hæreticorum de Verbo sententia.* — Neque enim ex rerum natura turbamur, sed ex animi nostri infirmitate. Nam si ex rebus quæ accidunt turbaremur, omnes

homines turbari necesse esset. Omnes enim idem navigamus pelagus, neque fieri potest, ut extra fluctus et tempestates versemur. Quod si quidam extra tempestatem et furibundum mare degant, palam est tempestatem non a negotiis oriri, sed a statu mentis nostræ. Si hanc igitur ita comparemus, ut omnia facile ferat, nulli fluctus, nulla tempestas, sed tranquillitas nobis semper aderit. Verum nescio quo pacto, cum nihil horum dicere in proposito haberem, in tantam admonitionem devenerim. Ignoscite, quæso, longitudinem. Etenim vereor, et admodum vereor, ut hoc studium meum felicem exitum habeat; nam si fisus essem, neutiquam vos his de rebus alloquutus essem. Satis certe sunt quæ diximus, ut omnia vobis facilia reddantur. Tempus autem est ut ad rem propositam veniamus, ne vos defessi hæc certamina adeatis. Certamina quippe nobis prostant contra veritatis hostes, contra eos qui nihil non agunt, ut Filii Dei gloriam, imo potius suam dejiciant. Illa quippe semper manet ut est, nihil per maledicam linguam imminuta: illi vero, dum eum, quem se adorare dicunt, prosternere student, vultum suum infamia replent, et animam supplicio addicunt. Quænam ergo dicunt illi, dum nos hæc proferimus? Illud, *In principio erat verbum*, non æternitatem simpliciter indicare: nam hoc de cælo etiam et de terra dictum fuit. O impudentiam et impietatem ingentem! De Deo te alloquor, et tu mihi terram et homines terra ortos affers in medium? Ergo quia Christus Filius Dei dicitur et Deus, et homo similiter filius Dei et deus prædicatur (nam *Ego dixi*, inquit, *dii estis, et filii Excelsi omnes* [*Psal.* 81. 6]), cum Unigenito contendes de filiatione, et dices ipsum nihil plus habere, quam tu habeas? Nequaquam, ait. Atqui illud ipsum agis, etsi non dicas. Quomodo? Quia dicis, te per gratiam adoptionem percepisse, ipsumque similiter: cum autem dicis ipsum non natura filium esse, nihil aliud probas, quam per gratiam filium esse. Cæterum videamus ea, quæ nobis afferunt testimonia: *In principio fecit Deus cœlum et terram. Terra autem erat invisibilis et incomposita* (*Gen.* 1. 1. 2). Et, *Erat homo ex Armathaim Sipha* (1. *Reg.* 1. 1). Hæc ipsis firma videntur. Et vere firma sunt, sed ad demonstrandam doctrinæ nostræ veritatem: nam ad illorum blasphemiam comprobandam omnium debilissima sunt. Quid enim, quæso, commune habet illud, *Fecit*, cum illo, *Erat?* quid Deus cum homine? Cur ea misces quæ misceri non possunt? cur confundis ea quæ divisa sunt, et quæ sursum, deorsum ponis? Hic enim illud, *Erat*, non æternitatem ostendit, si solum spectetur; sed si addatur cum illis, *In principio erat*, et, *Verbum erat*. Quemadmodum ergo illud, Esse, cum de homine dicitur, præsens tantum indicat tempus; cum autem de Deo, æternitatem demonstrat: sic et illud, *Erat*, de nostra dictum natura, præteritum tempus significat, ipsumque finitum; cum autem de Deo, æternitatem indicat. Satis ergo erat ei, qui audiret Terram, et Hominem, nihil amplius de illis cogitare, quam naturæ creatæ conveniat. Nam quod factum est, quidquid tandem sit, in tempore vel sæculo factum est: at Filius Dei, non temporibus tantum, sed sæculis omnibus superior est: nam illorum et creator et opifex est: dicitur enim; *Per quem fecit et sæcula* (*Hebr.* 1. 2). Qui autem opifex est, ante opificia haud dubie fuit. Quoniam vero quidam ita insensati sunt, ut postea majus quidpiam de sua dignitate suspicentur, illo verbo, *Fecit*, et illo, *Homo erat*, auditoris mentem præoccupat, et omnem impudentiam exscindit. Nam quæ facta sunt omnia, cælum, terra, tempore facta sunt, temporale principium habent, eorumque nihil sine principio est, quia facta sunt. Itaque cum audis ipsum fecisse terram, et hominem esse, superflue nugaris, et inutilia effutis [1]. Ego enim aliam hyperbolen afferre possum. Quænam illa est? Si de terra dictum esset, In principio terra erat; et de homine, In principio erat homo, neque ita quid majus de illis suspicandum fore, quam illa quæ nunc cognoscimus. Nam præmissa terræ et hominis appellatione, quidquid de illis dicatur, non potest animus majus quidpiam de illis imaginari, quam ea quæ scimus: ut contra, Verbum, etiamsi tenue quidpiam de illo dictum fuerit, non permittit tamen aliquid abjectum et vile de se existimari. Enimvero de terra sic postea dicitur: *Terra autem erat invisibilis et incomposita* (*Gen.* 1. 1). Cum dixisset enim ipsum fecisse terram, et ipsi proprium terminum posuisset, secure jam quæ sequuntur enarrat; gnarus neminem ita stultum esse, ut illam sine principio et non factam esse suspicetur. Terræ quippe nomen, et illud, *Fecit*, satis sunt ut vel admodum stulto suadeant, ipsam nec æternam, nec non factam esse, sed ex eorum numero quæ in tempore condita sunt.

3. Præterea autem illud, *Erat*, de terra et de homine [2] dictum, non simpliciter exsistentiam significat; sed de homine dictum, indicat ipsum ex tali esse loco; de terra autem, illam tali esse modo. Neque enim simpliciter dixit, Terra erat, et postea tacuit; sed qualis post creationem esset addidit, nempe, *Invisibilis erat et incomposita*, adhuc aquis operta et admixta. Et de Elcana non dixit solum quod esset homo, sed adjecit unde esset, *De Armathaim Sipha*. De Verbo autem non sic. Et me pudet profecto hæc simul indagare. Si enim reprehendimus eos qui circa homines hoc agunt, quando multum est inter eos qui comparantur virtutis discrimen, licet illi ex una eademque substantia sint: quando et circa naturam et circa alia infinitum est interstitium, quomodo non extremæ dementiæ fuerit has quæstiones movere? Sed nobis ille propitius sit, quem ipsi blasphemiis impetunt. Hujusmodi namque dictorum adhibendorum necessitatem non nos induximus, sed illi nobis obtulere, qui salutem impugnant suam.

Æternitas Filii probatur. — Quid ergo dico? Illud, *Erat*, de Verbo dictum, significare ipsum æternum

[1] Morel. habet, *noli superflue nugari, te inutilibus implicans ratiunculis.*

[2] Alii legunt, *de cælo*, pro, *de homine*.

esse : nam ait, *In principio erat Verbum;* consequens autem erat, ut apud aliquem esset. Cum enim maxime illud Dei sit proprium, ut sit æternus et sine principio, hoc primo posuit. Deinde, ne quis audiens illud, *In principio erat*, etiam ingenitum diceret, statim ipsi occurrit, antequam diceret quid erat, dicendo, *Erat apud Deum.* Et ne quis ipsum Verbum prolatitium aut internum esse putaret (*a*), per articulum præmissum (*b*), et per secundam additionem, hanc amovet suspicionem. Non enim dixit, In Deo erat, sed, *Apud Deum*, ejus nobis secundum hypostasin æternitatem declarans. Deinde illud clarius significavit adjiciens, Verbum istud fuisse Deum. Sed, inquies, factum. Quid ergo obfuit quin diceret, In principio fecit Deus Verbum? Nam cum de terra loqueretur Moyses, non dixit, In principio erat terra, sed, *Fecit* (*Gen.* 1. 1) eam, et tunc fuit. Quid igitur prohibuit quominus Joannes ita diceret, In principio fecit Deus Verbum? Si enim ita dixit Moyses timens ne quis terram non factam diceret; multo magis de Filio metuere oportebat Joannem, si creatus fuisset. Mundus enim cum sit visibilis, hoc ipso Conditorem prædicat (nam *Cœli*, inquit, *enarrant gloriam Dei* [*Psal.* 18. 1] : Filius autem invisibilis est, et creaturam infinite medio excedit. Si itaque ubi neque verbo neque doctrina opus erat, ut disceremus mundum esse factum, tamen clare illud et ante omnia ponit propheta; multo magis id de Filio Joannem dicere oportebat, si creatus fuisset. Etiam, dices : Sed Petrus id clare dixit et perspicue. Ubinam et quando? Cum Judæos alloquens diceret : *Ipsum Dominum et Christum Deus fecit.* Cur ergo id quod sequitur non adjecisti, *Hunc Jesum quem vos crucifixistis* (*Act.* 2. 36)? An ignoras ex dictis alia ad immortalem naturam, alia ad incarnationem pertinere? Si autem non ita se res habet, sed omnia de deitate accipias, Deum passibilem induces : si vero non passibilis, non factus utique est. Nam si ex divina et ineffabili natura sanguis effluxerit, et si vice carnis ipsa in cruce clavis transfixa et dissecta sit, ratione nixum est sophisma tuum. Quod si ne diabolus quidem ita blasphemaverit, cur inexpiabilem ignorantiam simulas, quali ne dæmones quidem unquam usi sunt? Præterea hæc, Dominus et Christus, non sunt subsantiæ, sed dignitatis; alterum enim est potestiæ, alterum unctionis. Quid ergo dixeris de Filio Dei? Nam si creatus sit, ut vos dicitis, nullum hoc haberet locum. Non enim prius factus est, et tunc Deus ipsum ordinavit; neque abjectum habet principium, sed ex natura atque substantia. Interrogatus enim num rex esset, *Ego in hoc natus sum* (*Joan.* 18. 37), inquit. Petrus autem quasi de quodam qui ordinatus sit loquitur : nam de œconomia, sive de humanitate ipsi sermo est.

4. *Cur Petrus Judæos alloquens de Christo ut de simplici homine multa sit locutus. Christus in quantum Filius Dei est, non creatus est.* — Ecquid miraris, si Petrus id dicat? Nam Paulus Athenienses alloquens, virum ipsum tantum appellat dicens : *In viro in quo statuit fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis* (*Act.* 17. 31) : nihilque de forma Dei loquitur, neque Deo æqualem dicit, neque quod sit splendor gloriæ ejus; idque merito. Nondum enim tempus hæc dicendi venerat; sed satis adhuc erat, ut ipsum hominem esse et resurrexisse admitterent. Sic et ipse Christus fecit; a quo edoctus Paulus, ita res dispensabat. Non enim statim nobis deitatem suam revelavit, sed prius propheta et Christus [1] simplex homo putabatur; deinde et verbis et operibus id quod vero erat ostendit. Ideo Petrus in principio hoc utitur modo : nam hanc priorem [2] ad Judæos concionem habuit. Quia enim de divinitate ejus nihil hactenus ediscere potuerant, ideo de Christi humana natura verba facit, ut his exercitatus auditus, ad reliquam percipiendam doctrinam aptaretur. Quod si quis voluerit totam concionem altius repetere, id quod dico conspicuum esse inveniet. Nam et virum illum vocat, deque passione, resurrectione, et generatione secundum carnem pluribus agit. Paulus vero cum dicit, *Qui factus est ex semine David secundum carnem* (*Rom.* 1. 3), nihil aliud nos docet, quam quod illud, *Fecit*, de œconomia dictum sit; id quod etiam nos confitemur. Verum filius tonitrui de ineffabili et ante sæcula exsistentia nunc nos alloquitur. Ideo illo, *Fecit*, relicto, *Erat*, dixit. Oportebat enim, si creatum fuisset, id maxime definire. Si enim Paulus timuit ne quis ex insipientibus suspicaretur Filium Patre majorem fore, et Genitorem sibi subjectum habiturum esse : nam ideo Corinthiis scribens dicebat : *Cum autem dicit, Subjecta sunt, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia* (1. *Cor.* 15. 26. 27); atqui quis suspicaretur Patrem cum omnibus subjectum fore Filio? et tamen si has absurdas suspiciones timuit et dicit, *Præter eum qui subjecit ei omnia;* multo magis Joannem, si Filius Dei creatus fuisset, timere oportebat, ne quis ipsum increatum putaret, illudque præ omnibus docere. Cum autem genitus sit, jure neque ipse, neque alius quispiam, vel apostolus vel propheta creatum ipsum fuisse dicit. Imo neque ipse Unigenitus id prætermisisset, si creatus vere fuisset. Qui enim tam humilia sese demittendo loquitur, multo minus id tacuisset. Nam verisimilius puto ipsum quam haberet præstantiam potius tacuisse, quam si non haberet id prætermisisse, nec significasse id se non habere. Illic consentanea tacendi causa erat, quod vellet docere homines humilitatem, ideoque præstantiam suam obtegeret; hic autem ne minimam quidem probabilem tacendi causam dicere possis. Cur enim si creatus erat, se

(*a*) *Internum Verbum* ἐνδιάθετον Λόγον, memorat Irenæus l. 2, c. 12; *Verbum prolatitium*, προφορικὸν, appellat Theophilus Antiochenus, p. 104; et subinde hæ voces ab hæreticis maxime frequentatæ, ideoque proscriptæ sunt. Erant qui dicerent Patrem ante mundi creationem habuisse Verbum ἐνδιάθετον, *internum* : et quando mundum creavit, protulisse Verbum suum, et tunc fuisse προφορικὸν, *prolatitium*. Λόγον προφορικὸν καὶ ἐνδιάθετον, *verbum prolatitium et internum*, prout in hominibus est, memorat Plutarchus, libro, quod Philosophus debeat maxime principes alloqui.

(*b*) Equidem illud, *In principio erat Verbum*, Græce sic exprimitur, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος . . . . . .

[1] Juxta Savil. et Cod. 706, legeretur recte, *bonus*, pro, *Christus*.

[2] Vox, *priorem*, deest in quibusdam Mss.

factum esse tacuisset, qui multa sibi congruentia prætermittebat? Itaque is qui ad docendum humilitatem abjecta, sibi non competentia, sæpe dixit, multo magis, si creatus fuisset, id non prætermissurus erat. Nonne vides ipsum, ne quis ingenitum suspicaretur nihil non agentem et dicentem, imo indigna loquentem sua dignitate et substantia [1], atque in prophetæ humilitatem sese demittentem? Illud enim, *Sicut audio, judico:* et illud, *Ille mihi dixit quid dicam et quid loquar* (*Joan.* 5. 30. *et* 12. 49), et similia, prophetarum tantum verba sunt. Si ergo ut hanc tolleret suspicionem, tam humilia proferre verba non dedignatus est: multo magis, si creatus esset, ne quis increatum illum suspicaretur, multa similia dixisset; verbi causa, Nolite putare me genitum esse a Patre; nam factus, non genitus sum, neque ex eadem ex qua ille substantia. Nunc autem omnino contra facit; nam ea loquitur, quæ vel invitos cogant ad contrariam amplectendam sententiam; ut nempe: *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* 14. 10); et, *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me, Philippe? Qui videt me, videt et Patrem* (*Ibid.* 9); et, *Ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem* (*Id.* 5. 23). *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat* (*Ibid.* 21). *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Ibid.* 17). *Sicut novit me Pater, et ego nosco Patrem. Ego et Pater unum sumus* (*Id.* 10, 15. *et* 30). Et ubique *Sicut* et *Ita* ponit, dicitque se et patrem unum esse, nullamque esse differentiam declarat. Auctoritatem vero et per hæc et per alia plura demonstrat; ut cum dicit, *Tace, obmutesce; Volo, mundare; Tibi dico: Surde et mute dæmon, exi ab eo* (*Marc.* 4. 39. *Matth.* 8. 3. *Marc.* 9. 24): illudque, *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: ego autem dico vobis, Qui irascitur fratri suo frustra, reus erit* (*Matth.* 5. 21. 22). Similiaque statuit, et miracula edit, quæ possint ejus potentiam demonstrare: imo vel minima quidem illorum pars eos, qui non omni prorsus sensu carent, adducere et persuadere possit.

5. *Inanis gloriæ damnum.* — Verum ea est inanis gloriæ [2] vis, ut vel in rebus manifestissimis possit eorum qui illa capti sunt mentem excæcare, atque illis suadere, ut etiam adversus ea quæ in confesso sunt contendant; aliosque, quibus nota veritas est, ad simulandum et contra nitendum incitet: quod etiam Judæis accidit. Non enim per ignorantiam Filium Dei negabant, sed ut apud vulgus honorem sibi conciliarent Nam *Credebant in eum* (*Joan.* 12. 42), inquit, sed timebant ne extra synagogam fierent, in aliorumque gratiam salutem suam prodebant. Non potest enim, non potest utique is qui præsentem gloriam ita captat, illam quæ a Deo est assequi. Quapropter increpavit eos his verbis: *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab hominibus accipitis, et illam quæ a Deo est non quæritis* (*Joan.* 5. 44)? Ea quippe profunda quædam ebrietas est: ideoque is qui illo animi morbo captus est, difficile resipiscit. Hæc labes captivorum animam a cælo abscindens, terræ affigit, nec sinit veram intueri lucem, sed in cœno semper volutari curat, dominos ipsis parans ita potentes, ut sine jussu aliquo ipsis imperent. Nam is qui hujusmodi morbo laborat, etiam nemine jubente, sponte ista omnia efficit, quæ putat dominis illis placere posse. Illorum quippe gratia pulchris induitur vestibus, faciem ornat, non sibi, sed aliis; famulorum turbam in foro circumducit, ut aliis sit admirationi: quidquid denique facit, ut aliis placeat, exhibet. Num hoc animi morbo quidquam deterius esse possit? Ut aliis sit admirationi, sæpe se præcipitem dat. Satis certe essent ea quæ a Christo dicta sunt ad hujus morbi tyrannidem demonstrandam: verum hinc etiam illa cognoscatur. Nam si quempiam ex illis civibus qui sumptus profundunt maximos interroges, cur tantum auri impendant, quid sibi volunt hujusmodi sumptus, nihil aliud respondebunt, quam ut populo placeant. Si rursum sciscitetis, quid sit populus: Quidpiam, inquient, tumultu plenum et perturbatione, ex insipientia plerumque constans, quod temere sæpe ultro citroque fertur, instar marinorum fluctuum, et secum pugnante sententia plerumque jactatum. Qui talem habet dominum, quo non miserabilior fuerit? Sed quod sæculares homines his inhient, non ita grave est, etsi grave revera sit: quod autem qui se mundo renuntiasse dicunt, hoc morbo laborent, imo majore, id certe gravissimum. Illis enim pecuniarum tantum est jactura: his vero animæ periculum. Nam cum gloriæ causa a recta fide desciscunt, et ut sibi gloriam pariant, Deum dedecore afficiunt, quantum, quæso, torporis, quantum insaniæ res hæc præ se fert?

Gloria popularis, non est vere gloria.—Cætera porro vitia, licet multum damni inferant, aliquam saltem afferunt voluptatem, etsi temporaneam et brevem. Nam avarus, ebriosus, mulierumque amans, aliquam damno admixtam, etsi brevem, voluptatem habent: qui autem hoc morbo capti sunt, acerbam semper et voluptate vacuam agunt vitam. Neque enim id quod maxime amant assequuntur; gloriam nempe et auram popularem; sed videntur quidem illa frui, neque tamen fruuntur, quod illud minime sit gloria: ideoque vitium illud, non gloria, sed res gloria vacua dicitur; vanamque gloriam veteres omnes id jure vocarunt. Vacua namque est, nihil intus habens splendidum vel gloriosum. Sed quemadmodum larvæ videntur quidem decoræ et amabiles, sed vacuæ intus sunt: ideo licet formosiores sint cæteris corporibus, neminem umquam ad sui amorem allexerunt; sic illa apud vulgus gloria; imo longe miserabilius, hunc morbum curatu difficilem et tyrannicum nobis efformat. Conspectum quippe solum splendidum habet; interiora vero, non vacua modo, sed etiam dedecore et crudeli tyrannide plena sunt. Unde ergo nascitur, inquies, morbus tam absurdus, nullaque afficiens voluptate? Unde? Non aliunde quam a vili et abjecto animo. Non potest enim

[1] Quidam, *indigna loquentem sua substantia.*
[2] Quidam habent, *ambitionis*, et alii, *avaritiæ*, pro, *inanis gloriæ.*

is qui gloriæ amore captus est, magnum aut generosum quidpiam facile cogitare; sed necesse est ut turpis, vilis, inglorius et exiguus sit. Qui enim pro virtute nihil, sed ut hominibus nullius pretii placeat, omnia facit, quique illorum sententiam erroneam et fallacem ubivis sequitur, quomodo gloria dignus esse possit? Animadverte autem. Si quis illum interroget: Quid tu vulgus esse arbitraris? ignavam haud dubie et desidem multitudinem esse dicet. Quid vero? num illis similis esse optaveris? Si quis autem illum denuo sic percontetur, non puto ipsum se talem esse optaturum. Quomodo igitur non admodum ridiculum fuerit, illorum auram aucupari, quibus numquam similis esse velis?

6. Sin dixeris multos esse et in unum coactos, ideo maxime contemnendi. Nam si singuli contemptu digni, plurimi coacti longe magis despiciendi erunt. Multorum enim insipientia, collecta multitudine, magis augetur. Quapropter si singulos seorsim quis duxerit [1], emendare poterit; simul coactos non facile, eo quod insipientia sit major, et illi instar pecorum agantur, mutuamque sequantur sententiam. Talemne, quæso, multitudinis auram sectabimini? Ne, quæso et obsecro. Id enim omnia sus deque vertit: id avaritiam peperit, invidiam, criminationes, insidias: illud eos qui nullam passi sunt injuriam, contra eos qui nullam intulerunt, armat et efferat. Qui hoc laborat morbo, non amicitiam novit, non consuetudinem, neminem prorsus reveretur; sed bonis omnibus ex animo rejectis, cum omnibus bellum gerit, inconstans et inhumanus. Iræ certe morbus, etsi tyrannicus sit et intolerabilis, non semper exagitare solet, sed cum ab aliquibus irritatur: at vanæ gloriæ amor semper viget, nullum tempus, ut ita dicam, est quo desinere possit, nisi ratio illam cohibeat et comprimat, sed semper adest, non modo ad peccandum incitans, sed etiam si quid recte egerimus, e manibus præripiens: aliquando vero non sinit recte operari. Quod si Paulus (*Ephes*. 5. 5) avaritiam idolorum servitutem vocet; ejus matrem, radicem et fontem, vanam gloriam scilicet, quo nomine vocabimus? Neque enim illud tantæ nequitiæ dignum inveniemus.

Moralis exhortatio ad vanam gloriam fugiendam. Deum unum spectatorem laudatoremque quærere oportet. — Resipiscamus igitur, dilecti, et hoc perniciosum exuamus vestimentum: ipsum discindamus et dissecemus, veraque libertate tandem liberi efficiamur, atque in sensum nobis a Deo concessæ nobilitatis veniamus: multitudinis auram despiciamus. Nihil enim magis hoc morbo ridiculum et indecorum: nihil tanta turpitudine et infamia plenum. Hocque multis ex rationibus videre est: quod nempe gloriam concupiscere, ignominia; illam autem despicere et nihil reputare, vere gloria sit; sed omnia ad Dei placitum et dicenda et agenda sunt. Sic enim poterimus mercedem accipere ab eo qui nostra accurate respicit, quando illo solo contenti erimus spectatore. Quid enim nobis aliis oculis opus, cum is qui nobis honorem et præmium largiturus est, gesta nostra semper videat? Quomodo non absurdum sit, servum quidem ad heri sui placitum omnia facere, nihilque aliud quærere, quam ut ab ipso videatur, neque alios ad gesta sua oculos exquirere, quantumvis magni sint alii spectatores, sed unum scopum habere ut ab hero suo videatur; nos autem talem habentes Dominum, alios quærere spectatores, qui nos nihil juvare, sed aspiciendo nocere possunt, totumque laborem nostrum fructu vacuum reddere? Ne, quæso, id agamus: sed a quo mercedem accepturi sumus, eum gestorum laudatorem advocemus et spectatorem. Nihil nobis commune cum humanis oculis sit. Si enim hanc gloriam assequi voluerimus, eam profecto consequemur, cum solam Dei quæremus gloriam. *Nam glorificantes me glorificabo* (1. *Reg* 2. 31), inquit. Ac quemadmodum tunc maxime divitiis affluimus, cum illas spernimus, et a Deo tantum divitias quærimus (nam ait, *Quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis* [*Matth*. 6. 33]); sic et de gloria dicendum. Cum largitio sive pecuniarum, sive gloriæ periculo vacat, tunc illam Deus abundanter impertit. Tunc autem hæc sine periculo sunt, cum nobis non imperant, nec dominantur; nec nobis tamquam servis utuntur, sed ut heris et liberis adsunt. Ideo non vult nos illas amare, ne iis subjiciamur. Quod si assequamur, illas nobis cum abundantia multa largitur. Quid enim Paulo clarius, quæso, qui ait: *Non quærimus ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis* (1. *Thess*. 2. 6)? quid locupletius illo qui nihil habet, et omnia possidet? Cum enim, ut dixi, non subjiciemur eis, tunc illas tenebimus, tunc accipiemus. Si itaque gloriam assequi cupiamus, gloriam fugiamus; sic enim poterimus, servatis Dei præceptis, et præsentia et futura consequi bona, per gratiam Christi, quicum Patri gloria, unaque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Savil., legit, *Quapropter si unum quis assumpserit*; minus recte.

HOMILIA IV.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.

1. *Methodo quam in commentario usurpare destinat, exposita, Chrysostomus explicat cur evangelistæ alii ab incarnatione orsi sint, Joannes vero, secus; deinde quid sit Verbum exponit.* — Traditis ad disciplinas pueris, non gravia magistri statim imponunt onera, neque confertim hoc faciunt, sed paulatim, et eadem ipsis sæpe repetunt, ut ea facilius in mente imprimant, ne a principio deterriti multitudine eorum quæ vix memoria retinere valeat, segniores evadant ad ea quæ sibi tradita sunt colligenda, desidia tandem ex difficultatibus parta. Hunc ego morem sequar, levemque vobis laborem reddam: ac paulatim et per partes acceptis iis, quæ in hac sacra mensa proponuntur,

sic ea in animos vestros immittam. Ideoque ipsa iterum verba proponam, non ut idem repetam, sed ut addam omissa. Age ergo verba rursus ab initio adducamus : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Cur cum alii evangelistæ ab incarnatione Christi orsi sunt (nam Matthæus sic orditur : *Liber generationis Jesu Christi, filii David;* Lucas nobis ea quæ Mariam spectant in principio enarrat. Marcus vero similia fere profert, ex Baptistæ historia orsus), Joannes id paucis et post illa priora subindicavit his verbis, *Et Verbum caro factum est* (*Joan.* 1. 14), cæterisque omnibus prætermissis, conceptione, partu, educatione, incremento, æternam statim generationem nobis enarrat? Quænam horum causa sit, jam vobis dicam. Cum cæteri evangelistæ de iis quæ carnem spectant ut plurimum verba fecissent, timendum erat, ne quipiam humi repentes in hisce dogmatibus consisterent; quod et Paulo Samosatensi contigit. Ex hac igitur abjecta opinione reducens eos qui lapsuri erant, et ad cœlos erigens, jure ex superna æternaque exsistentia narrandi principium ducit. Nam cum Matthæus ab Herode rege, Lucas a Tiberio Cæsare, Marcus a baptismate Joannis narrationem cœpissent : istis omnibus ille omissis, statim supra tempus et sæculum omne conscendit, illucque auditorum mentem quasi jaculatur, cum ait, *In principio erat :* neque consistendi locum relinquit, neque terminum ponit, ut illi, Herodem nempe, Tiberium et Joannem. Ad hæc, quod summopere mirandum, neque hic sublimiorem aggressus sermonem, œconomiam sive incarnationem neglexit; neque, qui eam narraverunt, illius ante sæcula exsistentiam tacuerunt; idque jure merito. Unus quippe Spiritus erat qui omnes movebat; ideoque magnum in narratione consensum exhibuerunt. Tu vero, dilecte, cum Verbum audis, ne feras eos qui dicunt ipsum opificium esse; neque eos qui putant ipsum simpliciter verbum esse. Multa nempe sunt Dei verba, quæ et angeli faciunt; sed nullum horumce verborum Deus est; verum illa omnia sunt prophetiæ et præcepta (sic enim solet Scriptura vocare leges Dei, præcepta et prophetias : ideoque de angelis adjicit, *Potentes virtute facientes verbum illius* [*Psal.* 102. 20]) : hoc autem Verbum substantia est in hypostasi, quæ a Patre sine passione procedit. Illud enim, ut dixi, per Verbi appellationem significavit. Quemadmodum igitur illud, *In principio erat Verbum*, æternitatem denotat : ita et illud, *Hoc erat in principio apud Deum*, coæternitatem nobis significat. Etenim ne audiens, *In principio erat Verbum*, æternum quidem existimares, sed Patrem aliquo vitæ interstitio seniorem, et majoris ævi crederes, neve principium Unigenito dares, adjecit, *Erat in principio apud Deum :* ita æternus ut Pater; numquam enim Verbo vacuus fuit; sed semper Deus apud Deum fuit in propria sibi hypostasi. Quomodo ergo, inquies, adjecit, *In mundo erat* (*Joan.* 1. 10), si erat apud Deum? Quia et apud Deum Deus erat, et in mundo erat : nullo quippe clauditur termino sive Pater, sive Filius. Nam si *Magnitudinis ejus non est finis, Et sapientiæ ejus non est numerus* (*Psal.* 144. 3, *et* 146. 5), liquet neque substantiæ illius esse initium temporale. Audisti, *In principio fecit Deus cœlum et terram?* Quid cogitas de hoc principio? Certe quod hæc ante omnia visibilia facta sint. Sic et cum de Unigenito audis, *In principio erat*, ante intelligibilia omnia et ante sæcula ipsum esse intelligas oportet. Quod si quis dixerit : Et quomodo fieri potest, ut Filius cum sit, non sit junior Patre? nam qui ex aliquo est, necessario posterior est illo a quo est : respondebimus, hæc ex humanis cogitationibus proficisci, et eum qui hæc quærit, absurdiora etiam quæsiturum esse; nec esse illa vel auribus percipienda. De Deo quippe nobis est sermo, non de hominum natura, hujusmodi ratiociniorum consequentiæ et necessitati subjecta. Verumtamen ad infirmiores roborandos respondebimus.

2. Dic ergo mihi : Radius solis ex naturane solis exsilit, an aliunde? Necessario fatendum, nisi sensibus vacui simus, ex ejus natura prodire. Et tamen licet ex sole radius prodeat, numquam dicemus ipsum esse solari natura posteriorem : quandoquidem numquam sol sine radio visus est. Quod si in his visibilibus et sensibilibus quidpiam sit quod sit ex aliquo, neque posterius sit illo; cur id non credis de invisibili et ineffabili natura? Certe hoc ipsum ita se habet, ut illam substantiam decet. Ideoque Paulus (*Hebr.* 1. 3) eo ipsum vocavit nomine, simul declarans et ex ipso et coæternum ipsi esse. Quid igitur? dic mihi, annon sæcula omnia et spatium omne per ipsum facta sunt? Hoc confiteatur necesse est is, qui mente captus non sit. Ergo nihil medium est inter Filium et Patrem. Si nihil, ergo non posterior, sed coæternus est. Nam *ante* et *post* tempora significant. Hæ quippe voces non possunt sine sæculo vel tempore cogitari. Deus vero superior est temporibus et sæculis. Quod si omnino dixeris Filio principium esse, cave ne Patrem quoque sub principio eadem ratione constituere cogaris; antiquiore quidem, sed tamen principio. Dic enim mihi : Annon terminum atque principium Filio adscribens, atque ab illo principio altius prodiens, Patrem prius exsistere dicis? Id certe manifestum. Dic ergo mihi quanto spatio præexstitit Pater? Sive enim parvum, sive magnum dixeris spatium, sub principio Patrem posuisti. Nam postquam mensuram spatii illius duxeris, sic dices vel parvum vel magnum esse : mensura vero duci non potest, nisi utrinque principium sit. Itaque Patri, quantum in te fuit, principium dedisti : sicque secundum vos ne Pater quidem sine principio erit. Viden' verum esse id quod a Servatore dictum est, et dictum illud virtutis ejus ubique argumentum esse? Quodnam illud est? *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem* (*Joan.* 5. 23). Novi multis hæc incomprehensibilia esse : ideoque ratiocinia hujusmodi movere sæpe cunctamur, quod vulgus illa assequi nequeat; vel si assequatur, illa non firma et certa maneant. *Ratiocinia* quippe *hominum timida sunt, et fallaces cogitationes eorum* (*Sap.* 9. 14). Libenter autem adversarios

interrogaverim, quid sit illud a propheta dictum : *Ante me non fuit alius Deus, et post me non erit* (*Isai.* 43. 10)? Nam si junior est Patre Filius, quomodo dicit, *Post me non erit?* Num ergo Unigeniti substantiam tolletis? Necesse enim est aut eo audaciæ procedere, aut unam admittere divinitatem in propria hypostasi Patris et Filii. Quomodo autem illud, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* 1. 3), verum est? Nam si ævum est illo antiquius, quomodo id quod ante illum est, per ipsum factum fuerit? Videtisne in quantam temeritatem semel abjecta veritate processerint? Cur non dixit evangelista, ipsum ex non exstantibus factum esse, ut de omnibus Paulus his verbis asserit : *Qui vocavit ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt* (*Rom.* 4. 16); sed dicit, *In principio erat?* hoc enim contrarium est illi; ac jure merito. Deus enim neque fit, neque quid se antiquius habet; verum hæc gentilium verba sunt. Dic et illud mihi : Annon dixeris creatorem creatis operibus incomparabiliter excellentiorem esse? Cum ergo ipsis similis foret id quod ex non exstantibus esset, ubi esset illa incomparabilis excellentia? Quid autem est illud, *Ego primus, et ego post hæc*, et, *Ante me non fuit alius Deus* (*Isai.* 41. 4. *et* 43. 10)? Nam si Filius non sit ex eadem substantia, alius est Deus; si non coæternus, est post illum : ac si non ex substantia prodiit, palam est ipsum factum esse. Quod si dixerint hæc ad differentiam idolorum dicta fuisse, quomodo non concedent ad differentiam idolorum solum verum Deum dici? Quod si hoc etiam ad differentiam idolorum dictum sit, quomodo totam sententiam interpretaberis? *Post me* enim, inquit, *non est alius Deus.* Non ejiciens Filium hoc dicit, sed significat, Deus idolicus post me non est; non quod Filius non sit. Etiam, inquies. Quid igitur? illud, *Ante me non fuit alius Deus*, ita accipies, quod nempe idolicus deus non fuerit; at fuerit saltem ante eum Filius? Ecquis dæmon hæc dixerit? Ne ipsum quidem diabolum id puto dicturum esse. Alioquin autem, si non est coæternus Patri, quomodo infinitam ejus vitam dixeris? Nam si principium anterius habet; etiamsi infinitus sit, non tamen immensus erit : immensum enim utrinque immensum esse oportet; id quod etiam Paulus declarans dicebat : *Neque principium dierum, neque finem vitæ habens* (*Hebr.* 7. 3), et principio et fine carere declarans. Quemadmodum enim hoc, sic neque illud finem habet; cum neque hic finis sit, neque illic initium.

3. *Verbum si vita est, æternum est. Objectio hæreticorum : Filius* Θεὸς *dicitur sine articulo, refutatur.* — Quomodo autem cum vita sit, fuerit tempus cum non esset? Vita enim semper, ac sine principio et fine esse nemo non fateatur, si ille vere vita sit, ut revera est. Si vero fuit aliquando cum non esset, quomodo vita aliorum sit, quæ aliquando non fuit? Quomodo igitur, inquit, Joannes principium posuit dicens, *In principio erat?* Illine voci, quæso, *In principio*, et illi, *Erat*, attendis; et illam, *Verbum erat*, non cogitas? Quid vero, quando de Patre dicit propheta : *A sæculo et usque in sæculum tu es* (*Psal.* 89. 2) : an his verbis terminos ipsi ponit? Nequaquam; sed æternitatem significat. Idipsum hic cogita. Non terminos ponens ita loquutus est : neque enim dixit, Principium habuit; sed, *In principio erat*; hac voce, *Erat*, te deducens ut Filium sine principio esse cogitares. At, inquies, Pater cum articulo dicitur, Filius vero sine articulo (*a*). Quid ergo cum apostolus dicit, *Magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi* (*Tit.* 2. 13); et rursum, *Qui est super omnia Deus* (*Rom.* 9. 5)? ecce namque hic sine articulo Filium memoravit. Idipsum de Patre observes. Nam ad Philippenses scribens sic ait : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philipp.* 2. 6) : et ad Romanos : *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo* (*Rom* 1. 7). Alioquin vero supervacaneum fuisset hic articulum præponere, cum supra frequenter appositus fuerit. Quemadmodum enim cum de Patre dicit, *Spiritus est Deus* (*Joan.* 4. 24); quia articulus Spiritui non præpositus est, non ideo incorporeum esse Deum negamus : sic et hoc loco, etiamsi Filio articulus non præponatur, non minus tamen Deus est Filius. Qua vero de causa? Cum enim Deum et Deum dixit, nullum indicat nobis divinitatis discrimen; imo prorsus contra. Cum enim prius dixisset, *Et Deus erat Verbum*, ne quis putaret minorem esse Filii divinitatem, statim veræ divinitatis ejus documenta profert; æternitatem nempe sic resumens, *Hic erat in principio apud Deum* (*Joan.* 1. 2); creandi vim cum addit, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est* (*Ibid.* 3) : id quod maxime Pater ejus per prophetas ubique substantiæ ejus argumentum esse dicit. Ac frequenter hoc demonstrationis genus prophetæ versant : neque ad hoc solum, sed ut etiam idolorum cultum tollant. Nam *dii*, inquit, *qui cælum et terram non fecerunt, pereant* (*Jer.* 10. 11); ac rursum, *Ego manu mea extendi cælum* (*Isai.* 44. 24) : ostendensque illud esse divinitatis argumentum, id ubique ponit. Ipse autem evangelista, his non contentus verbis, vitam ipsum vocavit et lucem. Si itaque semper cum Patre erat, si omnia ipse condidit, produxit et continet (hoc enim per vitam significavit), si omnia illuminat; quis ita stultus erit ut dicat, evangelistam hæc verba ut divinitatem ejus minueret induxisse, quibus æqualitas paritasque demonstrari poterat? Ne, quæso, confundamus creaturam cum Creatore, ne nos quoque audiamus : *Coluerunt creaturam præ Creatore* (*Rom.* 1. 25). Etiamsi enim de cælis hæc intelligenda dicant : attamen de his loquens omnino prohibuit ne creatura colatur, qui gentilium error est.

4. *A servitute idolorum nos liberavit Christus. Dogmata non prosunt ad salutem, si vita sit corrupta. Ira celeriter extinguenda. Laudes hominum vel ex gratia*

(*a*) Hoc respicit illud Evangelii, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, ubi τὸν Θεὸν cum articulo dicitur de Patre, καὶ Θεὸς ἦν, sine articulo de Filio. Unde arguebant impie Ariani et Anomœi, Filium non esse Deum sicut Patrem, sed minorem, nec proprie Deum : quod contrariis exemplis confutat Chrysostomus.

prodeunt, vel ex odio negantur. — Ne itaque hujusmodi maledictioni nos subjiciamus. Ideo venit Filius Dei, ut nos ab hoc cultu erueret; ideo servi formam accepit, ut nos ab illa servitute liberaret; ideo sputis et colaphis dehonestatus, ideo mortem turpissimam passus est. Ne, quæso, hæc omnia inutilia reddamus, neque rursum ad pristinam redeamus impietatem, imo in longe graviorem: non enim æquale est creaturam colere, et ipsum Creatorem ad creaturarum vilitatem, quantum in nobis est, deprimere. Nam ipse manet qualis est, *Tu autem idem ipse es*, inquit, *et anni tui non deficient* (*Psal.* 101. 28). Glorificemus igitur eum, sicut accepimus a patribus: glorificemus cum et fide et operibus, nihil enim nobis ad salutem prosunt dogmata pia, si vita sit corrupta. Quamobrem illam concinnemus ad Dei placitum, omni turpitudine, injustitia, avaritia longe abacta, tamquam hospites et advenæ, et a præsentibus longe alieni. Si divitias quis multas habeat et prædia, sic iis utatur, ut peregrinus qui paulo post velit nolit discessurus est. Si quis ab alio injuria læsus sit, ne immortaliter irascatur, imo ne aliquo quidem tempore: non plus enim uno die nobis ad iram concessit apostolus: *Sol*, inquit, *non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* 4. 26). Et jure quidem: optandum quippe est, et vix caveri potest, ut ne in tam modico spatio quid molestum accidat. Si autem nox nos apprehendat, res graviores evadunt, memoria ingentem nobis ignem colligente, nobisque per temporis spatium hæc acerbius scrutantibus. Antequam ergo otium hujusmodi occupemus, et vehementiorem accendamus rogum, jubet malum prævertere, et exstinguere. Vehemens quippe est iræ motus, omnique flamma acutius. Ideo celeritate multa nobis est opus, ut flammam prævertamus, nec sinamus assurgere. Hic quippe morbus multorum causa malorum efficitur. Domos enim totas evertit, veteres solvit consuetudines, non consolabiles tragœdias brevi tempore ac momento parit. Nam *Momentum furoris ejus, ruina ejus* (*Eccli.* 1. 22), inquit. Ne itaque feram hanc sine freno sinamus, sed camum ipsi undique fortissimum, futuri judicii metum, injiciamus. Cum te amicus læserit, aut familiaris concitaverit, cogita quanta erga Deum peccaveris, et perpende te si moderatius cum illo agas, mitius tibi judicium illud constituere. Nam ait, *Dimitte, et dimittetur vobis* (*Luc.* 6. 37); statimque morbus aufugiet. Ad hæc consideres velim, num aliquando in furorem actus, te continueris; et num aliquando etiam ab ira abreptus fueris: utrorumque comparatione temporum, ad emendationem valde juvaberis. Dic enim mihi, quandonam teipsum laudasti, cum ab ira superatus es, an cum superasti? Annon cum primum accidit, nos vehementer incusamus, erubescimus, etiam nemine arguente, ac multa nos et verborum et gestorum subit pœnitentia? cum autem superamus, gaudemus, et quasi victores exsultamus? Victoria enim contra iram est, non cum par pari referimus (hæc quippe extrema clades est), sed cum æquo animo omnia patimur et audimus. Hoc quippe est superiorem esse, non mala inferre, sed mala pati. Cum irasceris igitur, ne dicas: Prorsus obsistam ego, prorsus irruam in illum: neque monentibus ut iram cohibeas dixeris: Non patiar ut postquam ille mihi illuserit, impune abeat. Neque enim te unquam irridebit, nisi quando ad vindictam te contuleris: sin te quiescente irriserit, ut stultus id aget. Tu vero cum viceris, ne quæras gloriam a stultis, sed ea contentus esto, quam a sapientibus assequeris. Imo vero cur tibi parvum illud ac vile theatrum hominum constituo? Ad Deum statim respice, et ipse te laudabit: quo laudante nemo debet ab hominibus gloriam quærere. Hominum quippe laudes plerumque vel ex gratia prodeunt, vel ex odio negantur; nihilque lucri afferunt: Dei vero judicium hac inæquabilitate vacat, multamque laudato affert utilitatem. Hanc igitur laudem sequamur.

5. *Ex iracundi imagine, quantum malum sit ira probatur. Contra eos qui superstitiose tempora observant.* — Visne discere quantum sit malum ira? Præsens esto dum alii rixantur in foro. Neque enim in teipso turpitudinem illam tam facile deprehendes, animo nempe tunc tenebris et ebrietate obvoluto; sed cum ira vacuus es, tunc in aliis tua contemplare; quando judicium tuum corruptum non est. Vide mihi turbam circumfluentem, et iratos, ac si furerent, in medio turpiter agentes Cum enim ira in pectore effervescit et efferatur, os ignem spirat, oculi ignem emittunt, inflatur undique vultus, incomposite manus jactantur, ridicule pedes exsiliunt, et insultant litem dirimere conantibus; nihil irati differunt a furentibus, cum hæc omnia nullo præditi sensu peragunt; imo ne ab asinis agrestibus, calcitrantes, mordentes. Sane vir iracundus modeste agere nescit. Deinde post tantum excitatum risum, ubi domum redierint, ad se reversi, dolore simul ac metu agitantur; animo volventes, quinam rixæ præsentes fuerint. Postquam enim ceu furentes de spectantibus nihil cogitaverant, resipiscentes postea secum reputant, num amici, num inimici spectatores fuerint. Nam perinde utrosque metuunt; illos, ut se improbantes majoremque inferentes pudorem; hos, ut de sua turpitudine gaudentes. Quod si ad plagas usque mutuas rixa proruperit, tum metus gravior, ne quid deterius verberato accidat, ne subsequens febris mortem inferat, vel tumor curatu difficilis in extremum periculum conjiciat. Quid enim mihi pugna opus erat? quid contumeliis et rixis? pereant et hæc et illa. Tuncque omnibus hisce fluxis rebus maledicunt, quæ rixandi causa fuere. Insipientiores vero et malignos dæmonas, et horam tempusque criminantur. Verum non hora mala in causa est; nulla quippe hora mala: neque hæc a maligno dæmone proficiscuntur, sed ex nequitia rixantium. Hi namque et dæmonas attrahunt, et sibi ipsis mala inferunt. Sed cor intumescit, inquies, et a contumeliis mordetur? Id et ego novi: ideoque miror eos qui malam hanc feram coercent. Si enim velimus, possumus morbum depellere. Cur enim cum principes viri nos contumelia afficiunt, id

non agimus? nonne quia timor, non minor quam ira, nos deterret, nec vel a principio iram erumpere sinit? Cur porro servi a nobis mille contumeliis onerati, omnia taciti ferunt? nonne quia et ipsi eodem vinculo ligantur? Tu vero ne solum Dei timorem cogites, sed etiam te tunc a Deo contumeliis affici, qui jubet te tacere, et omnia patienter feres. Dic te lacessenti : Quid faciam tibi ; alius mihi et manum et linguam cohibet : eritque dictum illud, et tibi et ipsi philosophiæ materia. Nunc autem hominum gratia etiam intolerabilia ferimus, et iis qui nos lacessunt sæpe dicimus : Ille me lacessivit, non tu : Deo autem ne parem quidem reverentiam exhibebimus? Ecqua nobis erit venia? Animæ nostræ dicamus: Deus nos nunc lacessit, qui manus nostras cohibet : ne insiliamus, nec minore Deum quam homines obsequentia prosequamur. Ad hoc verbum exhorruistis? Sed non tantum ad verba, sed etiam ad opus vos [1] exhorrescere cupio. Jussit Deus nos colaphis cæsos, non modo ferre, sed etiam ad pejus quidpiam patiendum nos offerre. Nos autem cum tanta violentia obsistimus, ut non modo nos ad male patiendum non offeramus, sed etiam nos ulciscamur ; imo sæpe priores manus inferamus, nosque vinci putemus, nisi paribus afficiamus. Nam illud gravius est quod nos vincere existimemus, quando extrema clade affligimur, et humi prostrati jacemus ; ac mille acceptis a diabolo vulneribus, de illo victoriam reportasse credamus. Quamobrem, rogo, discamus quis sit hujus victoriæ modus, et hanc morum speciem adeamus. Siquidem male pati, idipsum est quod coronari. Si ergo volumus nos a Deo victores proclamari, in his certaminibus ne legem sæcularium agonum servemus, sed legem a Deo pro his certaminibus positam, ut omnia æquo animo feramus. Ita enim et adversarios et præsentia omnia superabimus, et promissa consequemur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri, simulque Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii habent, *nos*, loco, *vos*.

HOMILIA V.

Cap. I. v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.*

1. Moyses historiam Veteris Testamenti a sensilibus nobis orditur, et ea pluribus enumerat : nam ait, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* 1. 1): deinde adjicit lucem factam, secundum cælum (*a*), stellarum naturam, omnigena animalium genera, ne singula prosequentes longiores simus. Hic autem evangelista uno verbo complectitur omnia, et illa nempe et illis superiora. Et jure certe, quia illa auditoribus nota sunt, et ipse ad præstantius argumentum properat, ac totum opus aggreditur, non de operibus, sed de Opifice et Creatore dicturus. Ideo Moyses quidem, etsi minorem creationis partem aggrediatur (nihil enim nobis de invisibilibus potestatibus narravit), in illis versatur : hic vero, qui ad ipsum Creatorem ascendere festinat, jure omnia prætercurrit, et hæc quæ ille dixit, et ea quæ ipse tacuit, paucis complectitur, *Omnia per ipsum facta sunt*. Ne vero putes ipsum ea tantum memorare quæ Moyses narravit, subjungit, *Et sine ipso factum est nihil quod factum :* hoc est, Ex rebus factis, sive sub aspectum, sive sub intellectum tantum cadant ; nihil sine Filii virtute productum est. Neque enim punctum apponemus post illud, *Nihil*, ut hæretici faciunt. Illi enim cum velint Spiritum creatum esse, ita legunt : *Quod factum est, in ipso vita erat*. At sic hæc nullo modo intelligi poterunt. Primo enim hic non opportuna Spiritus mentio esset : quod si tandem id voluisset, cur tam obscure loquutus esset? unde enim constat hoc de Spiritu dictum esse? Alioquin autem secundum hanc seriem comperiemus, non Spiritum, sed ipsum Filium per seipsum factum esse. Verum attendite, ne vos hoc dictum effugiat ; et age interim ad illorum morem legamus : hoc pacto enim manifestior erit absurditas : *Quod factum est, in ipso vita erat*. Vitam hic Spiritum significare dicunt. Sed vita etiam lux appellata hic occurrit ; subjicit enim, *Et vita erat lux hominum*. Secundum illos ergo lucem hominum hic Spiritum dicit. Quid igitur? Cum subdit, *Fuit homo missus a Deo, ut testimonium perhiberet de lumine*, necesse est ut dicant, hoc etiam de Spiritu proferri. Eum enim quem supra Verbum dixit, in sequentibus Deum, vitam, et lucem nominat. *Vita erat*, inquit, hoc Verbum, et hæc ipsa vita lux erat. Si itaque Verbum vita erat ; Verbum autem, quod est vita [1], caro factum est : vita caro facta est, hoc est, Verbum ; et ejus gloriam vidimus, quasi Unigeniti a Patre. Si ergo dicant Spiritum hic vitam vocari, vide quanta absurda sequantur. Spiritus enim incarnatus fuerit, non Filius : Spiritus erit unigenitus Filius. Si non ita res fuerit, dum hoc effugient, in aliud longe absurdius incident ita legentes. Nam si confiteantur illud de Filio dictum esse, neque interpungant, nec legant ut nos legimus, ipsum Filium a seipso factum esse dicant oportet. Si enim Verbum vita erat ; si quod factum est, in ipso vita erat : ipsum in seipso et per seipsum factum est secundum hanc lectionem. Deinde quibusdam interpositis adjicit : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*. Ecce secundum illorum qui ita loquuntur lectionem Spiritus sanctus, unigenitus esse Filius deprehenditur. De illo enim hæc omnis narratio instituitur. Videtisne, quando a veritate sermo aberrat, in quæ præcipitia abeat ; et quot absurda pariat? Quid

(*a*) Id est, firmamentum.

[1] Juxta Boisium hæc, *quod est vita*, delenda sunt. Hanc vero immutationem, ad nullius exemplaris fidem, inducere aggreditur.

igitur? Spiritus, inquies, non est lux? Est quidem lux, verum hic non de illo agitur : quandoquidem et Deus Spiritus, hoc est, incorporeus; sed non ubicumque Spiritus dicitur, Deum esse declaratur. Et quid miraris, si id de Patre dicamus? Neque enim de Paracleto quoque id dixerimus, quod ubicumque Spiritus dicitur, id de Paracleto intelligatur : quamvis hoc nomen ipsi maxime competat : attamen ubi Spiritus legitur, non semper Paracletus est intelligendus. Nam et Christus Dei virtus et Dei sapientia vocatur; at non semper ubi Dei virtus et Dei sapientia dicitur, Christus [1] indicatur. Sic et hoc loco, licet Spiritus illuminet, non tamen de ipso nunc loquitur evangelista. Attamen his exclusis absurdis ratiociniis, illi, qui semper veritati repugnant, dicere non desistunt : *Quod factum est, in ipso vita erat* (v. 14); id est, Quod factum est vita erat. Quid igitur? an Sodomorum supplicium, diluvium, gehenna et mille res hujusmodi vita erant? Sed de creatione nobis est sermo, inquiunt. Certe illa quoque ad creationem pertinent. Verum ut aliunde etiam illorum sententiam validius confutemus, interrogabimus illos : Num quæso, lignum vita est? num lapis, inanima hæc et immobilia? an homo omnino vita est? Ecquis hoc dixerit? Non enim ipsa vita homo, sed vitæ capax homo est.

2. Vide rursum hic absurditatem : nam hanc sequentur dicendi seriem, ut hinc eorum insipientiam discamus. Sic nihil usquam illi dicunt quod Spiritui competere possit. Postquam enim inde exciderunt, hominibus illa adscribunt, quæ de Spiritu digne dicta fuisse putabant. Cæterum jam lectionem examinemus. Creatura nunc vita dicitur; ergo lux etiam est : deque illa testificaturus venit Joannes. Cur ergo non et ipse lux est? Nam *Non erat ille lux*, inquit. Atqui ex creaturarum numero erat. Quomodo ergo non est lux? quomodo *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est?* creaturane erat in creatura, et creatura per creaturam facta est? quomodo *Mundus eum non cognovit?* an creatura creaturam non novit? *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Sed sat risui datum est. Hæc monstra verborum vobis deinceps confutanda relinquo, ne nos hæc risum movendi causa præmisisse videamur, tempusque frustra teramus. Nam si hæc de Spiritu non dicta sunt, ut jam demonstratum est, neque de creatura; et camdem tamen illi lectionem tueantur : illud omnium absurdissimum sequetur, ut diximus, quod Filius per seipsum factus sit. Si enim lux vera Filius est; lux autem hæc vita erat, vitaque in ipso facta est : necessario illud consequitur secundum eorum lectionem. Ideo hac omissa, ad legitimam veniamus lectionem et interpretationem. Quænam illa est? Ut in hæc verba, *Quod factum est*, terminemus sententiam : deinde ab hoc dicto incipiamus, *In ipso vita erat.* Hoc autem ille vult significare : *Sine ipso factum est nihil quod factum est.* Si quid, inquit, factum est, sine ipso factum non est. Viden' quomodo per breve hoc additamentum absurda omnia quæ suboriri poterant eliminavit? Per id enim quod intulit, *Sine ipso factum est nihil*, et per illud additum, *Quod factum est*, intellectualia simul comprehendit, Spiritumque subtraxit. Cum enim dixisset, *Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil :* ne quis diceret, Si omnia, ergo Spiritus per ipsum factus est, hoc additamento opus fuit. Ego, inquit, si quid factum est, hoc per ipsum factum esse dixi; sive invisibile, sive incorporeum, sive in cælo [1] factum sit. Ideo non simpliciter omnia dixi; sed si quid factum est : hoc est, quæ facta sunt. Spiritus vero factus non est. Viden' accuratam doctrinam? Rerum sensilium creationem memoravit, quam antea Moyses docuerat : deinde jam imbutos ad sublimiora ducens, incorporea nempe et invisibilia, Spiritum sanctum ab omni creatura sejunxit. Sic et Paulus hac gratia inspiratus dicebat : *Quoniam in ipso creata sunt omnia* (*Col.* 1. 16). Hic vero rursum eamdem accurationem observes velim. Idem namque Spiritus hanc quoque movebat animam. Ne quis enim rem factam quampiam a Dei creatione removeret, eo quod ipsa invisibilia essent; neve his Paracletum admisceret, prætermissis sensibilibus, quæ omnibus nota erant, cælestia enumerat his verbis : *Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates* (*Ibid.*). Illud enim, *Sive*, singulis appositum, nihil aliud nobis significat, quam hoc, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Quod si illud, *Per*, diminutionem significare putes, audi prophetam dicentem : *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli* (*Psal.* 101. 26). Quod de Patre ut creatore dictum est, id de Filio dicit : non dicturus, nisi creator, nec tantum minister existimatus esset. Quod si hic *Per ipsum* dicatur, non alia de causa dicitur, quam ne quis Filium non genitum esse suspicetur. Quandoquidem quod secundum creationis dignitatem nihil minus habeat, quam Pater, audi ipsum dicentem : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* 5. 21). Si itaque de Filio dicatur in Veteri Testamento, *Initio tu, Domine, terram fundasti*, manifesta est creationis dignitas : sin de Patre prophetam id loquutum dixeris, Paulum autem Filio adscripsisse id quod de Patre dictum erat; idipsum tamen sequetur. Neque enim id Paulus Filio competere statuisset, nisi admodum certus, parem esse dignitatem. Extremæ namque audaciæ esset, ea quæ incomparabili naturæ competerent, minori et inferiori adscribere.

3. At neque minor, neque inferior Patris substantia est Filius. Quapropter non hoc solum de Filio ausus est Paulus dicere, sed etiam alia similia. Nam illud, *Ex quo*, quod tu solius Patris dignitati adscribis, illo de Filio dicit his verbis : *Ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei* (*Coloss.* 2. 19). Neque hoc solo contentus est, sed et aliunde vobis obstruxit ora,

[1] In Morel. legitur, *Filius.*

[1] Alii habent, *sive in hominibus.*

cum illud, *Per quem*, quod minorem significare dicis, Patri adscribit. *Fidelis enim Deus*, inquit, *per quem vocati estis in societatem Filii ejus* (1. *Cor.* 1. 9); et rursum, *Per voluntatem ejus* (*Ephes.* 1. 1); et alibi, *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipsum omnia* (*Rom.* 11. 36). Itaque non uni Filio illud, *Ex quo*, sed etiam Spiritui tribuitur. Etenim Josepho angelus dicebat: *Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, ex Spiritu sancto est* (*Matth.* 1. 20). Quemadmodum et illud, *In quo*, quod Spiritus est, non recusat propheta Deo tribuere, dum ait: *In Deo faciemus virtutem* (*Psal.* 59. 14). Et Paulus, *Obsecrans*, ait, *si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos* (*Rom.* 1. 10): et iterum id de Christo dicit, *In Christo Jesu.* Hujuscemodi certe verba indiscriminatim accepta frequenter reperiemus: quod minime fieret, nisi ubique eadem substantia esset. Ne autem illud, *Omnia per ipsum facta sunt*, de signis putes nunc esse dictum: de iis enim reliqui evangelistæ verba fecerunt; post hæc subdit: *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est*: non autem Spiritus, qui non ex numero opificiorum est, sed supra omnes omnino creaturas. Verum jam reliqua prosequamur. Cum de creatione loquens Joannes dixisset: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est*; de providentia sermonem adjicit his verbis, *In ipso vita erat.* Ne quis enim incredulus dubitaret, quomodo tot tantaque per ipsum facta sint, subdidit: *In ipso vita erat.* Quemadmodum si ex fonte abyssos emittente aquam hauseris, quantumcumque haurias fontem nihil minues: ita de Unigeniti vi operandi putandum, quantacumque per ipsam facta credideris, numquam illa minuitur; imo vero ut magis proprio utar exemplo, nempe lucis, de qua ille mox adjicit, *Et vita erat lux.* Quemadmodum ergo lux, quantacumque hominum millia illuminet, nihil splendoris amittit: sic quoque Deus et antequam operetur et post emissa opera, perinde integer manet, nec minuitur, neque ex operatione multa fatigatur; sed etiamsi mille mundos similes creare oporteret, etiamsi infinitos, illis omnibus sufficeret, nec creandis modo, sed etiam post creationem servandis. Vitæ quippe nomen hic non ad creationem solum pertinet, sed et ad providentiam, qua res creatæ servantur et permanent. Etiamque resurrectionis doctrinam jam nobis fundare incipit, et ab admirandis hisce evangeliis orditur. Vita namque ad nos adveniente, solutum est mortis imperium, luceque nos illuminante, tenebræ non ultra manent; sed manet semper in nobis vita, et mors ei dominari non potest. Itaque quod de Patre dictum est, de hoc quoque proprie dicatur, *In ipso vivimus, movemur, et sumus* (*Act.* 17. 28): id quod etiam Paulus declarat his verbis: *Quoniam in ipso creata sunt omnia, et omnia in ipso constant* (*Col.* 1. 16). Quapropter et radix dicitur et fundamentum.

Pater non compositus, Filius item non compositus est. — Cum autem audis, *In ipso vita erat*, ne compositum suspiceris: nam postea de Patre dicit: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam* (*Joan.* 5. 26). Sed sicut Patrem non ideo compositum dixeris, sic nec Filium dicas. Etenim alibi quoque dicit, *Lux est Deus* (1. *Joan.* 1. 5); et rursus, *Lucem habitat inaccessibilem* (1. *Tim.* 6. 12). Hæc porro omnia dicta sunt, non ut compositionem suspicemur, sed ut paulatim ad doctrinæ culmen evehamur. Cum enim non facile a vulgo intelligi possit, qua ratione vita in ipso exsistat, primo id quod humilius est dicit; eruditos vero postea altius erigit. Qui enim dixit, *Dedit ei vitam habere*, is ipse ait: *Ego sum vita*; et rursus, *Ego sum lux* (*Joan.* 5. 26. 14. 6. *et* 8. 12). Et qualis, quæso, hæc lux est? Non sensilis, sed spiritualis, quæ illuminat animam. Quia enim Christus dicturus erat, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum* (*Ibid.* 6. 44), ideo præveniens evangelista dixit ipsum esse qui illuminat; ut si de Patre quid simile audias, ne id solius Patris, sed Filii quoque esse profitearis: nam *Omnia*, inquit, *quæcumque habet Pater meus, mea sunt* (*Ibid.* 16. 15). Primo igitur creationem nos docuit: deinde animæ bona quæ veniens nobis largitus est, uno verbo subindicavit evangelista dicens: *Et vita erat lux hominum.* Nec dixit, Erat lux Judæorum, sed, Universorum hominum. Neque enim Judæi tantum, sed etiam gentiles ad hanc cognitionem devenerunt, et hæc lux communis omnibus proposita erat. Cur autem non angelos addidit, sed homines solum dixit? Quia nunc ipsi de humana natura sermo est; et hominibus bona nuntiaturus venit. 5. *Et lux in tenebris lucet.* Tenebras hic vocat mortem et errorem. Hæc quippe lux sensilis non in tenebris lucet, sed sine tenebris est. Prædicatio autem inter eum, qui omnia occupaverat, errorem effulsit, eumque sustulit. Et in ipsam mortem veniens ipse, sic illam superavit, ut eos qui morte jam detinebantur, erueret. Quoniam igitur neque mors, neque error lucem illam superarunt; sed est ubique splendida, et propria vi fulget: ideo ait, *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* Est enim inexpugnabilis, nec libenter in animis habitat, qui nolunt illuminari.

4. *Lumen cœleste non illuminat nisi virtute et bona voluntate instructos. Peccator quasi in ebrietate et tenebris versatur, omnia tuta timens. Satius est nudum quam peccatis onustum ambulare.* — Quod si non omnes ceperit, ne id te conturbet: non enim ex necessitate aut vi, sed ex voluntate et arbitrio ad nos accedit Deus. Ne luci huic ostium claudas, et multa voluptate frueris. Hæc porro lux per fidem accedit, et cum semel advenit, excipientem se admodum illuminat: et si puram exhibeas vitam, perpetuo intus manebit: nam *Qui diligit me, mandata mea servabit, et veniemus ad eum ego et Pater meus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan:* 14. 24). Quemadmodum enim non potest quis radio solari probe frui, nisi oculos aperiat: ita neque hujus splendoris abunde consors esse, nisi animæ oculos aperiat, eorumque aciem undique paret. Quomodo autem id fieri possit? Si animum omni vitio purgemus. Peccatum enim tenebrosum est, densaque caligine offusum; idque inde

palam est, quod inconsiderate et sine arbitris admittatur. Nam *Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit, ad lucem* (*Dan.* 3. 20); et, *Quæ in occulto fiunt, turpe est et dicere* (*Ephes.* 5. 12). Sicut enim in tenebris nec amicum nec inimicum agnoscimus rerumque omnium naturam ignoramus, sic et in peccato accidit. Nam qui avaritiæ studet, non distinguit amicum ab inimico : invidusque necessitudine sibi junctum ut inimicum habet ; ac qui insidiatur, contra omnes bellum gerit : uno verbo, quisquis peccato obnoxius est, nihil differt ab ebriiset furentibus, neque rerum naturam novit. Ac quemadmodum noctu lignum, plumbum, ferrum, argentum, aurum, lapidem pretiosum, omniaque pari modo cernimus, cum lux ad hæc discernenda non adsit : sic qui vita impurus est, temperantiæ virtutem non novit, neque philosophiæ pulchritudinem. In tenebris enim, ut jam dixi, ne lapides quidem pretiosi pulchritudinem suam exhibent, non naturæ suæ vitio, sed spectantium ignorantia. Neque hoc unum nobis damnum in peccato degentibus accidit; sed et in perpetuo metu versamur : ac quemadmodum ii qui per noctem illunem iter agunt, semper tremunt, licet nemo adsit qui metum incutiat : sic ii qui peccatis dediti sunt, fidere nequeunt, etiamsi nullus adsit qui redarguat; sed omnia formidant et suspecta habent, conscientia stimulante [1], omniaque ipsis terrore et formidine plena sunt, omnia anxii circumspiciunt. Tam molestam ergo vitam fugiamus. Nam post angorem hujusmodi, mors sequetur, mors immortalis : illic enim nullus supplicii finis erit; hic vero ab insanientibus nihil differunt ii, qui res sibi fingunt, quæ ne quidem exsistunt. Videntur enim sibi divites esse, cum non sint; se deliciari putant, et nullæ deliciæ : nec prius fallaciam ut par esset sentiunt, quam ab hac insania liberentur, et donec somnum excutiant. Ideoque ut sobrii simus et vigilemus Paulus omnibus præcipit : et idipsum quoque Christus. Qui sobrius est et vigilat, si a peccato capiatur, cito ipsum excutit : qui vero dormit aut insanit, ne quidem sentit quomodo a peccato teneatur. Ne itaque dormiamus. Neque enim noctis tempus est, sed diei. Itaque *Sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* 13. 13). Nihil enim peccato turpius. Minus est malum, secundum turpitudinis rationem, nudos, quam peccatis et sceleribus onustos obambulare. Illud enim non tantum crimen esset : sæpe namque ex paupertate oritur : peccatore autem nihil turpius, nihil contemptu dignius. Cogitemus ergo eos, qui rapinæ et usuræ causa in judicium raptantur, quam turpes, quam ridiculi videantur, ut qui omnia impudenter, fallaciter et cum violentia egerint. Nos autem ita miseri infelicesque sumus, ut dum pallium negligenter vel transverse positum gestare non patimur; imo idipsum in alio emendamus; cum autem et nos et proximi nostri inverso capite ambulemus, id ne quidem sentiamus. Quid enim, quæso, turpius viro, qui meretricem adit? quid contumelioso, quid maledico, quid invido risu dignius? qui fieri potest ut hæc non tam turpia habeantur, quam nudos ambulare? A consuetudine tantum. Illud enim nemo unquam sponte sua passus est, hoc vero omnes confidenter audent. Certe si quis angelorum cœtum adiret, in quo nihil unquam hujusmodi gestum est, statim videret quam ridicula res esset. Ecquid angelorum cœtum memoro? Nam in imperatoriis apud nos ædibus, si quis inducta meretrice utatur, vel si ebrietate capiatur, vel turpe aliud quidpiam admittat, extremas dat pœnas. Quod si in imperatoriis ædibus talia audere non licet; multo magis, ubique præsente universorum Rege, omniaque circumspiciente, si similia aggrediamur, extremum luemus supplicium. Quapropter rogo, multam in hac vita quietem et modestiam, multam munditiem exhibeamus. Regem quippe habemus, qui nostra omnia perpetuo intuetur. Ut itaque semper lux illa nos illuminet, hunc nobis radium attrahamus. Ita enim et præsentibus et futuris fruemur bonis, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii, *mordente*.

HOMILIA VI.

6. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes.*

Joannis Baptistæ missio. Explicatur illud, Fuit homo missus a Deo. *Cur et quomodo Christus testimonium accipiat ab homine. Doctrina nihil prodest sine bonis operibus.*—In exordio de Deo Verbo quæ præcipua et magis necessaria erant loquutus evangelista, ordine procedens, ad Verbi præconem sibi cognominem Joannem postea venit. Tu vera cum audis ipsum a Deo missum fuisse, nihil humanum ab eo dici putes. Non enim sua, sed mittentis se dicta profert. Ideoque angelus appellatus est : angeli vero sive nuntii officium est, nihil ex se dicere. Illud autem, *Fuit*, non hic ad exsistentiam transitum significat, sed missionem ipsam. Nam illud, *Fuit missus a Deo*, idipsum est quod, Missus est a Deo. Quomodo igitur illud, *Qui cum in forma Dei esset* (*Philipp.* 2. 6.), dicunt non intelligi de æqualitate Filii cum Patre, eo quod articulus non apponatur? Ecce enim hic quoque nullus adest articulus. An igitur hic de Patre non est sermo? Quid ergo dicemus de propheta qui ait : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam* (*Mal.* 3. 1)? Illud meum et tuum, duas personas significat : 7. *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.* Quid hoc, dicet fortasse quispiam, servus de domino testimonium perhibet? Cum ergo non modo illum servi testimonio perhiberi videbis, sed etiam ad servum venire, ac cum Judæis ab illo baptizari, annon magis obstupesces et dubitabis? Sed non oportet turbari vel commoveri, at potius ejus ineffabilem benignitatem mirari. Si vero quis dubius in perturbatione maneat, id illi dicet, quod Joanni : *Sine modo : sic enim decet nos im-*

plere omnem justitiam (*Matth.* 3. 15). Quod si magis adhuc turbetur, dicet illi rursum id quod Judæis dicebat, *Non ab homine testimonium accipio* (*Joan.* 5. 34). Si ergo hoc testimonio non eget, cur Joannes missus est a Deo? Non quod ejus testimonio egeret (id enim dicere, extremæ impietatis esset), sed cur tandem? Illud ipse Joannes docet, cum ait : *Ut omnes crederent per illum*[1]. Ipse vero Christus cum dixisset, *Non ab homine testimonium accipio*, ne apud insipientiores sibi ipsi repugnare videretur; cum nunc dicat : *Alius est qui testimonium perhibet de me : et scio quia verum est testimonium ejus* (*Joan.* 5. 32), de Joanne loquens; nunc vero, *Non ab homine testimonium accipio*, solutionem mox adjicit dicens : *Sed hæc dico propter vos, ut salvi sitis;* ac si diceret : Deus sum, et Dei verus Filius, ex substantia illa immortali et beata, nulliusque testimonio egeo. Etsi enim nemo id testificari vellet, in nullo secundum naturam minor essem. Quia vero multorum salus mihi curæ est, ideo in hanc me demisi humilitatem, ut homini testimonium de me ferendum committerem. Nam perspecta Judæorum imbecillitate, sic facilior fides in eum futura videbatur. Sicut igitur carnem induit, ne cum nuda divinitate congressus, omnes perderet; sic et præconem misit hominem, ut congenerem sibi vocem audientes, facilius ii qui tunc audiebant accederent. Nam quod non illius testimonio opus haberet, hoc solum modo ostendi poterat, si nempe se nuda substantia exhibuisset, omnesque in stuporem conjecisset. Verum id non fecit, quoniam, ut jamjam dixi, omnes perdidisset, quod nemo posset inaccessam illam lucis vim ferre. Ideo carnem induit, et testimonium de se ferendi officium uni conservorum nostrorum tradit, quia omnia ad salutem hominum operatus est : neque suæ dignitati tantum, sed etiam auditorum captui et utilitati consuluit : quod et ipse subindicans dicebat : *Hæc dico propter vos, ut salvemini.* Et evangelista, qui ea ipsa, quæ Dominus, loquitur, postquam dixerat, *Ut testimonium perhiberet de lumine*, subjunxit, *Ut omnes crederent per eum;* ac si diceret : Ne putes ideo testificaturum venisse Joannem Baptistam, ut aliquid fidei verbis Domini adderet : non propterea venit, sed ut contribules sui per ipsum crederent. Quod autem ad eam tollendam suspicionem hæc dixerit, ex sequentibus constat : addit enim : 8. *Non erat ille lux.* Nisi enim hujus abigendæ suspicionis gratia hæc dixisset, superfluum hoc esset, et magis repetitio quam explicatio doctrinæ. Cum dixisset enim, Missus est *Ut testimonium perhiberet de lumine*, cur iterum dicit, *Non erat ille lux?* Non frustra nec sine causa : sed quia frequenter apud nos major est is qui testificatur, quam ille de quo testimonium fertur, fideque dignior plerumque videtur esse : ne quis de Joanne id suspicaretur, statim a principio hanc malam suspicionem tollit, eaque radicitus evulsa, ostendit quis sit is qui testificatur, et quis ille de quo testimonium fertur, et quantum sit inter utrumque discrimen. Ac postquam hoc fecit, ostenditque illius incomparabilem excellentiam, fidenter jam cætera prosequitur : et si quid absurdi insipientiorum animos subiret, hoc diligenter sublato, facile deinceps et sine obice doctrinæ verbum immittit. Precemur itaque, ut cum tantarum revelatione rerum, cumque sana rectaque doctrina vitam quoque puram sanctamque ducamus. Doctrina quippe nihil nobis prodest sine bonis operibus. Licet enim fidem integram Scripturarumque intelligentiam teneamus, si bonæ vitæ patrocinio nudi et vacui simus, nihil impediet quominus in gehennæ ignem dejiciamur, et in infinitum inexstinguibili flamma comburamur. Sicut enim ii qui bona egerunt, resurgent in vitam æternam; sic illi qui contraria ausi sunt, in æternum et nunquam finem habiturum supplicium. Quamobrem omne adhibeamus studium, ut ne lucrum nobis ex recta fide partum, operum pravitate labefactemus; sed cum hic pie vixerimus, Christum cum fiducia videamus, cui beatitudini par nihil unquam fuerit. Utinam nos supra dicta consequuti[1], ad gloriam Dei omnia faciamus, cui gloria una cum unigenito Filio et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] In aliis legitur : *Sed cur Joannes addit, « Ut omnes crederent per illum ? »*

[1] Alii : *Utinam nos vitam supra dictis consonam agentes.* Pro utraque lectione stant Mss. plurimi.

HOMILIA VII.

9. ***Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.***

1. ***Methodum disserendi a se usurpatam asserit Chrysostomus. Incomprehensibilia Dei non scrutanda.*** — Ideo, dilectissimi filii, vos minutatim et per partes Scripturarum doctrina pascimus, neque simul omnia effundimus, ut facilior vobis sit emissi verbi custodia. Nam in ædificiis, qui antequam priores lapides conjuncti sint, alios superimponit, non firmum, sed facile ruiturum struit parietem; qui autem exspectat donec calce firmentur, et sic paulatim cætera adjicit, tutam, firmam diuque duraturam domum excitat. Hos ædium structores et nos imitemur, eodemque modo vestras ædificemus animas[1]. Timemus enim, ne recens cum sit prior structura, secundæ additæ speculationes, priores pessumdent, cum mens nequeat omnia simul continere. Quid igitur hodie lectum est? *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Qui enim supra de Joanne disserens, dicebat eum venisse, *Ut testimonium perhiberet de lumine*, et nunc missum esse; ne quis hæc audiens, ob nuperum testificantis adventum, de eo cui testimonium ferebatur aliquam suspicionem admitteret, mentes erexit, et ad omni principio superiorem

[1] Sic Mss. quidam recte. Savil. autem et Morel., *imitamur.... ædificamus*, legunt; quæ ad seriem Chrysostomi non tam bene quadrare videntur.

exsistentiam transmisit, quæ nullum habitura finem est. Et quomodo possunt hæc esse, inquies, cum sit Filius [1]? De Deo loquimur, et tu interrogas quomodo? neque times vel horrescis? Ad hæc, si quis quærat a te, quomodo animæ et corpora immortali vita fruitura sint, interrogationem illam ridebis, quasi non sit humanæ mentis quærere, sed credere tantum oporteat; neque dictum illud scrutari, cujus sufficiens sit demonstratio dicentis potentia; sin autem illum qui et animas et corpora creavit, et nulla comparatione creaturam universam exsuperat, sine principio esse dicamus, tu interrogabis quomodo id factum sit? Ecquis sanæ mentis hæc esse dixerit? quis bene valentis animi et ratiocinii? Audistis illud, *Erat lux vera*. Quid frustra contendis, ut infinitam illam vitam ratiocinio assequaris, quæ non potest attingi? quid quæris ea quæ exquiri nequeunt? cur incomprehensibilia scrutaris? cur examinas ea quæ examini non subjacent? Solarium radiorum perquire radicem; non poteris assequi, neque tamen indignaris, neque ægre fers imbecillitatem tuam. Cur ergo in majoribus audax es et temerarius? Joannes filius tonitrui, qui spirituali tuba canit, ubi illud, *Erat*, a Spiritu audivit, nihil ultra quæsivit: et tu non pari gratia donatus, qui ex infirmis ratiociniis tuis loqueris, cognitionis illius terminum transcendere conaris? Ideoque non parem ei, quam ille habuit, notitiam unquam assequeris. Hujusmodi namque est diaboli calliditas: eos qui illi obsequuntur, extra terminos a Deo nobis positos transfert, quasi longe ulteriora attingere possimus: postquam autem hac spe inescatos a divina gratia extrusit, tunc demum non modo nihil ultra addit; quomodo enim id faceret, diabolus cum sit? sed nec sinit ut ad priora, in queis tuto versabamur, redeamus; verum circum quaque agit errantes, qui nusquam consistere possimus. Sic primum parentem ex paradiso excidere curavit. Cum enim illum spe majoris scientiæ et honoris inflasset, etiam illum ab iis quibus tranquille fruebatur ejecit. Non modo enim non factus est æqualis Deo, ut ipsi pollicebatur, sed sub mortis tyrannidem detrusit; nec solum a ligni esu nihil accepit, sed etiam ex illa quam habebat scientia non parum amisit, idque spe majoris adipiscendæ. Nam tunc primum de nuditate erubescere cœpit, cum antea omni pudore et rubore superior fuisset. Illud etiam quod se nudum esse adverteret, quod vestibus exinde egeret, illud, inquam, et alia plurima tristia acciderunt. Quod ne nobis quoque contingat, Deo obtemperemus, ejus præcepta observemus, et nihil ulterius curiose perquiramus; ut ne ex nobis concessis excidamus bonis, quod et illis accidit. Dum enim vitæ principio carentis principium perquirunt, etiam illa quæ habere poterant amiserunt. Neque enim id quod quærebant invenerunt; non enim poterant; atque a sana circa Unigenitum fide exciderunt. At nos ne transferamus terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri, et ubique Spiritus sancti legibus cedamus: et cum audimus, *Erat lux vera*, nihil ulterius inquiramus: neque enim ultra possumus pertingere. Nam si Deus ut homo genuisset, necessario interstitii quidpiam fuisset genitorem inter et genitum; sed quia ineffabili modo et ut Deum decet genuit, abstine ab his vocibus, *ante* et *post*: hæc quippe temporum nomina sunt: Filius vero etiam sæculorum omnium conditor est.

2. *Vera de Patre et de Filio doctrina. Sabbellianorum et Marcellianorum insania. Peccata quomodo abluantur.*—Ergo non pater, aies, sed frater est. Quæ necessitas, quæso? Nam si Patrem ex Filium ex alia et diversa radice ortos diceremus, hæc jure dicere posses: sin hanc vitamus impietatem, dicimusque Patrem sine principio esse, nec genitum fuisse; Filium vero sine principio quidem esse, sed genitum a Patre, quæ necessitas ex hac cogitatione, impium illum inferre sermonem? Nulla sane. Etenim splendor est; splendor autem simul intelligitur cum natura illa, cujus est splendor. Ideo enim Paulus illum sic vocavit, ut nihil medium suspicareris inter Patrem et Filium: id enim hoc nomine significatur. Post hoc exemplum, eam quæ hinc apud insanos suboriri poterat absurditatem corrigit. Ne, inquit, quoniam splendorem audisti, ipsum propria hypostasi privari putes. Nam impium hoc esset, et Sabellianorum Marcellianorumque insania. Nos autem non ita sentimus, sed ipsum in propria sibi hypostasi esse dicimus: ideo postquam illum splendorem appellaverat, intulit, *Et character substantiæ illius*, (*Hebr.* 1. 3), ut propriam hypostasin significaret, ostenderetque ipsum ex eadem esse substantia, cujus character est. Neque enim satis est verbum unum, ut jam dixi, ad illa de Deo dogmata hominibus significanda: sed optandum ut multis simul allatis, ex singulis quod conveniat seligamus. Ita enim poterimus digne gloriam Dei celebrare; digne scilicet secundum facultatem nostram. Si quis enim de illa digne se loqui posse putet, atque asseveret se ita Deum nosse, ut ipse se novit, is maxime Deum ignorat. Hæc cum sciamus, diligenter retineamus ea quæ tradidere nobis ii qui ab initio ipsis oculis viderunt, et ministri fuere Verbi, neque ultra curiose scrutemur. Duo namque damna hoc morbo laborantes invadent: quod temere laborent illa quærendo, quæ invenire nequeunt; et quod Deum in iram provocent, dum ab ipso positos terminos evertere conantur. Quod quantopere iram Dei concitet, non opus est vobis dicere, cum id omnes sciatis. Quamobrem missa illorum arrogantia, Dei verba cum tremore audiamus, ut ille perpetuo nos tueatur: nam ait, *Ad quem respiciam nisi ad mansuetum et humilem, et quietum, et trementem verba mea* (*Isai.* 66. 2)? Hac igitur missa curiositate, conteramus corda, peccata lugeamus, ut Christus jussit, de sceleribus nostris compungamur, ac diligenter animo repetamus ea quæ hactenus admisimus delicta; studeamus illa omnino abluere. Ad hanc quippe rem multas Deus nobis aperuit vias. *Dic tu prior*, inquit, *iniquitates tuas, ut justificeris* (*Isai.*

[1] Juxta quosdam legendum est, *cum sit Filius et homo*.

43. 26)? et rursus, *Dixi*[1], *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei* (*Psal.* 31. 5). Neque enim parum nobis confert ad minuendam peccatorum molem frequens eorum memoria et accusatio. Est et alia efficacior via, si nemini eorum, qui in nos peccarunt, succenseamus; si omnibus iis, qui in nos deliquerunt, delicta condonemus. Vis et tertiam ediscere viam? Audi Danielem dicentem: *Quamobrem peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordia erga pauperes* (*Dan.* 4. 24). Est et alia, nempe orationum frequentia, et in precibus ad Deum emissis perseverantia. Affert etiam nobis consolationem non modicam et remissionem peccatorum jejunium, quando cum benignitate erga alios conjunctum est, atque iræ Dei vehementiam exstinguit. *Ignem* enim *flammantem aqua exstinguet, et eleemosynis peccata purgantur* (*Eccli.* 3. 30). In his ergo viis omnibus gradiamur. Si enim in iis semper versemur, si in iis omne studium insumamus, non modo præterita peccata abluemus, sed etiam in futuro maxima lucrabimur. Neque enim diabolo locum offeremus nos invadendi, neque in segnitiem vel in perniciosam curiositatem incidemus. Per hæc enim atque alia, insanas illas quæstiones, noxiasque disputationes inducit, quod otiosos desidesque videat, et nullam vitæ probæ curam gerentes. At nos hunc illi aditum obstruamus, vigilemus, sobrii simus, ut postquam hoc brevi tempore modicum laboraverimus, immortalibus per infinita sæcula fruamur bonis, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri, et una Spiritui sancto gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Vox, *dixi*, deest in Savil.

HOMILIA VIII.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

1. *Christus verus Deus est. Ipse, cum sit lux vera, cur non omnes illuminet. Pauli Samosateni insania. Inanis gloriæ tyrannis. Mundus qui Christum non cognovit, quis. Prophetæ quomodo Christum noverunt.* — Nihil enim prohibet, quominus hodie eadem verba expendamus, quia nuper dogmatum expositio impedimento fuit, quominus omnia quæ lecta fuerant explicaremus. Ubi sunt igitur illi, qui dicunt ipsum verum Deum non esse? Hic enim lux vera appellatur; alibi vero ipsa veritas, ipsa vita. Verum illud, cum eo pervenerimus, apertius indagabimus: in præsenti autem necesse est id interim caritati vestræ recensere. Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quomodo tot homines non illuminati manent? Non enim omnes Christi cultum agnoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Quantum in ipso est. Si qui vero sponte sua mentis oculos claudentes, hujus lucis radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit quod in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum qui sponte se hoc privant munere. Gratia quippe in omnes effusa est; non Judæum, non Græcum, non barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem aversatur; sed omnes similiter admittit, et cum pari vocat honore. Qui vero nolunt hoc frui dono, hanc sibi ipsis cæcitatem imputent oportet. Cum enim aditu omnibus patente, et a nemine intercluso, quidam ex voluntaria nequitia extra manent, ii suo tantum vitio pereunt. *In mundo erat:* at non tamquam mundo coætaneus; absit. Ideo intulit, *Et mundus per ipsum factus est* (*Joan.* 1. 10): per hæc rursum te inducit ad illam Unigeniti ante sæcula exsistentiam. Nam qui audivit hunc universum mundum illius esse opus, etiamsi sensu prorsus careat, etiamsi inimicus et adversarius gloriæ Dei sit, attamen velit nolit, conditorem ante opificia fuisse confiteri cogetur. Quamobrem mirari semper subit Pauli Samosateni insaniam, quomodo tam manifestæ veritati obsistere potuerit, seseque sponte præcipitem dederit. Neque enim ex ignorantia, sed rei admodum gnarus erravit, non secus ac Judæi. Quemadmodum enim illi, ut hominibus assentarentur, sanam prodidere finem, gnari ipsum Unigenitum Dei esse, principum vero metu id non confitentes, ne ex synagoga ejicerentur: ita et illum in mulieris cujuspiam gratiam, salutem suam inquiunt prodidisse (a). Gravis enim, gravis certe est inanis gloriæ tyrannis, quæ possit etiam sapientium oculos excæcare, nisi vigilent. Nam si munera id possunt, multo magis hic affectus longe violentior. Idcirco Judæis dicebat Christus: *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab hominibus accipitis, et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis* (*Joan.* 5. 44)? 10. *Et mundus eum non cognovit.* Hic mundum vocat multitudinem corruptam et terrenis rebus inhiantem, turbam, vulgus, insipientem populum. Nam Dei amici et admirabiles viri omnes ipsum, etiam ante incarnationem, noverant. De patriarcha quippe nominatim dicit Christus: *Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum: et vidit, et gavisus est* (*Joan.* 8. 56). De Davide autem Judæos confutans: *Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis* (*Matth.* 22. 43. 44)? Ac sæpe illis obsistens, Moysem memorat. De reliquis vero prophetis apostolus. Omnes enim prophetas a Samuele illum cognovisse, et adventum ejus diu ante prænuntiasse dicit Petrus his verbis: *Et omnes prophetæ a Samuele et deinceps qui loquuti sunt, annuntiaverunt dies istos* (*Act.* 3. 24). Jacobo autem et

(a) Quod dicit Chrysostomus, Paulum Samosatenum in mulieris cujusdam gratiam, salutem suam prodidisse; de Zenobia Palmyrenorum regina intelligi debet, quæ Paulum Samosatenum aliquamdiu protexit. Quod autem dicit, Paulum in mulieris illius gratiam, et contra quam ipse sentiebat hæresim illam protulisse, nescio an alius umquam dixerit. Inter alia autem dicebat Paulus Samosatenus Filium in Patre quidem esse; sed non ἐνυπόστατον, non hypostasin habere suam, quod ad Sabellii hæresin accedebat.

patri, neccon et avo ejus, et visus et loquutus est, iisque multa et magna se daturum est pollicitus, quæ etiam exsequutus est. Quomodo ergo, inquies, ipse dixit, *Multi prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Luc.* 10. 24)? Annon fuerunt ejus cognitionis participes? Fuerunt certe: idque ex hoc loco, unde putant quidam ipsos hac cognitione privatos, demonstrare tentabo. *Multi* enim, inquit, *voluerunt videre quæ videtis.* Itaque viderunt eum ad homines[1] venturum esse, et ea dispensaturum quæ vere dispensavit. Neque enim, nisi novissent, videre concupivissent. Nemo enim eorum, quorum notitiam non habet, desiderio capi potest. Itaque cognoverunt Filium Dei, et venturum eum ad homines esse noverunt. Quænam ergo sunt quæ nescierunt, et quænam quæ non audierunt? Hæc quæ nunc vos videtis et auditis. Quod si illi et vocem ejus audierunt, et viderunt eum, at non in carne, neque ita cum hominibus versantem, neque tam libere cum ipsis loquentem. Hoc igitur et ipse significans non simpliciter dixit, Cupierunt videre me; sed quid? *Quæ vos videtis;* neque audire me; sed quid? *Quæ vos auditis.* Itaque licet ejus in carne adventum non viderint, futurum tamen esse noverunt, quem videre cupiebant; in eumque credebant, licet illum in carne non vidissent. Cum itaque nos gentiles accusaverint dicentes: Quid priori illo tempore faciebat Christus, cum nondum humano generi prospiceret? et cur extremo tempore venit ut nostræ saluti provideret, postquam tanto tempore nos neglexerat? respondebimus, ipsum etiam ante adventum illum in mundo fuisse, de operibus ab se edendis prius cogitasse, atque illis omnibus cognitum fuisse, qui hac cognitione digni erant. Quod si quia non omnibus tunc notus fuit, sed probis tantum et virtute præditis, ideo dicitis illum incognitum fuisse, eadem ratione ipsum nunc quoque non adorari ab hominibus dixeritis, quia etiam nunc non omnes ipsum noverunt. Sed quemadmodum in præsenti nemo, quia a multis ignoratur, ipsum a multis cognosci negaverit: sic neque dubitandum est ipsum superioribus illis temporibus, a multis, imo etiam probis illis et admirandis viris omnibus cognitum fuisse.

2. Quod si quis dixerit, Cur non omnes tunc ipsi adhæserunt, neque omnes ipsum coluerunt, sed soli justi? sciscitabor et ego, Cur etiam nunc non omnes ipsum noverunt? Ecquid de Christo loquor? Nam Patrem quoque ejus cur non omnes et tunc et hodie noverunt? Verum alii omnia temere ferri dicunt; alii dæmonibus universi providentiam tribuunt: sunt etiam alii, qui præter hunc Deum, alium sibi comminiscuntur: ex iis quidam adversariam Deo potestatem esse blasphemant, et leges ejus maligni dæmonis esse putant? Quid igitur? num ideo dicemus Deum non esse, quia quidam hoc dicunt? num et ipsum malum esse confitebimur, quia quidam id impie profitentur? Apage stultitiam extremamque dementiam.

[1] Savil. legit, *de cælis*, pro, *ad homines*. At ex duobus si alterum dicatur, alterum subintelligitur.

Nam si ex furentium judicio dogmata statueremus, nihil obesset quominus et ipsi furore gravissimo duceremur. Certe nemo solem natura sua oculis perniciosum esse dixerit, quia nonnulli oculis laborant; sed lucidus dicitur ex eorum qui sanos oculos habent judicio: mel quoque nemo amarum dixerit, quia infirmis quibusdam tale videtur esse; et Deum tamen ex infirmorum opinione vel non esse, vel malum esse, vel modo providere, modo non providere, quidam pronuntiabunt? Ecquis illos sanæ mentis esse dicat? quis non furiosos et extrema dementia captos dixerit? *Mundus eum non cognovit*, inquies. Sed ii quibus dignus non erat mundus, ipsum noverunt. Cum autem memorat eos qui ipsum non noverunt, carptim ignorantiæ causam indicat. Neque enim simpliciter dixit, Nemo ipsum novit; sed, *Mundus eum non cognovit;* id est, ii homines qui mundo tantum hærent, et ea quæ mundi sunt sapiunt. Sic enim solet Christus ipsos appellare, ut cum dicit, *Pater sancte, et mundus te non cognovit* (*Joan.* 17. 25). Non igitur Filium tantum, sed etiam Patrem ejus mundus ignoravit, ut dicebamus. Nihil enim ita mentem turbat, ut rebus præsentibus inhiare. Hæc cum sciatis, a mundo vos segregate, et a carnalibus rebus abscedite, quantum fieri poterit: neque enim in re nullius pretii hinc damnum oritur, sed in capite bonorum. Neque enim potest homo, qui præsentis ævi rebus admodum hæret, cælestia recte percipere: sed necesse est eum, qui his addictus est, ab illis excidere: *Non potestis* enim, inquit, *Deo servire et mamonæ* (*Luc.* 16, 13); ut uni hæreamus, alterum odisse oportet. Hæc ipsa rerum experientia clamat. Qui enim pecuniarum concupiscentiam derident, ii maxime sunt qui Deum ut decet amant; quemadmodum et qui a principio illas mirantur, ii præsertim sunt qui Deum remissius diligunt. Anima enim divitiarum amore semel capta, non facile absistet ab iis agendis, quæ Deum ad iram provocant, utpote quæ alteri serviat domino, qui in omnibus contra Dei mandata præcipiat.

Quantum discrimen inter servos Christi et servos mamonæ. — Vigilate itaque et expergiscimini, ac cogitantes cujusnam domini simus servi, ejus tantummodo regnum diligamus; lugeamus et præterita deploremus tempora, quibus mamonæ servivimus: abjiciamus semel jugum ejus grave et intolerabile, et jugum Christi leve et suave cum perseverantia feramus; qui nihil tale præcipit, quale mamona. Hic enim jubet nos omnibus inimicos esse; contra vero Christus, omnes amplecti et amare. Ille nos luto et lateribus affigens, hoc est auro, ne noctu quidem sinit nos vel paululum respirare; hic a superflua illa et insana cura nos liberat; sed jubet thesauros in cælo parare: non ex injuria aliis illata, sed ex propria justitia. Ille post multos sudores nostros et miserias non poterit adesse nobis, cum extremo supplicio puniemur, et ob leges ejus servatas mala patiemur; imo flammam accendet; hic si præcipiat poculum aquæ frigidæ dare, ne hujus quidem

facti mercedem amitti sinet, sed large nos præmio donabit. Annon extremæ dementiæ fuerit, tam placida et tot bonis referta servitute neglecta, ingrato servire tyranno, qui neque hic, neque illic potest eos qui sibi obsequentes sunt juvare? Neque id solum mali et damni est, quod supplicio traditos non eruat; sed quod, ut dixi, sequaces suos innumeris obruat malis. Plurimos enim ex iis qui ibi cruciantur, videre est ideo supplicio traditos, quod pecuniis servierint et aurum amarint, egenisque non erogarint. Quæ ne nos quoque patiamur, dispergamus, demus pauperibus, animam nostram eruamus et a noxiis hujus vitæ curis, et a supplicio illic nobis parato: deponamus justitiam in cælis: loco terrenarum opum colligamus thesauros qui absumi nequeant, thesauros qui possint nobiscum in cælum pervenire, qui possint nobis periclitantibus patrocinari et judicem reddere propitium; quem utinam et nunc et in illa die propitium habentes, cum libertate bonis illis in cælo paratis iis qui recte diligunt eum, fruamur: gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria unaque sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

11. *In propria venit, et sui eum non receperunt.*

1. Si priorum reminiscamini, quæ sequuntur cum majori alacritate adjiciemus, utpote qui magnum impendere lucrum videamus. Ita enim vobis captu facilior sermo erit, si jam dictorum memineritis; nobisque non multo opus erit labore, cum vos ex discendi cupiditate acutius cætera dispicietis. Qui enim ea quæ tradita sunt semper amittit, doctore semper egebit, nec umquam sciet quidpiam; qui autem accepta custodit, et reliqua superaddit, cito ex discipulo magister erit, nec sibi solum, sed aliis quoque utilis. Hujusmodi spero fore hanc concionem, idque ex tanto vestro audiendi studio auguror. Age ergo, in vestris animis, quasi in tutissimo thesauro, argentum Domini deponamus, et quæ nobis hodie proposita sunt, quantum nobis Spiritus gratia suppeditabit, explicemus. Dixerat, *Mundus eum non cognovit*, de antiquioribus illis temporibus loquens. Descendit deinde ad tempus prædicationis, et ait: *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Suos hic Judæos vocat, ut populum peculiarem, vel etiam omnes homines tamquam ab ipso creatos. Ac quemadmodum supra de multorum amentia stupens, et de communi natura erubescens dicebat, mundum ab illo conditum, creatorem suum non cognovisse: sic et hoc loco Judæorum aliorumque multorum ingratum animum ægre ferens, in graviorem prorumpit accusationem, dicens: *Sui eum non receperunt*, etsi ipse ad illos venerit. Neque ipse solum, sed etiam prophetæ idipsum mirabundi dixerunt: necnon Paulus his de rebus obstupescens. Et prophetæ quidem ex persona Christi clamantes dixerunt: *Populus, quem non cognovi, servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi. Filii alieni mentiti sunt mihi; filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* 17. 45. 46). Et rursum: *Quibus non est narratum de eo, videbunt: et qui non audierunt, intelligent* (*Isai.* 52. 15); et, *Inventus sum a non quærentibus me: palam apparui iis qui me non interrogabant* (*Ibid.* 66. 1). Paulus autem ad Romanos scribens dicebat: *Quid ergo? quod quærebat Israel, hoc non est consequutus: electio autem consequuta est* (*Rom.* 11. 7). Et iterum: *Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit* (*Rom.* 9. 30). Res est enim admiratione digna, quomodo ii qui in propheticis libris educati sunt, quique quotidie audiunt Moysen innumera de Christi adventu loquentem, necnon sequentium temporum prophetas, atque ipsum Christum quotidie miracula patrantem, cumque ipsis solis versantem, necdum permittentem discipulis ut in viam gentium abirent, aut in civitatem Samaritanorum ingrederentur, quod neque ipse faciebat, sed frequenter dicebat se missum esse ad oves quæ perierant domus Israel; attamen illi post tot signa in gratiam sui edita, cum prophetas quotidie audirent, ipsumque Christum assidue monentem, usque adeo cæcos atque surdos se præstiterint, ut nullo eorum ad fidem in Christum induci potuerint.

Externa philosophia quam absurda et turpis. — Gentiles autem nihil horum consequuti, divina oracula ne in somnis quidem audierant; sed in fabulis insanientium versati (sic enim voco externam illam philosophiam) et poetarum deliramenta tractantes, lignis et lapidibus addicti erant, nec vel in doctrina vel in morum disciplina quidpiam sanum vel utile noverant; vita quippe illorum impurior quam doctrina scelestiorque erat. Quid autem aliud sperandum erat, cum deos suos viderent nullis non flagitiis gaudentes, atque obscœnis verbis, obscœnioribusque rebus cultos: hæc pro festis diebus et pro honore habentes: ad hæc etiam nefandis cædibus, puerorumque mactationibus honoratos, qua in re deos ipsi suos imitabantur. Attamen in ipsum nequitiæ profundum lapsi, repente quasi per quamdam machinam sublimes acti, ex ipso cælorum vertice sublimes nobis apparuerunt. Id vero quomodo et unde evenit? Audi Paulum narrantem. Beatus quippe ille, dum hæc diligenter inquireret, non cessavit donec causam invenisset, ut omnibus aperiret. Quænam illa est, et unde tanta cæcitas ipsis obvenerat? Audi illum cui hoc ministerium creditum fuerat. Quid ergo dicit, ut dubitationem multorum solvat? *Ignorantes justitiam Dei, et quærentes propriam justitiam statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* 10. 3). Propterea ergo id passi sunt. Ac rursus idipsum aliter explicans dicit: *Quid ergo dicemus? Quod gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: justitiam autem quæ ex fide*

est. Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Dic qua de causa? Quia non ex fide : impegerunt enim in lapidem offensionis (*Rom.* 9. 30-32); hoc est, incredulitas illis causa malorum fuit : hanc vero peperit arrogantia. Quia enim antea plus quam gentiles habentes, quod nempe legem accepissent, Deum nossent, et alia quæ Paulus memorat, post Christi adventum gentiles viderunt per fidem cum pari secum honore vocatos, ac post fidem nihil plus habere eum qui ex circumcisione esset, quam eum qui ex gentibus accessisset : ex superbia in invidiam delapsi sunt, atque ineffabilem illam immensamque Domini benignitatem non tulerunt : quod non aliunde processit, quam ex arrogantia, nequitia et odio.

2. Quid enim, omnium stultissimi, illa in alios effusa providentia vobis damni affert? num bona vestra ex aliorum consortio minuebantur? Verum cæca profecto malitia est, quæ quid deceat percipere nequit. Exulcerati ergo quod in eadem libertate consortes haberent, in se gladium impulerunt, seque a divina benignitate ejecerunt; et jure quidem. Nam ait: *Amice, non facio tibi injuriam : volo autem et his dare sicut et tibi* (*Matth.* 20. 13. 14). Imo ne quidem hac responsione digni sunt. Ille namque etsi ægre ferebat, poterat tamen diei totius labores, ærumnas, æstum et sudorem proferre : hi vero quid dicere possint? Nihil quidem tale; sed desidiam, intemperantiam et mille vitia, quæ prophetæ omnes incusantes illis perpetuo objiciebant : per quæ vitia illi perinde atque gentiles Deum offenderent. Id quod declarans Paulus dicebat : *Non enim est distinctio* Judæi atque Græci : *omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. justificati gratis per gratiam ipsius* (*Rom.* 3. 22 24). Hoc vero caput totum utiliter et admodum prudenter in epistola illa pertractat. Superius autem illos majori supplicio dignos ostendit : *Quicumque enim in lege peccaverunt, per legem judicabuntur* (*Rom.* 2. 12) : id est, gravius; quia præter naturam legem quoque accusantem habebunt. Neque hinc tantum, sed et quod in causa fuerint cur gentes Deum blasphemarent : *Nomen enim meum*, inquit, *per vos blasphematur in gentibus* (*Isai.* 52. 5. *Rom.* 2. 24). Cum igitur hoc maxime morderet illos; etenim credentibus quoque ex circumcisione res stupenda videbatur esse; quamobrem Petrum incusabant Cæsarea ad se redeuntem, quod ad viros præputium habentes ingressus esset, et cum illis comedisset : et postquam Dei œconomiam intellexerant, adhuc mirabantur quo pacto donum sancti Spiritus in gentes effusum esset; ex stupore significantes se numquam rem tam inopinatam exspectavisse. Quia ergo sciebat illos hoc potissimum ægre ferre, nihil non agit ut eorum tumorem deprimat, et arrogantia inflatos dejiciat. Et vide quomodo id agat.

Judæi carpuntur a Paulo maxime ob suam arrogantiam. Superbia omnes virtutes reddit inutiles. — Postquam de gentilibus disputaverat, ostenderatque illos nullam prorsus defensionem habere, nullamque spem salutis, acriterque illos incusaverat de perversitate doctrinæ deque vitæ impuritate; ad Judæos sermonem transfert; ac recensitis iis omnibus quæ propheta de illis dixerat, quod scelesti essent, dolosi, callidi, quod omnes inutiles facti, ac nullus in iis esset qui Deum requireret, sed omnes declinassent, et similia, subdidit : *Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur; ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* 3. 18. *et* 23). Quid ergo te effers, Judæe? cur altum sapis? Nam os quoque tuum obstructum est, et confidentia tua sublata, ac cum universo mundo tu factus es subditus, et perinde atque alii opus habes ut gratis justificeris. Oportebat certe etiamsi probe vixisses, et fiduciam multam apud Deum habuisses, illis non invidere, qui per benignitatem Dei misericordiam et salutem consequuturi erant. Nam extremæ nequitiæ est, aliorum bona inique ferre, cum maxime sine ullo tuo detrimento id futurum est. Si enim aliorum salus bona tua pessumdaret, jure doluisses; etiamsi id non accedat iis qui philosophari didicerunt. Si autem alterius supplicium mercedem tuam non auget, neque illius felicitas ipsam minuit, cur tu doles quod alius gratis salute donetur? Oportebat igitur, ut dixi, etiamsi te probe gessisses, non morderi de salute in gentes effusa : cum autem iisdem obnoxius peccatis sis, Dominumque offenderis, aliorum bona ægre fers, et altum sapis, quasi solus debeas gratiæ consors esse, non invidiæ solum et arrogantiæ, sed etiam tantæ dementiæ causa omnium gravissimis dignus fueris suppliciis : omnium quippe malorum radicem superbiam in te inseruisti. Ideo sapiens quispiam dicebat : *Principium peccati superbia* (*Eccli.* 10. 15); hoc est, radix, fons, mater. Sic per eam primus homo a beato illo statu dejectus est; sic diabolus qui illum decepit, ab illa dignitatis sublimitate excidit. Quare cum nosset scelestus ille hujus peccati naturam posse ex ipsis cælis dejicere, hanc ingressus viam est, cum Adamum ex tanto honore deturbare curavit. Cum enim illum spe æqualitatis cum Deo adipiscendæ inflatum reddidisset, sic illum dejecit, et in profundum inferni præcipitavit. Nihil enim ita a Dei benignitate avertit, et gehennæ ignis supplicio tradit, ut superbiæ tyrannis. Hac nos occupante, tota vita nostra impura efficitur, etiamsi castitatem, virginitatem, jejunium, precationem, eleemosynam, cæterasque virtutes exerceamus *Immundus*, inquit, *apud Dominum omnis superbus* (*Prov.* 16. 6). Hunc ergo animi tumorem comprimamus; hunc fastum de medio tollamus, si mundi velimus esse, et ab eo, quod diabolo paratum est, supplicio liberari. Nam quod arrogans eodem quo diabolus sit supplicio puniendus, audi Paulum dicentem : *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat* et in laqueum *diaboli* (1. *Tim.* 3. 6). Quid est judicium? In eamdem, inquit, damnationem, in idem supplicium. Quomodo igitur hoc malum effugeris? Si tecum reputes naturam tuam, si peccatorum multitudinem, si magnitudinem cruciatuum : si cogitaveris quam fluxa sint ea quæ in hoc mundo splendida videntur esse,

quæque facilius marcescunt, quam verni flores. Si has frequenter cogitationes animo versemus, si memoria repetamus eos qui in virtute maxime floruerunt, non facile diabolus nos efferre poterit, quantumvis contendat, neque inire viam qua nos supplantet. Deus autem humilium, benignus ille et mansuetus, et vobis et nobis cor contritum et humiliatum tribuat. Sic enim poterimus cætera quoque facile præstare, ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

In propria venit, et sui eum non receperunt.

1. *Deus nos ad virtutem impellit, illæsa nostra libertate. Bonus probatur, etiam cum supplicia minatur. Quam generosa Salvatoris caritas.* — Deus, utpote clemens et beneficus, dilecte [1], nihil non agit et operatur, ut nos virtute splendidi simus; quod nos velit acceptos probatosque esse; idque non vi aut necessitate, sed suasione et beneficiis suis volentes omnes allicit et ad se trahit. Quamobrem venientem illum alii receperunt, alii secus. Nullum enim vult invitum vel necessitate coactum servum habere; sed omnes libenter et ex voluntatis proposito venire, ac de tali servitute gratiam ipsi habere. Homines enim servorum ministerio opus habentes, ipsos [2] vel invitos servitutis legi subjiciunt: Deus autem cum nullo indigeat, nullique necessitati, qua homines premuntur, sit subjectus, nostræ salutis causa tantum omnia facit, hocque nostro arbitrio et voluntati permittit: ideoque nolentibus nullam vim aut necessitatem infert. Ad nostram enim solum spectat utilitatem. Nam invitos ad hanc trahi necessitatem, idem esset ac nullo modo servire. Cur ergo, inquies, punit eos qui nolunt ipsi obsequi? et cur gehennam comminatus est iis, qui ejus præcepta non audiunt? Quia etiam nobis non obtemperantibus, magnam nostri curam gerit, utpote bonus; imo nobis resilientibus et fugientibus, non abscedit. Quia igitur priorem illam beneficii viam adire noluimus, nec suasioni beneficiisque cessimus: alteram induxit per supplicia et cruciatus; quæ acerbissima quidem est, sed tamen necessaria. Priore namque contempta, secunda necessario inducitur. Nam et legum latores magnas gravesque contra peccantes constituunt pœnas: neque tamen ideo illos aversamur, imo magis honoramus constituti supplicii causa, et quod nulla nostra re indigentes, imo sæpe nescii quinam legum suarum ope juvandi sint, attamen bono vitæ nostræ et reipublicæ ordini advigilarunt, virtute præditos honore afficientes, improbos autem et protervos, qui reliquorum quietem turbant, per supplicia coercentes. Quod si hos admiramur et diligimus, nonne multo magis Deus ob tantam hominum curam et admirandus et amandus est? Immensum quippe discrimen est inter illorum et Dei erga nos providentiam: ineffabiles profecto et supra mentem omnem sunt divitiæ bonitatis illius. Hic animum adhibe. *In propria venit*, non necessitatis suæ causa (Deus quippe, ut dixi, nullo indiget), sed ad beneficia suis præstanda. Sed neque sic illi qui sui erant, in propria pro ipsorum utilitate venientem, receperunt eum: imo repulerunt: neque hoc satis ipsis fuit, sed extra vineam ejectum occiderunt (*Matth.* 21. 39). Neque tamen sic ipsos a pœnitentia exclusit, sed concessit illis ut, si post tantum facinus scelera sua abluere vellent per fidem in ipsum, iis qui nihil tale admisissent, imo amicissimis sibi pares forent. Quod autem non gratis vel animi causa id dicam, hæc clara voce testificantur illa omnia quæ beato Paulo contigerunt: qui postquam Christum post ejus mortem persequutus fuerat, ejusque martyrem Stephanum multorum manibus lapidaverat (*a*), quia pœnitentiam egit, et errata priora damnavit, atque ad eum quem persequutus fuerat protinus accessit, statim inter amicos, et quidem primarios adlectus est a Christo qui ipsum præconem totiusque orbis doctorem constituit; qui prius blasphemus, persequutor et contumeliosus fuerat: ut et ipse de Dei benignitate exsultans, sine rubore testificatus est. Imo et ipse priora facinora sua in scriptis suis quasi in cippo exarata, omnibus declaravit: melius putans fore, si prior vita sua apud omnes traduceretur, ut divini doni magnitudo effulgeret, quam si ipse, ne errata sua omnibus declararet, ineffabilem Dei benignitatem obtegeret. Propterea, persequutiones, insidias, bella contra Ecclesiam excitata sæpe sæpius commemorat, modo dicens: *Non sum dignus vocari apostolus, quia persequutus sum Ecclesiam Dei* (1. *Cor.* 15. 9); modo autem, *Venit Jesus peccatores salvos facere, quorum primus ego sum* (1. *Tim.* 1. 15); ac rursum, *Audistis conservationem meam aliquando in judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam* (*Gal.* 1. 13).

2. Velut enim quamdam vicem Christo reddens ob patientiam quam secum exhibuerat, ut ostenderet qualem, et quomodo hostem et inimicum salute donasset: sic libere bellum illud prædicat, quo Christum in principio ardenter impugnabat. Hinc autem desperantibus spem bonam indit. Nam ait ideo Christum se resipiscentem admisisse, ut in se primo ostenderet omnem patientiam, et immensas bonitatis suæ divitias, in exemplum eorum qui postea in ipsum credituri erant in vitam æternam. Graviora quippe ab ipsis admissa fuerant, quam quæ veniam mererentur; quæ declarans evangelista dicebat: *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Unde venit is qui omnia implet, qui ubique præsens est? quem locum reliquit, qui omnia manu tenet et continet?

[1] Savil. in margine habet, *dilecti.*
[2] Idem legit, *multos.*

(*a*) Paulus multorum manibus Stephanum lapidaverat, dum eorum vestimenta servaret.

Locum quidem nullum reliquit, (quomodo posset enim?) suo autem ad nos descensu id fecit. Quia enim in mundo cum esset, non videbatur adesse, quod nondum cognosceretur; postea vero seipsum ostendit, cum nostram induere carnem dignatus est: hanc manifestationem et descensum, adventum appellat. Mirum est discipulum non erubescere de magistri contumelia, sed eam ipsam contumeliam fidenter literis mandare. Id vero non parum demonstrat quam amans veritatis esset. Alioquin autem is, quem pudet conviciantium, non pudet ejus, qui conviciis oneratus est. Hic quippe hac ratione clarior fuit, qui post contumeliam contumeliosorum providentiam gessit: illi vero ingrati et scelesti apud omnes visi sunt, qui eum, qui tot bona allaturus venerat, quasi inimicum et hostem expulerunt. Neque illud nocumenti tantum acceperunt, sed etiam quod ea non obtinuerint, quæ consequuti sunt ii qui ipsum acceperunt. Quænam hi consequuti sunt? 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, inquit. Cur non narras nobis, o beate, eorum supplicium, qui non receperunt illum; sed eos dicis suos fuisse, et in propria venientem non recepisse; et quid hac de causa passuri, quodque supplicium subituri sint non adjecisti? Atqui magis illos ita terruisses, et per comminationem illam, arrogantiæ duritiem emollivisses. Cur ergo id tacuisti? Ecquod, inquiet, majus hoc supplicio fuerit, quando potestate ipsis data ut filii Dei fierent, ipsi fieri noluere, sed tanta se nobilitate, tanto se honore sua sponte privarunt? Verum non hoc tantum supplicio afficientur, quod hoc bonum non acceperint; sed eos etiam inexstinguibilis ignis excipiet, id quod postea clarius aperuit. Interim vero ineffabilia bona enarrat, queis donandi sunt illi qui eum receperunt; idque brevi profert his ipsis verbis: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Sive servi sive liberi, sive Græci sive barbari, vel Scythæ, sive insipientes sive sapientes, sive viri sive mulieres, sive pueri sive seniores, sive nobiles sive ignobiles, sive divites sive pauperes, sive principes sive privati, inquit, eodem omnes dignantur honore. Fides enim et Spiritus gratia, conditionum humanarum inæqualitatem tollens, in unam omnes redigit formam, et uno regio charactere notat. Quid huic benignitati par fuerit? Rex quidem ex eodem quo nos luto formatus, conservos suos qui eamdem naturam participant, ac sæpe melioribus præditos moribus, non dignatur in exercitum regium adscribere, si servi quidem illi fuerint; unigenitus autem Dei Filius publicanos non dedignatur, magos, servos, omniumque ignobilissimos [1], multos etiam corpore mutilos, vel magna affectos labe, in filiorum numerum adscribere. Tanta est fidei in Christum virtus; tanta gratiæ magnitudo. Ac quemadmodum ignis natura, si metallorum terram attigerit, illam cito aurum reddit; sic, imo longe magis, baptisma, quos abluit, aureos ex luteis reddit, Spiritu ignis instar illo tempore in animas nostras incidente, et lutea assumpta imagine, cælestem novam et splendidam imaginem, quasi ex conflatura splendentem referente. Et cur non dixit, Fecit illos filios Dei; sed, *Dedit illis potestatem filios Dei fieri?* Ut ostenderet multa nobis opus esse diligentia, ut adoptionis imaginem in baptismate nobis impressam, immaculatam semper et intactam servemus; simulque declararet, hanc potestatem a nemine nobis auferri posse, nisi prius ipsi illam nobis abstulerimus. Si enim ii qui ab hominibus auctoritatem quamdam acceperunt, tantum illam fere servant, quantum qui dederunt; multo magis nos qui a Deo hunc consequuti sumus honorem, si nihil hac indignum potestate fecerimus, omnium potentissimi erimus, eo quod omnium maximus optimusque sit is, qui nos hoc honore dignatus est. Simul autem vult declarare, gratiam non in quemlibet temere infundi, sed in eos qui voluntatis propositum et diligentiam adhibent: in horum enim potestate situm est ut filii Dei fiant. Nisi enim voluerint, donum non advenit, nec operatur quidpiam.

3. Ubique igitur necessitatem tollit et voluntatis arbitrium effert; id quod nunc dixit. In his enim arcanis, aliud Dei est, nempe dare gratiam; aliud hominis, scilicet fidem exhibere. In subsequenti vero tempore multa opus est diligentia. Non enim sufficit ad puritatis custodiam baptizari solum et credere: sed si velimus semper læto munere frui, illo dignam oportet exhibere vitam. Hoc autem voluit Deus in nostra situm esse potestate. Ut mystica enim generatione nascamur, et peccata ante admissa abluamus, id per baptismum efficitur; ut vero deinceps puri maneamus, et nullam ultra admittamus maculam, id in nostra situm est potestate ac diligentia. Idcirco et generationis modum memorat, et facta cum carnali partu comparatione, ejus excellentiam demonstrat his verbis: 13. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Hoc autem fecit, ut prioris partus ex sanguinibus et ex voluntate carnis vilitatem edocti, ac secundi qui per gratiam fit sublimitate nobilitateque percepta, hinc magnam hujus et generantis dono dignam opinionem concipiamus, multamque postea diligentiam exhibeamus. Magnopere enim timendum est, ne hac pulchra fœdata stola, ob ignaviam et scelera nostra ex thalamo ejiciamur: perinde atque quinque illæ virgines fatuæ; ut etiam ille non habens vestem nuptialem. Nam et ille ex convivis erat, invitatusque fuerat: quia vero post vocationem et tantum honorem, se invitantem contumelia affecit, audi quas pœnas dederit, quam luctuosas et lacrymis dignas. Ad tam splendidam enim et tam lautam mensam admissus, non solum convivio excluditur, sed et ligatis manibus et pedibus in tenebras exteriores mittitur, ubi perpetuus est fletus et stridor dentium. Ne itaque, dilecti, fidem ad salutem nobis satis esse existimemus. Nisi enim vitam puram exhibuerimus, sed vestibus hac beata indignis voca-

[1] Savil. addit, *et pauperrimos*.

tione induti accesserimus, nihil impediet quominus eadem ipsa patiamur, quæ miser ille passus est. Absurdum enim est, dum ille, qui Deus et Rex est, homines viles et nullius pretii vocare non erubescit, sed e trivio illos ad mensam suam invitat, nos tantam ignaviam exhibere, ut ne quidem post tantum honorem meliores evadamus, sed et post vocationem in eadem nequitia perseveremus, ineffabilemque vocantis benignitatem pessumdemus. Non enim nos ad spiritualem hanc et horrendam mysteriorum participationem vocavit, ut cum priore nequitia ingrediamur, sed ut abjecta illa turpitudine, iis vestibus induamur, quæ ad regium vocatos convivium deceant. Sin nolimus digna tali vocatione præstare, id non ei qui nos sic honoravit, sed nobis imputandum. Non enim ille nos ex admirando illo convivarum choro ejicit, sed nos ipsos ejicimus. Ille quod suum erat præstitit : nuptias fecit, mensam paravit, qui vocarent misit, venientes excepit, et nullo non honore afficit : nos autem [illegible] darum vestium, [illegible] melia afficientes, [illegible] pacto, et nuptias et [illegible] impudentes illos ejicit. [illegible] tos relinqueret, alios [illegible] Verum faxit Deus, ut [illegible] talem experiatur vocationem [illegible] fierent literis mandata sunt, [illegible] bonam frugem reducti, [illegible] niam, in tantumque supplicium [illegible] tantum tenus hæc experiamur; ac [illegible] veste induti, ad locum, quo vocati sumus, [illegible] mur; quo nos omnes frui contingat, [illegible] gnitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri simul et Spiritui sancto gloria, [illegible] perium, nunc et semper, et in sæcula [illegible] Amen.

HOMILIA XI.

14. *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

1. *Locum Evangelii explicandum ante explicationem legere hortatur; quorumdam socordiam in audienda Scriptura arguit; deinde explicare illud,* Verbum caro factum est, *aggreditur.* — Unam a vobis gratiam petam, antequam ad verba veniam evangelica ; sed rogo ne postulatum negetis. Neque enim grave quidpiam vel onerosum requiro, neque accipienti mihi solum utile erit, sed et præbentibus vobis ; imo forte vobis longe utilius. Quid igitur a vobis postulo? Ut una sabbatorum (*a*), vel in ipso sabbato, illam evangeliorum partem quæ vobis in concione legenda est præ manibus singuli accipientes, domi sedentes frequenter legatis, ac dicta sæpe exploretis et examinetis : ac quid clarum, quid obscurum sit annotetis; quid in verbis pugnare videatur, licet non pugnet : sicque omnibus frequenter expensis, ad concionem accedatis. Neque enim modicum ex tali studio et nobis et vobis lucrum accedet. Nobis enim non multo opus erit labore ad vim sententiarum vobis explanandam, mente jam vobis ad dictorum notitiam assueta : vos autem acutiores et perspicaciores hoc modo efficiemini, non modo ut audiatis et discatis, sed etiam ut cæteros doceatis. Siquidem illo quo nunc agitis modo, multi præsentium verba Scripturæ simul et explicationes nostras ediscere coacti, ne quidem si annum integrum his insumamus, magnum quidpiam lucri referent. Quomodo possent enim, cum obiter tantum et brevi tempore dictis attendant? Quod si qui negotia prætendant et sollicitudines, si multam in publicis privatisque rebus operam ; primo quidem non levis culpa hæc est, sese tanta negotiorum turba obruere, et sæcularibus rebus ita semper affligi, ut ne minimum quidem studii impendatur iis quæ maxime necessaria sunt. Deinde quod hæc sint obtentus et simulationes, arguunt colloquia cum amicis, theatrorum frequentationes, consessus ad equorum certantium spectacula, in quibus sæpe dies integros consumunt, neque tamen in his negotiorum moles unquam obtenditur. In vilibus igitur hujusmodi rebus nullam obtenditis occupationem : si autem divinis rebus sit incumbendum, hæc adeo vobis superflua et nullius pretii videntur esse, ut ne minimum quidem studium in his adhibendum esse ducatis. An merentur qui sic affecti sunt vel respirare, vel hunc solem aspicere? Est et alia tam ignavis hominibus ineptissima excusatio, librorum scilicet inopia. Ac divitibus quidem ridiculum esset ea de re verba facere : verum quia multos pauperes hac frequenter excusatione uti puto, hoc ab illis placide sciscitari velim, annon singuli artis suæ, quam exercent, instrumenta sana et integra habeant, et si extrema inopia premantur. Quomodo ergo non absurdum fuerit, illic paupertatem non obtendere, ac nihil non agere ad omnes removendos obices; ubi autem tanta decerpenda est utilitas, occupationes et inopiam deflere? Cæterum si qui ita pauperes essent, possent ex assidua hic fieri solita lectione, nihil ex iis quæ divinæ Scripturæ continent ignorare. Quod si id impossibile vobis videatur esse, non immerito videtur. Multi enim non magnam lectioni attentionem adhibent, sed lectione perfunctorie audita, statim domum se recipiunt. Quod si qui manserint, ii non meliore sunt conditione, quam qui recesserunt, corpore solum præsentes. Sed ne amplius querimoniis vos tædio afficiamus, neve in reprehensionibus totum tempus teramus, Evangelii verba aggrediamur : tempus enim est ut rem propositam attingamus. Sed animum adhibete, ne quid vos dictorum effugiat. *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Postquam dixerat illos qui eum receperunt, ex Deo natos

(*a*) Illud, *una sabbatorum*, potest significare, *prima hebdomadæ die*, ut alibi, *una sabbatorum* primam hebdomadæ significat, etiam apud Chrysostomum 1.

et Dei filios esse, ineffabilis hujus honoris causam affert, hanc nempe, quod Verbum caro factum sit, et Dominus servi formam acceperit. Filius enim hominis effectus est, cum verus Dei Filius esset, ut homines Dei filios efficeret. Sublime namque cum humili versans, nihil in gloria sua læditur, illud vero ex multa erigit humilitate : quod et in Christo factum est. Naturam quippe suam tali descensu non minuit; nosque qui in ignominia et in tenebris semper versabamur, ad gloriam erexit ineffabilem. Sic et rex cum pauperem et mendicum alloquitur cum studio et benevolentia, nihil turpe facit, illum vero apud omnes illustrem ac splendidum reddit. Quod si in illa adventitia prorsus hominum dignitate honoratiorem cum viliori consuetudo nihil lædit; multo minus immortalem ac beatam illam substantiam, quæ nihil adventitium habet, nihil quod modo adsit, modo absit, sed omnia bona immota et ad finem usque manentia. Itaque cum audieris, *Verbum caro factum est*, ne turberis, ne concidas. Neque enim substantia decidit in carnem (impium enim esset id vel cogitare), sed manens quod erat, sic formam servi accepit.

2. Cur autem illo verbo, *Factum est*, usus est? Ut hæreticorum ora obstrueret (*a*). Quia enim sunt qui dicant, ea quæ incarnationem spectarent, phantasiam et figmentum esse, ut eorum blasphemiam de medio tollere præverteret, illud verbum, *Factum est*, posuit : non ut mutationem substantiæ, absit, sed ut veræ carnis assumptionem declararet. Quemadmodum enim cum dicit, *Christus nos liberavit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* (*Gal.* 3. 13), non significat substantiam suam a gloria abscedentem, in maledictum versam esse (illud enim ne dæmones quidem, neque vel stultissimi et amentes cogitaverint; tantam nempe sapit illud cum impietate conjunctam stultitiam) : non igitur hoc dicit, sed ipsum accepto illo, quod contra nos erat, maledicto, non sinere nos amplius maledictos esse : sic et hoc loco dicit ipsum carnem factum esse, non mutata in carnem substantia, sed post acceptam carnem illa intacta manente. Quod si dixerint, Deum ut qui omnia possit, in carnem decidere potuisse : respondebimus illis, eum omnia posse donec manet Deus; sed si mutationem admiserit, imo mutationem in pejus, quomodo Deus fuerit? Nam mutari, longe est ab immortali illa natura. Quapropter propheta dicebat : *Omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* 101. 27). Hæc quippe substantia omni mutatione superior est. Neque aliud quidpiam illo melius est, ut proficiendo possit ad illud pervenire. Quid dico melius? Nihil ei par est, vel tantillum ad illum accedit. Sequitur ergo ipsum in pejus mutatum esse si mutatus sit. Hoc autem non potest Deus esse. Sed blasphemia in caput eorum, qui hæc proferunt, vertatur. Quod enim illud, *Factum est*, ideo dictum sit, ut ne phantasiam esse suspiceris, animadverte ex iis quæ sequuntur, quomodo et dictum illud et pravam hanc suspicionem expurget. Subdit enim, *Et habitavit in nobis*, ac si diceret : Nihil absurdum suspiceris ex hoc dicto, *Factum est*. Non enim immutabilis naturæ mutationem, sed habitationem dixi. Habitatio autem non idipsum est quod habitaculum, sed aliud. Aliud enim in alio habitat; alias enim non esset habitatio : nihil enim in seipso habitat. Aliud vero dixi secundum substantiam. Nam unitate et conjunctione Deus Verbum et caro unum sunt : sine ulla confusione, vel substantiarum ablatione, sed per unionem ineffabilem inexplicabilemque. Quomodo autem id fiat ne quæras; factum est enim ut ipse novit. Quodnam ergo fuit habitaculum, in quo habitavit? Audi prophetam dicentem : *Suscitabo tabernaculum David, quod cecidit* (*Amos*. 9. 11). Vere namque cecidit, cecidit natura nostra casu incurabili, et potenti illa manu sola egebat. Neque enim poterat alio modo resurgere, nisi is qui in principio illam efformaverat, ipsi manum porrexisset, et superne illam reformasset per aquæ regenerationem et Spiritus. Et vide mihi horrendum et arcanum mysterium. Semper habitat in hoc tabernaculo : carnem quippe nostram induit, non ut postea relinqueret, sed illam semper secum habiturus. Nisi enim hoc esset, non illam regio solio dignatus esset, neque ipsam ferens adoraretur ab omni cælesti exercitu, ab angelis, archangelis, thronis, dominationibus, principatibus, potestatibus. Quis sermo, quæ mens, tantum illum honorem generi nostro collatum, supernaturalem illum et horrendum explicare poterit? Quis angelus? quis archangelus? Nullus usquam vel in cælo vel in terra. Talia quippe sunt Dei opera, tanta tamque supernaturalia ejus beneficia, ut non modo humanam linguam, sed et angelicam virtutem superet eorum accurata narratio. Quamobrem nos concionem hanc silentio claudemus, cum vos monuerimus, ut benefactori tanto vicem rependatis, cujus rei lucrum totum nobis postea rependetur. Vicem autem rependimus, si magnam animæ nostræ curam habeamus. Nam et hoc benignitatis illius opus est, ut cum nullo nostrum egeat, sibi vicem rependi dicat, cum nos animam nostram non negligimus. Quamobrem extremæ amentiæ esset, et innumeris dignum suppliciis, tantum consequutos honorem, non ea quæ penes nos sunt referre, cum maxime tota rei utilitas in nos redundet, et innumera nobis in hujus rei mercedem reposita bona sint. Pro his vero omnibus gloriam referamus benignissimo Deo, non verbis tantum, sed multo magis operibus, ut futura consequamur bona : quæ utinam omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Hic illos insectatur hæreticos, qui putarent simulatam esse Incarnationem; nempe simulatione et opinione tantum in carne advenisse Verbum effutientes, δοκήσει scilicet, quæ vox initio nascentis Ecclesiæ a novatoribus inducta fuit, ut videas apud Ignatium Epistola ad Trallianos, itemque Epist. ad Smyrnæos. Illam autem vocem Latine conversam habes apud Irenæum, ubi δοκήσει *putative* exprimitur libro I, et sequentibus. Subindeque alii SS. Patres hanc hæresim commemorarunt.

HOMILIA XII.

Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.

1. Forte plus quam par erat vobis nuper onerosi et molesti fuimus, acriori usi sermone, et longa contra multorum desidiam oratione habita. Verum si id mordendi solum causa fecissemus, jure nobis singuli succenserent; si vero utilitatem vestram spectantes, auditorum gratiam inire non curavimus, etiamsi illam profectus vestri curam, quam gessimus, acceptam habere nolitis, amori saltem nostro veniam concedatis oportet. Admodum enim timemus, ne nobis cum studio multo concionantibus, vobis autem dictis attendere negligentibus, graviores vobis rationes reddendæ sint. Ideo cogor vos frequenter excitare et expergefacere, ne dictorum quidpiam inutiliter effluat. Hoc enim pacto licebit vobis fidenter et hic vivere, et in illo die ante tribunal Christi adstare. Quia igitur vos nuper satis perstrinximus, age hodie statim ipsa verba proponamus. *Et vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Postquam dixerat nos filios Dei effectos esse, et ostenderat non alio modo id evenisse, quam quod Verbum caro factum esset, aliud hinc emolumentum provenisse dicit. Quodnam illud est? *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre:* non utique visuri, nisi per socium sibi corpus nobis apparuisset. Nam si Moysis naturæ nostræ hominis vultum ferre non poterant illius temporis homines, quod gloria illustraretur, sed velo opus habuit vir justus, quod gloriam illam ingentem obumbraret, ac mitem blandamque prophetæ faciem ostenderet [1]: quomodo nudam divinitatem, ipsis supernis virtutibus inaccessam, nos lutei et terreni ferre potuissemus? Ideo habitavit in nobis, ut ipsum adire, alloqui, cum ipso versari libere possemus.

Gloria quasi Unigeniti quid sit. Imperatorum ornatus et cultus. — Quid autem sibi vult illud, *Gloriam quasi Unigeniti a Patre?* Quia multi prophetarum gloria clari fuerunt, ut ipse Moyses, Elias, Elisæus; ille igneo curru vectus, hic receptus (*a*): et post illos Daniel et tres pueri, aliique plurimi, quotquot miracula patrarunt, gloria splendidi fuere: angeli quoque, qui hominibus apparuerunt, et naturæ suæ fulgorem hominibus exhibuerunt: neque angeli solum, sed etiam Cherubini et Seraphini cum gloria magna prophetæ apparuere: ab hisce porro omnibus nos avertens evangelista, atque a creaturarum conservorumque nostrorum splendore mentem adducens nostram, in ipso nos bonorum culmine constituit. Non enim prophetæ, non angeli, non archangeli, non supernarum virtutum, non alterius creatæ naturæ, si qua sit alia; sed ipsius Domini, ipsius Regis, ipsius vere unigeniti Filii, omnium nostrum Domini gloriam vidimus. Illud autem, *Quasi*, non similitudinis est, neque parabolæ, sed confirmationis et definitionis nulli dubio obnoxiæ; ac si diceret: Vidimus gloriam, qualem decebat habere unigenitum et germanum Filium Dei, universorum Regis. Id in more est plurimis; neque enim recusabo a communi consuetudine id asserere. Etenim non ad verborum speciem, neque ad serici ornatum loqui in proposito habemus, sed ad vestram solum utilitatem; quapropter nihil officit, quominus a communi consuetudine id confirmetur. Quænam est illa multorum consuetudo? Quidam regem ornatissimum videntes, et pretiosis undique fulgentem lapidibus, siquando illam pulchritudinem, illum ornatum, gloriam illam aliis enarrare velint, pro modo suo depingunt, purpuræ florem, gemmarum magnitudinem, mularum alborem, jugum aureum, strati fulgorem: postea vero his aliisque multis recensitis, cum non possunt totum splendorem verbis repræsentare, continuo addunt: Quid multis opus est? uno verbo dicam, quasi rex: perque illud, quasi, non regi similem describere volunt, sed ipsum vere regem. Sic igitur evangelista illud, *Quasi*, posuit ut incomparabilem illam et præcellentem gloriam exhiberet. Alii quippe omnes, angeli, archangeli, prophetæ, jussi omnia faciebant: ipse vero cum potestate quæ regem et dominum deceret: id quod etiam turbæ mirabantur, quod doceret tamquam potestatem habens.

2. *Discrimen inter Christum et angelos in terra aliquando conversatos. Circumstantiæ adventus ejus. Ipsius potentia, in ordine physico, morali, supernaturali.* — Apparuerunt itaque, ut dixi, angeli in terra cum gloria multa, ut Danieli, Davidi, Moysi; sed ut servi et domino obsequentes omnia faciebant: ipse vero ut dominus et omnium imperator, etsi sub vili forma et habitu apparuerit: attamen sic quoque creatura Dominum suum agnovit. Quomodo? Stella de cælo magos vocavit, ipsum adoraturos; angelorum cœtus magnus undique effusus Domino suo ministrabant, ipsumque hymnis celebrabant [1]; et alii repente præcones insurgebant, omnesque simul sibi invicem occurrentes, arcanum hoc mysterium nuntiabant, pastoribus angeli, civibus pastores; Gabriel Mariæ et Elisabethæ; iis qui in templo erant Anna et Simeon. Nec viri mulieresque solum lætitia magna sunt affecti, sed etiam puerulus nondum ex vulva egressus, ille, inquam, deserti cultor, evangelistæ cognominis, exsultavit in utero matris: omnesque spe ad futurum partum inhiabant. Et hæc quidem circa partus tempus; quando autem seipsum magis exhibuit, rursus alia miracula prioribus majora splenduerunt. Non ultra enim stella et cælum, non angeli et archangeli, non Gabriel et Michael; sed ipse Pater superne et ex cælo prædicabat illum, et cum Patre Paracletus advolans ad illum cum voce, manensque supra ipsum. Vere propterea dixit: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a*

[1] In Morel. legitur, *et quod in ipsius aspectu erat intolerabile, tolerabile redderet.*

(*a*) Hæc locutio mortem significat.

[1] In Morel. legitur, *turbæ cælestes angelorum in terra visæ sunt Domino ministrantium, hymnosque canentium.*

Patre. Neque propter illa solum, sed propter ea etiam quæ sequuta sunt. Non ultra enim pastores tantum, vel viduæ, vel senes nobis illum annuntiant; sed etiam ipsa rerum natura[1] tuba clarius clamans, et tam alta voce, ut ejus sonus statim hucusque pervenerit. Pervenit enim, inquit, usque in Syriam fama ejus (*Matth.* 4. 24), quæ ipsum omnibus revelavit : omnia undique clamabant, regem cælorum adventasse. Nam dæmones undique fugiebant et resiliebant, diabolus obvolutus recedebat, ipsa mors repulsa interim, postea penitus abolita est : omne infirmitatis genus solutum est; monumenta mortuos emittebant, insanos dæmonia relinquebant, morbi infirmos deserebant; videreque erat res stupendas et mirabiles, quæ jure prophetæ desiderabant videre, et non viderunt. Videre erat formatos oculos, et illud tam optabile, cujus omnes spectatores esse cupiebant, quomodo Adamum de terra formasset Deus, id brevi et in præstantiore corporis parte ostendentem Christum; membra insuper paralysi soluta et dissoluta, jam restituta et cæteris copulata, manus emortuas motu gaudentes, pedes solutos. repente exsilientes, aures obstructas jam apertas, et linguam magno sonitu loquentem, quæ prius muta erat. Quemadmodum enim optimus architectus, domum vetustate labantem : sic ille humanam naturam restituit, partes fractas resarsit, disjunctas et dissolutas copulavit, penitus lapsas erexit. Quid dixerimus de animæ reformatione, corporeis curationibus longe præstantiore? Magna res certe est corporis valetudo, sed multo major animæ; tantoque major, quanto anima præstantior est corpore : neque hac tantum ratione, sed quia corporum natura, quocumque illam velit Creator agere, sequitur, nec resistit; anima vero quæ sui arbitrii est, et in actibus libertatem habet, non in omnibus obtemperat Deo, si quidem nolit. Illam enim invitam non vult Deus per vim et necessitatem, pulchram et virtute præditam reddere : quandoquidem illud virtus non esset : sed illi volenti et lubenti suadendum, ut talis efficiatur : id quod longe difficilius est quam illa alia curatio. Id tamen fecit ille, atque nequitiæ genus omne depulsum est. Ac sicut corpora bene curata non ad valetudinem modo, sed ad supremum sanitatis statum reduxit : sic et animas, non modo ab extrema nequitia eripuit, sed ad ipsum virtutis culmen erexit. Publicanus factus est apostolus; persequutor, blasphemus et contumeliosus orbis prædicator fuit : magi, Judæorum doctores; latro, paradisi civis; meretrix, fide magna refulsit; Chananæa et Samaritana mulieres, quarum postrema meretrix erat; ex his, inquam, mulieribus altera prædicationem apud contribules suos suscepit, totamque civitatem quasi sagena captam ad Christum adduxit; altera autem fide et assiduitate id effecit, ut dæmon malignus ex filiæ suæ anima pelleretur. Alii quoque longe his pejores in discipulorum numerum statim admittebantur. Omnia simul transmutabantur, corporum ægritudines, morbi animarum, quæ ad sanitatem perfectamque virtutem reducebantur. Nec duo tantum homines, aut tres, aut quinque, vel decem, vel viginti, vel centum solummodo, sed integræ civitates et gentes facillime transmutabantur. Quis vero præceptorum sapientiam, cælestium legum virtutem, angelicæ vitæ ordinem digne descripserit? Tale quippe induxit vitæ genus, tales nobis constituit leges, talem morum formam, ut qui iis utuntur, angeli statim efficiantur, et quantum homini licet, Deo similes, etsi omnium hominum nequissimi fuerint.

3. *In quibus visa sit gloria Christi quasi gloria Unigeniti a Patre. Divinitatem Christi potestas ejus prædicat. Gloria Christi in cælis quanta; ad illa fruendum vocati sumus.* — Hæc itaque omnia miracula colligens evangelista, quæ in corporibus, quæ in animis, quæ in elementis; necnon præcepta, dona illa arcana ipsis cælis sublimiora, leges, vitæ institutum, obsequentiam, futurorum promissiones, ejusque cruciatus, hanc mirabilem et sublimi doctrina plenam emisit vocem : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Non enim propter miracula tantum ipsum miramur, sed etiam propter cruciatus; ut cum affixus fuit cruci, flagellatus, alapis cæsus, consputus, et cum in maxillis plagas accepit ab iis quos beneficiis affecerat. At enim in his quoque quæ ignominiosa videntur, idem ipsum dictum apposite proferatur, quandoquidem et ipse rem illam, gloriam appellavit. Non enim providentiæ tantum et caritatis illa erant, sed etiam immensæ potestatis. Tunc enim et mors destruebatur, et maledictio solvebatur, dæmones confundebantur, deque ipsis triumphabatur, et chirographum peccatorum cruci affigebatur. Deinde, quia hæc miracula invisibiliter patrabantur, quædam visibiliter peracta sunt, quæ demonstrarent ipsum esse unigenitum Filium Dei, totiusque naturæ Dominum. Nam cum beatum corpus adhuc in cruce penderet, sol radios avertit, terra tremuit et tenebris oppleta est, sepulcra aperta, terræ solum concussum est, mortuorum innumera multitudo exsiliit, et in civitatem ingressa est : ac dum monumenti ipsius lapides loculis aptati manerent, et signacula starent, surrexit mortuus ille qui cruci clavis affixus fuerat, ac virtute quadam magna repletos undecim discipulos misit omnibus per orbem hominibus, communes naturæ totius medicos futuros, qui vitam hominum emendarent, cælestiumque dogmatum notitiam ubique disseminarent, dæmonum tyrannidem solverent, magnaque et arcana bona homines docerent : animæ immortalitatem nobis prædicarent, corporisque vitam æternam, præmia mentem exsuperantia et nunquam finem habitura. Hæc secum reputans beatus ille, et alia plura, quæ ipse quidem noverat, sed scribere noluit, quod ea mundus non caperet (nam omnia, inquit, *Si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros* [*Joan.* 21. 25]) : hæc, inquam, omnia cogitans exclamavit : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et ve-*

[1] Savil. legit, *ipsa rerum vox.*

ritatis. Qui ergo tot spectaculis, hujusmodi doctrina, tanto munere dignati sunt, vitam dogmatibus dignam exhibeant oportet, ut illis fruantur bonis. Ideo namque advenit Dominus noster Jesus Christus, non solum ut hic ejus gloriam, sed etiam ut futuram videamus. Propterea dixit : *Volo ut ubi sum ego, et ipsi sint, ut videant gloriam meam* (*Joan.* 17. 24). Quod si hæc gloria tam splendida, tam conspicua fuit, quid de illa dixerimus? Non enim in terra corruptioni obnoxia videbitur, non nobis in fluxo corpore manentibus; sed in immortali et perpetua creatura, et cum tanto splendore, ut nullo possit explicari sermone. O beati, ter beati, sæpiusque beati, qui gloriæ illius spectatores esse dignabuntur! De hac propheta dicit : Tollatur impius, ne videat gloriam Domini (*Isai.* 26. 10. *in Græco*). Sed absit, ut aliquis nostrum tollatur, ne illam umquam videat. Nisi enim illam consequuturi essemus, opportune a nobis diceretur : Bonum erat nobis, si nati non fuissemus. Nam cur vivimus, cur respiramus? quid sumus, si illo privemur aspectu? si Dominum nostrum nemo concedat umquam videre? Nam si qui solarem lucem non vident, morte miseriorem vitam degunt; quid eos perpeti credas, qui tali luce privantur? Hic enim damnum in hoc uno constat, illic vero non item : quamvis si illud solum adesset mali, non par cruciatus esset, sed tanto gravior, quanto sol ille hoc nostro præstantior est : verum aliud quoque supplicium exspectandum est. Nam is qui lucem illam non aspicit, non in tenebras abducendus tantum est, sed perpetuo comburendus, ita ut tabescat, dentibus strideat, innumerisque aliis tormentis excrucietur. Ne itaque salutem nostram ita contemnamus, ut per brevissimi temporis negligentiam atque desidiam, in æternum conjiciamur supplicium; sed vigilemus, sobrii simus, nihil non agamus et operemur, ut illis fruamur bonis, ac procul simus ab illo fluvio igneo, qui cum multo fragore fluet ante tribunal horrendum. Qui semel illo inciderit, ibi perpetuo maneat oportet, nemo erit qui a supplicio eripiat, non pater, non mater, non frater. Hoc prophetæ clamant; alius dicit : *Frater non redimit, redimet homo* (*Psal.* 48. 8)? Ezechiel vero quidpiam amplius effert his verbis : *Si steterit Noe et Job et Daniel, filios suos et filias non eripient* (*Ezech.* 14. 14. *et* 26). Unum enim ibi tantum juvat, nempe operum patrocinium, quo qui caruerit, alio modo servari non poterit. Hæc itaque perpetuo versantes et nobiscum reputantes, vitam expurgemus, et conspicuam reddamus, ut cum fiducia videamus Dominum, et promissa consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, una cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

15. *Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens : Hic erat quem dixi : Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.*

1. *Doctor ex auditorum segnitie præmium non amittit. Pastor spiritualis quomodo hærere debeat animabus sibi commissis. Audientes stimulat Chrysostomus.* — Numquid frustra currimus, et frustra laboramus? num supra petras semen jacimus? num secus viam vel inter spinas jacta semina latent? Anxius sum et timeo, ne inutilis nobis agricultura sit; etiamsi nullum in hujusce laboris mercede detrimentum passurus sim : non enim eadem conditione, qua agricolæ, sunt verbi doctores. Agricola enim post annuos sæpe labores, post tantam miseriam et sudores, si terra nihil laboribus illis dignum tulerit, a nemine alio poterit consolationem accipere; sed cum tristitia et pudore ab area domum revertetur ad uxorem et filios, atque a nemine diuturni laboris mercedem repetere poterit. Nobis autem nihil hujusmodi accidet; sed etiamsi culta terra nullum fructum tulerit, si laborem nos omnem exhibuerimus, ille et terræ et cultoris Dominus non sinet nos cum vana spe recedere, sed mercedem tribuet. *Unusquisque enim*, inquit, *propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem* (1. *Cor.* 3. 8), non secundum rei finem. Et quod ita res se habeat, audi : Et tu, inquit, *Fili hominis*, testificare populo huic, *si forte audiant, si forte intelligant* (*Ezech.* 2. 3. 5). Et per Ezechielem (*Cap.* 3. 19) id ediscere licet : Si speculator prædixerit, quid fugere, quid eligere oporteat, animam suam liberavit, quamvis nemo attendat. Attamen licet hanc firmam consolationem habeamus, licet de retributione fidamus, quando vos nihil opere proficere videmus, nihilo melius afficimur, quam agricolæ, qui gemunt et lacrymantur, ac pudore ruboreque afficiuntur. Hoc doctoris misericordia, hoc patris cura est. Etenim Moyses cum ab ingrata Judæorum gente liberari posset, splendidiusque ac multo majus in aliam gentem imperium obtinere : nam ait Deus, *Dimitte me, et delebo eos, faciamque te in gentem hac majorem* (*Exod.* 32. 10); quia sanctus erat et Dei servus, quia vere amicus et probus [1], hanc vocem ne auditu quidem tulit; sed perire maluit cum gente sibi semel credita, quam sine illa servari, et ad majorem dignitatem assumi. Talem oportet eum esse, cui animarum commissa cura est. Absurdum enim esset, dum pravorum filiorum pater non vult alios, quam ab se genitos, filios suos dici, commissos discipulos semper mutare, ac nunc hos, nunc alios, posteaque novos adscribere, atque erga nullos amicitia benevolentiaque affici. Verum absit ut talia de vobis umquam suspicemur. Confidimus enim vos magis abundare in fide in Dominum nostrum Jesum Christum, et in caritate mutua erga omnes (2. *Cor.* 8. 7). Hæc vero dicimus ut studium vestrum augeamus, et vitæ probitatem in dies accrescere curemus. Sic enim ad verborum horumce profundum mente pertingere poteri-

[1] In Morel. legitur, *quia vere servus et probus.*

tis, si nulla nequitiæ lippitudo oculos mentis vestræ obscuret, ejusque perspicacitatem obturbet. Quid igitur nobis hodie proponitur? *Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens : Hic erat quem dixi : Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat.* Sæpe hic evangelista Joannem ultro citroque versat, ejusque testimonium circumfert. Id vero non sine causa, sed admodum prudenter præstat. Quia enim Judæi virum supra modum mirabantur (nam et Josephus ex ejus nece bellum ortum narrat, illiusque neci metropoleos excidium adscribit (*a*), ac longo sermone laudes ejus prosequitur), ut Judæos pudore suffundat, Prodromi testimonium illis frequenter commemorat. Et alii quidem evangelistæ, facta veterum prophetarum mentione, ad singula gesta eo remittunt auditorem : ac quando natus est dicunt : *Hoc autem totum factum est, ut impleretur quod dictum est per* Isaiam *prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium* (*Matth.* 1. 22. 23. *Isai.* 7. 14). Et cum insidiis appeteretur, et ita diligenter undique perquireretur, ut immatura etiam ætas ab Herode jugularetur, Jeremiam illum olim prophetam in medium adducunt dicentem : *Vox in Rama audita est, lamentatio, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos* (*Jer.* 31. 15) ; et cum ex Ægypto rediret, Oseam proferunt sic loquentem, *Ex Ægypto vocavi filium meum* (*Osee* 11. 1) : et ubique ad hunc faciunt modum. Hic vero, utpote qui sublimius quam alii loquatur, clarius atque recentius proferens testimonium, non mortuos tantum, sed et viventem, qui eum et præsentem ostenderat et baptizaverat, in medium frequenter adducit ; non quo Dominum servi testimonio fide dignum comprobaret, sed ut auditorum infirmitati se attemperaret. Sicut enim nisi formam servi accepisset, non acceptus admissusque fuisset : sic nisi servi voce conservorum aures assuefecisset, maxima pars Judæorum, sermoni non obtemperasset.

2. *Cur et quomodo Joannes Baptista Christum prædicet.* — Ad hæc aliud apparabatur magnum et mirabile. Quia enim, qui de seipso magnum quidpiam effert, suspectus est, et auditorum plurimos sæpe offendit ; ideo alius de illo testificaturus accedit. Alioquin autem, quia solet multitudo ad familiarem sibi et innatam vocem accurrere, utpote quam melius noverint : ideo vox de cælo semel aut bis audita est, vox vero Joannis frequentissime. Nam qui populi imbecillitatem superabant, et a sensilibus omnibus exempti erant, quique supernam vocem audire poterant, non admodum opus habebant humana ; quippe qui huic omnino obtemperabant, et ab illa ducebantur. Qui vero adhuc circa infima versabantur, et multa terrenarum rerum caligine obtegebantur, hac humiliore egebant voce. Sic ergo Joannes, quia sensilibus se undique exuit, magistris hominibus [1] opus non habuit, sed ex cælo eruditus est. Nam ait, *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum Dei descendentem, hic est.* Judæi vero adhuc infantes, qui ad altitudinem illam attingere nondum poterant, hominem habebant magistrum, non sua eis, sed cælestia annuntiantem. Quid ergo hic loquitur? *Ipse testimonium perhibet de eo, et clamat dicens.* Quid sibi vult illud, *Clamat?* Cum fiducia, cum libertate, omni abjecta formidine prædicat. Quid testatur et clamat? *Hic erat,* inquit, *quem dixi, qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat.* Obscurum est testimonium, et adhuc valde humile ac demissum. Non enim dixit, Hic est Filius Dei unigenitus [2] : sed quid? *Hic erat quem dixi, qui post venit, ante me factus est, quia prior me erat.* Quemadmodum enim avicularum matres pullos suos non statim nec uno die volandi artem totam edocent ; sed primo ex nido educunt tantum, deinde a volatu requiescere sinunt, post ad volatum exercent, dieque postera multo majus volandi exercitium addunt, sicque paulatim ac sensim ad congruentem altitudinem educunt : ita beatus Joannes non statim ad sublimia Judæos deduxit ; sed paululum e terra educit et volare docet, cum ait, Christum se meliorem esse. Neque enim parum interim illud erat, quod auditores credere possent illum, qui nondum visus fuerat, nec miracula ediderat, esse majorem Joanne, tam mirabili et illustri viro, ad quem omnes accurrebant, quemque angelum esse putabant. Interim vero id auditorum animis suadere conabatur, eum, de quo testimonium perhibebatur, perhibente majorem esse, eo qui jam venerat eum qui venturus erat, conspicuo et illustri eum qui nondum apparuerat esse præstantiorem. Vide quam prudenter testimonium proferat. Non præsentem modo ostendit, sed antequam appareat prædicat. Illud enim, *Hic est quem dixi*, id significat, quemadmodum et Matthæus ait : Omnibus qui ad se veniebant dicebat : *Ego quidem baptizo vos in aqua : qui autem post me venit, fortior me est, cujus ego non sum dignus solvere corrigiam calceamenti* (*Matth.* 3. 11). Cur ergo antequam appareret, ita loquutus est? Ut acceptum esset apparentis testimonium, jam auditorum animis ad hoc apparatis per Joannis sermonem ; neve Christi vile indumentum officeret ipsi [3]. Nam nisi aliquid de Christo audissent antequam illum viderent, nisi testimonium illud magnum et mirabile de illo accepissent, habitus humilitas statim dictorum magnitudini obstitisset. Christus enim tam trivio et vulgari habitu incedebat, ut et Samaritanæ mulieres, et meretrices, et publicani cum magna libertate ac fiducia ad illum accederent ipsumque alloquerentur.

(*a*) Quod hic dicit Chrysostomus, Josephum Jerosolymorum excidium Joannis Baptistæ neci adscribere, non omnino consonat cum iis quæ narrat Josephus l. 18, c. 6, ubi dicit, totum Herodis exercitum cæsum fuisse ab Areta Arabiæ Petrææ rege : et hanc cladem, non autem excidium Jerosolymorum, Joannis Baptistæ neci adscribit. Non desunt autem inter viros doctos qui hunc Josephi de Joanne Baptista locum suspectum habeant. Sed hæc fusius persequi non est præsentis instituti.

[1] Savil. habet, *magistris aliis.*

[2] Idem, post hæc verba, *Dei unigenitus*, addit, verus *filius.*

[3] Quidam habent.... *officeret ipsi, sed ut posset timorem ab hominum animis arcere.* In textu, Savil. et Mss. [illegible] mos sequimur.

3. Ut ergo dixi, si hæc verba simul audissent et ipsum vidissent, Joannis testimonium irrisissent. Cum vero ante Christi adventum id sæpe audissent, et ex dictis videndi cupidine concitati essent, contrarium accidit: neque viso illo de quo testimonium perhibitum fuerat, ejus doctrinam abjecerunt, sed ex fide quam ex dictis conceperant, ipsum clariorem putarunt. Illud autem, *Qui post me venturus est*, hoc est, prædicaturus, non, futurus. Hoc enim Matthæus quoque significat cum ait, *Post me venit vir;* non de ejus ex Maria generatione loquens, sed de adventu ad prædicandum. Nam si de generatione loquutus esset, non dixisset de præsenti, sed de præterito: jam enim natus erat Christus, cum hæc Joannes diceret. Quid autem significat illud, *Ante me factus est?* Clarior nempe ac splendidior. Nam quod prior prædicans venerim ego, ne me ideo majorem esse putetis: longe minor ego sum, et usque adeo minor, ut ne quidem illius servus censeri dignus sim. Id enim significat illud, *Ante me factus est:* quod alio declarat modo Matthæus his verbis, *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus*. Quod vero illud, *Ante me factus est*, non intelligatur de Christi ortu, ex hoc additamento patet. Nam si id dicere voluisset, superfluum fuisset id quod additur, *Quia prior me erat*. Quis enim ita stultus et insipiens est ut ignoret, eum qui ante se factus fuerit se priorem esse? Quod si id de illa quæ ante sæcula est exsistentia intelligatur, nihil aliud significat dictum illud, nisi hoc, *Qui post me venit, ante me factus est*. Alioquin autem hoc inconsiderate dictum esset, et causa temere projecta fuisset. Nam si hoc significare voluisset, contrario modo res enuntianda erat, Qui post me venit, prior me erat, quia ante me factus est. Nam quod quidam prior sit, jure quis hanc causam dederit, quod prior factus sit [1]: quod vero prior factus sit, non id in causa est quod sit prior. Quod vero nos dicimus, firma ratione nititur. Scitis quippe omnes, non manifestorum, sed obscurorum causam esse semper afferendam. Quod si de essentia sermo esset, non esset obscurum, eum qui prior factus sit, priorem esse oportere; quia autem de honore disserit, jure eam quæ videbatur inesse difficultatem solvit. Nam verisimile est, multos in dubium vocaturos esse, cur et qua de causa is qui posterior advenit, prior sit; id est, honorabilior visus sit. Hujus ergo quæstionis statim causam et solutionem affert, *Quia prior me erat*. Neque enim, inquit, quodam profectu auctus, me priore retrorsum abjecto, prior ipse factus est; sed *Prior me erat*, etsi posterior adveniat.

Prophetæ futura ut jam facta sæpe nuntiant. — Et quomodo, inquies, si de conspicuo ejus adventu, deque gloria ipsum exceptura sermo est, id quod nondum finem acceperat ut jam factum dicit? non enim dicit, Fiet; sed, *Factus est*. Quia id jam olim prophetis in more fuit, qui de futuris rebus quasi jam factis loquuntur. Nam Isaias de nece illius loquens, non dixit, Tamquam ovis ad occisionem ducetur, quod futurum erat; sed, *Tamquam ovis ad occisionem ductus est* (*Isai.* 53. 7). Atqui nondum incarnatus erat; sed id quod futurum erat, propheta quasi factum narrat. Et David crucem significans, non dixit: Fodient manus meas et pedes meos; sed, *Foderunt manus meas et pedes meos;* et, *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Psal.* 21. 17. *et* 19). Et de proditore verba faciens, qui nondum natus erat, sic ait: *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem* (*Psal.* 40. 10). Similiter et de iis quæ in cruce contigerunt loquens dicit: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* 68. 22).

4. *Conclusio: vita bona, gratiarum actio, caritas, commendantur. Dona ex rapina improbantur.* — Vultisne alia inducamus, an hæc vobis sunt satis? Ego sane arbitror. Nam si non latius locum exploravimus, sane profundius scrutati sumus: nec minor hac in re, quam in illa, labor est; veremurque ne si vos in his sine modo detineamus, fastidium ingeneremus. Quamobrem, uti par est, finem dicendi faciamus. Quis porro finis est congruentior? Si debita Deo gloria referatur; non verbis tantum, sed multo magis operibus. *Luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est* (*Matth.* 5. 16). Nihil enim splendidius, dilecte, optimo vitæ instituto. Hoc sapiens ille declarat: *Viæ autem justorum ut lux splendent* (*Prov.* 4. 18). Splendent certe non iis modo qui per opera lumen accendunt, et ad rectam ducunt viam, sed et vicinis eorum. Infundamus ergo oleum hisce lampadibus, ut sublimior sit ignis, et lux appareat locupletior. Hoc enim oleum non nunc tantum magnam vim habet, sed cum etiam sacrificia florerent, mirum in modum virtutem illorum probavit: nam ait: *Oleum enim volo et non sacrificium* (*a*) (*Osee* 6. 6. *Matth.* 9. 13). Et merito quidem. Illud enim altare inanimatum erat, hoc vero animatum est: et illic quidem quidquid impositum est, igne consumitur, in cinerem abit, atque effunditur, dissolutusque fumus in aeris naturam transit: hic vero nihil simile; sed alios fert fructus. Hæc Paulus declaravit; cum enim Corinthiorum, qui pauperum studiosi erant, thesauros enarraret, hæc scripsit: *Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones Deo* (2. *Cor.* 9. 12); ac rursum, *Glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ in evangelio, et simplicitate communicationis vestræ in illos, et in omnes, et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos* (*Ibid. v.* 13. *et* 14). Viden' illum in gratiarum actionem desinere,

[1] Hæc, *quod prior factus sit*, desunt in Savil.

(*a*) In Græco textu legitur, Ἔλεον.... καὶ οὐ θυσίαν, *misericordiam.... et non sacrificium*. Ex similitudine vocem Ἔλεον *misericordiam*, et Ἔλαιον *oleum*, quæ Chrysostomi tempore eodem modo pronuntiabantur, factum, ut quædam exemplaria Græca hic Ἔλαιον haberent, et fortassis in priscis Chrysostomi exemplaribus Ἔλαιον hic legebatur. Certe liquet hoc loco oleum intelligi, et hanc lectionem hic Chrysostomus adhibuit, qui altera alibi utitur, ubi de misericordia agitur, ut ad Stagirium l. 1, Tom. 1, col. 437, et alibi; sed quia hic Ἔλαιον *oleum* ad seriem suam aptabatur, hanc sequutus est lectionem. In Hebræo autem legitur כי חסד חפצתי, *quia misericordiam volui*.

et in Dei laudem; in frequentes eorum precationes, qui beneficia acceperunt, in ferventiorem caritatem? Sacrificemus ergo, dilecti, sacrificemus quotidie in hisce aris. Hoc quippe sacrificium, et precibus et jejunio et multis aliis præstantius est; dum ex justo lucro, ex justis laboribus procedat, et omnis sit expers avaritiæ, rapinæ, violentiæ. Tales enim oblationes admittit Deus[1]; cæteras autem aversatur et odit. Neque enim vult ex aliorum calamitatibus honorari. Impurum namque profanumque est hujusmodi sacrificium, Deumque potius irritaverit, quam placaverit. Quapropter omni studio enitendum est, ne cultus nomine, quem honorare volumus, probro afficiamus. Si enim Cain, qui ea quæ inferioris conditionis erant obtulit, nec quempiam læserat, extremas dedit pœnas; cum quid ex rapina et avaritia obtulerimus, annon graviora patiemur? Ideo namque Deus hujus præcepti rationem, nobis declaravit, ut misereamur, non ut conservos torqueamus; qui autem aliena rapit et alteri dat, is non misericordiam exercuit, sed læsit, et extremam operatus iniquitatem est. Ut ergo lapis numquam oleum pariat, sic nec crudelitas humanitatem. Cum enim talis sit radix, numquam id eleemosyna fuerit. Quamobrem obsecro ne eo solum spectemus ut eleemosynam erogemus, sed etiam ut ne ex rapina largiamur. Nam esto *Unus qui precetur, alter qui imprecetur; utrius vocem audiet Dominus* (*Eccli.* 34. 29)? Si nos sic diligenter instituamus, per Dei gratiam poterimus multam benignitatem, misericordiam et veniam omnium, quæ hoc diuturno tempore admisimus, peccatorum consequi, ac fluvium igneum effugere; a quo erepti, utinam nos omnes ad regnum cælorum ascendamus[1], gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simul et sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] In Morel. legitur : *Tales enim solum oblationes admittit Deus.*

[1] Juxta Morel. legendum esset, *utinam nos in cælorum thalamo recumbamus.*

HOMILIA XIV.

16. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.*

1. Nuper dicebamus Joannem, ut dubitationem eorum solveret, qui apud se quæsituri erant, cur Christus qui posterior ad prædicandum venit, prior et splendidior illo fuerit, hoc addidisse, *Quia prior me erat.* Et hæc una causa est : sed subdit aliam de qua nunc agitur [1]. Quænam illa est? *De plenitudine*, inquit, *ejus nos omnes accepimus et gratiam pro gratia;* et post hæc iterum aliam. Quam illam? *Quia lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Et quid est, inquies, illud, *Ex plenitudine ejus nos omnes accepimus?* Nam eo interim sermo referendus est. Non habet, inquit, doni erogandi consortem, sed ipse fons, ipse radix est bonorum omnium, ipsa vita, ipsa lux, ipsa veritas, qui bonorum divitias non in se retinet, sed in alios omnes effundit; et postquam effudit, plenus remanet, nihil minus habens postquam aliis elargitus est, sed semper scaturiens et aliis bona impertiens, in eadem manet perfectione. Quod autem ego fero particeps boni, ab alio accepi, et exigua pars totius est, et quasi stilla abysso ineffabili et pelago immenso comparata : imo ne hoc quidem exemplum potest satis explicare id quod recensere conamur. Etenim si stillam ex pelago haurias, eo ipso pelagus minuisti, etiamsi imminutio illa visu non percipiatur. De fonte autem isto id dici nequit; sed quantumcumque hauseris, manet tamen nihil imminutus. Quare alio exemplo utendum : quod tamen infirmum est, nec potest rem quæsitam demonstrare; sed magis quam primum ad propositam nos adducit sententiam. Supponamus esse igneum fontem : ex quo fonte mille, bis mille, ter mille, et longe plures lucernæ accenduntur : annon æque plenus ignis manet, postquam tot aliis vim suam indidit? Id nemini non notum est. Quod si in corporibus divisibilibus, quæ per ademptionem minuuntur, quidpiam simile reperitur, quod postquam aliis quæ sua erant indidit, nihil tamen minuitur, multo magis in incorporea et immortali illa potentia hoc continget. Nam si cum id quod participatur est substantia et corpus, et dividitur, et non dividitur : multo magis cum de vi agendi sermo est, deque vi agendi incorporeæ substantiæ, exploratum est id evenire.

Illud, De plenitudine ejus accepimus, *commentatur.* — Ideo Joannes dicebat, *De plenitudine ejus nos omnes accepimus;* et testimonium suum Baptistæ testimonio connectit. Nam illud, *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, non præcursoris, sed discipuli dictum est. Hoc autem vult significare : Ne putetis nos, qui multo tempore cum illo versati sumus, et ejusdem mensæ consortes fuimus, ex gratia aliqua testimonium ferre. Nam Joannes, qui illum antea non viderat, nec cum illo versatus fuerat, sed cum baptizaret tantum, ipso cum cæteris conspecto, inde omnia accipiens, exclamavit, *Prior me erat.* Nos autem omnes, duodecim, trecenti, quingenti, ter mille, quinquies mille, multæ Judæorum myriades, omnis plenitudo fidelium, qui tunc fuere, qui nunc, qui futuri sunt, de plenitudine ejus accepimus. Quid autem accepimus? Gratiam pro gratia. Quam pro qua? Pro veteri novam. Sicut enim erat justitia et justitia, *Secundum justitiam*, inquit, *quæ in lege est, factus irreprehensibilis* (*Philipp.* 3. 6); item fides et fides est : *Ex fide in fidem* (*Rom.* 1. 17); adoptio quoque et adoptio : *Quorum adoptio* (*Ibid.* 9. 4), inquit; gloria quoque duplex : *Si enim quod evacuatur per gloriam est, multo magis quod manet in gloria* (2. *Cor.* 3. 11); et lex duplex : nam ait, *Lex spiritus vitæ liberavit me* (*Rom.* 8. 2); et cultus duplex, *Quorum servitus*, seu

[1] Savil. habet, *sed non ea contentus, subdit aliam de qua nunc agitur.*

cultus; et rursum, *Spiritu Deo servientes* [1] (*Philip*. 3. 3); duplex quoque testamentum: *Disponam vobis testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui cum patribus vestris* (*Jer*. 31. 31); duplex quoque sanctificatio, duplex baptisma, duplex sacrificium, duplex templum, duplex circumcisio; sic et duplex gratia. Sed illa quidem ceu figura sunt; hæc ut veritas: quæ homonyma quidem, sed non synonyma sunt. Nam in typis et imaginibus qui colore albo et nigro pingitur, homo vocatur, ut et verus homo nativo colore instructus: in statuis quoque aurea perinde atque figlina, statua dicitur; sed illa typus sunt, hæc veritas.

2. *Inter vetera et nova discrimen.* — Ne igitur ex nominum consortio, res easdem, sed neque diversas esse putes. Nam si typus erat, non erat alienus a veritate; si umbram servabat, minor erat veritate. Quid ergo discriminis est inter hæc omnia? Vultis unum aut duo ex dictis tractemus? Sic cætera vobis manifesta erunt: videbimusque illa puerorum præcepta, hæc virorum fortium fuisse; illa quasi hominibus, hæc quasi angelis constituta. Unde igitur ordiemur? Vultis ab ipsa adoptione ordiamur? Quid discriminis inter hanc et illam est? Illa nomine tenus erat; hæc re ipsa. De illa dicitur, *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes* (*Psal*. 81. 6). De hac autem, *Ex Deo nati sunt*. Quomodo et qua ratione? Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti. Et illi quidem postquam filii appellati sunt, spiritum servitutis adhuc habebant: nam servi cum essent, hac appellatione ornabantur; nos autem liberi tunc effecti, non nomine, sed re honorem accepimus. Et hoc Paulus dicebat: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater* (*Rom*. 8. 15). Generati namque superne, et ut ita dicam, reformati, sic vocati sumus filii. Sanctitatis vero modum si quis didicerit, quis hic, quis ille, multam hic quoque differentiam videbit. Illi namque quando idola non colebant, cum nec fornicabantur, nec mœchabantur, hoc vocabantur nomine: nos autem non abstinendo ab illis rebus tantum, sed et majora possidendo sancti efficimur. Et primo quidem ex ipso Spiritus illapsu hoc consequimur donum: deinde ex vita longe præstantiore quam Judaica. Et ne ex jactantia dicta putes, audi quid illis dicat: *Nolite lustrare, neque purificare filios vestros, quia populus sanctus estis* (*Deut*. 18. 10). Itaque apud illos hæc sanctitas erat, ab idolorum legibus abstinere; apud nos vero non ita, sed, *Ut sit sancta*, inquit, *corpore et spiritu* (1. *Cor*. 7. 34). *Pacem persequimini et sanctificationem, sine qua nemo videbit Dominum* (*Hebr*. 12. 14); et, *Perficientes sanctificationem in timore Dei* (2. *Cor*. 7. 1). Non enim hoc nomen, sanctus, in omnibus, de quibus dicitur, eamdem habet significationem. Nam Deus sanctus dicitur, sed non sicut nos. Cum enim propheta hanc vocem a Seraphinis audivit, attende quid dixerit: *Hei mihi, miser ego* [1], *quia homo cum sim, impura labia habeo, et in medio populi impura labia habentis ego habito* (*Isai*. 6. 5). Etsi ille et sanctus et purus esset. Verum si nostram cum superna illa sanctitatem comparemus, impuri sumus. Sancti sunt angeli, sancti sunt archangeli, et Cherubim atque Seraphim; sed hujus sanctitatis alia rursum differentia est inter nos videlicet et superiores illas potestates [2]. Possem cætera omnia persequi, sed video orationem longius progressam; quapropter ulteriore missa perquisitione, vobis cætera exploranda relinquemus. Vobis enim licet domi hæc colligendo, differentiam internoscere, et reliqua similiter indagare. *Da sapienti*, inquit, *occasionem, et sapientior erit* (*Prov*. 9. 9). Initium namque a nobis est, finis erit a vobis. Operæ pretium autem est seriem persequi.

Gratiam pro gratia quid significet. — Cum dixisset, *De plenitudine autem ejus nos omnes accepimus*, subdidit, *Et gratiam pro gratia*: ostendens Judæos quoque per gratiam salvos fuisse. Non enim quod multiplicati sitis, sed propter patres vestros elegi vos. Si ergo non ex propriis meritis a Deo electi sunt, palam eos per gratiam hunc esse consequutos honorem. Et nos quoque gratia salvi facti sumus: sed non simili modo. Neque enim iisdem in rebus, sed in multo majoribus et sublimioribus. Non itaque talis est apud nos gratia. Neque enim peccatorum tantum venia nobis collata est; hujus namque cum illis consortes sumus: omnes enim peccaverunt; sed datur etiam justitia, sanctificatio, adoptio, Spiritus gratia longe splendidior et uberior. Per hanc gratiam Deo cari facti sumus, non ultra ut servi tantum, sed etiam ut filii et amici. Ideo inquit, *Gratiam pro gratia*. Etenim legalia quoque ex gratia erant, necnon quod ex nihilo facti simus: non enim ex præcedentibus meritis hanc remunerationem accepimus: quomodo enim, cum non essemus? sed Deus semper beneficiis nos prævenit. Non modo cum nos ex nihilo produxit, sed etiam cum creatis dat ut quæ agenda, quæ non agenda sunt sciamus et hanc in natura legem nanciscamur: et quod nobis conscientiæ tribunal incorruptum indiderit, id gratiæ maximæ et ineffabilis benignitatis fuit. Quod item hanc legem jam corruptam, per scriptam legem restauraverit, id gratiæ erat. Nam consentaneum erat, ut qui semel datam legem adulterassent, supplicio et ultioni traderentur. Non hoc autem factum est; sed concessa est emendatio, et venia non debita, sed per misericordiam et gratiam data. Quod enim id ex gratia et misericordia prodierit, audi Davidem dicentem: *Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus. Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas* (*Psal*. 102. 6. *et* 7). Et iterum: *Dulcis et rectus Dominus; propter hoc legem dabit delinquentibus in via* (*Ibid*. 24. 8).

[1] Juxta alios legendum esset, *Spiritui Dei servientes*.

[1] Post illud, *miser ego*, Morel. et Mss. pauci addunt, *maxime compunctus*; sed hæc desunt in Savil. et in Mss. plurimis.

[2] Juxta Morel., legendum esset, *sed sanctitas Dei tum sanctitati nostræ tum sanctitati potestatum, quæ supra nos sunt, præstat et dissimilis est*.

3. Misericordiæ igitur et miserationum et gratiæ opus illud est, legem accipere. Ideo cum dixisset, *Gratiam pro gratia*, vehementius [1] magnitudini donorum insistens subjungit: 17. *Lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Videte quam placide ac paulatim uno verbo et Joannes Baptista et discipulus ad supremam auditores cognitionem evehant, postquam eos in humilioribus exercitarunt? Ille namque postquam secum contulerat eum, qui sine comparatione omnes excedit, sic ejus postea excellentiam ostendit dicens: *Qui ante me factus est;* deinde subdens illud, *Prior me erat:* hic vero multo majus præstitit, minus tamen quam Unigeniti dignitas postularet. Non enim Joanni, sed ei, qui majori quam Joannes apud Judæos erat admirationi, Moysi nempe, ipsum comparat dicens, *Lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Et vide prudentiam. Non personarum, sed rerum disquisitionem facit. Nam cum res ipsæ longe majores demonstrarentur, necessario ingrati illi sententiam et opinionem de Christo excipere debebant. Cum enim opera ipsa, quæ nullam habeant vel gratiæ vel odii suspicionem, testificantur, certum etiam impudentibus præbent indicium. Nam qualia illa auctores ediderunt, talia manent et conspicua sunt: quamobrem omni suspicione et exceptione majus est illorum testimonium. Animadverte autem quam modestam faciat comparationem etiam apud infirmiores. Non enim excellentiam illam verbis extollit, sed nudis nominibus differentiam ostendit, dum gratiam et veritatem, legi, et hanc vocem, *Facta est*, huic, *Data est*, opponit. Multum autem est inter utramque discrimen. Nam illud, *Data est*, ministri erat, qui ab alio acceptum dedit quibus jussus erat; illud vero, *Facta est*, gratia et veritas, Regis est qui cum potestate peccata omnia dimittit, et donum præparat suum. Quamobrem dicebat, *Dimittuntur tibi peccata* (*Marc.* 2. 9); et rursum, *Ut autem sciatis quia potestatem habet Filius hominis in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surgens tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (*Ibid. v.* 10. *et* 11). Viden' quomodo gratia per eum fiat? Veritatem quoque vide. Gratiam igitur, et hæc et quæ ad latronem spectant, et baptismatis donum, et Spiritus gratia per ipsum data [2] ostendunt; necnon alia plurima: veritatem autem manifestius intelligemus, si figuras didicerimus. Nam quæ in Novo Testamento dispensanda erant, figuræ prius ut figuræ descripserant; Christus autem veniens consummavit. Paucis ergo figuras illas videamus. Neque enim omnia illa recensere præsentis est temporis; a paucis quæ nunc proferam cætera intelligetis. Vultis ab ipsa passione incipiamus? Quid ait figura: Accipite agnum per domos, et immolate, et facite ut præcepit et statuit Dominus (*Exod.* 12. 3). Christus vero non sic; neque enim præcipit hoc agere: sed ipse sese oblationem et hostiam Patri offert.

4. Vide quo pacto figura per Moysem data sit, veritas autem per Jesum Christum facta sit. Et rursum in monte Sina, cum Amalecitæ contra Hebræos pugnam committerent, manus Moysis ab Aarone et Or utrinque extensæ sustinebantur; Christus autem ipse per sese manus extensas tenuit in cruce. Viden' quomodo figura data, veritas autem facta sit? Rursus lex dicebat, *Maledictus omnis qui non manet in iis quæ scripta sunt in libro hoc* (*Deut.* 27, 26); gratia vero quid dicit? *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* 11. 28); et Paulus, *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* (*Gal.* 3. 13). Quia igitur tanta fruimur gratia et veritate, obsecro ne propter doni magnitudinem segniores evadamus. Quanto majori enim dignati sumus honore, tanto majorem virtutem exhibere tenemur. Nam qui parvis acceptis beneficiis parva retulerit, non usque adeo culpandus est: qui vero ad supremum honoris culmen ascendit, posteaque vilia exiguaque rependit, longe majori erit supplicio dignus. Sed absit, ne de vobis talia umquam suspicemur. Confidimus enim in Domino, vos animas vestras versus cælum ceu alis quibusdam extulisse, et a terra abstraxisse, ac dum in mundo versamini, mundana non tractare. Attamen licet tali instructi fiducia, non cessamus vos frequenter de iisdem ipsis monere. Nam et in externis illis certaminibus non prostratos, non supinos jacentes, sed strenuos, currentes, hortantur spectatores omnes. Illos enim semel a victoria exclusos, qui nullo possint hortatu moti surgere, ne vane laborent, sinunt decussos jacere: hic autem non de vobis modo qui vigilatis, sed etiam de iis qui collapsi sunt, est aliquid sperandum, si resipiscere velint. Quamobrem nihil non agimus, rogantes, hortantes, exprobrantes, increpantes, laudantes, ut vestram salutem operemur. Ne itaque frequentiorem ad probam vitam hortationem ægre feratis. Non enim ita loquimur ut vos in desidiæ crimen vocemus, sed bona spe fulti monemus. Neque ad vos solum, sed ad nos etiam spectant et hæc et quæ postea dicentur: etenim nos quoque hac egemus doctrina. Etiamsi enim a nobis dicantur, nihil tamen vetat quominus hæc nos etiam attingant. Sermo namque peccatis obnoxium corrigit; probum vero ac scelere vacuum ab eo longius adducit. Neque enim nos a peccatis puri sumus. Communis est medicina, remedia omnibus prostant; sed curatio non communis est, licet usus singulorum arbitrio permittatur. Quapropter is qui ut par est remedio utitur, valetudinem recuperat; qui vulneri remedium non admovet, malum auget, et ad deteriorem finem vergit. Ne itaque medicinam ægre feramus; imo potius gaudeamus, si doctrinæ modus acerbum inferat dolorem: nam suavissimum postea nobis fructum afferet. Nihil ad hoc non agamus, ut a plagis et vulneribus, quæ peccati dentes animæ infligunt, liberi, ad æternam vitam proficiscamur; ut Christi conspectu digni, ne ultricibus immanibusque potestatibus illo die tradamur, sed illis quæ nos ad cælorum hereditatem inducant, quæ præparata iis est qui dili-

[1] Alias legitur, *clarius*, pro, *vehementius*.
[2] Sic Savil., et plurimi Mss.; Morel. vero habet, *et filiorum adoptio nobis per Spiritum data.*

gunt illum: quam utinam nos omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

18. *Deum nemo vidit umquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

1. Non ea est Dei voluntas, ut sacræ Scripturæ nomina tantum et verba audiamus, sed ut cum multa prudentia intelligamus. Ideo beatus David plerumque sic Psalmos suos inscripsit, *In intellectum*, et dicebat: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Psal.* 118. 18). Post ipsum filius ejus docet, sapientiam quasi argentum exquirendam esse; imo plusquam aurum comparandam (*Prov.* 16. 16). Dominus vero Judæos hortatur, ut scrutentur Scripturas, ad majoremque nos inducit perquisitionem. Neque enim sic loquutus fuisset, si statim a prima lectione hæc intelligi possent. Quod enim in medio positum statim percipitur, nemo scrutatus fuerit; sed id tantum quod obscurum est et multo eget examine. Ideo thesaurum absconditum Scripturas esse dicit, ut ad inquisitionem nos excitet. Hæc autem ideo diximus, ut ne obiter et perfunctorie Scripturæ verba aggrediamur, sed cum accuratione multa. Si quispiam enim sine examine ejus dicta audiat, et omnia secundum literam accipiat, absurda multa de Deo suspicabitur. Nam illum hominem esse, et æneum, iracundum, furibundum putabit, et his deteriora de illo dogmata excipiet. Si vero profundam ejus mentem edidicerit, absurdis hujusmodi opinionibus liber erit. Nam in hac proposita lectione Deus dicitur sinum habere, quod est corporibus proprium. At nemo ita stultus est, ut incorporeum corpus esse putet. Ut itaque omnia spirituali sensu percipiamus, age altius hunc locum exploremus. *Deum nemo vidit umquam.* Ex qua illud consequentia evangelista dicit? Postquam ostenderat tantam illam donorum Christi magnitudinem, et quam immenso hæc discrimine illa quæ a Moyse dispensata fuerant superarent, vult demum consentaneam differentiæ causam aperire. Ille enim servus cum esset, humiliorum rerum minister fuit; hic vero Dominus, rex, regis Filius, longe majora nobis attulit, qui cum patre semper est et videt eum perpetuo. Propterea hæc intulit, *Deum nemo vidit umquam.* Quid ergo dicemus vocalissimo Isaiæ dicenti: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (*Isai.* 6. 1)? quid Joanni testificanti ipsum hæc dixisse, quando vidit gloriam ejus? quid Ezechieli? nam et ipse super Cherubim sedentem illum vidit: quid Danieli, qui et ipse dicit, *Antiquus dierum sedit* (*Dan.* 7. 9)? quid et ipsi Moysi dicenti, *Ostende mihi gloriam tuam, ut manifeste videam te* (*Exod.* 33. 13)? Jacob vero hinc appellationem accepit, Israel vocatus: Israel enim, videns Deum, significat. Alii quoque ipsum viderunt.

Deus secundum nudam substantiam a nemine visus est. — Quid ergo Joannes ait, *Deum nemo vidit umquam?* Ut ostenderet illa omnia attemperationem quamdam esse, non nudæ substantiæ visionem. Nam si ipsam naturam vidissent, non diverso vidissent modo. Simplex enim illa est, sine figura, sine compositione, incircumscripta; non sedet, non stat, non ambulat. Hæc quippe omnia ad corpora pertinent. Quomodo autem sit, ipse solus novit. Et hoc per prophetam quemdam ipse Deus et Pater declaravit. *Ego*, inquit, *visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum* (*Osee* 12. 10); id est, Me attemperavi, neque id quod eram apparui. Quia enim Filius ejus in vera carne nobis adventurus erat, jam olim illos exercitabat, ut Dei substantiam viderent, quantum videre poterant. Nam id quod Deus est, non modo prophetæ, sed nec angeli nec archangeli vident: sed si interroges illos, nihil de substantia respondentes audies, sed tantum canentes, *Gloria in excelsis Deo et in terra pax, in hominibus bona voluntas* (*Luc.* 2. 14). Si a Cherubinis et Seraphinis aliquid ediscere velis, mysticum sanctificationis melos audies, et, *Pleni sunt cæli et terra gloria ejus* (*Isai.* 6. 3). Si supernas virtutes perconteris, nihil aliud comperies, nisi totum illis opus esse Deum laudare: *Laudate*, inquit, *eum, omnes virtutes ejus* (*Psal.* 148. 2). Solus ergo Filius ipsum videt, itemque Spiritus sanctus. Creata quippe natura quomodo increatum videre possit? Nam si incorpoream quamlibet virtutem, etsi ea creata sit, clare conspicere nequimus, et hoc sæpe in angelis ostensum est, multo minus incorpoream et non factam naturam videre poterimus. Ideo Paulus quoque ait: *Quem nemo hominum vidit, neque videre potest* (1. *Tim.* 6. 16). Soline igitur Patri hoc præcipuum competit, non autem Filio? Apage: etiam Filio inest. Quod et illi insit, audi Paulum declarantem: *Qui est imago Dei invisibilis* (*Coloss.* 1. 15). Qui autem invisibilis imago est, et ipse invisibilis est; alias non esset imago. Quod si alibi dicat: *Deus manifestatus est in carne* (1. *Tim.* 3. 16); ne mireris: nam manifestatio per carnem, non secundum essentiam facta est. Siquidem ipsum invisibilem esse, non modo hominibus, sed etiam supernis virtutibus, ostendit Paulus. Cum dixisset enim, *Manifestatus est in carne*, subdidit, *Visus est angelis.*

2. Itaque tunc angelis visus est, cum carnem induit: antea autem ipsum non ita videbant, siquidem substantia ipsis invisibilis erat. Et quomodo, inquies, dicit Christus, *Ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quod angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est* (*Matth.* 18. 10)? Quid enim? num faciem habet Deus, et in cælis circumscribitur? Verum nemo ita insaniat, ut hæc dicat. Quid ergo nunc dicitur? Quemadmodum cum ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* 5. 8); de illa quæ secundum mentem est visione loquitur, nobis possibili, et de cogitatione Deum respi-

ciente : sic et de angelis dicendum est, ipsos per puram et vigilem naturam suam nihil aliud, quam Deum, semper imaginari. Ideo ipse quoque ait, *Nemo novit patrem, nisi Filius* (*Matth.* 11. 27). Quid igitur? omnesne in ignorantia sumus? Absit : sed nemo sic novit, ut Filius. Ut igitur multi [1] pro captu suo ipsum viderunt, substantiam vero nemo vidit; sic et nunc omnes Deum novimus, substantiam vero ejus quæ sit nemo novit, nisi is qui ex ipso natus est. Cognitionem enim hic dicit certam visionem et comprehensionem, talemque qualem Pater de Filio habet. *Sicut enim cognoscit me Pater*, inquit, *et ego cognosco Patrem* (*Joan.* 10. 15).

Christus quod in sinu Patris sit, accurate Patrem novit. — Quapropter vide cum quanta securitate [2] loquatur evangelista. Cum dixisset enim, *Deum nemo vidit umquam*, non addidit, Filius qui vidit, narravit; sed aliquid aliud amplius, quam videre, posuit, cum dixit, *Qui et in sinu Patris :* multo enim amplius quam videre, est esse in sinu Patris. Nam qui solum videt, non accuratam omnino rei visæ cognitionem habet : qui autem in sinu versatur, nihil ignoraverit. Ne ergo audiens, *Nemo novit Patrem*, *nisi Filius*, dicas, Si amplius quam alii novit, at non novit quantus sit; ideo evangelista dicit ipsum in sinu Patris versari; ipseque Christus se tantum illum nosse dicit, quantum Pater Filium. Contradicentem ergo interroga : cognoscitne Pater Filium? Respondebit, Etiam, nisi insaniat. Deinde interrogare pergamus : Accuratane visione et cognitione ipsum novit et videt, ac quidnam sit plane cognoscit? Illud etiam fatebitur. Hinc collige accuratam Filii de Patre cognitionem. Ipse namque dixit, *Sicut novit me Pater*, *ita et ego cognosco Patrem ;* et alibi, *Deum nemo vidit, nisi qui est ex Deo* (*Joan.* 10. 15. *et* 6. 46). Ideo, ut dixi, evangelista sinum commemorat, omnia hoc uno verbo nobis declarans, quod multa sit substantiæ cognatio et unitas; quod omnino par sit utrinque cognitio, quod par potestas. Non enim aliquem alterius substantiæ Pater in sinu habuerit : neque ille auderet, si servus et ex aliorum numero esset, in sinu Patris versari : hoc enim veri filii tantum est, qui multa fiducia cum patre utatur, nihilque minus quam ille habeat. Vis æternitatem ejus discere? Audi quæ dicat Moyses de Patre. Cum enim interrogaret, quid, quærentibus Ægyptiis, quis ipsum misisset, responsurus ipse esset, jussus est dicere, *Qui est, misit me* (*Exod.* 3. 14). Illud autem, *Qui est*, ipsum semper esse significat, atque etiam sine principio, vere et proprie esse. Hoc significat etiam illud, *In principio erat*, ipsumque semper esse indicat. Hoc igitur dicto hic usus est Joannes, ostendens Filium sine principio et ab æterno in sinu Patris esse. Ne itaque ob nominis consortium putares illum ex eorum numero esse qui per gratiam filii sunt, adest articulus qui distinguat illum ab iis qui per gratiam sunt filii. Quod si hoc tibi non sit satis, et si adhuc versus terram pronus incedis, magis proprium audi nomen, *Unigenitus*. Sin adhuc humum respicis, non dubitabo humanum de Deo proferre verbum, nempe sinum; tantum ne quidpiam humile suspiceris. Vidistin' benignitatem et providentiam Domini? Indignas sibi voces adscribit [1] Deus, ut vel sic videas, ac magnum quid et sublime cogites; et tu humi repis? Dic enim mihi cur sinus hic memoratur, quod crassum et carnale nomen est? an ut Deum esse corpus suspicemur? Absit, inquies. Cur ergo? Nam si per hoc verbum nec verus Filius esse probatur, nec Deum incorporeum esse statuitur, frustra jactatur hoc dictum nullius usus. Cur ergo dictum est? neque enim ab hac quæstione desistam. Annon palam est ideo prolatum esse, ut non aliud ex illo percipiamus, quam quod ille sit vere Unigenitus, quod coæternus Patri? *Ille enarravit*, inquit. Quid enarravit? *Deum nemo vidit umquam*. Unus est Deus. Sed hoc et reliqui prophetæ, et Moyses frequentissime clamat : *Dominus Deus tuus*, *Dominus unus est* (*Deut.* 6. 4); et Isaias, *Ante me non est factus alius Deus, et post me non est* (*Isai.* 43. 10).

3. *Quæ, quomodo et quos docuerit Filius Dei. Caritas commendatur. Christiani unum corpus sunt, quod est maximum amicitiæ vinculum.* — Quid ergo aliud a Filio didicimus, utpote qui sit in sinu Patris? quid ab Unigenito? Primo quod hæc sint ex ejus operatione : deinde, nos longe clariorem accepisse doctrinam, et cognoscere quod Spiritus sit Deus, et quod qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare debeant : insuperque illud ipsum, impossibile esse Deum videre, et neminem ipsum cognoscere, nisi Filium (*Joan.* 4. 23) : et quod sit Pater veri Unigeniti ; et quæcumque alia de illo enarrata sunt. Illud autem, *Enarravit*, clariorem et apertiorem effert doctrinam, quam non Judæis modo, sed etiam toti orbi tradidit et complevit. Prophetis certe ne Judæi quidem omnes attendebant; Unigenito autem Dei totus orbis cessit et credidit. Enarratio itaque hic doctrinæ evidentiam significat : ideoque et Verbum dicitur, et magni consilii Angelus. Quoniam igitur et majore et perfectiore doctrina dignati sumus, Deo non ultra per prophetas, sed per proprium Filium nobis extremis hisce diebus loquente, vitæ institutum longe melius, et tanto honore dignum exhibeamus. Absurdum enim esset, si cum ipse tantum descenderit, ut non ultra per servos suos nos alloqui velit, sed per seipsum : nos nihil amplius quam illi priores exhiberemus. Illi Moysem, nos Moysis Dominum doctorem habemus. Tanti ergo honoris dignam philosophiam proferamus, nihilque habeamus cum terra commune. Ideo namque ille de cælis nobis doctrinam attulit, ut eo cogitationem nostram transferret, et pro virili nostra imitatores Doctoris nostri simus. Et quomodo possumus, inquies, imitatores Christi esse? Si omnia ad communem utilitatem faciamus nec quæ nostra sunt quæramus. *Nam et Christus*

[1] Morel. habet, *prophetæ*, pro, *multi*.
[2] Idem legit, *accuratione*, pro, *securitate*.

[1] Alii et Morel., *adscribere solet*.

non sibi ipsi placuit, sed sicut scriptum est. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me (*Rom.* 15. 3. *Psal.* 68. 10). *Nemo igitur quod suum est quærat* (1. *Cor.* 10. 24). Sic enim quis quod suum est quærit, si quod proximum spectat, respiciat. Nam quæ proximi sunt, nostra sunt. *Corpus unum sumus, alter alterius membra et partes* (*Rom.* 12. 5). Ne igitur ita affecti simus ac si segregati essemus : ne quis dixerit, Ille mihi amicus non est, non cognatus, non vicinus, neque quid commune cum illo habeo : quomodo accedam ? quid dicam ? Etiamsi enim non cognatus, etiamsi non amicus sit, at homo est ejusdem naturæ, eumdem habens Dominum, conservus, contubernalis : in eodem quippe mundo est. Quod si eamdem fidem habeat, ecce membrum est tuum. Quæ amicitia tantam conjunctionem efficere potest, quantam fidei cognatio ? Neque enim tanta solum propinquitas inter nos exhibenda, quanta est amici ad amicum ; sed quanta membri ad membrum Hoc quippe amicitiæ et necessitudinis [1] genere nullum majus reperias. Quemadmodum nec dicere possis, Unde mihi familiaritas et necessitudo cum illo ; id enim ridiculum est : sic nec de fratre hoc dicere possis. *Omnes enim*, inquit, *in unum corpus baptizati sumus* (1. *Cor.* 12. 13). Cur in unum corpus ? Ut non segregemur, sed ut ex mutua necessitudine et amicitia unius corporis conditionem servemus. Ne ergo proximum despiciamus, ut ne nos ipsos contemnamus [2]. *Nemo*, inquit, *carnem suam odio habet* (*Ephes.* 5. 29), sed nutrit et fovet. Ideo domum unam hunc mundum dedit nobis Deus, omnia ex æquo distribuit, unum accendit omnibus solem, unum tectum extendit, cælum, unam paravit mensam, terram. Dedit quoque alteram mensam, hac longe majorem, sed hanc unam, ut sciunt mysteriorum consortes ; unum spiritualem generationis modum omnibus largitus est : una est omnibus patria in cælis : ex eodem calice omnes bibimus. Nihil diviti plus aut pretiosius, nihil pauperi vilius vel minus datur : sed omnes ex æquo vocavit, et carnalia et spiritualia æqualiter tradidit. Unde ergo tanta in vita inæqualitas ? Ex divitum avaritia et arrogantia. Sed ne, quæso, fratres, ita in posterum agatur, communibus et magis necessariis nos una copulantibus, ne a terrenis et vilibus rebus distrahamur, a divitiis, inquam, et paupertate, a cognatione corporea, ab odio et amicitia. Hæc quippe omnia umbra sunt, et umbra abjectiora iis, qui superna caritate colligantur. Hoc vinculum infractum servemus : nihilque ex malignis spiritibus [1] surrepere poterit, quod hanc unitatem dividat : quam nos omnes asse qui contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, una cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii legunt, *sollicitudinis*, pro, *necessitudinis*.
[2] Morel. hunc locum sic effert : *Sic ergo proximi curam geramus, ut de nostro corpore solliciti.*

[1] Alii habent, *passionibus*, pro, *spiritibus*.

HOMILIA XVI.

19. *Hoc enim est testimonium Joannis, quando miserunt ad eum Judæi ex Jerosolymis sacerdotes et Levitas, ut interrogarent eum : Tu quis es?*

1. Grave quidpiam invidia est, dilecte, grave, inquam, et perniciosum invidis, non iis quibus invidetur. Ipsis enim prioribus nocet, ipsos priores corrumpit, tamquam virus mortiferum eorum animos occupans. Si autem in quopiam lædat eos quibus invidetur, leve et nullius momenti damnum est, quod damno majus lucrum referat. Neque in invidia solum, sed etiam in cæteris omnibus vitiis, non qui malo afficitur, sed qui afficit, is damnum accipit. Nisi enim res se ita haberet, non præcepisset discipulis Paulus injuriam accipere, potius quam inferre, cum dicit, *Cur non potius injuriam accipitis ? cur non magis fraudem patimini* (1. *Cor.* 6. 7) ? Accurate quippe noverat, non mala accipienti, sed mala inferenti perniciem ubique paratam esse. Hæc porro omnia propter Judæorum livorem dicta nobis sunt. Nam qui ex urbibus ad Joannem confluxerant, et peccata sua damnantes baptizati fuerant, iidem ipsi quasi pœnitentia ducti, mittunt qui interrogent eum, *Tu quis es ?* Vere genimina viperarum, serpentes, et si quid his gravius. Generatio mala, adultera et perversa, postquam baptizata es, de Baptista inquiris et curiose scrutaris? Ecquid hac stultitia stultius fuerit ? Quomodo exiistis ad eum? quomodo peccata confessi estis ? quomodo accurristis ad baptizantem, quomodo interrogastis quid agendum esset ? Hæc quippe omnia a vobis inconsiderate facta sunt, qui nec principium, nec qua de re ageretur, intelligeretis. Sed nihil horum dixit vel exprobravit beatus Joannes, verum omni cum mansuetudine respondit. Cur autem ita se gesserit, cognitu dignum est, ut eorum nequitia omnibus manifesta esset. Sæpe Joannes apud Judæos Christo testimonium perhibuit, et cum baptizaret eos, frequenter Christum commemorabat dicebatque : *Ego quidem vos baptizo in aqua : qui autem post me venit, fortior me est. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Matth.* 3. 11). Illi igitur circa Joannem aliquid humanum passi sunt. Mundi namque gloriam spectantes, et ea solum quæ ob oculos erant respicientes, Joanne indignum putabant, si Christo inferior esset. Multa namque Joannem commendabant ; primo splendor generis ; erat enim principis sacerdotum filius (*a*) ; deinde vitæ asperitas, humanarum omnium rerum contemptus : vestitum siquidem, mensam, do-

(*a*) Non defuere alii qui dicerent Zachariam Joannis Baptistæ patrem fuisse sacerdotum principem : quod tamen in Evangelio Lucæ non dicitur, imo contrarium suadetur.

mum, ipsum cibum parvipendens, in deserto antea versatus fuerat. Christus contra, vili genere natus erat, id quod ipsi sæpe his verbis objiciebant : *Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus et Joses* (*Matth.* 13. 55)? Ac quæ videbatur ejus esse patria ita vituperabilis erat, ut etiam Nathanael diceret : *Ex Nazaret potest aliquid boni esse?* Ad hæc, vitæ genus communis, vestimenta vulgaria. Neque enim zona pellicea cingebatur, neque ex pilis paratum vestimentum habuit, neque melle et locustis vescebatur ; sed vulgari victus genere usus, etiam improborum hominum ac publicanorum conviviis intererat, ut illos attraheret. Quod non intelligentes Judæi, ipsi exprobrabant, ut et ipse ait : *Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus* (*Matth.* 11. 19). Cum ergo frequenter Joannes ab se Judæos ad Christum mitteret, qui videbatur illis Joanne inferior esse ; cum pudefacti et ægre ferentes mallent Joannem habere doctorem, id tamen aperte dicere ausi non sunt ; sed mittunt ad illum, sperantes se per adulationem posse illum allicere, ut se confiteretur Christum. Non infimæ sortis homines mittunt, ut ad Christum, cum vellent eum capere in sermone ; servos enim miserunt, deinde Herodianos ejusdemque farinæ homines : hic autem sacerdotes et Levitas ; nec quoslibet sacerdotes, sed ab Jerosolymis, id est, honorabiliores (neque enim sine causa hæc significavit evangelista) : et mittunt, ut interrogarent, *Tu quis es?* Natales quippe ejus ita conspicui erant, ut omnes dicerent : *Quis putas puer iste erit* (*Luc.* 1. 66)? et per omnia montana hæc divulgabantur. Rursumque cum venit ad Jordanem, omnes civitates advolarunt, et ex Jerusalem omnique Judæa Joannem adibant ut baptizarentur. Hi itaque nunc interrogant, non quod ignorent (quomodo enim ignorarent eum qui tot modis manifestus erat?), sed ut eum ad id, quod supra dixi, inducerent.

2. Audi ergo quomodo beatus hic ad interrogantium mentem, non ad ipsam interrogationem respondeat. Dicentibus enim, *Tu quis es?* non respondit statim id quod recte respondendum erat, *Ego vox clamantis in deserto* (*Joan.* 1. 23), sed quid? Id quod illi suspicabantur amovit. Nam interrogatus, *Tu quis es?* inquit, 20. *Confessus est, et non negavit ; et confessus est, quia non sum ego Christus.* Et vide evangelistæ sapientiam. Ter idipsum dicit, ut et Baptistæ virtutem, et nequitiam insaniamque illorum demonstret. Lucas vero dicit, quod cum turbæ suspicarentur illum esse Christum, ipse hanc amoverit suspicionem [1]. Hoc frugi servi officium est, non modo Domini sui gloriam non abripere, sed etiam oblatam a multitudine depellere. Verum turbæ ex simplicitate et ignorantia in hanc venere suspicionem : hi autem malo, ut dixi, animo interrogabant eum, sperantes se adulatione id quod optabant consequuturos esse. Nisi enim hoc sperassent, non statim ad aliam venissent interrogationem, sed indignati quod ad propositum non respondisset, dixissent : Num hoc suspicati sumus? num hoc percontatum venimus? Sed quasi capti ac deprehensi ad aliam veniunt interrogationem : 21. *Quid ergo? Elias es tu? Et respondit, Non sum.* Nam et hunc venturum esse sperabant, ut et Christus ait. Nam interrogantibus discipulis : *Quomodo ergo scribæ dicunt, quod oporteat Eliam primum venire?* ipse respondit : *Elias quidem veniet, et restituet omnia* (*Matth.* 17. 10). Deinde interrogant : *Propheta es tu? Et respondit, Non.* Et tamen propheta erat. Cur ergo id negat? Rursus interrogantium mentem respicit. Sperabant enim prophetam quemdam eximium venturum esse, quod Moyses dixisset : *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris, sicut me : ipsum audite* (*Deut.* 18. 15). Hic autem erat Christus. Ideo non dicunt, Propheta es tu? (*a*) [ex numero prophetarum ; sed cum articulo : Propheta ille es tu], qui a Moyse prænuntiatus est? Idcirco negavit ille, non se prophetam esse, sed illum prophetam. 22. *Dixerunt ergo ei : Quis es? ut responsum demus iis qui miserunt nos. Quid dicis de teipso?* Viden' illos quidem instantes et interrogantes, neque desistentes ; illum vero moderate prius remotis falsis suspicionibus, veram sententiam statuentem. Nam ait : 23. *Ego vox clamantis in deserto ; parate viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.* Quia enim magnum et excelsum quidpiam de Christo loquutus est, illorum se opinioni attemperans, ad prophetam statim confugit, hinc verbis suis fidem concilians. 24. *Et qui missi fuerant*, inquit, *erant ex Pharisæis :* 25. *et interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* Viden' me non temere dixisse, ipsos eo inducere illum voluisse? Et initio quidem id non dicebant, ne ab omnibus deprehenderentur. Deinde quia dixit, *Non sum Christus*, rursum illi ut ea quæ intus machinabantur obtegerent, ad Eliam veniunt, et ad prophetam. Ut vero dixit, se neutrum eorum esse, dubii demum et posita larva, aperte dolosam suam mentem detegunt dicentes : *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus?* Deinde rursum obscure loquentes, alios addunt, Eliam nempe et prophetam. Quia enim adulatione ipsum supplantare non potuerant, sperarunt se accusatione posse illum cogere ad id de se confitendum, quod verum non esset : at non potuerunt. O amentiam! o arrogantiam et intempestivam curiositatem! Missi estis ut disceretis ab eo, quis et unde esset ipse ; numquid leges ipsi præscribetis? Hoc enim cogentium erat, ut se Christum esse confiteretur. Attamen neque nunc indignatur, neque ut par esse videbatur aliquid profert simile : An vos mihi præcipitis, legemque statuitis? verum multam rursum modestiam exhibet. Nam ait : 26. *Ego quidem baptizo in aqua*.

[1] Sic Savil. et Mss. ; in Morel. autem sic legitur : *Idem videre est apud Lucam, qui inducit Joannem dicentem iis qui inter se agitabant si forte esset Christus, « Venit qui fortior me est, » et per ea quæ respondet, hanc suspicionem amoventem.*

(*a*) Quæ uncinis clauduntur, lapsu typographico desiderantur in Morel.

medius autem vestrum stat, quem vos nescitis. 27. *Hic est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti.*

3. *Judæos testimonium Joannis B. postulantes, suam ipsi accusationem postularunt.* — Quid his opponere possunt Judæi? Contra hanc accusationem ne mutire quidem possunt, damnatio nulla venia averti potest, ipsi contra seipsos sententiam tulerunt. Quomodo et qua ratione? Fide dignum putabant esse Joannem, et ita veracem, ut non modo cum de aliis, sed etiam cum de seipso testificaretur, credendus esset. Neque enim, nisi ea fuissent opinione, misissent qui interrogarent illum de seipso. Scitis enim nos illis tantum de seipsis loquentibus credere, quos omnium veracissimos esse putamus. Neque illud tantum ipsorum obstruit ora, sed animus quoque quo illum adorti sunt. Cum vehementi namque studio ipsum adierunt, licet postea mutati sint. Quæ ambo significans Christus dicebat: *Ille erat lucerna ardens, et vos voluistis ad horam exsultare in ejus luce* (*Joan.* 5. 35). Et responsio ejus fidem ipsi conciliabat majorem. *Qui enim non quærit gloriam suam*, inquit, *verax est, et injustitia in illo non est* (*Ibid.* 7. 18). Hic vero non quæsivit, sed ad alium ipsos misit. Et qui missi fuerant ex fide dignioribus apud ipsos et ex primariis viris erant, ut nulla ipsis superesset excusatio aut venia quod Christo non crediderint. Cur enim non obtemperastis iis quæ Joannes de illo dicebat? Vos misistis primores vestros, vos ipsorum opera interrogastis! vos audistis quid Baptista responderit. Omne studium, omnem diligentiam illi adhibuerunt, omnia scrutati sunt, omnesque protulerunt quos suspicabamini: et tamen ille cum libertate magna confessus est, se nec Christum, nec Eliam, nec prophetam illum esse. Neque hoc contentus, quis ipse esset docuit, et de baptismatis sui natura disseruit, quod nempe exiguum et vile esset, et præter aquam nihil amplius haberet, ostendens præcellentiam baptismatis a Christo dati. Protulit quoque Isaiam prophetam diu antea testificantem, illum Dominum, hunc servum et ministrum vocantem. Quid demum supererat? annon ut crederent ei de quo testimonium ferebatur, ut adorarent eum, et confiterentur Deum? Quod autem testimonium non ex adulatione, sed ex veritate procederet, id et mores et philosophia testificantis ostendebant. Inde vero palam id erat, quod nemo proximum sibi præferat, neque si possit honorem sibi conciliare, alteri illum cedat, cum maxime tantus esset honor. Itaque Joannes, nisi Christus fuisset Deus, numquam hoc testimonium protulisset. Nam si hunc honorem, utpote naturam suam longe exsuperantem, ab se repulit: certe non alii naturæ inferiori illum tribuisset. *Medius autem vestrum stat, quem vos nescitis.* Hoc dixit, quia ille, ut par erat, quasi unus e turba populo admiscebatur, utpote qui ubique et fastus et pompæ contemptum edoceret. Cognitionem autem hic dicit perfectam notitiam, nempe quis esset, unde venisset. Illud vero, *Post me venturus est*, sæpe posuit, ac si diceret: Ne putetis totum in baptismate meo perfici. Si hoc perfectum esset, non alius post me veniret, alterum allaturus; sed hoc ad illud est præparatio quædam. Nostra sunt umbra et imago; alium venire oportet, qui veritatem afferat. Itaque illud, *Post me veniet*, ejus dignitatem maxime ostendit. Nam si hoc perfectum esset, non secundum quæreretur, *Ante me factus est;* hoc est, me honorabilior et clarior est. Deinde ne putarent præcellentiam ex comparatione indicari, ut nullam esse comparationem declaret, adjicit: *Cujus non sum dignus solvere corrigiam;* hoc est, Non solum ante me factus est, sed ita res est, ut ne quidem inter ultimos ejus famulos computari merear; calceamentum quippe solvere, extremum ministerium est. Quod si Joannes non est dignus qui corrigiam solvat, Joannes quo nullus major inter natos mulierum (*Luc.* 7. 28. *Matth.* 11. 11): quo nos ipsi loco ponemus? Si is qui orbi æqualis, imo illo major erat [1] (*Quorum*, inquit, *dignus non erat mundus* [*Hebr.* 11. 38]), se indignum esse ait qui inter ultimos ejus ministros computetur: quid nos dicemus, qui malis innumeris onusti sumus, qui tantum distamus a Joannis virtute, quantum terra distat a cælo?

4. Hic ergo se indignum esse ait qui solvat corrigiam calceamenti. Inimici autem veritatis in tantam prorumpunt insaniam, ut dicant se nosse illum, ut ipse se novit. Qua amentia quid deterius? qua arrogantia quid furiosius? Bene dixit sapiens quidam: *Principium superbiæ non nosse Dominum* (*Eccli.* 10. 14). Non dejectus nec diabolus effectus fuisset diabolus ille, qui ante diabolus non erat, nisi hoc morbo captus fuisset. Hoc illum a pristina fiducia dejecit, hoc in gehennam demisit, hoc ipsi caput omnium malorum fuit. Hoc quippe vitium omnem animi virtutem labefactat, eleemosynam nempe, orationem, jejunium, quidvis aliud. *Excelsum in hominibus*, inquit, *impurum est apud Dominum.*

Superbia omni vitio pejor. Homo arrogans acriter redarguitur. —Non fornicatio igitur, non adulterium tantum hominem polluit, sed etiam et multo magis superbia. Quare? Quoniam fornicatio licet venia indigna sit, potest tamen quis concupiscentiam prætendere: arrogantia vero nullam habet causam, non obtentum, quo vel veniæ umbram mereatur: sed nihil aliud est quam mentis eversio, morbus gravissimus ex una insipientia ortus. Nihil enim insipientius arrogante homine, etsi opulentissimus sit, etsi externa illa sapientia admodum instructus, quantumvis potens, etiamsi ea omnia quæ hominibus expetenda videntur obtineat. Nam si is qui de veris bonis superbit, infelix ac miser, omnium illorum mercedem amittat; qui de iis quæ nihil sunt extollitur, qui ex umbra et fœni flore, id enim est inanis gloria, sese inflat, quomodo non omnium maxime ridiculus sit, cum idipsum agat quod pauper et mendicus, qui

[1] Quæ intra parentheses includuntur, aliter habentur in Morel., nempe: *Paulus enim, de justis loquens, dicit,* « *Quorum dignus non erat mundus.* »

semper famelicus, si semel lætum somnium noctu viderit, ideo glorietur? Infelix et miser, dum anima tua gravissimo morbo corrumpitur, extrema paupertate laborans, altum sapis, quod tot talenta auri habeas, quod servorum turbam! Verum hæc non tua sunt. Si mihi non credis, aliorum divitum experientia id edisce. Sin ita ebrius es, ut hujusmodi exemplis non instituaris, paululum exspecta, et experimento tuo edisces, nihil hinc tibi utilitatis accedere, quando animam efflans, nec horæ nec momenti unius dominus, hæc invitus præsentibus relinques, iisque sæpe quibus nolles. Multis enim nec de iis disponere permissum fuit, sed repente migrarunt, dum iis frui optarent, nec concessum illis est, sed abstracti, ac per vim abducti, aliis, quibus minime volebant, ea reliquerunt. Quod ne nobis accidat, hinc jam, dum per valetudinem licet, mittamus in civitatem nostram. Illo enim tantum modo his frui poterimus, alias minime: sic in tutissimum locum recondemus. Nihil enim, nihil utique potest ea istinc auferre, non mors, non testamenta, non hereditatum successio, non sycophantiæ vel insidiæ; sed qui hinc abscedit multa secum ferens, iis perpetuo fruetur. Quis ergo sic miser est, qui nolit cum pecuniis suis æternum deliciari? Transferamus ergo divitias nostras, illic deponamus. Non nobis opus erit asinis, camelis, curribus, non navibus ad hæc transvehenda: hac difficultate nos eripuit Deus; sed opus tantum habemus pauperibus, claudis, cæcis, infirmis. His talis comportatio demandata est: hi pecunias transmittunt in cælum; hi talium possessores opum in æternorum hereditatem bonorum perducunt; quam nos omnes assequi contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, una cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVII.

28. *Hæc facta sunt in Bethania*[1] *trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* 29. *Altera autem die videt Jesum venientem ad se, et ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

1. Magnum bonum fiducia et loquendi libertas, omniaque Christi confessioni postponere; ita magnum et mirabile, ut Filius Dei unigenitus talem hominem coram Patre prædicet: etsi non æqualis sit merces. Tu enim confiteris in terra; ille vero confitetur in cælis: tu hominibus præsentibus; ille coram Patre et angelis omnibus. Talis erat Joannes: non multitudinem, non gloriam, non aliud quidvis respiciebat; sed hæc omnia calcabat, et cum ea qua par erat libertate quæ Christi erant omnibus prædicabat. Ideo locum indicat evangelista, ut vocalissimi præconis fiduciam ostenderet. Non domi, non in angulo, non in deserto [2], sed ad Jordanem in medio multitudinis, præsentibusque omnibus qui ab ipso baptizabantur (aderant enim Judæi), mirabilem illam de Christo prædicavit confessionem sublimibus, magnis arcanisque plenam dogmatibus, quod non esset ipse dignus qui corrigiam calceamenti ejus solveret. Quomodo autem id agit? His nempe verbis: *Hæc in Bethania facta sunt.* Accuratiora autem exemplaria habent, *In Bethabara.* Nam Bethania non est trans Jordanem, neque in deserto, sed prope Jerosolymam. Loca autem alia etiam de causa significat. Cum enim res non antiquas, sed quæ paulo ante contigerant, narraturus esset, illos qui aderant et viderant dictorum testes advocat, exque locis testimonium accipit. Cum enim fideret se nihil veritati addere, sed ea quæ gesta fuerant vere et simpliciter enarrare, a loco testimonium accipit, quæ non levis, ut dixi, futura erat veritatis demonstratio. *Altera autem die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Distribuerunt tempora evangelistæ: Matthæus tempora quæ Joannis Baptistæ vincula præcesserunt breviter transcurrens, ad sequentia properat; Joannes autem evangelista non modo hæc non breviter prætercurrit, sed in his maxime immoratur. Ille, postquam venit Jesus e deserto, intermediis omissis; verbi gratia, quæ Joannes loquutus est, quæ mittentes Judæi dixerunt; cæterisque missis omnibus, statim transiit ad carcerem: *Cum audisset*, inquit, *Jesus*, quod traditus esset Joannes, *secessit inde* (*Matth.* 14. 13). Joannes vero non sic, sed profectionem in desertum tacuit, utpote a Matthæo narratam; ea vero quæ post descensum ex monte gesta sunt narravit, et multa prætercurrens adjicit: *Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem* (*Joan.* 3. 24). Et cur, inquies, nunc Jesus venit ad Joannem non semel, sed bis? Nam Matthæus quidem necessario illum ad baptisma venisse dicit; id quod ostendens Jesus adjicit: *Sic decet nos implere omnem justitiam* (*Matth.* 3. 15). Joannes vero iterum venisse illum dicit post baptisma; id quod palam facit his verbis: *Ego vidi Spiritum descendentem quasi columbam, et manentem super eum* (*Joan.* 1. 32). Cur ergo venit ad Joannem? Non modo enim venit, sed et illum adiit. *Cum veniret*, inquit, *ad eum, vidit eum.* Cur ergo venit? Quia ille ipsum cum multis baptizavit, ita ut nemo suspicaretur ipsum eadem de causa, qua alii, ad Joannem accessisse, ut scilicet peccata confiteretur, et in pœnitentiam ablueretur in flumine. Ideo accedit, dans Joanni locum, ut talem amoveret suspicionem. Nam cum dicit, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, totam illam depellit suspicionem. Qui enim ita purus est, ut aliorum peccata possit abluere, is, ut palam est, non ut peccata sua confiteatur accedit, sed ut admirando illi præconi occasionem præbeat, ut secunda repetitaque voce

[1] Aliqui legunt, *in Bethabara*: sic in accuratioribus exemplaribus legitur, inquit infra Chrysostomus, qui addit Bethaniam non trans Jordanem esse, sed prope Jerosolymam. Quidam putant aliam hic Bethaniam memorari, quæ sit trans Jordanem.

[2] Illud, *non in deserto*, deest in plurimis.

quæ prius dicta fuerant in audientium animis altius imprimerentur, aliaque rursum adjicerentur. Illud autem, *Ecce*, dictum est, quia multi sæpe ex jam dictis et a multo tempore quærebant eum. Ideoque præsentem illum ostendit ac dicit, *Ecce;* ostendens illum ipsum esse qui jam olim quærebatur. Hic est agnus. Agnum autem vocat, in mentem Judæorum revocans prophetiam Isaiæ, necnon umbram illam Moysis tempore, ut per figuram illos magis ad veritatem adduceret. Ille quidem agnus nullius peccatum accepit; hic autem totius orbis terrarum peccata. Periclitantem quippe mundum cito ab ira Dei eripuit. 30. *Hic est de quo dixi, Qui post me venit, ante me factus est.*

2. Viden' etiam hic quo pacto id quod supra dictum fuerat interpretatur? Nam cum dixisset agnum, et ipsum tollere peccatum mundi, tunc ait, *Ante me factus est;* ostendens illud, *Ante*, sic explicandum esse, quod tollat peccata mundi, quod baptizet in Spiritu sancto. Adventus quippe meus nihil plus habuit quam quod communem orbis benefactorem prædicaverim, et quod baptismum aquæ ministraverim; hujus autem adventus opus illud est, purgare homines omnes, Paracleti operationem largiri. Hic *Ante me factus est;* id est, me clarior apparuit, *Quia prior me erat.* Erubescant ii qui Pauli Samosateni insanum errorem suscepere (*a*), qui tam apertam oppugnant veritatem. 31. *Et ego nesciebam eum.* Vide quo pacto omnem hoc testimonio auferat suspicionem, ostendens illud non ex humana gratia et amicitia, sed ex divina revelatione proficisci. *Ego nesciebam eum*, inquit. Quomodo ergo fide dignus testis fueris? quomodo alios docebis, si ipse ignores? Non dixit, Non novi illum, sed, *Nesciebam eum;* ita ut hinc maxime fide dignus appareat. Quo pacto enim in ejus gratiam, quem ignorabat, loquutus fuerit? *Sed ut manifestetur in Israel, ideo veni baptizans in aqua.* Non ergo ille baptismate opus habebat; neque alia de causa lavacrum illud paratum fuerat, quam ut omnibus ad Christi fidem viam sterneret. Non enim dixit, Ut baptizatos puros reddam, neque, Baptizatum veni, ut a peccatis liberem; sed, *Ut manifestetur in Israel.* Quid enim, quæso? an sine baptismate non licebat prædicare et populum attrahere? Verum non id ita facile fieri poterat [1]. Neque enim ita concurrissent omnes, si prædicatio sine baptismate fuisset; nec comparatione facta ejus præeminentiam edidicissent. Siquidem multitudo exibat, non ut quæ dicebat audiret: sed cur? Ut confitentes peccata baptizarentur. Advenientes autem quæ ad Christum spectabant docebantur, necnon baptismi differentiam. Hic enim erat Judaico præstantior; ideoque omnes accurrebant: attamen hic baptismus imperfectus erat. Quomodo igitur cognovisti eum? Per descensum Spiritus, inquit. Ne quis autem hinc existimet, illum Spiritu eguisse, ut nos egemus, audi quomodo hanc quoque suspicionem amoveat, ostendens Spiritus descensum ad prædicandum Christum solummodo fuisse. Cum dixisset enim, *Et ego non cognoscebam eum*, subjunxit: *Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, ille est qui baptizat in Spiritu sancto.* Viden' ad hoc venisse Spiritum sanctum, ut Christum ostenderet? Erat quippe etiam Joannis testimonium suspicione vacuum. Ut autem illud fide dignius exhiberet, ad Deum reduxit et ad Spiritum sanctum. Quia enim Joannes rem tantam, tam admirandam prædicavit, quæ posset auditores omnes in stuporem conjicere; nempe quod ipse solus orbis peccata omnia tolleret, et quod doni magnitudo ad tantam redemptionem sufficeret: hanc demum sententiam firmat. Confirmatur autem ex eo quod sit Filius Dei, quod non egeat baptismate, et quod ideo tantum Spiritus descendit, ut illum manifestaret. Non enim penes Joannem erat Spiritum dare, quod declarant ii qui ab ipso baptismum acceperant, dicentes: *Sed neque si Spiritus sanctus est audivimus* (*Act.* 19. 2).

Christus baptismate Joannis non egebat, sed Christo Baptisma. Quare Joannes B. frequenter dicat, nesciebam eum. — Non ergo baptismate Christus egebat, non illo, non alio; sed potius baptisma potentia Christi. Nam residuum caput erat omnium bonorum, ut scilicet baptizatus Spiritu sancto dignaretur. Hoc Spiritus donum addidit ille cum advenit. 32. *Et testimonium perhibuit Joannes dicens: Vidi Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum.* 33. *Et Ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* 34. *Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Frequenter hoc utitur dicto, *Nesciebam eum;* nec sine causa, sed quia cognatus ejus erat [1] secundum carnem. *Ecce Elisabet*, inquit, *cognata tua, et ipsa concepit filium* (*Luc.* 1. 36). Ne videretur ergo cognationis gratia loqui, frequenter dicit, *Nesciebam eum.* Ac vere ita res se habuit: nam toto vitæ tempore in deserto versabatur extra paternam domum. Cur ergo, si ante Spiritus descensum non noverat eum, et si illum tunc primum novit, ante baptismum prohibebat eum dicens, *Ego a te debeo baptizari* (*Matth.* 3. 14)? Hoc enim signum erat Christum sibi probe notum fuisse. Verum non diu ante; et jure quidem. Nam miracula illa, quæ dum puer esset Jesus facta sunt, nempe circa magos et similia, multo ante tempore contigerant, ipso quoque Joanne adhuc infante: per multum autem illud quod adhinc intercessit tempus, omnibus erat ignotus. Nam si notus fuisset, non dicturus erat, *Ut manifestetur in Israel, ideo veni baptizare.*

3. Hinc palam est signa illa quæ a Christo in pueritia facta feruntur, falsa et a quibusdam con-

[1] In quibusdam legitur, *an sine baptismate... et populum tam facile attrahere? nequaquam.*

(*a*) Dicebat Paulus Samosatenus Filium nullam hypostasin habuisse antequam ex Maria nasceretur.

[1] Savil., et Codd. 705, 706, sic habent...... « *Nesciebam eum.* » *Qua de causa, et ad quid? Cognatus ejus erat.*

ficta esse (a). Nam si a puero miracula edidisset, Joannes non illum ignoravisset, nec reliqua multitudo opus habuisset doctore qui illum indicaret. Nunc autem ipse ait, se ideo venisse, *Ut manifestaretur in Israel;* atque ideo rursum dicebat, *Ego a te debeo baptizari.* Deinde, utpote qui clarius edidicisset, turbis ipsum prædicavit dicens : *Hic erat quem dixi : Post me venit vir qui ante me factus est;* quoniam *Qui misit me baptizare in aqua,* ideoque me misit, *Ut manifestaretur in Israel,* ipse illi ante descensum Spiritus ipsum revelavit. Quamobrem antequam adveniret dicebat : *Post me venit, qui ante me factus est.* Non ergo noverat illum antequam veniret ad Jordanem, omnesque baptizaret : sed quando baptizandus erat, tunc illum cognovit : ipso Patre illum prophetæ revelante, et Spiritu ipsum dum baptizaretur ostendente Judæis, quorum causa Spiritus descendit. Etenim ne Joannis testimonium contemneretur dicentis, *Prior me erat,* et, In Spiritu baptizat, et, Judicabit orbem (*Joan.* 1. 30. 33. *et* 3. 17); Pater Filium prædicans, vocem emittit : Spiritus advenit, vocem in Christi caput pertrahens. Quia enim ille baptizabat, hic baptizabatur, ne quis ex præsentibus illud de Joanne dictum esse putaret, venit Spiritus qui hanc suspicionem amoveret. Itaque cum dicit, *Nesciebam eum,* de præterito id intelligendum est tempore, non autem de eo quod baptismo proximum erat. Nam quo pacto prohibuisset eum dicens, *Ego a te debeo baptizari?* quomodo tanta loquutus fuisset? Cur ergo, inquies, non crediderunt Judæi? neque enim solus Joannes Christum viderat in columbæ specie. Quia etiamsi illi viderant, at res hujusmodi non corporeis tantum oculis opus habent, sed potius mentis, ne inanis phantasia esse putaretur. Nam si miracula edentem videntes, si manibus tangentem corpora ægrorum et mortuorum, et sic ad vitam et sanitatem reducentem, tanta livoris ebrietate capti erant, ut contraria iis quæ videbantur proferrent : quomodo ex solo Spiritus adventu incredulitatem abjecissent? Quidam vero dicunt, non omnes vidisse, sed Joannem tantum et eos qui melius affecti erant. Licet enim sensu præditis oculis Spiritus specie columbæ descendens videri posset; non necesse tamen erat rem esse omnibus manifestam. Nam et Zacharias multa sensibili specie vidit, necnon Daniel et Ezechiel, ac sine ullo visionis consorte : Moyses quoque multa vidit, et qualia nullus alius viderat. Transfigurationis quoque in monte visione non omnes discipuli dignati sunt; imo ne resurrectionem quidem omnes viderunt : id quod aperte declarat Lucas dicens, Ostendit seipsum *Testibus a Deo præordinatis. Et ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei* (*Act.* 10. 41). Ubi testimonium perhibuit, esse Filium Dei? Agnum quidem ipsum appellavit, et quod Spiritu baptizaturus esset dixit; Filium autem Dei nusquam. Atqui post baptisma nihil ipsum dixisse scribunt cæteri evangelistæ : verum missis iis quæ interea facta fuerant, miracula post captum Joannem a Christo edita narrant. Unde conjectare possumus et hæc et alia longe plura silentio missa fuisse; quod hic ipse evangelista in fine libri significavit. Tantum enim abfuit ut magnum aliquid de illo confingerent, ut etiam quæ probrosa esse videbantur, omnes uno consensu accurate recenserent, nec quempiam illorum quid simile tacuisse reperias. Miracula vero alia aliis narrantibus omiserunt, alia simul omnes tacuerunt. Hæc autem non sine causa loquor, sed ad contundendam gentilium impudentiam. Hoc quippe satis est ad demonstrandum illorum veri studium, et probandum ipsos nihil ad gratiam dixisse. Hoc argumento et aliis muniti, poteritis cum illis congredi. Verum attendite : nam absurdum esset medicum tam strenue pro arte sua pugnare, coriarium item, textorem, cæterosque omnes artifices; Christianum vero, seque talem profitentem, ne verbum quidem posse ad suam tuendam fidem proferre. Atqui illa neglecta, pecuniæ solummodo damnum referunt; hæc vero si negligantur, ipsam nobis [1] animam perimunt. Attamen ita misere affecti sumus, ut illis totam curam impendamus; necessaria vero, quæ nobis salutis causa sunt, ut nullius pretii contemnamus.

(a) Quidam comminiscebantur Christum puerum miracula patravisse.

4. Id vero non sinit gentiles errorem suum ita facile irridere. Cum enim ipsi mendacio nixi nihil non agant, ut dogmatum suorum turpitudinem obtegant, nos autem veritatis cultores ne os quidem aperire valeamus, quomodo non inde dogmatis imbecillitatem arguant et damnent? quomodo non fallaciam stultitiamque nostra esse suspicentur? quomodo non blasphemabunt Christum ut planum et deceptorem, qui multorum stultitia ad fraudem usus sit? Hujusmodi vero blasphemiæ nos in causa sumus, qui noluerimus ediscendis pro tuenda religione argumentis advigilare; sed his contemptis velut superfluis, terrena solum curemus. Et quidem saltatoris, aut aurigæ, aut cum feris pugnantis amore captus quispiam, nihil non movet, nihil non agit, ut in certaminibus non inferiores evadant; illos admodum laudant, et adversus vituperantes defensionem parant, adversariosque mille conviciis onerant : cum vero de Christianismo propugnando agitur, omnes caput inclinant, torpescunt, oscitant, ac cum risu excepti recedunt. Quanta hæc indignatione non digna fuerint, cum Christus a vobis saltatore inferior habetur? quandoquidem de illorum gestis mille paratis defensiones, licet ipsi omnium turpissimi sint; ubi autem de Christi miraculis, quæ totum attraxerunt orbem, agitur, ne cogitare quidem aut curare quidpiam videmini. Credimus in Patrem, et Filium et Spiritum sanctum, in resurrectionem corporum, in vitam æternam. Si quis ergo Græcus interrogaverit, Quis est hic Pater? quis Filius? quis Spiritus sanctus? et quomodo vos, qui tres dicitis deos, nos accusatis quod deorum multiplicitatem admittamus? quid dicetis? quid respondebitis? quomodo hanc objectionem depelletis? Quid vero si, vobis tacentibus, aliam moveant quæstionem : Quænam est illa resurrectio? num in hoc corpore resurgemus?

[1] Alii, *vobis.*

num in alio? si in hoc, quæ necessitas ut dissolvatur? quid ad hæc respondebitis? quid vero si hoc objiciat : Cur non superiori tempore advenit Christus? an nunc humano generi providere visum illi est, et in præterito omni tempore id neglexit? quid si alia plura examinet? Neque enim expedit ut multas alias quæstiones adjicientes, solutionem illarum taceamus, ne hæc simplicioribus noceant. Nam quæ diximus, sunt ad excutiendum somnum vestrum satis. Quid ergo si hæc percontentur, vos autem ne audire quidem hæc verba possitis? an, quæso, exiguum nos manet supplicium, qui sedentibus in tenebris tanta erroris causa simus? Vellem, si per otium vestrum liceret, exsecrandi cujusdam Græci philosophi librum contra nos scriptum huc afferre, necnon alterius longe antiquioris, ut sic vos excitarem, et tantam vestram segnitiem excuterem. Nam si illi, ut nos impugnarent, ita advigilarunt, qua erimus digni venia, si illata contra nos tela propulsare nesciamus? Qua de causa producti sumus? Non audis apostolum dicentem : *Parati estote ad defensionem omni vobis rationem exposcenti ejus quæ in vobis est spei* (1. *Pet.* 3. 15). Paulus quoque eadem utitur admonitone : *Verbum Christi inhabitet in vobis abundanter* (*Col.* 3. 16). Sed quid ad hæc dicunt homines fucis insipientiores[1]? Benedicta omnis anima simplex; et, *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter* (*Prov.* 10. 9). Hoc quippe est omnium causa malorum, quod Scripturarum testimoniis opportune uti multi nesciant. Neque enim hic insipientem intelligit, neque ignarum qui nihil sciat, sed eum qui nec improbus, nec versutus sit, sed prudens. Nam si res ita esset[1], frustra diceretur : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* 10. 16). Sed quid hæc ultra persequamur, ad nihil profutura? Præter ea enim quæ jam dicta sunt, alia quoque ad mores et vitæ institutum spectantia male geruntur a nobis. Verum undique miseri, undique ridiculi sumus; ac semper parati ad alios coarguendos, segnes sumus ad ea corrigenda quæ in nobis redarguuntur. Quamobrem, obsecro, nobis tandem attendentes, ne in reprehensione gradum sistamus. Neque enim hoc est ad Deum placandum satis; sed etiam optimam in omnibus mutationem exhibere studeamus, ut ad gloriam Dei vitam agentes, et ipsi futura gloria fruamur; quam nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Sic omnes pene Mss. Savil., autem et Morel., Codices 705 et 706 secuti, legunt *Segniores*, pro, *insipientiores*.

[1] Morel., habet, *nisi res ita se haberet*. Savil. autem et Mss. habent ut in textu, et ita legit Franc. Aretinus.

HOMILIA XVIII.

35. *Altera die iterum stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo.* 36. *Et respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei.* 37. *Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et sequuti sunt Jesum.*

1. *Propter segnitiem naturæ humanæ eadem monita sæpius repetenda sunt. Cur Joannes Bapt. eadem ipsa multoties loquatur.* — Segnis plane est humana natura, et ad perniciem prona, non ex ipsa natura conditione, sed ex voluntatis ignavia : quapropter multa opus habet monitione. Ideo Paulus Philippensibus scribens dicebat : *Eadem scribere, mihi quidem non grave, vobis autem tutum* (*Philipp.* 3. 1). Nam terra quidem semel suscepto semine, statim fructus profert, neque altera eget satione : in anima autem nostra non ita res se habet; sed optabile est ut postquam frequenter jactum est semen, et post magnam exhibitam diligentiam, semel saltem possit fructum excipere. Primo quidem quæ dicuntur non facile imprimuntur in animum, quod multa substrata sit durities, innumeris spinis obstruatur anima, multosque insidiatores habeat qui semen abripiant. Deinde postquam infixum semen radices egerit, eadem est opus diligentia, ut ad vigorem perveniant semina, illæsaque maneant, neque lædantur ab aliquo. In seminibus enim cum spica perfecta virtutem suam accepit, æstum cæterasque pestes contemnit : in dogmatibus vero non sic; sed postquam totum opus impensum est, superveniens hiems ac tempestas, difficultate præoccupante, et fraudulentis hominibus insidiantibus, ingruentibus variis tentationibus, totum labefactatur. Hæc porro non sine causa a nobis dicta sunt; sed ut dum audis Joannem eadem ipsa repetentem, ne quasi nugacem damnes, neque inanem onerosumve existimes. Voluisset quippe semel loquutus audiri : quia vero non multi erant qui dictis statim attenderent ob somnolentiam, repetita voce illos expergefacit. Jam hic attende : dixit, *Qui post me venit, ante me factus est*; et, *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus*; et, *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (*Matth.* 3. 11), quodque viderit Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum; et testificatus est quod ipse esset Filius Dei : nemo attendit, nemo interrogavit vel dixit, Cur hæc loqueris, qua de causa et ratione? Dixit rursum, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Neque sic illorum ignaviam tetigit. Ideo eadem ipsa repetere cogitur, ac si terram quamdam asperam et duram renovatione emolliret, et verbo quasi aratro subactam mentem excitaret, ut profunde semina jaceret. Ideo non longo utitur sermone, quia unum tantum curabat, ut illos cum Christo conjungeret. Sciebat enim illos, si hoc semel suscepissent et obtemperassent, non ultra testimonio opus habituros : ut etiam evenit. Nam si Samaritani, postquam illum audierant, mulieri dicunt : *Non jam propter tuam loquelam credimus : ipsi enim novimus, quia hic est Salvator mundi Christus* (*Joan.* 4. 42); multo citius discipuli capti fuissent, ut revera capti sunt. Cum

enim accessissent, et una tantum vespera audivissent, non ultra ad Joannem reversi sunt, sed ita illi hæserunt, ut Joannis etiam ministerium acciperent, ipsumque prædicarent. *Invenit*, inquit, *hic fratrem suum Simonem, et dicit ei:*(a) [*Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus* (*Joan.* 1. 41).] Hoc vero mihi consideres velim, quomodo, cum diceret, *Qui post me venit, ante me factus est;* et, *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus*, neminem ceperit; cum autem de œconomia loquutus est, et in humiliorem sermonem descendit, tunc sequuti sunt discipuli [1]. Neque illud tantum considerandum est; sed etiam quod non tam multi alliciantur, quando quid magnum et sublime de Deo dicitur, quam ubi clementiæ et benignitatis verba, quæ ad auditorum salutem spectent, proferuntur. Audierunt enim quod tolleret peccatum mundi, et statim accurrerunt. Nam si scelera abluenda sunt, inquiunt, Cur cunctamur? adest qui sine labore nos liberet; quomodo non extremæ dementiæ fuerit, donum in aliud tempus rejicere? Audiant catechumeni, qui usque ad extremum halitum salutem suam remittunt (*b*). Rursum stetit Joannes, inquit, et dixit: *Ecce agnus Dei.* Nihil Christus loquitur; sed omnia ille. Sic sponsus solet; nihil ipse sponsæ dicit, sed adest silens: alii illum indicant, sponsamque ipsi tradunt: illa comparet, neque sponsus illam per se accipit, sed alio tradente. Postquam vero illam traditam acceperit, ita erga illam afficitur, ut non ultra pronuborum recordetur. Id circa Christum evenit. Venit in sponsam ducturus Ecclesiam; nihil ipse dixit, sed adfuit tantum: Joannes autem amicus ejus sponsæ dexteram ipsi tradidit, verbis illi hominum animas concilians: quos acceptos ille ita affecit, ut non ultra ad eum qui tradiderat reverterentur.

2. *Verbum erga humanam naturam sicut sponsus erga sponsam se gessit. Joannes solus præsentem Christum prædicavit. Virtus sacrificii Christi semper operatur. Joannis B. sobrietas. Maximum de Christo testimonium opera ejus.* — Neque hoc tantum, sed etiam aliud hic est observandum. Quemadmodum in nuptiis non sponsum adit puella, sed ille ad ipsam festinat, etiamsi filius regis sit, etiamsi illa sit vilioris conditionis, imo si ancillam ducturus sit: ita et hic contigit. Hominum natura non ascendit in cælum, sed ipse ad vilem illam et contemptu dignam descendit: postque celebratas nuptias, non sivit illam hic ultra remanere, sed abductam in paternam domum duxit. Cur Joannes non seorsim discipulos accipit, ut de hisce rebus ipsos alloquatur, et sic illos Christo tradat, verum palam præsentibus omnibus dicit, *Ecce agnus Dei?* Ne videretur illud de industria factum esse. Nam si illo seorsim hortante ad Christum abiissent, ut gratiam Joanni habentes, cito fortasse resiliissent: nunc autem ex communi doctrina ad Christum sequendum inducti, firmi perstiterunt discipuli, utpote qui non in gratiam magistri sequuti essent, sed propriæ utilitatis causa. Prophetæ utique et apostoli omnes absentem illum prædicarunt; illi ante adventum, hi post assumptionem ejus: hic vero solus præsentem prædicat; ideoque illum amicum sponsi dicit, quia nuptiis ipse solus adfuit. Etenim ipse omnia fecit et perfecit: ipse rei principium dedit. *Et respiciens Jesum ambulantem dixit, Ecce agnus Dei;* ostendens se non voce tantum, sed et oculis testificari. Mirabatur quippe Christum gaudens et exsultans. Neque statim hortatur, sed interim præsentem miratur tantum et obstupescit; donumque quod allatum venerat ostendit, itemque purgationis modum. Agnus quippe hæc ambo declarat. Neque dixit, Qui sublaturus est, vel, Qui sustulit, sed, *Qui tollit peccata mundi;* utpote qui id semper faciat. Neque enim tunc solum sustulit cum passus est, sed ex illo ad hoc usque tempus tollit peccata, non semper crucifixus (unum enim pro peccatis obtulit sacrificium), sed semper hoc uno sacrificio purificat. Quemadmodum igitur Verbum excellentiam ostendit, et Filius præstantiam qua aliis antecellit: sic agnus, et Christus, et propheta, lux vera, pastor bonus, et quæcumque de illo dicuntur cum articuli additamento, multam præ se ferunt distinctionem. Nam multi erant agni, prophetæ, christi, filii; sed ab illis omnibus longe distat ipse. Neque articulo tantum id confirmavit, sed etiam additamento Unigeniti. Nihil enim ipsi commune cum creatura est. Quod si cui extra tempus dictum videatur, hora nempe decima (nam hoc tempore, *Hora erat quasi decima*, inquit), hic certe mihi longe aberrare videtur. Nam apud multos quidem eorum qui carni serviunt, post sumptum prandium non videtur opportunum esse tempus ad res serias tractandas, quod ciborum mole cor obruatur: ubi autem vir erat qui ne communi quidem cibo uteretur, quique etiam vespere ita sobrius et levis erat, ut nos sumus matutinis horis, imo longe magis (apud nos enim sæpe vespertini cibi reliquiæ in imagine versantur; ille vero nulla re hujusmodi naviculam gravabat): jure vesperi de rebus hisce loquebatur. Ad hæc vero in deserto sedes habebat et prope Jordanem, quo omnes cum tremore magno ad baptismum properabant, parum sæcularia tunc curantes: quandoquidem cum Christo per triduum jejuni perseverarunt. Hoc enim præconis strenui, et accurati agricolæ opus est, non ante discedere, quam videat insitum verbum radices ponere. Cur autem non totam peragravit Judæam, ut illum prædicaret, sed secus flumen stetit, exspectans eum, ut advenientem ostenderet? Quia illud per opera fieri volebat: id vero interim curabat, ut illum notum faceret, ac quibusdam suaderet, ut æternam vitam audirent. Majus autem ipsi relinquit testimonium, per opera confirmandum; quemadmodum ipse dicit: *Ego non ab homine accipio testimonium: opera enim quæ dedit mihi Pater, hæc sunt quæ testificantur de me* (*Joan.* 5. 34 *et* 35). Vide quam efficacius illud esset. Quia

[1] Sic Savil., et Mss. In Morel. autem legitur, *tunc discipuli capti sunt et sermonibus ejus victi.*

(*a*) Uncinis clausa desunt in Morel.

(*b*) Erant quidam catechumeni, qui usque ad extremum halitum baptisma differrent.

enim parvam injecerat scintillam, repente flamma in altum erupit. Nam qui prius Joannis verbis non attenderant, demum dicunt : *Omnia quæ Joannes dixit, vera sunt* (*Joan*. 10. 42).

3. Alioquin autem si circumeundo ista dixisset, hæc humano studio peracta visa fuissent, ac prædicatio deinceps in suspicionem venisset. *Et audierunt eum duo discipuli ejus, et sequuti sunt eum*. Atqui alii quoque erant Joannis discipuli, verum illi non modo non sequuti sunt, sed etiam ipsi invidebant : dicebant enim, *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum* (*Joan* 3. 26). Ac rursum iidem ipsi incusantes dicunt : *Quare nos jejunamus, et discipuli tui non jejunant* (*Matth*. 9. 14)? Verum qui aliis erant meliores, non ita affecti erant, sed statim atque audierunt, sequuti sunt. Sequuti sunt autem, non quod pristinum doctorem spernerent, sed quod ipsi maxime obtemperarent; et argumentum erat maximum illos ex rectæ mentis ratiocinio id egisse. Non enim hortatu ad id adducti sunt, quod suspiciosum fuisset; sed quia tantum prædixerat ipsum esse baptizaturum in Spiritu sancto, sequuti sunt eum. Non ergo magistrum reliquerunt, sed ediscere voluerunt quid amplius ille ferret, quam Joannes. Et animadverte verecundam diligentiam. Non enim statim accedentes Jesum interrogarunt de necessariis magnisque rebus : neque palam omnibus præsentibus, et perfunctorie : sed seorsim ipsum alloqui studuerunt. Sciebant enim doctoris sui verba non ex modestia, sed ex veritate proficisci. 40. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant a Joanne, et sequuti sunt eum*. Cur ergo alterius nomen non profert? Quidam dicunt eum qui hoc scripsit, ipsum esse qui sequutus est; alii contra, quia ille non ex conspicuis erat, nihil præter necessaria sibi dicendum esse putasse. Quid enim utilitatis ex indicato nomine, quando neque septuaginta duo discipulorum nomina proferuntur? Id quod etiam apud Paulum observes dicentem : *Misimus cum illo fratrem in multis sæpe studiosum, cujus laus est in evangelio* (2 *Cor*. 8. 18). Andreæ autem meminit ob aliam causam. Quænam illa? Ut cum audieris, Simonem ubi cum illo audisset, *Venite post me, et faciam vos piscatores hominum* (*Matth*. 4. 19), non dubitasse de tam inexspectata promissione, discas fratrem ejus jam ante fidei fundamenta jecisse. 38. *Conversus autem Jesus, et videns eos sequentes, dicit eis : Quid quæritis?* Hinc docemur Deum donis non prævenire voluntates nostras; sed ubi nos incepimus, cum voluntatem præmisimus, tunc plurimas ille nobis dat salutis occasiones (*a*). *Quid quæritis?* Quid hoc est? qui novit corda hominum, cui cogitationes nostræ patent, hic interrogat? Sed non ut discat, (quomodo enim id dici possit?) sed ut per interrogationem illos sibi magis conciliet, majoremque indat fiduciam, illosque colloquio dignos ostendat. Verisimile enim est illos, utpote ignotos erubuisse et formidasse, qui talia de magistro audissent. Hæc itaque omnia abigens, verecundiam nempe et metum, interrogat illos; nec sinit cum silentio domum pervenire. Etiamsi vero non interrogasset, perstitissent ipsum sequendo, et in domum usque cum illo pervenissent. Cur ergo interrogat? Ut id quod dixi efficeret, ut erubescentes illos hæsitantesque firmaret, ac fiduciam inderet. Neque tantum sequendo, sed etiam per interrogationem illam desiderium suum exhibuerunt. Cum enim nihil ab illo edidicissent vel audissent, magistrum tamen vocant, sese discipulis annumerantes, et cur sequantur ostendentes, ut nempe utilia audirent. Animadverte, quæso, illorum prudentiam. Non dixerunt, Doctrina aut re quapiam necessaria nos imbue : sed quid dicunt? *Ubi manes?* Nam quiete, ut jam dixi, ipsum alloqui, audire et discere cupiebant. Ideo nec differunt, nec dicunt, Die crastino veniemus, et te publice loquentem audiemus : sed magnum audiendi studium præ se ferunt, quod ne quidem instante hora recedant [1]; nam sol ad occasum vergebat : *Erat* quippe *hora circiter decima*, inquit. Ideo Christus domum non docet, non locum, sed ut sequantur magis allicit, ostendens se illos in suos accepisse. Ideoque non quid simile dicit : Intempestivum esset vos nunc domum ingredi, audietis cras quod voletis, nunc domum abite; sed quasi amicos ex diuturna consuetudine ipsos alloquitur. Cur ergo alibi dicit : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet* (*Luc* 9. 58); hic vero, 39. *Venite, et videte ubi maneam?* Quoniam illud, *Non habet ubi caput reclinet*, significat illum proprium sibi diversorium non habuisse, non quod in domo quapiam non maneret : id enim parabola significat. Evangelista porro dicit, ipsos die illa cum eo mansisse : cur autem ita factum sit, non addidit, quod manifesta res esset. Neque enim alia de causa sequuti sunt eum, vel Christus accivit eos, quam ut doctrinam acciperent : quam tam copiose et cum tanto studio una nocte perceperunt, ut mox uterque ad alios advocandos properaret [2].

4. *Doctrinæ Christi omnia postponenda. Cibi animæ qui sint. Contra theatra.* — Hinc nos quoque discamus omnia divinæ doctrinæ postponere, nullumque tempus non opportunum æstimare; sed etsi in alienam domum ingredi oporteat, etiamsi ignotum homines proceres ignotos adire, etiamsi intempestive et quovis tempore, numquam hoc commercium esse negligendum. Cibus ergo, balnea, cœnæ, aliaque ad vitam pertinentia, suum tempus habeant : doctrina vero supernæ philosophiæ nullam habeat definitam horam, sed omne tempus ipsi proprium esto. *Oppor-*

(*a*) Hæc cum quadam exceptione intelligenda sunt.

[1] Hic multa addit Fr. Aretinus, quæ in nullo exemplari Græco habentur : vertit enim : *Ne horam quidem dimittentes*. [*Et animadverte animi ardorem. O memorabilem illorum sapientiam, o diligentiam, o in magistrum fidem!*] *Etenim jam sol*, etc. Quæ vero clauduntur uncinis nusquam exstant in Græcis editis et manuscriptis.

[2] Juxta Morel. legendum esset, *ad aliorum januam properaret*.

tune, inquit, *importune argue*, *obsecra*, *increpa* (2. *Tim*. 4. 2). Propheta quoque ait : *In lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psal*. 1. 2) : Moyses quoque Judæis hoc semper facere præcipiebat. Nam ea quæ ad vitam spectant, balnea dico et cœnæ, etsi necessaria sint, si frequentius adhibeantur, corpus extenuant : animæ autem doctrina quanto magis inculcatur, tanto fortiorem reddit animam. Nunc autem nugis inutiliter omne tempus consumimus, auroram, matutinum, meridiem, vesperam in constituto loco vane impendimus; divina autem dogmata si semel aut bis per hebdomadam audiamus, torpescimus, nauseamus. Quare? Quia animo prave affecti sumus. Appetitum studiumque ejus circa istæc omne dissolvimus; ideoque spiritualem escam non appetimus. Magnum hoc præter alia est ægritudinis indicium, cum non esurimus, nec sitimus, sed utrumque nobis fastidiosum est. Si autem hoc, cum in corpore accidit, gravis morbi indicium et causa est; multo magis in anima. Quomodo igitur illam lapsam et dissolutam erigere poterimus? quibus operibus? quibus verbis? Si divinos sermones, propheticos, apostolicos, evangelicos aliosque omnes tractemus. Tunc enim sciemus longe melius esse his uti cibis, quam impuris aliis; sic enim licet intempestivas nugas et confabulationes vocare. Quid enim, quæso, melius, de forensibus, de judicialibus, de militaribus rebus, an de cælestibus loqui, deque iis quæ post hanc vitam eveniunt? quid utilius, de vicino et ejus negotiis loqui, ac de alienis curiose perquirere, an de angelis, et de rebus quæ ad nostram vertuntur utilitatem, verba facere? Quæ enim vicini tui sunt, non tua; quæ ad cælos pertinent, tua sunt. Sed licet, inquies, ei qui semel hæc dixit, omnia implere. Quid vero de iis, quæ frustra et temere disputatis, non idipsum cogitatis, sed totam in illis vitam impendentes, nullum disputationis finem invenitis? Necdum dico his longe graviora. Nam qui modestiores sunt, his de rebus mutuo fabulantur, segniores autem ignavioresque, mimos, saltatores, aurigas in sermone semper versant, auditum deturpantes, animam labefactantes; naturamque hujusmodi narrationibus præcipitem agunt, et in omne flagitii genus animum inducunt. Nam simulatque saltatoris nomen prolatum fuit, statim in anima depingitur ejus facies, coma, mollis vestis, illeque totus his longe mollior. Alius rursum flammam excitat et fovet, dum meretricem in confabulationem inducit, ejusque verba, habitum, oculos lascivos, mollem aspectum, concinnos capillorum, fucatas pictasque genas. Annon quid humanum passi estis dum hæc narrarem? Sed ne pudeat vobis, ne erubescatis : naturæ namque necessitas id exigit, et sic anima afficitur pro ratione eorum quæ narrantur. Quod si me loquente, si in ecclesia stantes, si ab illis semoti rebus, aliquid humanum audientes patimini, cogita quo affectu sint ii qui in theatro sedent, licentia fruentes multa, extra hunc honestum venerandumque consessum, cum impudentia magna illa videntes et audientes. Et cur, dicet fortasse quispiam ex iis qui non adhibent animum, si naturæ necessitas sic animam afficit, illa relicta, nos accusas? Quia hæc audiendo emolliri, illud opus est naturæ : talia autem audire, non naturæ est, sed arbitrii peccatum. Quandoquidem cum qui se igni admoveat, uri necesse est; id nempe vult naturæ infirmitas : verum non natura nos igni et ustioni admovet : id enim ex perversa solum voluntate pendet. Hoc igitur admoveri volo et corrigi, ut ne sponte vos præcipites detis, neque ad profundum nequitiæ vos impellatis, vel sponte curratis ad rogum; ne flammæ diabolo paratæ nos obnoxios reddamus. Utinam vero nos omnes ab hac et illa flamma erepti, in sinum Abrahæ recipiamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, simulque sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

41. *Invenit hic primus fratrem suum Simonem, et dicit ei : Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus : 42. et adduxit illum ad Jesum.*

1. *Unionis bona.* — Deus initio cum fecit hominem, non reliquit illum solum, sed dedit ei adjutricem mulierem, ut habitaret cum eo : cum ex hoc contubernio multum lucri accessurum nosset. Quid enim si non, uti par erat, hoc beneficio usa sit mulier? Attamen si rei naturam quis exploraverit, magnam comperiet ex hoc contubernio utilitatem in eos qui mente valent derivatam. Neque id de viro tantum et uxore dicitur; sed etiam si fratres una vixerint, pari beneficio fruentur. Quamobrem propheta dicebat : *Quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum* (*Psal*. 132. 1)? Paulusque (*Hebr*. 10. 25) monet ne nostrum cœtum deseramus. Hoc quippe est in quo a feris differimus. Ideo urbes construimus, fora, domos, ut una collecti simus, non habitaculo tantum, sed et caritatis vinculo. Cum enim natura nostra a Conditore ita facta sit, ut aliis egeat, nec sibi ipsi satis sit : rem sic apte dispensavit Deus, ut indigentia hujusmodi a mutuo consortio et a conventibus juvetur. Ideoque nuptiæ constitutæ sunt [1], ut quod alteri deest, ab altero suppleatur, sicque natura, quæ egena erat, sibi tandem sufficit; ita ut licet mortalis facta sit, successione ceu diuturnam immortalitatem servet. Poteram hæc fusius prosequi, ostendereque quantum ex intima et sincera conjunctione lucri accedat. Sed aliud instat tractandum, cujus gratia hæc a nobis dicta sunt. Andreas cum apud Jesum mansisset, multaque didicisset, non thesaurum in se abscondit, sed festinat et currit ad fratrem, ejus ipsum consortem redditurus. Cur vero non narravit Joannes quid dixerit eis Christus? et undenam cognoscimus ipsos

[1] Hæc, *ideoque nuptiæ constitutæ sunt*, desunt in Savil. textu et quibusdam manuscriptis; sed habentur in aliis, nec videntur supervacanea.

ideo apud illum mansisse [1]? Id nuper a nobis ostensum est : licetque etiam ex iis quæ hodie lecta sunt id ediscere. Animadverte enim quid hic fratri suo dixerit : *Invenimus Messiam, quod interpretatum est Christus.* Viden' quo pacto quæ brevi tempore didicerat, hinc ostendat? Nam et Magistri virtutem declarat, qui hoc ipsis suaserit, et ipsorum studium diligentiamque, qui hæc jam a principio curarent. Hoc quippe verbum est animæ adventum ejus summe desiderantis et de cælo venturum exspectantis, gaudioque exsultantis, postquam apparuit, atque festinantis tantam rem cæteris nuntiare. Hoc fraternæ erat benevolentiæ, amicæ cognationis, sinceri affectus, in spiritualibus manum mutuo porrigere. Audi autem illum cum articuli additione loquentem. Non enim simpliciter dixit, Messiam, sed, Messiam illum. Sic quemdam Christum exspectabant, qui nihil commune cum aliis haberet. Animadverte autem, vel a principio, morigerum facilemque Petri animum. Statim nihilque moratus accurrit. *Adduxit eum*, inquit, *ad Jesum.* Sed nemo facilitatem ejus damnet, quod sine multo examine verbum acceperit. Verisimile enim est fratrem hæc ipsi accurate et pluribus narrasse; verum evangelistæ ubique multa compendio narrant, brevitati studentes. Alioquin autem, non dicit eum statim credidisse; sed, *Adduxit eum ad Jesum*, ipsi traditurus eum, ut omnia ab illo edisceret : nam alius quoque discipulus aderat, et ad hæc concurrebat. Quod si Joannes Baptista cum dixit, Agnus est, et in Spiritu baptizat, clariorem hac de re doctrinam a Christo excipiendam reliquit : multo magis Andreas id effecit, qui non ad totum explicandum sufficere censebatur, sed ad ipsum lucis fontem deduxit fratrem, ita festinum et gaudentem, ut ne tantillum quidem cunctaretur. 42. *Intuitus autem eum Jesus dixit : Tu es Simon filius Jonæ, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Hic jam incipit divinitatem suam sensim revelare ex prædictionibus. Sic etiam cum Nathanaele fecit, et cum Samaritana muliere.

2. Prophetiæ quippe non minus quam signa movent, nec fastum præ se ferunt. Nam miracula ab insipientibus saltem traducuntur (*In Beelzebub*, dicebant, *ejicit dæmonia* [*Matth.* 12. 24]) : de prophetia nihil umquam tale dictum est. In Simone igitur et in Nathanaele hoc doctrinæ usus est modo : in Andrea autem et Philippo non idipsum fecit. Quare? Quia illi testimonium Joannis habuerant non modicam præparationem : Philippus vero cum adstantes videret, fide dignum accepit ad fidem amplectandam indicium. *Tu es Simon filius Jonæ, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* A præsenti futurum credibile reddit. Nam qui patrem ejus memoravit, sine dubio futurum prævidebat : prædictio autem cum laude conjuncta est. Hoc porro non adulantis erat, sed futurum prædicentis; idque inde palam est. Animadverte autem quam vehementer Samaritanam, præterita revelans, reprehendat. *Quinque viros habuisti*, inquit, *et is quem nunc habes, non vir tuus est* (*Joan.* 4. 18). Sic et Pater ejus multa de prophetia verba facit contra Idolorum cultum. *Annuntient quæ vobis ventura sunt;* et rursum, *Annuntiavi et salvos feci, et non erat in vobis alienus* (*Isai.* 47. 13. *et* 43. 12); et in tota prophetia hoc ipsum tractat. Hoc enim maxime opus Dei est, quod non possint dæmones imitari, etiamsi admodum contendant. Nam in miraculis potest quædam species decipere : futura vero accurate prædicere, unius immortalis naturæ est. Quod si id dæmones aliquando fecerint, insipientes fallendo fecerunt : unde et vaticinia eorum semper falsa deprehenduntur. Petrus vero nihil ad hæc respondet : nondum enim quidpiam clare noverat, sed interim ediscebat : neque prædictionem illam clare videbat. Neque enim dixit, Ego te cognominabo Petrum, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : sed, *Tu vocaberis Cephas.* Illud enim auctoritatis et potestatis majoris erat. Christus vero non statim et ab initio totam potestatem exhibet suam, sed interim humilius loquitur. Postquam autem divinitatem suam demonstravit, cum majore agit auctoritate dicens : *Beatus es Simon, quia Pater meus revelavit tibi;* et rursum : *Et ego dico tibi, Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* [2] (*Matth.* 16. 17. 18). Hunc ergo sic vocavit, Jacobum autem et fratrem, filios tonitrui. Quare? ut ostendat se eumdem ipsum esse qui et Vetus Testamentum dedit, et nomina mutavit, qui Abram Abraham vocavit, Saram Sarram, Jacob Israelem. Multis etiam ab ortu nomina imposuit, ut Isaaco, Samsoni, et aliis ab Isaia et Osee memoratis; quibusdam etiam eam quam a parentibus acceperant appellationem mutavit, ut supra dictis et Jesu filio Nave. Nam id in more erat apud veteres, ut ex rebus nomina imponerent, quod et Elias fecit. Id vero non sine causa, sed ut ipsum nomen beneficii divini monimentum esset, et memoria perpetua per expressam nominibus prophetiam auditorum animis insideret : sic Joannem a principio vocavit. Nam qui a puero virtute clari futuri erant, inde nomina sumebant : iis vero qui postea clari futuri erant, postea nomen imponebatur.

3. *Christiani nomen quam venerandum. Agendi ratio tanto nomine digna commendatur. Pecunias auget qui pauperibus distribuit.* — Sed tunc diversa singuli nomina accipiebant; nunc autem unum omnes habemus, illis omnibus majus, quando Christiani appellamur et filii Dei, et amici et corpus unum. Illa quippe appellatio plus quam aliæ omnes nos excitat, diligentioresque ad virtutem exercendam efficit. Ne ergo indigna faciamus tanti nominis honore, cogitantes dignitatis excellentiam, qua Christi nomine vocamur. Sic enim nos Paulus appellavit. Cogitemus revereamurque nominis magnitudinem. Si enim, qui ducis cujuspiam insignis, vel conspicui viri esse dicitur, altum sapit cum se illius vel illius esse dicitur, nomenque illud magno sibi ducit esse honori, totisque

[1] In Morel. legitur..... *quid dixerit eis Christus, ut eum repente sequerentur illique hærerent?*

[2] Alii habent.... « *Tu es Simon, tu vocaberis Cephas, quod est interpretatum Petrus* ».

viribus nititur, ne per ignaviam suam tanto nomini notam infamiæ inurat; nos qui non a duce vel principe terreno, non ab angelo, vel archangelo, vel Seraphino, sed ab eorum Rege nomen sortiti sumus, annon animam quoque nostram potius exponemus, ut ne is qui nos hoc honore affecit, contumelia afficiatur? Annon imperatorios ordines nostis, scutatorum, hastatorum, qui Imperatorem stipant, quanto nempe fruantur honore? Ita et nos, qui longe propinquiores Regi nostro sumus, et tanto propinquiores, quanto propinquius est corpus capiti, nihil non acturi sumus, ut Christum imitemur. Quid ergo ait Christus? *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Luc.* 9. 58). Hoc si a vobis exigamus, forte grave et onerosum multis videbitur: quapropter tam accuratam imitationem non exposcam, ut infirmitati vestræ parcam. Rogo autem ne pecuniis nimis hæreatis; sed ut ego ob infirmitatem vestram tantam a vobis virtutem non exigo: sic et vos multo magis a nequitia recedatis. Non accuso eos qui domos habent, agros, pecunias, servos; sed volo ut licite et cum decore illa possideatis [1]. Quid est, cum decore? Ut domini, non servi illorum sitis, ut ea possideatis, non illa vos possideant; iis utamini, non abutamini. Opes ideo sic vocantur, ut iis in opera necessaria utamur, non ut illas custodiamus. Hoc quippe servi est, illud heri. Custodire, servi est; impendere, heri et potestatem habentis. Non ideo accepisti, ut in terram defodias, sed ut distribuas. Si vellet Deus ut illæ servarentur, non hominibus dedisset, sed in terra occulta dimisisset. Quia autem vult illas impendi, ideo permisit ut illas haberemus, ut illas mutuo communicaremus. Sin apud nos retineamus, non ultra domini illarum sumus. Si autem illas augere velis, ideoque servas: illa profecto optima erit agendi ratio, si dispergas et undique distribuas. Nullus enim proventus sine sumptu, nullæ divitiæ sine expensa: id quod in rebus sæcularibus videre est. Sic mercator, sic agricola facit; hic semina, ille pecunias spargit: ille navigat et pecunias impendit, hic per totum laborat annum, serit, excolit. Hic autem nullo eorum est opus; non apparanda navis est, non jungendi boves sunt, non aranda terra, non aeris intemperies observanda, non grando timenda. Non hic fluctus sunt, non scopuli. Hæc navigatio, hæc sementis, hoc uno opus habet, ut facultates dispergantur; cætera vero omnia agricola ille curabit, de quo ait Christus: *Pater meus agricola est.* Quomodo absurdum non fuerit, ubi sine labore omnia sumere possumus, supinos et oscitantes manere; ubi vero multi sudores, labores, sollicitudines, et postea spes incerta, ibi omnem diligentiam adhibere? Ne quæso, ne cum de salute nostra agitur, tantopere desipiamus; sed onerosiora illa mittentes, ad faciliora et utiliora curramus, ut et futura consequamur bona, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patri gloria, una cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii legunt, *illis utamini*, pro, *illa possideatis*.

HOMILIA XX

43. ***In crastinum voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum, et dicit ei: Sequere me. 44. Erat autem Philippus a Bethsaida civitate Andreæ et Petri.***

1. Sollicite quærenti aliquid superest (*a*), ut in proverbio fertur (*Prov.* 14. 23). Christus vero aliquid magis subindicavit dicens, *Qui quærit invenit* (*Matth.* 7. 8). Unde mirari subit cur Philippus Christum sequutus sit. Andreas quippe venit, cum audisset a Joanne, Petrus vero, cum audisset ab Andrea: hic autem cum nihil ab alio didicisset, tantum dicente Christo, *Sequere me*, obtemperavit statim, nec recessit, sed et prædicator aliis fuit. Accurrens enim ad Nathanaelem, ait: *Quem scripsit Moyses in lege et prophetæ, invenimus* (*Joan.* 1. 45). Viden' quam vigilaret, et quam frequenter Moysis scripta meditaretur, atque exspectaret Christi adventum? Nam illud, *Invenimus*, ejus est qui semper quærit. *In crastinum exivit Jesus in Galilæam.* Antequam enim ipsi ullus hæreret, neminem vocat. Id vero non sine causa fecit, sed summa sapientia atque prudentia. Nam si nemine sponte accedente ipsos ille attraxisset, fortasse postea resiliissent: ubi autem illud ultro delegerunt, firmi postea mansere. Philippum autem vocat sibi magis notum, utpote qui in Galilæa natus et educatus esset. Assumptis ergo discipulis, ad reliquorum venatum proficiscitur, ac Philippum et Nathanaelem attrahit. De hoc autem non tam mirabile fuit, quia Jesu fama per totam Syriam pervolaverat; sed mirum erat quod Petrus et Jacobus et Philippus sequuti sint, non modo quod ante signa crediderint, sed etiam quod ex Galilæa essent, unde nec propheta prodibat, neque aliquid boni exibat: rustica quippe gens erat, agrestis, aspera. Verum inde Christus potentiam ostendit suam, dum ex terra nullum ferente fructum, selectam discipulorum partem eduxit. Verisimile igitur est Philippum, quod Petrum vidisset et Joannem audisset, sequutum esse; credibile quoque est Christi vocem aliquid in illo operatam esse: noverat enim Christus quinam idonei futuri essent. Evangelista autem hæc omnia carptim enarrat. Quod Christus venturus esset, hoc ille sciebat: quod vero hic esset Christus ignorabat, id quod ipsum vel a Petro vel a Joanne audivisse puto. Joan

(*a*) Proverbium illud sic Græce legitur, παντὶ τῷ μεριμνῶντι ἔνεστί τι περιττόν. Hæc, si ad verbum explices, significant, Omni curanti, vel, accurate quærenti aliquid superfluum est. Sed hoc sensu non ita consonat cum sequentibus. Nam inquit Chrysostomus: Christus aliquid amplius subindicat cum dicit, *Qui quærit invenit*. Quapropter melius intelligitur proverbium, hoc pacto, Omni sollicite quærenti aliquid superest quærendum, vel aliquid deest. Cæterum in Hebraico בכל־עצב יהיה מותר *in omni labore erit emolumentum*; vel ut in Vulgata legitur, *in omni opere erit abundantia.*

nes porro vicum illius nominat; ut agnoscas Deum infirma mundi elegisse. 45. *Invenit Philippus Nathanael, et dicit illi: Quem scripsit Moyses in lege et prophetæ, invenimus, Jesum filium Joseph a Nazaret.* Hæc dicit ut fidem prædicationi conciliaret, ex Moyse nempe et prophetis, utque auditorem inde venerabundum redderet. Quia enim Nathanael peritus erat, et veritatis studiosus sectator, ut etiam Christus testificatus est, ipsaque res comprobavit, jure illum ad Moysen et prophetas misit, ut sic prædicatum illum susciperet. Si autem illum filium Joseph appellat, ne turberis: adhuc enim Josephi filius esse existimabatur. Et unde constat, Philippe, hunc esse quem dicis? quod signum das nobis? Non sufficit enim ita pronuntiare. Quod signum vidisti? quod miraculum? Non sine periculo tantis rebus temere fides habetur. Quod ergo habes argumentum? Idem ipsum, inquit, quod Andreas. Nam ille cum thesaurum quem repererat enuntiare non valeret, neque verbis declarare, fratrem quem reperit illo adducit. Sic et iste, quomodo ille sit Christus, et quomodo illum prophetæ prænuntiarint, non dicit; sed ducit illum ad Jesum, sciens illum non ultra discessurum esse, si illius verba doctrinamque gustaret. 46. *Et dixit ei Nathanael: A Nazaret potest aliquid boni exire? Dicit ei Philippus: Veni, et vide.* 47. *Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, et dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Quod dixisset, *A Nazaret potest aliquid boni exire?* ideo hominem laudat et miratur. Atqui incusandus potius erat. Minime. Neque enim verba non credentis erant, neque criminatione digna, sed laude. Quomodo et qua ratione? Quia hic magis quam Philippus in propheticis versatus erat. Audierat enim ex Scripturis Christum ex Bethlehem oriturum esse, et ex vico in quo fuerat David. Ea itaque fama apud Judæos obtinebat, et propheta olim prædicaverat his verbis: *Et tu Bethlehem nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel* (*Mich.* 5. 2. *Matth.* 2. 6. *Joan.* 7. 42). Cum audisset ergo a Nazaret esse, turbatus est et dubitavit, quod Philippi verba cum prophetica prædictione non consonare videret. Animadverte autem ejus in ipsa dubitatione prudentiam modestiamque. Non enim statim dixit, Me fallis, o Philippe, et mentiris: non credo, non adibo: a prophetis didici Christum a Bethlehem venturum esse, et tu dicis, a Nazaret: ergo non is ipse est. Verum nihil simile dixit; sed quid? Adit illum et ipse; ac dum non admittit eum a Nazaret esse, accuratum Scripturarum studium ostendit, et mores suos fallaciæ non obnoxios; quod autem hæc nuntiantem non respuat, magnum Christi adventus desiderium exhibet. Cogitabat enim potuisse Philippum circa locum errare.

2. Animadverte item, quam moderate fidem ipsi neget, et interroget. Neque enim dixit, Nihil boni fert Galilæa; sed quomodo? *A Nazaret potest aliquid boni esse?* Philippus quoque admodum prudens erat. Neque enim contradicente illo, indignatur vel ægre fert; sed perstat tamen, ut virum ad Christum adducat, et a principio apostolicam constantiam exhibet. Ideoque ait Christus: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Itaque potest Israelita mendax esse: sed non hic vir talis; ejus quippe judicium nullam habet personarum acceptionem; nihil ad gratiam, nihil ad odium loquitur. Atqui Judæi quoque interrogati ubi Christus nasceretur, dixerunt, In Bethlehem, et hoc testimonium protulerunt: *Et tu Bethlehem, nequaquam minima es in principibus Juda.* Verum illi priusquam ipsum viderent, hæc testificabantur: ubi autem viderunt, præ invidia testimonium occultarunt dicentes: *Hunc autem nescimus unde sit* (*Joan.* 9. 29). Nathanael vero non sic; sed quam a principio de illo opinionem habuit, hanc servavit, nempe illum a Nazaret non esse. Cur ergo illum Nazarenum prophetæ vocant? Quod ibi educatus fuisset, et mansisset. Non dicit autem Christus, Non sum ex Nazaret, ut tibi Philippus nuntiavit, sed ex Bethlehem, ne statim dubitationem injiceret. Ad hæc, etiamsi id persuasisset, non idoneum tamen illud indicium erat, quod ipse Christus esset. Quid enim vetabat, eum qui in Bethlehem natus esset non esse Christum, ut tam multi illic nati? Hoc ergo mittit, quodque illum magis ad credendum trahere poterat, id agit, dum declarat se illorum colloquio præsentem fuisse. Cum dixisset ergo ille: 48. *Unde me nosti? respondit: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* Vide mihi hominem constantem et firmum. Cum dixisset enim Christus, *Ecce vere Israelita,* non laudibus emollitus est, non encomiis raptus, sed perstat inquirens et accuratius explorans, vultque clarum quidpiam ediscere. Ipse igitur ut homo adhuc perquirit, Jesus autem ut Deus respondet, Jam te ante vidi; morum quippe ejus æquitatem, non ut homo qui ipsum sequutus esset, sed jam olim ut Deus noverat: et, Nunc vidi te sub ficu, cum nullus ibi adesset, nisi Philippus et Nathanael, qui seorsim ibi hæc loquebantur. Ideo dictum est: *Videns illum a longe, dixit: Ecce vere Israelita:* ut edisceret[1], etiam antequam Philippus adventaret, hæc loquutum Christum esse, ne suspectum testimonium haberet. Ideoque et tempus dixit et locum, et arborem. Nam si tantum dixisset, Antequam Philippus veniret, te videram, res suspecta fuisset, quasi ipse misisset Philippum, nihilque magni diceret; nunc autem, et quod locum dicat in quo loquebatur cum Philippo, et quod arboris speciem, et quod colloquii tempus, nihil dubii circa rem prænuntiatam relinquit. Neque hinc tantum, sed alio quoque modo ipsum erudit, dum memorat ea quæ dixerant, nempe, *A Nazaret potest aliquid boni esse?* quo illum sibi maxime conciliavit; et quod illum ita loquentem non improbaverit, sed laudaverit, miratusque fuerit. Unde hinc etiam vere Christum illum esse cognovit, tum a prophetia, tum quod ejus sententiam accurate exploraret, quo ostendebat se illa etiam quæ in mente erant intelligere: ad hæc etiam quod ea quæ ipse apud se loquutus erat, non argueret, imo laudaret. Quod a

[1] Savil. legendum putat, *ut edisceres;* sed *edisceret* melius quadrat ad seriem.

Philippo vocatus fuisset, id dixit; ea vero quæ mutuo loquuti fuerant missa fecit, ejus conscientiæ relinquens, quod nollet eum amplius arguere.

Exemplo Nathanael cognitione Christi exsultandum est. Obsequium illi præstandum est cui creditur. Non verbis sed operibus amor exhibetur. — Quid igitur? an solum cum Philippus vocavit, eum vidit? annon etiam antea insomni illo oculo viderat? Viderat sane; idque nemo diffiteatur : sed hic illud tantum quod opus erat dicendum fuit. Quid ergo ille? Quia signum non dubium præscientiæ ejus acceperat, ad confessionem venit, et per cunctationem priorem, accurationem suam ostendens, et postea per consensum probitatem suam exhibens. Nam respondit, inquit, et ait, 49. *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* Viden' animam gaudio exsultantem, et verbis Jesum amplexantem? Tu es, inquit, ille exspectatus et desideratus. Viden' stupentem, mirantem, exsultantem, salientem præ voluptate? Ita nos quoque gaudere oportet, quibus Filii Dei cognitio data est; gaudere, inquam, non mente tantum, sed rebus ipsis gaudium efferre. Quid autem gaudentium est? Obtemperare ei quem nosti. Credentium autem est, ea facere, quæ ipse velit. Nam si ea facturi sumus, quæ ipsum ad iram provocent, undenam ostendemus nos gaudere? Cum quis domi amicum excipit, non videtis quomodo cum gaudio omnia faciat, undique circumcursans, nulli rei parcens, etiamsi opus sit facultates omnes profundere; idque ut amico placeat? Quod si vocanti non obtemperaret, neque ad ejus placitum omnia faceret, etiamsi millies diceret se de ipsius adventu lætari, non utique fides ei ab hospite haberetur; et merito sane. Illud enim operibus exhibendum esset. Itaque quia Christus ad nos venit, ostendamus nos gaudere, nihilque quod ad iracundiam provocare possit faciamus; ornemus domum illam in quam advenit : hoc gaudentium est : apponamus in prandium id quod ipsi maxime placet : hoc exsultantium est. Quodnam vero prandium illud est? Ipse ait : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* 4. 34). Pascamus ipsum esurientem, potum demus sitienti; si vel aquam frigidam dederis, accipiet : te quippe amat; amici vero dona, quantumvis exigua, amico magna videntur esse. Tu vero solum ne segnis esto; etiamsi duos obolos deposueris, non aversabitur, sed tamquam magnas opes accipiet. Cum enim nullo indigeat, neque hæc ipsi necessaria sint, jure non munerum magnitudinem, sed dantis propositum spectat. Tantum ostende te adventantem ipsum amare, te ea de causa nihil non agere, te de præsentia ejus gaudere. Vide quomodo ille erga te sit affectus. Propter te advenit, animam pro te posuit : et post tanta beneficia ne rogare quidem te recusat. *Pro Christo* enim, inquit, *legatione fungimur, tamquam Deo obsecrante per nos* (2. *Cor.* 5. 20). Ecquis ita furiosus est, ut dominum suum non amet? Hoc et ego dico, scioque nostrum singulos non aliter verbo saltem et mente sensuros esse. Sed non verbis tantum, sed etiam operibus vult is qui amatur amorem exhiberi. Nam si ita quidem loquamur, neque præstemus id quod amantes solent, ridicula sane res est, non apud Deum tantum, sed etiam apud homines. Quoniam igitur verbis tantum confiteri, et rebus contraria præstare, non inutile modo, sed etiam perniciosum est; rogo, confessionem per opera exhibeamus, ut ipse nos confiteatur illo die, quando apud Patrem quinam digni sint confitebitur : in Christo Jesu Domino nostro, per quem et cum quo Patri gloria, simulque sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

49. *Respondit Nathanael, et dicit ei : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* 50. *Respondit Jesus, et dixit ei : Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis? Majora his videbis.*

1. Multa nobis cura opus est, dilecti, multisque vigiliis, ut sacrarum Scripturarum profundum inspicere possimus. Neque enim supini vel dormitantes possumus ejus sensa percipere, sed opus est accurato examine, assiduisque precibus, ut vel tantillum possimus in sacra illa mysteria penetrare. Ecce namque hodie non levis nobis quæstio proponitur, sed quæ multa egeat diligentia, multa perquisitione. Cum Nathanael dicit, *Tu es Filius Dei;* respondet Christus, *Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis? Majora his videbis.* Quid quæritur circa præmissa verba? Cur Petrus post tanta miracula [1], post tantam susceptam doctrinam, sic confessus, *Tu es Filius Dei*, beatus prædicatur, utpote cui Pater hæc revelaverit; Nathanael vero qui ante signa, ante doctrinam, idem ipsum est loquutus, nihil tale audivit, sed quasi nihil tantum dixisset, quantum opus erat, ad majora mittitur? Quid igitur in causa est? Quia eadem quidem verba loquuti sunt Petrus et Nathanael, nec tamen eodem uterque sensu. Sed Petrus quidem confessus est eum Filium Dei, ut verum Deum, Nathanael vero simplicem hominem. Et undenam id nobis liquet? Ex sequentibus. Postquam dixit enim, *Tu es Filius Dei*, addidit, *tu es Rex Israel.* Filius autem Dei, non Israelis tantum, sed etiam orbis totius Rex est. Neque inde solum id palam est, sed etiam ex sequentibus. Petro namque nihil ultra adjecit Christus, sed quasi fides ejus perfecta esset, Ecclesiam dicit se super confessionem ejus ædificaturum esse. Hic vero nihil hujusmodi, imo contrarium observes. Quasi enim confessio illa potiore sui parte deficeret, reliqua subdidit. Quid enim ait? 51. *Amen, amen dico vobis : amodo videbitis cælum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis.* Viden' quomodo illum paulatim de terra erigat, et eo

[1] In Morel. hic sic effertur locus.... « *videbis*». *Multi hoc Christi responsum audientes, ancipites hærent dicentes : Quid ergo? Petrus, post tanta miracula*, etc.

deducat, ne ipsum tamquam simplicem hominem effingat? Is enim cui angeli serviunt, super quem angeli ascendunt et descendunt, quo pacto homo fuerit? Ideo dixit, *Majora his videbis*; quod explicans, angelorum ministerium attulit; ac si diceret: Magnum tibi hoc videtur, o Nathanael, ideoque me ut Israelis Regem confessus es: quid ergo dices cum videris angelos super me ascendentes et descendentes? his illi suadens, ut se angelorum etiam Dominum confiteatur. Nam quasi ad genuinum Regis filium, sic descendebant et ascendebant ministri regii, hoc modo tempore crucis, illo autem in resurrectione et ascensione, imo antea, quando accesserunt, et ministrabant ei, quando ipsius natales prædicabant, quando clamabant, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax* (*Luc.* 2. 14): quando ad Mariam venerunt, quando ad Josephum. Quod sæpe fecerat, nunc facit. Duo prædicit, et alterius indicium dat, alterum ex hoc confirmat futurum. Ex supra dictis alia jam demonstrata fuerant, quale illud erat Ante Philippi vocationem, *Vidi te sub ficu*; alia eventura erant, et ex parte evenerant, angelorum nempe descensus et ascensus; in cruce, in resurrectione, in ascensione: cui rei ex prædictis fidem facit, etiam ante eventum. Nam qui jam in præteritis ejus virtutem agnovit, futura si audiat, facilius accipiet. Quid ergo Nathanael? Nihil ad hoc respondit. Ideo Christus hic finem dicendi facit, sinens illum dicta secum reputare, nec volens omnia statim effundere, sed jacto in bonam terram semine, sinit eam fructus per otium proferre. Id quod alibi sic declarabat: *Simile est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen. Cum autem dormiret, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici* (*Matth.* 13. 24. 25). (*Cap.* 2) 1. *Die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* 2. *Et vocatus est Jesus ad nuptias. Erat autem mater Jesu ibi, et fratres ejus.* Jam dixi eum in Galilæa notiorem fuisse; quare vocant eum ad nuptias, ipseque adest. Non enim ad dignitatem suam respiciebat, sed erat ad beneficium nobis inferendum paratus. Nam qui non dedignatus est formam servi accipere, multo minus dedignabitur ad nuptias servorum venire; qui cum publicanis et peccatoribus versabatur, multo minus recusabit cum invitatis ad nuptias recumbere. Qui vocaverant, non congruentem de illo opinionem habebant, neque ut magnum quempiam virum invitabant, sed ut popularem et sibi notum. Et hoc subindicavit evangelista dicens: *Erat autem mater Jesu ibi, et fratres ejus.* Quemadmodum illam et fratres ejus, ita et Jesum vocaverant. 3. *Et deficiente vino dicit mater ejus ad eum: Vinum non habent.* Hic jure quæratur: Unde matri in mentem subiit quid magnum de filio opinari: nullum enim adhuc signum fecerat: nam *Hoc fecit*, inquit, *initium signorum Jesus in Cana Galilææ* (*v.* 11).

2. *Christus non in primæva ætate miracula patravit; trium annorum spatio miraculis celebratus est. Quomodo Maria filii etiam pueri divinitatem suspicari potuerit. Quando parentibus obsequendum.*—Quod si quis dixerit, non idoneum hoc esse argumentum, quod illud sit initium signorum, eo quod additum sit, *In Cana Galilææ*; quasi hoc primum ibi factum sit, nec tamen absolute primum; verisimile quippe est illum alibi alia fecisse: respondebimus ei id quod jam primo diximus. Quodnam illud est? Id quod ait Joannes: *Ego autem nesciebam eum; sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.* Nam si in primæva ætate miracula edidisset, non opus habuissent Israelitæ altero, qui ipsum indicaret. Qui enim cum vir factus esset, ita ex miraculis celebratus est, non in Judæa tantum, sed etiam in Syria et ultra; idque trium tantum annorum spatio: imo ne tribus quidem annis ad famam opus habuit; sed quam primum fama ejus ubique pervagata est: qui ergo tam brevi spatio temporis ob miraculorum multitudinem ita claruit, ut nomen ejus omnibus notum esset; multo magis si adhuc puer miracula edidisset, non potuisset tanto tempore latere: majori quippe admirationi fuissent miracula a puero facta, cum maxime tempus et duplex et triplex, imo amplius fuerit. Verum nihil aliud puer fecit, nisi id tantum quod Lucas (*Cap.* 2. 46) enarrat, duodennem ipsum sedisse in medio doctorum audientem, et interrogatione sua admirandum visum fuisse. Alioquin autem jure ac merito non cœpit in puerili ætate miracula edere. Putassent enim rem illam vere phantasma esse. Nam si de illo jam viro id multi suspicati sunt, multo magis id credidissent, si admodum juvenis signa fecisset: et invidia permoti ipsum citius et ante constitutum tempus in crucem egissent: atque ita res ad œconomiam spectantes creditæ non fuissent. Quomodo igitur matri in mentem subiit, inquies, magnum quid de illo existimare? Manifestari jam cœperat, et ex Joannis testimonio, et ex iis quæ discipulis ipse dixerat: ante hæc autem omnia, ipsa conceptio, et quæ in natali ejus gesta sunt [1], magnam matri circa filium existimationem indebant. Audivit enim, inquit, omnia de puero, *Et conservabat in corde suo* [2] (*Luc.* 2. 51). Sed cur, inquies, non id antea dixit? Quia, ut dixi, tunc cœpit in publicum prodire. Antehac enim tamquam unus e vulgo versabatur: quapropter non audebat mater tale quidpiam ipsi dicere. Ubi autem audivit Joannem propter ipsum venisse, ac de illo tale testimonium perhibuisse, discipulos ipsum habere, tunc demum cum fiducia rogat illum et deficiente vino dicit, *Vinum non habent.* Volebat enim et illos beneficio devincire, seque splendidiorem per filium reddere. Et forte humanum quidpiam passa est, ut et fratres ejus qui dicebant: *Ostende teipsum mundo* (*Joan.* 7. 4), quod vellent ex miraculis sibi gloriam comparare. Ideo sic illi asperius respondit: 4. *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.* Nam quod admodum matrem veneraretur, audi Lucam narrantem quam subditus esset parentibus, necnon evangelistam dicentem quantam illius curam in cruce

[1] Savil. et Mss. plurimi habent,.... *conceptio, et quæ circa conceptionem gesta sunt.*

[2] Hunc locum sic effert Morel.: *Hoc ipse nos docet Lucas, dicens: « Maria autem conservabat omnia verba hæc in corde suo. »*

habuerit. Ubi enim parentes rem divinam non impediunt neque prohibent, cedendum ipsis est; et si secus fiat, periculum magnum est : cum autem a nobis intempestive quidpiam postulant, nobisque officiunt in spiritualibus, non tutum est ipsis obsequi. Ideoque hic ita respondet, et alibi rursum : *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei* (*Marc.* 3. 33)? Nondum enim eam quam par erat de ipso opinionem habebant; sed quia ipsum pepererat, matrum more putabat se illi posse omnia præcipere, quæ illum ut Dominum colere et adorare debuisset : ideo tunc ita respondit. Cogites velim, quid illud erat, circumstante populo, totaque turba ipsum intentis animis audiente, doctrinamque percipiente, illam in medium accedentem a concione ipsum abducere, ut seorsim alloqueretur : non domum ingredi, sed foras ipsum solum educere. Idcirco dicebat ille, *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?* non matrem contumelia afficiens, absit; sed ipsi optime consulens, nec sinens eam vile quidpiam et abjectum de se existimare. Nam si aliorum curam gerebat, nihilque non agebat ut congruentem de se opinionem illis ingereret, multo magis erga matrem id agebat. Odia enim verisimile est, cum talia audisset a filio, noluisse tamen obtemperare, sed primas sibi semper vindicasse partes, utpote matrem, ideo sic ille respondit. Neque enim illam ab humili opinione ad sublimiorem sententiam erexisset, si semper exspectasset illa, se ab ipso tamquam a filio honorandam, neque ipsum ut Dominum habituram esse. Hac ergo de causa sic tunc loquebatur : *Quid mihi et tibi est, mulier?* Alia quoque causa non minus necessaria afferri potest. Quænam illa? Ne gesta miracula in suspicionem venirent : ab indigentibus enim, non a matre rogandus erat. Quare? Quia illa quæ cognatorum precibus impetrantur, licet magna, non ita grata sunt præsentibus ut plurimum : cum autem indigentes ipsi supplicant, tunc miraculum suspicione vacat, puræ laudes sunt, magna utilitas.

3. *Cur et qua mente Christus matrem suam increpaverit; nunquam illam repellere intendit. Improbo nihil prosunt cognati probi. Cognati Christi Desposyni appellati.*—Etenim si quis optimus medicus in ægrorum complurium domos ingressus, ab ægrotis vel adstantibus nihil audiat, sed a matre tantum rogetur, hinc suspectus et molestus ægris erit, ac neque ægri, neque adstantes magnum quidpiam ab illo exspectabunt. Ideo tunc increpavit dicens, *Quid mihi et tibi est, mulier?* monens illam ne simile quidpiam in posterum ageret. Curæ namque illi erat maternus honor, multoque magis illius salus, et multis præstanda beneficia, pro quibus carnem induerat. Hæc itaque verba non erant arroganter matrem alloquentis, sed dispensationis, qua et illam institueret, et miracula cum dignitate fieri provideret. Nam quod magno illam in honore haberet, vel hoc ipsum, ut cætera taceam, quod illam increpare videatur, probare potest, indignatioque ipsa magnam præ se fert reverentiam. Quonam autem pacto, in sequenti concione dicemus. Hæc itaque cogitans, cum audieris mulierem quamdam dicentem, *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti* (*Luc.* 11. 27), illumque respondentem, *Quinimmo beati qui faciunt voluntatem Patris mei* (*Ibid.* v. 28); eadem sententia hæc dicta esse existimato. Non enim matrem repellentis responsio est, sed declarantis, nihil ipsi profuturum fuisse partum, nisi admodum proba fidelisque fuisset. Si porro Mariæ nihil proderat quod Christum genuisset, nisi virtute interiore prædita fuisset, multo minus nobis proderit probitatis expertibus, si patrem, si fratrem, si filium probum et virtute præditum habeamus, si nos ejus virtute procul fuerimus : ait quippe David : *Frater non redimit, redimet homo* (*Psal.* 48. 8)? In nullo quippe alio, nisi bonis operibus, post Dei gratiam spes salutis habenda. Nam si partus ad id profuturus Virgini erat, profuturum quoque Judæis erat, quod Christi secundum carnem cognati essent, profuturum item civitati in qua natus erat, profuturum etiam fratribus. Atqui dum fratres illius sui curam non gererent, nihil a cognationis dignitate juvabantur, sed cum reliquo mundo damnati erant : tunc vero admirationi habiti sunt, cum per propriam virtutem effulserunt. Urbs autem et excisa et combusta est, nihil hinc mutuata subsidii : cognati vero illi secundum carnem, cæsi misere perierunt, nihil ex cognatione ad salutem lucrati, quia virtutis patrocinio destituti erant. Omnium autem præstantissimi claruerunt apostoli, quia verum et expetendum cognationis ejus modum subierunt per obedientiam. Hinc ediscimus, fide nobis opus esse, et vita proba virtuteque fulgente. Id enim tantum nobis salutem parare poterit. Certe cognati ejus multo tempore admirationi fuerunt ubique, et Desposyni appellati (*a*); attamen ne nomina quidem illorum scimus; apostolorum autem et nomina et vita ubique celebrantur. Ne itaque de generis nobilitate [1] altum sapiamus; sed etiamsi avos et abavos innumeros claros et illustres proferre possimus, illorum nos virtutem superare conemur, gnari nobis in futuro judicio ex aliorum virtute nihil lucri fore, imo id nobis gravius judicium pariturum esse. Nam probis orti patribus, domique exemplum habentes, ne sic quidem doctores imitamur. Hæc nunc dico, quia gentiles multos video, cum illos ad fidem et Christianismum amplectendum cohortamur, ad cognatos et avos suos confugere ac dicere, Omnes cognati, familiares et contubernales mei, fideles Christiani sunt. Quid hoc ad te, miser et infelix? Hoc in perniciem tuam vertitur, quod nec contubernales reverearis, ut ad virtutem curras. Rursus alii quidam fideles utique, sed ignavi, ad virtutem incitati, idipsum obtendunt : Pater meus, avus, proavus, pii ac virtute præditi fuerunt. Sed hoc ipsum te maxime damnabit, quod a talibus ortus, genere tuo indigna perpetres. Audi quid propheta Judæis dicat : *Servivit Israel in muliere, et in muliere servatus est* (*Osee.* 12. 12); et Christus, *Abraham pater vester exsultavit ut vi-*

(*a*) Cognatos Christi, *Desposynos*, sive Dominicos appellatos fuisse refert Eusebius ex Africano Hist. Eccl. p. 28 editionis Valesii.

[1] Morel. habet, *de cognatione*, pro, *de generis nobilitate*.

deret diem meum ; et vidit, et gavisus est (*Joan.* 8. 56). Et ubique virtutem avorum non ad laudem, sed ad majorem accusationem proferunt. Hæc cum sciamus et nos, nihil non agamus, ut per propria opera salutem consequi possimus, ne frustra in aliorum gestis spem habentes, tunc discamus nos deceptos fuisse, cum nobis hæc notitia nihil proderit. Nam *In inferno*, inquit, *quis confitebitur tibi* (*Psal.* 6. 6)? Hic ergo pœnitentiam agamus, ut æterna consequamur bona, quæ nos omnes nancisci contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria et imperium, simulque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXII.

Quid mihi et tibi mulier? Nondum venit hora mea.

1. Est quidam in concionando labor, quod Paulus his verbis testatur : *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur : maxime qui laborant in verbo et doctrina* (1. *Tim.* 5. 17). At penes vos est hunc laborem vel levem vel gravem reddere. Nam si dicta respuatis, vel non respuentes, operibus non exhibueritis, gravis nobis labor erit, quod frustra laboremus; sin attendatis, et audita exsequamini, sudoris hujus ne sensum quidem percipiemus : fructus enim labore partus non sinet laborem gravem videri. Itaque si vultis studium nostrum excitare, non exstinguere vel minuere, fructum, quæso, exhibete nobis, ut lætas segetes videntes, spe rei bene gerendæ fulti et divitias nostras [1] computantes, ne torpeamus in hac tam fausta negotiatione. Neque enim parva nobis hodie proponitur quæstio. Matre namque Jesu dicente, *Vinum non habent*; cum respondisset Christus, *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea*; cum id, inquam, respondisset, quod volebat mater effecit. Hæc non minor priore quæstio est. Illo igitur invocato qui hoc miraculum operatus est, sic ad solutionem properemus. Non hic solum autem hoc dictum occurrit; ipse namque evangelista in sequentibus dicit, Non potuerunt eum apprehendere, *Quia nondum venerat hora ejus* (*Joan.* 8. 20) : et iterum, *Nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus* (*Ibid.* 7. 30) : ac rursum, *Venit hora : glorifica Filium tuum* (*Ibid.* 17. 1). Hæc omnia per totum Evangelium dicta hic collegi, ut unam omnibus solutionem afferam. Quænam est illa solutio? Non temporum necessitati subjectus erat Christus, neque horas observans dicebat, *Nondum venit hora mea* : (an id observaret temporum Opifex, annorum et sæculorum Creator?) verum per hæc dicta hoc vult significare[2], se omnia congruenti tempore operari, nec simul facere ne hinc rerum ordo turbaretur, si non opportuno tempore singula ederet, sed omnia simul misceret, generationem, resurrectionem, judicium. Hic animum adhibe : oportuit creaturam facere, sed non omnem simul; hominem et mulierem, sed non una ambos. Oportuit morte damnari humanum genus, et resurrectionem fieri; sed multum inter utrumque intervallum erat. Oportuit dari legem, sed non simul gratiam : verum singula suis temporibus dispensanda. Non suberat ergo Christus temporum necessitati, ut qui temporibus suum ordinem assignavisset, eorum nempe creator. Sed Joannes hic Christum dicentem inducit, *Nondum venit hora mea*, ostendens ipsum nondum notum fuisse multis, neque totum discipulorum chorum habuisse : sed Andreas eum sequebatur cum Philippo, nullusque alius [1] : imo vero neque hi omnes ipsum uti par erat cognoscebant, neque mater ipsa, neque fratres. Nam post multa edita miracula de fratribus dicit evangelista, *Neque fratres ejus credebant in eum* (*Joan.* 7. *v.* 5). Sed neque illi qui nuptiis aderant, ipsum noverant : alioquin enim accessissent, et in necessitate rogassent illum. Ideo ait, *Nondum venit hora mea.* Nondum notus sum præsentibus, sed neque sciunt illi vinum deficere. Sine, donec id sentiant. Neque enim hæc me a te audire oportuit. Mater quippe es, et miraculum reddis suspectum. Oportebat illos indigentes accedere et precari; non quod ea re opus habeam, sed ut ipsi cum magno consensu miraculum gestum acciperent. Nam qui se in necessitate constitutum novit, cum petita [2] consequitur, magnam habet gratiam; qui vero necessitatem nondum advertit, neque beneficii clare sensum recipiet. Et cur, inquies, postquam dixerat, *Nondum venit hora mea*, et recusaverat, id quod mater dixerat effecit? Ut contradicentibus, et putantibus ipsum horæ subjectum esse, demonstraretur ipsum non esse horæ et tempori subditum. Nam si subditus horæ fuisset, quomodo congruente nondum adveniente hora id opus peregisset? Ad hæc in matris honorem id fecit, ne omnino ipsi repugnare videretur, ne ex imbecillitate id facere videretur, ne tanto adstante cœtu matrem pudore afficeret : nam ministros ipsi obtulerat. Siquidem postquam Chananææ dixerat, *Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus* (*Matth.* 15. 26), dedit tamen postea, ejus assiduitate permotus. Atqui etiam dixerat, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Ibid.* *v.* 24); postquam tamen hæc dixerat, filiam ejus liberavit.

2. His discimus, nos etsi indignos, assiduitate tamen nos sæpe dignos reddere qui accipiamus. Idcirco mater et exspectavit, et sapienter ministros admovit, ut a pluribus rogaretur. Ideo addidit : 5. *Quodcumque dixerit vobis facite.* Noverat enim ipsum non ex imbecillitate renuisse, sed quod fastum fugeret, nolletque se ad miraculum patrandum statim projicere; ideoque ministros adduxit. 6. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Ju-*

[1] Savil. legit, *vestras*; minus recte.
[2] Post verba inter parentheses inclusa, sic habet Savil., *sed quid est quod subindicavit? hoc vult significare.*

[1] In Morel. legitur, *et non alius, ne unus quidem.*
[2] Savil. legit, *auxilium*, pro, *petita.*

dæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. 7. *Dixit eis Jesus : Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.* Non sine causa dixit, *Secundum purificationem Judæorum*; sed ne quis fortassis infidelium suspicari posset fæce intus remanente, infusa deinde et admixta aqua vinum tenuissimum evasisse; ideo ait, ***Secundum purificationem Judæorum***, ostendens in vasis illis numquam servatum fuisse vinum. Nam cum Palæstina aquæ penuria laboret, rarique sint ibi fontes et aquarum scaturigines, semper hydrias aqua implebant, ne si quando immundi fierent, ad flumina currere cogerentur, sed ad manum sese purgandi modum haberent. Cur autem signum non edidit antequam illæ implerentur, quod longe mirabilius fuisset? Aliud enim est subjectam materiam in aliam qualitatem mutare, aliud ipsam substantiam antea non exsistentem creare; hoc enim longe mirabilius est. Sed res non ita credibilis multis visa fuisset. Ideoque miraculorum magnitudinem sæpe libenter minuit, ut facilius illa credantur. Et cur, inquies, non ipse aquam produxit, ut tunc in vinum converteret, sed id ministros facere jussit? Eadem rursum de causa, et ut ipsos, qui hauserant, rei testes haberet, nec id præstigias esse putaretur. Nam si qui ausi essent id impudenter negare, poterant ministri dicere, Nos aquam hausimus. Ad hæc vero dogmata contra Ecclesiam suborta evertit. Quia enim quidam alium esse mundi creatorem dicunt, operaque visibilia non ejus esse, sed alterius dei ipsi contrarii; ut eorum insaniam reprimat, ita multa miracula edit ex subjectis substantiis. Nam si creator ipsi contrarius esset, non alienis uteretur ad potentiam suam demonstrandam. Nunc igitur ostendens, se eumdem ipsum esse, qui aquam in vineis mutat, et pluviam per radicem in vinum convertit, id quod in ipsa planta longiori tempore facit, id repente in nuptiis operatus est. Postquam autem implessent hydrias, ait : 8. *Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt.* 9. *Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et nesciebat unde esset; ministri autem sciebant, qui hauserant aquam : vocat sponsum architriclinus,* 10. *et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu servasti bonum vinum usque adhuc.* Hic rursum quidam cavillantur dicentes, ebriosorum cœtum fuisse, hebetem gustantium sensum, qui rem non possent capere, nec judicium ferre, ita ut nescirent an vinum an aqua id esset : nam quod ebrii essent, ipse architriclinus declaravit. Ridiculum plane illud est : verum hanc illorum suspicionem jam sustulit evangelista. Non enim convivas ait de re illa sententiam tulisse, sed architriclinum, qui sobrius adhuc nihil gustaverat. Scitis quippe omnes, quibus conviviorum cura committitur esse omnium maxime sobrios, unam hanc curam habentes, ut cum recto ordine omnia disponantur. Ideoque sensum illum vigilem et sobrium ad rei gestæ testimonium evocavit. Non enim dixit, Infundite convivis vinum, sed, *Ferte architriclino. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et nesciebat unde esset; ministri autem sciebant : vocat sponsum architriclinus.* Cur non ministros alloquitur? sic enim miraculum revelatum esset. Quia ne ipse quidem Jesus quod factum fuerat revelavit, sed sensim paulatimque volebat vim miraculorum in notitiam venire. Si vero tunc declaratum fuisset, non fides habenda erat ministris narrantibus; sed insanire putati fuissent, cum homini, qui opinione multorum e vulgo erat, talia adscriberent. Ipsi quidem experientia rem clare noverant; neque poterant suis manibus fidem negare; non tamen idonei erant ut aliis fidem facerent. Ideo non omnibus revelavit; sed ei qui maxime posset id perspicere, clariorem rei notitiam in posterum reservans. Nam post alia conspicua signa, hoc etiam credibile futurum erat. Quando enim filium reguli postea curavit, per ea quæ tunc dicit evangelista indicat hoc etiam manifestius fuisse. Ideo enim maxime regulus ipsum vocavit, quia signi istius gnarus erat, ut dixi. Quod declarans Joannes dicebat : *Venit Jesus in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum :* neque modo vinum, sed vinum optimum.

3. Talia sunt Christi miracula, quæ res naturales præstantia longe superent. Sic et in aliis quoque, quando membrum distortum restituit, sanioribus validius effecit. Quod ergo vinum, et vinum optimum illud esset, non modo ministri, sed et architriclinus et sponsus testificaturi erant; quod autem a Christo factum esset, qui aquam hauserant. Ita ut etsi tunc miraculum non revelatum fuisset, non ad finem usque sileri posset : sic multa necessariaque præmittebantur in futurum tempus testimonia. Quod enim aquam vinum fecisset, ministros testes habuit : quod bonum vinum esset, architriclinum et sponsum. Verisimile autem est sponsum aliquid ad hæc respondisse : verum evangelista ad magis necessaria properans, hoc tantum recensito signo, cætera prætermisit. Necessarium quippe erat ut sciretur ipsum aquam in vinum mutavisse; quid vero architriclino sponsus responderit, referre necessarium non putavit. Multa quippe signa primum obscuriora, progressu temporis clariora facta sunt, iis accurate narrantibus qui a principio viderant. Tunc igitur vinum ex aqua fecit Jesus; tunc et nunc voluntates molles et dissolutas in melius mutare non desinit. Sunt enim, sunt, inquam, homines, qui nihil ab aqua differunt; ita sunt frigidi, molles et numquam consistentes. Illos autem qui sic affecti sunt ad Dominum adducamus, ut illorum voluntatem in vini conditionem mutet, ut non ultra diffluant, sed solidiores sint, ac cum sibi tum aliis lætitiæ causa evadant.

Terrena omnia fluxa sunt, et numquam consistunt. Mensa frugalis valetudinis est mater. — Quinam vero sunt illi frigidi, nisi ii qui fluxis hujus vitæ rebus inhærent, qui mundi delicias non derident, qui gloriam et potentiam amant? Hæc quippe omnia fluxa, numquam consistunt, quæ in præceps semper et cum impetu feruntur. Nam qui hodie dives, cras pauper est : qui hodie cum præcone, balteo, curru

multisque lictoribus se effert, sæpe sequenti die carceri mancipatur, aliique invitus hunc fastum relinquit. Qui delicatis cibis deditus est, postquam ventrem crapula disrupit, ne uno quidem die potest in eadem abundantia permanere; sed illa in vaporem versa, cogitur alia congerere, nihilque differt a torrente. Nam quemadmodum ibi priore recedente fluctu, alii rursus instant, sic et nos alio post alium cibo indigemus. Hujusmodi est rerum hujus sæculi natura; numquam stant, sed semper fluunt et trahuntur. Deliciæ vero ciborum non modo fluunt et prætercurrunt, sed multa nobis alia negotia ingerunt. Dum enim cum impetu diffluunt, tum robur corporis, tum animæ virtutem abstrahunt: neque ita violenti fluminum fluctus ripas excedere solent, ut ciborum deliciæ valetudinis fundamenta secum subtrahunt. Si medicum adeas et perconteris, omnem morborum causam hinc prodire disces. Nam tenuis et vilis mensa, valetudinis mater est. Ideo medici sic illam vocarunt. Non satiari id valetudinem vocant: Cibi enim parcitas, sanitas; frugalis mensa, mater valetudinis, inquiunt. Quod si frugalitas mater est valetudinis, plane satietas mater est morbi et infirmitatis: paritque ægritudines ipsam medicorum artem superantes; pedum, capitis, oculorum, manuum morbos, tremores, paralysin, icteron, febres diuturnas et ardentes, aliaque longe plura, quæ recensere non vacat: hæc non ex indigentia, nec ex philosophico victu, sed ex luxu et crapula generantur. Quod si velis hinc ortos animæ morbos explorare, deprehendes inde nasci avaritiam, mollitiem, atram bilem, pigritiam, libidinem, omnemque ignorantiam. His gaudentes mensis animæ non asinis meliores evadunt, quæ a talibus feris discerpantur. Nec tacebo et fastidia quibus obnoxii sunt ii qui se huic addixere morbo, quæ omnia recensere non possumus: unum quod est caput omnium declarabo. Lauta mensa, de qua loquimur, numquam illi cum voluptate fruuntur. Frugalitas quippe ut valetudinis, ita et voluptatis mater est; satietas vero, ut morborum, ita fastidii fons est et radix. Nam ubi satietas est, ibi concupiscentia esse nequit: ubi vero concupiscentia non est, quomodo voluptas esse possit? Ideo non modo prudentiores et valentiores divitibus pauperes videmus, sed majori lætitia fruentes. Quæ omnia cogitantes ebrietatem deliciasque fugiamus; non mensæ tantum delicias, sed et alias omnes, quæ in rebus sæcularibus haberi possunt; earumque loco spiritualem nanciscemur voluptatem, et delectabimur in Domino secundum prophetam, qui dicit: *Delectare in Domino, et det tibi petitiones cordis tui* (*Psal.* 36. 4); ut et præsentibus et futuris fruamur bonis, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIII.

11. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ.*

1. Vehementer instat diabolus, et saluti nostræ undique insidiatur. Vigilandum itaque, et undique ipsi aditus intercludendus est. Nam si vel parvam invenerit occasionem, latum sibi postea apparabit ingressum, et vim suam totam paulatim inducet. Si itaque salutis nostræ aliquam rationem habeamus, ne in parvis quidem rebus ipsum accedere sinamus, ut per hæc majoribus occurramus. Nam extremæ insipientiæ esset, si dum tantam ille diligentiam adhibet, ut animam perdat nostram, nos pro salute nostra non parem adhibeamus sollicitudinem. Hæc a me non sine causa dicta sunt, sed quia timeo ne in media caula nunc ille lupus adstet occultus, ovemque rapiat, quæ se vel ex segnitie vel dolo malo a grege auditorum semoverit. Nam vulnera si sub sensum caderent, aut si corpus plagas acciperet, non opus esset insidias hasce tantum præcavere. Quia vero invisibilis anima est, ipsaque vulneribus confoditur, multa nobis opus est vigilantia, ut unusquisque sese exploret. *Nemo enim novit ea quæ sunt hominis, ut spiritus hominis qui in ipso est* (1. *Cor.* 2. 11). Oratio enim ad omnes pervadit, et commune omnibus offert remedium: sed ad singulos auditores pertinet illa accipere, quæ morbo suo depellendo sunt congruentia. Ægros non novi, nec bene valentes. Ideo de rebus omnibus loquor, ea quæ animi morbis singulis competant[1]: modo de avaritia, mox de mensæ deliciis, hinc libidinem aggredior: postea vero eleemosynam laudo, ad illamque erogandam hortor, hinc bonorum operum alia genera. Timeo enim ne dum uni morbo curando incumbo, alii remedium afferam, dum vos aliis ægritudinibus laboratis[2]. Si unus tantum hic adesset, non necessarium ducerem multiplicem habere sermonem. Quia vero in tanta multitudine multos esse morbos verisimile est, non sine causa doctrinam variamus: sermo quippe in omnes effusus, suam certe utilitatem habebit. Ideoque Scriptura ipsa varia est, ac de sexcentis rebus edisserit, quia ad communem hominum naturam sermonem dirigit. In tanta vero multitudine necesse est omnes animi morbos reperiri, licet non omnes in cunctis adsint. His itaque nos expurgantes, divina verba quæ hodie lecta sunt intentis admodum animis[3] audiamus. Quænam illa sunt? *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ.* Dixi nuper quosdam non hoc initium esse putare. Quid enim, in-

[1] Ita Mss. Savil. habet,.... *loquor, et omnibus animi morbis curationem affero.* Morel..... *loquor, omnibus hominibus sermonem accommodans.*

[2] Interpretatio Latina Francisci Aretini sic habet: *Timeo enim nequando uni nobis morbo vacantibus, alii, quo magis laboret, medicinam non adhibeam.* Textus Græcus quem ille legit, ab illo differt quem nos adhibuimus, ut patet.

[3] Juxta Savil. legendum esset, *contrita mente*, loco, *intentis admodum animis.* Sed hæc lectio contra omnium Mss. fidem pugnat.

quiunt, si dicatur id de Cana Galilææ tantum? nam *Hoc initium*, inquit, *fecit in Cana*. Ego vero hac de re non curiosius edisseram; sed dico ipsum post baptisma signa edere cœpisse; ante baptisma vero nullum fecisse, jam declaravimus. Sive autem hoc, sive aliud post baptisma primum signum fuerit, disquirere non operæ pretium esse existimo. *Et manifestavit gloriam suam.* Quo modo et qua ratione? Neque enim multi rei gestæ attendebant, sed ministri tantum, architriclinus et sponsus. Quomodo ergo manifestavit gloriam suam? Quantum in ipso erat. Quod si non tunc, certe postea omnes miraculum audituri erant: nam ad hoc usque tempus celebratur, nec latet. Quod autem illo die non omnes id noverint, ex sequentibus palam est. Postquam enim dixerat, *Manifestavit gloriam suam*, subdidit: *Et crediderunt in eum discipuli ejus*, qui prius mirabantur. Viden' tunc maxime necessarium fuisse ut miracula ederentur, cum probi homines, qui dictis attendebant, aderant? Hi enim et facilius credituri erant, et gesta accurate observaturi. Et quomodo notus fuisset sine miraculis? Certe satis erant doctrina, et prophetia cum miraculo conjuncta, ut ea in auditorum animos insinuarent, ut jam assueti, gestis rebus cum affectu attenderent. Ideo alibi sæpe dicunt evangelistæ, ipsum non edidisse signa, propter hominum illorum perversitatem. 12. *Et post hæc descendit in Capernaum ipse et mater ejus, et fratres, et discipuli ejus: et ibi manserunt non multis diebus.* Cur cum matre Capernaum venit? Neque enim ibi ullum fecit miraculum; neque urbis istius incolæ probe erga illum affecti erant: sed admodum corrupti. Illudque Christus significavit dicens: *Et tu Capernaum usque ad cœlum elata, usque ad infernum deprimeris* (*Luc.* 10, 15). Cur ergo illo se confert? Ut mihi quidem videtur, quia paulo post iturus erat Jerosolymam, ideo tunc abiit, ne matrem et fratres ubique secum traheret. Abiens igitur illicque in matris honorem paulum commoratus, iterum miracula aggreditur, cum illam ibi reliquisset. Ideo dicit ipsum non paucis elapsis diebus (*Joan.* 2. 13), venisse Jerosolymam. Paucis ergo ante Pascha diebus baptizatus est. Et Jerosolymæ quid agit? Rem magnæ auctoritatis. Nam negotiatores illos, nummularios, eos qui columbas vendebant et boves et oves, ideoque illic versabantur, ejecit.

2. Alius autem evangelista (*Matth.* 21. 13. *et al.*) narrat ejicientem illum dixisse, Nolite facere domum Patris mei speluncam latronum; hic vero dicit, 16. *Domum negotiationis*: non contraria loquentes, sed demonstrantes ipsum id bis fecisse, et hæc non eodem gesta tempore fuisse, sed et nunc initio prædicationis, atque etiam cum ad passionem pervenisset. Quapropter vehementioribus usus verbis, speluncam vocavit: non item nunc initio, sed moderatiore increpatione utitur: unde verisimile sit idipsum bis fecisse. Et cur, inquies, id Christus et cum tanta vehementia fecit, quanta nusquam agere deprehenditur, et hæc cum contumeliis et conviciis affectus, Samaritanus et dæmoniacus ab illis vocaretur? Neque enim verbis contentus, cum flagello etiam illos expulit. Judæi, cum aliis beneficium confertur, accusant et efferuntur; quando autem par esse videbatur illos exasperari castigatos, non ita aspere agunt. Neque enim increparunt, aut contumelia affecerunt, sed quid dixerunt? 18. *Quod signum ostendis nobis, quia talia facis?* Viden' livorem ingentem, et quomodo aliis illata beneficia indignius ferrent? Aliquando igitur templum ab illis speluncam latronum factum esse dicebat, ostendens illa quæ vendebantur, furto parta fuisse, atque ex rapina et avaritia prodire, ipsosque ex aliorum calamitate ditescere; aliquando autem domum negotiationis dicit, impudentem negotiationem significans. Sed cur hoc fecit? Quia futurum erat ut in sabbato curaret, et multa hujusmodi faceret, quæ ipsi putabant transgressionem esse legis; ne videretur Deo adversarius esse, qui contra Patrem id faciendo insurgeret, jam hinc illorum hujusmodi suspicionem corrigit. Nam qui pro templi honore tantam ostenderat indignationem, templi Domino, qui in ipso colebatur, non adversaturus erat. Satis erant superiores anni quibus secundum legem vixerat, ut probaretur ejus erga legislatorem reverentia, ipsumque non legi adversaturum esse. Quia autem illi anni in oblivionem venturi erant, quia omnibus noti non erant, eo quod in paupere domo enutritus fuisset, omnibus præsentibus, utpote die festo appropinquante, id facit, nec sine periculo. Neque solum enim ejecit, sed et mensas evertit, argentum effudit, ut illi secum reputarent, eum qui ob decorem domus sese in pericula conjiceret, Dominum domus non despicere. Si enim id simulate tantum fecisset, hortari solum oportuisset: nam se in pericula conjicere, audax facinus erat. Neque enim leve illud erat sese forensium furori objicere, et brutorum hominum, mercatorum videlicet, turbam contumeliis onerare et adversum se exasperare; id non simulantis erat, sed pro domus decore pericula omnia adeuntis. Quamobrem non gestis solum, sed etiam dictis ostendit suam cum Patre concordiam: non dixit enim, Domum sanctam, sed *Domum Patris mei*. Ecce Patrem vocat, nec indignantur: putabant enim ipsum simpliciter loqui. Sed quia deinde clarius loquutus est, ut suam cum Patre æqualitatem declararet, tunc in furorem acti sunt. Quid igitur illi? *Quod signum nobis ostendis*, inquiunt, *quia hæc facis?* O summam amentiam! Quo signo opus erat, ut a male faciendo desinerent, et domum a tanta turpitudine liberarent? ille tantus pro domo Dei zelus, nonne maximum virtutis signum erat? Probi autem viri hinc agniti sunt: nam 17. *Recordati sunt discipuli ejus tunc, quia scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me.* At non illi prophetiæ meminerunt, sed dicebant, *Quod signum ostendis nobis?* de turpi amisso lucro dolentes, sperantesque se sic posse illum abducere, ad miraculum patrandum evocant, ut factum ejus coarguant. Ideo signum non dat illis. Imo cum prius accessissent signum petentes, hoc respondit: *Generatio prava et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ* (*Matth.* 16. 4). Sed

tunc clarius; nunc autem magis ænigmatice. Illud autem agit ob extremam illorum insaniam. Neque enim ille qui non petentes præveniebat et signa dabat, petentes repulisset, nisi illos prava et dolosa mente fuisse scivisset. Nam vel ipsa interrogatio quanta nequitia plena esset, consideres velim. Cum enim oportuisset ejus studium ac zelum approbare, atque obstupescere, quod talem domus curam gereret; illi accusant, ac vendere sibi licere contendunt, neque licere sibi a vendendo desistere, nisi ipsi signum ostendat. Quid ergo Christus? 19. *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Multa hujusmodi loquitur, quæ audientibus sint obscura, sed post futuris clara. Cur hoc? Ut cum rei prædictæ finis adveniret, probaretur ipsum jam olim id præscivisse; quod in hac prophetia accidit. Nam ait: 22. *Cum resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus quia hoc dicebat: et crediderunt Scripturæ et sermoni quem dixit Jesus.* Cum hæc dicerentur, alii dubitabant quandonam id eventurum esset, alii contendebant dicentes: 20. *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* Quadraginta sex annis dicentes, postremam templi constructionem significant; prior enim viginti annis absoluta fuit.

3. Cur ergo ænigma illud non solvit, neque dixit: Non de hoc templo loquor, sed de carne mea; verum evangelista, diu postea scribens evangelium, dictum illud explicavit, ille vero tacuit? Quare? Quia verbis ejus fidem non habuissent. Si enim ne quidem discipuli poterant tunc intelligere, multo minus turbæ. *Cum surrexisset*, inquit, *Jesus a mortuis, tunc recordati sunt, et crediderunt sermoni et Scripturæ.* Duo enim ipsis tunc proponebantur, resurrectio, et, quod majus erat, num Deus esset is qui intus habitabat; quæ ambo subindicavit dicens: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud:* quod Paulus dicit non parvum esse divinitatis signum, his verbis: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi* (*Rom.* 1. 4). Cur et illic et hic et ubique hoc signum dat, modo dicens, *Cum exaltatus fuero*; et, *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum* (*Joan.* 12. 32. *et* 8. 28); modo autem, *Et signum non dabitur vobis, nisi signum Jonæ* (*Matth.* 12. 39); atque hic rursum, *In tribus diebus excitabo illud?* Quia hoc maxime argumento ostendebatur ipsum non esse purum hominem, quod posset adversus mortem tropæum erigere, ac diuturnam illius tyrannidem difficileque bellum illud tam cito solvere. Ideo ait, *Tunc scietis. Tunc*, quandonam? Cum postquam resurrexero, attraham totum orbem, tunc scietis me ut Deum et verum Dei Filium id fecisse, ad ulciscendam Patri illatam contumeliam. Cur autem non dicit, quibus opus esset signis, ad male factum tollendum, sed se signum daturum esse pollicitus est? Quia sic illos magis irritasset; hoc autem modo magis exterruit. Attamen nihil ad hoc responderunt: videbatur enim illis incredibile quidpiam dicere, nec ultra interrogare valuerunt; et quasi res fieri non posset, missam illam fecerunt. Quod si mente valuissent, etiamsi illud incredibile videretur esse, postquam multa signa fecerat, tunc interrogassent illum, tunc precati fuissent ut illorum dubitationem solveret; sed insani cum essent, aliis dictis ne minimum quidem attenderant alia vero cum mala mente audiebant. Ideoque Christus ænigmatice ipsis loquebatur.

Cur Christus non nisi ænigmatice discipulis de sua futura resurrectione locutus fuerit. Apostolorum virtus quanta. Eleemosyna commendatur. — Sed quod jam quæritur, hoc est, cur discipuli non noverint ipsum a mortuis resurrecturum esse? Quia nondum Spiritus gratia dignati fuerant. Quapropter de resurrectione frequenter audientes, nihil intelligebant: sed cogitabant intra se quid hoc esset. Nam stupendum et inexspectatum erat, quod dicebatur, quod nempe quispiam sese posset resuscitare, atque illo modo resuscitare. Ideo Petrus increpatus fuit, quod cum nihil nosset de resurrectione, diceret: *Propitius esto tibi* (*Matth.* 16. 22). Neque Christus ante rem ipsam hoc illis revelavit, ne illis offendiculo esset, qui initio vix fidem habebant iis quæ dicebantur, quod ea admodum inexspectata essent, neque clare scirent quis esset Jesus. Iis enim quæ operibus ipsis clare comprobantur, nemo fidem negaverit; illis vero quæ verbis solum proferebantur, verisimile erat quosdam fidem esse negaturos. Idcirco sinebat initio rem occultam manere. Cum autem experimento dicta sua vera comprobabat, tum verborum dabat intelligentiam, tantamque Spiritus gratiam, ut confestim omnia acciperent. *Ille enim*, inquit, *vobis commemorabit omnia.* Nam qui conceptam de illo reverentiam, una vespera deposuerunt, ac fugerunt, qui se dicebant non nosse illum, vix omnium quæ multo tempore facta dictaque fuerant, recordati fuissent, nisi magnam consequuti fuissent Spiritus gratiam. Si vero, inquies, a Spiritu audituri erant, quid opus erat illos cum Christo versari, non intellecturos ea quæ dicebantur? Quoniam Spiritus non docuit, sed in memoriam revocavit ea quæ Christus dixerat. Non parum autem ad gloriam Christi conferebat, quod Spiritus mitteretur ad renovandam dictorum suorum memoriam. Initio quidem ex Dei beneficio fuit, quod Spiritus gratia involaret, ita copiosa et ampla; deinde eorum virtutis fuit, quod donum tantum retinerent. Vitam quippe sanctitate conspicuam ducebant, multamque sapientiam exhibebant, laboresque magnos: vitam præsentem contemnebant, humana nihili pendebant, sed superiores omnibus fuere; ac sicut aquilæ leves in altum volantes, operibus ad ipsum cælum pertingebant, perque opera ingentem Spiritus gratiam obtinebant. Hos itaque nos quoque imitemur: ne exstinguamus lampades nostras, sed lucidas per eleemosynam reddamus. Hujusce ignis lumen ita servatur. Colligamus igitur oleum in vasis, dum vivimus. Neque enim post discessum hunc nostrum possumus illud emere, nec aliunde accipere, nisi per manus pauperum. Illud, inquam, hinc abunde colligamus, si velimus cum sponso ingredi: sin mi-

hic etiam Nicodemus reverentiam erga Christum servat. Neque enim dictum irrisit, sed impossibile esse putans siluit. Duo namque dubitationem afferre poterant, generatio talis, et regnum. Nondum enim regni nomen apud Judæos auditum fuerat, neque generatio hujusmodi. Sed interim in priori consistit, quod ejus mentem maxime exagitabat.

Divina ratiocinio non scrutanda. Pravi mores mentem obscurant. Divitiarum damna; bona eleemosynæ. — Hæc cum sciamus, ne ratiocinio divina scrutemur, neque ad naturalem rerum seriem illa referamus, vel naturali necessitati subjiciamus; sed pie omnia cogitemus, credentes Scripturæ dictis. Nam curiosus indagator nihil lucratur, ac præterquam quod id quod quærit non inveniet, extremas etiam dabit pœnas. Audis Patrem genuisse: id quod audisti crede; quomodo autem, ne quæras, neque ideo generationem abneges: hoc enim extremæ improbitatis esset. Nam si Nicodemus audita generatione, non illa ineffabili, sed hac generatione secundum gratiam; quia nihil magnum de illa cogitavit, sed humana tantum et terrena commentus est, in dubium et caliginem conjectus est: qui tremendam illam generationem, quæ et rationem et mentem omnem exsuperat, curiose scrutantur et explorant, quanto supplicio digni fuerint? Nihil enim tantas parit tenebras, quantas humana ratio, quæ terrena semper loquitur, neque supernam illuminationem admittit. Luteas quippe versat et terrenas cogitationes. Ideo supernis nobis fluentis est opus, ut luto deposito, quidquid in mente purum est sursum feratur, et cum divinis dogmatibus commisceatur. Illud vero tunc contingit, cum et animam probam et rectam vitam exhibemus. Potest enim, potest utique non ex intempestiva modo curiositate, sed etiam ex morum pravitate mens nostra obscurari. Idcirco Paulus Corinthiis dicebat: *Lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis; sed ne nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis* (1. *Cor.* 3. 2. 3)? In Epistola quoque ad Hebræos et alibi sæpe apud Paulum hæc dicitur esse pravorum dogmatum causa. Anima enim affectibus dedita non potest quid magnum aut generosum intueri; sed ceu quadam lippitudine perturbata, densissimis tenebris subjecta est. Expurgemus itaque nosmetipsos, illuminemus luce[1] cognitionis, ne semen in spinas jaciamus. Quænam hæc sit spinarum copia nostis, etsi nos taceamus. Sæpe namque Christum audistis præsentis vitæ sollicitudinem, divitiarumque fallaciam spinarum nomine vocantem; et jure quidem. Quemadmodum enim illæ infructuosæ sunt, ita et divitiæ; ut illæ tangentes se lacerant, sic et hæc vitia animam: ac quemadmodum spinæ igne facile absumuntur, et odiosæ agricolis sunt, ita et res mundanæ: ac sicut in spinis feræ, viperæ, scorpii occultantur, ita et in divitiarum fallacia. Verum immittamus Spiritus ignem, ut et spinas consumamus, et feras fugemus, ut purum paremus agricolæ arvum; deinde vero spiritualibus ipsum rigemus alveis. Plantemus olivam fructiferam, mitissimam arborem semperque virentem, illuminantem, nutrientem, valetudini aptam. Hæc omnia in se habet eleemosyna, quæ quasi sigillum est ipsam possidentibus. Hanc arborem ne mors quidem ipsa arefacit: sed stat illa semper mentem illuminans, nervos animæ fovens, vires integras servans, robustioremque reddit animam. Si perpetuo illam habeamus, poterimus cum fiducia Sponsum videre, et in thalamum intrare; quem nos omnes assequi contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria simulque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Unus habet, *illuminatione*, pro, *luce*.

HOMILIA XXV.

3. ***Respondit Jesus: Amen dico tibi: Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei.***

1. Pueruli quotidie magistros adeuntes, doctrinam accipiunt et recitant, et numquam hoc agendi finem faciunt, imo nonnumquam noctibus dies adjiciunt, idque pro fluxis rebus facere a vobis coguntur. Nos autem non a vobis, qui in perfectiore ætate estis, hoc requirimus, quod vos a filiis vestris exigitis. Neque enim quotidie, sed bis tantum in hebdomada (*a*), idque per brevem diei partem, ut laborem levemus, vos concioni adesse et attendere hortamur. Ideo paulatim vobis Scripturarum dicta decerpimus, ut ea facilius capere, et in mentis vestræ receptaculis deponere valeatis, atque in memoria retinere, ut possitis ea aliis referre. Nisi fortasse quispiam admodum somniculosus sit et ignavus puerulo que hebetior. Dictorum itaque seriem arripiamus; Nicodemo namque in humiliora decidente, et Christi dictum ad terrenam generationem deprimente, ac dicente impossibile esse senem denuo nasci, Christus generationis illius modum clarius explicat, qui difficile quidem intelligeretur ab eo, qui animali modo interrogasset, possetque tamen ab hac abjecta cogitatione interrogantem erigere. Quid enim dicit? *Amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare in regnum Dei*; id est: Tu quidem hoc impossibile esse dicis: ego vero admodum possibile dico; ut etiam necessarium sit, et sine illo nemo salvus esse possit. Necessaria enim, nobis admodum facilia fecit Deus. Nam terrena quidem generatio, secundum carnem, ex pulvere est: quapropter a cœlestibus illa intercluditur: quid enim habet terra cum cœlo commune? Illa vero ex Spiritu facile nobis cœlestes illos fornices aperit. Audite quotquot nondum illuminati estis: exhorrescite, gemite: tremenda quippe est comminatio, terribilis sententia; *Non potest*, inquit, *qui non natus est ex aqua et Spiritu, intrare in regnum cœlo-*

(*a*) Chrysostomus bis in hebdomade concionabatur

rum. Quia mortis indumentum gestat, nempe maledictionis et corruptionis : nondum Dominicum accepit symbolum; peregrinus est et alienus; non habet regium signum. *Nisi quis natus fuerit*, inquit, *ex aqua et Spiritu*, *non potest introire in regnum cælorum*. Verum Nicodemus neque sic intellexit. Nihil enim deterius, quam humanis ratiociniis spiritualia permittere. Hoc impedivit, quominus ille sublime quidpiam et magnum cogitaret. Ideo nos fideles vocamur, ut humanarum rationum imbecillitate contempta, ad fidei sublimitatem ascendamus, et bonorum nostrorum summam hujusmodi doctrinæ committamus : quod si fecisset Nicodemus, res non illi impossibilis visa fuisset. Quid ergo Christus? Ut illum abducat ab hac cogitatione humi repente, et ostendat se non de hac generatione loqui, ait : *Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum cælorum.* Sic autem loquutus est, ut per hanc comminationem ipsum ad fidem pertraheret, suaderetque ipsi ne rem esse impossibilem existimaret, atque illum a carnalis generationis cogitatione abstraheret. De alia, inquit, loquor generatione, o Nicodeme; cur sermonem ad terram detrahis? cur naturæ necessitati rem illam subjicis? Hic partus vulgari illo superior est, nec quid commune nobiscum habet. Hæc quoque generatio vocatur, sed nomine tantum communis, re differt. Abscede a vulgari more : alium induco partum in mundum : alio modo gigni homines volo : novum procreationis modum affero. Formavi ex terra et aqua; non utile figmentum fuit, sed vas deterius factum est. Non ultra ex terra et aqua efformare volo, sed ex aqua et Spiritu. Quod si quis interroget, quomodo ex aqua? interrogabo et ego illum, Quomodo ex terra? quomodo lutum varias in partes distributum est? quomodo unius speciei erat illud quod subjectum est? Terra tantum erat; quæ autem ex illa facta sunt, diversæ sunt speciei. Unde ossa, nervi, arteriæ, venæ? unde membranæ, vasa organica, cartilagines, tunicæ, hepar, splen, cor? unde pellis, sanguis, pituita, bilis? unde tot operationes? unde varii colores? hæc enim non ex terra vel luto proficiscuntur. Quomodo terra accepto semine germinat, caro autem hæc accepta corrumpit? quomodo terra jacta semina nutrit, caro autem ab illis nutritur, non illa nutrit? Exempli causa, terra aquam excipiens, vinum fecit; caro sæpe vinum accipiens, in aquam convertit. Unde ergo liquet hæc ex terra esse, cum terra contrariam exhibeat operationem, ut dixi? Id ratiocinio assequi nequeo; sola fide accipio. Si ergo illa quæ quotidie fiunt et tanguntur, fide opus habent : multo magis illa admodum arcana et spiritualia. Quemadmodum enim terra inanimata, immota, Deo sic volente virtutem accepit, ut tam mirabilia ex illa prodirent : ita ex Spiritu et aqua simul hæc mirabilia et rationem superantia omnia facile parantur.

2. *Quomodo Nicodemum instituerit Christus. Discrimen inter primam hominis creationem et secundam quæ fit per Spiritum sanctum. Vita alia multo melior exspectatur. Baptismi sublimitas. Cur aqua ad illuminationem necessaria.* — Ne itaque quoniam illa non vides, fidem neges. Nam nec animam vides, et tamen credis animam esse, et diversam a corpore. Verum Christus non hoc exemplo Nicodemum instituit, sed alio. Hoc enim, nempe anima, cum incorporeum sit, ideo non in medium adduxit, quia ille adhuc rudior erat. Aliud ergo exemplum ponit, quod cum corporum crassitudine communionem quidem nullam habeat, neque in incorpoream ascendit naturam ; id est, ventorum impetum. Et primum ab aqua orditur, quæ tenuior est quam terra, crassior quam ventus. Quemadmodum enim a principio elementum terra subjecta est, totum autem opificis fuit : sic et nunc aqua elementum subjicitur : totum autem est ex Spiritus gratia : et tunc quidem *Factus est homo in animam viventem* (*Gen.* 2. 7); nunc vero in Spiritum vivificantem. Multum autem est inter utrumque discrimen : anima enim vitam alteri non dat; Spiritus vero non per se tantum vivit, sed et aliis vitam præbet. Sic mortuos suscitarunt apostoli. Et olim quidem post creationem homo demum formatur; nunc vero contra ante novam creationem novus homo creatur. Nam hic prior generatur, deinde mundus transformatur. Et ut a principio totum formavit, sic et nunc totum ipsum creat. Et tunc quidem ait : *Faciamus ei adjutorium* (*Ibid. v.* 18); hic vero nihil simile. Nam qui Spiritus gratiam accepit, quo altero egebit adjutore? qui in corpore Christi consistit, qua deinde egebit ope? Tunc ad imaginem Dei fecit hominem, nunc ipsi Deo conjunxit : tunc jussit illum imperare piscibus et bestiis, nunc supra cælos primitias nostras assumpsit : tunc paradisum habitandum dedit, nunc cælum nobis aperuit : tunc formatus homo est die sexta, quia complendum erat sæculum; nunc prima die et ab initio, et cum luce. Ex quibus omnibus liquet, ea quæ perficiebantur ad aliam meliorem vitam pertinere, et ad statum numquam terminandum. Prima itaque formatio Adæ terrena est, et post hanc ex Adæ latere, mulieris, et post illam ex semine, Abelis. Attamen nullam explorare possumus, nec sermone describere, etsi illa crassiora sint. Quomodo ergo spiritualis per baptismum generationis quæ longe sublimior est, rationem dare poterimus? quo pacto stupendi partus ratio a nobis expetatur [1]? nam et angeli huic generationi adfuere. At vero modum explicare mirabilis illius per baptismum generationis, nemo potuerit. Adfuerunt illi, nihil efficientes, sed ea quæ fiebant solum videntes. Pater, Filius et Spiritus sanctus omnia operatur (*a*). Obtemperemus ergo Dei sententiæ, quæ est ipso visu certior. Nam visus sæpe fallitur : illa falli nequit. Obtemperemus itaque ipsi. Nam quæ illa quæ non erant produxit, de eorum natura loquens fidem meretur. Quid igitur illa dicit? Id quod efficitur esse generationem.

[1] Morel. sic effert hunc locum...... *Crassiora sint. Quod si de illis disserere sit impossibile, quomodo ergo de spirituali generatione, quæ his est multo sublimior, disserere non erit impossibilius? Quomodo etiam non supervacaneum a nobis rationem postulare?*

(*a*) Ad tria supposita singulari verbo utitur, ut notat Savilius, quo scilicet unitas substantiæ declaratur.

Quod si tibi quispiam dixerit, Quomodo? ex Christi sententia os ejus obstrue, quæ magna claraque est demonstratio. Si quis vero interrogaverit, cur aqua assumatur; vicissim interrogemus et nos, cur terra ab initio ad hominis formationem producta sit. Nam quod sine terra posset hominem formare, nemini non conspicuum est. Ne itaque curiosius inquiras. Quod enim necessaria sit aqua hinc ediscas: cum aliquando Spiritus ante aquam descendisset, non hic stetit apostolus, sed ut ostendat hanc necessariam nec superfluam esse, vide quid dicat: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos* (*Act.* 10. 47)? Quid ergo opus est aqua? Hoc jam dicam ut occultum mysterium vobis aperiam. Sunt quidem hac de re arcani quidam alii sermones; interim autem vobis ex multis unum dicam. Quis ille est? Divina celebrantur in hoc symbolo: sepultura, mortificatio, resurrectio, vita, et hæc simul fiunt omnia. In aqua enim tamquam in sepulcro caput immergentibus nobis, vetus homo sepelitur ac demergitur totus: deinde nobis emergentibus, novus exsurgit. Ut enim nobis facile est immergi et postea emergere: sic Deo facile est veterem sepelire hominem, et novum inducere. Ter hoc fit, ut discas virtutem Patris et Filii et Spiritus sancti hæc omnia implere. Quod autem hæc non per conjecturam dicta sint, audi Paulum: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem* (*Coloss.* 2. 12); ac rursum, *Vetus homo noster simul crucifixus est* (*Rom.* 6. 6); et iterum, *Complantati facti sumus similitudini mortis ejus* (*Ibid v.* 5). Non modo autem baptisma crux dicitur, sed crux quoque baptisma. *Baptismo quo ego baptizor, vos baptizabimini* (*Marc.* 10. 39); ac rursum, *Baptismo habeo baptizari, quem vos nescitis* (*Luc.* 12. 50). Quemadmodum enim nos facile baptizamur et emergimus, sic et ille mortuus cum voluit, resurrexit; imo longe facilius, etiamsi triduo per mysterium et œconomiam manserit.

3. *Baptizatos ut digne baptismo agant, nondum baptizatos ut quam primum baptizentur hortatur. Catechumeni fidelibus extranei sunt. Baptismum usque ad mortem differentes redarguuntur. Commendatur eleemosyna.* — Talibus ergo dignati mysteriis, vitam tanto dono dignam exhibeamus, optimum institutum. Qui vero nondum his dignati estis, omnia facite ut iis dignemini, ut unum corpus efficiamur, ut simus fratres. Quamdiu enim sic separamur, etsi pater quis fuerit, etsi filius, etsi frater, quivis tandem fuerit, nondum vere cognatus est, cum a superna cognatione sit abstractus. Quæ enim utilitas ex lutei generis conjunctione, cum spiritualiter non sumus conjuncti? quod lucrum terrenæ affinitatis, cum in cælis sumus extranei? Extraneus quippe est catechumenus fideli. Neque enim idem ipsum caput habet, non eumdem patrem, non eamdem civitatem, non escam, non indumentum, non mensam, sed omnia segregata. Etenim huic omnia in terra, illi omnia in cælo: huic Christus rex est, illi peccatum et diabolus: huic Christus deliciæ, illi corruptio. Indumentum quoque illi vermium opera, huic angelorum Dominus: civitas huic cælum, illi terra. Cum ergo nihil commune habeamus, in quo, quæso, communicabimus? Sed eodem partu, ex eadem vulva prodimus? Verum neque hoc sufficit ad genuinam cognationem. Studeamus igitur, ut supernæ civitatis cives simus. Quousque in exsilio manemus, cum oporteret veterem repetere patriam? Neque enim de re nullius pretii periculum est. Sed si accidat, quod Deus avertat, inexspectata morte non initiatos hinc abripi, etiam si mille bonis instructi simus, nihil aliud nos excipiet, quam gehenna et vermis venenatus, ignis inexstinguibilis, vincula insolubilia. Verum absit ut quispiam auditorum supplicium illud experiatur. Quod vitabimus, si sacris mysteriis dignati, aurum, argentum et lapides pretiosos pro fundamento ponamus. Sic enim poterimus illo abeuntes, divites apparere, quando non hic pecunias reliquerimus, sed ad tutos illos thesauros transmiserimus per manus pauperum; quando Christo mutuum dederimus. Multa debemus illic, non pecunias, sed peccata. Mutuo igitur illi pecunias demus, ut impetremus remissionem peccatorum. Ipse enim est qui judicat. Ne despiciamus illum hic esurientem, ut et ipse nos ibi nutriat. Hic induamus ipsum, ut non relinquat nos nudos patrocinio suo. Si hic illi potum dederimus, non dicemus cum divite: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, ut refrigeret linguam nostram adustam* (*Luc.* 16. 24). Si hic eum domi accipiamus, illic multas nobis parabit mansiones. Si invisamus eum in carcere detentum, ipso quoque nos a vinculis liberabit. Si illum hospitem exceperimus, non despiciet nos, qui peregrini et hospites sumus in regno cælorum, sed supernæ civitatis consortes reddet. Si infirmum illum invisamus, cito nos ille liberabit ab infirmitatibus nostris. Ut ergo qui magna pro parvis donis accipiamus, saltem illa exigua demus, ut maxima mercemur. Dum adhuc tempus est, seminemus, ut metamus. Cum enim hiems advenerit, cum mare non ultra navigabile erit, tunc non penes nos erit negotiari. Sed quando erit hiems? Cum advenerit dies ille magnus et conspicuus. Tunc enim non hoc mare magnum et spatiosum navigabimus: mari namque præsens vita similis est. Nunc serendi tempus est, tunc metendi et lucrandi. Si quis sementis tempore semina non jecerit, si tempore messis serat inutiliter, sane ridiculus erit. Si serendi sit tempus, non jam colligendum, sed serendum est. Dispergamus igitur ut colligamus; ne jam colligere satagamus, ne messem perdamus. Nam hoc tempus, ut dixi, ad serendum evocat, et ad erogandum, non ad colligendum et recondendum. Ne itaque opportunitatem amittamus, sed ubertim semen jaciamus, nec rei familiari ullo modo parcamus, ut eam cum magno recipiamus fœnore, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, unaque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

6. Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex Spiritu, spiritus est.

1. Magnis nos mysteriis dignatus est unigenitus Filius Dei; magnis, et quibus digni non eramus, sed quæ decebat illum dare. Nam si merita nostra quis reputet, non solum dono eramus indigni, sed supplicio et ultioni obnoxii. Sed id non respiciens ille, non modo nos a supplicio liberavit, sed vitam largitus est priori longe clariorem; in alium nos mundum induxit, aliam condidit creaturam: *Si qua enim in Christo nova creatura* (2. *Cor.* 5. 17), inquit. Quæ nova creatura? Audi ipsum: *Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non poterit intrare in regnum Dei.* Paradisus nobis concreditus fuit [1], neque digni fuimus qui illic versaremur, et in cælum nos extulit. In prioribus fideles non fueramus, et majora tamen tradidit: non potuimus ab uno abstinere ligno, et supernas præbuit delicias: in paradiso non perseveravimus, et cælos nobis aperuit. Jure dixit Paulus: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei* (*Rom.* 11. 33)! Non ultra mater, non ultra partus, non somni, non concubitus et amplexus: sursum tandem naturæ nostræ texitur opificium ex Spiritu et aqua. Aqua autem assumpta est, partus genito facta. Quod est matrix embryoni, hoc est aqua fideli: in aqua enim fingitur et formatur. Primum dicebatur: *Producant aquæ reptile animæ viventis* (*Gen.* 1. 20); ex quo autem Jordanis fluenta ingressus est Dominus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales Spiritum sanctum ferentes aqua producit. Ac quod de sole dictum est, *Tamquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.* 18. 6); id de fidelibus jam dici possit, qui splendidiores quam sol emittunt radios. Sed quod in vulva formatur, tempore opus habet; in aqua vero non sic, sed uno temporis momento fiunt omnia. Ubi enim fluxa vita ex corporea corruptione principium habet, moras trahit id quod paritur (talis quippe est corporum natura: tempore illa perfectionem acquirunt): spiritualia vero non sic. Sed quid? A principio perfecta sunt. Verum quia Nicodemus hæc frequenter audiens turbabatur, vide quomodo ipsi mysterii arcanum aperiat, et clarum reddat id quod obscurum antea erat, cum ait: *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Ipsum abducit a rebus omnibus sub sensum cadentibus, neque sinit corporeis oculis mysteria scrutari. Non de carne, inquit, disserimus, sed de spiritu, o Nicodeme. Interim cum ad superna transmittit. Nihil ergo sensile quæras: nam Spiritus his oculis non percipitur: neque putes quod carnem Spiritus pariat.

Christi caro quomodo nata. Explicatio illius, Quod natum est ex spiritu, spiritus est, *et illius,* Spiritus ubi vult spirat.— Quomodo ergo, dixerit forte quispiam, Domini, caro nata est? Non a Spiritu tantum, sed etiam a carne; quod Paulus his verbis significat: *Factum ex muliere, factum sub lege* (*Gal.* 4. 4). Spiritus enim illam sic formavit, non ex nihilo: nam quid opus fuisset vulva? sed ex virginea carne: quomodo autem, non possum explicare. Illud porro factum est, ne quis alienum a natura nostra partum illum existimaret. Nam si re sic gesta, sunt tamen quidam qui talem non credunt generationem; nisi virginalis carnis particeps fuisset, quo non prorupissent impietatis? *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Viden' Spiritus dignitatem? Nam Dei opus ille efficit. Supra dicebat, *Ex Deo nati sunt*; hic vero dixit ipsos a Spiritu gigni: *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est*; id est, Qui natus est ex Spiritu, spiritualis est. Generationem quippe hic non secundum substantiam dicit, sed secundum honorem et gratiam. Si ergo filius sic natus est, quid amplius habebit quam cæteri homines, qui ita nati sunt? quomodo Unigenitus est? Nam et ego ex Deo natus sum, sed non ex ejus substantia. Si ergo neque ipse ex ejus substantia, in quo differt a nobis? Sic quoque Spiritu minor invenietur. Nam hujusmodi generatio fit ex Spiritus gratia. Num ergo ut Filius maneat, Spiritus auxilio opus habet? Ecquid hæc a Judaica doctrina differunt? Cum dixisset ergo Christus, Qui natus est ex Spiritu, spiritus est; quod turbatum illum adhuc cerneret, ad sensibile exemplum progreditur. 7. *Ne mireris*, inquit, *quia dixi tibi, Oportet nos nasci denuo.* 8. *Spiritus ubi vult spirat.* Cum dicit, *Ne mireris*, ejus animi perturbationem significat, et ad subtiliorem corporum rationem deducit. Nam a carnalibus ipsum abduxerat his verbis, *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Quia vero non intelligebat ille quid hoc esset, rursus illum ad aliam transfert imaginem, neque ad corporum crassitudinem adducens, neque de incorporeis omnino loquens (neque enim poterat id ille intelligere); sed medium aliquid corporeum inter et incorporeum invenit, venti nempe impetum; indeque illum instituit. De vento namque dicit: *Vocem ejus audis; sed nescis unde veniat, aut quo vadat.* Cum dicit, *Ubi vult spirat*, non significat ventum arbitrio suo ferri; sed naturalem ejus impetum et vim sine impedimento latam. Solet enim Scriptura etiam de inanimatis ita loqui, ut cum dicit: *Vanitati creatura subjecta est non volens* (*Rom.* 8. 20). Illud igitur, *Ubi vult spirat*, non posse illum retineri significat, et ubique diffundi, neminemque illum impedire, quominus huc illuc feratur; sed magna vi effundi, nemine impetum coercere valente.

2. *Et vocem ejus audis*; strepitum nempe et sonum: *sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Sic est omnis qui natus est ex Spiritu.* Hæc conclusio est. Si hujus venti, inquit, quem sensu, nempe auditu et tactu, percipis, impetum explicare non potes, nec viam

[1] Quidam Codices habent: *E possessione terræ excidimus.*

ejus nosti; cur divini Spiritus operationem curiose exploras, qui venti vim non intelligis, etsi sonum audias? Illud enim, *Ubi vult spirat*, de Paracleti potestate dictum est, et sic explicandum: Si ventum nemo cohibet, sed quo vult ille fertur, multo magis Spiritus operationem nec naturæ leges quælibet, nec corporeæ generationis termini, nec quævis alia hujusmodi poterunt cohibere. Quod autem de vento dicatur illud, *Vocem ejus audis*, inde perspicuum est. Neque enim infideli, qui non nosset operationem Spiritus dixisset, *Vocem ejus audis*. Quemadmodum igitur ventus non apparet, etiamsi sonum emittat: sic nec spiritualis generatio oculis corporeis perspicitur. Atqui ventus est corpus, licet tenuissimum: nam quod sensui subjicitur, corpus est. Si ergo non ægre fers quod corpus non videas, neque ideo ipsum esse diffiteris; cur de spiritu audiens turbaris, et tot rationes exigis, cum tamen id circa corpus non agas? Quid ergo Nicodemus? Adhuc in Judaica vilitate manet, cum tam manifestum exemplum acceperit. Cui adhuc cum dubio dicenti, 9. *Quomodo possunt hæc fieri?* vehementius dicit Christus, 10. *Tu es magister in Israel, et hæc ignoras?* Vide quomodo nusquam eum de malitia, sed de stoliditate potius [1] ac simplicitate accusat. Ecquid habet commune dixerit quispiam, hæc generatio cum Judaicis rebus? Sed quid, quæso, non commune? Etenim primi hominis formatio, necnon mulieris ex latere eductæ, item steriles, et ea quæ per aquas perfecta sunt, in fonte videlicet, unde Elisæus ferrum eduxit; ea quæ in mari Rubro, quod trajecerunt Judæi; ea quæ in piscina, quam angelus agitabat, et quæ ad Neeman Syrum spectant, qui in Jordane mundatus est: hæc inquam omnia generationem et purgationem futuram, quasi in figura prænuntiabant; necnon prophetarum dicta hunc nascendi modum subindicabant, exempli causa: *Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus* (*Psal.* 21. 34); et illud, *Renovabitur ut aquilæ juventus tua* (*Psal.* 102. 5); item, *Illuminare Jerusalem: ecce Rex tuus venit* (*Isai.* 60. 1): et, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates* (*Psal.* 31. 1). Et Isaac quoque figura erat hujus generationis. Dic enim, o Nicodeme, quomodo natus ille est? an lege naturæ? Nequaquam: ergo quidam medius inter hanc et illam generationem modus erat, illa enim ex concubitu est, hic vero non ex sanguinibus natus est. Ego vero demonstrabo, non hanc modo generationem, sed et illam ex Virgine, hisce modis prænuntiatam fuisse. Quia enim nemo facile crediturus erat virginem parere, steriles primum, deinde non modo steriles, sed etiam anus pepererunt: quamvis longe mirabilius sit, ex costa mulierem fieri; verum quia illud antiquissimum erat, alius pariendi novus modus sequutus est, nempe sterilium, qui virginalis partus fidem antecessit. Hæc ergo Nicodemo in memoriam revocans dicebat: *Tu es magister in Israel, et hæc ignoras? Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum nemo accipit.* Hæc subjunxit, et aliunde rursum dicto fidem faciens, et illius [1] imbecillitati se attemperans.

3. Quid vero significat illud, 11. *Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur?* Quia cum visus plus quam alii sensus nobis fidem faciat, et cum persuadere volumus, ita loquamur, Non auditu percepimus, sed ipsis oculis vidimus. Ideo Christus humano more ipsum alloquitur, hincque dictis fidem facit. Quodque res ita sit, quod nihil aliud declarare velit, neque visum sensibilem intelligat, hinc palam est. Postquam enim dixerat, *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex Spiritu, spiritus est*; subjunxit, *Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur*. Hoc autem nondum factum fuerat. Cur ergo dicit, *Quod vidimus?* Annon manifestum est ipsum loqui de accurata cognitione, quæ non errare possit? *Et testimonium nostrum nemo accipit.* Illud ergo, *Quod scimus*, vel de se et de Patre dicit, vel de se ipso solum. Illud vero, *Nemo accipit*, non ægre ferentis nunc est, sed rem gestam narrantis. Non enim dixit: Quid vobis insensibilius sit, qui ea quæ a nobis ita accurate annuntiantur non admittitis? sed rebus et verbis nullam non mansuetudinem exhibens, nihil ita loquitur; sed miti sermone quod futurum erat prædicit, nos hinc quoque ad summam instituens mansuetudinem, ut cum quosdam alloquimur, nec ipsis suademus, ne id indigne feramus. Nam qui indignatur, nihil perficere solet, sed magis a fide habendà avertit. Ideo oportet ab ira abstinere: illud vero quod dicimus fide dignum reddere, abstinendo, non ab ira modo, sed etiam a clamore. Materia enim iræ clamor. Impediamus igitur equum, ut dejiciamus equitem; iræ pennas cædamus, ne malum accrescat. Acutus enim morbus est ira, qui possit animas nostras decipere. Ideo illi aditus undique intercludendus est. Nam absurdum esset feras mansuefacere posse, mentem vero nostram efferatam despicere. Ignis vehemens est ira, qui omnia absumit: nam et corpus corrumpit et animam labefactat, atque injucundum visuque turpem hominem reddit. Certe si iratus seipsum intueri posset, non altera indigeret admonitione. Nihil enim insuavius irato vultu. Ebrietas quædam ira est, imo ebrietate deterior, et dæmone miserabilior. Verum si curemus ne in clamorem erumpamus, optimam philosophiæ viam inveniemus. Ideo Paulus non iram modo, sed etiam clamorem vitare jubet: *Omnis ira et clamor tollatur a vobis* (*Ephes.* 4. 31). Obtemperemus [2] ergo huic omnis philosophiæ magistro: et cum contra servos nostros irascimur, peccata nostra cogitemus, et eorum nos mansuetudinis pudeat. Cum enim tu conviciis oneras, ille vero silens convicia tolerat; tu te turpiter geris, ille philosophatur: id pro admonitione habeas. Etsi namque servus, homo tamen est, anima præditus immortali, iisdemque a communi Domino honoratus donis. Quod si par nobis in majoribus et spiritualibus, hu-

[1] Alii legunt, *tantum*, pro, *potius*.

[1] Morel. habet, *illorum*, pro, *illius*.

[2] Unus habet: *Ideo Paulus.... clamorem suppressit. Obtemperemus*, etc., omissis interpositis.

manæ cujusdam et vilis prærogativæ gratia convicia nostra ita mansuete ferat : qua venia, et qua defensione digni erimus, qui divino metu non possumus, imo nolumus, ut ille nostro, philosophari ? Hæc itaque omnia nobiscum reputantes, ac peccata nostra naturæque consortium cogitantes, mansuete ubique loqui studeamus, ut humiles corde effecti, animabus nostris requiem inveniamus et præsentem et futuram ; quam utinam omnes assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria unaque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVII.

12. *Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis? 13. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo.*

1. *Christus auditorum imbecillitati se attemperabat, quomodo et qua mente. Unigeniti generatio non ratione inquirenda. Versus quos explicat inter se cohærere et quadrare demonstrat Chrysostomus.* — Quod sæpe dixi, hoc et nunc dicam, nec finem dicendi faciam. Quid hoc est ? Loquuturus Jesus de sublimibus, auditorum sæpe imbecillitati sese attemperat, neque magnitudine sua dignis utitur verbis, sed demissioribus. Nam sublime magnumque dictum semel prolatum, illam posset dignitatem declarare, quantum scilicet audire nos possumus : humiliora vero, quæ auditorum mentem attingere possunt, nisi frequenter dicerentur, sublimia cum essent, humi repentem auditorem non attigissent. Ideo longe plura humilia dixit, quam sublimia. Sed ne hoc aliud damnum importaret, et humi discipulum retineret, inferiora illa non dicit, nisi causam illa dicendi afferat : quod hic etiam fecit. Cum enim dixisset de baptismate, et de illa quæ in terra fit secundum gratiam generatione, volens de generatione illa sua arcana et ineffabili loqui, intermittit tamen, et qua de causa intermittat ipse declarat. Quænam illa causa est? Auditorum crassities et imbecillitas, quam mox subindicavit his verbis : *Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis?* Itaque ubi modestum quid et humile dicit, id auditorum imbecillitati adscribendum est. Terrestria vero hic quidam putant ventum significare, ac si diceret : Si exemplum ex terrenis dedi, nec tamen obtemperastis, quomodo poteritis sublimiora discere ? Si porro hic baptisma terrenum appellet, ne mireris. Aut enim illud ita vocat quod in terris conferatur ; aut ita vocat, ipsum comparando cum tremenda illa sua generatione. Nam etsi hæc generatio cælestis sit, si tamen comparetur cum illa ex Patris substantia generatione, terrena dici potest. Ac jure non dixit, Non intelligitis, sed, *Non creditis.* Si quis enim ea credere et admittere nolit, quæ mente percipi possunt, is jure stultitiæ accusetur ; si quis vero illa non admittat, quæ non mente, sed fide percipiuntur, is non jam stultitiæ, sed incredulitatis causa arguitur. Ut ergo illum abducat, ne ratiociniis dictum percipere quærat, vehementius in illum invehitur, de incredulitate accusans. Si vero nostram illam generationem fide admittere oporteat, quo non digni sunt supplicio, qui Unigeniti generationem ratione inquirunt ? Sed forte dixerit quispiam, Cur hæc dicta sunt, si auditores non credituri erant ? Quia etsi illi non credituri erant, at credituri certe futuri homines, et hinc utilitatem percepturi. Vehementius ergo in illum invehens, ostendit demum, se non modo illa nosse, sed etiam alia longe plura et majora ; quod per sequentia ostendit dicens : *Nemo in cœlum ascendit, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo.* Et quænam, inquies, hæc consequentia ? Maxima certe, et admodum cum supradictis consonans. Quia enim ille dixerat : *Scimus quia a Deo venisti magister*, hoc ipsum ille corrigit, ac si dicat : Ne putes me ita magistrum esse ut multi prophetæ, qui de terra erant. Ex cælo namque venio. Prophetarum quippe nullus eo ascendit ; ego illic habito. Viden' quomodo illud etiam quod admodum sublime videtur esse, ejus magnitudine indignissimum sit ? Non tantum enim in cælo est, sed etiam ubique, et omnia implet. Verum adhuc pro auditoris imbecillitate loquitur, ut paulatim illum erigat. Filium autem hominis hic non carnem vocavit, sed a minori substantia se totum, ut ita dicam, nominavit. Solet enim sæpe a divinitate, sæpe ab humanitate, se totum vocare. 14. *Et sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Hoc rursum videtur a superioribus alienum ; sed cum illis maxime consentit. Cum dixisset enim maximum per baptisma collatum hominibus esse beneficium, addit hujus causam, neque illam minorem, scilicet per crucem. Quemadmodum et Paulus Corinthios alloquens, hæc simul jungit beneficia his verbis : *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis* (*Cor.* 1. 13) ? Hæc enim duo maxime ineffabilem ejus amorem ostendunt ; quod pro inimicis passus sit, et quod pro inimicis mortuus, per baptismum integram peccatorum veniam largitus sit.

2. Cur autem non clare dixit se crucifigendum esse, sed ad veterem figuram auditores remisit ? Primum ut discerent [1] veterum cum novis cognationem, scirentque hæc illis aliena non esse ; deinde ut intelligas, ipsum non invitum ad mortem venisse ; ad hæc autem ut disceres, nullum ipsi ab illa re damnum importari, et hinc multis ipsum salutem parere. Ne quis enim diceret, Et quomodo fieri potest, ut qui in crucifixum credunt, salutem consequantur, cum et ipse a morte correptus fuerit ? ad veterem nos historiam ducit. Nam si imaginem æneam serpentis respicientes Judæi, mortem vitabant ; multo

[1] Savil., *ut discas.*

magis ii qui in crucifixum credunt, præstantiore fruentur beneficio. Non enim propter crucifixi imbecillitatem, neque quod Judæi superiores fuerint, ita factum est: sed quia *Deus dilexit mundum*, ideo animatum ejus templum crucifigitur. 15. *Ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Viden' crucis causam, et salutem inde partam? viden' figuræ cum veritate consonantiam? Illic mortem effugere Judæi, sed temporaneam; hic æternam fideles. Illic suspensus serpens serpentum morsus curabat: hic crucifixus Jesus a spirituali dracone inflictas plagas curabat. Illic qui oculis corporeis videbat, curabatur; hic qui mentis oculis videt, peccata omnia deponit. Illic æs pendebat ad modum serpentis figuratum; hic corpus Dominicum a Spiritu formatum. Illic serpens mordebat, et serpens curabat; hic mors perdidit, et mors servavit. Sed qui interimebat serpens, venenum habebat; qui vero servabat, veneno vacuus erat. Idipsum jam videre est. Nam mors quæ interimebat, peccatum habebat, ut venenum serpens: Domini autem mors ab omni peccato immunis erat, ut æneus serpens a veneno vacuus. *Peccatum* enim, inquit, *non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (1. *Pet.* 2. 22). Hoc ergo est quod significavit Paulus: *Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso* (*Coloss.* 2. 15). Quemadmodum enim athleta strenuus, cum sublimem actum adversarium prosternit, clariorem refert victoriam: sic et Christus toto spectante orbe, adversarias potestates dejecit; et eis qui in solitudine vulnerati fuerant curatis, ab omnibus feris ipsos in cruce suspensus liberavit. Verum non dixit, Suspendi oportet, sed, *Exaltari*. Quod enim dictu tolerabilius esse videbatur in audientis gratiam, hoc proxime ad figuram (*a*) accedens posuit.

Dei amor erga homines quantus sit ex incarnatione et passione probatur. Quare morte sua subindicata, statim se auctorem vitæ prædixerit Christus.— 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hoc est: Ne mireris quod ego exaltandus sim, ut vos salutem consequamini. Nam hoc ita Patri visum est; et sic ille vos dilexit, ut pro servis Filium daret, et pro ingratis servis. Atqui neque pro amico quispiam id agat: *Vix enim pro justo quis moriatur* (*Rom* 5. 7). Sed ille longiore usus sermone est, quia fidelibus verba faciebat: hic autem brevius Christus, quia Nicodemum alloquebatur; sed cum majore emphasi: quæ in singulis dictis observatur. His enim verbis, *Sic dilexit*, et, *Deus mundum*, ingens amor significatur. Multum quippe, imo immensum erat discrimen. Nam immortalis et sine principio, magnitudo infinita, ex terra et cinere formatos, innumeris onustos peccatis, qui semper se offendebant, ingratos; hos, inquam, dilexit. Et quæ postea sequuntur perinde vehementia sunt; addit enim: *Ut Filium suum unigenitum daret*; non servum, non angelum, non archangelum ait. Atqui nemo unquam vel circa filium tantum studium adhibuit, quantum Deus circa ingratos servos. Passionem ita, que non omnino aperte, sed obscure prædicit; emolumentum autem ex passione futurum clare dicit: *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quia dixerat ipsum exaltatum iri, et mortem subindicaverat, ne verba isthæc mœrorem parerent auditori, et de ipso humanum quidpiam suspicaretur, putaretque mortem ipsi finem exsistendi futuram esse, vide quo pacto id attemperet, cum dicit datum esse Dei Filium, vitæ causam, imo vitæ æternæ. Is vero qui per mortem suam vitam aliis daturus erat, in morte non diu mansurus erat. Nam si ii qui in crucifixum credunt, non pereunt, multo minus peribit ille crucifixus. Qui enim perniciem ab aliis aufert, multo magis ipse a pernicie liber erit: qui aliis vitam impertit, multo magis sibi impertiet. Viden' ubique opus esse fide? Nam crucem vitæ fontem esse dicit. Id ratiocinium non facile admittat: cujus rei testes nunc sunt gentiles, qui id videntes cum risu excipiunt: fides vero quæ ratiocinii imbecillitatem superat, hoc facile admittit et retinet. Unde autem tantopere Deus mundum dilexit? Non aliunde, quam ex sola benignitate sua.

3. *E beneficiis a Christo in homines collatis, eleemosynam et caritatem commendat, eosque redarguit qui pauperibus neglectis luxui serviunt.*—In pudorem ergo vertamur ob tantam caritatem: erubescamus de benignitatis excessu. Ipse enim ut nos servaret, ne unigenito quidem Filio suo pepercit; nos pecuniis parcimus in nostram perniciem. Ipse unigenitum Filium pro nobis dedit; nos ne argentum quidem in ejus gratiam despicimus, imo nec in nostram utilitatem. Et quanam hæc venia digna sunt? Si hominem videamus pericula et mortem pro nobis subire, ipsum omnibus anteponimus, et in intimis amicis annumeramus, nostra omnia ipsi tradimus, et ea ipsius esse magis quam nostra dicimus; neque sic putamus dignam rependere vicem. Erga Christum vero neque hunc grati animi modum servamus. Ille animam pro nobis posuit, et propter nos pretiosum sanguinem effudit, nos, inquam, qui nec boni nec grati eramus; nos vero ne in nostram quidem utilitatem pecunias effundimus; sed eum qui pro nobis mortuus est, et nudum et peregrinum despicimus. Ecquis nos a futuro supplicio eximet? Nam si non Deus nos, sed nos ipsi puniremus, annon contra nos calculum ferremus? Annon nos ipsos ad gehennæ ignem condemnaremus, quod eum, qui animam pro nobis posuit, fame tabescentem contempserimus? Et quid pecunias memoro? Si enim mille haberemus animas, annon illas omnes pro illo ponere oportuit? Etiamsi ne sic quoque quid beneficio tanto dignum fecissemus. Nam qui prior beneficium ponit, manifestum præ se fert bonitatis indicium: qui autem beneficio afficitur, quidquid tandem dederit, debitum reddit, non gratiam init; maxime vero cum ille prior beneficus inimicis dona confert, et is qui rependit,

(*a*) Nonnisi figurate dicitur Christus exaltari, cum in cruce suspenditur.

benefactori suo dona retribuit, quibus etiam donis ipse quoque fruitur. Verum his non movemur, usque adeo ingrati, ut servis, mulis, equis operimenta aurea circumponamus; Dominum vero nostrum, nudum errantem, ostiatim mendicantem, in compitis stantem et manus extendentem despiciamus, imo sæpe torvis intueamur oculis: etiamsi propter nos hisce malis se subjiciat. Libenter enim esurit, ut tu nutriaris; nudus circumit, ut tibi incorruptionis vestem conferat. Nihil tamen vos erogatis: sed vestimenta vestra alia a tineis roduntur, alia, in arca recondita, superfluæ curæ possidentibus sunt: dum is qui et hæc et alia omnia largitus est, nudus obambulat. Verum hæc non in arca reconditis, sed his magnifice induimini? Quid, quæso, hinc vobis plus accedit? Ut forensium turba vos suspiciat? Ecquid hoc? Non enim his indutum admirantur, sed eum qui egenis largitur. Itaque si velis admirationi esse, alios indue, et sic mille plausibus excipieris. Tunc te Deus cum hominibus laudabit. Contra vero si secus agas, nemo te laudabit, sed omnes tibi invidebunt, dum videbunt corpus ornatum, animam vero neglectam. Hujusmodi ornatum meretrices sectantur, quæ sæpe majori et opulentiori cultu gaudent; ornatus autem animæ penes virtutis studiosos tantum habetur. Hæc frequenter dico, nec finem dicendi faciam, non pauperes tantum curans, quantum animas vestras. Illis enim etsi non a nobis, aliunde tamen quædam erit consolatio; si nulla adsit, et fame pereant, non magnum hoc damnum ipsis. Quid nocuit Lazaro paupertas et fames? Sed vos nihil a gehenna eripiet, nisi pauperum ope juvemini. Sed eadem ipsa dicemus quæ dives ille perpetuo traditus igni, omnis consolationis experti. Verum absit, ut quis illa unquam verba audiat; faxit Deus ut omnes in sinu Abrahæ recipiamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvum faciat mundum.*

1. Multi ex segnioribus, ad peccata multiplicanda et negligentiam augendam divina abutentes clementia, ita loquuntur: Nulla est gehenna, nullum supplicium, omnia Deus peccata remittit. Quorum os sic obstruit sapiens quidam: *Ne dicas, Miseratio ejus magna, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: quia misericordia et ira apud ipsum, et super peccatores ardebit furor ejus* (*Eccli.* 5. 6); et rursum, *Ut multa misericordia ejus, et multa redargutio ejus* (*Eccli.* 16. 13). Et ubi, inquies, benignitas ejus, si secundum peccatorum nostrorum merita accepturi sumus? Quod secundum merita accepturi simus, audi prophetam et Paulum dicentem; illum quidem, *Tu reddes unicuique secundum opera sua* (*Psal.* 61. 13); hunc autem, *Qui reddet unicuique secundum opus suum* (*Rom.* 2. 6). Quod autem nihilominus magna sit Dei clementia, vel hinc palam est, quod cum in vitas duas nostra Deus diviserit, aliam certaminum, aliam coronarum, multam hac in re quoque benignitatem exhibuerit. Quomodo? Quia postquam innumera peccata admisimus, nec cessavimus a juventute ad extremam usque senectutem sceleribus animam nostram inquinare, nullas eorum pœnas repetat, sed per lavacrum regenerationis veniam concedat, imo justitiam et sanctificationem elargiatur. Quid ergo, inquies, si quis a prima ætate mysteriis dignatus, post hæc in mille peccata incidat? Hic certe majori obnoxius est supplicio. Eorumdem enim peccatorum non pares subimus pœnas, sed longe graviores, si postquam initiati sumus, in scelera ruimus. Id significat Paulus his verbis: *Irritam faciens quis legem Mosis, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et gratiæ Spiritus contumeliam fecerit* (*Hebr.* 10. 28. 29)? Ergo majori ille dignus erit supplicio [1].

Christi clementia. Duo Christi adventus. — Verumtamen huic pœnitentiæ portas aperuit, ac multos abluendi peccata modos subministravit, si ille voluerit. Cogites velim quanta sint hæc clementiæ argumenta, quod per gratiam remiserit, et quod post gratiam peccatorem supplicii dignum non puniat, sed emendationis spatium concedat. Propterea ait Christus Nicodemo: *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvet mundum.* Duo enim sunt Christi adventus; qui jam fuit, et qui futurus est: sed non iisdem de causis ambo; sed prior fuit, non ut facinora nostra examinet, sed ut dimittat; secundus erit, non ut dimittat, sed ut examinet. Ideo de priore quidem dicit: *Non veni ut judicem mundum, sed ut salvem mundum;* de secundo autem, *Cum venerit Filius in gloria Patris sui, statuet oves quidem a dextris, hædos autem a sinistris* (*Matth.* 25. 31. 33). *Et abibunt alii quidem in vitam, alii in supplicium sempiternum* (*Ibid. v.* 46). Atqui prior etiam adventus judicii erat secundum justitiæ rationem. Quare? Quia ante adventum ejus lex erat naturalis, prophetæ, rursumque lex scripta, doctrina, mille promissiones, signa, supplicia, et alia multa, quæ possent emendare; quorum ratio omnino exigenda erat, sed quia clemens est, non examen, sed veniam exhibet. Si enim perquisitionem fecisset, omnes plane de medio sublati fuissent: *Omnes enim peccaverunt*, inquit, *et egent gloria Dei* (*Rom.* 3. 23). Vides summam clementiam? 18. *Qui credit in Filium, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est.* Atqui si tunc non venit ut judicaret mundum, quomodo qui non credit, jam judicatus est, si nondum adest judicii tempus? Vel hoc dicit, quia ipsa incredulitas sine pœnitentia

[1] Morel. habet, *Ergo severius punietur qui post gratiam peccat.*

supplicium est; nam extra lucem esse per se magnum est supplicium : vel futura prænuntiat. Quemadmodum enim homicida, licet sententia judicis damnatus non sit, ipsa rei natura jam damnatus est : sic et incredulus. Quandoquidem Adam qua die de ligno comedit, mortuus est : illa quippe sententia erat : *Quacumque die comederitis de ligno, moriemini* (*Gen.* 2. 17). Atqui vivebat. Quomodo igitur mortuus erat? Ex sententia, et ex ipsa rei natura. Nam qui se supplicio obnoxium reddidit, sub supplicio est; etiamsi non reipsa, sed ex sententia. Ne quis enim audiens, *Non veni ut judicem mundum*, se putet impune posse peccare, hincque negligentior evadat, hanc quoque tollit ignaviam, dicens, *Jam judicatus est.* Quia enim judicium futurum nondum venerat, supplicii timorem admovet, et punitionem jam ostendit : id quod multæ est benignitatis, non modo Filium dare, sed etiam supplicii tempus differre, ut possint peccantes et increduli peccata sua abluere. *Qui credit in Filium, non judicatur.* Qui credit, non qui curiose inquirit; qui credit, non qui multum scrutatur. Quid ergo, si impura ejus vita sit, et gesta non bona? Hos utique non vere fideles esse Paulus ait : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* 1. 16). Cæterum hic declarat, ipsos non hac de re judicari; sed ob facinora graviori ultione puniendos esse : infidelitatis vero causa, eo quod crediderint, non puniri.

2. Viden' quomodo cum a terribilibus orsus esset, in eadem rursus desinat? Initio quippe dicebat : *Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum Dei;* hic vero rursum, *Qui non credit in Filium, jam judicatus est;* id est, Ne putes moras peccatis obnoxium juvare, nisi resipuerit. Nam qui non crediderit, nihil differet ab eis qui jam judicati sunt et puniuntur. 19. *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem* : hoc est, Ideo puniuntur, quia tenebras relinquere et ad lucem accurrere noluerunt. His verbis omnem ab illis aufert excusationem. Nam si rationes et pœnas expetiturus venissem, inquit, dicere possent : Ideo resiluimus. Sed veni ut illos a tenebris eriperem, et luci admoverem. Quis ergo misereatur ejus, qui a tenebris ad lucem venire recusat? Cum enim nulla de re nos incusare possint, inquit, sed mille beneficiis sint affecti, a nobis resiliunt. Hac de re quoque illos alibi accusans dicebat, *Odio habuerunt me gratis;* et rursum, *Si non venissem et loquutus fuissem eis, peccatum non haberent* (*Joan.* 15. 25. 24). Qui enim expers lucis in tenebris sedet, fortasse veniam impetret; qui vero post lucis adventum in tenebris residet, perversæ et pervicacis voluntatis argumentum præ se fert. Deinde quia id quod dictum fuerat multis incredibile videbatur (nemo enim tenebras luci prætulerit), causam ponit cur sic affecti essent. Quænam hæc est? *Erant enim*, inquit, *eorum mala opera.* 20. *Omnis autem qui male facit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.*

Pravi mores maxime homines a Christianismo avertunt. Nullus paganus vera virtute præditus. Philosophi gentiles inanis gloriæ causa virtutem exercebant. — Certe non ad judicandum vel ad inquirendum venit; sed ut veniam et remissionem peccatorum daret, et salutem per fidem largiretur. Cur ergo fugerunt[1]? Nam si judicaturus in tribunali sedisset, aliquem excusationis colorem habuissent. Qui enim malorum sibi conscius est, judicem fugere solet : veniam autem concedentem peccatores omnes adeunt. Si ergo condonaturus venit, hos maxime accurrere par erat, qui multorum sibi conscii erant peccatorum : quod etiam multi fecerunt. Nam et publicani et peccatores venientes, cum Jesu accumbebant. Quid ergo sibi vult illud? De illis loquitur qui in nequitia omnino permanere decreverunt. Ipse namque ideo venit, ut priora peccata dimitteret, et ad futura cavenda confirmaret. Quia vero quidam sunt ita molles et dissoluti ad virtutis sustinendos labores, ut ad extremum usque halitum velint in peccatis persistere, et numquam ab illis abscedere, illos hic incessere videtur. Quia enim Christianismus cum recta doctrina probam vitam expetit, ad nos venire formidant, inquit, quia nolunt vitam rectam exhibere. Nam eum qui in gentilium errore vitam ducit nemo reprehenderit : qui enim tales colit deos, festos dies perinde turpes et ridiculos, atque dii ipsi sunt, celebrat, ac digna dogmatibus exhibet opera; qui vero Deum colunt, si segniter vivant, a nemine non reprehenduntur et accusantur : tantæ admirationi etiam apud inimicos suos est veritas. Vide ergo quam accurate loquatur. Non enim dicit, qui prava operatur, non venit ad lucem; sed, Qui in malis perseverat; id est, Qui vult semper in peccati cœno volutari, non vult se legibus meis subjicere; sed extra manens libere fornicatur, cæteraque omnia prohibita exsequitur. Huc enim se conferens, quasi fur in luce, statim manifestus redditur. Ideoque imperium fugit meum. Certe multos gentilium dicentes audimus, se ideo non posse ad fidem nostram accedere, quod non possent ab ebrietate, fornicatione, cæterisque hujusmodi vitiis abstinere. Quid ergo? inquies : annon sunt Christiani non melioris frugis, annon et gentiles philosophice viventes? Christianos esse qui mala perpetrent, ego quoque novi : num autem gentiles sint qui probam ducant vitam, id non perinde notum mihi. Ne mihi illos objicias qui ex natura sua modesti ornatique sunt : hoc enim virtus non est; sed illos afferas, qui affectibus vehementer trahuntur, et tamen philosophantur. At certe non possis. Nam si regni promissio, gehennæ comminatio, et alia hujusmodi vix homines in virtutis exercitio retinent : longe difficilius illam exercebunt qui nihil eorum credunt. Quod si quidam virtutem simulent, id gloriæ causa faciunt; qui autem vanæ gloriæ causa virtutem exercent, ubi latere poterunt, non a pravis cupiditatibus abstinebunt. Verum ne contentiosi videamur, concedamus apud gentiles esse quosdam qui recte vivant : nihil enim hoc dictis nostris officit. Nam

[1] Morel., *fugerunt igitur ad perniciem suam.*

quod sæpe contingit, non quod raro accidit, hic intelligendum.

3. Vide etiam quo pacto aliunde quoque illis omnem excusationis modum auferat, cum dicit, lucem in mundum venisse. Num, inquit, illam quæsierunt? num laborarunt ut assequerentur? Ipsa lux ad illos venit, neque sic tamen accurrerunt. Quia vero obtendere possunt, Christianos esse quosdam qui male vivant, respondebimus, hic non agi de iis qui Christiani nati sunt, quique a majoribus piam accepere religionem; etsi sæpe illi ex prava vita a vera doctrina decussi fuerint. Verum non de iis puto nunc sermonem haberi, sed de iis gentilium vel Judæorum, qui deberent ad rectam converti fidem. Ostendit enim neminem eorum qui in errore degunt, velle ad fidem accedere, nisi prius rectæ vitæ normam sibi præscripserit; neminemque in incredulitate mansurum, nisi prius decreverit in pravitate persistere. Ne mihi dixeris castum illum esse, nec furari: non enim in his tantum consistit virtus. Quæ enim utilitas, si hæc quidem observet, sed vanæ gloriæ sit cupidus, vel amicorum gratia in errore maneat? Hoc enim non est recte vivere. Nam gloriæ servus non minus peccat, quam fornicator; imo longe plura et graviora admittit. Verum indica mihi quemdam apud gentiles ab omnibus vitiis peccatisque liberum. Numquam possis. Nam qui maxime apud illos claruerunt, qui et pecunias et gulæ delicias contempserunt, ut aiunt, ii maxime omnium gloriæ servierunt; quod sane omnium est causa malorum. Sic et Judæi in nequitia perstiterunt. Quare illos arguens dicebat: *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab hominibus accipitis* (*Joan.* 5. 44)? Et cur Nathanaeli, cui veritatem prædicabat, de his loquutus non est, nec longiori est usus sermone? Quia is non cum illo studio venerat. Hic enim istud sibi faciendum constituerat, et quod alii quieti, hic audiendæ doctrinæ tempus adhibuit. Ille vero alio suadente accessit: nec tamen illum præteriit; ipsum enim sic alloquitur: *Amodo videbitis cælos apertos, et angelos Dei ascendentes et descendentes* (*Joan.* 1. 51). Huic autem nihil horum dixit; sed de incarnatione et de vita æterna ipsum alloquitur, diverso modo singulis pro affectu cujusque loquens. Illi quidem, quia prophetas callebat, neque ita segnis erat, hæc audivisse satis erat: huic vero, quia quadam adhuc formidine detinebatur, non totum statim revelavit; sed mentem ejus excitavit, ut metu metum excluderet, cum dixit eum qui non crederet, judicari, et non credere a prava concupiscentia proficisci. Quia enim hominum gloriam magni faciebat, et pluris quam supplicium (*Multi* enim, inquit, *ex principibus crediderunt in eum, sed propter Judæos non confitebantur* (*Joan.* 5. 44), hinc illum perstringit, ostenditque, non posse eum qui in se non crederet, alia de causa non credere, quam quod vita impurus esset. Et in sequentibus ait: *Ego sum lux;* hic autem ait, *Venit lux in mundum* (*Joan.* 8. 12). In principio enim obscurius, deinde clarius loquebatur. Attamen homo ille multitudinis fama detinebatur; quapropter non ea qua par erat utebatur libertate.

Vana gloria fugienda; virtutis fructum tollit. — Fugiamus ergo inanem gloriam; hoc enim vitiorum omnium vehementissimum est. Hinc avaritia et amor pecuniarum oriuntur, hinc odia, bella, lites. Nam qui plura concupiscit, nusquam consistere poterit. Nulla autem alia de causa cætera amat, quam quod vanam gloriam amet. Cur enim, quæso, eunuchorum agmen, gregem servorum, cur tantum fastum multi exhibent? Non alia causa, nisi ut multos habeant inopportunæ magnificentiæ testes. Si hanc ergo rescindamus, cum capite etiam membra nequitiæ tollemus, nihilque prohibebit, quominus terram quasi cælum incolamus. Neque enim ad nequitiam tantum quos capit impellit, sed et virtuti se subdole admiscet; et cum a virtute nos decutere non potest, in ipsa illa virtute magnum detrimentum importat, dum labores tolerare cogit, et laborum fructu privat. Nam qui ad vanam gloriam respicit, sive jejunium, sive orationem, sive eleemosynam exerceat, omnem amittit mercedem. Quo damno quid miserabilius fuerit? quando nempe quis se frustra macerat, ridiculusque evadit, et a superna gloria excidit. Neque enim potest qui utramque desiderat, utramque consequi. Possumus tamen utramque consequi, si non utramque gloriam concupiscamus, sed cælestem tantum; qui vero utramque amat, non utramque adipisci potest. Quamobrem si velimus gloriam adipisci, fugiamus humanam gloriam, et eam quæ a solo Deo est desideremus; et sic utraque potiemur. Utinam vero hac fruamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria unaque sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIX.

22. *Venit autem in Judæam terram ipse et discipuli ejus, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.*

1. *Nihil veritate clarius, nihil mendacio infirmius. Cur Christus non baptizavit, sed discipuli.* — Nihil veritate clarius, nihil fortius, ut mendacio nihil infirmius, etiamsi innumeris se tegat operimentis. Nam facile deprehenditur, et facile diffluit. Veritas contra nuda prostat omnibus, qui volunt ejus pulchritudinem intueri; non vult latere, non periculum timet non insidias, non gloriam multitudinis ambit, nulli humanarum rerum subjacet; sed omnibus superior, multas excipit insidias, manet autem invicta, eosque qui ad se confugiunt, quasi tutissimo muro munitos servat, idque ex potentiæ suæ magnitudine; et occultos insultus evertit, sua vero palam omnibus proponit: quod et Christus Pilato his verbis significavit: *Ego palam loquutus sum mundo, et in occulto loquutus sum nihil* (*Joan.* 18. 20). Quod tunc dixit Jesus, hoc nunc fecit. *Post hæc*, inquit, *venit in Judæam terram ipse et discipuli ejus, et illic demorabatur, et baptizabat.*

In solemnitatibus in civitatem ascendebat, ut in medio doctrinam illis proponeret, utque ex miraculis utilitatem carperent. Peractis autem diebus festis, in Jordanem sæpe veniebat, quia illo multi concurrebant. Illa enim quæ magis frequentabantur loca semper petebat; non ostentationis causa vel ambitionis, sed ut pluribus prodesset. Atqui sub hæc dicit evangelista, non Jesum [1], sed discipulos ejus baptizasse; unde palam est hoc etiam in loco ita intelligi, ipsos nempe solos baptizavisse. Et cur, inquies, non baptizabat? Jam prius dixerat Joannes : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*. Spiritum vero nondum dederat. Jure ergo non baptizabat; sed discipuli tantum, quod vellent plurimos ad salutarem doctrinam attrahere. Et quare, discipulis Jesu baptizantibus, Joannes baptizare non destitit, donec in carcerem traderetur? Nam cum dicitur, *Erat Joannes baptizans in Ænon;* adjiciturque, 24. *Nondum missus fuerat in carcerem,* significat utique illum non hactenus destitisse. Et cur ad illud usque tempus baptizavit? nam digniores Jesu discipulos declarasset, si illis incipientibus, ipse destitisset. Cur ergo baptizabat? Ne discipulos suos in majorem invidiam et contentionem conjiceret. Nam si sæpe clamando, primasque Christo concedendo, seseque minorem prædicando non persuasit illis ut ad eum accederent : si hoc etiam adjecisset, longe contentiosiores illos reddidisset. Ideo Christus tunc maxime prædicare cœpit, cum de medio sublatus est Joannes. Puto autem ideo citius Joannem morte sublatum fuisse, ut totius multitudinis animi ad Christum converterentur, neque amplius circa ambos scinderentur. Præterea dum baptizabat Joannes, non finem faciebat monendi et magna de Jesu prædicandi. Baptizabat vero tantum in eum qui post se venturus erat, ut in eum crederent. Qui igitur hoc prædicabat, quomodo discipulorum Christi præstantiam demonstrasset, si a baptismate destitisset? Nam e contrario visum fuisset, ipsum ex invidia vel ira cessare : persistendo autem, hæc firmiora declarabat. Non enim sibi gloriam comparabat, sed auditores ad Christum mittebat, nec minus quam discipuli ad eam rem præstabat; imo plus quam illi. Nam quanto minus suspectum erat ejus testimonium, tanto majore quam ipsi fama valebat apud omnes. Hoc evangelista subindicans dicebat : *Exibant et baptizabantur ab eo omnis Judæa et regio circa Jordanem* (*Matth.* 3. 5). Discipulis baptizantibus, non cessabant multi ad Joannem accurerre. Quod si quis percontetur, quid plus habuerit discipulorum, quam Joannis baptisma? dicemus, nihil. Nam utrumque baptisma Spiritus gratia vacuum erat, et una utriusque baptizandi causa erat, ut baptizatos ad Christum pertraherent. Ne enim circumcursantes colligerent eos qui credituri erant, ut Simonem frater, Nathanaelem Philippus adduxerunt, baptizare constituerunt, ut per baptismum omnes sine labore pertraherent, et futuræ fidei viam pararent. Quod autem hæc baptismata alterum altero nihil plus haberent sequentia indicant. Quænam illa? 25. *Facta est*, inquit, *quæstio ex discipulis Joannis cum Judæo de purificatione*. Invidebant quippe semper discipuli Joannis Christi discipulis, imo ipsi Christo; et cum viderent illos baptizare, eos qui baptizabantur alloqui cœperunt, quasi baptisma suum quid plus haberet, quam baptisma discipulorum Christi : atque ex baptizatis aliquem adorti, id illi persuadere conati sunt, nec potuerunt. Quod autem illi, non autem Judæus ille, quæstionem moverint, audi quomodo id evangelista subindicet. Non enim dixit, Judæum aliquem ab illis quæsivisse, sed ex Joannis discipulis quæstionem motam fuisse cum Judæo quodam de purificatione.

2. Consideres autem velim evangelistæ lenitatem. Non enim in adversum invehitur, sed pro facultate culpam minuit, quæstionemque fuisse tantummodo dicit. Nam quod ex invidia illi loquuti sint, sequentia indicant, quæ etiam ille moderate narravit; nam ait : 26. *Venerunt ad Joannem et dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum;* id est, Quem tu baptizasti; nam illud, *Cui tu testimonium perhibuisti*, hoc indicat, ac si dicerent, Quem clarum et conspicuum effecisti, hæc quæ tu facis audet aggredi. Non dixerunt, Quem tu baptizasti : nam coacti fuissent vocem illam supernam commemorare, necnon Spiritus sancti descensum : sed quid dicunt? *Qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti :* id est, Qui in discipulorum ordine erat, qui nihil plus habebat quam nos, is se abs te segregans, baptizat. Non hoc autem solum modo putabant se illum concitare posse, sed quod etiam sua jam minus clara et conspicua forent : *Omnes enim veniunt ad eum*, inquiunt. Unde palam est eos nec Judæum, quicum disputaverant, ad suam sententiam adduxisse. Hæc porro dicebant, quod adhuc imperfectiores, nec prorsus ambitione vacui essent. Quid ergo Joannes? Nec ipse illos vehementer arguit, ne se relicto aliud quidpiam mali aggrederentur; sed quid dicit? 27. *Nemo potest accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.* Quod si humilius loquatur de Christo, ne mireris; non poterat tali affectu præoccupatos statim omnia docere. Sed vult interim illos terrere, ipsisque ostendere, ipsos non alii quam Deo ipsi adversari, dum illum impugnarent; quod ipsum dicebat Gamaliel : *Non poteritis dissolvere illud, nequando et Deo repugnare reperiamini* [1] (*Act.* 5. 39). Hoc et ipse subobscure adstruit. Cum enim dicit, *Nemo potest accipere, nisi fuerit ei datum de cœlo;* nihil aliud significat, quam ipsos impossibilia aggredi, hincque Deo adversarios deprehendi. Quid igitur? Theudas nonne a seipso acceperat? Acceperat quidem, sed statim prostratus periit : res autem Christi non sic. Hinc eos etiam sensim consolatur, ostendens non hominem, sed Deum esse qui ipsos gloria superaret. Quapropter si

[1] In libello Quæstionum in Joannem, inquit Savilius, ita legitur hic locus pluribus verbis : *quamvis Evangelista hic dicat de Christo, quod baptizaret, hoc dicit, non Christum per se baptizare significans, sed magistro tribuens discipulorum munus. Etenim sub hæc dicit non Jesum*, etc.

[1] Morel. legit, *reperiamur*, pro, *reperiamini*.

splendidæ res ejus essent, si omnes illum adirent, non mirandum esse; hujusmodi enim sunt res divinæ; et Deum esse qui istæc appararet: alias enim non tantum invaluissent [1]. Humana quippe facile deprehenduntur, et fluxa sunt, cito diffluunt et pereunt; hæc porro non item; neque igitur humana sunt. Et animadverte quomodo cum dicerent, *Cui tu testimonium perhibuisti*, putarentque illud ad Christum dejiciendum conducere, hoc ipsum in illos convertat. Nam prius cum ostendisset, non ex testimonio suo Christum clarum evasisse, hinc postea ipsos reprimit dicens: *Non potest homo a seipso accipere quidquam, nisi ipsi datum fuerit de cælo.* Quid hoc est? Si meum prorsus testimonium accipitis, et verum putatis, vel ex eo discite, non me, sed illum potiorem habendum esse. Quid enim testificatus sum? Vos evoco rei testes. Ideo addit: 28. *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim, Non sum ego Christus, sed missus sum ante illum.* Si ergo meo hærentes testimonio, hæc mihi objicitis dicentes, *Cui testimonium perhibuisti*: non modo non ille imminutus fuit ex testimonio meo, sed ex illo plurimum augetur: alioquin autem non meum, sed Dei erat testimonium. Quamobrem si fide dignus vobis videar esse, hoc etiam inter alia multa dixi, me missum fuisse ante illum. Viden' quomodo paulatim ostendat vocem illam esse divinam? Hoc enim vult significare: Minister sum, et ea loquor quæ ad mittentem me spectant: non humanam aucupor gratiam, sed Patris ejus qui me misit ministerium exhibeo. Non ergo ad gratiam testificatus sum, sed id dixi, quod ut dicerem missus sum. Ne itaque me ea de causa magnum esse putetis: hoc enim illius ostendit magnitudinem. Ille namque rerum Dominus est; id quod rursum significat his additis verbis: 29. *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Quare qui ait, *Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, se amicum ejus nunc dicit? Non ut extollat et laudet se, hæc dicit; sed ut ostendat id se maxime curare, neque se invito vel nolente hæc fieri, sed admodum cupiente et promovente, et hac de causa se omnia fecisse; quod admodum prudenter amici nomine significavit. Non enim ita servi sponsi, ut amici gaudent, atque his in rebus lætantur. Non ergo se honore æqualem dicit, absit; sed ut gaudii sui magnitudinem declaret, atque ut se eorum infirmitati attemperet, amicum se dicit. Ministerium quippe subindicavit, cum dixit, se missum fuisse ante illum. Idcirco quod putaret illos hæc ægre ferre [2], se amicum sponsi dicit esse, ostendens se non modo non ægre ferre, sed admodum gaudere. Quia igitur hoc perfecturus adveni, tantum abest ut de gestis doleam, ut maximo mœrore afficerer, si non fierent. Si sponsa ad sponsum non accederet, tunc dolerem; non vero nunc, cum nostra completa sunt. Nam cum res ejus recte procedunt, tunc nos prospere agimus; quia quod volebamus evenit, et sponsa sponsum agnoscit. Et vos ipsi hoc testificamini cum dicitis, *Omnes veniunt ad eum.* Hoc enim curabam, et ea de causa omnia feci. Quare cum illud jam evenisse videam, gaudeo et exsulto.

3. *Ecclesia quomodo sponsa Christi fiat. Joannes Baptista de Christo testimonium sapiens et ineluctabile. Vanæ gloriæ damna; quomodo sit fuganda.* — Quid vero significat illud, *Qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi?* Ex parabola ad rem propositam sermonem transtulit. Quia enim sponsum et sponsam memoravit, ostendit quomodo sponsalia fiant: per vocem nempe atque doctrinam: ita enim Ecclesia despondetur Deo. Idcirco Paulus dicebat: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (*Rom.* 10. 17). Hac ego voce gaudeo. Illud vero, *Qui stat*, non sine causa posuit, sed ut ostenderet, res suas cessavisse, et sibi jam standum et audiendum esse, ac sponso tradendam esse sponsam: seque ministrum et servum esse, bonam spem suam atque lætitiam in opus jam exiisse. Ideo sic pergit: *Hoc ergo gaudium meum impletum est;* id est, Perfectum est opus meum, nihil ultra quod faciamus habemus. Deinde non præsens modo, sed etiam futurum doloris augmentum cohibens, de futuris pronuntiat ea quæ ex dictis et ex factis confirmat his verbis: 30. *Illum oportet crescere, me autem minui*: hoc est, Nostra cessaverunt: quæ vero illius sunt augentur. Hoc itaque quod timetis, non modo nunc aderit, sed majus etiam in dies fiet. Illud enim maxime est quod res nostras splendidiores ostendit. Ideo veni, et gaudeo de tanto rerum ad Christum pertinentium incremento, et quod ea evenerint, quorum gratia nostra præcesserunt. Viden' quam placide, quam sapienter illorum ulcus emollierit, livorem exstinxerit, ipsosque impossibilia aggredi demonstraverit? qua re maxime solet nequitia sedari. Ideoque provisum est, ut illo adhuc vivente et baptizante hæc fierent, ut illum tantæ magnitudinis testem haberent, et nullam excusationem, si non obtemperarent. Neque enim a seipso ad id dicendum impulsus est, non aliis sciscitantibus (iidem enim erant audientes et interrogantes): neque ex se loquenti ita credidissent, ut ipsis percontantibus se confutantem respondentis sententiam exceperunt; quemadmodum et Judæi, maxime ob id, quod ad illum miserunt, talibusque auditis non crediderunt, omnem sibi veniam præciderunt. Quid igitur hinc docemur? Omnium malorum causam esse vanam gloriam. Illa enim ipsos in livorem conjecit: hæc illos concitavit, ut Jesum adirent ac dicerent: *Quare discipuli tui non jejunant* (*Matth.* 9. 14)? Hoc ergo vitium, dilecti, fugiamus. Si hoc fugiamus, a gehenna liberabimur. Hoc enim eis maxime ignem incendit: hoc ubique dominatum exercet suum, atque ætatem et dignitatem omnem tyrannice occupat: hoc Ecclesias subvertit, res civiles labefactat, domos evertit, civitates, populos, gentes. Ecquid miraris, quando in desertum venit, magnamque ibi potestatem suam exhibuit? Nam qui divitiis vale dixerant, mundi fastum omnem abjecerant, et humanam consuetudi-

[1] In Savil. legitur....... *qui istæc appararet: numquam enim homo tanta potestate valuisset.*

[2] Savil. et Boisius legendum putant: *Idcirco quod illum hæc ægre ferre putarent.*

nem, qui violentas corporum cupiditates superaverant: hi sæpe a vana gloria capti omnia perdiderunt. Hujus vitii causa, qui multum laboraverat, ab eo qui nihil laboris, sed multa peccata admiserat, Pharisæus a publicano victus est. At hoc accusare vitium nullo labore possumus (omnes enim eumdem ipsum calculum ferunt); quod quæritur autem est, quomodo ipsum superare possimus. Quomodo ergo profligabimus? Si gloriam gloriæ opponamus. Ut enim terrenas divitias contemnimus, quando ad alias respicimus divitias, et hanc vitam despicimus, cum cogitamus aliam hac longe meliorem; sic et gloriam hujus mundi respuere poterimus, cum aliam longe hac clariorem spectabimus, quæque vere gloria est. Nam hæc, de qua loquimur, vana inanisque est, nec nisi nomen re vacuum habet; illa autem cælestis vera est, quæ non homines, sed angelos, archangelos, et archangelorum Dominum, imo etiam homines ipsos laudatores habet. Si ad illud theatrum respexeris, si coronas illas didiceris, si ad illos plausus te transtuleris: terrena numquam te detinebunt, non magna præsentia reputabis, non absentia quæres. In hac quippe regia nemo satellitum regiorum, non curans diadema gestantis et in solio sedentis gratiam, graculorum voces imitatur, muscarum et culicum volantium stridorem: nihil enim meliores iis sunt hominum laudes. Cognita itaque humanarum rerum [1] vilitate, omnia in tutissimos conferamus thesauros, et manentem perennemque gloriam quæramus: quam utinam nos omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque sancto Spiritui, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Morel. legit, *hominum*, pro, *humanarum rerum*.

HOMILIA XXX.

31. *Qui de sursum venit, super omnes est: qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur.*

1. Grave quiddam est gloriæ amor, grave et malis multis refertum: spina est quæ difficile avellitur, fera quæ mansuefieri nequit, multis capitibus instructa, in eos ipsos qui se nutriunt armata. Sicut enim vermis ligna a quibus gignitur corrodit, et rubigo ferrum ex quo nascitur consumit, et lanam tineæ: ita inanis gloria altricem suam animam perdit. Ideo multa nobis opus est diligentia, ut vitium hoc tollamus. Vide ergo quanta decantet Joannes discipulis suis hoc morbo laborantibus, ac vix eos sedare potest. Nam post priora illa his etiam illos demulcet sermonibus: *Qui de sursum venit, super omnes est: qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur.* Quia, inquit, testimonium meum ubique circumfertis, et me fide dignissimum prædicatis; illud sciatis oportet, non licere eum qui de cælo venit, fide dignum reddi ab eo qui in terra habitat. Illud autem, *Supra omnes est*, quid significat? Eum nullo egere, sibi sufficere, et sine comparatione omnium maximum esse. Se vero de terra esse et loqui dicit, non quod ex propria mente loqueretur, sed ut Christus ait: *Si terrena dixi vobis, et non creditis* (*Joan.* 3. 12). Baptisma sic appellat, non quod terrenum esset, sed quia illud cum ineffabili generatione sua comparabat; sic et hoc loco se de terra loqui dixit Joannes, suam cum Christi doctrina comparando. Nihil enim aliud significat illud, *De terra loquitur*, quam quod sua exigua, humilia et vilia sint, si cum Christi magnitudine comparentur, ac terrenæ naturæ quasi similia sint. Apud illum enim *Omnes thesauri sapientiæ reconduntur* (*Col.* 2. 3). Quod autem de humanis ratiociniis non loquatur, hinc palam est. *Qui est ex terra, ex terra est.* Atqui non erat totus de terra, sed præcipua cælestia erant; animam quippe habebat, et spiritus particeps erat, quæ non sunt de terra. Quomodo ergo se de terra esse dicit? Nihil aliud his significatur quam, Parvus sum et nullius pretii, utpote qui humi repam et in terra natus sim; Christus autem ad nos de cælo venit. Cum per hæc omnia eorum morbum restinxisset, cum majore fiducia de Christo loquitur. Antea enim superfluum fuisset verba profundere, cum hæc in mente auditorum locum invenire non possent: postquam autem spinas evulsit, jam confidenter semina jacere incipit his verbis: *Qui de cælo venit, super omnes est;*
32. *et quod vidit et audivit, hoc testificatur, et testimonium ejus nemo accipit.* Magnum quid et sublime de ipso loquutus, rursus ad humiliora pergit: nam illud, *Quod audivit et vidit*, humanius dictum est. Neque enim ex visu vel auditu illa quæ sciebat acceperat; sed in natura totum habebat, qui perfectus ex sinu paterno exierat, nec egebat doctore: nam ait, *Sicut novit me Pater, ita et ego cognosco Patrem.* Quid ergo significat illud, *Quod audivit, loquitur, et quod vidit, testatur?* Quia per hos sensus nos omnia discimus accurate, et fide digni magistri habemur, circa ea quæ vel visu vel auditu percepimus, utpote qui nec fingamus, nec falsa dicamus. Id adstruere volens Joannes dixit, *Quæ audivit et vidit*, ut ostendat nihil in illo mendacii, sed omnia vera esse. Sic et nos sæpe curiose perquirimus, Tune audisti, tune vidisti? si id affirmetur, tunc certum testimonium habetur. Sic et ipse cum dicit, *Sicut audio, judico* (*Joan.* 5. 30), et, *Quæ audivi a Patre meo, loquor*, et, *Quæ vidimus, loquimur* (*Id.* 8. 26. *et* 3. 11), et similia alia loquitur, non ita dicit, ut discamus illum ea accepisse quæ dicit (id enim putare extremæ dementiæ esset); sed ne quid ex dictis ejus in suspicionem vocaretur ab impudentibus Judæis. Quia enim nondum eam quam par erat de illo opinionem habebant, frequenter ad Patrem confugit, hincque verbis suis fidem facit.

2. Et quid miraris si ad Patrem confugiat, cum et ad prophetas et ad Scripturas sæpe recurrat? ut quando dicit, *Illæ sunt quæ testimonium perhibent de me* (*Ibid.* 5. 39). Num ergo prophetis illum mino-

rem esse dicemus, quia inde testimonia mutuatur? Absit. Sed propter auditorum infirmitatem sic sermonem temperat, et ex Patre audita se narrare dicit, non quasi doctore egeat, sed ut illi credant, nihil a se falsum dici. Quod autem dicit Joannes, sic intellige: Mihi opus est audire ab illo. Nam de cælo venit, et cælestia nuntiat, quæ solus ipse clare novit; nam illud, *Audivit et vidit*, hoc significat. *Et testimonium ejus nemo accipit.*

Joannis discipuli Christo non crediderant. — Atqui discipulos habuit et multi dictis ejus attendebant; cur ergo dicit, *Nemo accipit?* Hoc est, Pauci accipiunt. Nam si neminem dixisset, cur subjunxisset: 33. *Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est?* Hic discipulos suos perstringit, ac si non multum ei credituri essent. Quod enim neque postea ipsi crediderint, palam est ex sequentibus. Idcirco illos in carcere inclusus misit ad eum, ut ipsos magis ipsi connecteret. Illi vero tunc etiam vix crediderunt, quod subindicans Christus dixit, *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me* (*Matth.* 11. 6). Nulla igitur alia de causa dicit, *Et testimonium ejus nemo accipit*, quam ut discipulos suos erudiat, ac si diceret: Ne putetis quia pauci credituri sunt, ideo falsa illa esse quæ dicuntur, Nam *Quæ vidit, testatur*, inquit. Hæc porro dicit, ut simul Judæorum ignaviam perstringat; ut in principio Evangelii ipsos coarguit his verbis: *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Hoc autem non venientis, sed non recipientium peccatum est. *Qui accepit ejus testimonium, obsignavit quia Deus verax est.* Hic illos exterret, cum ostendit eum qui Christo non credit, non modo non ipsi, sed neque Patri credere; quamobrem adjicit: 34. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Quia ergo verba ejus loquitur, et credens illi credit, et incredulus illi non credit. Illud autem, *Obsignavit*, id est, Ostendit. Postquam hæc dixit et timorem auxit, adjicit: *Quia Deus verax est*; significans, neminem posse illi non credere, nisi mendacii arguat Deum qui misit ipsum. Quoniam igitur nihil extra ea quæ sunt Patris dicit Christus, sed omnia illius sunt; qui ipsum non audit, mittentem Patrem non audit. Viden' quomodo ipsos per hæc etiam percellat? Hactenus enim nihil grave putabant esse Christum non audire. Ideo tantum periculum incredulis impendere ostendit, ut discant Christum non audire idipsum esse quod Deum non audire. Deinde prosequitur, imbecillitati mentis eorum se attemperans, his verbis: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Rursus, ut dixi, humiliori modo loquitur, sic varians ad faciliorem auditorum captum; non enim poterat aliter metum augere. Nam si quid de ipso magnum et sublime dixisset, non credidissent, sed id nihili fecissent. Ideo ad Patrem totum refert, de Christo interim quasi de homine loquens. Quid vero significat illud: *Non ad mensuram dat Deus Spiritum?* Nos omnes, ait, ad mensuram Spiritus operationem accepimus: per Spiritum enim hic operationem intelligit: hæc quippe ea est quæ distribuitur: hic vero totam illam sine mensura [illegible] operatio ejus immensa est [illegible] tia. Viden' Spiritum etiam [illegible] totam Spiritus operationem [illegible] sunt Dei, novit; qui dicit [illegible] *mur, et quod vidimus testamur*; [illegible] spectus haberi? Nihil enim dicit [illegible] nihil quod non sit Spiritus. Atque [illegible] Deo Verbo loquitur, sed ex Patre et ex [illegible] næ suæ fidem conciliat. Quod Deus esset [illegible] quod Spiritus esset sciebant, etsi non [illegible] de illo opinionem haberent: quod autem Filius [illegible] nesciebant. Ideo semper ad Patrem et ad Spiritum confugit, ut dictis fidem conciliet. Nam si quis hac sublata causa, sermonem per se consideret, longe abest a dignitate Christi. Non enim ideo fide dignus ipsis erat, quod Spiritus operationem haberet: quippe qui non egeat auxilio illius, sed sibi ipse sufficiat. Interim vero secundum simpliciorum opinionem loquitur, ut ab humilioribus paulatim illos erigat. Hæc autem dico, ut ne obiter Scripturæ dicta prætercurramus, sed et dicentis scopum et auditorum imbecillitatem aliaque multa exploranda esse discamus. Doctores enim non omnia ut vellent ipsi proferunt, sed pleraque ad auditorum captum infirmitatemque temperant. Ideo Paulus ait: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Lac vobis potum dedi, non cibum* (1. *Cor.* 3. 1. 2). Volebam, inquit, vobis ut spiritualibus loqui, nec potui. Quare? Non quod ille non posset, sed quia illi non poterant sic audire. Sic et Joannes volebat magna quædam docere discipulos, sed id illi nondum capere poterant. Ideo in humilioribus maxime versatur.

3. Diligenter igitur omnia sunt exploranda. Nam Scripturæ dicta spiritualia arma sunt. Verum si ea adaptare et discipulos probe armare nesciamus, ipsa quidem suam vim habent, sed armatis inutilia sunt. Supponamus esse firmum thoracem, galeam, clypeum et hastam: deinde arma illa quis accipiat, et thoracem pedibus; galeam non capiti, sed oculis; clypeum non pectori, sed pedibus adaptet: an poterit his armis juvari? annon potius iis lædetur? Illud certe liquidum est. Hoc vero non ex armorum imbecillitate, sed ex imperitia utentis provenit. Ita et in Scripturis, si illarum ordinem confundamus, illæ semper sua erunt vi instructæ: nos vero nihil juvabunt. Hæc vobis publice et privatim repetens, nihil proficio: nam sæcularibus vos semper rebus addictos conspicio, dum spiritualia nihil penditis. Ideo et vitam negligimus, et cum pro veritate certamus, non magna vi instructi sumus, sed ridiculi evadimus, tum apud gentiles, tum apud Judæos et apud hæreticos. Quod si in aliis quoque rebus pari negligentia uteremini, ne sic quidem vobis esset ignoscendum. Verum in sæcularibus negotiis quisque vestrum est gladio acutior, tam qui artes exercent, quam qui res civiles tractant. In necessariis vero et spiritualibus, ignavi prorsus sumus, levia rebus seriis præferentes. Quæ autem cæteris omnibus anteferenda erant, hæc ne levia quidem

censere dignamur. An nescitis hæc non priscis tantum hominibus scripta esse, sed etiam nobis[1]? Non audis Paulum dicentem : *Hæc ad nostram doctrinam scripta sunt, ad quos fines sæculorum devenerunt* (1. *Cor.* 10. 11) : *ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* 15. 4) : Scio equidem me frustra loqui, sed finem dicendi non faciam. Hæc enim faciendo apud Deum excusatus ero, etiam si nullus audiat. Certe qui attentis loquitur, consolationem ex auditorum obsequentia accipit : qui autem sæpe concionans non auditur, nec tamen concionari cessat, majori præmio dignus erit, quia secundum Dei placitum, auscultante nemine, officium implet suum. Attamen licet nobis major merces ob socordiam vestram paretur, malumus hanc minui, et salutis vestræ spem esse majorem : profectum enim vestrum mercedis loco habemus. Et hæc nunc dicimus, non ut molesti et onerosi vobis simus, sed ut dolorem nostrum de segnitie vestra conceptum exhibeamus : qua utinam nos omnes liberati, spiritualium rerum studio hæreamus, et cælestia bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria unaque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Quidam habent, *vobis*, pro, *nobis*.

HOMILIA XXXI.

35. *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.* 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam : qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

1. Magnum attemperationis et indulgentiæ lucrum in omnibus rebus experimur. Sic artes perfecimus, non repente omnia a magistris discentes; sic urbes construximus, sensim et paulatim ædificantes; sic vitam sustentamus. Nec mireris si hic modus in hujus vitæ rebus tantam vim habeat, quando in spiritualibus quoque hoc prudens temperamentum ita valet. Sic ab idololatria potuere Judæi eripi, sensim reducti; qui a principio nihil sublime audierunt, neque quantum ad dogmata, neque quantum ad vitæ institutum. Sic etiam post Christi adventum, quando sublimiorum dogmatum tempus erat, omnes adducebant apostoli, nihil sublime a principio loquentes. Sic et Christus multis a principio verba faciebat. Sic Joannes nunc fecit de illo quasi de mirabili quopiam homine loquens, sublimiaque obscurius interserens. Initio namque dicebat : *Non potest homo a seipso accipere quidquam.* Deinde postquam aliquid magnum adjecit, *Qui de cælo venit, supra omnes est;* rursus ad humilia descendit, præter alia multa dicens : *Non enim ex mensura dat Deus Spiritum;* postea rursus, *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.* Inde cum intelligeret, metum supplicii magnam utilitatem parere, multosque non tam promissis quam comminationibus moveri, hic tandem claudit sermonem et ait : *Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui vero non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Rursum hic ad Patrem supplicii sermonem refert. Non enim dixit, Ira Filii, etiamsi ille sit judex; sed Patrem memoravit, ut magis terreret. Num ergo sufficit, inquies, in Filium credere, ut vita æterna habeatur? Nequaquam. Audi Christum hoc ipsum declarantem his verbis, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum* (*Matth.* 7. 21); et blasphemia in Spiritum sufficit ut in gehennam quis detrudatur.

Fides sine vita bona nihil prodest. Illud, ira manet super eum, *pœnam æternam designat.* — Et quid dico de parte dogmatis? Nam et si quis recte credat in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, si recte non vivat, nihil ipsi fides proderit ad salutem. Ergo quando dicit, *Hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum* (*Joan.* 17. 3), ne putemus id nobis ad salutem satis esse. Opus namque nobis est et vita et morum instituto probo[1]. Et si hic dixerit, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam;* verum sequentia vehementius protulit. Neque enim ex bonis tantum, sed etiam ex contrariis sermonem contexit; et vide quo pacto. Infert enim, *Qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Attamen non hinc inferimus, solam fidem ad salutem esse satis; quod probatur ex dictis evangelicis frequentibus, bonam vitam spectantibus. Ideo non dixit, Hæc sola est vita æterna, neque, Is qui solummodo credit in Filium, habet vitam æternam; sed in utroque vitam esse significat. Certe si vita proba non sequatur, magnum sequetur supplicium. Neque dixit, Manet eum, sed, *Manet super eum;* declarans numquam ab eo discessuram iram esse. Ne putares enim illud, *Non videbit vitam,* mortem temporaneam indicare; sed crederes perpetuum esse supplicium, hoc dictum posuit, ut ostenderet illam perpetuo manere et insidere. Illud autem fecit, ut per hæc omnia verba ipsos ad Christum impelleret. Quapropter non ad illos privatim monita dirigit, sed in communi, et ut maxime ipsos allicere poterat. Non enim dixit, Si credatis, Si non credatis; sed in communi loquitur, ut quæ dicuntur nulli sint suspicioni obnoxia : idque fecit vehementius, quam Christus. Nam Christus dicit, *Qui non credit, jam judicatus est;* hic autem, *Non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum;* et jure quidem. Neque enim idem est aliquem de seipso loqui, et alterum de illo. Nam Christum putassent ex ambitione et fastu sæpe talia loqui : Joannes vero hac carebat suspicione. Quod si postea Christus vehementiore usus est sermone, id tunc fecit, quando de ipso magnam habebant opinionem. (*Cap.* 4.) 1. *Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quod Jesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Joannes* (2. *quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*), 3. *secessit ex Judæa, et venit in Galilæam,* Ipse quidem non baptizat, sed nuntii cum vellent majorem illi invidiam conflare, ita referebant. Cur, inquies, seces-

[1] Savil. legit, *morum instituto purissimo.*

sit? Non quod timeret, sed ut invidiæ causam præscinderet, et livorem mitigaret. Poterat enim se aggredientes cohibere, sed nolebat illud frequentius agere, ne incarnationis fidem de medio tolleret. Nam si sæpe deprehensus aufugisset, in eam apud multos suspicionem venisset. Ideo multa humano more faciebat. Ut enim credi voluit, se Deum esse, ita et carnem gestasse. Ideo post resurrectionem discipulo dicebat: *Palpa et vide, quia spiritus carnem et ossa non habet* (*Luc.* 24. 39). Idcirco Petrum increpavit dicentem, *Propitius esto tibi, non erit tibi hoc* (*Matth.* 16. 22). Tantum ea de re sollicitus fuit.

2. Nam non modica hæc est inter Ecclesiæ dogmata portio, imo salutis nostræ caput, per quod omnia facta consummataque sunt. Sic mors soluta, peccatum sublatum, maledictum abrogatum, innumera in vitam nostram inducta bona sunt. Ideo maxime œconomiam credi volebat, quæ radix et fons nobis innumerorum fuerat bonorum. Dum autem humana dispensabat, non sinebat divina obscurari. Cum recessisset ergo, ea ipsa, quæ prius, tractare pergebat. Neque enim sine causa in Galilæam abierat, sed magna parans apud Samaritanos negotia; nec utcumque illa dispensans, sed quanta par ipsi erat sapientia, ut nullam Judæis vel impudentis excusationis ansam relinqueret; quod subindicans evangelista subjunxit, 4. *Oportebat autem illum transire per Samariam*, ut ostenderet ipsum hoc quasi obiter fecisse. Sic et apostoli agebant. Nam sicut illi, Judæis persequentibus, ad gentes veniebant: ita et Christus, quando ipsum pellebant, tunc gentes adibat, ut in Syrophœnissa fecit. Hæc porro sic gesta sunt, ut omnis defensio Judæis tolleretur, nec dicere possent, Nobis relictis ad incircumcisos profectus est. Quapropter discipuli, ut sese purgarent, dicebant: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: quia vero indignos vos judicatis, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* 13. 46); et ipse rursum, *Non veni nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* 15. 24.); et rursum, *Non est bonum accipere panem filiorum, et dare canibus* (*Ibid. v.* 26). Cum autem illum repulerunt, tunc januam gentibus aperuerunt. Neque tamen sic ad illos præcipue veniebat, sed transeundo tantum. Transiens igitur, 5. *Venit*[1] *in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, prope locum, quem dedit Jacob Joseph filio suo.* 6. *Erat autem illic fons Jacob.* Cur evangelista de loco sic accurate loquitur? Ut cum audieris mulierem dicentem, *Jacob pater noster dedit nobis hunc puteum*, ne stupeas. Nam locus ille erat, ubi pro Dina indignantes Levi et Symeon, gravem illam cædem patrarunt.

Samaritanorum origo.— Non abs re autem fuerit, unde originem habuerint Samaritani narrare. Nam tota illa regio Samaria vocatur. Unde ergo sic appellati sunt? Somor mons ille nominabatur a quodam qui illum possederat, ut dicit Isaias, *Et caput Somoron Ephraim* (*Isai.* 7. 9); sed qui illum incolebant non Samaritani, sed Israelitæ vocabantur. In decursu vero temporis Deum offenderunt; et Phacee regnante, ascendens Theglath Phalasar, multas cepit urbes, Elam adortus occidit, et Oseæ regnum tradidit. Hunc aggressus Salmanasar alias[1] cepit urbes, et tributarias fecit (4. *Reg.* 17). Verum Osee primo quidem cessit, deinde vero rebellavit, et ad Æthiopum auxilium confugit. Re cognita, Assyrius exercitum admovit, et capta civitate, gentem illam non ibi amplius habitare permisit, ne iterum deficerent; sed his Babylonem et in Mediam translatis, gentes alias variis ex locis eductas in Samariam habitatum misit, ut firmum suum his in locis imperium postea esset, regione fidis incolis tradita. His ita gestis, Deus ut potentiam suam ostenderet, quodque non ob imbecillitatem Judæos tradidisset, sed propter incolarum peccata, leones in barbaros immisit, qui totam gentem devastabant. Hæc regi nuntiantur; ille mittit sacerdotem quemdam, qui Dei leges ipsis traderet. Attamen ne sic quidem omnino ab impietate destiterunt sed partim tantum. Insequenti autem tempore, idolorum abjecto cultu, Deum coluerunt. Cum hoc in statu res essent, reversi Judæi, hos ut alienigenas et hostes aversabantur, quos a monte Samaritanos vocabant. Judæis vero non hinc parva cum ipsis oriebatur contentio, quod non totas Scripturas reciperent, sed Moysis tantum libros; nec prophetas multum curarent. Samaritæ vero Judaicam nobilitatem ambiebant, genusque suum ad Abraham quasi progenitorem referebant, utpote qui ex Chaldæa essent, et Jacob patrem suum vocabant, utpote Abrahæ nepotem: Judæi vero cum cæteris omnibus ipsos quoque abominabantur. Unde et Christo exprobrabant his verbis: *Samaritanus es tu, et dæmonium habes* (*Joan.* 8. 48). Et in historia ejus qui descenderat ab Jerusalem in Jericho, illa ipsa de causa Christus Samaritanum inducit, *Qui fecit misericordiam in illo* (*Luc.* 10. 37), vilem nempe personam, despectam et apud illos abominabilem. Et ex decem leprosis unum alienigenam vocat, quia Samaritanus erat: atque ipse discipulis loquens dicebat: *In viam gentium ne abieritis, et in civitatem Samaritanorum ne intraveritis* (*Matth.* 10. 5).

3. Non ut historiam texeret tantum, evangelista Jacobum memoravit, sed ut Judæos jamdiu expulsos ostenderet. Siquidem progenitorum temporibus jam hæc olim sua loca occupabant illi. Quæ enim loca progenitores sui, non olim sua, occupabant, hæc ob ignaviam et nequitiam hi suam amiserant. Sic nihil prodest a bonis progenitoribus oriri, si nepotes degenerent. Barbari enim, ut majus experimentum acciperent, ad Judaicum statim cultum redierunt; Judæi vero tot ærumnis castigati, ne ita quidem resipuerunt.

[1] In Morel. legitur: *transeundo tantum. Sic consilio suo patefacto, pergit dicens: Venit,* etc.

[1] Morel. legit, *sexcentas*, pro, *alias*.

(a) In septuaginta Interpretum Editione et in Hebræo legitur Ephraim ante Somoron, *Et caput Ephraim, Somoron*, et eodem ordine in Vulgata. Quæ vero mox memoriter narrat Chrysostomus de Theglath Phalassare, de occiso Ela, de rege Æthiopum quem ponit pro rege Ægyptiorum: hæc, inquam, omnia non accurate dicta sunt; sed ut sese menti concionantis offerebant, quod alias non semel observatur.

Hoc itaque Christus venit, mollem et lascivam vitam semper abigens, laboriosam vero et arctam inducens. Non enim subjugalibus usus est, sed ita assidue iter agit, ut defatigetur. Hoc ubique docet, ut sibi quisque operetur, nec quærat superflua, nec multis egeat. Ita porro vult nos a supervacaneis alienos esse, ut etiam multa necessaria amputaret. Ideo dicebat : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos ; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* 8. 20). Quocirca in montibus sæpe versatur et in desertis, non interdiu tantum, sed etiam noctu. Hoc etiam David prænuntians dicebat, *De torrente in via bibet* (*Psal.* 109. 7), ut ejus expeditam vitæ rationem demonstraret. Idipsum hic Joannes indicat : *Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Hora erat quasi sexta.* 7. *Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus : Da mihi bibere.* 8. *Discipuli autem ejus abierant in forum, ut cibos emerent.* Hinc ejus patientiam in carpendo itinere, et ciborum neglectum discimus, et quam obiter huic rei det operam ; sic discipuli quoque res suas tractare didicerunt. Non enim viatica secum sumebant : quod alter indicat evangelista (*Matth.* 16. 11), cum de fermento Pharisæorum ipsis loqueretur, quod illi dictum putabant, quia panes non sumpserant. Et cum esurientes inducit, et spicas vellentes ut ederent ; ac cum dicit eum, quod esuriret, ad ficum venisse : nihil aliud his nos docet, quam ventrem esse parvi pendendum, nec illum tantopere curandum esse. Considera hic quoque illos nihil attulisse, neque tamen ideo statim a principio diei hanc rem curare, sed cum hora prandii advenit, escas emptum ire. Nos vero contra statim atque a lecto surreximus, ante omnia hæc curamus, coquos et caupones accersimus, idque magno cum studio agimus : et post hæc alia curamus, hæc semper carnalia spiritualibus anteponentes, et quæ perfunctorie tractanda erant, quasi necessaria exsequentes. Ideo omnia præpostere aguntur. Contra omnino agere oportuit, spiritualium magnam habere rationem ; quibus perfectis, hæc attingere par fuit.

Christus exemplo docet fastum esse calcandum. — Hinc porro non laborum tolerantia modo in Christo observanda, sed etiam quantum esset a fastu alienus ; non tantum quod fatigatus esset, quod sederet secus viam ; sed etiam quod solus relictus esset, et discipuli ejus discessissent. Atqui poterat, si voluisset, aut non omnes misisse, aut profectis illis alios habere ministros ; sed noluit. Etenim discipulos sic assuefaciebat ad fastum omnem calcandum. Et quid mirum, dixerit forte quispiam, si moderati erant, cum piscatores essent, aut tentoriorum opifices ? Erant equidem [1] : verum statim ad cælum evolarunt, et regibus clariores evaserunt, familiares nempe facti universi orbis Domini, et admirandi magistri asseclæ. Scitis autem eos qui ex humiliore gradu ad dignitates perveniunt, facilius in arrogantiam efferri, utpote qui antea honoris expertes essent. In hac igitur illos humilitate continens, docuit eos ut per omnia modesti et humiles essent, ac numquam ministris egerent. Ipse autem, inquit, *Fatigatus ex itinere, sedebat sic ad fontem.* Viden' sedisse illum laboris et æstus causa, ad discipulos exspectandos ? Norat quippe quid esset Samaritanis eventurum. Non tamen illa præcipue de causa venerat ; neque, etiamsi ea de causa non venisset, repellenda muliercula illa erat, quæ se adeo discendi cupidam exhibuit. Judæi enim ipsum ad se venientem repellebant ; gentiles contra alio proficiscentem ad se trahebant. Illi invidebant, hi credebant ; illi indignabantur, hi mirabantur et adorabant. Quid ergo ? oportebatne tot hominum salutem despicere, et tam studiosum affectum dimittere ? Hoc certe indignum illius benignitate : ideoque hæc omnia cum sapientia sibi congruente dispensat. Sedebat, corpus recreabat, et juxta fontem refrigerabat. Eratque tunc meridies, quod evangelista declarat his verbis, *Hora erat quasi sexta, et sedebat sic.* Quid est illud, *Sic ?* Non in solio, non in pulvinari, sed simpliciter humi. *Venit mulier ex Samaria haurire aquam.*

4. *Colloquium Christi cum muliere Samaritana evolvitur ; utriusque agendi ratio commentatur.* — Vide quomodo declaret mulierem propter aliud egressam esse ex civitate, ubique impudentem Judæorum pervicaciam reprimens, ne quis diceret ipsum transgredi præceptum suum, cum vetaret in civitatem ingredi Samaritanorum, qui ipse cum Samaritanis loqueretur. Ideo, *Discipuli ejus in civitatem cibos empturi abierant,* inquit evangelista, multas inducens colloquii cum muliere causas. Quid ergo mulier ? Cum audisset, *Da mihi bibere*, admodum prudenter Christum interrogandi occasionem captans inquit : 9. *Quomodo tu* [1], *Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana ? Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Et unde illum Judæum esse novit ? Ex habitu forte, aut ex sermone. Tu vero animadverte quam perspicax mulier esset. Nam si cavendum erat, Christo potius cautione opus erat, quam ipsi. Non enim dixit, Non coutuntur Samaritani Judæis ; sed, Judæi Samaritanos non admittunt. Attamen mulier, etsi a culpa immunis, quia putabat alium in culpam incidere, non tacuit, sed correxit id quod contra legem fieri putabat. Sed posset quispiam quærere, cur Jesus ab illa potum petierit, id lege non permittente ? Si quis enim dixerit, quod prævideret non daturam esse : ideo minus petere oportuit. Quid ergo dicendum ? Indifferens jam fuisse tales observationes abrogare. Nam qui alios ad transgrediendum inducebat, multo magis illas transgredi debebat. Non enim quod ingreditur, inquit, coinquinat hominem, sed quod egreditur (*Matth.* 15. 11). Non parva autem Judæorum accusatio est illud cum muliere colloquium : quia illi sæpe et verbis et gestis allecti, non obtemperabant. Hæc autem vide quam cito levi interro-

[1] Hæc, *erant equidem*, a Montefalconio non lecta sunt.

[1] In aliis sic effertur hic locus : *Quid ergo mulier quam Christus aquam poposcit ? Etenim « Da mihi bibere » ait illi Christus : Quid ergo illa ? Quomodo tu,* etc.

gatione capiatur. Jesus vero hac in re, hac in via nondum instabat: sed eos qui accederent non impediebat. Discipulis namque simpliciter dixit, ne in civitatem Samaritanorum intrarent, non tamen ut accedentes illos repellerent: res enim illius benignitate admodum indigna fuisset. Ideoque mulieri sic respondet: 10. *Si scires donum Dei, et quis est qui tibi dicit, Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* Prius indicat eam esse dignam quæ audiatur, nec rejiciatur; ac deinde quis ipse sit revelat. Nam mox auditura quis esset, ipsi obtemperatura erat; quod de Judæis nemo dixerit. Nam cum didicissent, nihil ab ipso petierunt, nec quidpiam utile ediscere cupierunt; imo illum contumeliis onerabant et pellebant. His auditis mulier, vide quam modeste respondeat: 11. *Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est; unde ergo habes aquam vivam?* Jam illam a viliore opinione retraxit, ita ut non ultra crederet illum vulgarem quempiam esse hominem. Non modo enim illum Dominum vocat, sed honorifice loquitur. Nam quod honoris causa sic loqueretur, ex sequentibus liquet. Non enim irrisit, non traduxit illum, sed interim subdubitabat. Quod si non statim rem totam intellexit, ne mireris: neque enim Nicodemus intellexerat. Nam quid ille dicit? *Quomodo possunt hæc fieri?* et rursum, *Quomodo potest homo nasci cum sit senex?* et iterum, *Numquid potest in uterum matris suæ iterato introire et nasci?* Hæc autem verecundius *Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est; unde ergo habes aquam vivam?* Aliud Christus dicebat, aliud illa suspicabatur, nihil aliud quam verba audiens, neque adhuc sublime quidpiam intelligere valebat. Atqui petulantius respondere potuisset, Si haberes aquam vivam, non peteres a me, sed tibi prius præberes: jam vero te jactas. Verum nihil horum dixit; sed modeste loquitur et in principio et in sequentibus. Nam in principio ait: *Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me poscis?* Neque dixit, ac si alienigenam et inimicum alloqueretur: Absit ut tibi præbeam homini inimico et a gente nostra alieno. Deinde cum magna loquentem audiret, quæ solent inimicos maxime mordere, non irrisit, non cachinnis excepit illum; sed quid dicit? 12. *Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum hunc, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora?* Viden' quo pacto se in Judaicam nobilitatem ingerat? Hoc autem vult significare: Ille hac usus est aqua, nihil ultra quod daret habuit. His porro declarat se ex prima responsione magnum et sublime quidpiam intellexisse. Nam cum ait, *Ipse bibit, et filii ejus, et pecora,* nihil aliud subindicat, quam se in mente habere aliam præstantiorem aquam, quam nec reperiret, nec clare nosset. Ut autem quid illa intelligat clarius exprimam: Non potes dicere, inquit, Jacobum hunc nobis dedisse fontem, sed alio usum fuisse: nam et ipse et filii ejus ex hac bibebant aqua, non bibituri si aliam meliorem habuissent. Ex hac igitur nec tu poteris dare; aliam vero meliorem habere non potes, nisi te Jacobo majorem profitearis. Unde igitur quam te daturum polliceris aquam habere possis? At Judæi non tam miti cum illo sermone utuntur, cum eadem de re loqueretur, ejusdem aquæ mentione facta: sed nihil hinc lucri consequuti sunt. Quando autem Abrahæ meminit, ipsum lapidibus impetere conati sunt. Verum non ita mulier cum illo agit; sed cum mansuetudine in tanto æstu, in meridie, omnia patienter admodum et dicit et audit, et nihil eorum cogitat quæ Judæi verisimiliter dixissent, ipsum nempe insanum et mente captum esse, qui se deluderet circa fontem et puteum, nec quidquam præstaret, sed jactabundus loqueretur. Illa vero perseveranter auscultat, dum quod quærit inveniat.

5. Si vero mulier Samaritana tantum adhibet studium, ut quid utile ediscat, et Christo assidet, etiamsi illum non noscat; quam nos veniam consequemur, qui ipsum novimus, qui non secus puteum, non in deserto stamus, non in meridie, non adusti solaribus radiis; sed sub aurora, sub hoc tecto umbra fruimur et suaviter agimus, neque patienter audimus quidpiam, sed desidia torpemus? Non sic illa; sed ita dictis attendit, ut etiam alios advocet. Judæi vero non modo non advocabant, sed etiam eos qui accedere vellent impediebant; quamobrem dicebant: *Num aliquis ex principibus credit in eum? Sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti sunt* (*Joan.* 7. 48. 49). Imitemur ergo Samaritanam: colloquamur cum Christo. Nam nunc etiam in medio nostrum stat, per prophetas per discipulos nos alloquens. Audiamus ergo et obtemperemus. Usquequo frustra et inutiliter vivemus? Nam illa agere quæ Deo non placent, illud est inutiliter vivere; imo non tantum inutiliter, sed in damnum. Cum enim nobis datum tempus inutiliter prorsus impendimus, hinc migrabimus extremas daturi pœnas inutiliter consumpti temporis. Cum is qui pecunias ad negotiandum recepit, et eas insumpsit et devoravit, rationem ei qui sibi credidit daturus sit: is certe qui hanc vitam inutiliter impendit, non erit a supplicio liber. Non ideo nos Deus in hanc vitam protulit, animamque dedit, ut præsenti tantum fruamur vita, sed ut pro futura vita negotiemur. Bruta præsenti tantum vitæ usui sunt; nos autem ideo immortalem habemus animam, ut ad illam nobis parandam vitam nihil non agamus. Si quis sciscitetur quis usus sit equorum, asinorum, boum, aliorumque hujusmodi pecorum, nullum alium dicemus quam ministerium in præsenti vita præstitum. De nobis vero non item; sed melior status est post discessum ex hac vita: nihilque non agendum est, ut ibi clariores simus et cum angelis choreas agamus, ut Regi adstemus perpetuo et in sæcula infinita. Ideo namque immortalis est anima, et corpus immortale erit, ut perpetuis fruamur bonis. Si vero cælis tibi propositis, terræ inhæreas, cogita quantam datori contumeliam inferas. Ille superna tibi offert: tu vero non magna illius habita ratione, terram anteponis. Ideo gehennam comminatur, utpote contemptus, ut hinc discas quantis te prives bonis

Sed absit ut illud supplicium experiamur; verum potius Deo placentes, æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, unaque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXII.

13. *Respondit Jesus et dixit ei : Omnis qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum ; 14. qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

1. *Spiritus sanctus modo ignis modo aqua a Scriptura appellatus. Prudentia Christi Samaritanam docentis; Samaritanæ sinceritas; ipsa Nicodemo sapientior.* — Spiritus gratiam Scriptura modo ignem, modo aquam appellat, non substantiæ, sed operationi indicandæ hæc apta nomina esse demonstrans. Non enim ex diversis substantiis constat Spiritus, cum invisibilis et unius generis sit. Alterum certe Joannes significat, cum dicit : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Matth.* 3. 11); alterum vero Christus, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant* (*Joan.* 7. 38. 39). Ita et mulierem alloquens, Spiritum vocat aquam : *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*; sic Spiritum vocat ignem, ut vim fervoremque gratiæ, et peccatorum perniciem significet; aquam, ut purificationem refrigeriumque per illam excipientibus animis partum indicet. Et jure quidem. Nam tamquam hortum, fructiferis semperque virentibus arboribus comantem, sic studiosam animam exornat, neque mœroris, neque satanicarum insidiarum sensum capere sinit, quippe quæ ignita maligni tela facile exstinguat. Tu vero mihi Christi sapientiam consideres velim, quam leniter mulierculam erigat. Neque enim a principio dixit illi, *Si scires quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere :* sed postquam occasionem illi præbuerat, ut se Judæum vocaret et accusaret, criminationem depellens hoc dicit. Cum vero dixisset, *Si scires quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, forsitan petiisses ab eo*, et magnis promissionibus eo induxisset illam ut patriarchæ mentionem faceret, sic mulieri oculos mentis aperuit. Deinde illa reponente, *Numquid tu major es patre nostro Jacob ?* non dixit, Etiam, major sum : nam visus fuisset id se jactando dicere, cum nulla adhuc esset rei demonstratio : per ea autem quæ dicit, ad illud præparat. Non enim simpliciter dicit, Dabo tibi aquam; sed postquam de Jacob tacuit, quod suum erat extulit, a natura doni personarum differentiam per munerum discrimen declarans, necnon suam supra patriarcham excellentiam. Si miraris, inquit, quod ille hanc aquam dederit, si longe meliorem tibi dedero, quid dices? Jam prius pene confessa es me Jacobo majorem esse, cum sciscitando dixisti, *Numquid tu major es patre nostro Jacob*, qui meliorem promittas aquam ? si illam acceperis aquam, tunc me plane majorem confiteberis. Viden' mulieris judicium sine ulla acceptione, quæ ex rebus ipsis et de patriarcha et de Christo fert sententiam ? Verum non ita Judæi : cum viderent enim illum dæmonia ejicientem, dæmoniacum ipsum vocabant, nedum patriarcha majorem dicerent. Mulier vero non sic, sed inde fert sententiam, unde Christus volebat; ex ipsa nempe operum demonstratione. Nam et ipse quoque inde fert judicium, dicens : *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere : si autem facio, etsi mihi non creditis, operibus credite* (*Joan.* 10. 37). Sic et mulier ad fidem adducitur. Quapropter cum audisset, *Numquid major es patre nostro Jacob ?* omisso Jacobo, de aqua loquitur his verbis, *Omnis qui bibet ex hac aqua, sitiet iterum*, et comparationem, missa accusatione, ex præcellentia facit. Non dicit enim, Hæc aqua nihil est, omniaque despicienda; sed illud profert, quod ipsa natura testatur : *Omnis qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Jam audierat aquam vivam mulier, sed non intellexerat. Quia enim aqua viva dicitur, quæ perennis est et semper scaturit, non præcisa scaturigine, de hac intelligendum mulier putabat. Ideo clarius id illi deinceps aperit, et ex comparatione ejus excellentiam demonstrans ita pergit : *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum ;* sic, ut dixi, excellentiam ostendens, necnon ex sequentibus : horum quippe nihil habet vulgaris aqua. Quid vero sequitur? *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Sicut enim qui fontem intus habet, numquam sitiet : sic nec ille qui hanc aquam habuerit. Statimque mulier credidit, multo sapientior Nicodemo; nec modo sapientior, sed et fortior. Ille namque multis auditis hujusmodi, nec alium quempiam advocavit, neque ipse fiduciam habuit : hæc vero apostolico fungitur officio, omnibus annuntians, omnes ad Jesum advocans, totamque civitatem ad illum pertrahens. Ille audito Christo, dixit, *Quomodo possunt hæc fieri* (*Joan.* 3. 9)? ac eum Christus clarum exemplum venti attulisset, neque ita sermonem admisit. Secus autem mulier : sed primo dubitabat, deinde vero non tanta adhibita cautela, sed quasi latam sententiam dicta excipiens, ad rem accipiendam statim fertur. Quia enim Jesus dixerat, *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam;* statim ait mulier, 15. *Da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.*

2. Viden' quomodo paulatim ad dogmatum culmen deducatur? Primo putavit illum transgressorem quempiam Judæum esse; deinde quia hanc ille criminationem depulit (non decebat enim eum qui illam edocturus erat, suspectum esse), cum audisset aquam vivam, putavit de sensili aqua hoc dici. Demum cum audisset ea quæ dicebantur, esse spiritualia, credidit quidem posse illam aquam pellere sitim, nec tamen quid illa esset sciebat, sed adhuc dubitabat : putabat

certe hæc sublimiora esse, quam ut sensu percipi possent; sed non prorsus id quid esset noverat. Nunc certe melius videbat, neque tamen totum percipiebat: nam ait, *Da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Jam illum Jacobo præferebat. Non hoc fonte opus habeo, si a te aquam illam accipiam. Viden' quomodo illum patriarchæ anteponat? Hoc probi animi indicium est. Ostendit quam de Jacobo opinionem haberet: vidit Jacobo meliorem, neque prima illa opinione retenta fuit. Non ergo facile mulier credidit, neque temere dicta recepit, quæ tanta accuratione quæsivit; neque etiam immorigera vel contentiosa fuit. Idque ex petitione sua demonstravit. Atqui Judæis dixit Christus: *Qui comederit de carne mea, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet umquam* (*Joan.* 6. 35); sed non modo non crediderunt, sed etiam scandalizati sunt. Hæc mulier contra exspectat et petit. Judæis ille dicebat, *Qui credit in me non sitiet;* mulieri vero non ita, sed rudiore modo, *Qui biberit ex hac aqua, non sitiet.* Promissio namque erat spiritualium rerum, non visibilium [1]. Ideo mulieris animum pollicitationibus erigens, adhuc sensibilibus immoratur, quod illa nondum posset spiritualia accurate comprehendere. Nam si dixisset, Si credideris in me, non sities; illa non intellexisset, cum non nosset quis esset ille se alloquens, nec de qua siti ageretur. Cur autem non ita Judæis loquutus est? Quia illi multa signa viderant, illa vero nullum; sed verba primum audierat. Ideo per prophetiam deinceps vim suam ostendit, nec statim arguit illam; sed quid dicit? 16. *Vade, voca virum tuum, et veni huc.* 17. *Illa vero dicit, Virum non habeo. Dicit ei Jesus, Bene dixisti, Virum non habeo: 18. quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir. Hoc vere dixisti.* 19. *Dicit ei mulier, Domine, video quia propheta es tu.*

Samaritanæ philosophia malæ fidei Judæorum opponitur.—Papæ, quanta mulieris philosophia! quam mansuete reprehensionem admittit! Cur, inquies, non admisisset? nonne sæpe Judæos acrius redarguit? Non enim paris virtutis est mentis secreta in medium adducere, et rem clam peractam revelare. Illud enim Dei tantum est, cum nemo novit, nisi is qui id in mente habet; alterum vero saltem familiaribus notum est. Attamen Judæi se reprehensos esse indigne ferunt. Sed illo dicente, *Quid me quæritis interficere* (*Joan.* 7. 20)? non modo non admirantur, ut mulier illa, sed etiam conviciis et contumeliis afficiunt, etiamsi aliorum signorum argumenta haberent: hæc autem hoc unum tantum audierat. Attamen illi non modo non mirati sunt, sed etiam probro affecerunt dicentes, *Dæmonium habes, quis te quærit interficere?* Hæc vero non modo non conviciatur, sed miratur et obstupescit, prophetamque opinatur esse; etsi acrius hanc reprehendat, quam illos. Hoc enim peccatum unius ipsius erat; illud vero omnibus commune. Non autem ita morderi solemus de communibus delictis, ut de propriis. Et illi quidem magnum quidpiam se perficere putabant, si Christum interficerent: mulieris vero facinus malum esse apud omnes in confesso erat. Attamen non ægre tulit mulier, sed obstupuit mirataque est. Eodem quoque modo cum Nathanaele Christus se gessit. Non primum prophetiam induxit, neque dixit, *Vidi te sub ficu;* sed cum ille dixisset, *Unde me nosti* (*Joan.* 1. 48)? id respondit. Volebat enim miracula et prophetias ab illis incipere, qui ad ipsum accedebant, ut et magis illos sibi conciliaret, et vanæ gloriæ suspicionem effugeret. Hoc ipsum hic agit. Existimabat enim molestum et superfluum fore, si eam statim accusaret dicendo, *Virum non habes.* Illud vero corrigere post acceptam ab eadem ipsa occasionem, certe consentaneum erat, et audientem mansuetiorem reddebat. Et quænam illa consequentia, inquies, dicere, *Vade, voca virum tuum?* De dono agebatur et de gratia humanam naturam superante. Instabat mulier flagitans, et dixit ei, *Voca virum tuum;* subindicans illum quoque horum participem esse debere [1]. Illa accipiendi cupida [2], suam celat turpitudinem, seque hominem alloqui putans ait, *Non habeo virum.* Hinc occasionem captans Christus opportune illam reprehendit, utrumque accurate explicans: nam priores omnes numeravit, et hunc occultum revelavit. Quid ergo mulier? Non ægre tulit, non illo relicto fugit, non id contumeliam esse putavit; sed magis admiratur, magis perseverat: nam ait, *Video quia propheta es tu.* Ejus vero prudentiam perpende. Non statim accurrit, sed adhuc considerat et miratur. Illud enim, *Video*, id est, Videris mihi propheta esse. Deinde quia hoc suspicata erat, nihil terrenum interrogat, non de valetudine corporis rogat, non de opibus, non de divitiis, sed de dogmatibus statim. Quid enim dicit? 20. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*, Abraham significans, quem filium eo adduxisse dicebant: *Et quomodo vos dicitis quia Jerosolymis est locus ubi adorare oportet?*

3. *E Samaritanæ studio fervorem audientium excitat. Lectio divinorum librorum commendatur. Libri aureis litteris.*— Viden' quam mente sublimior evaserit? Nam illa cui de sedanda siti cura erat, jam de dogmatibus interrogat. Quid ergo Christus? Non solvit quæstionem (non enim hoc curabat, ut ad omnia accurate responderet; id quippe supervacaneum fuisset), sed rursus mulierem ad majorem sublimitatem ducit; nec prius illa tractat, quam mulier confessa esset ipsum esse prophetam, ut majorem postea dictis fidem haberet. Quæ enim hoc crederet, non ultra de dictis dubitatura erat. Pudeat ergo nos, et erubescamus. Mulier quæ quinque viros habuerat, Samaritana, tantum doctrinæ addiscendæ studium habet, nec hora diei, nec aliud quodvis officium vel negotium illam ab hujusmodi quæstione abducit: nos autem non modo de dogmatibus non interrogamus, sed in omnibus socordes ignavique sumus. Ideo omnia negliguntur. Quis ve-

[1] Alii legunt, *indeterminatorum*, pro, *non visibilium*.

[1] Quæ sequuntur post illud, *voca virum tuum*, alii aliter efferunt.

[2] Morel. habet: *illa latere cupiens.*

strum, quæso, domi christianum librum arripit, dicta examinat, aut Scripturam scrutatur? Nemo sane; sed talos et cubos apud plerosque inveniemus, libros nusquam, vel apud paucos certe. Hi vero perinde affecti sunt, atque ii qui non habent, qui ligatos vel prorsus in scriniis depositos servant, omneque studium ponunt in membranarum tenuitate, aut in literarum pulchritudine, neglecta lectione. Neque enim ad utilitatem quampiam illos acquirunt, sed ut opulentiam suam ambitiose ostentent: tantus est inanis gloriæ fastus. Neminem audio id ambire ut libros intelligat; sed potius se libros habere jactant aureis literis scriptos. Et quid, quæso, hinc lucri provenit? Non enim propterea datæ nobis sunt Scripturæ, ut illas in libris tantum habeamus; sed ut in cordibus insculpamus. Certe hæc librorum possessio Judaicæ ambitionis est, cum videlicet præcepta literis solum mandantur. Nobis utique non ab initio sic lex data fuit, sed in tabulis cordis carnalibus. Hæc vero dico, non quod libros comparere prohibeam, imo id laudo, et ut fiat exopto; sed velim eorum et dicta ita et sensa in animis nostris versari, ut ii scriptorum intelligentia purgentur. Nam si domum, ubi Evangelium est, adire non audet diabolus; multo minus ad animam evangelicis imbutam sententiis accedere aut dæmon aut peccatum audebit. Sanctifica igitur animam tuam, sanctifica corpus: hæc semper in corde et in lingua verses. Nam si turpia verba inquinant, et dæmones evocant; palam certe est lectionem spiritualem sanctificare et spiritualem gratiam attrahere. Scripturæ divina sunt cantica. Cantemus ergo intra nos ipsos, ac morbis animæ hæc remedia adhibeamus. Si sciremus enim ea quæ leguntur, magno illa studio audiremus. Hæc semper dico, nec finem dicendi faciam. Annon absurdum fuerit, si dum homines in foro sedentes, aurigarum et saltatorum nomina, genus, urbes, industriam, imo equorum virtutem aut vitia narrant: illi qui huc conveniunt, eorum quæ hic aguntur nihil sciant, imo ipsum librorum numerum ignorent? Si enim voluptatis causa illa percipias, ostendam tibi hinc majorem decerpi voluptatem. Quid enim, quæso, suavius? quid mirabilius? an hominem cum homine luctantem cernere, an hominem cum diabolo pugnantem, et corpus cum incorporea potestate congrediens et superans? Has pugnas contemplemur; has, inquam, quas imitari decorum utileque est, quas qui imitantur, coronam accipiunt: non autem illas, quarum studium ignominiam parit imitantibus. Illam enim pugnam cum dæmonibus aspicies, si aspexeris; hanc cum angelis et angelorum [1] Domino. Dic enim mihi, si liceret tibi cum principibus ac regibus sedentem spectaculis frui, annon illud valde honorificum putares? Hic vero cum Rege angelorum videns diabolum a dorso correptum, reluctantem [2] ac vincere frustra conantem, annon curris ad hoc spectaculum? Et quomodo, inquies, possunt hæc fieri? Si librum præ manibus habeas. In illo namque videbis, et fossas, et longa curricula, et captandi ansas, et justi artificium. Hæc si spectacula intueare, disces certandi modum, et dæmonas superabis. Illa vero spectacula dæmonum sunt celebritates, non hominum theatra [3]. Nam si in idolorum templum non licet ingredi, multo minus licet in satanicam celebritatem. Hæc dicere et agitare non desinam, donec vos mutatos videro. Nam hæc dicere, *Mihi quidem non pigrum*, inquit, *vobis autem tutum est* (*Philipp.* 3. 1). Ne igitur admonitionem ægre feratis. Nam si graviter ferendum, mihi potius esset qui non audior, quam vobis qui semper auditis, numquam autem obtemperatis. Sed absit ut semper vos accusare cogar; faxit Deus ut hac turpitudine liberati, spirituali spectaculo [4] dignemini, et futura gloria fruamini: gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, unaque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Savil habet, *cum angelis et archangelis et angelorum Domino.*
[2] In Morel. legitur...... *videns diabolum ex oraculis divinis pudore suffusum, reluctantem.*
[3] Hic addit Savil.: *Itaque, obsecro vos, a satanicis abstinete celebritatibus.*
[4] Morel. habet, *æternis bonis*, pro, *spirituali spectaculo.*

HOMILIA XXXIII.

21. *Dicit ei Jesus: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Jerosolymis adorabitis Patrem.* 22. *Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.*

1. *Fidei necessitas. Illud*, Crede mihi, mulier...... adorabitis Patrem, *commentatur. Cultus Samaritanorum. Judæorum super Samaritanos præstantia. Christi in testamentum vetus suffragium.* — Ubique fide nobis opus est, dilecti, fide, bonorum matre, salutis medicina, sine qua nullam magnarum rerum doctrinam percipere possumus; sed perinde atque illi qui sine navi mare trajicere conantur, tantillum possunt manibus pedibusque natare, sed ulterius progressi, cito a fluctibus demerguntur; sic et qui propriis utuntur ratiociniis, antequam didicerint, naufragium faciunt: quemadmodum et Paulus ait, *Qui circa fidem naufragarunt.* Quod ne nos quoque patiamur, sacram teneamus ancoram, per quam Christus Samaritanam nunc ducit. Nam cum illa diceret, *Quomodo vos dicitis quia in Jerosolymis est locus, in quo oportet adorare?* respondit Christus: *Crede mihi, mulier, quia venit hora, quando neque in Jerosolymis, neque in monte hoc adorabitis Patrem.* Maximum huic dogma revelavit, quod nec Nicodemo, nec Nathanaeli dixit. Hæc sua Judaicis præstantiora esse contendit, et patrum auctoritate firmare nititur: Christus vero nihil ad hoc respondit. Supervacaneum enim tunc fuisset ostendere, cur patres in monte, cur Judæi in Jerosolymis adorarent. Ideo illud tacuit; et sublata de utriusque loci præstantia quæstione, ejus animam erigit, ostendens neque Judæos neque patres posse magnum quidpiam

in futuro præstare; et tunc differentiam inducit. Verumtamen præstantiores Judæos significat, non locum loco anteponens, sed illa solum ratione Judæis primas concedens, ac si diceret: Nihil de loco jam disputandum. In cultus quidem modo Judæi præferendi erant Samaritanis: *Vos*, inquit, *adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus*. Quomodo ergo nesciebant Samaritani quid adorarent? Quia Deum loco circumscribi, imo quasi dividi posse putabant. Sic igitur illum colebant; sic Persis nuntiarunt, istius loci deum sibi iratum esse, nihil de eo amplius quam de idolo rati. Quapropter perseverabant et illum et dæmonas colere; ea quæ misceri non poterant confundentes. Judæi vero hac opinione liberi erant, ipsumque putabant esse orbis Deum; etiamsi id non omnes crederent. Propterea dicit: *Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus*. Ne mireris autem quod se Judæis annumeret: nam secundum mulieris opinionem loquitur, quasi propheta Judæorum; ideoque illud, *Adoramus*, posuit. Quod enim adoretur nemini non notum est; adorare enim creaturæ est, adorari vero, creaturarum Domini. Verum interim ille ut Judæus loquitur. Illud ergo, *Nos*, id est, Nos Judæi. Judaica igitur extollens, se fide dignum præbet, et dictis suis fidem conciliat, suspicionem amovens, ostendensque se non cognationis gratia illa extollere. Qui enim circa locum talem profert sententiam, de quo loco Judæi maxime gloriabantur, ac se cæteris præferendos censebant, dum hanc illis præstantiam aufert, palam est eum jam non ad gratiam cujuspiam loqui, sed ex veritate et ex vi prophetica. Quia igitur a tali existimatione abduxit dicens, *Crede mihi, mulier*, etc., adjicit, *Quia salus a Judæis est*; hoc est, vel quod hinc orbi bona collata sint (nam Dei cognitio idolorumque reprobatio hinc ortum habuit, necnon et alia omnia dogmata, et vester cultus licet non rectus sit; a Judæis enim ortum habuit): vel hæc ergo, vel adventum suum salutem vocat. Imo vero non aberraverit quispiam si dicat hæc ambo salutem esse, eam scilicet quam ex Judæis esse dicit. Quod Paulus subindicans dicebat, *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus* (*Rom.* 9. 5). Viden' quomodo Vetus prædicet Testamentum, ac bonorum radicem esse declaret, et se nullo modo contrarium esse legi? siquidem ex Judæis bonorum causam omnium esse dicit. 23. *Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem*. Vobis præstantiores sumus, o mulier, inquit, in adorandi modo: verum hic cultus deinceps finem habebit. Non enim locus tantum, sed etiam modus colendi mutabitur: et hæc ad januam sunt. *Venit* enim *hora, et nunc est*.

2. *Quare Christus addiderit*, et nunc est; *Veri adoratores qui sint. Quid sibi velit istud*, in spiritu et veritate. *Christus in libris Moysis sæpe prædictus præfiguratusque est. Præstat Judæis mulier Samaritana.* — Quia enim prophetæ multo ante tempore loquuti sunt, id hoc loco tollens dicit, *Et nunc est*. Ne putes, inquit, hanc prophetiam post multum tempus implendam esse: res enim instat, et in januis est, *Quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate*. Cum dixit veros, cum Samaritanis Judæos repulit; etiamsi enim illi sint his meliores, venturis tamen longe sunt inferiores, et quantum veritas figura melior est. De Ecclesia vero loquitur, quia vera Deoque consentanea adoratio illa ipsa est. *Nam Pater tales quærit adoratores*. Ergo si tales quærebat, non ex voluntate propria illis olim talem concessit modum, sed ex indulgentia, ut hos etiam introduceret. Quinam ergo sunt veri adoratores? Qui cultum non loco circumscribunt, ac Deum in spiritu colunt; sicut et Paulus ait: *Cui servio in spiritu meo, in evangelio Filii ejus* (*Rom.* 1. 9); et iterum, *Obsecro vos ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum* (*Ibid.* 12. 1). Cum autem dicit, 24. *Spiritus est Deus*, nihil aliud quam incorporeum significat. Oportet igitur incorporei cultum etiam talem esse, et per id quod incorporeum in nobis est offerri; id est, per animam et per mentis puritatem. Idcirco ait: *Et adoratores ejus, in spiritu et veritate oportet adorare*. Cum enim et illi et Judæi animam negligerent, multamque corporis curam gererent, ipsumque omnimode purgarent, dicit non corporis puritate, sed illo quod incorporeum in nobis est, scilicet mente, incorporeum esse colendum. Ne itaque oves et vitulos, sed teipsum offer Deo in holocaustum: hoc est enim hostiam viventem exhibere. In veritate namque adorare oportet. Ut priora typus erant, nempe circumcisio, holocausta, sacrificia, incensum; nunc certe non item; sed omnia veritas. Non enim caro circumcidenda, sed malignæ cogitationes, ac seipsum crucifigere oportet, absurdasque concupiscentias tollere et immolare. Hæc mulieri obscura visa sunt: dictorum sublimitatem non assequuta illa, et hærens, audi quid dicat: 25. *Scio quia venit Messias qui dicitur Christus: cum venerit ille, annuntiabit nobis omnia*. 26. *Dicit ei Jesus: Ego sum qui loquor tecum*. Et unde Christi adventum exspectabant Samaritani, qui solum Moysem recipiebant? Ex ipsis Moysis scriptis. Nam in principio Filium revelavit. Illud enim: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* 1. 26), ad Filium dictum fuerat; et Abrahamo in tabernaculo Filius loquitur; et Jacob de illo prophetice prædicit: *Non deficiet princeps de Juda, nec dux de femoribus ejus, donec veniat is cui repositum est, et ipse exspectatio gentium*. (*Gen.* 49. 10). Ipse quoque Moyses ait: *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus, de fratribus vestris sicut me; ipsum audietis* (*Deut.* 18. 15). Item quæ de serpente, de virga Moyses, de Isaac et de ove, multaque alia, quis colligere possit, quæ adventum illius prædicebant. Et cur, inquies, his Christus non usus est ut mulieri suaderet, sed Nicodemo serpentem protulit, Nathanaeli prophetias commemoravit; huic vero nihil simile dixit? Cur et qua de causa? Quia illi viri erant, qui in his versabantur rebus; hæc vero mulier inops, rudis, Scripturarum expers. Ideoque non illa mulierem alloquens adhibet; sed ex aqua exque prophetia illam attrahit, ac per illa Christum in memoriam revocat, ac seipsum de-

mum revelat. Quæ si initio non quærenti mulieri dixisset, visus fuisset ei delirare et futilia loqui. Nunc autem paulatim illi memoriam revocans, oportune sese revelat. Et quidem Judæis sæpe dicentibus, *Usquequo animam nostram tollis? Dic nobis si tu es Christus* (*Joan.* 10. 24) : his non clare respondit; huic vero manifeste dixit se Christum esse : nam melius affecta mulier erat, quam Judæi. Illi enim non ad discendum quærebant, sed ut ipsum semper traducerent. Nam si discere voluissent, satis fuisset doctrina verborum, Scripturarum, signorum. Illa vero simplici mente et sincero affectu loquebatur, ut palam est ex iis quæ postea fecit. Nam audivit et credidit, et alios ad credendum induxit, in omnibusque videre est mulieris diligentiam et fidem. 27. *Et continuo venerunt discipuli ejus.* Tempestive advenerunt, cum doctrina jam perfecte tradita esset. *Et mirabantur quod cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit, Quid quæris? aut, Quid loqueris cum ea?*

3. Quid mirabantur? Facilitatem, humilitatem tantam; quod tam conspicuus cum esset, eo se demittere dignaretur, ut mulierem inopem, Samaritanam alloqueretur. Attamen licet stupefacti, causam non quæsierunt; ita nempe instituti erant, ut discipulorum semper ordinem tenerent : ita ipsum timebant ac reverebantur. Etiamsi enim nondum dignam ejus existimationem haberent, at quasi admirandum quemdam virum ipsum suspiciebant observabantque. Attamen sæpe audentiores visi sunt, ut cum Joannes supra pectus ejus recubuit; et cum accesserunt ad eum dicentes, *Quis major est in regno cælorum* (*Matth.* 18. 1)? cum filii Zebedæi rogant ut alter a dextris, alter a sinistris sedeat (*Marc.* 10. 35. 37). Cur ergo hic non interrogarunt? Quia tunc cum de rebus suis ageretur, necessario sciscitabantur; hic autem res nihil ad eos pertinebat. Joannes autem multo post tempore hoc facere solebat, quando Christi erga se dilectione fretus, magis fidebat : *Hic enim erat*, inquit, *quem diligebat Jesus* (*Joan.* 19. 26). Quid huic beatitudini par? Verum non hic gradum sistamus, dilecti, ut apostolum beatum prædicemus; sed nihil non agamus ut in beatorum numero accenseamur; imitemur evangelistam, et videamus quid causæ fuerit, quod tantam sibi Christi dilectionem attraheret. Quænam causa fuit? Patrem reliquit et naviculam et rete, et Jesum sequutus est. Verum hoc illi commune cum fratre suo erat, itemque cum Petro et Andrea, et cum cæteris apostolis. Quid ergo eximium habuit, quod tantam ipsi dilectionem conciliaret? Ille de seipso nihil hujusmodi dixit, nisi solum quod diligeretur; causam vero cur diligeretur modeste tacuit. Quod enim eximie a Christo diligeretur omnibus palam erat : attamen non observamus ipsum alloquentem, ac seorsim sciscitantem, ut fecit sæpe Petrus, ut Philippus, ut Judas, ut Thomas; nisi tantum semel in gratiam coapostoli sui rogantis se. Nam innuente apostolorum corypbæo, tunc necessario interrogavit; hi enim mutuo se amore diligebant. Sic in templum simul ascendisse, simul concionatos esse narratur. Atqui Petrus tamen ardentius sæpe et movetur et loquitur : ac demum Christum dicentem audit : *Petre, amas me plus his* (*Joan.* 21. 15)? Qui vero plus cæteris diligebat, procul dubio diligebatur. Verum alterum ex amore erga Jesum, alterum ex amore Jesu erga illum palam erat. Quid ergo illi hunc eximium amorem conciliavit? Videtur mihi ille modestiam et mansuetudinem magnam exhibuisse : quapropter sæpe non ita libere et fidenter agere deprehenditur. Hæç quanta sit virtus, ex Moyse arguitur : nam hæc illum talem et tantum effecit.

Humilitas fundamentum virtutum. Divitiarum vanitas. Eleemosyna commendatur. — Nihil par humilitati est. Ideo hinc beatitudines Christus incepit (*Matth.* 5. 3). Nam quasi ædificii maximi fundamentum jacturus, humilitatem primam posuit Nemo quippe potest absque illa salutem consequi; sed etiamsi quis jejunaverit, etiamsi precatus sit eleemosynamque erogarit, si id superbe faciat, hæc omnia abominanda sunt; ut contra si adsit humilitas, omnia optabilia amabiliaque sunt et cum securitate exercentur. Modeste igitur agamus, dilecti, modeste agamus : certe facilis hæc virtus est, si vigilemus. Quid tandem illud est, mi homo, quod te in arrogantiam extollit? annon vides naturæ vilitatem? voluntatem ad lapsum pronam? Cogita mortem tuam, peccatorum multitudinem. Verum fortassis ob multa præclare gesta altum sapis? Hoc ipso omnia amittes. Quapropter non tam peccator, quam virtutis sectator modestiæ operam dare debet. Quare? Quia ille ex conscientia ad id cogitur; hic vero, nisi admodum vigilet, cito ceu a vento quopiam abripitur et evanescit, sicut Pharisæus ille. Sed pauperibus erogas? Verum non tua, sed ea quæ Domini sunt, quæ sunt conservis communia. Ideoque humiliter sentiendum, dum in contribulium calamitatibus, quæ tibi instent prævides, et naturæ tuæ conditionem in aliis ediscis. Fortasse nos talibus orti sumus progenitoribus. Quod si divitiæ ad nos transiere, illas haud dubie relinquemus. Quid vero sunt divitiæ? Umbra inanis, fumus evanescens flos fœni, imo flore sunt viliores. Cur de fœno altum sapis? Nonne et furibus, et mollibus, et meretricibus et sepulcrorum effossoribus divitiæ accedunt? Ideone intumescis quod tales opum consortes habeas? Sed honoris cupidus es? Verum nihil ad honorem opportunius eleemosyna. Nam honores ex divitiis et potentia parti, coacti sunt et odiosi; hi vero ex arbitrio et conscientia honorantium prodeunt, quos ne ii quidem qui honorant de medio tollere possunt. Quod si homines tantam erga eleemosynam erogantes reverentiam habent, et omnia ipsis bona apprecantur : cogita quantam a benigno Deo mercedem accepturi sint, quam retributionem. Has ergo quæramus divitias semper manentes, numquam fugientes; ut et in hac vita magni, et in illa conspicui simus, atque æterna consequamur bona; gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, unaque Spiritui sancto, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIV.

28. *Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dixit hominibus :* 29. *Venite, videte hominem, qui dixit mihi quæcumque feci : numquid ipse est Christus?*

1. *Fervorem audientium excitat Chrysostomus cum verbis Christi, tum exemplo mulieris Samaritanæ cujus etiam humilitatem laudat. Christus quam de salute hominum sollicitus, quam in inculcanda doctrina prudens!* —Multo nos fervore oportet, multo excitari studio; alioquin promissa bona consequi non poterimus. Quod significans Christus modo quidem ait : *Si quis non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* (*Matth.* 10. 38); modo autem, *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur* (*Luc.* 12. 49)? Utroque dicto, ferventem incensumque discipulum nobis, et ad omnia subeunda pericula paratum significat. Talis erat et hæc mulier : ita enim verbis Christi incensa est, ut relicta hydria et aqua, cujus gratia eo concesserat, et in urbem accurrens, universum populum ad Jesum traheret. *Venite*, inquit, *et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci.* Vide studium, vide prudentiam. Venerat ut aquam hauriret, et cum verum fontem invenisset, fontem sub sensum cadentem despexit, ut nos doceret, etsi exiguo exemplo, spirituali doctrinæ intentos sæcularia contemnere oportere, nullamque quantum in nobis est, illorum rationem habere. Quod et apostoli fecerunt, ipsa quoque, imo ferventius præstitit. Illi namque vocati, retia dimiserunt; hæc vero sponte sua, nullo præcipiente, relinquit hydriam et evangelistarum officio fungitur, gaudio ipsi alas addente; neque unum aut alterum, ut Andreas et Philippus, sed universam commovet civitatem, et tantum populum ad Christum adducit. Et vide quam prudenter loquatur. Non dixit, Venite, videte Christum; sed cum eadem attemperatione qua Christus ipsam ceperat, illos allicit. *Venite*, inquit, *videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci.* Nec puduit illam dicere, *Dixit mihi omnia quæcumque feci*; etsi dicere potuisset, Venite, videte prophetam : verum cum anima divino igne succensa est, nihil ultra terrenum respicit, non famam, non infamiam; sed flammæ tantum ardore movetur. *Numquid ipse est Christus?* Animadverte iterum magnam mulieris sapientiam. Neque penitus affirmat, neque reticet. Volebat enim non ex opinione sua illos inducere; sed illo audito, ipsos suæ sententiæ consortes habere, unde res magis probabilis evasura erat. Atqui non totam vitam suam ipsi Christus declaraverat; sed ex dictis cæterorum quoque notitiam ipsum habere credidit. Nec dixit, Venite, credite; sed, *Venite, videte*, quod sane levius erat, et magis ipsos allicere poterat. Vidisti mulieris sapientiam? Sciebat enim et plane sciebat, illo degustato fonte, idipsum illis eventurum esse quod sibi evenerat. Atqui alius crassioris ingenii, criminationem sibi factam obscurius dixisset; illa vero vitam suam declarat et in medium adducit, ut omnes attraheret caperetque. 31. *Interea rogabant eum discipuli ejus, dicentes : Rabbi, manduca.* Illud, *Rogabant*, idiomate suo hic significat, Hortabantur. Videntes enim eum ex itinere et æstu defatigatum, hortabantur eum. Non enim ex petulantia, sed ex amore doctoris ad cibum sumendum pellebant. Quid ergo Christus? 32. *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis :* 33. *Dicebant ergo ad invicem : Numquid aliquis attulit ei manducare?* Quid ergo miraris si mulier aquam audiens, vere aquam esse arbitrabatur, quando discipuli pari sunt modo affecti, nihilque spirituale intelligunt; sed dubitant, dum doctori reverentiam et honorem pro more exhibent, ac mutuo colloquuntur, nec audent ab illo sciscitari? Hoc etiam alibi faciunt, dum interrogare cupientes, abstinent tamen. Quid ergo Christus? 34. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, et perficiam opus ejus.* Hominum salutem hic cibum vocat, ostendens cum quanta cura nobis provideat. Ut enim nos cibum, ita ille nostram salutem desiderat. Audi vero quo pacto non ubique omnia cito revelet, sed primo auditorem in dubitationem conjiciat, ut postquam quærere incepit quid sit illud quod dicitur, cum dubitando laborat, libentius id quod quærebat expositum accipiat, et ad audiendum magis excitetur. Cur ergo non statim dixit, *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei* : quod etsi non omnino clarum, tamen clarius illo erat, quod jam dixerat; sed quid? *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Primo igitur, ut dixi, ex dubitatione attentiores illos reddit, atque assuefacit, ut etiam per ænigmata, dicta intelligant. Quid autem sit voluntas Patris, deinceps explicat. 35. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis, Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.*

2. En rursum familiaribus verbis illos ad sublimium rerum contemplationem erigit. Nam cum *Cibum* dixit, nihil aliud quam futuram hominum salutem declaravit; ager rursum et messis hoc ipsum significant, animarum nempe multitudinem ad prædicantes excipiendos paratam. Oculos autem hic dicit et mentis et corporis : nam videbant Samaritanorum turbam venientem : illorum vero promptam voluntatem regiones albas appellat. Quemadmodum enim spicæ, cum albæ sunt, jam ad messem sunt paratæ : sic et isti ad salutem jam sunt parati et idonei. Et cur non clare dixit, illos ad credendum accedere, et paratos ad verbum suscipiendum esse, a prophetis jam institutos, et fructum reddituros; sed regionem et messem ipsos appellavit? quid sibi volunt hæ figuræ? Neque enim hic tantum, sed etiam per totum evangelium id agit : et prophetæ quoque eo ipso utuntur more, et metaphorice multa dicunt. Quanam ergo de causa? Neque enim temere Spiritus gratia sic instituit. Sed cur tandem? Duabus de causis : primo, ut major dictorum emphasis esset, et ea in conspectu ponerentur. Mens enim imaginem rebus consonam assequuta, magis excitatur, ac res quasi depictas vi-

dens, ab illis magis abripitur. Hæc prior est causa : secundo, ut narratio sit suavior, et dictorum memoria magis perseveret. Neque enim ita sententia accipitur, neque ita suadet auditoribus multis, ut narratio per res ipsas, quarum experimentum habemus. Quod in parabola sapientissime tractatum videre est. 36. *Et qui metit, mercedem accipit, et fructum colligit in vitam æternam.* Nam terrenæ hujus messis fructus, non ad æternam, sed ad temporaneam vitam juvat; spiritualis vero messis fructus, ad immortalem vitam. Viden' quomodo verba quidem sensibilia sint, sensus vero spirituales, atque ipsa verba a cælestibus terrena distinguant? Quod enim de aqua dixit, postquam ejus proprietatem indicaverat, *Qui bibit ex hac aqua, non sitiet;* id ipsum hic facit, cum ait hunc fructum colligi in vitam æternam : ut et qui seminat et qui metit simul gaudeant. Quis est qui seminat, quis est qui metit? Prophetæ semen jecere, nec ipsi messuere, sed apostoli. Neque tamen ideo illi a voluptate et mercede laborum privati sunt; sed nobiscum lætantur et gaudent, etiamsi non nobiscum metant : neque enim messis opus idem est ac sementis. Ubi igitur minor est labor, et major voluptas, ad hoc vos servavi, non ad sementem, ubi multum laboratur. In messe namque amplus est proventus, labor vero non tantus, sed multa facilitas. Hic autem vult significare, prophetarum voluntatem eam esse, ut homines ad me accedant; hoc et lex apparavit. Ideo seminarunt, ut hunc fructum parerent. Ostendit quoque se misisse illos, ac multam inter veterem et novam legem esse affinitatem, simulque omnia per hanc parabolam efficit. Meminit autem proverbii cujusdam, quod in multorum ore ferebatur. 37. *In hoc enim*, inquit, *est verbum verum : quia alius est qui seminat, alius est qui metit.* Hæc autem dicebant multi, Num alii labores ferrent, alii fructus decerperent? dicitque : Hic sermo jam verus est : prophetæ quidem laborarunt, vos autem laborum ipsorum fructum decerpitis. Non dixit, mercedem : neque enim illi sine mercede tantum suscepere laborem; sed, fructum. Hoc et Daniel fecit (*a*); ipse namque proverbium hoc commemorat : *Exiit ab iniquis scelus* (1, *Reg.* 24. 14). David quoque flendo hujus proverbii meminit. Ideo jam prius dixerat : *Ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit.* Quia enim dicturus erat alium seminaturum, alium messurum esse, ne quis, ut dixi, putaret prophetas mercede privari sua, novum quidpiam et inexspectatum dicit; quod in rebus sensilibus non accidat, sed in spiritualibus eximium sit. In sensilibus enim si contingat alium serere, alium metere, non una gaudent, sed dolet is qui seminavit, utpote qui alteri laboraverit; gaudent vero ii tantum qui metunt. Hic autem non ita; sed qui non metunt ea quæ seminarunt, una cum metentibus gaudent; unde palam est eos mercedis esse consortes. 38. *Ego misi vos metere quod vos non laborastis : alii laborarunt, et vos in laborem eorum intrastis.* Hoc pacto illos melius hortatur. Quia enim laboriosum videbatur esse totum orbem peragrare et prædicare, rem esse facilem ostendit. Nam hoc laboriosum, hoc multi sudoris erat, semina jacere, et animam non initiatam ad Dei cognitionem deducere. Cur autem hæc loquitur? Ut cum mitteret eos ad prædicandum, non turbarentur, quasi ad rem laboriosam missi. Prophetarum quippe munus longe magis laboriosum erat, ut res ipsa testificatur; vos ad facilia venistis. Sicut enim in messe facile fructus colligitur, et brevi tempore area manipulis impletur, nec tempora exspectantur, non hiems, non ver, non imber : ita et nunc fit; ut ipsa opera clamant. Dum hæc ille diceret, exierunt Samaritani, et confertim collectus est fructus; ideo dicebat : *Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt.* Hæc dixit, et res ipsa visa est, sermonem opera sequuta sunt. Nam 39. *Ex civitate illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.* Videbant enim eam non ad gratiam laudasse illum, qui peccata sua coarguisset; neque ut gratiam cujuspiam sibi conciliaret, vitia sua omnibus patefacere.

3. Hanc ergo mulierem et nos imitemur, et in peccatis nostris vulgandis ne vereamur homines; sed Deum ut par est timeamus, qui et nunc facinora nostra videt, et tunc puniturus est eos qui nunc pœnitentiam non agunt. At nos contra eum, qui nos judicaturus est, non timemus; eos autem, qui nobis nocere nequeunt, formidamus, tremimusque ne apud illos infamia laboremus. Idcirco in quo timemus, in eo pœnas dabimus. Nam qui solum ne hominibus turpis videatur cavet, neque erubescit Deo vidente nefarium quidpiam patrare, si non pœnitentiam agat, in illa die non ante unum aut duos, sed orbe toto vidente traducetur. Nam quod ad bona et mala opera spectanda magnus ibi consessus sit, parabola ovium et hœdorum te doceat, necnon beatus Paulus, qui dicit : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gesserit, sive bonum, sive malum* (1. *Cor.* 5. 10) : et rursus, *Qui manifestabit abscondita tenebrarum* (*Ibid.* 4. 5). Commisisti aliquod peccatum, aut cogitasti illud, et hominibus occultas? At Deo non occultas. Et

(*a*) In sequentia usque ad *ideo jam prius* Savilius hæc notat : *Hæc verba*, inquit, *olent glossema : quod si retinenda sunt, ut ea retinet uterque Codex noster*, pro Daniel *legendum* est David, *et pro* David *forte legendum vel* Daniel *vel* Jeremias; *sed nescio*. Hactenus Savilius. Sed hæc non esse glossema probant omnes Mss. nostri, tum etiam Saviliani, qui hæc similiter habent, et omnino quadrant ad seriem. Postquam enim dixerat, *Laborarunt enim prophetæ*, ad exempla mox venit, et primo Danielem commemorat; imo potius Davidem; nam hic Danielem puto mendose pro Davide positum a librariis. Siquidem proverbium illud, *exiit ab iniquis scelus*, ab uno Davide prolatum reperio, 1 Reg. 24, 13, ubi Saülem alloquens, et de insidiis contra se structis conquerens, Deique justitiam appellans dicit, *Ut in veteri fertur proverbio, Ex iniquis egredietur scelus*. Itaque hoc nonnisi de Davide dici potuit. Pergit autem : *David quoque flendo hujus proverbii meminit*. Ut Danielem pro Davide supra positum puto, ita hic David pro Daniele positus fuerit; nam postquam per tres hebdomadas fleverat et jejunaverat Daniel, hæc post alia multa audivit, *et inique agent iniqui*, cap. 12, 10 : id quod in illud supra allatum proverbium recidit, *Ex iniquis egredietur scelus*. Verum contra Manuscriptorum omnium auctoritatem nihil mutare ausi sumus.

tamen nihil curas; oculos autem hominum formidas. Cogita ergo te non homines latere posse in die illo. Omnia enim quasi in imagine tunc stabunt ante oculos nostros, ut unusquisque contra se ferat sententiam; quod ex divite palam est. Etenim pauperem illum quem despexerat, Lazarum dico, ob oculos stantem dives vidit, et quem cum horrore depulerat digitum jam rogat sibi solatio esse. Rogo igitur, etsi nemo nostra videat, singuli in suam conscientiam ingrediantur, et judicem sibi rationem constituant, peccata in medium agant. Et nisi velint ea in die illa terribili promulgari, pœnitentiæ remedia apponant, ac vulnera sanent. Potest enim, potest quisque, etsi mille plagis onustus, sanus abire. Nam *Si dimiseritis*, inquit, *peccata dimittentur vobis; si non dimiseritis, non dimittentur* (*Matth.* 6. 14. 15).

Pœnitentia vera quæ. Quemadmodum in baptismate abluta peccata non amplius apparent: ita et hæc delebuntur, si pœnitentiam agamus. In hoc autem pœnitentia sita est, ne eadem ipsa patrentur: *Nam qui ad peccata revertitur, similis est cani ad vomitum suum redeunti* (2. *Pet.* 2. 21. 22); (*a*) [necnon ei qui secundum proverbium ignem verberat, et in pertuso dolio haurit.] Oportet ergo et re et animo a sceleribus abstinere, atque contraria peccatis singulis remedia apponere. Exempli causa, rapuisti, et avarus fuisti? A rapina abstine, et eleemosynæ remedium vulneri admove. Fornicatus es? A fornicatione absiste, et vulneri castitatem appone. Fratris tui famam verbo læsisti, ipsique nocuisti? A maledictis abstine, et caritatis remedium appone. Ita per singula faciamus, neque peccata transcurramus. Nam instat demum, instat certe rationis reddendæ tempus. Ideo Paulus dicebat: *Dominus prope est; nihil solliciti sitis* (*Philipp.* 4. 5. 6). Sed nobis forte contra dicendum est, Dominus prope est, solliciti estote. Illi namque tunc pulchre audiebant, *Nihil solliciti sitis*, qui in ærumnis, laboribus, certaminibus degebant. Qui autem in rapinis versantur, in voluptate, qui graves reddituri sunt rationes, non hoc, sed illud merito audierint, Dominus prope est: solliciti estote. Non enim longe a consummatione absumus (*a*), sed ad finem jam mundus vergit. Hoc prænuntiant bella, ærumnæ, terræ motus, hoc exstincta caritas. Sicut enim corpus exspirans et morti proximum mille doloribus afficitur, et ruitura domus multa præmittit quæ ex tecto et ex parietibus decidunt: sic consummatio orbis jam prope et pro foribus est: ideo mala undique ipsum invadunt. Nam si tunc Dominus prope erat, multo magis nunc prope est. Si ante quadringentos [1] annos cum hæc dicerentur, tempus illud plenitudinem temporum Paulus vocabat, multo magis præsens tempus ita vocandum. At fortassis ideo quidam non credunt. Atqui ideo magis credendum. Unde nosti, mi homo, finem et supra dicta non prope esse? Certe ut anni finem non diem ultimum dicimus esse, sed etiam ultimum mensem, et si triginta dierum sit: ita si tot annorum quadringentesimum esse finem dixerimus, non aberrabimus. Itaque jam tunc ille finem prænuntiavit. Coerceamus igitur nos ipsos: lætemur in timore Dei. Etenim nobis cum licentia versantibus, non valde curantibus, non exspectantibus, repente aderit Dei adventus: quod significans Christus dicebat: *Sicut enim factum est in diebus Noe, et in diebus Lot, sic erit in consummatione sæculi hujus* (*Matth.* 24. 37). Hoc et Paulus sic declarat: *Cum dixerint, Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis* (1. *Thess.* 5. 3). Quid est *Dolor in utero habentis?* Sæpe prægnantes mulieres, dum ludunt, prandent, in balneo, in foro sunt, de futuro nihil cogitantes, repentinis invaduntur doloribus. Cum ergo ejusdem conditionis res nostræ sint, simus semper parati. Non enim semper hæc audiemus, non semper hanc potestatem habebimus. *In inferno*, inquit, *quis confitebitur tibi* (*Psal.* 6. 8)? Hic itaque pœnitentiam agamus, ut sic Deum propitium habeamus, ac plenam delictorum veniam consequamur: quam utinam omnes impetremus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Quæ uncinis clauduntur, desunt in Savil. et quibusdam Mss. aliis.

[1] Savil. habet, *trecentos*, et sic duo Mss. At plures habent, *quadringentos*.

(*a*) Putabat Chrysostomus non longe esse finem mundi.

HOMILIA XXXV.

40. *Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies.* 41. *Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus;* 42. *et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi Christus.* 43. *Et post dies duos excessit inde, et abiit in Galilæam.*

1. *Samaritanorum Judæorumque erga Christum agendi rationes comparantur: laudantur priores, redarguuntur Judæi.* Nihil invidia et livore pejus, nihil inani gloria deterius: hæc innumera corrumpere solet bona. Judæi ergo cum majorem quam Samaritani cognitionem haberent, et cum prophetis educati essent, illis tamen hinc inferiores fuerunt. Samaritani testimonio mulieris fidem habuere, nulloque viso signo exeunt rogaturi Christum ut secum maneret; Judæi vero, etiam visis miraculis, non modo non illum apud se retinuerunt, sed etiam ipsum expulerunt, nihilque non egerunt ut ipsum e regione sua eliminarent. Etiamsi illorum gratia venisset, illum nihilominus ejecerunt; hi contra ut apud se maneret rogarunt. Num ergo ad hos rogantes non accedendum fuit, sed illis, qui sibi bene affecti erant, re-

lictis, apud insidiatores et adversarios manere oportuit? At non fuisset illud ejus providentia dignum. Ideo morem gessit et mansit apud eos duobus diebus. Ipsi quidem voluissent illum perpetuo retinere: illud enim indicat evangelista his verbis: *Rogaverunt eum ut ibi maneret;* ipse vero noluit, sed duos tantum dies cum illis mansit, et illo temporis spatio longe plures crediderunt in eum. Atqui non verisimile erat, illos esse credituros, tum quod nullum signum vidissent, tum quod Judæos odio haberent. Attamen quia dictorum illius veritatem juste æstimarunt, his nihil officientibus, subliniora de illo cogitarunt, quam quæ possent hujusmodi obicibus impediri, ac certatim illum magis ac magis admirabantur. Nam *Mulieri dicebant: Non jam propter tuam loquelam ei credimus: ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi Christus.* Discipuli (*a*) magistram illam superarunt. Hi namque Judæos jure accusare possunt, et quod crediderint et quod eum acceperint. Illi quorum gratia totum hoc opus susceperat, sæpe ipsum lapidaverunt; hi vero non accedentem ad se traxerunt: illi visis signis pertinaces manent, hi sine signis magnam erga illum fidem exhibent, et ea de causa gloriantur, quod sine signis crediderint; illi vero finem non faciunt tentandi et signa quærendi. Ita semper probe affecta anima opus est: quam si veritas adeat, facile occupabit; si non occupet, id non ex veritatis infirmitate, sed ex ejus pervicacia oritur. Nam et sol puros oculos facile illuminat; sin minus, oculorum culpa, non solis imbecillitas est. Audi igitur quid hi dicunt, *Scimus quia hic est vere Salvator mundi Christus.* Viden' quam cito noverunt, ipsum orbem terrarum attracturum esse et ad communem operandam salutem venisse; quodque non in solis Judæis ejus providentia circumcludenda, sed verbum ejus ubique disseminandum foret? At Judæi non item; imo dum quærerent justitiam suam statuere, justitiæ Dei non subjecti fuerunt. Hi vero fatentur omnes in culpa esse, illud apostolicum præ se ferentes: *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius* (*Rom.* 10. 3.) Cum dicunt enim ipsum esse Salvatorem mundi, ostendunt mundum periisse; et non modo Salvatorem esse, sed et in rebus maximis. Venerunt enim multi ut homines salvos facerent, prophetæ, angeli; sed verus Salvator hic est, inquit, qui veram præbet salutem, non solum autem temporaneam. Hoc sinceræ fidei argumentum est. Utrinque enim mirabiles sunt, et quod crediderint, et quod sine signis crediderint; quos et Christus beatos prædicat his verbis: *Beati qui non viderunt, et crediderunt* (*Rom.* 3. 23. 14); et quod etiam sincere crediderint. Cum enim audirent mulierem dubie loquentem, *Numquid ipse est Christus?* non dixerunt, Nos quoque dubitamus, neque ita existimamus, sed, *Scimus;* neque hoc tantum, sed etiam, *Hic est vere Salvator mundi.* Neque enim Christum ut unum e vulgo confitebantur, sed vere Salvatorem dicebant. Atqui quem ab illo servatum viderant? Verba tantum audierant, et tamen ea ipsa proferunt quæ dixissent, si vidissent multa magnaque miracula. Et cur evangelistæ non referunt ea quæ dixit, quæque mirabilia erant? Ut discas ipsos multa ex magnis rebus prætermittere; sed ex eventu totum demonstraverunt. Verbis enim suis totum populum, universamque civitatem convertit. Ubi autem auditores non obtemperant, tunc quæ Christus dixerit referre coguntur, ne auditorum ignaviam in concionantem quis referat. *Post duos autem dies exiit inde, et abiit in Galilæam.* 44. *Ipse enim Christus testimonium perhibuit, quia propheta in patria sua honorem non habet.* Cur hoc adjicitur? Quia in Capernaum non abiit, sed in Galilæam, et inde in Cana. Ne quæras enim, cur non apud suos, sed apud Samaritanos maneat, causam affert, quod nempe ipsum non audirent. Ideo igitur non eo se contulit, ne gravius judicium subirent.

2. Puto enim hic patriam suam intelligi Capernaum: quod autem ibi nullo cum honore exceptus sit, audi ipsum dicentem: *Et tu, Capernaum, quæ usque ad cælum exaltata es, usque ad infernum descendes* (*Luc.* 10. 15). Patriam vero suam vocat secundum œconomiæ rationem, quia diutius ibi versatus fuerat. Quid ergo? inquies, annon multos videmus, qui apud populares suos admirationi habentur? Videmus utique; sed per ea quæ raro contingunt non est sententia ferenda. Quod si quidam in patria sua honorem sunt consequuti, multo magis in aliena: consuetudo namque contemptum parere solet. 45. *Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum vidissent omnia quæ fecerat Jerosolymis in die festo: ipsi enim venerant ad diem festum.* Viden' quomodo ii qui male audiebant, ipsi maxime Christum adeant? Nam hic quidem evangelista dicit: *Ex Nazaret potest aliquid boni esse* (*Joan.* 1. 47)? alius autem, *Scrutare et vide, quia propheta a Galilæa non surgit* (*Joan.* 7. 52): quod in contumeliam ipsius dicebant. Multi namque putabant ipsum ex Nazaret esse: atque ei tamquam Samaritano exprobrabant. *Samaritanus es*, aiebant, *et dæmonium habes.* Sed ecce, inquit, Samaritani et Galilæi credunt ad ignominiam Judæorum; imo Samaritani Galilæis meliores deprehenduntur: illi enim ex mulieris solum testimonio ipsum acceperunt; hi vero, postquam signa ab illo facta viderant. 46. *Venit ergo Jesus iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum.* Miraculum in memoriam revocat, ad majorem Samaritanorum laudem. Hi namque post signa et Jerosolymis et apud se edita, ipsum susceperunt: Samaritani vero ex doctrina tantum. Istuc venisse narrat; qua de causa venerit non adjicit. In Galilæam enim propter Judæorum invidiam venit; sed cur in Cana? Primum vocatus ad nuptias illo concesserat; sed nunc quare? Mihi quidem venisse videtur ut fidem patrati miraculi præsentia sua firmaret, utque non vocatus accedens, magis illos alliceret, cum relicta patria, illos suis anteferret. *Erat*

(*a*) Hanc vocem de Samaritanis intellige.

autem quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capernaum. 47. *Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, venit ad eum, et rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium ejus;* sive ex genere regio cum esset, vel ex quadam dignitate regulus appellaretur. Quidam putant hunc ipsum esse qui memoratur a Matthæo; sed alius esse probatur non ex dignitate modo, sed etiam ex fide. Ille namque Christum ire volentem, ne eat rogat; hic nec sese offerentem, domum trahit. Ille dicit, *Non sum dignus ut intres sub tectum meum;* hic urget dicens, *Descende priusquam moriatur filius meus* (*Matth.* 8. 8). Ille de monte descendens Capernaum venit; hic vero a Samaria, non in Capernaum, sed in Cana venientem adit. Illius puer paralysi laborabat, hujus filius febri. *Et veniens rogabat eum ut sanaret filium ejus: incipiebat enim mori.* Quid ergo Christus? 48. *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Atqui quod veniret et rogaret, id fides erat; et postea hoc ipsum testificatur evangelista dicens: Cum Jesus dixisset, *Vade, filius tuus vivit, credidit sermoni ejus, et ibat.* Quid ergo sibi vult hic? Vel hoc Samaritanos, qui sine signis crediderunt, admirans dixit, vel eam, quæ sua videbatur esse, civitatem, Capernaum nempe, perstringit. Siquidem cum alius apud Lucam (a) diceret, *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* 9. 23), iisdem usus est verbis. Itaque licet hic crediderit, non tamen plene et integre: quod declarat cum sciscitatur, qua hora reliquit eum febris. Volebat enim dicere, num sponte sua, num ex Christi præcepto febris abscessisset. *Ut vero cognovit quia heri hora septima, credidit ipse et domus ejus tota.* Viden' illum credidisse, servis nuntiantibus, non Christo loquente? Mentem ergo ejus, qua venerat, arguit: ita enim magis illum ad fidem inducebat: ante signum enim non admodum credebat. Quod si et venerit et rogaverit, nihil mirum. Solent enim patres ardenti amore ducti, non solum eos, quibus fidunt, medicos adire, verum etiam eos quibus non ita fidunt, ne quidpiam præteriisse videantur. Siquidem oblata solum occasione accessit quando venit ille in Galilæam: qui si admodum illi credidisset, filio in extremis laborante, non neglexisset in Judæam venire. Quod si timebat, neque illud excusandum erat. Consideres velim, vel ipsa verba quantam demonstrent viri infirmitatem. Cum oportuisset enim, si non prius, saltem post reprehensam animi sui sententiam, magnum quidpiam de Christo cogitare, audi quomodo adhuc humi serpat. 49. *Descende,* inquit, *priusquam moriatur filius meus,* quasi non posset mortuum suscitare, et quasi non nosset quo statu puer esset. Ideo illum coarguit, et conscientiam perstringit, ostendens signa animæ causa maxime edi. Hic enim non minus patrem animo laborantem curat, quam filium; ut nobis suadeat, non tam signis, quam doctrinæ ejus attendendum esse. Signa quippe non fidelibus, sed infidelibus et crassioribus parata sunt.

3. Tunc ille mœstus non multum dictis attendebat, nisi iis quæ ad filium spectabant. Postea vero illa in mentem revocaturus erat, atque hinc magnum consequuturus lucrum: quod et evenit. Cur autem Christus centurioni se ultro obtulit iturum: hic autem ne rogatus quidem? Quia ibi fides perfecta erat. Ideo se iturum obtulit, ut viri probitatem edisceremus: at regulus adhuc imperfectus erat. Quia ergo admodum instabat dicens, *Descende,* necdum sciebat ipsum vel absentem posse sanare; id se posse ostendit; ut quam per se centurio notitiam habebat, eam regulus non accedente Jesu acquireret. Cum itaque dicit, *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis,* hoc significat, congruenti fide nondum instructi estis; sed adhuc me ut prophetam habetis. Quis ergo ipse sit revelans, et ostendens etiam sine miraculis sibi credendum esse, eadem ipsa quæ Philippo dixit: *Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est? Etsi mihi non vultis credere, operibus credite* (*Joan.* 14. 10). *Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei dicentes, quia filius ejus viveret.* 52. *Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei, Quia heri hora septima reliquit eum febris.* 53. *Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus, quod filius ejus viveret. Et credidit ipse, et domus ejus tota.* Viden' quo pacto miraculum evulgatum sit? Neque vulgari modo a periculo liberatus est, sed confestim, ita ut liqueat rem non ex naturali serie, sed ex Christi operatione factam esse. Nam cum ad ipsa mortis limina pervenisset, ut declaravit pater his verbis, *Descende, priusquam moriatur filius meus,* subito ex morbo ereptus est: quæ res etiam servos excitavit. Servi enim fortasse non ut nuntiaturi tantum, sed ut superfluum Christi adventum putantes, obviam venerunt. Sciebant enim ipsum jam illic adventare: unde eodem itinere illum convenerunt. Regulus autem, posito timore, ad fidem accedit, ut ostendat ex ipsius profectione hoc opus sequutum esse, ac demum id diligenter agit, ut ne videatur ipsum frustra profectum esse; quare accurate omnia sciscitatur. *Et credidit ipse, et domus ejus tota.* Nam nulli prorsus dubio obnoxium erat testimonium. Qui enim neque adfuerant, neque Christum audierant, neque tempus noverant, ubi ab hero suo didicerunt, idem ipsum esse tempus, certissimam habuere Christi potentiæ demonstrationem; ideo et ipsi crediderunt.

Deus cum in prosperis tum in adversis diligendus est: nihil nos ab ista dilectione avertere debet.—Quid ergo per hæc docemur? Ne miracula exspectemus, neve divinæ potentiæ pignora quæramus. Hic namque multos video, qui cum vel filio vel uxore ægrotante, aliquid solatii accepere, majorem erga Deum pietatem exhibuerunt. Etiamsi vero non exaudiamur, in gratiarum actione et laude perseverare par est. Hoc quippe fidelium servorum est, hoc diligentium et Dominum ut par est amantium, ut non modo in tran-

(a) Sic omnia exemplaria habent. Sed memoria labitur Chrysostomus: nam hæc non apud Lucam, sed apud Marcum loguuntur.

quillitate, sed etiam in ærumnis ad illum accurrant. Hæc quippe sunt Dei providentiæ opera : *Quem enim diligit Dominus, castigat : flagellat autem omnem filium, quem suscipit* (*Hebr.* 12. 6). Qui autem illum in tranquillitate solum colit, non tanti amoris signa exhibet, neque pure Christum amat. Ecquid de valetudine, de opibus loquor, quid de paupertate et morbo ? Licet enim gehennam, licet aliud quidpiam gravissimum audieris ; neque sic a Deo laudibus celebrando absistendum ; sed omnia pro ejus dilectione ferenda. Hoc fidelis servi, hoc constantis animi est. Qui hoc affectus modo est, et præsentia facile sustinebit, et futura consequetur bona, et multa apud Deum fiducia fruetur, quam nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVI.

54. *Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam.* (*Cap.* 5) 1. *Post hæc erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam.*

1. *Nihil in sacris Scripturis leviter prætereundum. Piscina probatica comparatur cum Baptismo cujus figura erat. Monita moralia dissertationi interseruntur.* — Quemadmodum in auri metallis quivis hac in re peritus ne minimam quidem venam neglexerit, utpote cum hinc magnæ possint hauriri divitiæ : sic et in divinis Scripturis ne quidem iota unum vel unum apicem sine damno prætercurras ; sed omnia sunt exploranda. Nam a Spiritu sancto hæc omnia prolata sunt, nihilque ibi supervacaneum. Hic vero considera quid dicat evangelista : *Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam.* Neque enim *Secundum* sine causa addidit ; sed adhuc Samaritanorum miraculum celebrat, ostendens hos ne post alterum quidem signum ad eam sublimitatem devenisse, ad quam devenerant ii qui nihil viderant. *Post hæc erat festum Judæorum.* Quod festum ? Pentecostes, ut mihi videtur. *Et ascendit Jesus Jerosolymam.* Frequenter in solemnitatibus versabatur in civitate, tum ut videretur cum illis festum agere, tum ut simplicem multitudinem attraheret. In illis enim maxime diebus [1] ii qui simpliciore erant animo concurrebant. 2. *Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum.* Quis hic curationis modus ? quale mysterium subindicatur ? Neque enim sine causa hæc scripta sunt ; sed futura nobis quasi in figura et imagine describit ; ne si res stupenda, inexspectata accideret, auditorum multorum fidem aliquatenus labefactaret. Quænam igitur hæc descriptio ? Futurum baptisma dandum erat, plenum virtute et gratia maxima, baptisma quod peccata omnia ablueret, quod ex mortuis vivos redderet. Hæc ergo ut in imagine depinguntur in piscina et in aliis multis. Et primo quidem aquam dedit, quæ corporum maculas ablueret, sordesque non veras, sed tales existimatas ; ex funere nempe, ex lepra, et similes : multaque videre est eadem de causa in veteri lege per aquam mundata. Sed ad propositum jam redeamus. Primo itaque, ut diximus, corporum maculas, deinde varias infirmitates per aquam solvi curat. Ut enim nos Deus ad baptismi gratiam [1] propius reduceret, non jam maculas solum, sed et morbos sanat. Imagines enim quæ propius ad veritatem accedunt, et in baptismate et in passione et in aliis magis conspicuæ sunt, quam vetustiores. Quemadmodum enim qui prope regem sunt satellites, remotioribus sunt honoratiores : ita et in figuris factum est. Et angelus descendens turbabat aquam, et sanandi vim indebat ipsi, ut discerent Judæi, angelorum Dominum multo magis posse animæ morbos omnes curare. Sed quemadmodum hic aquarum natura non simpliciter curabat; alioquin enim semper id faceret ; sed angeli operatione [2] id fiebat : sic in nobis non aqua simpliciter operatur, sed postquam Spiritus gratiam acceperit, tunc omnia solvit peccata. Circa hanc piscinam *Jacebat multitudo magna infirmorum, cæcorum, claudorum, aridorum, aquæ motum exspectantium.* Sed tunc infirmitas impedimento erat, quominus is qui vellet sanaretur : nunc autem unusquisque potestatem accedendi habet. Non enim angelus est qui aquam movet, sed angelorum Dominus omnia efficit. Nec dicere possumus, Dum ego accedo, alius ante me descendit. Sed si totus orbis venerit, gratia non consumitur, neque vis vel operatio deficit, sed semper eadem manet. Ac quemadmodum solares radii quotidie illuminant, nec absumuntur, neque quod multis subministrentur, lucis quidpiam amittunt : sic, imo multo minus Spiritus operatio minuitur a multitudine accipientium. Hoc autem factum est, ut qui discerent in aqua curandos esse corporis morbos, et hac in re diu exercitati essent, facilius crederent etiam morbos animi posse curari. Cur porro missis cæteris omnibus Jesus ad eum, qui triginta octo annos ægrotabat, venit ? cur interrogat, *Vis sanus fieri ?* Non ut id disceret ; illud enim supervacaneum fuisset ; sed ut hujus perseverantiam ostenderet, et ut sciremus ideo ipsum, cæteris omissis, hunc adiisse. Quid ergo infirmus ? *Respondit ei . Domine, hominem non habeo* [3], *ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam : dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Ideo interrogavit, *Vis sanus fieri ?* ut hæc ediscamus. Neque dixit, Vis ut te sanem ? nondum enim tanta de ipso habebatur opinio ; sed, *Vis sanus fieri ?* Stupenda prorsus est paralytici perseverantia : per triginta et octo annos, dum speraret singulis an-

[1] Morel. legit, *Maxime enim in festivitatibus.*

[1] Savil. habet, *fidem*, pro, *gratiam*.
[2] In Morel. legitur, *sed angeli descensu.*
[3] Savil. sic habet : *Quid ergo ille ? Etiam, inquit, Domine ; sed hominem non habeo.*

nis ab ægritudine liberari, mansit, nec discessit. Etiamsi enim non præterita, annon futura poterant illum a loco abducere, nisi patientissimus fuisset [1]? Cogita enim eum quanta cura cæteri ægri vigilarent. Neque enim tempus quo agitanda erat aqua, notum erat; sed claudi, et mutili observare poterant; cæci vero quomodo vidissent, nisi fortasse ex motu didicissent.

2. Erubescamus ergo, erubescamus, dilecti, et lugeamus de nostra tanta segnitie. Ille triginta octo annis perseveravit, nec quod volebat acceperat, neque tamen discessit : neque ex negligentia sua non consequutus est; sed aliis impedientibus vimque passus; neque tamen propterea animum despondit : nos vero si decem diebus perseveremus pro re aliqua precantes, nec impetremus, deinde torpemus in eodem adhibendo studio. Et qui hominibus tam diuturno tempore hæremus, militantes, in ærumnis versantes, servilia ministeria exercentes, et in fine sæpe ab illa spe concidimus; apud Dominum nostrum [2], ubi longe major merces sequitur, quam sint ipsi labores : nam *Spes*, inquit, *non confundit* (*Rom.* 5. 5); cum eo, quo par esset studio perseverare non sustinemus. Et quanto non supplicio hæc digna fuerint? Nam etiamsi nihil accepturi essemus, vel hoc ipsum quod frequenter alloqueremur eum, annon bonis innumeris æquiparandum esset? Sed precatio laboriosa et assidua esse debet? Ecquid in virtute non laboriosum est? Vel hoc ipsum, inquies, valde anxium reddit, quod nequitiam voluptas, virtutem labor comitetur : multosque arbitror idipsum quærere. Quænam igitur hujus rei causa est [3]? Initio dedit nobis Deus vitam sollicitudine laboribusque vacuam : dono abusi sumus; atque ex inertia tanto eversi bono, paradisum amisimus. Ideo laboriosam hominibus vitam reddidit, et apud humanum genus hoc fere modo sese purgat : Delicias a principio dedi vobis; sed ex lenitate mea deteriores evasistis : ideo laboribus vos sudoribusque addixi [4]. Cum autem ne ille quidem labor vos cohiberet, legem rursus dedit præcepta multa complectentem; ceu cuidam indomito equo frenum et compedes, ut ejus impetum coerceat; sic faciunt equorum domitores. Ideo vita laboriosa instituta est, quia otium nos corrumpere solet. Natura quippe nostra desidiam non fert, sed facile ad vitia deflectit. Ponamus enim temperanti, ut nec alias virtutes exercenti, nullum esse laborem; sed dormientibus omnia optime cedere : quo pacto hac utemur indulgentia? nonne ad arrogantiam et superbiam?

*Quare nequitiam voluptas, virtutem labor comitetur; labor est attributum virtutis constitutivum. Desidiæ malum. Nequitiæ voluptas brevis; virtutis immortale gau*dium. — [illegible]
tantus labor [illegible]
tibi gratia [illegible]
ciperes, [illegible]
indicare [illegible]
consuetudinem, [illegible]
crandam devitant [illegible]
mus, aut [illegible]
Castitas enim est [illegible]
superandas. In bellis [illegible]
certamina, ibi tropæa [illegible]
quando nemo resistit. [illegible]
hosne mansuetos dicemus? [illegible]
tribus propositis eunuchorum [illegible]
ronatos relinquit, unum in [illegible]
19. 12). Sed, inquies, quid [illegible]
ego dico. Ecquis ergo nequitiæ [illegible]
quam ignavia quæ ex voluntate [illegible]
quies, bonos tantum esse oportere. [illegible]
proprium, an continentem esse et [illegible]
mire et stertere? Et cur, inquies, [illegible]
est, ut sine labore recte operaremur? [illegible]
pecoribus atque iis qui ventrem deum [illegible]
Ut discas enim hæc verba inertium esse, [illegible]
mihi. Ponamus esse regem et ducem, rege vero dormiente et ebrietati operam dante, ducem magno labore tropæa erexisse : cui victoriam imputares? uter pro re gesta voluptatis fructum decerpat? Viden' animum circa illa magis affectum esse, quæ cum labore peperit? Ideo ille virtuti labores admiscuit, ut animam virtuti assuefaceret. Idcirco virtutem miramur, licet illam non sectemur; nequitiam vero, etsi suavissimam, damnamus. Quod si dixeris : Cur non potius eos miramur qui natura boni sunt, quam eos qui voluntate? quia justum est laborantem non laboranti anteferre. Et quare, inquis, nunc laboramus? Quia non laborantes, moderate non egimus. Imo vero si quis rem accuratius exploret, alio modo nos desidia perdere solet, multumque laboris inferre. Et si placet, includamus hominem, solum alamus, ventrisque voluptate obruamus, nec ambulare, nec aliquod opus exercere sinamus; sed mensa fruatur, lecto, perpetuisque deliciis : quid hac vita miserabilius fuerit? At aliud est operari, inquies, aliud laborare : poteratque initio homo operari sine labore. Annon poterat? Imo poterat; et ita Deus volebat, sed tu non passus es. Statuit enim te ut paradisum coleres, opus tibi injunxit, sed laborem non admiscuit. Neque enim si initio laborasset homo, hoc illi in pœnam postea statuisset. Potest enim quis simul et operari et non laborare, quemadmodum angeli. Quod enim operentur audi : *Potentes virtute, facientes verbum illius* (*Psal.* 102. 20). Nunc certe minores vires gravem efficiunt laborem; tunc vero secus res se habebat. Nam qui ingressus est in requiem suam, *Requievit*, inquit, *ab operibus suis* (*Hebr.* 4. 4), sicut et a suis Deus. Non desidiam hic significat, sed laborem non fuisse. Nam Deus etiam nunc operatur, ut Christus dicit : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* 5. 17).

[1] Post hæc verba, *nisi patientissimus fuisset*, in sua interpretatione adjicit Fr. Aretinus : *Quoniam incredibile erat reliquos ægrotos priorem illum ingredi dimissuros.* Sed in nullis Græcis exemplaribus hæc exprimuntur.

[2] Morel. habet, *misericordem*, pro, *nostrum*.

[3] Morel. hunc locum sic effert.... *virtutem labor comitetur. Verum solutionem accipe : illam enim, vestræ caritatis gratia, nunc dabimus. Quænam igitur causa est?*

[4] Morel. habet..... *evasistis. Itaque quod restabat feci : circumdedi vos laboribus et sudoribus.*

Quapropter rogo, depulsa omni desidia, virtutem sectemur. Nequitiæ enim voluptas brevis est, dolor vero perpetuus: virtutis contra immortale gaudium, temporaneus labor. Hæc ante coronas sectatorem suum erigit, speque alit; illa contra ante supplicium cruciat, conscientiam torquet et gestorum memoria, omniaque suspecta reddit. Atqui hæc quot laboribus, quot sudoribus deteriora sunt? Quod si his depulsis voluptas tantum adesset, quid illa vilius? Statim atque apparet, avolat, marcescit, fugit antequam comprehendatur: etsi corporis, etsi mensæ, etsi divitiarum voluptatem dixeris, non cessat illa quotidie senescere. Cum autem his etiam addatur supplicium et cruciatus, quid illis miserabilius qui ipsam sectantur? Hæc cum sciamus, omnia pro virtute sustineamus; sic enim vera voluptate fruemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, unaque sancto spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVII.

6. *Dicit ei Jesus: Vis sanus fieri? 7. Respondit ei languidus: Etiam, Domine; sed hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.*

1. *Scriptura sacra omnium medicinarum thesaurus. Paralytici ad piscinam jacentis patientia, modestia, sanatio mirabilis. Alius paralyticus hic, alius ille de quo agitur apud Matthæum. Christus quantum accurate miraculorum suorum fidem adstrueret.* — Magnum Scripturarum sacrarum lucrum, utilitas immensa, ut declarat Paulus his verbis: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ad quos fines sæculorum devenerunt: ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* 15. 4). Omnium enim medicinarum thesaurus divinæ Scripturæ sunt; ita ut si arrogantiam exstinguere opus sit, si concupiscentiam sedare, si pecuniarum amorem calcare, si dolorem despicere, si animum strenuum statuere, si patientiam firmare: hinc ansam magnam quis nanciscatur? Quis enim vel ex iis qui cum paupertate diu concertarunt, vel gravi morbo detenti sunt, hac lecta clausula non magna afficiatur consolatione? Hic quippe triginta octo annis paralyticus, singulisque annis alios videns valetudinem adeptos, se autem morbo detentum, non concidit, neque animum despondit: etsi præteritorum mœror, et futurorum exspectatio omni adempta spe, possent illum torquere. Audi ergo quid dicat, et rem tragicam edisce. Cum enim dixisset Christus: *Vis sanus fieri?* respondit: *Etiam, Domine; sed hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Quid his verbis miserius? quid ipsis rebus calamitosius? Viden' animum longo tempore confectum? viden' compressam et sedatam iracundiam? Neque enim blasphemum quidpiam loquutus est, qualia in ærumnis a multis dici audimus; non maledixit diei suæ; non indigne tulit interrogationem, neque dixit: Ut nos traduceres et irrideres venisti, dum interrogas, num velim sanus fieri; sed mansuete et modeste admodum respondit, *Etiam, Domine.* Etiamsi non nosset quis ille esset qui ipsum interrogabat, ignoraretque se ab illo sanandum fore; attamen leniter omnia narrat, nec quidpiam postulat, ut ii qui medicum alloquuntur, sed morbi sui tantum rationem explicat. Exspectabat fortasse id subsidii allaturum ipsi Christum esse, ut in aquam conjiceret, et hisce verbis volebat ipsum ad eam rem allicere. Quid ergo Christus? [[1] Ostendens se verbo omnia posse,] 8. *Surge,* inquit, *tolle grabbatum tuum, et ambula.* Quidam putant hunc eumdem ipsum esse qui apud Matthæum jacet. At non est, ut pluribus argumentis demonstratur. Primo quod hic neminem haberet se curantem, ille vero multos qui se curarent atque gestarent: ideoque hic dicebat, *Hominem non habeo.* Deinde ex responsione liquet. Ille namque nihil loquitur, hic omnia ad se spectantia recenset. Tertio ex tempore. Hic enim in festo et sabbato sanatus est, ille in die alia. Locus quoque diversus est. Nam ille domi, hic ad piscinam curatur. Modus quoque curationis diversus est. Illic enim dicit, *Fili, remittuntur tibi peccata* (*Matth.* 9. 2); hic vero corpus primo sanat, posteaque animam curat. Illic remissio; nam ait, *Remittuntur tibi peccata;* hic monitum et comminatio, ut sibi in posterum caveat. *Noli amplius peccare,* inquit, *ne tibi aliquid deterius contingat.* Judæorum quoque accusationes diversæ sunt. Hic rem in sabbato factam arguunt, illic eum blasphemiæ accusant. Tu vero mihi consideres ingentem Dei sapientiam. Non enim statim ipsum suscitavit; sed primum sciscitando sibi familiarem reddit, ut fidei viam paret: neque modo suscitat et sanat; sed etiam jubet lectulum tollere, ut miraculo fidem adderet, nec posset quispiam hæc speciem et fallaciam tantum esse suspicari. Nisi enim membra firma robustaque essent facta, non poterat lectum tollere. Hoc vero Christus sæpe facit, ut magis impudentium calumniatorum ora obstruat. Nam in panum miraculis, ne quis diceret, turbam tantam satiatam fuisse, remque illam esse phantasiam, curavit ille ut multæ fragmentorum reliquiæ superessent: leproso autem mundato dicit: *Vade, ostende te sacerdoti* (*Matth.* 8. 4); ut simul curationis firmam fidem faceret, et eorum qui dicebant, ipsum Dei præceptis adversari, impudentiam comprimeret. Idipsum fecit quando vinum in aquam convertit. Non modo enim vinum ostendit, sed architriclino mitti curavit, ut is qui nihil gestorum se nosse confiteretur, minime suspectum redderet testimonium. Ideo dixit evangelista: Nesciebat architriclinus unde esset, sicque omnino certum testimonium declaravit. Et postquam mortuum suscitaverat, alibi dicit: Date illi manducare (*Luc.* 8. 55), ut indubitatum resurrectionis argumentum exhiberet. Quibus

[1] In Savil. desunt quæ uncinis clauduntur.

omnibus vel insipientioribus suadet, se non fallacem vel præstigiatorem esse, sed ad communem hominum salutem venisse.

2. *Christus non fidem requirebat ab iis qui miracula ejus non viderant. Paralytici fides et fortis animus. Judæorum improbitas. Cur Christus, sanato paralytico, statim recesserit.* — Sed cur ab eo fidem non requirit, ut a cæcis [1] quibus dixit : *Creditis quod hoc possim facere* (*Matth.* 9. 28)? Quia ille nondum sciebat quis ipse esset. Neque enim ante, sed post miracula hoc facere solet. Nam ii qui in cæteris potestatem ejus viderant, jure hoc audiebant; qui vero nondum didicerant quis esset, sed ex signis docendi erant, post illa edita ad fidem vocantur. Ideo Matthæus non initio signorum inducit Christum hoc dicentem; sed postquam multos curaverat, id solis duobus cæcis dicit. Tu vero hic paralytici fidem animadverte. Cum audiret, *Tolle* [2] *grabbatum tuum, et ambula;* non irrisit, nec dixit, Quid hoc est? angelus descendit et turbat aquam, unumque tantum sanat : tu vero, homo cum sis, uno præcepto plus quam angelum te posse speras? hoc superbia, hoc fastus est, risuque dignum. Verum nihil horum dixit vel cogitavit; sed ubi primum audivit, surrexit, et sanus factus, impigre paruit jubenti : *Surge, tolle grabbatum tuum, et ambula.* Illud certe mirandum est; sed quæ sequuntur longe mirabiliora; imo vero quod initio nemine obstrepente crediderit, non ita mirabile est, ut cum postea furentibus Judæis, undique instantibus, accusantibus, obsidentibus ac dicentibus, *Non licet tibi tollere grabbatum tuum,* non modo illorum insaniam despexit, sed cum magna fiducia in medio theatro beneficum prædicavit, illorumque impudentiam repressit; id certe fortis animi esse dico. Instantibus enim Judæis, ac cum convicio et arrogantia dicentibus : *Sabbatum est; non licet tibi tollere grabbatum tuum;* audi quid respondeat: 11. *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabbatum tuum, et ambula;* tantum non dicens, Deliri et insani estis, dum jubetis me illum qui me a tam gravi, tam diuturno morbo liberavit, non reputare magistrum, nec jussa ejus omnia exsequi. Atqui si maligne agere voluisset, poterat alio modo dicere : Non lubens hoc facio, sed alio jubente : si peccatum est, jubentem accusate, et lectum deponam; vel forte sanitatis beneficium occultasset. Nam probe sciebat ipsos non ita de violato sabbato morderi, ut de ægro curato. Sed neque hoc occultavit, nec illud dixit, nec veniam petiit; sed splendida voce beneficium confessus est et prædicavit. Ita paralyticus. Illi vero quam improbe se gesserint, consideres velim. Non enim dixerunt, Quis te sanum fecit? sed hoc omisso, cum strepitu magno transgressionem illam in medium adducebant. 12. *Quis est ille qui dixit tibi, Tolle grabbatum tuum, et ambula?* 13. *Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus autem declinavit a turba constituta in loco.* Et cur abscondit se Christus? Primo ut ipso absente testimonium suspicione vacuum esset; qui enim sensum restitutæ sanitatis habebat, beneficii testis erat fide dignus. Ad hæc, ne majorem in ipsorum animis flammam accenderet; noverat enim vel solam ejus cui invidetur præsentiam, non parvam invidiæ scintillam excitare. Ideo secedens, reliquit ipsis rem apud se tractandam; ita ut nihil ipse de se diceret; sed ii tantum qui curati fuerant cum accusantibus loquerentur. Nam et hi quoque miraculo præbent testimonium. Non enim dicunt, Cur hæc jussisti fieri in sabbato? sed, Cur hæc facis in sabbato? non transgressionem indigne ferentes, sed paralytici valetudini invidentes. Atqui si humanum opus spectes, illud potius, quod paralyticus fecit, erat vere opus; Christus enim verbum tantum emiserat. Hic aliter jubet solvi sabbatum; alibi vero per seipsum solvit illud, cum lutum miscet, et oculos illinit. Illud autem facit, non transgrediens, sed supergrediens legem. De his vero postea. Neque enim ubique simili modo de soluto sabbato accusatus sese purgat : id quod accurate observandum est.

3. *Invidia quantum malum. Caritas commendatur.* — Interim autem videamus quantum malum sit invidia : quo pacto mentis oculos ad perniciem invidi excæcet. Quemadmodum enim furiosi gladium in seipsos sæpe convertunt, ita quoque invidi, unam solum spectantes illius cui invident perniciem, contra suam salutem bruto impetu feruntur. Hi vel feris sunt deteriores. Nam illæ, vel quod cibo egeant, vel a nobis irritatæ, contra nos armantur; hi autem etiam post accepta beneficia, beneficos sæpe pro inimicis habent. Feris sane hi deteriores sunt, dæmonibus pares; imo forte pejores illis. Illi namque adversum nos implacabiles exercent inimicitias, sed sui similibus dæmonibus non insidiantur; ideoque hinc Christus Judæos confutavit, cum dicerent ipsum in Beelzebub ejicere dæmonia. Hi vero ne naturæ quidem suæ consortium reverentur, neque sibi ipsis parcunt. Nam ante animam suam, quam eos quibus invident, lædunt, dum illam frustra tumultu ac mœrore replent. Cur, mi homo, de proximi bonis cruciaris? Dolere oporteret de malis nostris, non de proximi felicitate. Quapropter hoc peccatum venia prorsus privatur. Nam scortator potest concupiscentiam obtendere, fur paupertatem, homicida iram; excusationes quidem frigidas et insanas, sed quæ tamen proferri queunt. Tu vero, quæso, quam causam obtendes? Nullam omnino, nisi ingentem nequitiam. Nam si inimicos diligere jubemur, si amicos odio habeamus, quo non supplicio puniemur? Et si is qui amicos suos diligit, non melius quam gentes affectus est; qui se nihil lædentibus nocet, quam est habiturus veniam, quam consolationem? Audi Paulum dicentem : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (1. *Cor.* 13. 3). Quod autem ubi livor et invidia est, caritas prorsus sublata sit, nemini non notum est. Hoc vitium est fornicatione et adulterio pejus. Nam illud in operante consistit, invidiæ autem

[1] Savil. et quidam Mss., *ut ab aliis*. Lectio Morelli, quam retinemus, aliquot Manuscriptorum auctoritate firmatur.

[2] Morel. sic effert hunc locum : *Cum audiret Christum sibi cum potestate et in morem imperantis dicentem, «Tolle,* etc.

tyrannis Ecclesias integras subvertit, et totum orbem labefactavit. Hæc cædis mater est: hac motus Cain fratrem occidit: illa concitante Jacobum Esaü, Josephum fratres, humanum genus diabolus aggressus est. At tu non interficis, sed cæde longe graviora perpetras, dum precaris ut frater ignominia afficiatur, dum laqueos ipsi tendis undique, dum pro virtute susceptos labores resolvis, cum ægre fers quod orbis Domino placeat. Non illum ergo, sed eum quem ipse colit impugnas: illum contumelia afficis, dum honorem tuum illius honori anteponis: quodque gravissimum est, levem putas esse culpam, licet omnium deterrima sit. Nam si des eleemosynam, si vigiles, si jejunes, omnium sceleratissimus es, dum fratri invides. Id vel inde constat. Scortatus est quispiam apud Corinthios; sed accusatus cito resipuit. Abeli Cain invidit; et numquam emendatus est; sed licet Deus ipsi frequenter hoc ulcus memoraret, ille magis intumescebat, et ad cædem properabat: ita hoc vitium illo fortius est, neque facile curatur, nisi attendamus. Radicitus ergo ipsum evellamus, illud cogitantes, nos ut Deum offendimus, dum aliorum bonis invidemus, ita placemus ipsi, cum congratulamur, et ita consortes efficimur bonorum quæ recte operanti parata sunt. Ideo Paulus hortatur, *Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus* (*Rom.* 12. 15); ut magnum utrinque lucrum reportemus. Cogitantes igitur, etsi non laboremus, si erga laborantem recte afficiamur, illius nos coronarum participes effici, livorem omnem ejiciamus, et caritatem in animis nostris inseramus; ut dum fratribus præclare agentibus plaudimus, et præsentia et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVIII.

14. *Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit ei: Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.*

1. *Deus corpus castigat ob animæ peccata. Gehennæ supplicia æterna sunt et justa. Qui jam pro peccatis plexi in eadem recidunt, majores dabunt pœnas. Morbi plurimi ex peccato oriuntur.* — Res gravis peccatum est, res certe gravis et animæ pernicies; ita ut ex redundantia sæpe etiam corpora lædat. Quia enim ut plurimum ægrotante anima, nullo afficimur dolore; si vero corpus tantillum laboret, omnem adhibemus operam ut ipsum ab infirmitate liberemus, eo quod illam sentiamus; ideo Deus corpus castigat ob animæ peccata, ut inferioris partis castigatione, superiori valetudinem pariat. Sic et apud Corinthios fornicatorem Paulus emendavit, per carnis interitum animæ morbum cohibens. Nam invecta in corpus sectione, sic malum compressit: haud secus quam medicus optimus, qui cum hydropisin aut splenem interioribus pharmacis non cedere videt, exterius urit. Sic erga paralyticum egit Christus. Ac vide quomodo id declaret: *Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quid igitur inde discimus. Primum, ex peccato ipsi natum morbum; secundo, vere credendam esse gehennam; tertio, diuturnum atque perpetuum esse supplicium. Ubinam ergo sunt illi qui dicunt, Horæ unius spatio occidi, brevi tempore adulterinm commisi, et immortales dabo pœnas? Ecce hic non tot peccavit quot plexus est annis, et in diuturnitate pœnæ totam fere hominis vitam absumpsit. Non enim ex tempore peccata metitur Deus, sed ex ipsa scelerum natura. Ad hæc illud quoque considerandum, etsi graves priorum scelerum pœnas demus, si in eadem postea incidamus, longe graviora nos deinceps passuros; ac jure merito. Is enim qui ne supplicio quidem melior efficitur, quasi stupidus demum et contemptor in majorem ducetur cruciatum. Semel enim lapsum debebat supplicium cohibere et ad meliorem frugem reducere: quia vero post illatum supplicium non temperantior efficitur, sed eadem ipsa audet aggredi, jure dabit pœnas ad quas inferendas ipse provocavit. Si vero peccata hic repetita gravius puniuntur, quando hic nullas peccatorum pœnas damus, annon magnopere timendum tremendumque nobis est, utpote intolerabilia passuris? Et cur, inquies, non omnes sic puniuntur? Multos enim scelestos videmus pingui valetudine fruentes, prosperaque fruentes fortuna. Verum ne fidamus, sed hujusmodi homines omnium maxime deploremus. Si enim hic nihil patiantur, hoc illis viaticum est ad majus supplicium. Hoc Paulus his verbis significavit: *Nunc autem cum judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur* (1. *Cor.* 11. 32). Hic admonitio, illic supplicium. Quid igitur? inquies; an morbi omnes ex peccatis oriuntur? Non omnes, sed plurimi. Quidam enim ex segnitie ortum habent. Nam gula, ebrietas, segnities, hujusmodi morbos pariunt. Unum porro ubique observandum est, ut plagam omnem cum gratiarum actione feramus. Propter peccata etiam inferuntur morbi: nam in libris Regum quemdam videmus ideo podagra laborantem (3. *Reg.* 15. 23). Veniunt etiam ut probatiores reddamur; hinc Jobo dicit Deus: *Ne me putes aliter sic tecum egisse, nisi ut justus appareas* (*Job.* 40. 3)? Sed cur cum de his paralyticis agitur, peccata in medium Christus adducit? Nam et illi cujus Matthæus meminit ait: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata*; et huic, *Vide, sanus factus es, noli amplius peccare* (*Matth.* 9. 2). Scio quosdam hunc paralyticum criminari, quod Christum accusaverit, et ideo illa audisse dicunt. Quid ergo de paralytico illo dicemus, de quo Matthæus, qui eadem pene audivit? Nam illi quoque dixit, *Remittuntur tibi peccata.* Unde palam est eum non illa de causa hæc audivisse: quod ex sequentibus clarius ediscere licet. *Postea* enim, inquit, *invenit eum in templo Jesus:*

quod sane pietatis signum erat. Non enim forum et ambulacra petebat, neque cibo et desidiæ se dedebat, sed in templo degebat : etiamsi illinc se ab omnibus pellendum exspectaret, nihil ipsi suasit, ut a templo discederet. Cum ergo Christus illum invenisset postquam cum Judæis loquutus fuerat, nihil hujusmodi subindicavit. Quod si hac de re illum accusare voluisset, dixisset illi : Rursus in iisdem persistis, nec ex recuperata valetudine factus es melior? Verum nihil dicit hujusmodi, sed in posterum cautiorem reddit.

2. Cur autem cum claudos et mutilos curat, nihil hujusmodi loquitur? Mihi quidem videtur his quidem morbum in peccatorum pœnam venisse, aliis vero ex corporea infirmitate. Nisi hoc esset, alios quoque eadem de causa alloquutus fuisset. Cum enim hic morbus cæterorum omnium sit gravissimus, per eum etiam minoribus remedium præbet. Sicut enim cum alium quemdam curavisset, præcepit ei ut daret gloriam Deo; non illi soli hoc monitum dans, sed per illum omnibus : sic per hos etiam cæteros omnes hortatur, et hæc monita dat singulis. Ad hæc hoc etiam addendum, ipsum nempe magnam ejus perseverantiam vidisse : ideoque illum monet ut qui possit mandatum servare, atque illum beneficio et futurorum timore malorum in sana mente continet. Et vide quam sit alienus a fastu. Non enim dixit, Ecce sanum te feci; sed, *Sanus factus es; noli amplius peccare.* Neque dixit, Ne te puniam; sed, *Ne tibi aliquid deterius contingat.* In neutro personam memorat, ostenditque valetudinem ex gratia potius quam ex merito restitutam. Neque enim dixit illum ex merito evasisse pœnas, sed ex benignitate servatum esse. Nisi enim ita res esset, dixisset, Ecce debitas peccatorum pœnas dedisti; cave tibi deinceps. Jam vero non ita dicit, sed quomodo? *Ecce sanus factus es; jam noli peccare.* Hæc nobis ipsis frequenter dicamus, et si castigati evadamus, hæc intra nos loquamur singuli : *Ecce sanus factus es; jam noli peccare.* Quod si in iisdem perseverantes, pœnas non demus, illud apostolicum recitemus : *Benignitas Dei ad pœnitentiam nos adducit : secundum duritiam autem et impœnitens cor nostrum thesaurizamus nobis iram* (*Rom.* 2. 4. 5). Neque firmando corpus dumtaxat, sed aliunde etiam magnum divinitatis suæ signum ipsi præbuit. Cum enim dixit, *Jam noli peccare*, significat se peccata illa omnia nosse, quæ ille ante fecerat; unde in posterum fide dignus haberi debebat. 15. *Abiit ergo ille homo, et nuntiavit Judæis, quia Jesus esset qui fecit eum sanum.* Vide iterum ipsum grato animo esse perseverantem. Non enim dixit : Ille est qui dixit mihi, *Tolle grabbatum tuum.* Quia enim illi id quod culpandum videbatur semper objiciebant, ipse responsionem semper affert, ut medicum celebret, et alios alliciat et trahat. Non enim tam stupidus et ingratus erat, ut post tantum beneficium cum admonitione conjunctum, beneficum proderet, et maligno animo sic loqueretur. Nam etsi fera, etsi inhumanus et lapideus fuisset, et beneficium et metus ipsum poterant cohibere. Ex comminatione quippe timebat ne quid sibi deterius contingeret, cum maxima haberet potestatis tanti medici argumenta. Alioquin si calumniari voluisset, non memorata sanitate, transgressionem tantum incusasset. At contra ille magna cum fiducia et grati animi significatione beneficium celebrat, non minus quam cæcus ille, qui dicebat, *Lutum fecit de sputo, et unxit oculos meos* (*Joan.* 9. 6); ita et hic : Jesus est qui fecit me sanum. 16. *Propterea persequebantur Judæi Jesum et volebant illum interficere, quia hæc faciebat in sabbato.* Quid ergo Christus? 17. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Quando discipulos defendere oportebat, Davidem illorum conservum in medium afferebat : *Non legistis*, inquit, *quid fecerit David, quando esuriebat* (*Matth.* 12. 3). Quando autem pro seipso loquitur, ad Patrem confugit, utrinque se Patri æqualem significans, et cum privatim Patrem nominat, et cum se eadem quæ Pater operari ostendit. Et cur non memorat ea quæ in Jericho facta sunt? Volebat illos a terra abducere, ut non amplius ad illum tamquam hominem respicerent, sed tamquam ad Deum et legislatorem. Nisi autem Dei Filius et ex eadem substantia esset, defensio foret accusatione deterior. Si quis enim præfectus, qui regiam legem transgrederetur, accusatus responderet ipsum regem illam transgressum esse, non utique absolveretur; imo majori esset crimini obnoxius. Verum hic quoniam par est dignitas, defensio legitima omnino est. Eadem ratione qua Deum crimine liberatis, et me liberate. Ideo primum dicit, *Pater meus*; ut vel invitis suadeat eadem sibi concedenda esse, si verum Filium revereantur. Quod si quis dixerit, et ubinam Pater operatur, qui septimo die requievit ab omnibus operibus suis? is modum quo operatur discat. Quis ille modus est? Opificiis suis providet, illaque fovet. Cum vides ergo solem orientem, lunæ cursum, stagna, fontes, fluvios, pluvias et naturæ cursum, sive in seminibus, sive in nostris et brutorum corporibus, aliaque omnia per quæ hoc universum consistit, disce perennem Patris operationem, *Qui solem suum*, inquit, *oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* 5. 45). Et rursum, *Si autem fœnum agri quod hodie est, et cras in ignem mittitur, Deus sic vestit* (*Matth.* 6. 30); et de volatilibus quoque, *Pater vester cælestis pascit illa* (*Ibid.* v. 26).

3. Hic ergo verbis totum perfecit in sabbato, nihilque amplius addidit, sed ex iis quæ in templo fiebant, atque ex ipsorum operibus, objecta crimina solvit. [1] [Ubi vero operari præcipit, exempli causa, lectum tollere, rem sane non magni momenti, sed quæ tamen sabbati solutionem clare significet, tunc altiora loquitur ut illos ex Patris dignitate percellat, et ad sublimiora ducat. Quapropter] cum de sabbato agitur, neque ut homo

[1] Totus locus uncinis clausus sic in interpretatione Aretini effertur : *Ibi vero operari præcipit, cum, verbi gratia, dicit* (sic quoad sensum, quæ sequuntur ipsa Aretini verba sunt), *Tolle grabatum tuum : ut non grave quiddam esse sabbati prævaricationem ostendat, altiora loquitur, ut paterna auctoritate illos terreat, et ad supernam trahat contemplationem. Qua de causa*, etc. Aretinus longe breviorem, ut videre est, lectionem secutus est.

tantum, neque ut Deus tantum sese purgat; sed modo hac, modo illa ratione. Volebat enim utrumque credi, et incarnationis humilitatem, et Deitatis dignitatem. Ideo nunc ut Deus sese purgat. Nam si humano semper more ipsos alloquutus fuisset, in eadem perstitissent humilitate. Quamobrem ne id fieret, Patrem in medium adducit. Atqui ipsæ creaturæ in sabbato operantur. Sol cursum perficit, flumina manant, fontes scaturiunt, mulieres pariunt. Verum ut discas ipsum non ex numero creaturarum esse, non dixit, Etiam, operor : nam creaturæ quoque operantur; sed quid? Etiam, operor : nam Pater meus operatur. 18. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere*, inquit, *quia non solum solvebat sabbatum, sed quia et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Neque verbis tantum id demonstravit, sed longe magis operibus. Cur ita? Quia in verbis cavillari poterant, ac de fastu accusare; cum autem rerum et operum veritatem, quæ potentiam prædicaret, cernebant, tunc ne hiscere quidem contra audebant.

Christum æqualem esse Patri probatur; objectioni respondetur. — Verum aiunt illi, qui nolunt hæc pia mente accipere, Non Christus se æqualem Deo fecit; sed hoc Judæi suspicabantur. Quamobrem hæc dicta altius resumamus. Dic mihi, Christum Judæi persequebantur, necne? Persequebantur utique; id nemini non notum. Illane an alia de causa ipsum persequebantur? Illa certe de causa, ut fatentur omnes. Sabbatum solvebat, necne? Solvebat, id nemo negaverit. Deum Patrem suum dicebat, necne? Dicebat utique. Ergo eadem serie cætera subsequuntur. Sicut enim Patrem dicere Deum, solvere sabbatum, ac propter hoc magisque propter illud a Judæis persequutionem pati, non falsa opinio, sed veritas : ita seipsum æqualem Deo facere, eadem mente declarabatur : quod ex supradictis manifestius est. Illud enim *Pater meus operatur, et ego operor*, idipsum est ac si se Deo æqualem faceret. Nullam enim perhibet in his verbis differentiam. Neque enim dixit : Ille operatur, et ego subministro; sed, Sicut ille operatur, ita et ego; magnamque ostendit æqualitatem. Quod si id non ille demonstrare voluisset, sed id Judæi frustra suspicati essent : non sivisset illos hæc falso existimare, sed emendavisset. Neque hoc evangelista siluisset, verum palam dixisset, sic Judæos suspicatos fuisse, sed ipsum non se Deo æqualem fecisse : ut alibi facit, cum videt rem alia mente dictam, alio sensu accipi; ut cum Christus dicit, *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*, de carne sua loquens. Verum Judæi id non intelligentes, sed putantes illum de Judaico templo loqui, dicebant : *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* Quia igitur aliud ipse dixerat, aliud illi suspicati fuerant, illeque de carne sua, hi de templo suo intelligebant; id indicans evangelista, imo illorum corrigens opinionem, subjunxit : *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Itaque si hoc loco Christus non se æqualem Patri fecisset, Judæorum certe id opinantium sententiam emendavisset, dixissetque : Judæi putabant ipsum se Deo æqualem facere, ipse vero non de æqualitate illa loquebatur. Neque enim hic solum evangelista id hoc loco facit, sed etiam alius evangelista alibi. Cum enim præcepisset discipulis Jesus : *Cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum* (*Matth.* 16. 6) : illi vero cogitarent, dicerentque, Panes non accepimus; cum aliud ille diceret, fermentum doctrinam appellans, aliud illi intelligerent, de panibus dictum putantes, illud corrigit, non jam evangelista, sed ipse Christus sic loquens : *Quomodo non intelligitis me non dixisse vobis a panibus cavere* (*Ibid. v.* 11)? Hic vero nihil simile. Atqui dicet aliquis, hoc ipsum de medio tollit Christus dum addit : *Non potest Filius a seipso quidquam facere.* Imo contra, mi homo; non enim tollit æqualitatem, sed firmat eam dum hæc dicit. Verum diligenter attendite : neque enim de levi re quæstio est. Nam illud, *A semetipso*, sæpe in Scriptura habetur, et de Christo et de Spiritu sancto dictum est; visque dictionis est ediscenda, ne in gravissimos errores incidamus. Nam si illam excipias ut statim offertur, vide quanta hinc absurditas consequatur. Neque enim dixit, se alia posse per semetipsum operari; alia secus; sed generatim dicit : 19. *Non potest, Filius a semetipso quidquam facere.*

4. Interrogabimus ergo contradicentem, Nihilne potest a semetipso facere Filius? Si responderit, Nihil; reponemus : Atqui maximum bonorum per semetipsum fecit, id quod Paulus clamat, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* 2. 6). Et rursus ipse Christus alibi : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo sumendi eam, et nemo tollit eam a me : ego pono eam a meipso* (*Joan.* 10. 18). Viden' et mortis et vitæ potestatem habentem, qui tantam œconomiam a semetipso fecit. Ecquid dicam de Christo? Nos enim, quibus nihil vilius, multa a nobis ipsis facimus, a nobis ipsis nequitiam, a nobis ipsis virtutem deligimus. Quod si non a nobis ipsis, neque potestatem habeamus : neque, si peccaverimus, in gehennam incidemus, neque, si bona opera fecerimus, regnum cælorum consequemur. Nihil aliud ergo est illud, *A semetipso non potest facere quidquam*, quam quod nihil possit Patri contrarium facere, nihil alienum, nihil peregrinum, id quod maxime æqualitatem et concordiam magnam ostendit. Et cur non dixit, Nihil contrarium facit, sed, *Non potest?* Ut hinc rursum ostendat omnimodam æqualitatem. Non enim imbecillitatem, sed magnam ejus potentiam indicat. Nam alibi quoque de Patre dicit Paulus : *Ut per duas res immobiles, in quibus impossibile est mentiri Deum* (*Hebr.* 6. 18); et rursum : *Si negaverimus, ille fidelis manet; negare seipsum non potest* (2. *Tim.* 2. 12). Illud, *Impossibile est*, nusquam imbecillitatem significat, sed potentiam, et potentiam ineffabilem. Hoc autem significat : illa substantia res hujusmodi nullas admittit. Quemadmodum enim cum dicimus, impossibile est Deum peccare, non imbecillitatem ipsi tribuimus,

sed ineffabilem quamdam potentiam testificamur: sic etiam cum dicit ipse, *Non possum a meipso facere quidquam*, hoc sibi vult: Prorsus impossibile est ut Patri contrarium quidpiam faciam. Ut vero discas illud sic intelligendum esse, sequentia explorantes, videamus an nobiscum, an vobiscum Christus consentiat. Tu dicis, dictum illud potentiam auferre, necnon auctoritatem ipsi competentem, ipsumque imbecillum comprobare: ego contra dico, his demonstrari æqualitatem, omnimodam paritatem, et omnia ex eadem voluntate et potentia fieri. Ipsum percontemur Christum, et per ea quæ postea dicturus est videamus, an secundum tuam, an secundum nostram opinionem dicta interpretetur. Quid ergo dicit? *Quæcumque Pater fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Viden' quomodo sententiam vestram radicitus evellat, nostramque confirmet? Nam si a seipso nihil facit, neque Pater a seipso aliquid faciet, si quæcumque facit Pater et ipse faciat. Nam si res non ita esset, aliud absurdum sequeretur. Neque enim dixit, Quæ vidit Patrem facientem, hæc facit; sed, *Nisi viderit Patrem facientem*, non facit, sermonem ad omne tempus extendens: secundum vos autem eadem semper discet. Viden' sententiæ sublimitatem, et verbi humilitatem vel impudentiores ad illud invitos etiam compellere, ut a vili sensu, qui a tanta dignitate abhorret, fugiant? Quis enim adeo miser et infelix fuerit, ut dicat Filium quotidie illa ediscere, quæ facere oportet? Quomodo verum erit illud: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* 101. 28)? quomodo, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, si illa quæ Pater facit, hæc ipse videns imitatur? Vides quomodo et ex iis quæ supra dicta sunt, et ex iis quæ postea dicentur, ejus auctoritas demonstretur? Quod si humilius quædam proferat, ne mireris. Quia enim sublimioribus quibusdam auditis, persequebantur eum, et Deo adversarium esse putabant, paulo demissius verborum tantum tenus loquutus, ad sublimiora rursus evehitur, deinde ad humilia deflectit: sic doctrinam varians, ut facilius vel ab improbis admittatur. Animadverte, quæso: postquam dixerat, *Pater meus operatur, et ego operor*, et se Deo æqualem ostenderat, rursus dicit: *Non potest Filius a seipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Deinde altius: *Quæcumque fecerit ille, hæc et Filius similiter facit;* rursumque humilius: 20. *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit: et majora his demonstrabit ei opera.* Vidistin' tantam humilitatem? Jure quidem. Nam quod jam dixi, nec finem dicendi faciam, id nunc repetam. Quando aliquid demissum dicit et humile, id cum hyperbole profert, ut vel improbis verborum vilitas suadeat, ut pia mente sensa percipiant. Nisi enim hoc esset, cogita quam absurdum esset id quod dicitur, quod verba explorando percipies. Quando enim dicit, *Majora his ostendet ei opera*, invenietur multa nondum didicisse: quod ne de apostolis quidem dicendum. Nam cum Spiritus gratiam accepissent, confertim omnia noverunt, omnia potuerunt, quæ ipsos et scire et posse oportebat: hic autem multa scitu necessaria nondum didicisse deprehendetur: quo quid absurdius esse queat? Quid ergo sibi vult dictum illud? Quia paralytico sic curato, mortuum suscitaturus erat; ideo sic loquutus est, ac si diceret: Miramini me paralyticum sanasse? his majora videbitis. Neque tamen ita loquutus est, sed humiliore usus est sermone, ut illorum furorem compesceret[1]. Ut vero discas illud, *Demonstrabit*, non proprie dictum esse, audi ea quæ sequuntur. 21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Atqui illud, *Nihil potest a semetipso facere*, contrarium est illi dicto, *Quos vult.* Si enim quos vult vivificat, a semetipso aliquid facere potest (velle enim potestatis est): quod si non potest a seipso, jam non quos vult vivificat. Illud enim, *Sicut Pater suscitat*, æqualem probat virtutem; illudque, *Quos vult*, potestatis paritatem. Viden' illud, *Non potest a seipso facere*, potestatem non tollere, sed parem potentiam et voluntatem significare? Sic intelligas illud, *Demonstrabit ei.* Etenim alibi dicit, *Ego resuscitabo eum in novissimo die* (*Joan.* 6. 39). Ac rursum, ostendens se vim operandi non accepisse, *Ego sum*, inquit, *resurrectio et vita* (*Joan.* 11. 25). Deinde ne dicas ipsum quos vult mortuos suscitare et vivificare, sed alia non perinde facere, et hanc objectionem depellere occupat his verbis: *Quæcumque ille fecerit, hæc et Filius similiter facit;* declarans se omnia quæ ille facit similiter facere; mortuos nempe suscitare, corpora formare, peccata remittere, et quidvis aliud, perinde atque Pater operatur, facere.

5. Verum his animum non adhibent ii qui suam negligunt salutem: tantum malum est, præcellentiæ amor. Hoc hæreses peperit, hoc gentilium impietatem firmavit. Deus quidem volebat invisibilia sua per mundi creationem intelligi: illi vero his omissis, et hanc dedignantes doctrinam, alteram sibi paravere viam; quapropter a vera via aberrarunt. Ideo Judæi non crediderunt, gloriæ humanæ cupidi; illam vero, quæ a Deo est, gloriam non quærentes.

Inanis gloria fugienda. — Verum nos, dilecti, hunc morbum omni studio et diligentia fugiamus. Licet enim innumera probe gesserimus, hæc omnia vanæ gloriæ pernicies labefactabit. Si ergo ad laudes respiciamus, illas quæramus quæ a Deo sunt. Laus enim hominum, qualiscumque fuerit, statim atque apparet evanescit. Etsi autem non periret, nihil certe lucri nobis afferret, et ex corrupto sæpe judicio provenit. Quid enim tam admirabile humana gloria habeat, qua fruuntur et saltantes juvenes, et impudicæ mulieres, et avari atque raptores? Qui autem a Deo laudatur, non cum his, sed cum sanctis illis admirationi habetur, cum prophetis nempe et apostolis, qui angelicam duxere vitam. Quod si turbam circumducere et suspici optamus, illud quid sit exploremus, ac nullius pretii esse deprehendemus. Uno verbo, si

[1] Alii legunt „*curaret*, pro, *compesceret*.

turbam amas, angelorum multitudinem tibi attrahe, et dæmonibus terribilis esto, et sic hominum nullam habebis rationem; sed omnia etiam quæ splendida videntur, ita calcabis ut cœnum atque lutum : et tunc clare videbis nihil animam ita deturpare, ut gloriæ amorem. Non potest enim, non potest utique vanæ gloriæ amator vitam cruciatu plenam non ducere [1]; sicut etiam qui illam calcat, non potest vitia multa non conculcare. Nam qui vanam gloriam superavit, invidiam, pecuniarum amorem, cæterosque gravissimos morbos devicturus est. Et quomodo, inquies, illam superabimus? Si aliam spectemus gloriam; hoc est cælestem, a qua nos hæc ejicere conatur. Illa enim nos et in hac vita conspicuos efficit, et ad futuram vitam nobiscum pergit, atque ab omni servitute carnali nos liberat. Carni misere nunc servimus, terræ terrenisque rebus addicti. Sive in forum te conferas, sive domum intres, sive vias, stationes, diversoria frequentes, si navim conscendas, insulam adeas vel regias ædes, si judiciale forum vel senatum adeas, sæcularium ubique rerum sollicitudinem observabis, singulosque his in rebus laborantes, abeuntes, manentes, navigantes, agricolas, eos qui in agro, eos qui in urbe habitant, uno verbo, omnes. Quæ nobis spes salutis erit, quando Dei terram incolentes, nihil ea quæ Dei sunt curamus, sed cum jubeamur hic peregrini esse, peregrini in cælo sumus, et mundi cives? Quid hac stupiditate deterius? Quotidie judicium et regnum audimus, et eos qui in diebus Noe erant necnon Sodomitas imitamur, et experimento omnia ediscere volumus. Atqui ideo illa omnia scripta sunt, ut si quis futura non credat, ex præteritis claram accipiat futurorum notitiam. Hæc itaque cogitantes, tam præterita, quam futura, paulum ex hac servitute respiremus, et aliquam animæ rationem habeamus, ut et præsentia et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Juxta Savil. legendum est : *Non potest enim.... vanæ gloriæ amator vitam crucifixam ducere*, quasi diceretur, *vitam christianam*.

HOMILIA XXXIX.

22. *Pater meus non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio,* 23. *ut omnes honorificent Filium, ut honorificant Patrem.*

1. *Judicium futurum timendum. Filius non factus, sed ab æterno genitus. Christus quomodo et qua mente de se loquens humilia permisceat sublimibus.* — Multa nobis opus est in omnibus diligentia, dilecti; accuratam quippe rationem dabimus et verborum et operum. Res enim nostræ non sunt præsentis vitæ limitibus circumscriptæ, sed alia nos exceptura est vitæ conditio, tremendoque judicio sistemur. *Omnes enim nos,* inquit Paulus, *manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, quæ per corpus egit, prout gessit, sive bonum, sive malum* (2. *Cor.* 5. 10). Hoc tribunal semper cogitemus, et sic semper virtuti incumbere poterimus. Nam sicut is qui illam diem ab animo ejicit, quasi equus excusso freno in præcipitia ruit (*Profanantur* enim, inquit, *viæ ejus in omni tempore;* et causam afferens ait, *Auferuntur judicia tua a facie ejus* [*Psal.* 9. 27]) : ita qui semper hoc timore tenetur, temperanter incedet. Nam, *Recordare*, inquit, *novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* 7. 40). Qui enim nunc dimittit nobis peccata, is tunc judex sedebit; qui mortuus est pro nobis, hic universam naturam judicans apparebit. *Iterum* enim, inquit, *sine peccato videbitur suscipientibus ipsum ad salutem* (*Hebr.* 9. 28). Quamobrem hoc loco dicit : *Pater meus non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ut honorificant Patrem.* Ergone Patrem, inquies, illum dicemus? Absit. Ideo namque dicit Filium, ut Filium manentem honoremus sicut Patrem. Qui vero ipsum vocat Patrem, non ultra Filium ut Patrem honorat, sed omnia miscet. Quia ergo beneficio affecti homines non ita ad officium redeunt, ut castigati; ideo terribilia dixit, ut metus saltem ad honorem sibi ferendum traheret [1]. Cum dicit, *Omne*, id est, puniendi et honorandi potestatem habet, atque utrumque pro lubito faciendi. Illud vero, *Dedit*, dictum est, ne ipsum non genitum esse suspiceris, neque putes duos esse Patres : nam quidquid est Pater, est et Filius [2], genitus et Filius manens. Ut vero discas illud, *Dedit*, idipsum significare quod, genuit, audi illud alio loco declaratum : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*v.* 7). Quid ergo? priusne ipsum genuit, ac deinde vitam dedit? Qui dat enim, cuidam exsistenti dat. Ergone genitus erat sine vita? Verum hoc ne dæmones quidem suspicentur : multam quippe habet insaniam cum impietate conjunctam. Quemadmodum ergo illud, *Dedit vitam*, idem est quod, Genuit ipsum vitam : sic, *Dedit judicium*, id est, Ipsum judicem genuit. Etenim ne audiens quod ipse Patrem causam habuerit, diversitatem substantiæ putes, honoremque minorem, ipse venit te judicatum, hinc æqualitatem [3] ostendens. Qui enim quos vult puniendi et honorandi potestatem habet, eadem quæ Pater potest. Nisi enim hoc esset, sed postea quam genitus fuerat honorem accepisset, quæ causa fuit ut ipse posterior honoraretur? quo pacto ita profecit, ut hanc dignitatem acciperet? Non erubescitis dum immortali nullumque augmentum accipienti naturæ humana et tam vilia adscribitis? Cur ergo, inquies, ita loquitur? Ut dicta facilius credantur, et ad sublimiora viam paret; ideo utraque commiscet. Vide autem quomodo : nam e re fuerit hæc a principio observare.

[1] Alii legunt : *Quia enim beneficio affecti homines...... ut castigati; « omne judicium dedit Filio, »* inquit, *ut metus saltem ad honorem sibi ferendum traheret.*

[2] Quidam legunt, *nam quidquid est Patris, hoc et Filii est.*

[3] Alii legunt, *nobilitatem*, pro, *æqualitatem*.

Dixit: *Pater meus operatur, et ego operor;* et his verbis æqualitatem et parem honorem ostendit: *Et quærebant eum interficere.* Quid deinceps agit? Verba attemperat, eumdem sensum retinens, dum ait: *Non potest Filius a seipso facere quidquam.* Deinde rursum ad sublimia redit: *Quæ enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Post hæc rursus ad humilia descendit: *Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæcumque facit; et majora his demonstrabit ei.* Hinc rursum sublimiora dicit: *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Sub hæc iterum humilia simul et sublimia attingit: *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Hinc ad sublimiora pergit: *Ut omnes honorificent Filium, ut honorificant Patrem.* Viden' quomodo sermonem variet, dum sublimia verba et nomina humilibus admiscet, ut et a præsentibus facilius admitterentur, et a futuris nihil damni acciperetur, sed hi a sublimibus, de aliis quoque consentaneam opinionem haberent? Nam si res non ita se habeat, et si verba non per attemperationem quamdam dicta sunt, cur sublimia admiscuit? Nam qui magna de se loqui debet, si humilius quidpiam protulerit, occasionem dat putandi se per dispensationem quamdam hoc agere: qui autem vilia de se loqui debet, si magnum quidpiam dixerit, cur ea loquitur quæ suam naturam superant? Hoc enim non ex œconomia quadam, sed ex summa impietate (*a*) prodit.

2. *Cur Christus verbis utatur humilibus. Eadem ipsi Patrique potestas.* — Itaque nos justam Deoque congruentem causam, cur nempe verbis utatur humilibus, dicere possumus, nempe quod sese demittat, nosque doceat ut modeste agamus, sicque nostræ saluti provideat: quod et ipse alibi declarat his verbis: *Hæc autem dico ut vos salvi sitis* (*v.* 34). Quia enim ad Joannis testimonium confugit, suo omisso: quod magnitudine sua indignum erat; causam cur vilia verba protulerit, adjicit; nempe, *Hæc autem dico, ut vos salvi sitis.* Vos autem qui dicitis ipsum non habere eamdem quam Pater potestatem, quid dicetis cum audieritis illum dicentem, se parem habere paternæ virtutem, potestatem, gloriam? Cur eumdem exigit honorem, si, ut vos dicitis, longe inferior est? Hæc enim dixisse non contentus, adjicit: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Viden' quomodo honor Filii cum honore Patris copuletur? Et quid hoc? dicet aliquis. Id et in apostolis videmus: *Qui vos suscipit,* inquit, *me suscipit.* Sed illic servorum res ut sibi proprias tractat, et ideo sic loquitur; hic vero sic dicit, quia est una substantia, una gloria. Alioquin vero apostolis non dixit, ut honorificent. E re autem dixit, *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem.* Nam si ex duobus regibus alter contumelia afficiatur, in alterum etiam cadit contumelia, maximeque si is qui læditur filius sit: imo etiam milite læso, contumelia afficitur rex; verum non eodem modo, sed per intermedium aliquem. Hic vero non similiter, sed per seipsum. Ideo dicere occupavit, *Ut honorificent Filium, ut honorificant Patrem;* ut cum dixerit, *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem,* eumdem intelligas honorem. Neque enim simpliciter, Qui non honorificat, sed, Qui non honorificat ut dixi, non honorificat Patrem. Et quomodo, inquies, ejusdem substantiæ sunt qui mittit et qui mittitur? Rursus ad humana sermonem demittis, nec cogitas hæc omnia non alia de causa dicta fuisse, nisi ut causam cognoscamus, ac ne in Sabellii morbum incidamus (*a*), et Judæorum infirmitas hoc modo curetur, ut non Deo adversarius apud eos esse existimetur [1]. Nam dicebant, *Hic non est ex Deo; hic a Deo non venit.* Ut vero hanc suspicionem auferret, non tam sublimia quam humilia adhibebat. Idcirco frequentissime dicebat se missum fuisse, non ut hinc putares inferiorem dici, sed ut illorum ora obstrueret. Ideo sæpe ad Patrem confugit, suam tamen auctoritatem interserens. Nam si omnia secundum dignitatem suam dixisset, dicta non admisissent illi: quandoquidem vel ex paucis hisce verbis persequebantur illum sæpe, et lapidabant. Quod si ad illos respiciens semper humilia dixisset, multi postea hinc læsi fuissent. Quapropter doctrinam miscet, per humilia, ut dixi, illis silentium imponens, et per ea quæ dignitatem exprimebant, vilem depellens existimationem apud eos qui mente valerent, ut ostenderet id non sibi prorsus competere. Nam missum esse, translationem indicat: Deus autem ubique est. Cur ergo dicit missum fuisse? Crassiori verbo utitur, dum suum cum Patre consensum declarat: et sic sequentia eadem de causa temperat. 24. *Amen, amen dico vobis, quia qui audit sermones meos, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam.* Viden' quam frequenter idipsum repetat, ut illam suspicionem tollat, et hic et in sequentibus, metu et promissis a contentione removens, atque hic rursus ad humilia admodum descendat? Neque enim dixit, Qui audit sermones meos, et credit in me; nam id superbe dictum et verborum fastum putassent. Etenim si post tantum temporis et tot patratis miraculis, cum sic ille loqueretur, hoc suspicati sunt; multo magis tunc id putaturi erant. Ideoque dicebant illi: *Abraham mortuus est, et prophetæ mortui sunt, et quomodo tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, in æternum non gustabit mortem* (*Joan.* 8. 52)? Ne igitur hic quoque efferarentur, vide quid dicat: *Qui verbum meum audit, et credit ei qui me misit, habet vitam æternam.* Hanc loquendi rationem facile admittere poterant, cum discerent eos qui Jesum audirent Patri credere. Cum enim hoc libenter admitterent, cætera facilius accepturi erant. Itaque cum humile quidpiam diceret, sublimioribus viam parabat. Postquam autem dicit, *Habet vitam*

(*a*) Melius legeretur, *ex summa arrogantia.* Vix enim dici potest generatim loquendo extremæ impietatis esse, si is qui humilia de se loqui debet, magna de se proferat? Sed sine Manuscripti auctoritate nihil mutamus.

[1] Hunc locum sic effert Morel....., *Judæorum infirmitas hoc modo curetur: apud illos enim, extrema insania laborantes, quasi Dei adversarius reputabatur.*

(*a*) Sabellius putabat unam esse in Deo personam.

æternam, subjungit : *Et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam.* His duobus sibi fidem conciliat, et quod Patri credendum diceret, et quod obsequenti multa bona polliceretur. Illud autem, *In judicium non venit*, id est, non punitur. Mortem autem non hanc, sed æternam dicit; ut et vitam dicit immortalem. 25. *Amen, amen dico vobis, venit hora, et nunc est, cum mortui audient vocem Filii hominis, et qui audierint, vivent.* Operibus ipsis verba comprobat. Nam cum dixisset, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat*, ne viderentur hæc ex jactantia et fastu dicta fuisse, ex operibus rem demonstrat, cum dicit, *Venit hora.* Deinde ne putes diu exspectandum esse, adjicit, *Et nunc est, cum mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.* Viden' hic auctoritatem et potentiam ineffabilem? Quemadmodum enim in resurrectione, sic et nunc erit, inquit. Nam tunc audita imperantis voce, resurgemus; *In jussu Dei* [1], inquit, *mortui resurgent* (1. *Thess.* 4. 16). Et unde, inquies, constat illud non ex fastu dictum esse? Ex eo quod additur, *Et nunc est.* Nam si futura tantum nuntiaret, hinc ipsis suspicio orta esset. Jam vero rei demonstrationem præbet. Me, inquit, vobiscum versante hoc eveniet. Neque enim, nisi potestatem habuisset, hoc promissurus erat, ne ridiculus omnibus esset. Deinde dicta sua explicat his verbis: 26. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.*

3. *Patris et Filii æqualitas. Judicium, vitam, resurrectionem cur Christus sæpe memoret. Paulus Samosatenus quomodo legat. Quis sit verus legendi modus.* — Viden' quomodo æqualitatem stabiliat, et hanc solam differentiam statuat, quod unus sit Pater, alter Filius? Nam vox illa, *Dedit*, hanc solum distinctionem inducit : cætera vero omnia æqualia et paria esse ostendit. Unde liquet eum cum eadem potestate et virtute omnia facere, qua Pater, nec aliunde vim illam mutuatus. Ita enim vitam habet, ut Pater. Ideoque rursus adjicit id quod sequitur, ut ex hoc illud intelligamus. Quid illud est? *Et potestatem dedit ei judicium facere.* Et cur resurrectionem et judicium tam frequenter memorat? *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat;* et rursum, *Neque Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio;* iterumque, *Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita dedit et Filio vitam habere in semetipso;* et, *Qui audient vocem Filii Dei, vivent;* et hoc loco, *Potestatem ei dedit et judicium facere.* Cur ergo hæc frequentius versat, nempe judicium, vitam, resurrectionem? Quoniam hæc maxime sunt quæ vel obstinatum auditorem flectere possint. Qui enim credit se resurrecturum esse, et scelerum pœnas daturum ; etsi non aliud viderit signum, hoc accepto accurret haud dubie, ut propitium sibi judicem reddat. 27. *Quia Filius hominis est.* 28. *nolite hoc admirari.* Paulus Samosatenus non sic legit; sed quomodo? *Dedit ei potestatem judicium facere, quia Filius hominis est.* Verum hoc ita lectum nullam habet consequutionem. Non enim ideo judicium accepit, quia homo est : alioquin quid impediret quominus omnes homines judices essent? sed quia ineffabilis illius substantiæ Filius est, ideo judex est. Ita igitur legendum, *Quia Filius hominis est, nolite hoc admirari.* Cum videretur auditoribus pugnantia loqui, et nihil aliud quam purum hominem esse illum putarent, verba autem supra hominem, imo supra angelos essent, et solius Dei; hanc solvens objectionem subjunxit : *Nolite mirari hoc, quia Filius hominis est : quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus;* 29. *et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Et cur non dixit, Nolite mirari, quia Filius hominis est? nam etiam Filius Dei est; sed resurrectionem memoravit? Jam illud supra posuerat, dicens : *Audient vocem Filii Dei.* Quod si hic illud tacuit, ne mireris. Nam cum opus dixerit quod Deo proprium erat, hinc inferendum auditoribus relinquit, ipsum esse et Deum et Dei Filium. Nam si id frequenter dixisset, illos ad repugnandum concitasset; ex miraculis vero comprobatum minus odiosam doctrinam reddebat. Nam qui syllogismos nectunt, positis propositionibus quæ rem probent, sæpe conclusionem non afferunt; sed benevolentiorem hinc sibi auditorem reddunt, et splendidiorem referunt victoriam, dum adversarium ipsum cogunt sententiam ferre quam volunt : ita ut qui præsentes sunt ipsam ideo statim amplectantur. Cum porro Lazari resurrectionem memoravit, judicium tacuit; non enim hac de causa suscitatus est Lazarus : cum autem de universali resurrectione, id adjecit, eos qui bona egerunt ituros in resurrectionem vitæ ; qui vero mala, in resurrectionem judicii. Sic et Joannes auditorem excitavit, judicium memorans, et dicens eum qui non credit in Filium, non visurum esse vitam, sed iram Dei mansuram esse super eum (*Joan.* 3. 36). Sic et Nicodemo dixit : *Qui credit in Filium, non judicatur : qui autem non credit, jam judicatus est* (*Ibid.* 3. 18). Sic et hoc loco et judicii et supplicii meminit, malis actibus deputati. Quia enim supra dixerat, *Qui audit verba mea, et credit ei qui me misit, non judicatur :* ne quis putet hoc ad salutem satis esse, vitæ rationem addit, *Qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ; qui mala, in resurrectionem judicii.* Quoniam igitur dixerat totum orbem ipsi rationem redditurum esse, et omnes a voce ejus esse resurrecturos, rem certe novam, inexspectatam, et a multis nondum creditam, ab iis etiam qui credidisse videntur, nedum a Judæis ; audi quo pacto hæc proferat auditorum infirmitati se attemperans. 30. *Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, judico, et judicium meum justum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Atqui non parvum jam dederat resurrectionis argumentum, cum paralyticum sanavit. Ideoque non ante de resurrectione loquutus est, quam hoc fecisset, quod a resurrectione non multum aberat : judicium vero post curatum corpus subindicavit his verbis : *Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid con-*

[1] Alii legunt : *In jussu Dei, in novissima tuba.*

tingat. Attamen et Lazari et orbis terrarum resurrectionem prædicit. Et quia hasce duas resurrectiones prædixit, Lazari quæ mox futura erat, et orbis terrarum diu postea futuram; Lazari resurrectionem per paralyticum indicat, quamprimum futuram, *Venit hora et nunc est*; universalem autem ex Lazari resurrectione, per ea quæ facta fuerant, nondum gesta sub oculos adducens. Quod ipsum ubique facere videmus: dum duas vel tres prædictiones proponit, et futura ex gestis credibilia reddit.

4. Attamen his dictis atque gestis, quia illi imbecilliores[1] erant, hæc non satis habuit, sed aliis quoque allatis illorum pertinaciam[2] reprimit, dicens: *Non possum a meipso facere quidquam. Sicut audio, judico, et judicium meum justum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Quia enim aliena quædam et a prophetis diversa dicere videbatur (illi quippe dicebant Deum esse qui judicat terram omnem, hoc est, genus humanum. Et hoc David ubique prædicat, *Judicabit populos in æquitate* [*Psal.* 95. 10]; et, *Deus judex justus, fortis et patiens* [*Psal.* 7. 12]; similiterque omnes prophetæ et Moyses: Christus vero dicebat, *Pater neminem judicat, sed judicium dedit Filio*; illud vero auditorem Judæum turbare poterat, inducereque ut Jesum Deo adversarium suspicaretur): hic admodum sese dimittit, quantum scilicet imbecillitas eorum postulabat, ut perniciosam hanc suspicionem radicitus avelleret, aitque, *Ego non possum a meipso facere quidquam*; id est, Nihil alienum, diversum, quod Pater nolit, a me factum videbitis, vel dictum audietis. Et cum prius dixerit, Filius hominis est, quia illi eum purum hominem esse arbitrabantur, ideo illa adjecit. Ut ergo supra cum diceret, *Quod audivimus, loquimur, et quod vidimus, testamur*; et Joannes, *Quod vidit, testatur, et testimonium ejus nemo accipit*; de certa loquitur cognitione ad utrumque, non vero simpliciter de auditu et de visu: ita et hic per auditum nihil aliud significat, quam non posse se aliud velle, quam quod vult Pater. Sed id non ita clare dixit (neque enim ferre potuissent si aperte dixisset); verum quo pacto? Admodum demisso et humano more: *Sicut audio, judico*. Non de doctrina hic agitur; neque enim dicit, Sicut doceor, sed, *Sicut audio*: non quod auditu egeat: non modo non doctrina, sed ne auditu quidem indigebat; sed concordiam indicat, et idem ipsum judicium, ac si diceret: Ita judico ac si Pater ipse judicaret. Postea adjicit: *Et novi quod judicium meum justum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Quid dicis? habesne alteram quam Pater voluntatem? Atqui alibi dixisti: *Sicut ego et tu unum sumus*; et rursum, de voluntate et concordia loquens: *Da eis ut et ipsi in nobis unum sint*, hoc est, in fide nostra. Viden' ea quæ magis humilia videntur, sublimem sensum occultum habere? Quod ergo subindicat, hoc est: ostendit non aliam esse Patris voluntatem, quam suam; sed Ita, inquit, una est mea et Patris, ut unius animi voluntas una est. Nec mireris si tantam dicat conjunctionem. Nam de spiritu quoque eodem Paulus exemplo utitur dicens: *Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei* (1. *Cor.* 2. 11). Nihil ergo aliud quam hoc dicit: Non est mihi voluntas alia et propria quam quæ Patris est: sed si quid ille vult, hoc et ego volo; et si quid ego, hoc et ille. Quemadmodum ergo Patrem nemo reprehendet judicantem, ita nec me: ex eadem quippe sententia uterque calculus fertur. Quod si hæc ille humano more loquatur, ne mireris: nam illum hominem purum esse putabant. Quamobrem in similibus oportet non dicta solum, sed et hominum opinionem perpendere, et responsionem quasi secundum illam opinionem datam accipere: alioquin multa sequerentur absurda.

In Christo duæ voluntates, quomodo. — Animadverte, quæso; dixit, *Non quæro voluntatem meam*. Ergo alia est ejus voluntas, et longe inferior; nec modo inferior, sed etiam non tam utilis. Nam si salutaris esset, et si consonaret cum voluntate Patris, cur illam non quæris? Homines quippe jure hoc ipsum dixerint, ut qui multas habeant voluntates præter Dei placitum. Tu vero qua de causa sic loqueris, qui per omnia Patri similis es? Hoc enim verbum nemo dixerit esse viri accurati, et qui crucifixus sit. Si namque Paulus ita se voluntati Dei copulat, ut dicat, *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* 2. 20), quomodo omnium Dominus dixerit, *Non quæro voluntatem meam, sed ejus qui misit me*, ac si alia sit. Quid ergo sibi vult? Quasi homo loquitur, et secundum auditorum opinionem. Cum enim superius alia ut Deus, alia ut homo dixisse demonstretur, rursus ut homo hæc profert et ait, *Judicium meum justum est*. Et unde hoc liquet? *Quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Sicut enim homo, qui ab affectu liber est, non potest juste accusari quod præter fas judicaverit: sic nec me jam poteritis reprehendere. Nam qui vult sua stabilire, jure fortassis in suspicionem veniat, quod hac de causa justitiam pessumdederit. Qui vero sua non respicit, qua de causa non juste calculum ferat? Hoc itaque ratiocinio quæ ad me spectant explorate. Nam si dicerem me non a Patre missum esse, nec gestorum gloriam ad illum referrem, vestrum fortasse quispiam suspicaretur, me jactabundum vera non dicere: si autem alteri et quæ facta sunt refero, cur dicta illa suspecta habeatis? Viden' quo sermonem deduxerit, et unde judicium suum justum esse asserat? Unde videlicet quivis e vulgo defensionem pararet. Viden' quod sæpe dixi, quomodo clare resplendeat? Quid illud est quod dixi? Illam tantam verborum humilitatem sanæ mentis hominibus suadere, ne dicta statim ad infima deprimant, sed potius in sublimiorem sensum ducant; imo qui jam humi repunt, hinc paulatim ad altiora facile provehuntur.

Moralis exhortatio ad prudentia simul et simplicitate utendum. Quando aliis peccata non dimittimus, nobis ipsis

[1] Morel. legit, *crassiores*.
[2] Idem habet, *impudentiam*, pro, *pertinaciam*.

non dimittimus. Condonatio injuriarum, charitas, eleemosynaque commendantur. — Hæc omnia cogitantes, quæso, ne dicta prætercurramus, sed accurate omnia exploremus, et causam sic loquendi ubique consideremus : neque putemus sat nobis ad excusationem esse ignorantiam et simplicitatem. Neque enim simplices tantum jussit esse, sed etiam prudentes (*Matth.* 10. 16). Utamur ergo simplicitate, sed cum prudentia, tam in doctrina, quam in operibus ; et nobis ipsis jus dicamus, ut non tunc cum hoc mundo damnemur. Tales nos erga servos nostros exhibeamus, qualem volumus erga nos esse Dominum nostrum. *Dimitte*, inquit, *nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* 6. 12). Scio quidem animam injurias non æquo animo ferre ; sed si cogitemus nos non lædenti, sed nobis ipsis ita consulere, cito iræ venenum abjiciemus. Nam qui centum denarios debitori non remisit, non conservum læsit, sed seipsum centum millium talentorum, quæ sibi prius remissa fuerant, debitorem reddidit. Cum ergo aliis non dimittimus, nobis non dimittimus. Ne ergo tantum Deo dicamus, Ne memineris peccata nostra; sed etiam nobis ipsis singuli dicamus, Ne meminerimus conservorum peccata. Nam tu prior in te justitiam exerces, hinc sequitur Deus. Tu legem scribis de venia et pœna, et de his fers sententiam. Ergo penes te est ut Deus peccatorum tuorum vel recordetur vel non recordetur. Ideo Paulus dimittere jubet, si quis quidpiam adversus alium habeat, nec modo dimittere, sed ita ut nec reliquiæ maneant (*Coloss.* 3. 13). Siquidem Christus non modo peccata nostra in medium non attulit; sed neque nos peccavisse commemoravit, neque dixit, Hæc et hac in re peccasti ; sed dimisit et delevit chirographum, nec peccata recensuit, ut Paulus significat. Hoc et nos faciamus : omnia ex mente deleamus (*Ibid.* 2. 14). Si quid boni ab eo qui nos læsit admissum fuerit, hoc solum reputemus; si molestum et odiosum quidpiam, ejiciamus et deleamus, ut ne vestigium quidem remaneat. Quod si nihil boni erga nos egerit, tanto major nobis condonantibus merces et laus erit. Alii vigiliis et humi cubando, milleque macerationibus peccata expiant; tibi faciliore via, injuriarum nempe oblivione licet omnia abstergere scelera. Cur contra te gladium ut insanus et furens admoves, teque a futura vita expellis, cum nihil non facere oporteret, ut illam consequaris? Nam si præsens vita ita desiderabilis est, quid de illa dixeris, unde aufugit omnis dolor, mœror, gemitus, ubi nec mortis timor, nec ullus bonorum finis metuendus? Beati, ter sæpiusque beati, qui illa fruuntur sorte, ut miseri terque et sæpius miseri, qui illa sese privant beatitudine. Ecquid, inquies, illam nobis vitam acquirit? Audi ipsum judicem adolescenti cuipiam hac de re loquentem. Ipso namque rogante, *Quid faciendo vitam æternam possidebo* (*Matth.* 19. 16)? cæteris præmissis Christus præceptis, in amorem proximi desiit. At fortasse auditorum quispiam, ut dives ille, dixerit, Hæc nos servavimus; non furati sumus, non occidimus, non mœchati sumus. Verum hoc dicere non poteris, te proximum ut oportebat dilexisse. Nam vel invidus fuisti, vel maledicta protulisti, vel læso opem non tulisti, vel de bonis non largitus es, non dilexisti. Verum non hoc solum jussit Christus, sed et aliud. Quid illud? *Vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (*Matth.* 19. 21). Sequi Christum, imitari Christum hic significat. Quid hinc discimus? Primo, eum qui hæc omnia non habet, sortem illam non posse cum primis consequi. Cum dixisset enim ille, Omnia feci, ac si magnum quidpiam deesset ad perfectionem, ait : *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Hoc itaque primo discendum est; secundo, quod illum frustra venditantem se coarguerit. Qui enim in tanta copia rerum erat, et pauperes contemnebat, quo pacto proximum dilexerit? Non vera ergo dicebat. At nos et hoc et illud faciamus, omniaque nostra diligenter effundamus ut cælum comparemus. Nam si quidam pro sæculari dignitate omnia sua effudit; dignitate, inquam, quam in hac vita solum, neque diuturno tempore retinere potest (multi namque diu antequam morerentur præfecturam amisere; alii vero pro illa vita etiam mulctati sunt; attamen licet hoc sciant, omnia pro illa profundunt): si igitur pro hujusmodi dignitate tot tantaque faciunt: quid miserabilius nobis fuerit, qui pro illa semper manente, quæ tolli numquam potest, ne pauca quidem profundimus, neque ea erogamus quæ paulo post hic amissuri sumus? Quis furor ille, quæ invitis eripientur, ea nolle sponte dare et nobiscum auferre? Si quis nos ad mortem duceret, deinde proponeret, num vitam bonis omnibus redimere vellemus, gratias certe illi haberemus. Nunc vero cum proponitur deductis ad gehennam, ut dimidiarum facultatum dono eripiamur, malumus ad supplicium duci, et ea frustra servare, quæ nostra non sunt, ita ut nostra perdamus. Quam excusationem habebimus? quam veniam merebimur, si, cum tam facilis nobis via aperta sit, per præcipitia feramur, et infructuosum suscipiamus iter, atque his et illis omnibus nos privemus, cum libere possimus his et illis perfrui? Sed etsi non ante, saltem nunc ad nos redeamus, et sana mente præsentia bona, ut par est, dispensemus, ut futura facile consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, unaque sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XL.

31. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* 32. *Alius est qui testimonium perhibet de me, et scio quia verum est testimonium ejus.*

1. *Lectio Scripturarum quantam discretionem exigat. Discutitur commentaturque illud :* Si testimonium perhibeo de meipso, verum non est.—Si quis metallicam terram fodere aggrediatur, cum sit artis imperitus,

aurum non efficiet, omnia temere miscebit, eritque labor ejus inutilis, imo noxius. Ita qui divinarum Scripturarum consequentiam non norunt, neque proprietates et leges ejus explorant, sed simpliciter et uno modo omnia percurrunt, aurum cum terra miscentes, numquam repositum in illa thesaurum invenient. Hæc porro nunc dixi, quia is qui jam proponitur locus, multum quidem aurum habet, non quidem conspicuum, sed obscuritate multa obvolutum. Quamobrem oportet fodiendo et expurgando ad verum sensum pertingere. Quis enim non statim turbetur audiens Christum dicentem, *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum non est?* Nam sæpe videmus illum de seipso testimonium perhibere; Samaritanæ quippe dicebat, *Ego sum qui loquor tecum* (*Joan.* 4. 26); et cæco similiter, *Qui loquitur tecum, ille est;* et Judæos increpans, *Vos dicitis, Tu blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum* (*Joan.* 9. 37. *et* 10. 36). Et alibi sæpe similiter. Si ergo hæc omnia mendacia essent, quæ nobis esset spes salutis? Unde ergo veritatem reperiemus, cum ipsa veritas dicat, *Testimonium meum verum non est?* Neque hoc tantum contrarium videtur, sed aliud quoque non minus; nam in sequentibus ait: *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est* (*Joan.* 8. 14). Utrum ergo horum accipiam? utrum falsum putabo? Nam si hæc ita acceperimus, nulla facta personæ, nulla causæ et cæterorum similium perquisitione, utraque falsa erunt. Si enim testimonium ejus verum non est, neque hoc ipsum verum est, neque posterius, neque prius. Quid ergo sibi vult? Multa nobis opus est vigilantia, imo potius Dei gratia, ne nudis verbis insistamus. Ita enim hæretici errant, dum neque scopum dicentis, neque audientium affectum explorant. Nisi ergo hæc adjiciamus, imo alia quoque, ut tempora, loca, auditorum animum; multa consequentur absurda. Quid sibi vult ergo id quod jam dictum est? Dicturi erant Judæi: *Si tu testimonium perhibes de teipso, testimonium tuum non est verum.* Ideo hæc præoccupat ac si diceret: Dicetis utique mihi, tibi non credimus: nemo enim qui statim de se testimonium perhibeat, apud homines credetur. Illud ergo, *Non est verum*, non temere legendum, sed subintelligendum est secundum illorum opinionem, ac si diceret, Vobis non est verum. Non ergo contra dignitatem suam, sed contra illorum opinionem sic loquitur. Ac cum dicit, *Testimonium meum verum non est*, illorum sententiam coarguit, necnon objectionem, quam ipsi oblaturi erant. Cum vero dicit, *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum*, ipsam rei naturam ostendit, quod scilicet ipsum, utpote Deum, fide dignum credi oporteret, etiam cum de seipso loqueretur. Quia enim dixerat resurrectionem mortuorum et judicium, et quod qui credit in ipsum non judicatur, sed ad vitam venit, et quod sedens omnium rationes expetiturus, et quod eamdem habeat, quam Pater, potestatem et virtutem; cum hæc omnia confirmaturus esset, alio modo hanc objectionem necessario primam ponit. Dixi, inquit, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat;* dixi, *Neque Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio;* dixi honorandum esse Filium sicut Patrem; dixi, *Qui non honorificat Filium, neque Patrem honorificat;* dixi, *Qui audit verba mea et credit ea, non videbit mortem* [1], *sed translatus est a morte ad vitam;* dixi, vocem meam mortuos suscitaturam esse, et nunc et postea; dixi, me rationem omnium peccatorum repetiturum esse; dixi, me esse juste judicaturum, ac mercedem bene operantibus daturum. Quia ergo illa omnia prolata fuerant, et magna quidem erant, necdum tamen data fuerat horum clara demonstratio, sed obscura plane; primo quod objiciebatur ponit, ad dictorum veram rationem venturus; ac si ita loqueretur, etsi non iisdem verbis. Sed fortasse dicetis: Hæc omnia tu dicis, nec es fide dignus testis, qui tibi ipsi testimonium perhibeas. Hac itaque ratione primo solvens illorum contentionem, quod ea quæ dicturi erant proferret, ostenderetque se arcana cordis eorum nosse, et hanc primam virtutis suæ demonstrationem exhibens, demum post objectionem prolatam, alias adfert demonstrationes claras et inexpugnabiles; tres adducens testes, opera sua, Patris testimonium, et Joannis prædicationem. Primumque testimonium ponit, id quod minus erat, nempe Joannis. Cum enim dixisset, *Alius est qui testimonium perhibet de me, et scio quia verum est testimonium ejus;* subdidit: 33. *Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati.* Atqui si non est verum testimonium tuum, quomodo dicis, Verum est testimonium Joannis; et, *Testimonium perhibuit veritati?* Viden' quam clarum vel inde sit, illud, *Testimonium meum non est verum*, adversus eorum suspicionem dictum fuisse?

2. *Joannis Baptistæ testimonii certitudo; ipsius Dei erat testimonium. Operum Christi testimonium ineluctabile.*— Quid si ille, inquies, testimonium ad gratiam perhibuit? Ne hoc dicerent, vide quomodo hanc amovit suspicionem. Non enim dixit, Joannes testimonium perhibuit de me; sed prius, *Vos misistis ad Joannem;* non misissetis autem, nisi fide dignum existimassetis. Quodque majus est, non miserunt interrogatum illum de Christo, sed de seipso; quem fide dignum putabant de seipso testimonium ferentem, multo magis de alio loquentem. Solemus enim nos homines non perinde credere iis qui de se loquuntur, quam iis qui de aliis. Hunc vero ita veracem putabant, ut etiam de se loquens, alterius testimonio non egeret. Nam qui missi fuerant, non dixerunt, Quid dicis de Christo? sed, *Tu quis es? quid dicis de teipso?* Tam mirabilem putabant hominem. Hoc ergo totum subindicavit, cum dixit, *Vos misistis ad Joannem.* Ideo evangelista non solum dicit, eos misisse, sed de missis expresse dicit, fuisse ex sacerdotibus et ex Pharisæis, non e vulgo, nec qui corrumpi vel decipi possent, sed qui ejus dicta accurate perciperent. 34. *Ego autem non ab homine testimonium accipio.* Cur ergo Joan-

[1] Alius habet, *non videbit judicium.*

nis testimonium accipis? Illius certe testimonium, hominis non erat. *Qui misit me*, inquit, *baptizare in aqua, ille mihi dixit*. Itaque Joannis testimonium, Dei erat testimonium : ab illo enim didicerat ea quæ dicebat. Sed ne dicerent, Unde constat illum a Deo didicisse et hinc adversum starent, illorum ora vehementer reprimit, et adhuc contra illorum opinionem edisserit. Neque enim verisimile erat multos hæc scivisse, sed Joanni attendebant, ut ex se loquenti. Ideo ait : *Ego ab homine testimonium non accipio*. Si ab homine testimonium non accepturus, neque illo usurus eras, cur ejus testimonium adduxisti? Ne igitur hæc dicerent, audi quomodo tali objectioni occurrat. Cum dixisset enim, *Ab homine testimonium non accipio;* subjunxit : *Sed hæc dico, ut vos salvi sitis*. Hoc est : Ego hujus testimonio humano non opus habebam, cum Deus sim; sed quia illum suspicitis et omnibus fide digniorem putatis; et ad illum quidem ut ad prophetam accurrebatis (civitas enim ad Jordanem effundebatur), mihi vero ne quidem miracula patranti credidistis : ideo hoc vobis testimonium commemoro. 35. *Ille erat lucerna ardens et lucens : vos autem voluistis exsultare ad horam in luce ejus*. Ne dicerent enim, Quid, si ille dixit, et nos non recepimus? dicta recepisse illos ostendit. Neque enim vulgares homines miserunt, sed sacerdotes et Pharisæos. Sic hominem mirabantur, nec poterant dictis ejus obsistere. Illud autem, *Ad horam*, nimiam illorum facilitatem indicat, quod scilicet cito ab illo resilierint. 36. *Ego autem habeo majus testimonium Joanne*. Si velletis enim secundum veram rerum seriem fidem accipere, ab operibus vos magis induxissem. Quia vero non vultis, ad Joannem vos duco; non quod ejus egeam testimonio; sed quia ideo omnia facio ut vobis salutem pariam. Testimonium enim majus habeo quam Joannis: ab operibus. Verum non ad id specto solum, ut a fide dignis viris[1] apud vos commender; sed ut a vobis notis, qui apud vos mirabiles habeantur. Sic postquam illos incesserat his verbis, *Voluistis exsultare ad horam in luce ejus*, demonstraveratque illud eorum studium temporaneum ac minime firmum fuisse; cum lucernam ipsum vocavit, ostendit ipsum a semetipso lucem non habere, sed a gratia Spiritus. Necdum tamen dixit in quo differret ab ipso, quod scilicet ipse sol justitiæ esset; sed cum illud subindicasset tantum, in illos vehementer invehitur, ostenditque illos eodem animi proposito, quo illum contempserant, Christo credere noluisse. Nam Joannem *Ad horam* solum admirati sunt : quod nisi fecissent, cito illos ad Jesum ducturus erat. Postquam igitur illos omni ex parte indignos venia ostenderat, addidit : *Ego autem habeo testimonium majus Joanne*. Quale? Operum. *Opera enim*, inquit, *quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera testimonium perhibent de me, quia Pater me misit*. Hic paralyticum sanatum et alios multos commemorat. Verba quidem, dixisset forte quispiam eorum, illa magnifica Joannes ad gratiam dixerit; licet tamen hoc dicere non possent de Joanne ita philosophiæ studioso, quem admirabantur : opera autem, vel apud insanos, nulli erant suspicioni obnoxia. Ideo alterum adduxit testimonium dicens : *Opera quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio testantur de me, quoniam misit me Pater*. Hic accusationem de violato sabbato depellit. Quia enim dicebant illi, Quomodo potest a Deo esse, qui sabbatum non custodit? ideo dixit, *Quæ dedit mihi Pater*. Etiamsi ille auctoritate sua ageret; sed ut validius probaret se Patri nihil contrarium facere, ideo quod longe minus erat posuit.

3. *Quare Christus hic ex operibus suis divinitatem missionis suæ tantum, nulla de sua divinitate mentione facta, adstruat. Pater quomodo audiatur et videatur. Quare Judæos Christus ad Scripturas remiserit.* — Et cur, inquies, non dixit, Opera quæ dedit mihi Pater, testificantur me Patri æqualem esse? Certe utrumque ex operibus edisci poterat, et ipsum nihil contrarium Patri facere, et æqualem genitori esse, id quod et alibi probat cum dicit : *Si mihi non creditis, operibus meis credite, ut sciatis et credatis quia ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan*. 10. 38). Utrumque, inquam, testificatus esset, et se æqualem esse Patri, et se nihil facere Patri contrarium. Cur ergo non sic loquutus est, sed majore parte relicta, minorem posuit? Quia hoc primum erat, de quo erat quæstio. Nam etsi longe minus est credi ipsum a Deo venisse, quam credi Deo æqualem esse; illud enim prophetæ dixerant, hoc vero minime; attamen ipse de minore parte magnam curam habet, gnarus si hoc admittatur[1], illud etiam facile admissum iri, et majore prætermissa, minorem memorat, ut per hanc et illam reciperent. Hoc peracto rursum adjicit : 37. *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me*. Et ubi testimonium perhibuit de illo? In Jordane, cum dixit : *Hic est Filius meus dilectus : ipsum audite*. Verum hoc apparatu quodam egebat. Quod ad Joannem pertinebat, manifestum erat : ipsi namque miserant, neque id negare poterant. Signa quoque clara erant. Ipsi facta viderant, atque sanatum audierant, et crediderant, ac propterea illum accusabant. Restabat demum ut Patris testimonium afferretur, quod inducturus subdidit : *Nec vocem ejus umquam audistis*. Et quomodo Moyses dicit, *Deus loquebatur, Moyses respondit* (*Exod*. 19. 19). Quomodo David, *Linguam quam non noverat, audivit* (*Psal*. 80. 6)? Rursum Moyses, Si est gens talis, quæ audivit vocem Dei? *Neque speciem ejus vidistis* (*Deut*. 4. 33). Atqui illum vidisse dicuntur Isaias, Jeremias, Ezechiel et alii plurimi. Quid ergo nunc sibi vult Christus? In philosophicam illos inducit disciplinam, paulatim ostendens, in Deo nec vocem nec speciem esse, sed superiorem illum esse et sonis et figuris hujusmodi. Nam ut dicendo, *Neque vocem ejus audistis*, non significat, illum vocem emittere, nec audiri : sic cum dicit, *Neque speciem ejus vidistis*, non dicit ipsum speciem habere, nec tamen videri; verum neutrum horum habere Deum intelligit. Nec dicerent enim, Frustra te jactas, Moysi tantum loquutus est Deus; dicebant

[1] Alii habent, *ut a propinquis vestris*.

[1] Alii legunt, *gnarus si hoc dicatur*.

enim, *Nos scimus quia Moysi loquutus est Deus : hunc vero nescimus unde sit* (*Joan*. 9. 29); ideo sic loquutus est, ostendens in Deo nec vocem nec speciem esse. Et quid hoc dico? Non modo vocem ejus non audistis, nec speciem vidistis, sed id de quo maxime gloriamini, de quo maxime inflati estis omnes, quod mandata ejus acceperitis et habeatis; ne illud quidem dicere potestis. Ideo subjungit : 38. *Neque verbum ejus habetis in vobis manens*; id est, mandata, præcepta, legem, prophetas. Etiamsi enim Deus hæc præceperit, attamen hæc apud vos non sunt, quia mihi non creditis. Etsi enim passim et ubique dicant Scripturæ, mihi esse credendum, vos tamen non creditis, palamque est verbum ejus a vobis abscessisse. Ideo addit iterum : *Quia ei quem misit ille vos non creditis*. Deinde ne dicerent, Quomodo si vocem ejus non audivimus, tibi testimonium perhibuit? ait ille : *Scrutamini Scripturas; illæ enim sunt quæ testimonium perhibent de me* (*Joan*. 5. 39); indicans per has Deum testimonium perhibuisse. Nam et in Jordane et in monte testimonium perhibuit. Sed illam vocem non fert in medium. Fortassis enim non creditus fuisset. Nam aliam vocem non audierant, nempe in monte; aliam vero audierant quidem, sed non attenderant. Idcirco mittit illos ad Scripturas, ostendens Patris [1] testimonium inde esse sumendum, sublatis prius antiquis in quibus gloriabantur, vel quasi vidissent Deum, vel quasi vocem ejus audissent. Quia vero credibile erat ejus voci non credituros esse, eaque imaginaturos esse quæ in monte Sina acciderunt, correcta prius ea quæ suboriri poterat ea de re suspicione, et ostendens illa per demissionem quamdam facta esse, ipsos ad Scripturarum testimonium mittit.

4. *Contra hæreticos e Scripturis pugnandum. Quasdam tantum virtutes, aliis neglectis, exercere non sufficit. Hominum avarorum injustorumque insania et supplicium futurum.* — Et nos quoque quando contra hæreticos pugnamus et armamur, hinc nos instruamus. *Omnis enim Scriptura*, inquit, *divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad instituendum in justitia, ut perfectus sit Dei homo, ad omne opus bonum instructus* (2. *Tim*. 3. 16. *et* 17). Non ut alia habeat, aliis careat : nam talis homo perfectus non esset. Quæ utilitas, quæso, si assidue precetur, nec eleemosynam largiter eroget? vel si largiter eroget, sed rapax et violentus sit? vel si id faciat ad ostentationem et vanam gloriam? vel si eroget quidem accurate, et ad placitum Dei, sed inde sese extollat et altum sapiat? vel si humilis quidem sit et jejuniis se exerceat, avarus tamen et usurarius et terrenis addictus, matremque malorum omnium in animam suam inducat? Avaritia namque radix omnium malorum est. Hanc formidemus, hoc fugiamus peccatum. Hæc orbem terrarum subvertit, hæc omnia miscuit, hæc a beatissima Christi servitute nos abducit : *Non potestis*, inquit, *Deo servire et mamonæ*, qui Christo contraria præcipit. Christus quippe dicit, Da indigentibus; ille, Rape ab indigentibus. Christus dicit, Insidiantibus tibi, et lædentibus te da veniam : hic contra, Laqueos para adversus eos qui te nihil læserunt. Christus dicit, Benignus et mansuetus esto; hic e contrario, Crudelis esto et inhumanus, et nihil esse existimato lacrymas pauperum; ut in illa die severum nobis constituat judicem. Tunc enim nobis omnia, quæ fecimus, ante oculos versabuntur, læsique illi et nudati a nobis omnem nobis defensionem intercludent. Si enim Lazarus qui nihil læsus fuerat a divite, sed nullam ab eo opem acceperat, acerbus ejus accusator exstitit, nec permisit ut veniam ullam consequeretur : quam, quæso, defensionem habebunt, qui aliena rapiunt, nedum eleemosynam erogent, pupillorumque domos evertunt? Si illi qui Christum esurientem non nutrierunt, tantum ignem in caput suum attraxerunt : qui aliena rapiunt, mille lites movent, omniumque bona sibi adscribunt, qua consolatione fruentur? Hanc ergo cupiditatem ejiciamus. Ejiciemus autem, si cogitemus injustos homines et avaros qui ante nos fuerunt et obierunt. Annon alii eorum pecuniis et laboribus fruuntur, ipsi supplicio, cruciatu et malis intolerabilibus plectuntur? Annon extremæ dementiæ fuerit, in sollicitudine et ærumnis versari, ut et in hac vita laboribus atteramur, et hinc migrantes intolerabilibus torqueamur suppliciis atque laboribus, cum oporteret et hic in deliciis vivere (nihil enim tantam voluptatem parit, quantam eleemosyna, conscientia pura [2]), et defunctos ab omnibus erui malis, et innumera consequi bona? Sicut enim nequitia, etiam ante gehennam, eos qui illam exercent supplicio afficere solet : sic et virtus, etiam ante regnum, illam exercentibus delicias parat, bona spe, perenni voluptate vitam afficiens. Ut hanc itaque et hic et in futura vita consequamur, bonis incumbamus operibus. Sic enim et futuras adipiscemur coronas; quas utinam consequamur omnes gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Quidam habent, *Spiritus*, pro, *Patris*.

[2] Savil. loco illorum, *quantam eleemosyna, conscientia pura*, legit, *quantam eleemosynæ erogatæ conscientia*.

HOMILIA XLI.

39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me* : 40. *et non vultis venire ad me, ut vitam æternam habeatis.*

1. *Res spirituales multi faciendæ. Scripturas non perfunctorie legendum, præsertim in locis ad Christum pertinentibus. Christus pertinaciam Judæorum redarguit, maximam adhibens prudentiam maximamque argumentorum vim; prædicit ipsos Antichristum recepturos.*—Magnam, dilecti, de spiritualibus rationem habeamus, neque tamen nobis ad salutem satis esse putemus, si ea utcumque tractemus. Nam si in sæcu-

laribus rebus nemo magnum quidpiam lucrari deprehenditur, si obiter et perfunctorie agat, multo magis in spiritualibus rebus id eveniet, quia hæ majori opus habent diligentia. Ideo Christus Judæos ad Scripturas remittens, non ad simplicem lectionem, sed ad accuratum examen illos remittit. Neque enim dixit, Legite Scripturas; sed, *Scrutamini Scripturas.* Quia ea, quæ de ipso ibi dicuntur, multa opus habent investigatione (sub umbra enim quadam occulta veteribus erant), ideo illos accurate fodere jubet, ut in profundo posita reperire possint. Neque enim in superficie vel in conspectu jacent, sed quasi thesaurus quispiam profunde admodum recondita sunt. Qui vero profunde posita quærit, nisi cum diligentia et labore quærat, numquam quod quærit inveniet. Ideo postquam dixit, *Scrutamini Scripturas*, intulit, *Quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere.* Non dixit, Habetis, sed *Putatis habere*, ostendens ipsos nihil magnum lucrari, dum putarent se ex sola lectione sine fide posse salutem consequi. Ac si diceret, Annon miramini Scripturas? annon vitæ fontes esse arbitramini? His jam nitor et ego. Hæ namque sunt quæ testimonium perhibent de me, et non vultis ad me venire, ut vitam æternam habeatis. Jure ergo dicebat, *Vos putatis*, quod nollent ipsi obtemperare, sed de simplici lectione gloriarentur. Deinde ne ex nimia cura in vanæ gloriæ suspicionem veniret, neve quod illorum fidem exigeret, putaretur quæ sua erant curare (nam et Joannis vocem, et Dei testimonium, et opera sua commemoraverat, vitamque promiserat; illis omnibus usus, ut eos ad se alliceret): quia, inquam, credibile erat multos suspicaturos esse quod gloriam captaret, audi quid adjiciat: 41. *Gloriam ab homine non accipio;* hoc est, Illa non egeo. Non sum, inquit, talis naturæ, ut hominum gloria opus habeam, Nam si sol a lucerna lucis additamentum non accipit, multo minus ego humana egebo gloria. Et cur hæc dicis, si non egeas? Ut vos salvi sitis. Illud vero supra dixerat, et hic subindicavit his verbis, *Ut vitam habeatis.* Affert et aliam causam. Quam? 42. *Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Quia sæpe, quasi Deum diligerent, persequebantur eum, quia æqualem se faciebat Deo, sciebatque ipsos non sibi credituros esse: ne quis diceret, Cur ita loqueris? Ut vos reprehendam, inquit, quia non propter dilectionem Dei me persequimini. Siquidem ipse mihi testimonium perhibet et per opera et per Scripturas. Sicut ego antehac cum putaretis me Deo adversarium esse, me expellebatis: ita nunc ex quo hæc demonstravi, accurrere vos oportebat, si Deum diligeretis; sed non vere diligitis. Ideo hæc dixi, ut comprobarem vos fastu et jactantia duci, et invidiam vestram obtegere. Neque ex his tantum, sed ex futuris quoque hoc adstruit; nam ait: 43. *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Viden' illum ubique dicere se ad hoc missum esse, et ex Patre judicium accepisse, nec quid posse a semetipso facere, ut omnem improbitatis ansam resecet? Sed quemnam dicit in suo proprio nomine venturum esse? Antichristum hic subindicat, eorumque nequitiam ineluctabili argumento demonstrat. Nam si tamquam Dei amatores me persequimini, multo magis Antichristum persequi oportuerit. Ille namque nihil simile proferet, neque a Patre se missum, neque ex ejus voluntate venire dicet: sed contra, ea tyrannice rapiet quæ non ad se pertinent, seque deum universorum profitebitur, ut Paulus ait: *Supra omnem qui dicitur Deus aut colitur, ostendens se tamquam sit Deus* (2. *Thess.* 2. 4). Hoc enim est in proprio nomine venire. Ego vero non sic, sed in nomine Patris mei adveni. Vel hinc ostendi poterat ipsos non amare Deum, quod illum, qui se diceret ab illo missum, non reciperent: jam vero ex contrario ostendit illorum impudentiam [1], ex eo quod Antichristum recepturi essent. Cum enim eum, qui a Deo se missum dicebat, non reciperent; eumque qui Deum non noverat, sed jactabundus se universorum deum dicebat, adoraturi essent: palam erat ex invidia et ex Dei odio persequutionem ortam esse. Ideo duas ponit dictorum causas, priorem nempe illam quæ utilior erat, *Ut salvi sitis*, et *Ut vitam habeatis.* Quia vero ipsum irrisuri erant, vehementiorem ponit, declarans, si audientes non obtemperent, pro more suo Deum ubique facturum esse.

2. Paulus certe de Antichristo loquens prophetice dicit: *Mittet illis Deus operationem erroris, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati* (*Ibid. v.* 10 *et* 11). Christus autem non dicit esse venturum; sed, *Si venerit*, auditoribus se attemperans, quia nondum completa erat tota illorum nequitia: ideoque illius adventus causam tacuit. Paulus vero intelligentibus aperte illam declaravit; ille namque est qui omnem ipsis aufert excusationem. Deinde incredulitatis eorum causam his verbis aperit: 44. *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis?* hinc iterum ostendens eos non illa quæ solius Dei erant spectare, sed hoc obtentu effectum suum velle tueri. Tantum enim aberat quin hæc ad Dei gloriam facerent, ut humanam sibi potius quam divinam optarent. Quomodo ergo tantum odii pro Dei gloria susciperent, quam usque adeo contemnebant, ut humanam ipsi anteferrent? Postquam autem dixerat ipsos dilectionem Dei non habere, et duplici ratione id probaverat, tum per ea quæ in se facta, tum per ea quæ in Antichristo futura erant, insuperque clarius demonstraverat, esse illos omni venia indignos: sic illos redarguit, Moysen accusatorem adducens: 45. *Nolite putare quod ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.* 46. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit.* 47. *Si autem illius literis non creditis, quomodo meis credetis verbis?* Hoc est, Ante me ille contumelia afficitur in iis quæ contra me facitis. Moysi enim magis fidem negastis, quam

[1] Morel. habet, *invidiam*, pro, *impudentiam*.

mihi. Vide quomodo illos undique omni intercludat defensione. Dum me persequeremini, Deum vos diligere dicebatis : ostendi vos hoc illius odio facere. Me accusatis quod sabbatum solvam et legem transgrediar : de hac accusatione me purgavi. Affirmatis vos fidem erga Moysen profiteri per ea quæ contra me audetis : ostendo ego illud maxime esse non credere Moysi. Tantum enim abest ut legi repugnem, ut is qui vos accusaturus est nullus alius sit, quam is qui legem vobis dedit. Ut igitur de Scripturis dicebat, *In quibus putatis vitam æternam habere;* ita de Moyse ait : *In quo vos sperastis*, ex suis eos sermonibus capiens ubique. Et unde discemus, inquient Judæi, Moysen accusaturum esse, ac te non id vane jactitare? quid enim tibi cum Moyse commune? Sabbatum solvisti, quod jussit ille servandum : quomodo ergo ille nos accusaverit? Et quomodo probabitur, inquies, nos in alium qui in suo nomine veniat esse credituros? Hæc quippe omnia nullo teste dicis. Atqui hæc omnia ex superioribus probantur. Quando enim ex operibus, ex Joannis voce, ex Patris testimonio in confesso fuerit me a Deo venisse, palam certo est Moysen ipsos accusaturum esse. Quid enim ille dixit? annon, quod si quis signa faciens venerit (*Deut.* 13. 1), qui ad Deum ducat, futuraque vere pronuntiet, ipsi credere oporteat? Annon Christus hæc omnia fecit? Signa cum omni veritate edidit, omnes traxit ad Deum, prædictiones ex rerum eventu asseruit. At unde probatur ipsos alteri credituros esse? Ex eo quod Christum oderint. Nam qui eum, qui ex Dei voluntate venit, aversantur, Deo adversarium sine dubio recipient. Quod si Moysen nunc proferat, licet dixerit, *Ego ab homine testimonium non accipio* : ne mireris : non enim ad Moysen, sed ad divinam Scripturam illos remittit. Verum quia Scripturæ minorem illis terrorem afferebant, legislatorem ipsum accusatorem inducens, majorem illis metum incussit, et singula eorum dicta confutat. Hic autem animum adhibe. Dicebant se ex Dei amore illum persequi; ostendit ille ipsos ex Dei odio id facere. Dicebant se Moysi hærere, ille probat ipsos id agere, quod Moysi non crederent. Nam si legis studio tenebantur, oportuit illum recipere qui legem implebat : si Deum diligebant, illi credere par erat, qui ad Deum trahebat : si Moysi credebant, oportuit illum adorare quem ipse prænuntiavit. Quod si illi prinsquam mihi fides negatur, nihil mirum si ego ab illo prænuntiatus a vobis expellor. Sicut ergo illos, qui Joannem mirabantur, ostendit ipsum Joannem despicere ab iis quæ contra se perpetrarunt : sic eosdem, cum se Moysi credere putent, ipsi non credere probat, atque omnia quæ pro se illi afferebant, in caput ipsorum retorquet. Tantum abest, inquit, ut vos a lege retraham, ut ipsum legislatorem contra vos testem advocem. Quod ergo Scripturæ id testificentur dicit; ubi autem testificentur non adjecit : majorem illis timorem incutere volens ut ipsos ad explorandum et interrogandum excitaret. Nam si non rogatus dixisset, testimonium illi rejecissent : jam vero si dictis attendissent, ante omnia oportebat ab illo quærere et ediscere. Ideo enim non demonstrationes tantum, sed etiam sententias et minas frequentat, ut sic eos vel metu reducat. Illi tamen silent. Talis enim res est malitia; quidquid dicatur vel fiat, non exsurgit, sed proprium virus servat.

3. *Dolus et nequitia fugienda. Virtutem vera sapientia, nequitiam amentia comitatur. Inferentis injuriam pejor conditio quam patientis.* — Quapropter par est omni expulsa animi nequitia, nullum nectere dolum. *Ad pravos* enim, inquit, *pravas vias mittit Deus* (*Prov.* 21. 8); et, *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet dolum et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* 1. 5). Nihil enim ita stultos reddit, ut nequitia. Subdolus enim, improbus, ingratus (hæ quippe sunt nequitiæ genera), si nihil læsus offendatur, si dolos nectat, annon summæ dementiæ indicia proferat? Nihil ita prudentes reddit, ut virtus. Etenim gratos reddit, probos, benignos, mites, mansuetos, modestos : cætera omnia bona hæc parere solet. Quid hoc modo affectis prudentius? Fons enim vere et radix prudentiæ virtus est, malitia vero ex amentia ortum habet. Arrogans enim et iracundus deficiente prudentia his morbis capitur. Ideo propheta dicebat : *Non est sanitas in carne mea. Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* 37. 4. 6); ostendens peccatum quodvis ex insipientia ortum habere : contra vero virtute præditum ac timentem Deum, omnium esse sapientissimum. Idcirco sapiens quidam dicit, *Initium sapientiæ, timor Domini* (*Prov.* 1. 7). Si ergo timere Deum est sapientiam habere; malus non ita affectus, vere sapientia privatur : vera autem privatus sapientia, omnium est insipientissimus. Atqui plurimi improbos admirantur, ut qui possint lædere ac nocere; non intelligentes ipsos omnium miserrimos censendos esse, quod dum cæteros se lædere putant, in seipsos gladium vertant : quod extremæ dementiæ est. Nam inscii seipsos confodiunt, et dum alteri se nocere putant, seipsos jugulant. Ideo Paulus gnarus nos, cum cæteros percutere volumus, nosmetipsos interficere, dicebat : *Quare non potius injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini* (1. *Cor.* 6. 7)? Injuriam enim non accipit qui non infert, nec malo afficitur, qui malum non operatur : quamvis id multis ænigma esse videatur qui philosophari nolunt. Hæc cum sciamus, non eos qui læduntur, vel injuriam accipiunt, sed illos qui injuriam inferunt, miseros præ dicemus et deploremus. Hi enim maxime læduntur, qui Deo bellum inferunt, et mille accusatorum ora aperiunt, malaque fama in hac vita laborant : atque ingens in futuro sibi parant supplicium : ut contra ii qui læsi injurias fortiter ferunt, Deum habent propitium, omnesque se commiserantes, approbantes, laudantes. Hi in hac vita admodum celebres erunt, qui magnum philosophiæ exemplum præbeant, et in futura vita æternis fruuntur bonis : quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et simul Spiritui sancto gloria, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLII.

CAP. 6. v. 1. *Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ in partes Tiberiadis; 2. et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super iis qui infirmabantur. 3. Abiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis. 4. Erat autem proximum Pascha Judæorum.*

1. Cum improbis noxiisque viris ne versemur, dilecti; sed quando virtutem nostram non lædent, id curemus, ne eorum insidiis ac nequitiæ locum demus. Ita enim omnis impetus frangitur. Ac quemadmodum jacula quando in durum firmumque locum incidunt, magno impetu in eos qui jaculantur resiliunt; quando autem violenter immissa nihil durum et asperum reperiunt, cito sedantur et desinunt: ita feri audacesque homines, cum repugnamus, magis exasperantur; cum vero cedimus, illorum furorem cito sedamus. Idcirco Christus, cum audissent Pharisæi ipsum plures quam Joannem discipulos colligere, pluresque baptizare, venit in Galilæam, ut invidiam illorum exstingueret, et furorem, quem ipsos ex ea re concepisse verisimile erat, per secessum sedavit. Cæterum in Galilæam reversus, non eadem adit loca: non enim in Cana venit, sed trans mare. Idcirco sequebantur illum turbæ multæ, cum viderent signa quæ faciebat. Quæ signa? cur illa non recenset? Quia hic evangelista magnam libri sui partem concionibus replevit. Vide namque quomodo per annum integrum, imo in festo Paschæ non aliud miraculum memoret, quam paralyticum et filium reguli curatos. Neque enim omnia narrare voluit, id quod certe fieri non poterat; sed ex multis magnisque pauca dixit. *Et sequebatur*, inquit, *eum turba multa, quia videbant signa quæ faciebat.* Non firma mente sequebantur: ad tantam enim doctrinam ex signis potius inducebantur; quod crassioris erat animi. *Signa enim*, inquit, *non fidelibus, sed incredulis* (1. *Cor.* 14. 22). At non hujusmodi populus apud Matthæum: sed audi quomodo: *Stupebant omnes de doctrina ejus, quia docebat eos tamquam potestatem habens* (*Matth.* 7. 28. 29). Cur autem montem nunc adiit, et ibi sedebat cum discipulis? Ob futurum signum. Quod autem discipuli tantum ascenderint, illa populi non sequentis culpa est. Neque hac solum de causa montem petiit, sed etiam ut nos doceret, tumultum et turbam esse vitandam, atque idoneam philosophiæ esse solitudinem. Sæpe autem ipse solus montem ascendit, et pernoctat orans, ut nos doceat, eum qui ad Deum accedit, omni tumultu vacuum esse, et tranquillum locum quærere debere. *Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum.* Cur, inquies, non ascendit ad diem festum, sed cum omnes Jerosolymam pergerent, ipse in Galilæam venit: neque ipse solus, sed cum discipulis, et inde in Capernaum? Paulatim legem solvit, ex Judæorum nequitia occasionem captans. 5. *Et cum sublevasset oculos, vidit turbam multam.* Hic ostendit ipsum numquam sine causa sedisse cum discipulis; sed fortassis ut accuratius ipsos alloqueretur et doceret, eosque sibi devinciret: unde discimus quantam illorum providentiam gereret, quam se demitteret, ut se illis attemperaret. Sedebant vero simul, sese fortasse mutuo respicientes. *Deinde respiciens videt multitudinem accedentem.*

Evangelistæ conciliantur. — Cæteri evangelistæ dicunt discipulos accedentes rogasse et obsecrasse illum ne dimitteret eos jejunos; hic vero Philippum inducit a Christo interrogatum. Utrumque mihi verum videtur, sed non eodem ipso tempore gestum; sed aliud alterum præcessisse, ita ut res diversæ narrentur. Cur ergo Philippum interrogat? Sciebat qui discipuli plus doctrina egerent. Hic enim est qui postea dicit: *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (*Joan.* 14. 8). Ideo prius illum instituit. Nam si absque ullo apparatu signum editum fuisset, non tantum apparuisset miraculum: jam vero prius curat ut penuriam confiteatur, ut hinc majus ipsi videretur miraculum. Vide quid dicat ille: *Unde nobis tot panes, ut manducent hi?* Sic in veteri lege Moysi dicebat, idque antequam miraculum patraret: *Quid est in manu tua* (*Exod.* 4. 2)? Quia enim miracula quæ repente accidunt, priorum nobis oblivionem inducere solent, primo illum confessione sua alligavit, ut non deinde stupore perculsus confessæ rei memoriam abjiceret, et hinc comparatione facta miraculi magnitudinem edisceret; quod hic etiam accidit. Interrogatus, ille respondet: 7. *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt illis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* 6. *Hoc autem dicebat tentans illum: ipse enim sciebat quid esset facturus.* Quid sibi vult, *Tentans illum?* num ignorabat quid dicturus esset? Hoc dici nequit.

2. Quænam ergo est dicti sententia? Ex veteri lege possumus illam ediscere. Nam ibi quoque dicitur: *Post hæc tentavit Deus Abraham, dicens: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac* (*Gen.* 22. 1. 2). Neque enim id dixit, ut experiretur an obsequuturus esset, necne; utpote qui omnia videat antequam fiant (*Dan.* 13. 42): sed humano more utrumque dictum est. Ut cum dicit, *Scrutatur corda hominum* (*Rom.* 8. 27), non ignorantiam, sed accuratam cognitionem indicat; sic cum dicit, *Tentavit*, nihil aliud sibi vult, quam ipsum accurate novisse. Vel aliud dici possit, ipsum nempe probatiorem eum reddidisse, dum et tunc Abrahamum, et nunc Philippum per interrogationem in majorem signi notitiam deduxit. Quapropter evangelista, ne ex verbi simplicitate quid absurdum suspicareris, addidit: *Ipse enim sciebat quid esset facturus.* Cæterum illud maxime observandum, quomodo cum prava suspicio adest, statim eam evangelista diligenter amoveat. Ut igitur hoc loco ne quid simile suspicarentur auditores, correctionem hanc addidit: *Ipse enim sciebat quid esset facturus;* sic et ibi, cum ait: Judæi illum persequebantur

bantur, *Non solum quia solvebat sabbatum, sed etiam quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo :* nisi ea esset ipsius Christi sententia operibus confirmata, addidisset et ibi correctionem illam. Nam si in verbis Jesu timet evangelista ne quis suspicionem habeat, multo magis in iis quæ de illo alii dicerent suspicatus fuisset, si non vidisset veram de illo opinionem haberi. Sed nihil dixit, sciebat enim Christi sententiam et immobile decretum. Ideoque cum dixisset, *Æqualem se faciens Deo*, non usus est illa correctione; non enim corrupta illorum erat opinio, sed vera de illo sententia operibus confirmata. Cum ergo Philippum interrogasset, 8. *Dicit Andreas frater Simonis Petri : 9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces ; sed hæc quid sunt inter tantos?* Sublimius cogitat Andreas quam Philippus, neque tamen penitus rem intellexit. Puto autem illum non sine causa ita loqui ; sed cum audisset prophetarum miracula, ut Elisæi circa panes ; hinc ascendit quidem ad quamdam sublimitatem, sed non ad culmen pervenit.

Victus frugalitas commendatur. Marcionitarum error. — Hinc discamus qui deliciis sumus dediti, quis cibus esset tam mirabilium virorum, quam tenuis, cujus generis, ipsosque in mensæ frugalitate et conditione imitemur. Sequentia multam declarant imbecillitatem. Nam postquam dixerat, *Habet quinque panes hordeaceos*, addidit : *Sed hæc quid sunt inter tantos?* Putabat enim miraculorum editorem ex paucioribus pauciora, ex pluribus plura facturum esse ; sed non ita res se habebat. Nam perinde illi erat ex pluribus et ex paucioribus ingentem panum copiam parere. Neque enim subjecta materia opus habebat; sed ne creatura videretur aliena esse ab ipsius sapientia, id quod perperam Marcionistæ dicebant, ipsa creatura ad miracula patranda usus est. Cum ergo ambo discipuli non sperarent, tunc miraculum edit : sic enim magis illi lucrati sunt, cum prius rei difficultatem confessi essent, ut re peracta Dei virtutem nossent. Quia enim futurum signum erat, quod a prophetis editum fuerat, etiamsi non pari modo, et præmissa gratiarum actione ipsum editurus erat, ne imbecilli in suspicionem inciderent; vide quomodo per omnia mentes erigat et differentiam ostendat. Cum enim nondum panes apparerent, miraculum edit; ut intelligas ea quæ non exsistunt, ut ea quæ sunt, ipsi subdita esse, ut Paulus ait : *Qui vocat ea quæ non sunt, ac si essent* (*Rom.* 4. 17). Ac si enim apparata mensa esset, jussit eos statim discumbere, sicque discipulorum mentem erexit. Cum autem ex interrogatione lucrati essent, statim paruerunt, nec turbati sunt, neque dixerunt : Quid hoc est? cur discumbere jubes, cum nihil in medio appareat? Sic antequam signum viderent, credere cœperunt, qui initio ita non credebant, ut dicerent, *Unde ememus panes?* Imo alacriter turbas discumbere jusserunt. Sed cur paralyticum sanaturus, mortuum suscitaturus, mare sedaturus, non precatur ; hic vero, cum de panibus agitur, id facit? Ut doceat, ante cibum gratias esse Deo agendas. Alioquin autem in minimis id facere solet, ut discas illum non quod indigeat, ita facere. Si enim indiguisset, potius id in majoribus fecisset. Qui vero illa cum auctoritate fecit, hæc sese haud dubie demittendo peregit.

3. Ad hæc vero turba magna aderat, cui persuadendum erat, se secundum Dei voluntatem venisse. Quapropter quando solus signum quodpiam edit, nihil hujusmodi exhibet : quando autem multis præsentibus id agit, ut illis suadeat se non esse Deo adversarium, neque Patri contrarium, per gratiarum actionem illam suspicionem tollit. 11. *Et dedit discumbentibus, et impleti sunt.* Viden' differentiam inter servum et dominum ? Illi namque, ut qui ad mensuram gratiam haberent, sic miracula patrabant ; Deus autem absoluta agens potestate, cum auctoritate omnia operabatur. 12. *Et dixit discipulis : Colligite fragmenta.* 13. *Illi vero collegerunt, et impleverunt duodecim cophinos.* Hæc non erat superflua ostentatio ; sed ideo factum, ne præstigiæ viderentur esse ; ideoque ex subjecta materia creat. Cur non turbis gestanda dedit illa, sed discipulis ? Quia hos maxime instituere volebat, qui futuri erant doctores orbis. Multitudo namque non magnum adhuc lucrum ex miraculis reportatura erat ; statim quippe sunt obliti, aliudque miraculum requisierunt : discipuli vero non parvam hinc utilitatem accepturi erant. Nec parva hinc damnatio Judæ fuit, quod cophinum gestaret. Quod autem illud ad eorum institutionem factum sit, liquet ex eo quod postremo dicitur, quod illis in memoriam revocaverit dicens : *Nondum cogitatis quot cophinos accepistis* (*Matth.* 16. 9)? Eademque de causa factum est ut cophini discipulis numero pares essent. Deinde vero quoniam instituti fuerant, non tot superfuerunt, sed sportæ septem (*Id.* 15. 37). Ego vero non modo miror panum copiam, sed cum copia fragmentorum numeri quoque accurationem, quod neque plus neque minus redundare curaverit, sed quantum voluit, quod præsciret quantum insumendum foret; quod ineffabilis erat potestatis. Confirmarunt itaque fragmenta utrumque miraculum, et probarunt rem non esse imaginariam, et ex iis quæ comederant superfuisse. Piscium vero miraculum tunc ex subjectis piscibus factum est : post resurrectionem vero, non ex subjecta materia. Quare? Ut discas ipsum etiam nunc materia usum fuisse; non quod illa ut fundamento egeret, sed ut hæreticorum ora obstrueret.

Judæi non tam ex evidentia miraculi quam e saturationis gaudio ad Christum conversi. Dignitates spernendas docet Christus. — 14. *Turbæ autem dicebant* [1], *Quia hic est vere propheta.* O gulæ aviditatem ! Innumera ediderat his mirabiliora, et nusquam hoc confessi sunt, nisi cum essent exsaturati. Inde ergo liquet ipsos prophetam quemdam eximium exspectavisse. Nam illi dicebant, *Tu es propheta* [2]? hi vero, *Hic est*

[1] Morel. habet, *turbæ autem videntes signum dicebant.*
[2] Idem legit : *Itaque illi dicebant : « Nonne hic est propheta ? »*

propheta. 15. *Jesus autem, cum cognovisset quia venturi erant ut raperent eum, et facerent eum regem, secessit iterum in montem.* Papæ, quanta gulæ tyrannis! quanta volubilitas animi! Non ultra legem vindicant, non ultra violatum [1] sabbatum curant, non ultra Dei zelo moventur, sed repleto ventre omnia abjecerunt. Tum propheta apud illos erat, et regem erant coronaturi: Christus autem fugit. Quare? Ut nos doceat spernendas esse dignitates, et ostendat se nulla ex terrenis rebus opus habere. Nam qui omnia vilia elegit, et matrem, et domum, urbem, educationem, vestimenta, non ex terrenis conspicuus futurus erat. Nam cælestia clara magnaque erant, angeli, stella, Pater clamans, Spiritus testificans, prophetæ jam olim prædicantes: in terra autem vilia omnia erant, ut sic ejus potestas magis appareret. Venit certe nos instituturus, ut contemnamus præsentia, neque admiremur ea quæ in hac vita splendida videntur; sed ea omnia irrideamus, futuraque amemus. Nam qui præsentia miratur, non mirabitur ea quæ in cælis sunt. Ideo dicebat Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* 18. 36); ne videretur humano metu et potentia ad persuadendum uti. Cur ergo dicit propheta: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super subjugalem* (*Zach.* 9. 9)? Hic de regno loquitur cælesti, non de terreno. Ideo rursum dicebat: *Gloriam ab homine non accipio.*

4. *Gloria non fluxa, sed immortalis amanda. Contra spectacula.* — Discamus ergo, dilecti, humanos honores spernere, non desiderare. Honore namque magno afficimur, cui comparatus humanus honor contumelia est, risus et comœdia; ut et divitiæ terrenæ illis comparatæ paupertas sunt, et vita hæc sine illa mors est (*Sine* [2], inquit, *mortuos sepelire mortuos suos* [*Matth.* 8. 22]): sic gloria hæc, si ad illam conferatur, pudor est et risus. Ne igitur hanc aucupemur. Nam si ii qui dant illam umbra et somniis sunt viliores, multo magis ipsa gloria: *Gloria enim hominis tamquam flos fœni* (*Isai.* 40. 6). Quid flore fœni vilius fuerit (1.*Petr.* 1. 24)? Sed etiamsi diuturna esset, quid hinc animæ lucri? Nihil; imo admodum nocet, et servos efficit, emptitiis servis deteriores, qui non uni domino, sed duobus, tribus, millibus, diversa mandantibus serviant. Quanto melius est liberum esse, quam servum: liberum quidem ab hominum servitute, servum imperanti Deo? Si vis tandem amare gloriam, ama, sed immortalem. Nam ejus et spectaculum splendidius est, et lucrum majus. Hi te jubent dispendio tuo ipsis placere: Christus vero contra centuplum donorum tibi retribuit, et his vitam æternam addit. Quid ergo melius, in terra an in cælis, hominibus an Deo admirationi esse? damno an lucro tuo? coronari ad unam diem, an ad infinita sæcula? Da egenti, non tripudianti, ne cum pecuniis tuis animam illius perdas. Tu enim quod hæc studiose et intempestive colas, perniciei illius auctor es. Si scirent enim illi, qui orchestræ dant operam, ex arte nihil sibi fore lucri, jam pridem destitissent: cum autem te vident plaudentem, accurrentem, sumptus profundentem, tua exhaurientem, etiamsi nollent pergere, lucri cupidine tenentur. Si scirent, neminem sua laudaturum esse, cito desisterent a laboribus, lucro cessante: cum vero rem admirationi multis esse vident, inescantur laudibus. Cessemus inutiliter impendere: discamus qua in re et quando impendere oporteat: ne utrinque Deum ad iram provocemus, et congregando unde non licet, et dispergendo in quæ non oporteret. Quia vindicta non dignus es, cum pauperem prætercurrens meretrici largiris? Etiamsi enim ex justis laboribus erogares, annon culpa esset, nequitiæ mercedem dare, et pro merita pœna honorem impendere? Cum vero spoliatis pupillis, senibusque nudatis, lascivos alis, cogita quis ignis tanto sceleri sit paratus. Audi quid dicat Paulus: *Non tantum qui hæc faciunt, sed qui laudant facientes* (*Rom.* 1. 32). Fortasse acrius vos incessimus; sed si nos non incessamus, supplicia manent eos qui numquam emendantur. Quid juvaret vos gratiose alloqui, reipsa supplicio propter opera afficiendos? Laudas saltantem, celebras, miraris? Ergo illo factus es deterior. Illum paupertas excusare videtur, etiamsi non culpa sit immunis; tu vero etiam hac defensione cares. Illum si interrogem, Cur aliis relictis artibus, hanc impuram et exsecrandam sectaris? respondebit, Quia possum parvo labore multum lucrari. Te vero si interrogem, Cur lascivum miraris, qui ad multorum perniciem vitam ducit? non poteris ad eamdem defensionem confugere, sed cogeris demisso vultu erubescere. Quod si nobis rationem exigentibus, ne mutire quidem potes: quando horrendum illud et inevitabile tribunal apparebit, ubi et cogitationum et actuum reddituri sumus rationem, quomodo stare poterimus? quibus oculis judicem respiciemus? quid dicemus? quam defensionem proferemus? quam excusationem aptam, ineptam habebimus? an nos id facere pro impensa, pro voluptate, pro aliorum pernicie, quos in illa arte perire cogimus? Nihil certe poterimus dicere; sed necessario puniemur, supplicio numquam finiendo, numquam terminando. Quod ne accidat, hic jam summo studio caveamus, ut cum bona spe hinc migrantes, æterna bona consequamur: quæ utinam omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque Spiritui sancto, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii legunt, *solutum*, pro, *violatum*.
[2] Savil. legit, *sinite*.

HOMILIA XLIII.

CAP. 6. v. 16. *Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare.* 17. *Et cum ascendissent navem, venerunt trans mare in Capernaum. Et tenebræ jam factæ erant, et non venerat ad illos Jesus.* 18. *Mare autem, vento magno flante, exsurgebat.*

1. *Christus etiam absens suorum utilitati studet. Quæ signa discipuli soli viderint.*—Non præsens tantum corporaliter discipulis Jesus, sed etiam absens et procul versans, eorum studet utilitati. Cum enim et potens sit et sagax, per contraria idem ipsum operatur. Animadverte namque quid hic agat. Relictis discipulis, ascendit in montem. Illi vero, absente magistro, ut sero factum est, descenderunt ad mare; et usque ad vesperam manserunt donec rediret. Adveniente vespera, non ultra se continere potuerunt, quia ipsum quærerent: tanto ejus amore flagrabant. Non dicunt, Vespera jam est, nox adest, quo nunc ibimus? locus, hora periculo non vacant: sed desiderio incensi, navem conscendunt. Neque enim sine causa evangelista tempus indicat, sed ut hoc pacto ferventem illorum amorem declaret. Cur ergo dimissis illis abit? imo cur solus rursum apparet supra mare ambulans? Primo, ut doceret illos, quam grave esset solos relinqui, atque hinc desiderium augeretur: secundo, ut potentiam ostenderet suam. Quemadmodum enim non omnem doctrinam cum turba audiebant, sic non omnia signa cum plebe videbant. Oportebat enim eos, quibus committendus orbis erat, aliquid amplius habere quam cæteros. Ecqua signa, inquies, soli viderunt? Transfigurationem in monte, hoc miraculum in mari, multa et miranda post resurrectionem; atque, ut arbitror, multa alia. Venerunt autem Capernaum, non gnari quidem, sed sperantes se ipsum ibi reperturos esse vel inter navigandum. Hoc subindicavit Joannes, cum dixit jam vesperam fuisse, necdum venisse Jesum, et mare magno reflante vento intumuisse. Cur ergo turbantur? multa certe erant quæ illos perterrefacerent: tempus, tenebræ namque erant; tempestas, mare namque intumuerat; locus, non enim prope terram erant, sed, 19. *Cum remigassent quasi stadia viginti quinque;* tandem adest res inexspectata: *Vident* enim *eum ambulantem super mare*, iisque admodum perturbatis dixit: 20. *Ego sum, nolite timere.* Cur ergo apparuit? Ut ostenderet se tempestatis sedandæ auctorem. Hoc significat evangelista cum dicit: 21. *Voluerunt accipere eum in navim; et statim navis prope terram fuit.* Non modo enim tutam, sed etiam secundam ipsis navigationem præbuit. Turbæ autem non se ambulantem super mare conspiciendum dedit: nam majus signum erat, quam eorum imbecillitas ferret. Sed neque discipulis se ita diu videndum præbuit: sed simul et visus est, et recessit. Videtur porro mihi aliud ab eo signum esse, quod apud Matthæum narratur; imo multa probant diversum esse. Cæterum sæpe eadem signa facit, ut ne insolita viderentur spectantibus, sed illa cum fide magna susciperent. *Ego sum, nolite timere.* Verbo timorem ex eorum animo pellit: non ita alibi, cum Petrus dicebat: *Domine, si tu es, jube me venire ad te* (*Matth.* 14. 28). Cur ergo tunc non statim hoc acceperunt, nunc autem crediderunt? Quoniam tunc tempestas perseverabat agitabatque navem; nunc autem vox tranquillitatem peperit. Si res non ita sit, id certe erit quod supra dixi, illum sæpe eadem edere signa, ut ex prioribus secunda credibiliora sint. Cur autem non ascendit in navem? Ut signum majus operaretur, simulque divinitatem suam clarius ostenderet, atque demonstraret, se cum gratias egit, non quod auxilio egeret id fecisse, sed ut se illis attemperaret. Permisitque tempestatem excitari, ut se semper quærerent; statimque sedavit, ut potentia sua cognosceretur; non ascendit autem in navim, ut majus miraculum faceret. 22. *Altera autem die turba quæ stabat ibi, videns quia navicula alia non erat ibi, nisi una, in quam ascenderant discipuli ejus, et quia Jesus non introisset cum discipulis suis in navim:* ascenderunt et ipsi in alias naviculas quæ venerant ex Tiberiade. Cur hæc minutatim Joannes recenset; imo cur non dixit, altera die turbas transfretantes abiisse? Aliud quidpiam nos vult docere. Quid illud? Christum etsi non palam, clanculum tamen turbis id suspicandum reliquisse: nam ait: *Vidit turba, quia navicula alia non erat ibi, nisi una;* et quod Jesus non ascendisset cum illis, et conscensis naviculis ex Tiberiade, 24. *Venerunt Capernaum quærentes Jesum.* Quid enim aliud suspicandum relinquebatur, quam quod mare pedibus trajiciendo venisset? Non enim dici poterat ipsum in alia navi trajecisse: nam Una, inquit, erat in quam ingressi sunt discipuli ejus. Attamen post tantum miraculum non interrogarunt eum quomodo trajecisset, nec de tanto miraculo inquisierunt: sed quid dicunt? 25. *Rabbi, quando huc venisti?* Nisi quis fortasse dicat hic *Quando* poni pro quomodo.

2. Operæ pretium autem est hic perpendere volubilem illorum voluntatem. Nam qui dixerant, *Hic est propheta;* qui studuerant illum rapere et regem suum constituere, postquam illum invenerunt, nihil hujusmodi cogitant; sed abjecta miraculi memoria, ut puto, non illum ita ulterius mirantur. Et ideo fortassis illum perquirebant, ut cibo fruerentur, sicut antea. Mare Rubrum trajecerunt, Moyse duce, Judæi; sed magna hic erat differentia. Ille namque precans ut servus omnia faciebat; hic vero cum omni potestate. Illic flante noto cessit aqua, ita ut per siccum transire potuerint; hic autem majus fuit miraculum. Aqua enim in sua manens natura, sic Dominum dorso suo gestavit, dictum illud confirmans: *Ambulans supra mare tamquam supra pavimentum* (*Job* 9. 8.) Jure autem in Capernaum ingressurus, duram et immorigeram civitatem, miraculum

panum edidit; ut non modo ex miraculis quæ in civitate, sed etiam ex iis quæ extra civitatem fecerat, ejus civium immorigerum animum emolliret. Nam quod tantæ turbæ in civitatem illam adventarent cum tanto fervore, quem lapidem non emollivisset? At illi nihil hujusmodi passi sunt; sed cibum solummodo corporeum cupiebant; ideoque a Jesu reprehenduntur. Hæc cum sciamus, dilecti, gratias agamus Deo, non modo pro sensibilibus, sed multo magis pro spiritualibus donis. Sic enim et ille vult, et propter hæc illa quoque dat, sensibilibusque imperfectiores allicit et præmonet, utpote qui hujus mundi rebus adhuc inhient. Verum si his acceptis, in iisdem perseverent, reprehenduntur et increpantur. Nam paralytico illud primum dare voluit; sed qui præsentes erant, id non patiebantur. Cum enim dixisset, *Remittuntur tibi peccata*, dicebant: *Hic blasphemat* (*Matth.* 9. 2. 3).

Quænam a Deo petenda sint. — Ne, quæso, simile quidpiam patiamur; spiritualium nobis potior sit ratio. Quare? Quia si spiritualia adsint, nihil damni ex corporalium privatione sequetur; si absint, quæ nobis erit spes? quæ consolatio? Quapropter pro his semper Deum rogare oportet, et hæc postulare. Hæc petenda esse Christus docuit. Et si illam orationem excutiamus, nihil in illa carnale reperiemus, sed omnia spiritualia. Illud porro modicum sensile quod ibi petitur, ex modo spirituale efficitur. Nam nihil amplius petere quam panem supersubstantialem (*Matth.* 6. 11), hoc est, quotidianum, spiritualis et philosophici animi fuerit. Quæ vero præcedunt considera: *Sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in cælo, et in terra* (*Luc.* 11. 3. *Matth.* 6. 9. 10). Deinde postquam illud sensibile posuit, hoc prætermisso statim ad spiritualem doctrinam redit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* 6. 12). Non principatum, non divitias, non gloriam, non potentiam, sed omnia quæ ad utilitatem animæ conferebant, in oratione posuit: nihil terrenum, sed omnia cælestia. Si ergo jubemur abstinere a præsentibus hujus vitæ rebus, quam miseri erimus, si illa petamus a Deo, quæ si habeamus, ille jussit abjicere, ut nos a curis eximat; et si quæ ille petere jussit, nullo modo curemus, imo ne cupiamus quidem? Illud certe est superflue loqui. Quapropter orando nihil perficimus. Quomodo ergo, inquies, improbi ditescunt? quomodo iniqui, scelesti, raptores, sunt opulenti? Non Deo præbente, absit. Et cur id Deus permittit? Permisit et diviti, ut ad majus illum reservaret supplicium. Audi quid dicatur illi: *Fili, accepisti bona tua, et Lazarus mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris* (*Luc.* 16. 25). Ne autem et nos hanc vocem audiamus, qui in deliciis frustra vivimus et peccata peccatis addimus, veras divitias, accuratam philosophiam sectemur, ut promissa consequamur bona; quorum utinam consortes simus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIV.

CAP. 6. v. 26. *Respondit eis Jesus, et dixit: Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.* 27. *Operemini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.*

1. Clementia et lenitas non ubique utilis est, sed interdum magister acriore opus habet sermone. Nam cum ignavus crassiorque est discipulus, utendum stimulo, qui tantam ignaviam pungat. Id hic et alibi sæpe fecit Filius Dei. Accedentibus enim ad Jesum turbis, adulantibus, dicentibusque: *Rabbi, quando huc venisti?* ut ostendat se honores contemnere hominum, et eorum tantum salutem spectare, asperius respondet, non ut corrigat modo; sed ut eorum mentem revelet et in medium referat. Quid enim ait? *Amen, amen dico vobis*, definientis et affirmantis more, *quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia comedistis de panibus, et saturati estis.* Non ita vehementer, sed cum indulgentia agit. Non enim dixit: O lurcones, o voraces! tot miracula edidi, nec sequuti me, nec prodigia admirati estis; sed moderatius et clementius, *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia comedistis de panibus, et saturati estis*, non de præteritis solum, sed etiam de præsenti signo loquens; ac si diceret: Non vos miraculum perculit, sed quia saturati estis, acceditis. Quod autem illud non per conjecturam diceret, statim illi ostenderunt. Nam ideo rursum accesserunt, ut eodem fruerentur bono. Ideo namque dicebant: *Patres nostri comederunt manna in deserto* (*Joan.* 6. 31). Rursus carnalem cibum expetunt, rem sane multa reprehensione dignam. Verum ille non in reprehensione sistit gradum, sed doctrinam adjicit his verbis: *Operemini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quam Filius hominis dat vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.* Id est, Ne talem cibum, sed spiritualem curetis. Verum quia nonnulli, ut otiose vivant, hoc sermone abutuntur, ac si Christus opus manuum sustulerit: opportune ipsis respondeatur; totum quippe Christianismum calumniantur, et id efficiunt, ut ex desidia traducatur. Sed primo Paulus audiendus. Quid ille ait? *Recordamini Domini dicentis, Beatius est dare quam accipere* (*Act.* 20. 35). Atqui unde det qui nihil habet? Quomodo ergo Marthæ dicit Jesus: *Sollicita es et turbaris erga plurima; porro unum est necessarium; Maria optimam partem elegit* (*Luc.* 10. 41. 42)? et rursus, *Nolite solliciti esse de crastino* (*Matth.* 6. 34)? Operæ pretium fuerit ad hæc omnia respondere, non modo ut pigros excitemus, si tamen velint; sed etiam ne Scriptura divina secum pugnare videatur. Etenim alibi ait apostolus: *Rogamus autem vos ut abundetis, et operam detis ut quieti sitis, et ne-*

gotium vestrum agatis, et operemini manibus vestris, ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt (1. *Thess.* 4. 10. 11); et rursum, *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti* (*Ephes.* 4. 28). Hic Paulus non simpliciter præcipit operari, sed cum tanto labore, ut subveniatur indigenti. Et alibi quoque ait, *Necessitatibus meis, et eorum qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ* (*Act.* 20. 34). Et Corinthiis dicebat: *Quæ est ergo merces mea? Ut evangelium prædicans, sine sumptu ponam evangelium* (1. *Cor.* 9. 18). Et in civitatem illam veniens, *Mansit apud Aquilam et Priscillam, et operabatur. Erant enim scenofactoriæ artis* (*Act.* 18. 2). Hæc contra dictum illud pugnare maxime videntur: jam solutio referatur.

Laborandum, sed sine sollicitudine. — Quid ergo respondebimus? Non esse sollicitum non significat, a labore cessare; sed, hujus mundi rebus non hærere, id est, non esse sollicitum de crastina quiete, sed illam curam supervacuam putare. Potest enim qui operatur non in crastinum thesaurizare: potest qui laborat non sollicitus esse: non enim idipsum est cura et operatio. Non ut operi confidens quis operetur, sed ut det egenti. Quod autem ad Martham dicitur, non laborem et operationem respicit: sed tempus considerandum esse statuit, neque concionis tempus circa carnalia expendendum esse. Non igitur hæc dicit, ut in desidiam illam conjiciat, sed ut ad audiendum convertat. Veni, inquit, ut vos necessaria doceam; tu de prandio sollicita es? Me vis excipere, et lautam parare mensam? Alium para cibum, meis attende sermonibus, sororis desiderium imitare. Non ergo hospitalitate cohibet; absit, id ne dicatur; sed docet doctrinæ tempore cætera curanda non esse. Cum porro dicit, *Operemini non cibum qui perit*, non significat, in desidia esse vivendum: hic enim maxime cibus est qui perit, (*Omnem quippe malitiam docuit desidia* [*Eccli.* 33. 29]); sed indicat operandum et erogandum esse. Hic porro cibus non perit. Si quis porro otiosus ventri et deliciis deditus sit, is operatur cibum qui perit; contra si quis ex labore suo cibum, potum, vestem Christo dederit, hunc nemo sanæ mentis dicat operari cibum qui perit, cujus cibi causa promittitur regnum, promittuntur illa bona. Hic cibus æternum manet. Tunc quia illi nullam fidei rationem habuere, neque discere studuerunt quis hæc fecisset, qua potestate, sed id unum curabant ut nihil operando ventrem implerent; hoc alimentum jure vocavit cibum qui perit. Corpora vestra, inquit, enutrivi, ut hinc aliam quæreretis escam manentem, quæ animam vestram enutriret: vos autem rursum ad terrenam curritis. Ideo non intelligitis me non ad illam vos ducere imperfectam, sed ad illam non temporaneam, quæ vitam præbeat æternam, quæ non corpus, sed animam alat. Deinde quia magnifice de se loquutus fuerat, cum diceret se daturum; ne iterum hoc dicto offenderentur, ut ipsi fidem faceret, donum ad Patrem refert. Cum dixisset enim, *Quem Filius hominis vobis dabit;* subdidit, *Hunc enim Pater signavit Deus:* hoc est, Propterea misit qui hunc vobis cibum ferret. Quod aliter potest explicari. Nam alibi quoque Christus dicit: *Qui audit sermones meos, hunc signavit Pater, quia Deus verax est* (*Joan.* 3. 33); hoc est, Manifeste ostendit; id quod mihi et hic videtur subindicari. Nihil enim aliud est, *Signavit Pater*, quam ostendit, revelavit testimonio suo. Se enim ipse ostendit; quia vero Judæos alloquebatur, Patris testimonium in medium adduxit.

2. *A Deo quæ petere consentaneum est, petendum. Præsentium rerum vanitas. Futura immortalia sunt, sive supplicia, sive præmia.* — Discamus itaque, dilecti, illa a Deo petere quæ ab illo consentaneum est petere. Sæcularia enim, quoquo modo accidant, nihil afferunt nocumenti. Nam si ditabimur, hic tantum deliciis fruemur: si in paupertatem inciderimus, nihil molesti patiemur. Sive prospera, sive tristia accidant, vim nullam ad voluptatem vel tristitiam habent, sed utraque contemnenda, ut quæ quam celerrime transeant. Ideo hæc jure via vocantur, quod prætereant, nec diu maneant. Futura vero[1] utraque immortalia sunt, tam supplicium, quam regnum. Circa hæc magnam geramus sollicitudinem, ut illa fugiamus, hæc assequamur. Quid enim utilitatis ex præsentibus deliciis? Hodie sunt, cras avolabunt: hodie flos sunt splendidus, cras erunt pulvis dispersus: hodie ignis accensus, cras cinis exstinctus. Spiritualia vero non hujusmodi sunt; sed semper clara et florida, atque in dies splendidiora evadunt. Divitiæ illæ numquam pereunt, numquam transferuntur, vel cessant, numquam sollicitudinem, invidiam et calumniam afferunt, non corpus perdunt, non animam corrumpunt, non livorem vel invidiam attrahunt; quæ omnia in hisce reperiuntur divitiis. Gloria illa non in arrogantiam extollit, non tumorem parit, numquam cessat, vel obscuratur. Quies atque deliciæ in cælo perpetuæ manent, semper immotæ et immortales sine ullo fine vel termino. Hanc, obsecro, vitam desideremus. Si enim ipsam cupiamus, nullam præsentium rationem habebimus, sed hæc omnia spernemus et deridebimus. Etiamsi quis nos in regiam evocet, quo nihil beatius existimatur, non annuemus, tali nempe fulti spe; nam iis, qui cælestium amore capti sunt, id vile et nullius pretii reputatur. Quidquid enim finem habet, non admodum expetendum est: quod cessat, et hodie est, et cras desinit, etiamsi maximum, perquam minimum et contemnendum videtur. Ne igitur ea quæ fugiunt et dilabuntur, sed quæ immota manent sectemur, ut illa consequi possimus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii habent: *Ideo hæc a Deo via vocantur, via lata, viaque angusta et angoribus plena. Futura vero.*

HOMILIA XLV.

Cap. 6. v. 28. *Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus, ut operemur opera Dei?* 29. *Et dixit eis Jesus : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* 30. *Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? quid operaris?*

1. *Gulæ pernicies.* — Nihil gula deterius, nihil turpius. Hæc obtusum et crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, hæc excæcat, nec sinit respicere. Animadverte quomodo hæc Judæis acciderint. Cum enim gulæ inhiantes, sæcularia solum nihilque spirituale cogitarent, multis illos Christus verbis excitat, acrimonia et indulgentia plenis. Neque tamen sic excitantur, sed adhuc humi jacent. Animum adhibe, quæso; dixerat eis : *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.* Incessit illos arguendo : ostendit quænam sit esca quærenda, cum ait, *Operamini, non cibum qui perit :* addit præmium his verbis, *Sed qui permanet in vitam æternam :* deinde eorum objectioni occurrit, dicendo se a Patre missum esse (*a*). Quid ergo illi? Quasi nihil audissent, *Quid ergo faciemus,* inquiunt, *ut operemur opera Dei?* Hæc porro dicebant, non ut discerent et facerent, ut sequentia ostendunt; sed ut rursus ad cibum præbendum inducerent, et denuo saturarentur. Quid ergo Christus? *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Ad hæc illi : *Quod signum facis, ut videamus et credamus?* 31. *Patres nostri manducaverunt manna in deserto.* Nihil his insipientius, nihil stultius. Cum signum adhuc in oculis esset, ac si nullum factum esset, dicebant, *Quod signum facis?* neque ipsi optionem signi relinquunt; sed putant se ad necessitatem illum reducturos esse, ut non aliud signum faceret, quam quod majorum suorum temporibus factum est. Ideo dicunt : *Patres nostri manducaverunt manna in deserto;* hoc modo se illum excitaturos esse putantes, ut hujusmodi signum faceret, quod illos carnaliter alere posset. Cur enim non aliud ex prioribus signis commemorarunt : etsi multa tunc facta fuissent in Ægypto, in mari, in deserto; sed solum manna proferunt? annon quia ventris tyrannide admodum tenebantur? Quomodo autem vos qui prophetam illum vocastis, qui regem ipsum constituere voluistis, quia signum videratis, nunc ac si nihil factum sit, ingrati et perfidi estis, et signum petitis, parasitorum et canum famelicorum vocem emittentes? nunc vobis manna admirationi est, cum anima vestra deficit [1]? Et adverte ironiam. Non dixerunt, Moyses hoc fecit signum, tu quid facis? ne illum concitarent; sed honorifice admodum compellant, cibum exspectantes. Neque etiam dixerunt, Deus hoc fecit, tu vero quid facis? ne viderentur illum Deo exæquare; neque Moysem memorant, ne videantur humiliorem facere; sed in medio id posuerunt, dicentes : *Patres nostri manducaverunt manna in deserto.* Poterat vero Christus dicere, Majus nunc miraculum edidi, quam Moyses, nec virga, nec precatione opus habeo, sed omnia a meipso feci : quod si manna commemoratis, ecce panem vobis præbui. Verum non tunc tempus erat ita loquendi, sed unum curabat, ut illos ad spiritualem cibum deduceret. Et vide quam immensa cum prudentia respondeat : 32. *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Cur non dixit, Non Moyses dedit, sed ego; sed pro Moyse Deum, pro manna seipsum posuit? Quia multa erat auditorum imbecillitas, ut ex sequentibus liquet. Etenim non illos his verbis cohibuit, tametsi initio dixerat, *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia comedistis ex panibus : et saturati estis.* Quia vero id quærebant, in sequentibus quoque ipsos correxit, neque tamen illi destiterunt. Verum cum Samaritanæ se aquam daturum polliceretur, Patrem non memoravit, sed ita loquutus est : *Si scires quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam;* et rursus, *Aqua quam ego dabo;* nec remittit ad Patrem. Hic vero Patrem memorat, ut discas quanta esset Samaritanæ fides, quanta Judæorum imbecillitas. Non ergo de cœlo manna erat : quomodo igitur de cœlo dicitur esse? Quemadmodum *Volucres cœli* (*Psal.* 8. 9), dicit Scriptura; ac rursum, *Et intonuit de cœlo Dominus* (*Psal.* 17. 14). Panem autem verum vocat illum, non quod falsum esset miraculum de manna, sed quoniam hoc typus erat, non ipsa veritas. Cum vero Moysis meminisset, non se illi prætulit; nondum enim ipsum Moysi anteferebant, imo Moysem adhuc majorem putabant. Ideo cum dixisset, *Non Moyses dedit,* non adjecit, Ego do, sed Patrem dare dicit. Tum illi, *Da nobis panem hunc ad manducandum.* Adhuc enim rem esse sensilem putabant, adhuc ventrem implere exspectabant : idcirco citius accurrerunt. Quid ergo Christus? Illos paulatim erigens adjicit : 33. *Panis Dei est qui descendit de cœlo, et dat vitam mundo;* non Judæis tantum, sed universo orbi, inquit. Neque simpliciter cibum, sed vitam dicit alteram et diversam. Vitam autem dicit, quia omnes mortui erant. Illi vero adhuc terræ adhærent ac dicunt : 34. *Da nobis hunc panem.* Arguit autem illos quod quamdiu sensilem suspicabantur esse mensam, accurrerint; cum autem didicerunt mensam esse spiritualem, jam non accedant; dicitque : 35. *Ego sum panis vitæ : qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquam.* 36. *Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et non creditis mihi.*

2. *Qua mente Christus suum testimonium a nemine accipi Judæis diceret. Panis vitæ quid sit.* — Hoc et Joannes superius dicere præverterat : *Quod novit lo-*

(*a*) Offendebantur Judæi quod putarent Christum ex semetipso et ex auctoritate propria loqui : quod etiamsi verum esset, ut sæpe dicit Chrysostomus, Christus tamen illorum imbecillitati se attemperans, cum nondum tempus esset divinitatem suam manifestandi, se a Deo et Patre missum dicebat, quod quidem verissimum erat; sed tacebat illud, se non Patris modo, sed sua quoque auctoritate operari. Hoc ipsum non facit, cum se a Patre missum dici..

[1] Savil. legit, *nunc vobis manna admirationi est? jam non anima vestra deficit.*

quitur, et quod vidit testificatur, et testimonium ejus nemo accipit. Et rursus Christus : *Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis* [1]. Illudque agit, ut præmoneat illos, et ostendat, se non illa re turbari, neque gloriam quærere, vel ignorare secreta mentis eorum, sive præsentia, sive futura. *Ego sum panis vitæ.* Jam in mysteriorum traditionem venturus est. Et primo de divinitate sua disputat dicens, *Ego sum panis vitæ.* Neque enim hoc de corpore dictum est, (de illo in fine loquitur : *Et panis quem ego dabo, caro mea est*); sed adhuc de divinitate agit. Etenim ille propter Deum Verbum panis est, quemadmodum hic propter advenientem Spiritum panis cælestis efficitur. Hic porro non utitur testibus, ut in superiori concione : eo quod haberet testimonium panum, et illi adhuc se credere simularent. Illic vero contradicebant, et arguebant; ideoque hic sententiam profert. Illi spe carnalis cibi manent, neque turbantur, donec postea spe lapsi sunt. Verum neque sic etiam Christus tacuit, sed redarguit et increpat. Illi vero qui, dum comederent, prophetam illum vocarant, hic jam offenduntur, et fabri filium vocant. Non sic vero cum panes manducarent, sed dicebant, *Hic est ille propheta*, ipsumque regem constituere volebant. Indignari porro videbantur, cum diceret se de cælo descendisse ; sed non hæc vera erat indignationis causa, sed quod non ultra sperarent se mensa corporea fruituros esse. Nam si vere indignabantur, quærendum erat quomodo panis vitæ esset, quomodo de cælo descendisset : nunc porro non id faciunt, sed murmurant. Quod autem non illa de causa offenderentur, hinc palam est, quod dicente Jesu, *Pater meus dat vobis panem*, non dixerint, Roga, ut det ; sed quid? *Da nobis panem.* Atqui non dixerat, Ego do ; sed, *Pater meus dat.* Illi vero ex cibi cupiditate, illum dare cibum posse arbitrabantur. Qui vero ita credebant, quo pacto offendi debuerunt, cum dicentem audirent, Patrem esse qui daret? Quæ igitur causa est? Cum audirent non ultra comedendum esse, jam non credunt, et incredulitatis causam obtendunt, quod sublimiora loqueretur. Ideoque ait, *Et vidistis me, et non creditis* ; tum signa, tum Scripturarum testimonium subindicans. *Illæ enim sunt*, inquit, *quæ testimonium perhibent de me* ; et, *Quod veni in nomine Patris mei, et non accipitis me* ; et, *Quomodo potestis credere, qui ab invicem gloriam accipitis?* 37. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Vide quomodo nihil non agat ad hominum salutem? Ideo autem hoc addidit, ne curiosius agere, et temere loqui videretur. Quid autem dicit? *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, et resuscitabo eum in novissimo die.* Cur resurrectionem, cujus et impii consortes erunt, commemorat ut donum credentibus in se concessum? Quia non resurrectionem simpliciter, sed hanc peculiariter resurrectionem intelligit ; nam cum prius dixisset, *Non ejiciam eum*, et, *Non perdam de eo*, tunc subdit resurrectionem. Nam in resurrectione alii ejiciuntur, ut ait : *Tollite eum, et mittite in tenebras exteriores* (*Matth.* 22. 13) : alii pereunt, ut his significatur, *Timete potius eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Luc.* 12. 5). Itaque illud, *Vitam æternam do*, hoc significat : *Ibunt ii qui mala fecerunt in resurrectionem judicii ; qui autem bona egerunt, in resurrectionem vitæ* (*Joan.* 5. 29). Hanc resurrectionem hic indicat, quæ est bonorum. Quid porro sibi vult cum ait : *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet?* Illorum incredulitatem perstringit, ostenditque eum qui non credit in ipsum, Patris voluntatem transgredi. Quod tamen ille non aperte dicit, sed subindicat : quod ubique facere deprehenditur, ut ostendat non se solum, sed Patrem etiam suum offendere eos qui non credunt. Nam si hæc ejus voluntas est, et si ideo venit in mundum, ut salvum faceret universum orbem [1], qui non credunt, ejus voluntatem transgrediuntur. Cum ergo Pater aliquem dirigit, inquit, nihil prohibet eum ad me venire. Deinde pergit, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Paulus vero dixit, Ipse tradit eos Patri : *Cum enim tradiderit regnum Deo et Patri* (1. *Cor.* 15. 24). Quemadmodum ergo Pater cum dat, non se privat eo quod dat : sic et Filius cum tradidit, nullo sese fraudavit. Dicitur autem tradere, quia per eum accessum habuimus.

3. *Fides in Christum gratia opus habet.* — Illud vero, *Per quem*, de Patre quoque dicitur, ut hoc loco, *Per quem vocati estis in communicationem Filii ejus* (1. *Cor.* 1. 9) ; id est, per voluntatem Patris ; ac rursum, *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi* (*Matth.* 16. 17). Hoc loco hæc fere subindicat : Fides in me non parva res est, sed superna gratia opus habet. Et hoc ubique statuit, ostendens generosam animam, a Deo attractam, opus habere fide. Sed dicet fortasse quispiam : Si omne quod dat Pater, venit ad te, si illi item quos ille trahit, et si nemo potest ad te venire, nisi ipsi datum fuerit desuper ; ii quibus non id dat Pater, omni sunt crimine liberi. Hæc verba sunt et obtentus. Nam nostra quoque opus est voluntate : doceri quippe et credere ex voluntate est. Hic vero nihil aliud declarat his verbis, *Quod dat mihi Pater*, quam, Non vulgaris res est in me credere, neque id ex humano ratiocinio pendet, sed opus est superna revelatione, et pia anima quæ revelationem recipiat. Et illud, *Qui venit ad me salvus erit*, hoc sibi vult : Magna fruetur providentia. Pro his enim veni, et carnem servique formam accepi. Deinde subdit, 38. *Descendi, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Quid dicis? aliane est tua, alia illius? Ne quis ergo id suspicetur, hanc deinde amovet suspicionem, dicens : 40. *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam.* Annon hæc est voluntas tua? cur ergo alibi

[1] Savil. habet.... *testamur, et non creditis mihi.* Alii cum Morel. et cum Evangelio cuso consentiunt.

[1] Savil. pro, *universum orbem*, legit, *omnem hominem.*

dicis, *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur* (*Luc.* 12. 49)? Quod si tu hoc vis, palam est unam esse voluntatem : nam alibi quoque dicit : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat*. Quæ est ergo voluntas Patris? annon ut ne pereat ex eis quisquam? Hoc et tu vis. Non est ergo alia hæc, alia illa voluntas. Sic et alibi quoque æqualitatem cum Patre firmius statuit, cum dicit : *Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* 14. 23). Hoc est : Non aliud facturus veni, quam illud quod Pater vult; nec aliam quam Patris voluntatem habeo. Omnia enim quæ Patris sunt, mea sunt, et quæ mea sunt, illius sunt (*Ibid.* 17. 10). Si igitur Patris et Filii communia omnia, jure ait : *Non ut faciam voluntatem meam*. Verum hic non ita loquitur, sed illud ad finem remittit. Nam sublimia, ut dixi, adhuc celat, et velut sub umbra tegit, ut ostendat, quod si dixisset, Hæc est voluntas mea, contempsissent illi. Ait ergo se illius voluntati cooperari, ut magis illos terreat, ac si diceret : Quid putatis? an quod non credendo me irritetis? Patrem meum ad iracundiam concitatis. *Hæc est enim voluntas ejus qui misit me, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo*. Hic ostendit se non eorum cultu indigere, neque ad usus vel honores suos, sed ad illorum salutem venisse; quod etiam in superiore concione dixit, *Gloriam ab hominibus non accipio;* et iterum, *Hæc dico, ut vos salvi sitis*. Semper enim et ubique hoc ostendere satagit, se illorum salutis causa venisse. Dicit autem se Patri gloriam parare, ut nulli sit suspicioni obnoxius. Quod autem ideo sic loquutus sit, in sequentibus ostendit : *Qui voluntatem suam quærit*, inquit, *gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum hic verax est, et injustitia in illo non est. Hæc est autem voluntas Patris, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* (*Joan.* 7. 18). Cur tam frequenter resurrectionem memorat? Ne præsentibus solum in rebus Dei providentiam statuant : ut si hic bonis non fruantur, ne ideo segniores sint, sed futura sperent; et si in præsenti non puniantur, ne ipsum contemnant, sed aliam exspectent vitam.

4. Verum si illi nihil lucrati sunt, nos lucrari studeamus, de resurrectione sæpe loquentes. Si ditescendi, rapiendi, aut pravum quid faciendi voluntas subeat, statim diem illam cogitemus, et tribunal illud nobis describamus; hæcque cogitatio efficacius, quam frenum quodlibet, animi nostri impetum coercebit. Et aliis et nobis semper dicamus : Resurrectio est, et terribile tribunal nos manet. Si quempiam lætum et de præsentibus bonis tumentem videamus, idipsum dicamus, declarantes omnia hic esse mansura; sin alium dolentem ærumnisque pressum videamus, idipsum illi repræsentemus, nempe hæc tristia finem habitura esse; sin supinum et effusum, idipsum illi accinamus, ipsum nempe segnitiei suæ pœnas daturum. Hoc dictum plus quam medicina quævis animam nostram curabit. Est enim resurrectio, et resurrectio in januis est, non procul posita. *Adhuc enim modicum*, inquit Paulus, *qui venturus est veniet, et non tardabit* (*Hebr.* 10. 37); et rursum, *Omnes oportet nos manifestari ante tribunal Christi* (2. *Cor.* 5. 10); id est, et malos et bonos; illos, ut coram omnibus ignominia afficiantur; hos, ut coram omnibus splendidiores evadant. Quemadmodum enim judices hic malos palam puniunt, bonos publice afficiunt honore : sic et illic fiet; ita ut illis pudor major, his gloria illustrior appareat. Hæc itaque nobis singulis diebus præscribamus. Hæc si semper versemus, nulla rerum præsentium et fluxarum [1] nos occupare poterit. Nam quæ videntur temporanea, quæ non videntur æterna sunt. Hæc ergo frequenter nobis ipsis et mutuo dicamus : Resurrectio est, et judicium; et operum reddenda ratio. Quotquot putant esse fatum, hoc dicant, et mox hujus morbi tabe liberabuntur. Nam si resurrectio est et judicium, non est fatum, quantumvis ipsi contendant. Verum pudet me Christianos docere resurrectionem. Nam qui docendus est esse resurrectionem, nec persuasum habet nullam esse necessitatem, nec res casu ac temere ferri, is certe non est Christianus. Ideo, quæso et obsecro, ab omnibus nos malis purgemus, nihilque non agamus ut consequamur veniam excusationemque in illo die. Sed forte dicet quispiam : Quandonam consummatio, quando resurrectio erit? quantum temporis effluxit, et nihil horum contigit? Sed erit, credite. Nam ante diluvium hoc dicebant, et deridebant Noe : sed venit diluvium, et hos omnes non credentes absorbuit, ille solus credens servatus est. Et tempore Loti divinitus immissam illam plagam non exspectabant, donec ignes et immissa fulmina omnes consumpserunt. Neque tunc autem, neque tempore Noe fuit aliquis futurorum index prævius; sed omnibus convivantibus, ebrietati indulgentibus, intolerabilia illa mala irruerunt. Sic erit resurrectio : nihil eam prænuntiabit, sed hominibus lætantibus et rebus prosperis, superveniet. Ideo ait Paulus : *Cum enim dicent pacem et securitatem, tunc repentinus ipsis superveniet interitus : sicut et dolor in utero habenti, et non effugient* (1. *Thess.* 5. 3). Illud autem ideo ita providit Deus, ut semper simus expediti ad cavendum nobis, nec vel in ipsa securitate fidamus.

Probatur et resurrectionem et judicium esse futura. — Quid dicis? non exspectas resurrectionem et judicium? hæc dæmones confitentur, et tu non confiteris [2]? *Venisti huc*, inquiunt, *ante tempus torquere nos* (*Matth.* 8. 29). Qui vero cruciatum futurum dicunt, illi et judicium, et rationes reddendas, et supplicia norunt. Ne itaque Deum provocemus, dum stulta audemus, et resurrectioni non credimus. Sicut enim in aliis nobis principium fuit Christus, ita et in hoc quoque. Nam ideo primogenitus mortuorum dicitur (*Col.* 1. 18). Quod si resurrectio non esset, quomodo

[1] Ita Morel. In Savil. autem legitur, *nulla rerum præsentium cura*.
[2] Savil. habet, *et tu non erubescis?*

primogenitus futurus esset, nullo ex mortuis ipsum sequente? Si resurrectio non est, quomodo justitia Dei servabitur, cum tot improbi in prosperis, tot probi in ærumnis vitam exigant? Ubinam horum singuli secundum merita accipient, si non sit resurrectio? Nemo recte viventium resurrectionem non credit; sed probi quotidie diem illam optant, sanctam illam vocem proferentes, *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* 6. 10). Quinam ergo sunt qui resurrectionem non credunt? Qui in viis inquinatis ambulant, et impuram vitam ducunt, ut ait propheta: *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore: auferuntur judicia tua a facie ejus* (*Psal.* 9. 26). Non est enim, non est utique homo vitam ducens puram, qui non credat resurrectioni: ac qui nullius sibi conscii sunt mali, dicunt, sperant, et credunt, retributionem se esse accepturos. Ne itaque Deum irritemus, sed audiamus eum dicentem, *Timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* 10. 28); ut metu meliores facti, et hac pernicie liberati regno cælorum digni habeamur: quod utinam omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria cum adorando, sanctissimo et vivifico ejus Spiritu, nunc et semper, et in infinita sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVI.

CAP. 6. v. 41. ***Murmurabant ergo Judæi de illo, quod dixisset, Ego sum panis, qui de cælo descendit, 42. et dicebant: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos cognoscimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit se e cælo descendisse?***

1. *Quorum Deus venter est, et gloria in ignominia eorum* (*Philipp.* 3. 19), inquit de quibusdam Paulus[1], Philippensibus scribens. Quod autem hi Judæi essent, palam est a præcedentibus, palam item est ab iis quæ Christum adeuntes dicebant. Nam cum panem ipsis dedit, ipsorumque ventres implevit, prophetam vocabant, et regem constituere volebant; cum autem spiritualem cibum et vitam æternam docuit, cum illos a sensilibus abduxit, cum de resurrectione loquutus est, ipsorumque mentem erexit; cum oportuisset illum maxime mirari, tunc murmurant et resiliunt. Atqui si hic erat propheta, ut prius dixerant[2]: *Hic est enim de quo dixit Moyses, Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus de fratribus vestris, tamquam me: ipsum audite* (*Deut.* 18. 15); oportuit ipsum audire dicentem, *De cælo descendi*. Verum non audiebant, sed murmurabant. Adhuc enim ipsum reverebantur ob recens panum miraculum. Ideo non manifeste contradicebant; murmurando tamen indignationem præ se ferebant, quia non qualem volebant ipsis mensam parabat. Et murmurantes dicebant, *Nonne hic est filius Joseph?* Unde palam est ipsos mirabilem ejus generationem nondum novisse. Idcirco adhuc eum Josephi filium dicunt. Neque tamen corripit eos, neque dicit, Non sum filius Josephi: non quod Josephi filius esset, sed quod nondum possent admirabilem illum partum audire. Quod si partum illum secundum carnem nondum poterant audire, multo minus ineffabilem illum et supernum. Si quod humilius erat non revelavit, multo minus illa dixerit. Atqui hoc ipsos offendebat quod esset ex vili patre natus: attamen non revelavit, ne aliud tollens offendiculum, aliud inferret. Sed quid illis murmurantibus respondet? 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Hic insurgunt Manichæi dicentes, nihil nos ex nobis ipsis posse: quia id maxime probat, voluntatem nostram in nostra esse potestate. Sed si quis venit ad illum, inquit, quid opus habet ut trahatur? Verum hoc nostrum non tollit arbitrium, sed potius declarat nos auxilio opus habere. Hic autem non agitur de quovis homine accedente, sed de illo qui multo fruitur auxilio. Deinde modum ostendit quo trahit. Ne enim sensibile quidpiam de Deo suspicarentur, subjunxit: 46. *Non quia Deum vidit quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Quomodo trahit? inquit ille. Hoc propheta jam olim declaravit his verbis, 45. *Erunt omnes docibiles Dei.* Vidistin' fidei dignitatem, et quomodo non ab hominibus, nec per hominem sed per Deum ipsum illud edocendi sint? Ideoque ut sermoni suo faceret fidem, ad prophetas ipsos remisit. Et si dictum est, inquit, ipsos fore docibiles Dei, cur aliqui non credunt? Quia illud de pluribus dictum est. Alioquin autem non omnes prorsus, sed omnes qui voluerint, per prophetam significantur. Magister enim omnibus proponitur, paratus ad sua tradenda, qui doctrinam suam omnibus effundit. *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Non parva hoc in loco Filii dignitas: siquidem Pater trahit, et hic resuscitat, non dividens Patris et Filii et opera: quomodo enim posset? sed ostendens potestatis æqualitatem. Nam ut illo loco, *Et qui misit me Pater, testimonium perhibet de me*, deinde ne quidam de voce curiosius inquirerent, remisit illos ad Scripturas: ita et hic remittit eos ad prophetas, hos subinde adducens, ut ostendat se non esse Patri contrarium. At, inquies, quid antehac fuerunt? annon docibiles Dei erant? quid hoc in loco eximium est? Quod tunc per homines res divinas discerent; nunc autem per unigenitum Filium Dei et per Spiritum sanctum. Deinde infert: *Non quod Patrem viderit quisquam, nisi is qui a Deo est.* Non secundum causæ rationem hic loquitur, sed secundum modum substantiæ. Nam si secundum causæ rationem diceret, omnes a Deo sumus; in quo est præstantia et differentia Filii? Et cur, inquies, non illud clarius expressit? Ob illorum infirmitatem. Nam si cum dixit, *De cælo descendi*, ita scandalizati sunt; quid futurum erat, si illud addidisset? Panem autem vitæ seipsum vocat, quia vitam nobis parit et hanc et fu-

[1] Alii habent, *inquit, de Judæis loquens Paulus.*
[2] Alii legunt, *dixeratis*, pro, *dixerant.*

turam : ideo adjicit : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Panem vero hic dicit doctrinam salutarem, fidem in se, sive corpus suum. Utrumque enim animam roborat. Atqui alibi dixit, *Si quis sermonem meum audierit, non gustabit mortem* (*Joan.* 8. 52), et scandalizati sunt : hic vero non item ; forte quia adhuc reverebantur eum ob subministratos panes.

2. *Differentia inter manna et panem verum et vivum.* —Animadverte autem quam ponat inter hunc panem et manna differentiam, ex utriusque nempe fine. Quod enim ille cibus nihil novum intulerit, adjicit : 49. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.* Deinde id præcipue agit ut illis suadeat, se multo majoribus dignatos esse bonis quam patres ipsorum, de Moyse subobscure loquens et de viris illis mirabilibus. Ideo cum dixisset eos qui manna comederant mortuos esse, intulit : *Qui manducat ex hoc pane, vivet in æternum.* Illud vero, *In deserto*, non sine causa posuit, sed indicans, illud non diu durasse, neque in terram promissionis venisse. Hic autem panis non est hujusmodi. 52. *Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo, pro mundi vita.* Merito quis dubitans hic quæsierit, cur hoc tempore hæc loquutus sit, quæ nihil proficerent, nihil ædificarent, imo potius ædificatis nocerent [1]. *Ex hoc*, inquit, *multi ex discipulis ejus retro abierunt dicentes, Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Erant enim hæc solis discipulis communicanda, ut Matthæus ait, *Seorsim loquebatur eis* (*Marc.* 4. 34). Quid ad hoc dicemus? quænam horum utilitas? Magna certe utilitas et necessitas. Quia enim instabant cibum petentes, sed corporeum, et majoribus suis præbitam escam memorantes, manna magnum quidpiam esse dicebant, ostendens illa omnia figuram et umbram esse, hunc vero cibum rei veritatem, escam memorat spiritualem. At, inquies, dicendum erat, Patres vestri manducaverunt manna in deserto, ego vero panem dedi vobis. Sed magnum erat discrimen : hoc videbatur minus esse, quod illud de cælo venisset, hoc autem panum miraculum in terra factum esset. Quia ergo quærebant cibum de cælo delatum, ideo sæpe dicebat, *De cælo descendi.* Si quis vero sciscitetur, cur de mysteriis loquutus sit, respondebimus, tempus opportunum fuisse hæc dicendi. Nam verborum obscuritas auditorem semper excitat, et attentiorem efficit. Non ergo offendi oportuit, sed potius interrogare. Nunc autem illi abeunt. Nam si prophetam ipsum esse credebant, dictis credere oportuit. Itaque quod offensi sint, id ex eorum insipientia venit, non ex obscuritate sermonis. Tu vero consideres velim quomodo discipulos suos paulatim alliciat ; hi enim sunt qui dicunt, *Verba vitæ habes : quo ibimus* (*Joan.* 6. 68)? Cæterum hic se datorem dicit, non Patrem : *Panis* [2] *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Verum non sic turbæ, sed contra, *Durus est hic sermo*, inquiunt. Ideoque recedunt. Atqui non nova erat, neque variabat doctrina : nam Joannes illud [1] supra subindicaverat, cum agnum ipsum vocavit. Sed, inquies, ipsi non intellexerant. Hoc et ego novi ; sed neque discipuli id sciebant. Nam si resurrectionem nondum satis clare intelligebant, ideoque ignorabant quid illud esset, *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* 2. 19) ; multo minus supra dicta capiebant, quæ obscuriora erant. Quod enim prophetæ surrexissent (*a*), norant, licet id Scripturæ non clare dicant : quod vero carnem quis manducaverit, nemo eorum dixerat. Attamen obtemperabant et sequebantur, atque confitebantur ipsum verba vitæ æternæ habere. Illud enim discipuli est, magistri verba non curiosius inquirere, sed audire et obsequi, ac tempus ad solutionem opportunum exspectare. Cur ergo contrarium, accidit, inquient, et retrorsum abierunt? Id ex illorum insipientia evenit. Quando enim subit animum illa quæstio, *Quomodo*, tunc una ingreditur incredulitas. Sic et Nicodemus turbabatur dicens : *Quomodo potest homo intrare in ventrem matris suæ?* sic et hi nunc turbantur dicentes : 52. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Nam si illud, *Quomodo*, inquiris, cur de panibus non dicis, Quomodo quinque panes in tot alios multiplicavit? Nam tunc saturari curabant solummodo, nec considerabant miraculum. Sed experientia, inquies, tunc docuit. Ergo ob illam experientiam hæc facilius credi oportuit. Ideo namque prius illud tam mirabile patravit, ut illo edocti, non ultra dictis fidem negarent. Illi quidem tunc temporis nihil utilitatis ex dictis retulerunt, nos reipsa beneficio fruimur. Quapropter discendum quid sit miraculum mysteriorum, cur data sint, quæ illorum utilitas. *Unum corpus sumus*, inquit, *et membra ex carne et ossibus ejus* (*Ephes.* 5. 30). Initiati dictis obsequantur.

3. Ut ergo non solum per dilectionem, sed etiam reipsa, cum illa carne commisceamur : id quod efficitur per cibum quem ille dedit, ut ostendat nobis quanto erga nos ferveat amore. Ideo se nobis commiscuit, et in unum corpus totum constituit, ut unum simus, quasi corpus junctum capiti. Nam ardentis amoris hoc est indicium. Hoc subindicans Job, de servis suis dicebat, a quibus sic amabatur, ut ejus carnibus admisceri peroptarent : ut enim ardentem amorem ostenderent, dicebant : *Quis det nobis de carnibus suis, ut saturemur* (*Job* 31. 31)? Quod et Christus fecit, ad majorem nos amicitiam inducens, et suum nobis demonstrans amorem ; neque se concupiscentibus videndum modo præbuit ; sed tangendum, comedendum, dentibus terendum, commiscendum ; desideriumque implevit omne. Ab illa ergo

[1] Juxta Morel. legendum esset.... *Hæc locutus sit, quæ neminem ædificarent, nemini prodessent, imo potius iis nocerent qui antea ædificati erant.*

[2] Juxta Savil., post illud, *suos paulatim alliciat*, legendum esset : *Hic enim se dantem inducit, non Patrem : «Panis,* etc. »

[1] In Savil. legitur.... *pro mundi vita. Verum, nova hæc doctrina est, inquiunt, et inaudita : Joannes tamen illud*, etc. Morelli lectionem sequimur, quam item sequutus est Franciscus Aretinus. Verum ambæ lectiones, si quis attente legat, eodem redeunt.

(*a*) Sic habent omnia exemplaria. Sed fateor non capere me quid hic sibi velit Chrysostomus.

ne..sa recedamus, tamquam leones ignem spirantes, diabolo terribiles, cogitantes quod sit caput nostrum, et quantam nobis dilectionem exhibuerit. Parentes sæpe liberos suos aliisque alendos tradunt; ego contra carnibus illos meis alo, meipsum appono, vos omnes nobiles esse volo, et bonam de futuris spem adfero. Nam qui in hac vita se vobis tradidit, multo magis in futura favebit. Frater esse vester volui, propter vos communem habui carnem et sanguinem : rursum vobis carnem et sanguinem trado per quæ congener vobis factus sum.

Sanguinis Christi encomia. — Hic sanguis in nobis regiam, floridamque exhibet imaginem, pulchritudinem parit incredibilem, animæ nobilitatem marcescere non sinit, dum frequenter irrigat et nutrit. Sanguis enim non statim in nobis fit ex cibo, sed aliud quidpiam : hic vero sanguis confestim irrigat animam, et magnam vim indit. Hic sanguis[1] digne acceptus dæmonas procul pellit, angelos ad nos advocat, ipsumque angelorum Dominum. Dæmones quippe fugiunt, ubi vident sanguinem Dominicum; accurrunt autem angeli. Hic sanguis effusus totum orbem abluit[2]. Multa de hoc sanguine beatus Paulus in Epistola ad Hebræos philosophice tradidit. Hic sanguis adyta et sancta sanctorum purgavit. Quod si ejus figura tantam vim habuit in Hebræorum templo, in media Ægypto, liminibus aspersus, multo majorem ipsa veritas habet. Hic sanguis aram auream sacravit : sine hoc non audebat princeps sacerdotum in adyta ingredi. Hic sanguis sacerdotes ordinabat, hic in figuris peccata abluebat. Si in figuris tantam vim habuit, si umbram ita mors horruit; veritatem, quæso, quantum formidabit? Hic sanguis salus animarum nostrarum est : hoc abluitur[3] anima, hoc ornatur, hoc incenditur : hic igne splendidiorem mentem nostram reddit : hic sanguis effusus cælum pervium fecit.

4. Tremenda vere mysteria Ecclesiæ; horrendum vere altare. Ex paradiso fons scaturiit sensiles emittens fluvios : ex hac mensa fons scaturit fluvios emittens spirituales. Ad hunc fontem eriguntur non salices infructuosæ, sed arbores ad ipsum cælum pertingentes, quæ fructus semper producunt tempestivos, qui numquam marcescunt. Si quis æstuat, hunc adeat fontem, et ardorem temperet. Nam æstum fugat, et adusta omnia refrigerat : non quæ ex solis ardore æstuant, sed quæ igneis sagittis exusta sunt. Supernum enim habet principium et radicem, unde et irrigatur. Ex hoc fonte multi rivi manant, quos emittit Paracletus, Filiusque mediator est : non bidente viam parat, sed affectum nostrum aperit. Hic fons lucis est, veritatis radios diffundens. Huic etiam adstant supernæ virtutes, alveorum pulchritudinem intuentes : quia clarius propositæ rei vim, et inaccessos radios perspiciunt. Ut enim si quis in liquefactum aurum manum vel linguam injiciat, si tamen id fieri possit, statim inauratam reddit; id proposita mysteria longe melius animæ præstant. Fluvius enim igne ferventius ebullit; at non urit, sed abluit tantum. Hunc sanguinem olim præfigurabant in altaribus, in legitimis cædibus : hoc est orbis pretium, hoc est quo Christus Ecclesiam emit, hoc illam totam ornavit. Ut enim qui servos emit, aurum dat, et illos si ornare velit, auro ornat : ita et Christus nos sanguine suo et emit et ornavit. Qui hujus sanguinis participes sunt, cum angelis stant et archangelis et supernis potestatibus, regia Christi stola induti et armis spiritualibus instructi. Sed nihil magnum hactenus dixi : nam ipso sunt induti rege. Sed sicut res est magna et mirabilis : ita si cum puritate accesseris, ad salutem accessisti; si cum mala conscientia, ad supplicium et ultionem. *Qui enim manducat*, inquit, *et bibit indigne Domino, judicium sibi manducat et bibit* (1. *Cor.* 11. 29). Si itaque ii qui regiam purpuram inquinant, ac si discinderent, puniuntur : quid mirum si ii qui immundo animo hoc corpus accipiunt, idem subeant supplicium, quod ii qui illud corpus clavis transfixerunt? Vide quam terribile Paulus exhibeat supplicium : *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est* (*Hebr.* 10. 28. 29)? Attendamus igitur nobis ipsis, dilecti, cum tantis fruamur bonis; et cum turpe quidpiam loqui subit animum, vel quando ira, vel pravo quopiam affectu nos corripi cernimus, nobiscum reputemus quibus dignati simus beneficiis, quem Spiritum acceperimus. Hæc cogitatio nostros temperabit[1] affectus. Quousque enim rebus præsentibus hærebimus? quousque non excitabimur? quousque nullam salutis nostræ curam habebimus? Cogitemus quibusnam nos Deus dignatus sit, gratias agamus, gloriam referamus, non modo per fidem, sed etiam per opera : ut futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, una cum sancto Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii legunt, *hic sanguis mysticus.*
[2] Juxta Morel. legendum, *eripuit*, pro, *abluit.*
[3] Idem legit, *lætificatur*, pro, *abluitur.*

[1] Alii habent, *temperet.*

HOMILIA LXVII.

CAP. 6, v. 53. *Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam æternam in vobis.* 54. *Qui autem manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam in semetipso.*

1. Cum de rebus spiritualibus disserimus, nihil sæculare sit in animis nostris, nihil terrenum, sed his omnibus abdicatis ac depulsis, divinis sermonibus toti hæreamus. Nam si rege in urbem veniente, tumultus omnis depellitur; multo magis Spiritu nos alloquente, cum multa quiete, cum multo terrore audire nos par est. Horrore namque digna hodie lecta sunt. Audi enim. *Amen dico vobis*, inquit, *nisi*

quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit vitam in semetipso[1]. Quia prius dixerant id impossibile esse, ostendit id non modo non impossibile, sed etiam valde necessarium esse. Quamobrem subdit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Quia enim dixerat, *Si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur in æternum ;* verisimileque erat hinc illos offensos fore, ut prius cum dicerent, *Abraham mortuus est, et prophetæ mortui sunt, et quomodo tu dicis, non gustabit mortem ?* resurrectionem ponit solvens quæstionem, et ostendens non moriturum esse usque in finem. Frequenter autem in mysteriis versatur, ut ostendat quam necessaria res sit, et quod omnino fieri oporteat. Nam 55. *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Quid sibi vult illud ? Aut vult significare, hunc esse verum cibum, qui animam servet ; aut vult dictis suis fidem facere, ne putent id quod dictum fuit, ænigma vel parabolam esse, sed sciant oportere omnino corpus comedere. Deinde ait, 56. *Qui manducat meam carnem, in me manet,* ut significet quod se cum ipso admisceat. Quod autem sequitur, non cohærere videtur, nisi attendamus. Quæ, inquit, est consequentia, postquam dixerat, *Qui manducat meam carnem, in me manet,* subjungere, 57. *Sicut misit me vivens Pater, ita et ego vivo propter Patrem ?* Imo hæc magnam habent consonantiam. Nam cum vitam æternam sæpe dixisset, ad id confirmandum addit, *In me manet.* Si enim in me manet, et ego vivo, palam est et illum esse victurum. Deinde ait : *Sicut misit me vivens Pater.* Hæc est comparatio et similitudo, ac si diceret, Vivo ego sicut et Pater. Et ne ingenitum putares, statim addidit, *Propter Patrem,* non quod operatione quadam ad vivendum opus habeat. Superius enim hanc amovens suspicionem dicebat : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.* Quod si egeat operatione, sequetur aut Patrem non dedisse, et id falsum esse ; vel si dederit, nullo postea opitulante opus habiturum esse. Quid sibi vult, *Propter Patrem ?* Causam solum indicat. Hoc porro vult significare : Sicut vivit Pater, et ego vivo. *Et qui manducat me, et ille vivet propter me.* Vitam hic dicit non qualemcumque, sed conspicuam. Quod autem id non de simplici vita dicat, sed de gloriosa et ineffabili illa, hinc palam est, quod omnes infideles et non initiati vivant, licet de ejus carne non manducent. Viden' quod non de hac vita sermo sit, sed de illa ? Quod autem dicit, hujusmodi est. Qui manducat meam carnem, moriendo non peribit, neque punietur. Imo non de communi resurrectione loquitur ; omnes quippe resurgent ; sed de eximia et gloriosa resurrectione, quam merces sequetur. 59. *Hic est panis qui de cælo descendit : non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Frequenter id repetit, ut in mentem auditorum infigat (ultima enim hæc erat doctrina), et de resurrectione, et de vita æterna fides confirmaretur. Ideoque resurrectionem addit ; tum quia dixit, *Vitam æternam,* tum ut ostendat illam vitam non nunc esse, sed post resurrectionem. Et undenam, inquies, hoc probatur ? Ex Scripturis. Nam ubique illos eo mittit, ut inde discant. Cum vero dixit, *Qui dat vitam mundo,* in æmulationem deducit, ut alios dono tanto frui videntes, non extra maneant. Frequenter autem manna commemorat, tum ut differentiam indicet, tum ut illos ad fidem inducat. Nam si potuit Deus sine messe, sine frumento, et reliquo apparatu illos per quadraginta annos alere ; multo magis nunc, postquam ad majora patranda venit, id poterit. Alioquin si illa figuræ erant, et sine sudore laboreque colligebant escam ; multo magis nunc hoc erit, ubi tanta differentia, ubi nulla vere mors, ubi vita vera fruimur.

Cur Christus sæpe vitam memorat. — E re autem vitæ sæpe meminit, quia illud apud homines in optatis est ; nihilque suavius, quam non mori. Nam in Veteri Testamento diuturnitas vitæ promittebatur ; sed nunc non diuturnitas modo, sed vita sine fine promittitur. Simul etiam vult ostendere, se supplicium a peccato inductum nunc revocare, sententiam illam mortis solvendo, dum vitam non qualemcumque, sed æternam, contra quam prius statutum fuerat, induceret. 59. *Hæc dixit in synagoga docens in Capernaum,* ubi multa mirabilia patrarat ; quare maxime audiendus erat.

2. Cur porro in synagoga docebat, et in templo ? Tum ut multitudinem traheret, tum ut ostenderet se non contrarium esse Patri. 60. *Multi autem ex discipulis audientes dicebant, Durus est hic sermo.* Quid sibi vult hoc, *Durus est ?* Id est, asper, laboriosus. Atqui nihil tale dicebat : neque enim de vitæ instituto loquebatur, sed de doctrina, identidem de fide in Christum habenda loquens. Cur ergo durus est sermo ? An quod vitam promittat et resurrectionem ? an quod dicat se ex cælo descendisse ? an quod nemo salvus esse possit, nisi carnem ejus manducet ? Hæccine, quæso, dura sunt ? Quis hoc dixerit ? Quid sibi vult ergo illud, *Durus ?* Captu difficilis, infirmitatem illorum superans, terrore plenus. Putabant enim ipsum ea loqui quæ ejus dignitatem et gradum superarent. Ideo dicebant, *Quis potest eum audire ?* idque forte ad sui excusationem, quod essent discessuri. 61. *Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurabant de hoc discipuli ejus* (hoc enim divinitatis illius erat, secreta in medium proferre) deinde dicit : *Hoc vos scandalizat ?* 62. *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius.* Idem Nathanaeli dixit : *Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis ? majora his videbis* (*Joan.* 1. 50); et Nicodemo, *Nemo ascendit in cælum, nisi Filius hominis, qui est in cælo* (*Joan.* 3. 13). Quid igitur ? difficultates difficultatibus addit ? Minime, absit ; sed doctrinæ magnitudine et copia ipsos allicere conatur. Nam qui dixerat, *De cælo descendi*, si nihil ulterius addidisset, majus offendiculum obtulisset : cum vero dicit, *Corpus meum vita*

[1] Alias legitur, *non habet vitam æternam.*

est mundi; et, *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem*; et, *de cælo descendi*, ille difficultatem solvit. Qui enim aliquid magnum de se loquitur, suspectus erit mendacii; qui vero talia deinde subdit, omnem tollit suspicionem. Nihil vero non agit ac dicit, ne putent eum esse Josephi filium. Non ergo hæc dixit, ut scandalum augeret, sed ut tolleret. Quisquis enim eum filium Josephi putasset, dicta non accepisset[a]: qui vero persuasus esset ipsum de cælo descendisse, et eo ascensurum esse facilius libentiusque dictis attendisset. Sub hæc aliam adduxit solutionem: 63. *Spiritus est*, inquit, *qui vivificat, caro non prodest quidquam*: hoc est, Quæ de me dicuntur, spiritualiter sunt accipienda: nam qui carnaliter audit, nihil lucratur, nihil proficit. Carnale erat dubitare quomodo de cælo descendisset, putareque ipsum esse filium Josephi; necnon illud, *Quomodo potest nobis carnem suam dare ad manducandum?* Hæc omnia carnalia; quæ oportebat mystice et spiritualiter intelligere. Et quomodo poterant, inquies, intelligere quid esset carnem comedere? Oportebat certe opportunum tempus exspectare et interrogare, nec desistere. *Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus et vita sunt*; id est, divina et spiritualia sunt, nihil habent carnale, nec naturalem consequentiam; sed omni hujusmodi necessitate, et hujus vitæ legibus libera sunt, aliumque et diversum sensum habent. Sicut ergo hoc loco spiritum pro spiritualibus dixit, sic cum carnem dicit, non carnalia intelligit; sed carnaliter eos audire subindicat, qui semper carnalia cupiebant, cum oportuisset spiritualia appetere. Si quis enim hoc carnaliter accipiat, nihil lucratur. Quid ergo? an caro ejus non est caro? Est certe. Quomodo ergo dixit, *Caro non prodest quidquam?* Non de carne sua intelligit, absit; sed de iis qui dicta carnaliter acciperent. Quid est autem carnaliter intelligere? Proposita simpliciter intelligere, neque ultra quidpiam excogitare. Hoc est carnaliter videre. Non oportet autem de iis quæ videntur ita judicium ferre, sed omnia mysteria interioribus oculis perspicere, id est, spiritualiter. An is qui non manducat carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, non habet vitam in semetipso: quomodo ergo caro non prodest quidquam, sine qua non possumus vivere? Non de carne ipsius hoc dictum esse vides, sed de carnali audiendi modo. 64. *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.* Rursum pro more suo dignitatem verbis adjicit, futuraque prædicit et ostendit, se non ut gloriam apud illos captaret, sed quod eorum saluti prospiceret, hoc dicere. Cum dicit autem, *Quidam*, discipulos subduxit. Initio namque dixerat, *Et vidistis me, et non credidistis mihi*; hic vero, *Sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio, quinam essent qui non crederent, et quis traditurus esset eum.* 65. *Et dicebat, Ideo dixi vobis, Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum desuper a Patre meo.* Spontaneam ejus œconomiam hic evangelista subindicat, ejusque patientiam. Illudque, *Ab initio*, non sine causa hic ponitur; sed ut ejus præscientiam intelligas, atque ipsum ante hæc verba, neque postquam illi offensi murmuraverant, proditorem novisse; id quod divinitatis erat. Deinde adjicit, *Nisi fuerit ei datum desuper a Patre meo*, suadens eis ut Patrem suum putarent Deum, non Josephum, et ostendens rem non esse vulgarem, in eum credere: ac si diceret, Non turbant, non obstupefaciunt me, qui non credunt: hoc jam olim novi antequam fieret: novi quibusnam Pater dederit.

3. Cum illud audis, *Dedit*, ne putes esse sortem quamdam; sed crede eum qui se dignum præbuerit, id accipere. 66. *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant.* Recte evangelista non dixit, Recesserunt, sed, *Abierunt retro*, ostendens a virtutis profectu excisos, et eam quam olim habuerant fidem perdidisse, cum sese abscinderent. Verum duodecim illi non item. Quapropter dixit illis, 67. *Numquid et vos vultis abire?* ostendens se illorum ministerio et cultu non egere, neque ideo illos circumducere. Quomodo enim illis opus habere potuit qui hæc dixit? Cur eos non laudavit? cur non prædicavit? Primo, ut magistri dignitatem servaret, atque ut ostenderet, sic illos trahi oportuisse. Nam si laudasset, putantes se gratiam illi præstitisse, aliquid humanum passi fuissent: cum autem ostendit se illorum non egere comitatu, magis eos continuit. Et animadverte quam prudenter loquatur. Non dixit, Abite: id enim repellentis fuisset; sed interrogat, *Num et vos vultis abire?* Quod omnem auferebat vim et necessitatem, ne pudore detinerentur, sed et gratiam haberent. Cum autem illos non palam accusavit, sed modeste tetigit, ostendit quomodo oporteat in similibus philosophari. Nos autem jure contraria patimur, quia omnia gloriæ causa facimus, ideoque ex famulorum recessu nostra minui putamus. Sic porro nec adulatus est, nec repulit, sed interrogavit. Non ergo spernentis hoc erat, sed nolentis eos vi et necessitate detinere; nam ita manere, idem fuisset atque abire. Quid ergo Petrus? 68. *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* 69. *Et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei vivi.* Viden' non verba offensionem peperisse, sed socordiam, desidiam, et improbitatem auditorum? Nam etiamsi hoc non dixisset, nihilominus offensi fuissent, nec destitissent, cibum semper corporeum curantes, ac terræ affixi. Alioquin autem hi una cum illis audierunt, sed contrario affecti modo dixerunt, *Ad quem ibimus?* Verbum magni affectus indicium. Significat enim Magistrum sibi omnibus esse cariorem, patribus, matribus, facultatibus, eosque qui ab ipso discedunt, non habere quo se recipiant. Deinde ne videretur illud, *Ad quem ibimus?* ideo dixisse, quod non essent qui ipsos reciperent, statim adjicit, *Verba vitæ æternæ habes.* Alii enim carnaliter et humana mente audiebant; hi vero spiritualiter, et fidei totum committentes. Ideo Christus dicebat: *Verba quæ loquutus sum vobis, spiritus sunt*; id est, Ne suspiceris doctrinam meam, rerum consequentiæ ac necessitati subjacere. Non hujusmodi sunt spiritualia

nec terrenis legibus subdi patiuntur. Id Paulus quoque declarat his verbis : *Ne dicas in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? hoc est, Christum deducere; aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum ex mortuis revocare* (*Rom.* 10. 6. 7). *Verba vitæ æternæ habes.* Jam hi resurrectionem acceperant, et totam illam sortem. Vide, quæso, fratrum amantem, quomodo totius cœtus causam agat : non dixit enim, Cognovi, sed, *Cognovimus :* imo potius animadverte quomodo ad ipsa Magistri verba accedat, non eadem quæ Judæi loquens. Illi enim dicebant, *Hic est filius Joseph;* hic autem, *Tu es Christus Filius Dei vivi;* et, *Verba vitæ æternæ habes.* Forte quia sæpe ipsum dicentem audierat : *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Demonstrat enim se dicta omnia retinere, cum ipsa verba usurpat. Quid ergo Christus? Non laudavit, nec celebravit Petrum, quod tamen alibi fecit. Sed quid dicit? 70. *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est?* Quia enim ille dixerat, *Et nos credidimus*, excipit ex numero Judam. Alibi enim nihil de discipulis dixit : sed cum Christus dixisset, *Vos autem quem me esse dicitis?* respondit, *Tu es Christus Filius Dei viventis* (*Matth.* 16. 15). Hic vero quia dixerat, *Et nos credidimus*, merito Judam eximit ex illo choro; id vero facit, jam diu ante proditoris perfidiam propulsans. Gnarus se nihil proficere, quod in se erat fecit.

4. Et intuere sapientiam : non illum manifestum reddidit, neque latere omnino permisit; tum ne impudentior pervicaciorque fieret; tum ne se latere putans, audacius illud facinus adiret. Idcirco in sequentibus apertius illum coarguit. Prius certe illum cum aliis connumeravit, cum dixit, *Sunt quidam ex vobis qui non credunt*, id quod declarat evangelista : *Sciebat enim ab initio qui essent non credentes, et quis traditurus esset ipsum.* Quia vero ille persistebat, acrius arguit, *Unus ex vobis diabolus est*, communemque omnibus metum incutit, ut illum obtegeret. Hic jure quæratur : Cur nihil discipuli nunc dicunt, sub hæc autem dubitant, timent, se mutuo respiciunt rogantes, *Numquid ego sum, Domine* (*Matth.* 26. 22)? Et Joanni Petrus innuit, ut Magistrum percontetur quis sit proditor. Qua ergo de causa? Nondum audierat Petrus, *Vade post me, satana.* Ideo non timebat : postquam autem increpatus est, et multo cum affectu loquutus, non laudatus est, sed et satanas audivit; hac percepta voce, *Unus ex vobis tradet me*, jure timuit. Alioquin, non dicit nunc, *Unus ex vobis tradet me;* sed, *Unus ex vobis est diabolus.* Quare non intelligebant quid diceretur, sed malitiam tantum reprehendi putabant. Cur autem dixit, *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est?* Doctrinam suam omni adulatione vacuam indicans. Cum enim abscedentibus omnibus, ipsi soli manerent, et Petri ore Christum confiterentur; ne putarent se ideo ipsis adulaturum esse, hanc amovet suspicionem; ac si diceret : Nihil me cohibet quominus malos arguam : ne putetis me vobis, quia manetis, adulaturum esse; aut quia me sequimini, improbos non reprehensurum. Nam quod magis posset Magistrum flectere, id non me flectit. Qui manet, amoris sui dat indicium. Qui electus est a Magistro, ab insipientibus, ac si insaniat, repelletur. Attamen neque hoc me a reprehendendo abducit. Hac de re etiam nunc gentiles Christum accusant, sed frigide et stulte. Non enim necessitate aut vi Deus bonos facere solet, neque electio ejus est violenta, sed a suasione perficitur. Ut autem discas vocationem non vim inferre, perpende quot vocati perierint. Unde palam est, in nostro sitam esse arbitrio vel salutem, vel perniciem nostram.

5. Hæc itaque audientes, instituamur ad cavendum vigilandumque semper. Nam si ille qui in sancto illo choro censebatur, qui tantum consequutus erat donum, qui signa fecerat (etenim cum aliis missus fuerat ad mortuos suscitandos leprososque mundandos), quia gravissimo avaritiæ morbo captus est, Dominum suum prodidit, nihilque illi profuere beneficia, dona, non consuetudo, non lotio pedum, non mensæ societas, non loculorum custodia; imo hæc illi aditus ad supplicium fuere : timeamus et nos, ne quando Judam per avaritiam imitemur. Christum non prodis? Sed quando pauperem fame tabescentem, aut frigore enectum contemnis, eidem obnoxius es damnationi. Et cum indigne mysteria participamus, eamdem in perniciem imus, quam qui Christum occiderunt. Cum rapimus, cum egenos opprimimus, maximam nobis ultionem attrahimus; ac jure merito. Usquequo enim rerum præsentium amor, inutilium et supervacuarum nos occupabit? Divitiæ namque inter superflua et inutilia numerantur. Usquequo inanibus rebus affixi erimus? usquequo non respiciemus cælos? non vigilabimus, non in fastidium fluxarum terrenarumque rerum veniemus? annon experimento illarum vilitatem ediscimus? Cogitemus divites illos qui ante nos fuerunt. Annon hæc omnia somnium sunt? annon umbra et flos? annon unda præterfluens? annon verba et fabulæ? Ille dives fuit; sed quo abierunt divitiæ? Perierunt, corruptæ sunt; sed peccata per divitias parta manent, et propter peccata supplicium. Imo vero etsi nec supplicium esset, nec regnum, contribules, congeneres et consortes revereri oporteret. At nunc canes alimus; multi etiam onagros, ursos, variasque feras (*a*) : hominem autem fame confectum negligimus, ac pluris facimus alienum genus, quam nostrum. Annon pulchra res est, aies, splendidas ædes construere, multos servos habere, aurea laquearia jacentes conspicere? Res est supervacanea et inutilis. Sunt alia ædificia his multo splendidiora et honestiora : his oculos oblectare operæ pretium fuerit : ac nemo est qui impediat. Vis tectum pulcherrimum intueri? Appetente vespera vide cælum stellis ornatum. Sed non est tectum meum, inquies. Imo magis tuum, quam illud aliud. Propter te namque factum est, et commune tibi est cum fratribus tuis. Hoc autem aliud non tuum est,

(*a*) Hic feras alendi mos, Chrysostomi ætate, vigebat.

sed heredum post mortem tuam. Illud maxime tibi esse utile poterit, cum ex pulchritudine sua te ad Creatorem advocet; hoc autem aliud maxime nocebit, teque graviter in die judicii accusabit, quando ipsum quidem auro undique fulgebit, Christus vero ne veste quidem necessaria contectus erit. Ne itaque in tantam insaniam incidamus; ne insequamur fugientia, ne fugiamus manentia, ne prodamus salutem nostram, sed futuræ spei hæreamus: senes, quod sciamus parvum nobis vitæ cursum superesse; juvenes, quod persuasi sint non multum sibi superesse temporis. *Ut enim fur in nocte, ita dies ille adveniet* (1. *Thess.* 5. 2). Hæc itaque cum sciamus, et uxores viros hortentur, et viri uxores moneant, juniores ac virgines doceamus, nosque omnes mutuo instituamus ad præsentia contemnenda, et futura concupiscenda, ut illa consequi possimus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVIII.

Cap. 7. v. 1. *Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæa: non enim volebat in Judæa ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.* 2. *Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia.*

1. *Invidia quantum malum.* — Nihil livore, nihil invidia deterius; per eam mors in mundum intravit. Quia enim vidit diabolus hominem in honore haberi, ejus felicitatem non ferens, nihil non egit ut eum perderet (*Sap.* 2. 24). A tali radice talem fructum erumpere semper videmus. Per hanc Abel occisus est; per hanc David in mortis periculum venit; per hanc multi alii justi passi sunt; per hanc Christum Judæi interfecerunt. Hoc declarans evangelista dicebat: *Post hæc ambulabat Jesus in Galilæa: non enim poterat* (a) *in Judæa ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.* Quid dicis, beate Joannes? Non poterat qui potest omnia quæ vult? qui dixit, *Quem quæritis*, et eos retro pulsos prostravit? qui præsens non videtur, hiccine potestatem non habuit? Quomodo postea in medio eorum, in templo, in solemnitate, ipsis congregatis, præsentibus homicidis, ea loquebatur quæ magis illos exasperarent? Hoc illi mirabantur dicentes, *Nonne hic est quem quærunt interficere? Et ecce palam loquitur, et nihil illi dicunt.* Quæ sunt hæc ænigmata? Apage: non enim hæc dixit, ut ænigmata esse putarentur; sed ut declararet et divinitatis et humanitatis opera exhibita fuisse. Cum enim dixit, *Potestatem non habebat*, quasi de homine loquitur, multa humano more agente: cum vero dicit ipsum in medio eorum stetisse, nec apprehensum fuisse, divinitatis utique potestatem indicat. Nam fugiebat ut homo, apparebat ut Deus; utrumque vere repræsentans. Cum enim in mediis insidiatoribus non capiebatur, invictam potestatem suam significabat; cum vero secederet, incarnationi fidem faciebat; ut nec Paulus Samosatenus, nec Marcion, nec qui eodem morbo laborant, contradicere possent. His igitur illorum omnium [1] os obstruit. *Post hæc erat festus Judæorum, Scenopegia.* Hæc particula, *Post hæc*, nihil aliud significat, quam multum postea temporis intercessisse. Inde vero liquet, quod cum in monte sederet, festum esset Paschæ; hic autem Scenopegiæ meminit, et quinque mensium spatio nihil aliud narravit vel docuit, quam panum miraculum, et concionem habitam iis qui comederant: etiamsi ille non cessaverit signa facere et concionari, non die tantum et vespera, sed etiam sæpe nocte. Ad discipulos enim sic advenit, ut omnes evangelistæ narrant. Cur ergo illud omiserunt? Quia non poterant omnia recensere. Alioquin illa dicere studuerunt, ex quibus quædam reprehensio vel contradictio ex Judæis consequutura erat. Multa enim istis similia erant. Quod enim ægros curaret, mortuos suscitaret, quod admirationi esset, sæpe scripserunt: ubi autem aliquid insolens narrandum suppetit, vel quamdam reprehensionem ipsi oblatam referendam habent, hæc apponunt; ut nunc narrant, fratres ejus non ipsi credidisse: quæ res odiosum quidpiam præ se ferre videtur. Et est sane res mirabilis, quam veraces ipsi fuerint; quomodo ea non vereantur referre, quæ Magistro suo ignominiosa esse videntur; imo hæc potius curent enarrare, quam cætera. Et nunc itaque Joannes, multis prætermissis signis, prodigiis, concionibus, ad hanc rem narrandam accurrit. 3. *Dixerunt*, inquit, *ad eum fratres ejus: Transi hinc in Judæam, ut et discipuli tui videant opera quæ facis.* 4. *Nemo quippe in occulto aliquid facit, et quærit ipse palam esse. Manifesta teipsum mundo.* 5. *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Ecqua, inquies, hinc incredulitas, dum rogant eum ut signa edat? Magna utique. Nam et verba, et audacia, et intempestiva libertas, incredulitatem denotant. Putabant enim se cognationis causa fidenter loqui posse. Et videtur quidem compellatio amicorum esse; sed dicta acerbitate sunt plena: etenim ipsi et timiditatem et vanam gloriam exprobrant. Cum enim dicunt, *Nemo in occulto aliquid facit*, accusantium partes agunt, qui timiditatem objiciant et gesta ejus suspecta habeant: cum autem addunt, *Quærit palam esse*, vanam gloriam suspicantur.

2. Tu vero Christi virtutem considera. Ex his enim qui talia dicebant primus fuit Jerosolymorum episcopus, beatus Jacobus (a), de quo Paulus dicit: *Alium autem apostolorum vidi neminem nisi Jacobum fratrem Domini* (*Gal.* 1. 19). Dicitur et Judas mirabilis fuisse.

[1] Alii legunt, *utriusque*, pro, *illorum omnium.*

(a) In titulo legitur, *non volebat*, lectione a librario mutata. *Vulgata olim*, inquit Jac. Millius ad hunc locum, Non valebat, *uti visum est Erasmo et Drusio*, *pro quo postea*, Non volebat.... *Mutatum autem in* Non volebat *existimant Erasmus et Grotius*, *a delicatis*, *quasi Christi potentiæ injuriam faceret.* Recte autem probat Chrysostomus id Christi potentiam non lædere.

(a) Jacobus frater Domini Jerosolymarum episcopus.

Atqui in Cana aderant, cum aquam in vinum convertit; sed nihil adhuc inde lucrati sunt. Unde ergo illis tanta incredulitas? Ex mala voluntate et ex invidia (*a*) : nam cognatis qui conspicui sunt, solent etiam cognati non ita conspicui invidere. Quosnam hic discipulos dicunt? Turbam sequentem, non duodecim illos. Quid ergo Christus? Vide quam mansuete respondeat. Neque enim dixit : Qui estis vos, qui me hoc consilio docetis? sed quid? 6. *Tempus meum nondum advenit.* Hic mihi aliud quidpiam subindicari videtur. Forte enim invidia moti illum Judæis tradere meditabantur; ideoque id declarans dicit, *Tempus meum nondum advenit*, id est, tempus crucis et mortis. Cur me ante tempus occidere properatis? *Tempus autem vestrum semper paratum est.* Hoc est : Vos Judæi, etsi semper cum illis versemini, numquam occident, utpote eadem sentientes; me vero statim occidere tentabunt. Itaque vobis semper licet cum illis esse sine periculo : mihi vero tunc tempus erit, cum crucifigi et mori oportebit. Nam quod hoc intelligat ex sequentibus liquet : 7. *Non potest mundus odisse vos.* Quomodo enim, si eadem vultis, eadem persequimini? *Me autem odit, quia reprehendo eum, quod mala sint opera ejus;* hoc est, Quia perstringo, quia arguo, ideo odiosus sum. Hinc ediscamus, cohibendam esse iram et indignationem, etiamsi abjecti sint qui dant consilium. Nam si non credentium consilium Christus moderate tulit, etiamsi illa consulerent, quæ non decebant, idque non ex bono animo; quam nos consequemur veniam, qui sumus terra et cinis, et consulentes iniquo animo ferimus, etiamsi abjecti et viles quidam sint illi, rem indignam esse putantes? Animadverte ergo cum quanta mansuetudine criminationem propulset. Nam cum dicerent illi, *Manifesta teipsum mundo;* respondet : *Non potest mundus odisse vos, me autem odit;* eorum depellens accusationem. Tantum abest, inquit, ut quæram hominum gloriam, ut non finem faciam coarguendi illos; etiamsi noverim mihi hinc et odium et necem apparari. Et ubi, inquies, coarguit eos? Imo quandonam hoc facere cessavit? nonne dicebat, *Nolite putare quia vos accusaturus sum apud Patrem : est qui accusat vos Moyses;* et, *Ego cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis;* et, *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab hominibus accipitis, et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis?* Viden' quomodo per omnia ostenderit, odium adversum se susceptum inde ortum esse, quod ipsos libere redargueret, non quod sabbatum solveret? Cur autem illos ad festum mittit dicens : 8. *Vos ascendite ad diem festum, ego non ascendam adhuc?* Ut ostendat se non illa dixisse, se excusandi vel adulandi causa, sed ut permitteret Judaicos servare ritus. Cur ergo ascendit, cum dixisset, *Non ascendam?* Non dixit simpliciter, Non ascendam; sed addit, *Nunc*, id est, vobiscum; *Quia tempus meum nondum impletum est.* Atqui in proximo Paschate crucifigendus erat. Cur ergo non ipse ascendit? Si enim non ascendit, quod nondum tempus esset, non oportebat omnino ascendere. Verum non ideo ascendit ut pateretur, sed ut illos erudiret. Cur clam ascendit? Nam poterat palam ascendere et in medio consistere, violentumque illorum impetum coercere, ut sæpe fecit. Sed nolebat id frequentius facere. Nam si palam ascendisset, rursusque illos quasi cæcos continuisset, divinitatem suam clarius exhibuisset ante tempus, et magis inde revelasset eam. Cum vero putarent illi ipsum metu detineri, contra ostendit se et fidenter et prudenter agere, et gnarum temporis quo passurus esset; illo adveniente, se ultro Jerosolymam concessurum esse. Mihi porro videtur illud, *Vos ascendite*, hoc sibi velle : Ne putetis me vos cogere ut mecum inviti maneatis; cum autem addit, *Nondum impletum est tempus meum*, hoc significare, quod scilicet oporteat signa fieri, et conciones haberi, ita ut ex populo multo plures crederent, et discipuli videntes constantiam fiduciamque Magistri sui, atque eos quos passus est cruciatus, firmiores evaderent.

3. *Benignitas Christi imitanda.* — Ex supra dictis porro ejus benignitatem et mansuetudinem ediscamus : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* 11. 29) : omnemque acerbitatem exscindamus. Si quis nobis insultaverit, nos humiliter agamus; si quis ferociter egerit, ipsum mitigemus; si momorderit, traduxerit et deriserit, ne dejiciamur, neve vicem rependere aggressi, nos ipsos perdamus. Fera quippe est ira, fera vehemens et ardens. Cantemus itaque nobis divinæ Scripturæ carmina, et dicamus : Terra et cinis es (*Gen.* 3. 19), *Quid superbit terra et cinis* (*Ib.* 18. 27. *Eccli.* 10. 9)? et, *Impetus iræ, ruina est illi* (*Eccli.* 1. 28. 22); et, *Vir iracundus, non modestus est* (*Prov.* 11. 25). Nihil enim turpius furibundo aspectu, nihil ingratius. Quod si aspectu, multo magis animo. Quemadmodum enim commoto cœno fœtor effunditur : sic animo ira permoto, multa orietur turpitudo et molestia. At, inquies, non fero contumeliam ab inimicis illatam. Cur? quæso. Nam si vere dicit, etiam coram illo compungi oporteret, et gratiam ipsi habere; sin vero mentitur, id contemne. Pauperem vocat? Ride. Ignobilem vel stultum appellat? Ingemisce pro illo. Nam, *Qui dicit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* 5. 22). Si contumeliam inferat, cogita supplicium quod ipsum manet, nec modo iram cohibebis, sed etiam lacrymas effundes. Neque enim irritatur quispiam contra febricitantem, aut acuto morbo inflammatum, sed similes viros miseratur et deplorat. Hujusmodi est irati animus. Sed si vis te ulcisci, tace, et opportunam ipsi plagam infliges. Sin contumeliam contumelia depellas, ignem succendisti. At, inquies, si taceamus, pusilli animi arguemur. Non te pusilli animi accusabunt, sed philosophiam tuam mirabuntur. Si vero ex contumelia inflammeris, locum dabis putandi vera esse quæ objiciuntur. Cur, quæso, ridet dives qui se pauperem appellari audit? annon quia ipse scit se non esse pauperem? Ita et nos si de contumeliis rideamus, hoc argumentum erit maximum, nos talis rei con-

(*a*) Quod vero Jacobus frater Domini ex numero fratrum non credentium fuerit, nescio an alius quispiam dixerit.

scios nobis non esse. Ad hæc quousque hominum accusationes metuemus? quousque communem Dominum despiciemus, et carni affligemur? *Cum enim inter vos sit contentio et æmulatio et seditiones, nonne carnales estis* (1. *Cor.* 3. 3)? Simus ergo spirituales, hanc deterrimam feram frenemus. Iram inter et furorem nullum discrimen; sed temporarius quidam dæmon est; imo dæmoniaco pejor. Nam dæmoniaco venia datur; iracundus autem mille suppliciis dignus erit, qui se sponte in perniciei barathra dejicit, et ante futuram gehennam hic jam pœnas dare incipit, dum tumultu perpetuo et æstu intolerabili cogitationum nocte dieque exagitatur. Ut itaque et præsenti supplicio et futura vindictâ nos liberemus, hoc pulso animi morbo, omnem exhibeamus mansuetudinem, ut requiem animabus nostris inveniamus et hic et in regno cælorum; quod utinam omnes assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria simulque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIX.

CAP. 7. v. 9. *Hæc cum dixisset illis, mansit in Galilæa.* 10. *Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto.*

1. *Christus humano more vivens homines docere intendit. Cur Christus qui palam semper loquebatur, nunc in occulto loquitur.* — Quæ humano more a Christo dispensantur, non ideo tantum fiunt ut incarnationem confirment, sed etiam ut nos ad virtutem instituant. Si enim omnia tamquam Deus fecisset, quomodo possemus nos, cum ingrata accidunt, quid faciendum sit ediscere? ut verbi gratia hoc in loco, si Judæis necem spirantibus, in medium procedens statim eorum impetum coercuisset. Si itaque hoc assidue fecisset, nos in eadem incidentes, cum non possemus idem præstare, quomodo sciremus quid agendum esset? utrum mori oporteret, an aliud quidpiam providere, ut sermo procederet? Quia igitur nos, qui pari potestate præditi non sumus, quid in medium ingressis faciendum esset non didicissemus; hæc ideo ab illo docemur. Nam ait, *Hæc cum dixisset Jesus, mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit, non manifeste, sed quasi in occulto.* Hæc, *Ascenderunt fratres ejus*, significant ipsum noluisse cum illis ascendere. Quamobrem ibi manet, neque sese manifeste ostendit, licet id illi suaderent. Cur vero qui palam semper loquebatur, nunc quasi in occulto id facit? Non dixit, Occulte, sed, *Quasi in occulto.* Sic enim oportebat, quemadmodum dixi, ut nos doceret hæc negotia gerere. Alioqui non par erat illis iratis et frementibus tunc comparere, sed post diem festum. 11. *Judæi ergo quærebant eum, et dicebant, Ubi est ille?* Præclara certe in die festo opera! ad cædem properant, in festo consultant quomodo capiant illum. Sic et alibi dicunt: *Quid putatis, quia non venit ad diem festum* (*Joan.* 11. 56)? Et hic dicebant, *Ubi est ille?* Ex nimio odio ne nominare quidem dignantur. Magna certe festi reverentia, ingens pietas! die festo ipsum capere volebant. 12. *Et murmur multum erat de eo in turba.* Puto autem illos in furorem actos à loco, ubi signum factum fuerat, atque exasperatos, non ita de re gesta indignatos esse, ut timebant ne quid simile iterum faceret. Contrarium porro accidit, vel inviti clarum ipsum reddiderunt. *Quidam dicebant, quia bonus est, alii, Non, sed seducit turbas.* Illam puto fuisse multitudinis opinionem; aliam vero principum et sacerdotum: nam calumniari ad illorum invidiam et nequitiam pertinebat. *Seducit turbam*, inquiunt. Quomodo, quæso? Num quia signa simulat, non facit? Atqui contrarium experientia docet. 13. *Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum.* Vides ubique optimates corruptos, plebem vero recte sentientem, sed non præditam ea fortitudine quam oportebat? 14. *Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus, et docebat.* Exspectatio attentiores reddidit. Nam qui prioribus diebus quærebant eum dicentes, *Ubi est ille?* repente illum videntes, animadverte quomodo adstent, et loquentem observent, tam illi qui bonum, quam alii qui malum illum dicebant: sed illi ut quidpiam lucri reportarent, mirarenturque ipsum; alii ut comprehenderent et caperent. Illud autem, *Seducit turbam*, per doctrinam scilicet, non intelligentes quid diceret: illud vero, *Bonus*, a signis dicebatur. Sedato itaque illorum furore ita instituit, ut verba sua diligenter audirent, neque amplius indignati aures obstruerent. Quid docuerit, non narrat evangelista; id solum dicit quod mirabiliter sit loquutus, quod ipsos demulserit, et mutarit: tanta dictorum virtus erat. Qui vero dicebant, *Seducit turbam*, mutati jam admirabantur, ideoque sic loquebantur: 15. *Quomodo scit literas, qui non didicit?* Viden' quomodo admirationem eorum nequitia plenam demonstret? Non enim dicit ipsos doctrinam miratos esse, vel dicta admisisse: sed tantum, *Mirabantur*; id est, in stuporem deciderant dicentes, Unde illi hæc? cum ex dubitatione tali perspicere debuissent nihil puri hominis in illo fuisse. Verum quia hoc illi confiteri nolebant, sed mirabantur solum, audi quid ille dicat: 16. *Mea doctrina non est mea.* Rursus eorum suspicioni respondet, ad Patrem illos abducens, ut inde illis silentium imponat: 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar.* Hoc est, Nequitiam, iram, invidiam ejicite; necnon odium quod contra me sine causa suscepistis, et nihil impediet quin cognoscatis verba mea vere Dei esse. Nunc hæc vos tenebris offundunt, et rectum apud vos judicium pervertunt; si hæc eliminetis, non illud patiemini. Sed non ita loquutus est, ne nimis illos perstringeret; verum hæc omnia subindicavit, cum diceret, *Qui facit voluntatem ejus, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego*

a meipso loquar; id est, Num alienum quid, aut novum, aut contrarium proferam. Nam illud, *A meipso*, semper ad hoc refertur, quod nihil præter placitum ejus loquar; sed omnia quæ Pater vult, hæc et ego volo. *Si quis voluntatem ejus faciat, cognoscet de doctrina*. Quid sibi vult illud, *Si quis voluntatem ejus faciat?* Id est, Si quis virtutis sit amator, dictorum vim cognoscet; si quis velit prophetiis attendere, num secundum eas loquar, necne.

2. *Quomodo dicere potuerit Christus eamdem doctrinam esse et non esse suam. Hypostasis alia Patris, alia Filii.* — Quomodo sua esse potest, et non sua? Neque enim dixit, Doctrina hæc non est mea; sed cum prius meam dixisset, et sibi propriam fecisset, tunc intulit, *Non est mea*. Quomodo potest idipsum esse suum et non suum? Sua, quia non id edoctus dicebat; non sua, quia doctrina Patris erat. Quomodo ergo dicit, *Omnia quæ sunt Patris mea sunt, et quæ mea, Patris* (*Joan.* 17. 10)? Si enim quia Patris est, ideo non est tua, falsum est illud; ideo namque tua esse debet. Sed illud, *Non est mea*, suam et Patris voluntatem unam esse majorem in modum declarat; ac si diceret, Nihil habet diversum, quasi alterius esset. Etiamsi enim hypostasis sit alia, sic loquor, sic ago, ne existimetur aliud a Patre, sed idem ipsum quod Pater facit, et agi et dici. Deinde alium adducit syllogismum, cui contradici nequeat, humano et consueto exemplo nixum. Quodnam illud est? 18. *Qui a seipso loquitur, propriam gloriam quærit*. Id est, qui vult sibi propriam statuere doctrinam, nihil aliud optat, quam ut sibi gloriam hinc pariat [1]. Si autem ego nolo mihi gloriam parere, cur propriam doctrinam statuere cupio? *Qui a semetipso loquitur*; id est, Qui diversum quidpiam et sibi proprium affert, ideo loquitur ut gloriam sibi paret. Si autem ego quæro gloriam ejus qui misit me, cur alia docere velim? Viden' illum quadam de causa dicere se nihil a seipso facere? Quænam illa causa est? Ut crederent se non gloriam apud vulgum captare. Quapropter cum humilia loquitur, *Ego Patris gloriam quæro*, inquit, ut ostendat illis ubique, se non quærere gloriam. Cur autem humilia loquatur, multæ sunt causæ; puta, ne ingenitus putetur esse, ne Deo adversarius, ut carnem induisse credatur, ut infirmitati auditorum consulat, ut modestiam sectari et jactantiam fugere doceat. Sublimia vero loquendi una solum reperiatur causa, nempe naturæ præstantia. Sed si quia dixit, se ante Abraham fuisse, offensi sunt, quo non prorupissent, si sublimia semper audissent? 19. *Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere?* Quam consequentiam, quid commune habent hæc cum præcedentibus verbis?

Christus se æqualem Deo et Patri dicit. — Duo illi crimina intentabant; aliud, quod sabbatum solveret; aliud, quod Deum Patrem diceret, seque Deo æqualem faceret. Quod enim non ex illorum suspicione, sed ex propria sententia sic loqueretur; at non sicut alii multi, sed quasi proprium sibi et eximium id diceret, hinc palam est. Multi sæpe patrem suum dixere Deum: exempli causa, *Deus unus creavit nos, et pater unus est omnium nostrum* (*Mal.* 2. 10); nec propterea populus æqualis Deo erat. Quapropter non offendebantur cum hæc audirent. Ut ergo cum dicerent ipsum ex Deo non esse, ipsos sæpe correxit, et de sabbati solutione sese defendit: ita si ex illorum opinione, non ex sua sententia hoc dictum fuisset, corripuisset haud dubie illos, dixisselque, Cur me putatis æqualem esse Deo? Non sum æqualis. Verum nihil hujusmodi dixit, imo ostendit in sequentibus se vere æqualem ipsi esse. Illud enim, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius*; et, *Ut omnes honorificent Filium, ut honorificant Patrem*; et, *Opera quæ ipse facit, hæc et Filius similiter facit*: hæc omnia æqualitatem confirmant. De lege quoque ait, *Nolite putare quia veni solvere legem aut prophetas* (*Matth.* 5. 17). Sic solet malas suspiciones ex mentibus evellere. Hic autem æqualitatem cum Patre non modo non tollit, sed confirmat. Quare alibi dicentibus illis, *Facis teipsum Deum*, suspicionem non depulit, imo veram probavit his verbis: *Ut autem sciatis quia potestatem habet Filius hominis dimittendi peccata in terra, dicit paralytico: Tolle grabbatum tuum, et ambula* (*Matth.* 9. 6). Illud igitur quod prius dictum est, confirmat, quod nempe æqualem se faciat Deo; ostenditque se non esse Deo adversarium, sed eadem, quæ ille dicit, dicere, eadem docere; demum de sabbati solutione agit dicens: *Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis servat legem?* Ac si diceret: Lex statuit, Non occides; vos autem occiditis, et me ut legis transgressorem accusatis? Cur autem dixit, *Nemo?* Quia omnes quærebant eum interficere. Ego, inquit, si legem solvi, id feci ut hominem servarem; vos autem ad malum inferendum solvitis illam. Etiamsi transgrederer, id ad salutem facio, neque oporteret me a vobis, qui in gravibus illam transgredimini, incusari. Nam quod vos facitis, legis eversio prorsus est. Deinde etiam decertat, etsi plura olim disseruisset; sed tunc sublimius, et secundum dignitatem suam; nunc autem humilius. Quare? Quia nolebat tam frequenter illos exasperare; nunc vero ira incendebantur, et in cædem processissent. Quapropter insistit ut eorum sedaret animum, hisce duobus utens modis, et facinus coarguens his verbis, *Quid me quæritis interficere?* et modeste addens, *Hominem, qui veritatem loquutus sum*, et ostendens illos, cum cædem spirent, non debere de aliis judicare. Tu vero mihi consideres velim, quam sit humilis Christi interrogatio, quam truculenta illorum responsio: 20. *Dæmonium habes: quis te quærit interficere?* Verbum iræ et furoris, animique in impudentiam acti, quod inexspectato modo redarguerentur, et se lacessitos putarent. Ut enim latrones in insidiis cantant, deinde ut imparatum aggrediantur, silentio rem peragunt: ita et Judæi. Ipse vero, omissa reprehensione, ne impudentiores redderet, de sabbati rursum solutione sese purgat, ex lege cum illis disputans.

3. Et vide quam prudenter. Nihil mirum, inquit,

[1] In Morel. legitur, *qui vult a semetipso loqui nihil aliud ostendit quam inde gloriam consequi*.

si mihi non morem geritis, quando ne legem quidem auditis, et quam a Moyse datam putatis, eam violatis. Nihil ergo novum, si verbis meis non attenditis. Quia enim dixerant, *Moysi loquutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit* (*Joan.* 9. 29), ostendit ipse, Moysen ab illis contumeliose habitum : cum ille legem dedisset, quam ipsi non audirent. 21. *Unum opus feci, et omnes miramini.* Animadverte quomodo ubi sese purgare oporteret, et oblatum crimen confutare, ille non Patrem commemoret, sed personam suam inducat. *Unum opus feci.* Vult ostendere, si non fecisset, tunc legem solutam dici potuisse, et multa esse observatu digniora, quam legem : Moysemque contra legem mandatum accepisse, quod lege dignius esset. Dignior quippe sabbato circumcisio erat, quamvis ea non a lege, seu a patribus inducta fuisset. Ego vero rem digniorem melioremque feci, quam sit circumcisio. Porro non meminit legalis mandati; nempe quod sacerdotes sabbatum transgrediantur, ut jam ante dixit : sed cum majori auctoritate loquitur. Illud autem, *Miramini*, id est, turbamini. Nam si legem ita firmam esse oportuisset, circumcisio non illa præstantior esset; neque dixisset, se majus quidpiam fecisse, quam circumcisionem ; sed ex auctoritate confutat eos dicens : 23. *Si circumcisionem accipit homo.* Viden' tunc maxime stare legem, cum ipsam solvit? viden' sabbati solutionem esse legis observationem ; ita ut si non fuisset solutum sabbatum, legem solvi necesse fuerit? Itaque legem ego firmavi. Non dixit, Mihi irascimini, quod rem circumcisione majorem fecerim : sed rem tantum exponens, judicium ipsis permisit, num magis necessaria sit integra hominis curatio, quam circumcisio. Ut signum accipiat homo nihil ad valetudinem conferens, lex solvitur, inquit; ut tanto morbo liberetur, indignamini? 24. *Nolite judicare secundum faciem.* Quid est, *Secundum faciem?* Ne quia Moyses in majore apud vos existimatione est, a personarum dignitate calculum feratis; sed a rerum natura : illud namque est juste judicare. Cur nemo Moysen incusavit? cur nemo obstitit jubenti solvi sabbatum pro præcepto extrinsecus legi addito? Verum ille patitur præceptum illud lege sua dignius esse; præceptum, inquam, a lege non latum, sed extrinsecus allatum; quod est utique mirum : vos autem qui non estis legislatores, ultra modum legem vindicatis. Verum fide dignior vobis est Moyses, qui legem solvi præcipit ob præceptum non legale. Cum ergo dicit totum hominem, declarat circumcisionem partem tantum valetudinis esse. Et quæ est sanitas circumcisionis? *Anima*, inquit, omnis *quæ non circumciditur, exterminabitur* (*Gen.* 17. 14). Ego vero non partim ægrum modo, sed totum corruptum suscitavi. *Nolite ergo judicare secundum faciem.* Hoc putemus non illis tantum dictum fuisse, sed nobis quoque, ne ulla in re justitiam corrumpamus, sed pro illa omnia agamus; ne attendamus an pauper an dives quis sit, nec personas, sed res exploremus. *Non misereberis*, inquit, *pauperis in judicio* (*Exod.* 23. 3). Quid sibi vult illud? Ne frangaris, inquit, ne flectaris, si pauper sit is qui læsit. Quod si pauperi non ignoscendum, multo minus diviti. Hæc porro dico non judicibus tantum, sed et omnibus, ne umquam jus violetur, sed incorruptum semper servetur. *Diligit*, inquit, *justitiam Dominus. Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* 10. 6). Ne, quæso, animas nostras odio habeamus, nec iniquitatem diligamus. Hinc certe parum vel nihil lucri nunc percipimus; sed in futuro magnum aderit damnum [1]. Imo ne hic quoque iniquitate nostra fruemur. Quando enim cum mala conscientia in deliciis versamur, annon hoc cruciatus et supplicium est? Diligamus ergo justitiam et numquam hanc legem violemus. Quid enim fructus ex hac vita consequi poterimus, nisi hinc cum virtute migraverimus? quid illic nobis patrocinabitur? an amicitia, an cognatio, an gratia? Ecquid gratiam cujuslibet dico? Si Noe patrem habeamus, si Jobum, si Danielem, id nihil nobis proderit, si nostra nos opera prodant. Sed una opus habemus virtute; hæc nos servare poterit, et ab æterno igne liberare. Hæc nos mittet in regnum cælorum; quod utinam omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] In aliis legitur.... *lucri nunc percipimus, sed in futuro peribimus.*

HOMILIA L.

Cap. 7. v. 25. *Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis : Nonne hic est quem quærunt interficere? 26. Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes, quia hic est vere Christus? 27. Sed hunc scimus unde sit.*

1. *In divinis Scripturis nihil temere positum.* — Nihil in divinis Scripturis temere positum est; sunt enim Spiritus sancti dicta. Quamobrem omnia accurate disquiramus. Ab una quippe dictione totum sæpe sensum discimus, ut etiam nunc contingit. *Multi enim ex Jerosolymitanis dicebant : Non hic est quem quærunt interficere? Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt.* Cur Jerosolymitani memorantur? Ostendit evangelista eos maxime, qui tot signis dignati fuerant, omnium miserrimos esse, qui cum divinitatis ipsius signum maximum vidissent, totum corruptorum principum judicio remittebant. Annon maximum signum erat, quod furentes, cædem spirantes, circumcursantes, atque interficere quærentes, cum ipsum præ manibus tenerent, statim quiescerent? quis hoc fecisset? quis tantum furorem sic exstinxisset? Attamen post tot signa, vide stultitiam et furorem. *Nonne hic est quem quærunt interficere?* Vide quomodo se ipsos condemnent. *Quem quærunt interficere*, inquiunt, *et nihil ei dicunt.* Nec modo nihil dicunt, sed neque palam et libere loquentem ipsosque exasperantem reprimunt. *Numquid vere cognoverunt, quia hic est Christus.* Vobis autem quid videtur? quam de illo fertis sententiam? Contrariam, inquiunt. Ideo dicebant : *Sed hunc sci-*

mus unde sit. O nequitiam! o contradictionem! Non cum principibus calculum ferunt, sed aliam corruptam efferunt sententiam stultitia sua dignam. *Scimus*, inquiunt, *unde sit: Christus autem cum venerit, nemo sciet unde sit*. Atqui principes vestri interrogati dicebant, in Bethlehem nasciturum. Et rursum alii, *Nos scimus quia Moysi loquutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit* (*Joan*. 9. 29). Ebriorum verba considera[1]. Rursumque, *Num ex Galilæa venit Christus? annon ex Bethlehem vico?* Viden' ebriorum calculum? Scimus, nescimus; ex Bethlehem venit Christus; *Christus autem cum venerit, nemo sciet unde sit*. Quid hac dictorum pugna manifestius? Id unum respiciebant, ut ne crederent. Quid ergo ad hæc Christus? 28. *Et me nostis, et unde sim scitis: et a meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis*. Et rursum, *Si me sciretis, et Patrem meum sciretis*. Quomodo ergo dicit eos et ipsum, et unde sit nosse; et alibi, nec ipsum nosse, nec Patrem? Non secum pugnat, absit; sed valde sibi constat. De alia loquitur cognitione, cum dicit, Non nostis, quemadmodum cum dicit: *Filii Heli, filii pestilentes, nescientes Dominum* (1. *Reg*. 2. 12); ac rursum, *Israel autem me non cognovit* (*Isai*. 1. 3). Ut et Paulus ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit*. 1. 16). Potest ergo qui scit, nescire. Hoc itaque dicit: Si me nossetis, sciretis me esse Filium Dei. Illud autem, *Unde sim*, non locum hic denotat, ut liquet ex sequentibus: *Et a meipso non veni, sed verus est qui misit me, quem vos nescitis*. Hic loquitur de ignorantia operibus comprobata, de qua Paulus dicit: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. Neque enim ignorantiæ peccatum erat, sed nequitiæ et malæ voluntatis. Et cum hoc scirent, ignorare volebant. Sed quænam hæc consequentia? quomodo ut illos confutet, eadem quæ ipsi loquitur? Nam cum illi dicerent, *Hunc autem scimus unde sit*, subdidit, *Et me scitis*. Quid enim dicebant illi? an quod nescirent? Imo vero ipsi dicebant, *Scimus*. Verum cum dicerent se scire unde esset, nihil aliud significabant, quam illum de terra esse et fabri filium. Ille vero in cælos erigebat eos dicens, Scitis unde sim; id est, Non unde suspicamini veni, sed unde is qui misit me. Cum dicit enim, *A meipso non veni*, hoc subindicat, ipsos nempe scire, quod a Patre missus esset, etsi id non confiterentur. Duplici ergo modo illos confutat. Primo ea quæ secreto loquebantur, in medium et cum clamore profert, ut illos pudefaciat; deinde mentem illorum aperit, ac si diceret: Non abjectus sum, non sine causa veni; *Sed verus est qui misit me, quem vos nescitis*. Quid significat illud, *Verus est qui misit me?* Si verus est, in veritate me misit: si verus est, sequitur verum illum esse qui missus fuit.

2. Alio quoque modo id probat, propriis illos verbis capiens. Quia enim dicebant, *Christus cum veniet, nemo sciet unde sit*, hinc ostendit se Christum esse. Nam ipsi illud, *Nemo sciet*, secundum differentiam locorum loquebantur; et hinc ille ostendit se Christum esse, quia a Patre venerit; et ubique testificatur Patris cognitionem sibi soli competere, dicens, *Non quod Patrem quis vidit, nisi qui est a Patre*. Quibus verbis in iram concitabantur. Nam cum diceret, *Non nostis eum*, et cum evinceret, ipsos scire quidem, sed ignorantiam simulare, jure ipsos mordebat et irritabat. 30. *Quærebant ergo eum apprehendere, et nemo misit in illum manum, quia nondum venerat hora ejus*. Viden' illos invisibiliter cohibitos, et illorum coercitum furorem? Cur vero non dixit, quod invisibiliter eos detinuerit, sed, *Quod nondum venisset hora ejus*. Volebat evangelista humano humilioreque modo loqui, ut homo etiam esse putaretur. Quia enim ubique sublimia dicit, ideo hæc hinc inde inserit. Cum autem dicit, *Ab ipso sum*, non loquitur ut propheta, qui hoc acceperit, sed quod illum videat, ac cum ipso sit. 29. *Novi illum*, inquit, *quia ab ipso sum*. Viden' quo pacto hoc ubique probet, *A meipso non veni*, et, *Qui misit me verus est?* id contendens, ne a Deo alienus putetur. Et animadverte, quanta sit in humilibus verbis utilitas. Post hæc, inquit, multi dicebant: 31. *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit?* Quæ signa? Atqui tria erant signa, vini, paralytici, et filii reguli: nihilque ultra narravit evangelista. Unde liquet, ut sæpe dixi, ipsos multa præmittere, dum ea recensent quæ maligne principes machinabantur. Quærebant ergo illum apprehendere et interficere. Quinam? Non multitudo, quæ principatum non affectabat, nec invidia corripiebatur; sed sacerdotes. Turba enim populi dicebat: *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet?* Attamen hæc fides sana non erat, sed ut solet infimæ plebis esse. Illud enim, *Cum venerit*, non erat credentium hunc esse Christum. Aut ita dicendum est; aut forte in concursu populi, cum principes pro virili ostendere niterentur ipsum non esse Christum, dixerit turba: Ponamus non esse Christum, num melior erit Christus? Ut semper dixi, infimum vulgus, non a doctrina, non a concionibus, sed a signis allicitur. 32. *Audierunt Pharisæi turbam murmurantem, et miserunt ministros, ut apprehenderent eum*. Viden' sabbati solutionem obtentum fuisse? Quod autem illos acrius mordebat, hoc erat. Hic enim cum nihil quod criminarentur haberent, sive in dictis, sive in gestis, propter turbam volebant illum apprehendere. Nec audebant periculum suspicantes, sed ministros miserunt qui tentarent. O violentiam? o furorem! sive potius, o insaniam! Cum id ipsi sæpe tentassent, nec potuissent, ministris rem committunt, furori animoque suo temere indulgentes. Atqui multa juxta piscinam loquutus est, et nihil tale moliti sunt; sed quæsierunt, non tentarunt. Hic vero rem ferre non possunt: cum futurum esset ut turba accurreret. Quid ergo Christus? 33. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum*. Cum posset auditores et flectere et terrere, verba profert humilitate plena, ac si diceret: Cur me interficere, cur persequi quæritis? Modicum exspectate, et sine

[1] Hic locus sic effertur apud Savil... « *hunc autem nescimus unde sit* ». « *Scimus unde est, et nescimus unde est* »: *Ebriorum verba considera*.

tanto vestro conatu me capiendum offeram. Deinde ne quis communem dici mortem arbitraretur his verbis, *Adhuc modicum tempus vobiscum sum* (nam hoc putabant); hanc opinionem ut amoveret, ipsum post mortem nihil operaturum esse, subdidit: 34. *Et ubi sum ego, vos non potestis venire.* Si autem in morte mansurus erat, ire sane potuissent: eo namque omnes migramus. Simplicior itaque multitudo his verbis flectebatur; ferocior timebat; studiosior ad audiendum properabat, quod parum superesset temporis, nec semper possent tali frui doctrina. Nec tantum dixit, Hic sum, sed, *Vobiscum sum*; id est, etsi persequamini, etsi exagitetis, ne tantillum quidem cessabo vobis prospicere, et quæ ad salutem vestram spectant prædicare. *Et vado ad eum qui misit me.* Hæc terrere poterant et angere. Nam fore ut ejus ope indigeant prædicit. *Quæretis me*, inquit; non solum non obliviscemini, sed etiam *Quæretis me, et non invenietis.* Et ubinam quæsierunt eum Judæi? Narrat Lucas (*Cap.* 23. 49), mulieres illum planxisse; et ut verisimile est, multi alii luxerunt eum, ac post urbis excidium, ejus præsentiam optarunt, recordati nempe Christi et miraculorum ejus. Hæc autem omnia dixit, ut eos alliceret. Nam quod parum superesset temporis, quod post discessum optabilis foret, cum non ultra posset inveniri; hæc, inquam, omnia, ut ipsi hærerent suadere poterant. Nam si futurum non erat, ut ejus præsentia optabilis esset, nihil ipsis magnum dicere videbatur. Rursum, si optabilis futura ejus præsentia erat, ita ut tamen inveniri posset, id non ita illos turbavisset.

3. Iterum si multo tempore præsens mansurus fuisset, supini fortasse evasissent. Nunc autem undique illos exagitat et terret. Illud vero, *Vado ad eum qui misit me*, declarat nihil damni futurum ex insidiis eorum, et se voluntarie passurum. Duo igitur prædixit, et se paulo post abiturum, et illos ad se non venturos esse: quod certe non fuit humanæ mentis, ut mortem suam prædiceret. Vide namque quid dicat David: *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum annorum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi* (*Psal.* 38. 5). Id profecto nemo novit. Ex uno autem alterum confirmatur. Ego vero puto id et ministris ænigmatice dici, et ministros spectare, quo maxime illos alliceret; ostendens se scire cur venissent; ac si diceret, Exspectate paulisper, et abibo. 35. *Dicebant ergo Judæi inter se: Quo iturus est?* Tametsi illi qui desiderabant ut abiret, nihilque non agebant, ut ne ultra viderent eum, non debuissent hoc quærere; sed dicere, Gaudemus quod abeas: et quando hoc erit? Sed his verbis movebantur, et ab se mutuo ac stulte quærunt, quo iturus esset. *Numquid in dispersionem gentium?* Quid est, *In dispersionem gentium?* Sic gentes vocabant Judæi, quia ubique dispersæ erant, et libere commiscebantur. Hanc quoque et illi postea ignominiam passi sunt: nam ipsi quoque dispersio fuerunt. Olim tota gens simul coacta erat, nec alibi reperire erat Judæum, quam in Palæstina tantum. Ideo Judæi gentes vocabant dispersionem, exprobrantes illis, ac de se magnifice sentientes. Quid ergo sibi vult illud, *Quo ego vado, vos non potestis venire*, dum cum illis Judæi ubique per orbem terrarum commiscerentur? Si ergo gentes significare voluisset, non dixisset, *Quo non potestis venire.* Cum autem dixerunt, *Num in dispersionem gentium iturus est?* non addiderunt, Et perditurus eas, sed, *Docturus.* Sic sedata est illorum ira, et dictis crediderunt. Nam si non credidissent, non quæsituri inter se erant quid diceret. Verum hæc illis dicta sunto. Sed timendum, ne nobis quoque illa competant, quod ubi ille est, eo nos non possimus abire, quod vita nostra peccatis sit plena. De discipulis enim ait, *Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum* (*Joan.* 17. 24). De nobis vero timeo ne contrarium dicatur, *Ubi ego sum, non potestis venire.* Cum enim contra quam præcipitur agamus, quomodo poterimus illo abire? Nam in hoc sæculo, si quis miles ea agat quæ contra regis dignitatem sint, non poterit regem videre, sed exauctoratus extremum luet supplicium.

Avaritia, rapina injustitiaque fugiendæ. Eleemosyna commendatur. — Si ergo rapiamus, avaritiæ studeamus, injuste agamus, percutiamus, eleemosynam non erogemus, non poterimus illo abire; sed id patiemur quod virginibus accidit: quæ ad illum ingredi non potuerunt, sed recesserunt, exstinctis lampadibus, hoc est, gratia deficiente. Flammam quippe illam, quam a Spiritus gratia statim accipimus, si velimus, ardentiorem efficimus; sin nolimus, statim illam perdemus. Illa autem exstincta, nihil aliud quam tenebræ in nostris insidebit animis. Sicut enim ardente lucerna, multa lux splendet: sic illa restincta, nihil nisi tenebræ. Ideo ait: *Nolite spiritum exstinguere* (1. *Thess.* 5. 19). Exstinguitur autem, cum oleum non habet; quando vento vehementior quædam vis insufflat; quando comprimitur et coarctatur. Sic enim exstinguitur ignis. Comprimitur autem a sollicitudinibus sæcularibus, et exstinguitur a mala concupiscentia. Ad hæc nihil illam ita exstinguit, ut inhumanitas, crudelitas, rapina Cum autem, oleo deficiente, aquam etiam frigidam infundimus, hoc est avaritiam, quæ per læsorum mœstitiam animas exstinguit, unde poterunt iterum accendi? Migrabimus ergo pulverem cineremque multum nobiscum ferentes fumumque nos accusantem, quod lampadas exstinxerimus. Ubi enim fumus est, ibi necesse est exstinctum ignem fuisse. Verum absit ne quispiam hanc vocem audiat, *Nescio vos.* Quandonam autem hæc vox audietur, nisi ubi cum pauperem videmus, perinde affecti sumus, ac si non videremus? Quando nos Christum esurientem ignorabimus, ignorabit et ille nos oleo egentes: et jure quidem. Nam qui miserum despicit, nec juvat ex bonis suis, quomodo quæret accipere ex non suis? Quamobrem, rogo, omnia faciamus, omnia moveamus ut oleum nobis non deficiat; sed ornemus lampades, et cum sponso in thalamum ingrediamur: quem nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LI.

Cap. 7. v. 37. *In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus, et clamabat dicens : Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* (a) 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

1. ***Auditores divini verbi sitientes esse oportet.***— Qui ad divinam accedunt prædicationem, et fidem servant, eos sitientium desiderium præ se ferre oportet, atque tantam in seipsis incendere concupiscentiam. Sic enim poterunt dicta cautius retinere. Nam qui sitiunt, acceptum poculum cupidissime hauriunt, et ita sitim sedant. Sic itaque qui divinos hauriunt sermones, si sitientes sorbeant, numquam cessabunt donec exhauserint. Quod enim semper oporteat sitire et esurire, dicitur, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* 5. 6). Et hic dicit Christus, *Si quis sitit, veniat ad me et bibat;* id est, Neminem necessitate aut vi traho; sed si quis animo promptus, si quis desiderio fervens sit, hunc ego voco. At cur evangelista sic expressit, *In novissimo die magno?* Etenim primus et ultimus magnus erat, medii autem potius in deliciis consumebantur. Cur ergo *In novissimo* dicit? Quia illo die omnes conveniebant. In primo non venit ille, et causam dixit fratribus. Sed nec in secundo, nec in tertio quidpiam tale dicit; ne irrita forent verba, dum futurum erat ut illi in deliciis essent. Novissimo autem die, quando recedebant domum, viatica ad salutem dat illis, et clamat; tum ut fiduciam et loquendi libertatem ostendat; tum ut tantæ multitudini significet, se de spirituali potu loquutum esse, adjicitque : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Ventrem cor vocat; ut et alibi ait, *Et legem tuam in medio ventris mei* (b) (*Psal.* 39. 9). Et ubinam dicit Scriptura, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ?* Nusquam. Quid sibi vult ergo illud, *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura?* Hic interpungendum est; ut illud, *Flumina de ventre ejus fluent*, sit Christi sententia. Quia enim multi dicebant, *Hic est Christus;* et *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet* (*v.* 26. *et* 31)? ostendit oportere rectam tenere sententiam, neque ita ex signis, ut ex Scripturis credendum esse. Multi enim cum illum miracula edentem cernerent, non quasi Christum recipiebant; imo dicturi erant, Nonne Scripturæ dicunt, Christum ex semine David venturum esse? Id ille frequenter versabat, ut ostenderet se hujusmodi demonstrationem non fugere : rursusque illos ad Scripturas remittit. Superius enim dixerat : *Scrutamini Scripturas;* et rursum : *Scriptum est in prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei* (*Joan.* 5. 39 *et* 6. 45); et, *Moyses vos accusat;* hic vero, *Sicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent* (*Joan.* 5. 45); ubertatem et copiam gratiæ subindicans, ut alibi dicit, *Fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Ibid.* 4. 14); id est, multam habebit gratiam. Alibi dixerat, *vitam æternam;* hic dicit, *aquam vivam.* Vivam vocat eam quæ semper operatur, Spiritus enim gratia cum in animam ingressa et stabilita fuerit, plus quam fons quivis scaturit; neque cessat, vel evacuatur, neque desinit. Ut ergo simul et numquam deficere, et ineffabiliter operari denotet, fontem et fluvios appellat; non unum fluvium, sed innumerabiles. Et illic salientem pro inundante dixit. Quod clare percipiet si quis sapientiam Stephani, Petri linguam, Pauli vim consideraverit, quo pacto nihil eos tulerit, nihil sustinuerit; non populorum furor, non tyrannorum violentia, non dæmonum insidiæ, non quotidianæ mortes; sed quasi flumina magno impetu fluentia, sic omnia secum traxerint. 39. *Hæc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus sanctus.* Quomodo ergo prophetæ prophetarunt, et innumera edidere miracula? Apostoli enim non Spiritu, sed ejus virtute dæmonia ejecerunt, ut ipse dicit: *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt* (*Matth.* 12. 27)? Hoc autem dicebat significans, non omnes Spiritu ante crucem, sed ejus virtute ejecisse dæmonia. Cum ergo illos missurus erat, tunc dixit, *Accipite Spiritum sanctum;* ac rursum, *Venit in eos Spiritus sanctus, et tunc signa faciebant* (*Joan.* 20. 22).

2. Cum autem misit eos, non dixit, Dedit eis Spiritum sanctum; sed, *Dedit eis potestatem,* dicens : *Leprosos mundate, dæmonia ejicite, mortuos suscitate; gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* 10. 1. *et* 8). Prophetis autem in confesso apud omnes est Spiritum sanctum fuisse datum; sed gratia illa contracta erat et avulsa, atque in terra desierat ab illa die, qua dictum fuit, *Relinquitur domus vestra deserta* (*Ibid.* 23. 38). Et ante illam diem jam rarior esse cœperat. Nullus apud illos propheta erat; neque gratia illorum sacris prospiciebat. Cum igitur Spiritus sanctus jam ablatus esset, futurumque esset ut largius effunderetur, cujus doni principium post crucem fuit, non abundantius modo, sed etiam cum majoribus charismatibus (mirabilius quippe donum fuit, ut cum dicit, *Nescitis cujus spiritus sitis* [*Luc.* 9. 55]; et iterum, *Non enim accepistis spiritum servitutis, sed accepistis spiritum adoptionis* [*Rom.* 8. 15]. Nam veteres illi quoque Spiritum habebant, sed aliis non impertiebant : apostoli vero innumeros illo replebant); quoniam igitur illam gratiam accepturi erant (nondum enim data erat), ideo ait, *Nondum erat Spiritus sanctus.* De hac igitur gratia evangelista dicebat, *Nondum erat Spiritus sanctus,* nempe datus, *quia Jesus nondum erat glorificatus,* gloriam appellans crucem. Quia enim inimici eramus, peccatores, gratia Dei privati, inimici Dei; gratia vero erat reconciliationis indicium; donum autem non inimicis et perosis, sed amicis et probatis datur; opor-

(a) In Morel. quæ sequuntur deerant in titulo.

(b) Hebraice legitur בתוך מעי, *in medio viscerum meorum*, ut vertit Symmachus. Aquila autem et Theodotio, quos sequitur Hieronymus, *in medio ventris mei.* LXX et Vulgata, *in medio cordis mei.* Ex SS. Patribus autem alii hanc, alii illam interpretationem sequuntur.

tebat prius pro nobis offerri sacrificium, et inimicitiam in carne solvi, nosque Dei amicos effici, et tunc donum accipere. Nam si hoc in promissione Abrahæ factum est, multo magis in gratia. Et hoc declarat Paulus his verbis : *Si enim, qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides : lex enim iram operatur* (*Rom.* 4. 14. 15); hoc est, Promisit Deus Abrahæ et semini ejus daturum se terram : sed nepotes ejus promissione illa indigni fuere, et ex propriis laboribus placere non potuerunt. Propterea intravit fides, res facilis, ut gratiam attraheret, et promissa non exciderent. Et, *Ideo ex fide*, dicit, *ut secundum gratiam sit, utque promissio firma sit* (*Ibid. v.* 16). Ideo *Secundum gratiam*, quia id labore sudoreque suo non poterant. Cur autem cum dixisset, Secundum Scripturas, non adjicit testimonium? Quia corrupta illorum sententia erat. 40. *Alii enim dicebant, Hic est ille propheta;* 41. *alii dicebant, Seducit turbam; alii, Non ex Galilæa venit Christus,* 42. *sed ex Bethlehem vico; alii dicebant, Christus cum venerit, nemo scit unde sit;* et diversæ erant opiniones, ut in turba confusa. Neque enim dictis adhibebant animum, neque discendi cupidi erant. Ideo his nihil respondet, etsi dicerent, *Numquid ex Galilæa Christus venit;* Nathanaelem vero vehementius et asperius dicentem, *Ex Nazareth potest aliquid boni exire?* laudavit ut vere Israelitam. Hi enim et qui Nicodemo dicebant, *Scrutare et vide, quia ex Galilæa non surrexit propheta*, non discendi causa dicebant, sed ut opinionem de Christo rejicerent. Ille vero, utpote veritatis amans, qui vetera omnia accurate nosset, hoc dicebat : illi autem unum solum spectabant, ut evincerent ipsum non esse Christum. Quapropter ipsis nihil revelavit. Qui enim contraria loquebantur, et modo, *Nemo scit unde venit*, modo, *Ex Bethlehem venit*, dicebant; etiamsi didicissent, contradicturi haud dubie erant. Esto enim, locum ignorarent, quod ex Bethlehem esset, quia in Nazareth versatus fuerat (quamvis hoc venia dignum non esset; neque enim ibi natus erat); num genus quoque ignorabant, quod esset ex domo et familia David? Quomodo ergo dicebant, *Annon ex semine David venit Christus?* Sed hoc illo modo obtegere volebant, ac fraudulenter omnia loquebantur. Cur autem non accesserunt dicturi : Cum cætera omnia admiremur, jubeasque credi tibi secundum Scripturas, dic cur Scripturæ dicant ex Bethlehem Christum esse venturum; tu autem ex Galilæa venisti? At nihil horum dixerunt, verum omnia maligno animo causificabantur. Quod enim discere non quærerent aut vellent, statim significat evangelista : 44. *Quidam volebant apprehendere eum, sed nemo misit super illum manum suam.* Nam etsi nihil aliud, hoc saltem illos compungere debuisset : sed non sunt compuncti, ut ait propheta : *Dissipati sunt, nec compuncti* (*Psal.* 34. 15).

3. *Malitiæ character. Malitia Judæorum ipsis exitio fuit. Inimicos quomodo ulcisci oporteat. Malum non malo, sed bono sanatur.* — Hujusmodi enim est malitia : nemini vult cedere, unum solum respicit, ut eum perdat, cui insidiatur. Sed quid dicit Scriptura? *Qui fodit foveam proximo, in eam incidet* (*Prov.* 26. 27). Quod tunc etiam contigit. Illi namque ipsum interficere volebant, ut prædicationem abolerent : sed contrarium evenit. Prædicatio namque per Christi gratiam floret, illorum vero omnia exstincta sunt et perierunt, atque illi patria, libertate et cultu suo exciderunt, atque omni felicitate privati, servi et captivi facti sunt. Hæc cum sciamus, numquam aliis insidiemur, gnari nos contra nosmetipsos gladium acuere, et profundiorem nobis infligere plagam. Sed te aliquis læsit, et vis illum ulcisci? Ne ulciscaris, et sic ulcisci poteris. Si ulciscaris, non ulcisceris. Nec putes hoc ænigma esse, sed verum est. Quomodo et qua ratione? Quia si non ulciscaris, Deum ipsi inimicum constituis; si ulciscaris, non item. Nam, *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom.* 12. 19. *Deut.* 32. 35). Nam si servos habeamus qui mutuo rixentur, nec nobis ulciscendi partes concedant, sed sibi : etsi sæpius nos rogent, non modo non ulciscimur, sed etiam indignamur, et fugitivos mastigiasque vocamus : Oportebat enim, ut totum nobis deferres; sed, quia dicimus, teipsum ultus es, ne molestiam ultra crees; multo magis Deus, qui præcepit, ut sibi omnia committeremus, id dicturus est. Quomodo absurdum non fuerit, cum a servis nostris hanc philosophiam et obsequium exigamus, Domino non ea concedere, quæ volumus a servis nostris concedi nobis? Hæc porro dico, quod ita prompti sitis ad ultionem expetendam. Nam eum qui vere philosophatur id facere non decet, sed debet ille peccata dimittere et condonare, etiamsi non magna expectaretur merces, peccatorum nempe remissio. Nam si damnas peccatorem, cur, quæso, ipse peccas, et in eadem laberis? Te quis contumelia affecit? Ne contumeliam rependas, ut ne illam tibi ipsi inferas. Percussit? Ne repercutias, quia nihil inde utilitatis percipies. Mœrore affecit? Ne vicem referas, quia nihil inde lucri, sed illi similis evadis. Sic illum fortasse in pudorem conjicies, si omnia mansuete feras; sic in ruborem, ita ut iram sedet. Nemo malum malo sanat, sed bono malum. Hæc apud gentiles nonnulli philosophantur. Nos ergo pudeat, quod stultis gentilibus quantum ad philosophiam simus inferiores. Multi eorum injuria affecti, æquo animo tulerunt; multi calumnias non propulsarunt; insidiantes beneficio affecerunt. Timendumque est ne quidam ex illis vitæ instituto nobis præstantiores reperiantur, et hinc nos gravius supplicium maneat. Nam si nos qui Spiritum accepimus, qui regnum exspectamus, qui pro cælorum præmio philosophamur, qui gehennam non timemus, qui angeli esse jubemur, qui mysteriorum participes sumus, non illos virtute attingamus, quam consequemur veniam [1]? Etenim si Judæos superare tenemur (*Nisi*, inquit, *abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum* [*Matth.* 5. 20]); multo magis gentiles; si Pharisæos, multo magis infideles. Cum enim, nisi illos superemus, regnum nobis

[1] Alii inserunt, *quam spem possumus habere?*

clausum sit; si gentilibus pejores simus, quomodo hoc ipsum regnum consequemur? Omnem itaque acerbitatem, iram, furorem ejiciamus. *Eadem dicere, mihi quidem non molestum, vobis autem tutum* (*Philip.* 3. 1). Nam medici eodem ipso sæpe utuntur remedio. Et nos non finem faciemus eadem clamandi, memorandi, docendi, hortandi. Nam multa est sæcularium rerum turba, quæ in horum oblivionem conjiciat, ac doctrina frequenti est opus. Ne ergo huc frustra conveniamus, opera exhibeamus bona, ut futura bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria simulque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LII.

CAP. 7. v. 45. *Venerunt ergo ministri ad pontifices et Pharisæos, et dixerunt eis illi : Quare non adduxistis eum?* 46. *Responderunt ministri : Numquam sic loquutus est homo ut hic homo.*

1. *Veritate nihil clarius, nihil simplicius.* — Nihil veritate clarius, nihil simplicius, nisi nos maligne agamus : sed si maligne nos geramus, nihil difficilius. Ecce Pharisæi et scribæ, qui sapientiores esse videbantur, qui cum Christo semper erant, quia insidias illi struebant, licet miracula viderent, licet Scripturas legerent, nihil lucri, sed multum damni tulerunt : ministri vero, etsi illis omnibus expertes, una concione capti sunt : et qui ad illum vinciendum venerant, admiratione vincti redierunt. Non illorum prudentia tantum admiranda est, quod signis non opus habuerint; sed etiam quod sola doctrina capti sint (non dixerunt enim, Nemo umquam tanta edidit miracula; sed quid? *Nemo unquam sic loquutus est*) : non eorum ergo prudentia solum admirabilis est, sed etiam loquendi libertas, quod hæc iis qui se miserant, dixerint; quod Pharisæis ipsum impugnantibus, qui hac de causa nihil non agebant. *Venerunt ministri, et dicunt eis Pharisæi, Quare non adduxistis eum?* Quod venerint, longe majus fuit, quam si mansissent : sic quidem illorum molestia liberati fuissent; sed nunc Christi sapientiæ sunt præcones, majoremque exhibent fiduciam. Nec dicunt, Non potuimus propter turbam, quæ illum quasi prophetam audit : sed quid? *Nemo umquam sic loquutus est.* Atqui poterant illam excusationem afferre : sed rectum animum præ se ferunt. Hoc enim non admirantium modo erat, sed etiam criminantium quod se ad illum ligandum misissent, quem potius audire oportebat. Atqui non longam, sed brevem audierant concionem. Mens enim sincera non longis opus habet sermonibus. Tanta est vis veritatis. Quid ergo Pharisæi? Cum compungi oportuisset, illi contra sic incusant eos, 47. *Numquid et vos seducti estis?* Adhuc blandiuntur, nec asperis utuntur verbis, veriti ne omnino se desererent; sed furorem tamen indicant et caute loquuntur. Cum oportuisset interrogare quid dixisset, et dicta ejus admirari, id non faciunt, gnari se haud dubie captum iri; sed stultissimo illos argumento impetunt. 48. *Cur*, inquiunt, *nemo ex principibus credidit in eum?* Itane, quæso, Christum accusas, et non incredulos? 49. *Sed turba, quæ non novit legem, maledicti sunt.* Hinc magis accusandi estis, quod turba credente vos increduli manseritis. Populares enim ut legem cognoscentes agebant : quomodo ergo maledicti sunt? Vos qui legem non servatis, maledicti estis; non illi qui legi obsequuntur. Non oportebat enim a non credentibus criminari eum, cui non credebantur. Non probandus hic modus est. Nam et vos non credidistis Deo, ut Paulus ait : *Quid enim si non crediderunt quidam? Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? Absit* (*Rom.* 3. 3). Nam prophetæ quoque ipsos semper accusabant dicentes, *Audite principes Sodomorum;* et, *Principes tui non obtemperant* (*Isai.* 1. 10. *et* 23); ac rursum, *Annon vestrum est nosse judicium* (*Mich.* 3. 1); Et ubique vehementius illos incessunt. Quid igitur? Deumne propterea quispiam accusabit? Apage; illorum hoc crimen est. Quonam autem alio signo quis deprehendere possit vos non cognoscere legem, quod non credatis? Cum autem dixissent neminem principum credidisse in eum, sed eos qui legem ignorabant, merito illos arguit Nicodemus his verbis : 51. *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius?* Ostendit eos nec nosse, nec servare legem. Nam si lex vetat quemquam interfici, nisi prius audiatur; ipsi vero antequam audirent, id moliebantur : transgressores sunt legis. Et quia dicebant neminem principum credidisse in eum, ideo indicat evangelista ipsum ex eorum numero esse, ut ostendat etiam principes in eum credidisse. Nondum tamen id palam, ut decuisset, exhibuerant : erantque nihilominus Christo addicti. Vide autem quam parce arguit. Non dicit enim, Vos autem vultis illum occidere, et temere condemnatis hominem ut seductorem. Verum non ita dixit, sed moderatius ingentem illorum impetum cohibebat, necnon illorum inconsiderantiam et sanguinarium animum. Ideo in legem sermonem convertit, aitque : *Nisi audierit diligenter, et cognoverit quid faciat.* Itaque non audire tantum oportet, sed diligenter audire : id enim sibi vult illud, *Et cognoverit quid faciat*, quid velit, quare, et quam rem spectet, an ad reipublicæ eversionem tendat ut inimicus. Dubitantes ergo cum dixissent, neminem principum in ipsum credere, nec vehementer nec remisse in eum feruntur.

2. Quænam hæc consequentia, illo dicente, *Lex nostra non judicat quemquam*, respondere. 52. *Numquid et tu ex Galilæa es?* Cum oportuisset enim ostendere se non temere eo misisse qui illum vocarent, et non opus esse ipsum alloqui, acerbe furioseque reponunt : *Scrutare et vide, quia ex Galilæa propheta non surgit.* Quid enim dixit homo ille? num quod propheta esset? Dixit, non judicatum non occidi

oportere. Illi vero contumeliose, ac si Scripturarum prorsus ignarus esset, hæc reponunt, ac si dicerent : Vade, disce; id enim sibi vult illud, *Scrutare et vide*. Quid ergo Christus? Quia Galilæam et prophetam semper in ore versabant, omnes ab aliena opinione removens, et ostendens se non esse unum ex prophetis, sed mundi Dominum, ait (*Cap.* 8) : 12. *Ego sum lux mundi* (*a*). Non Galilææ, non Palæstinæ, non Judææ. Quid porro Judæi? 13. *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum verum non est*. O stultitiam? Ad Scripturas illos semper mittit, et dicunt, *Tu testimonium perhibes de teipso*. Quod autem perhibuit testimonium? *Ego sum lux mundi*. Magnum dictum, utique magnum. Sed non valde illos exagitavit, quia nec se jam æqualem Patri dicebat, nec se Filium ejus esse vel Deum, sed lucem tantum. Illud quoque tamen evertere volebant : nam majus illud erat, quam dicere, *Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris*. Lucem et tenebras spirituales dicit; hoc est, Non manet in errore. Hic Nicodemum allicit et erigit, utpote qui libere loquutus esset, atque ministros laudat quod ita se gesserint. Clamare enim (*b*) hoc significat, quod voluerit illos ad audiendum inducere : simulque subindicat, illos clam dolos struere, in tenebris nempe et in errore, sed lucem non superaturos esse. Atque Nicodemo in mentem revocat verba illa quæ nuper dixerat : *Omnis qui male operatur, odit lucem, et non venit ad lucem, ne opera ejus appareant* (*Joan.* 3. 20). Quia dicebant, neminem principum in eum credidisse; ideo ait, *Qui male agit, non venit ad lucem*, ostendens non ex lucis imbecillitate illud esse, sed ex illorum perversa voluntate. *Responderunt et dixerunt ei : Tu de teipso testimonium perhibes*. Quid igitur ille? 14. *Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est : quia scio unde veni, et quo vado; vos autem nescitis unde venio*. Quod prius dixerat, hoc opponunt Judæi, tamquam præcipue dictum. Quid ergo Christus? Illud evertit atque ostendit, se illa secundum ipsorum opinionem dixisse eis, quod eum simplicem hominem esse arbitrarentur, aitque : *Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio unde venio*. Quid sibi vult hoc? Ex Deo sum, et Deus, et Filius Dei. Deus sibi fide dignus testis : vos vero non nostis; sponte vestra maligne agitis, et cum sciatis, nescire simulatis : sed secundum humanam sententiam loquimini, nihilque amplius intelligere vultis, quam id quod apparet. 15. *Vos secundum carnem judicatis*. Ut secundum carnem vivere, male vivere est : sic secundum carnem judicare, est injuste judicare. *Ego non judico quemquam* : 16. *et si judico, judicium meum verum est*. Hoc est, Injuste judicatis. Et si injuste judicamus, inquiunt, cur non redarguis? cur non castigas? cur non condemnas? Quia non ad hoc veni, inquit. Id enim significat illud : *Ego non judico quemquam : et si judico, judicium meum verum est*: Nam si judicare vellem, ex condemnatorum numero essetis : hæc vero non judicans dico, [illegible]. Neque ideo dixi, Non judicans dico, quod non [illegible] si judicem, vos esse capturum (nam si judicarem, jure vos condemnarem) : at nunc tempus judicii non est. Futurum quoque judicium subindicat, cum dicit : *Quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater*. Hic porro innuit, non se solum ipsos damnare, sed etiam Patrem. Deinde hoc sub umbra quadam dixit, in rei testimonium inducens : 17. *In lege autem vestra scriptum est, duorum hominum testimonium verum esse*.

3. *Hæreticorum objectio*. — Quid hic dixerint hæretici? Quid plus habeat, quam homines, si hoc dictum simpliciter accipiamus? Apud homines enim ideo hoc statutum fuit, quia nemo solus est fide dignus : apud Deum autem quomodo hoc stare potuerit? Cur dictum est, Duo? num quia duo sunt, vel quia homines sunt, ideo sunt duo? Si quia duo sunt, cur non confugit ad Joannem, nec dixit, Testimonium ego perhibeo de meipso, perhibet quoque de me Joannes? cur non ad angelum? cur non ad prophetas? nam sexcenta alia proferre poterat testimonia. Sed non hoc tantum vult significare, quod duo sint; sed etiam quod ex eadem sint susbtantia. 19. *Dicunt ei : Quis est Pater tuus? Respondit Jesus : Neque me scitis, neque Patrem meum*. Cum enim scientes tamquam inscii interrogarent, quasi tentantes eum, ne responsione quidem illos dignatur. Ideo clarius deinceps liberiusque loquitur, atque ex signis exque doctrina sequentium se testimonium accipit, quod jam crucis tempus immineret. *Scio*, inquit, *unde venerim*. Quod illos non valde movit; cum addidit autem, *Quo ego vado*, magis illos exterruit, quasi non esset in morte permansurus. Sed cur non dixit, Deus sum; sed, *Scio unde venio?* Semper humilia sublimibus admiscet, et hæc etiam subocculat. Cum dixisset enim, *Ego testimonium perhibeo de meipso*, idque ostendisset, ad humiliora venit; ac si dixisset, Scio a quo missus sim, et ad quem vadam. Sic non poterant contradicere, cum audirent, ab eo missum esse, et ad eum reverti. Nihil enim, inquit, falsi loquutus sum. Inde veni, illuc remigro, ad verum Deum. Vos autem Deum non nostis : ideo secundum carnem judicatis. Nam post tot audita indicia et argumenta adhuc dicitis, *Non est verus* : et Moysen fide dignum putatis, et de aliis et de se loquentem; Christum vero non item. Hoc est secundum carnem judicare. *Ego autem non judico quemquam* (*Joan.* 5. 22). Atqui etiam dicit, *Pater neminem judicat*. Cur ergo hic dicit : *Et si judico, judicium meum justum est, quia non sum solus?* Rursus secundum illorum opinionem loquitur. Hoc est, Judicium meum Patris est : neque aliter quam ego Pater judicat, neque aliter ego, quam Pater. Cur vero Patrem memoravit? Non putabant illi fide dignum Filium, nisi Patris testimonium accepisset : alioquin dictum illud non stetisset. Apud homines enim cum duo de re aliena testimonium ferunt, tunc testimonium verum habe-

(*a*) Hic totam de muliere in adulterio deprehensa historiam prætermittit Chrysostomus.

(*b*) Illud, *clamare enim*, videtur respicere illud cap. septimi præcedentis v. 37, *et clamabat dicens*.

tur ; hoc est enim, duos testimonium ferre. Si quis vero de se testimonium ferat, non jam duo testes sunt.

Christus se Patri consubstantialem ostendit. — Viden' illum non alia de causa hoc dixisse, nisi ut ostenderet se consubstantialem esse, et per semetipsum deinde non egere se alio testimonio ; utque probaret se nihil minus habere, quam Patrem ? Vide ergo auctoritatem. 18. *Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater.* Non id posuisset si minoris substantiæ fuisset. Deinde ne numeri causa id positum putes, vide potestatem in nullo diversam. Testificatur homo cum ex se fide dignus est, non cum testimonio eget ; hocque in aliena re : in re vero sua cum testimonio eget, non jam est fide dignus. Hic vero contra. Nam in re sua testificans, et se alterius testimonium habere dicens, se fide dignum esse dicit, undique suam ostendens auctoritatem. Cur enim cum dixit, *Non sum solus, sed ego et qui misit me Pater ;* et, *Duorum hominum testimonium verum est ;* non tacuit, sed adjecit, *Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso ?* Auctoritatem utique demonstrans. Et primo seipsum posuit : *Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso.* Hic vero ostendit se honore parem : nihilque illis prodesse, si Deum Patrem se nosse dicant, si se ignorent, cujus rei causam esse dicit, quod se cognoscere nolint. Dicit ergo non posse Patrem cognosci sine sui cognitione, ut vel sic eos ad sui notitiam attraheret. Quia enim, ipso relicto, Patrem semper discere quærebant, ait : *Non potestis nosse Patrem sine me.* Itaque qui in Filium blasphemant non in ipsum tantum, sed et in Patrem blasphemant.

4. Hæc nos caveamus, et Filium glorificemus : qui si non ejusdem esset naturæ, non ita loquutus esset. Quod si tantum docuerit, licet alterius esset substantiæ, posset quispiam cognoscere Patrem, et ipsum ignorare : rursumque qui Patrem nosset, non ideo Filium cognosceret. Neque enim qui novit hominem, novit etiam angelum. Imo, inquies ; nam qui novit creaturam, novit et Deum. Minime. Multi enim norunt creaturam, imo omnes homines, qui vident illam, et Deum non norunt. Glorificemus ergo Filium Dei, non hac gloria tantum, sed etiam per opera. Sine hac enim gloria, illa nihil est. *Vide tu*, inquit, *Judæus cognominaris, et in lege quiescis, et gloriaris in Deo* (*Rom.* 2. 17). *Qui alium doces, teipsum non doces* [1] *? qui in lege gloriaris, per legis transgressionem Deum inhonoras* (*Ibid. v.* 21) ? Vide ne nos ipsi in recta fide gloriantes, quod vitam fidei consentaneam non exhibeamus, Deum inhonoremus, dum in causa sumus quod blasphemetur. Vult enim ille Christianum esse doctorem orbis, fermentum, lucem, salem. Quid est lux ? Vita splendens, nihil obscuri habens. Lux non sibi utilis est, ut neque sal, neque fermentum, sed aliis utilitatem afferunt. Ita a nobis non utilitas tantum nostra, sed et aliorum exigitur. Sal enim nisi salsum reddat, non est sal. Sed aliud quidpiam deprehenditur. Nam si nos recte vivamus, alii quoque bene se gerent : donec autem recte vivamus, non poterimus aliis prodesse. Nihil fatuum, nihil molle apud nos sit. Tales sunt res sæculares, tales hujus mundi sollicitudines. Ideo virgines fatuæ sunt appellatæ, quia fatuis rebus sæcularibus operam dabant : hic congregantes, nec deponentes ubi deponere par erat. Timendum ergo ne idipsum nobis contingat, neve sordidis induti vestibus abeamus illo, ubi omnes splendidis sunt induti. Nihil enim sordidius peccato, nihil impurius. Quapropter ejus naturam describens propheta clamabat : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ* (*Psal.* 37. 6). Si vis peccati fœtorem ediscere, postquam commissum est illud, considera cum jam a concupiscentia liber es, cum igne non succenderis, tunc percipies quid sit peccatum. Iram cogita cum tranquillus es ; avaritiam, cum expers es illius affectus. Nihil turpius, nihil fœdius rapina et avaritia. Hæc frequenter dicimus, non ut vobis molestiam pariamus, sed ut magnum ac mirabile quidpiam lucremur. Nam qui, re semel audita, non corrigitur, forte si secundo audiat, emendabitur ; vel tandem si tertio moneatur. Utinam autem omnes a malis omnibus liberati bonum Christi odorem habeamus, cui gloria cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Editi habent, *teipsum non judicas ?* sed Savilius legendum putat, *teipsum non doces ?* et quia tres Mss. sic habent, hanc restituimus lectionem.

HOMILIA LIII.

Cap. 8. v. 20. *Hæc verba loquutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo : et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus.*

1. O Judaicam dementiam ! Ante Pascha eum quærebant, atque in medio positum, et per se et per alios ipsum comprehendere sæpe frustra tentaverant ; neque tamen sic de illius virtute stupefacti sunt, sed in malitia perstiterunt. Quod enim id semper tentarent, indicat ille : *Hæc loquutus est in gazophylacio, docens in templo, et nemo apprehendit eum.* In templo loquebatur more magistri, quod magis illos excitare debuisset : et ea loquebatur de quibus offendebantur, et accusabant eum, quod seipsum æqualem Patri faceret. Illud enim, *Duorum hominum testimonium verum est*, hoc significat. Attamen *Hæc*, inquit, *loquebatur in templo*, et quasi magister, *et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus ;* id est, tempus idoneum non erat quo crucifigi volebat. Itaque tunc non illorum potestatis fuit, sed dispensationis ejus. Ipsi enim jam olim volebant, nec potuerunt ; nec tunc potuissent, nisi ipse permisisset. 21. *Dixit ergo eis iterum Jesus : Ego vado, et quæretis me.* Cur hoc frequenter dicit ? Ut illorum animos commoveret ac perterrefaceret. Vide namque quantam id pareret formidinem. Nam cum illum interficere vellent, ut ab illo se exonerarent, quærunt quo vadat : tantam de

re tali conceperant opinionem. Aliud quoque illos docere volebat, non ex ipsorum violentia rem ita fore, sed id jam pridem præfiguratum esse, et his verbis resurrectionem prædixit. Dicebant ergo : 22. *Numquid interficiet semetipsum?* Quid ergo Christus? Illorum ut removeret suspicionem, et ostenderet rem illam esse peccatum, ait : 23. *Vos deorsum estis ;* id est, Nihil mirum si vos homines carnales talia cogitatis, qui nihil spirituale concipitis. At ego non simile quidpiam faciam ; *De supernis enim sum : vos de hoc mundo estis.* Hic rursum mundanas carnalesque cogitationes dicit. Unde palam est illud, *Ego non sum de hoc mundo*, non significare ipsum non accepisse carnem, sed procul esse ab illorum nequitia. Etenim discipulos ex mundo non esse dicit ; habebant tamen illi carnem. Quemadmodum igitur Paulus dicens, *Non estis in carne* (*Rom.* 8. 9), non incorporeos intelligit : sic discipulos non esse de hoc mundo, id illorum philosophiam testificatur. 24. *Dixi ergo vobis, quia si non credideritis quia ego sum, in peccatis vestris moriemini.* Nam si ideo venit, ut tolleret peccatum mundi, et si non potest exui peccatum nisi per lavacrum, necesse est non credentem veterem habere hominem. Nam qui non vult sese per fidem morti tradere et sepulturæ, cum veteri homine morietur, et illo migrabit peccatorum pœnas daturus. Ideo dicebat : *Qui non credit, jam judicatus est*, non solum quod non credat, sed etiam quia cum prioribus peccatis abit. Dicebant ergo : 25. *Tu quis es?* O dementiam! Post tantum temporis, post signa et doctrinam, interrogant, *Tu quis es?* Quid igitur Christus? *Principium qui et loquor vobis.* Hoc est, Indigni estis, qui verba mea audiatis, nedum discatis quis ego sim. Vos enim me semper tentantes loquimini, nihilque dictis meis attenditis : et his de rebus omnibus nunc coarguere possim ; hoc enim significat illud, 26. *Multa habeo de vobis loqui et judicare ;* nec tantum reprehendere, sed etiam punire. Sed qui misit me, hoc est, Pater, hoc non vult. *Non enim veni judicare mundum, sed salvum facere. Non enim misit Deus Filium suum, ut judicet mundum, sed ut salvum faciat mundum* (*Joan.* 12. 47. *et* 3. 17). Si ergo ad hoc me misit, et verax est, jure neminem ego nunc judico. Sed ea loquor quæ ad salutem sunt, non ad reprehensionem. Hæc porro dicit, ne putent ipsum, cum tot et tanta audierit, præ imbecillitate non posse ultionem inferre, vel eorum mentem irrisionesque non cognoscere. 27. *Illi autem de Patre sermonem haberi non intellexerunt.* O stultitiam! Non desistebat de Patre loqui, et non intelligebant. Deinde cum neque ex tot signis, neque ex doctrina illos pertraxisset, de cruce demum edisserit his verbis : 28. *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso non loquor;* 29. *et quod qui me misit mecum est, et non reliquit me solum Pater.* Ostendit se merito dixisse, *Principium qui et loquor vobis.*

2. Usque adeo non attendebant iis quæ dicebantur. *Cum exaltaveritis Filium hominis.* Nonne tunc me sublato speratis a me nihil vobis ultra molestiæ allatum iri? Ego autem dico vobis, *Tunc* maxime *cognoscetis, quia ego sum*, per signa, per resurrectionem, per excidium. Hæc quippe omnia ejus potentiam comprobabant. Neque dixit, Tunc cognoscetis quis sim. Cum videritis, inquit, me nihil ex morte passurum, *Tunc cognoscetis quia ego sum :* nempe Christus Filius Dei, qui omnia fero et duco, nec contrarius Patri. Ideo adjicit, *Et a meipso nihil loquor.* Utrumque enim cognoscetis, et potentiam meam, et cum Patre consensum. Illud enim, *A meipso nihil loquor*, eamdem esse substantiam denotat, et se nihil ultra paternum sensum loqui. Quando a cultu vestro excidetis, nec concedetur vobis pristino more ipsum colere; tunc scietis ipsum me ulcisci, indignatum adversus eos qui me non audierunt ; ac si diceret : Si alienus et Deo contrarius essem, non tantam ille contra vos iram concepisset. Hoc et Isaias dicit, *Dabit impios pro sepultura ejus* (*Isai.* 53. 9) ; et David, *Tunc loquetur ad eos in ira sua* (*Psal.* 2. 5) ; et ipse, *Ecce relinquetur domus vestra deserta* (*Matth.* 23. 38) ; idipsum et in parabolis, *Quid faciet dominus vineæ hujus agricolis illis? Malos male perdet* (*Matth.* 21. 40. 41). Viden' eum ubique sic loqui, quod illi nondum crederent. Quod si ipsos perdat, ut revera perdet; nam ait, *Adducite huc eos qui me nolunt regnare, et interficite* (*Luc.* 19. 27) ; cur illud non suum, sed Patris opus esse dicit? Ut illorum se imbecillitati attemperet, simulque Genitorem suum honoret. Ideo non dixit, Relinquo domum vestram desertam ; sed, *Relinquetur*, impersonaliter loquens. Cum porro dicit, *Quoties volui congregare filios vestros, et noluistis* (*Luc.* 13. 34)? deindeque addit, *Relinquetur*, se desolationis auctorem ostendit. Quia, inquit, beneficiis noluistis ad credendum induci, ex supplicio cognoscetis quis sum ego. *Et Pater mecum est.* Ne putarent, illud, *Qui misit me*, minorem ipsum declarare, addit, *Mecum est.* Aliud enim dispensationis, aliud divinitatis est. *Et non reliquit me solum, quia, quæ placita sunt ei, facio semper.* Rursum ad humiliora descendit, illud frequenter tractans quod dicebant, ipsum ex Deo non esse, sabbatumque non servare : ideo dicit, *Quæ placita sunt ei, facio semper :* indicans placitam ipsi esse sabbati solutionem. Sic cum ad crucem duceretur, ait : *An putatis quia non possum rogare Patrem meum?* Atqui hoc solum dicto, *Quem quæritis?* supinos illos prostravit. Cur ergo non dicit, An putatis me non posse vos perdere? cum id reipsa demonstraverit? Illorum infirmitati se attemperat. Multum enim curabat ostendere, se nihil Patri contrarium facere. Sic et hoc loco humano more loquitur. Ut autem illud, *Non reliquit me solum*, dictum fuit : sic et illud, *Quæ placita sunt ei, facio semper.* 30. *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.* Cum ad humiliora descendit, tunc multi crediderunt. An adhuc interrogas cur humiliter loquatur? Atqui id manifeste indicavit evangelista dicens : *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum ;* tantum non clamans ex rebus ipsis : Ne turberis, auditor, si quid humile audiat. Qui enim post tantam doctrinam nondum persuasi

erant ipsum a Patre esse, merito humiliora audierunt, ut crederent. Et hæc jam defensio præmittitur pro iis quæ postea humiliter dicturus est. Crediderunt ergo; non tamen quantum oportebat, sed utcumque, in humilitate verborum placide consistentes. Quod enim non perfectam haberent fidem, monstrat evangelista in sequentibus, ubi ipsi contumeliam inferunt. Quod autem iidem ipsi essent, indicavit his verbis: 31. *Dicebat ergo Jesus ad eos qui crediderant ei Judæos: Si vos manseritis in sermone meo;* ostendens ipsos nondum suscepisse doctrinam, sed dictis attendere tantum. Quapropter vehementius loquitur. Illic enim simpliciter dicebat, *Quæretis me;* nunc vero addit, *In peccatis vestris moriemini.* Et quomodo id fiat ostendit, Quia cum eo veneritis, non poteritis me rogare. *Hæc quæ loquor in mundo.* His declarat se jam exiturum ad gentes. Cum vero non scirent ipsum de Patre prius loquutum esse, rursum de illo loquitur, et causam, cur humiliter loquutus sit, affert evangelista.

5. Si sic ergo Scripturas accurate scrutari velimus, non perfunctorie, salutem consequi poterimus; si assidue in illis versemur, et in vera doctrina et vitæ probitate instituemur. Ac licet durus sit quispiam, immitis, mollis; licet præcedenti tempore nihil lucratus fuerit, nunc saltem proficiet, et aliquam, etsi non sentiat, utilitatem decerpet. Nam si unguentariam officinam quis adiens, si in illa moretur, vel invitus suavem aliquem consequetur odorem; multo magis qui ecclesiam frequentat. Ut enim ex desidia, negligentia: sic ex operatione, animi ardor oritur. Etsi malis sis innumeris refertus, etsi impurus, noli hanc vitare frequentiam. Quid vero, inquis, si audita non exsequar? Non parum lucri est, si te miserum prædicaveris; non inutilis hic timor est, non intempestiva formido: si solum ingemueris, quod audita non exsequaris, aliquando ad agendum te comparabis. Non potest enim qui Deum alloquitur, ipsumque audit, non aliquid lucri consequi. Statim enim nos colligimus manusque abluimus, cum librum accipere volumus. Viden' quanta vel ante lectionem pietas? Quod si diligenter pergamus, magnam carpemus utilitatem. Neque enim nisi anima pie affecta, manus abluemus: et mulier, si non operta sit, statim velum assumit, in argumentum pietatis interioris: vir, si operto sit capite, nudat caput. Viden' quomodo externus habitus internæ sit pietatis indicium? Inde sedens ad audiendum, frequens ingemiscit, et præteritam vitam damnat. Scripturis ergo animum adhibeamus, dilecti, et saltem evangelia studiose tractemus. Statim enim atque librum aperueris, Christi nomen videbis, et dicentem illum audies: *Jesu autem Christi generatio sic erat. Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, inventa est in utero habens de Spiritu sancto* (*Matth.* 1. 18). Qui autem hæc audierit, statim virginitatis amore capietur, partum mirabitur, a terra migrabit. Nec pro modico habendum est, si vel carptim obiterque videris Spiritu sancto dignatam Virginem, et angelum ipsam alloquentem. Hæc adhuc in superficie sunt: sed si hæc speculando usque in finem perseveres, sæcularia statim omnia respues, terrena omnia deridebis: si dives sis, divitias nihil esse duces, ubi audies illam fabri uxorem in humili domo, matrem Domini fuisse; si pauper, de paupertate non erubesces, cum didiceris Creatorem mundi vilissimam casam non erubuisse. Hæc si cogites, non rapies, non avarus eris, non in aliena involabis; sed potius paupertatis amator eris, divitiasque despicies: hinc mala omnia eliminabis. Rursus cum videris Jesum in præsepio jacentem, non ultra curabis filio tuo ornatum aureum circumponere, non lectum argento decoratum uxori parare. His abjectis curis, jam non avaritiæ vel rapinæ studebis. Multa alia hinc lucra sequuntur, quæ nunc non possumus singulatim recensere; sed scient ii qui experimento didicerint. Quapropter rogo, libros hujusmodi vobis comparetis, librorum sensa percipiatis, atque in mentibus vestris describatis. Judæi namque, quia non animum adhibebant, jussi sunt libros manibus appendere: nos autem non in manibus, sed domi deponimus, cum oporteret in corde exarare. Sic enim absteraia vitæ sordibus, futura consequemur bona: quæ utinam adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIV.

CAP. 8. v. 31. *Dicebat ergo Jesus ad eos qui crediderunt ei Judæos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis,* 32. *et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.*

1. Multa nobis patientia opus est, dilecti. Patientia autem tunc acquiritur, cum dogmata in corde radices egerunt. Ut enim quercum profundis instructam radicibus quævis venti violentia non evellit: sic animam divino confixam timore nemo poterit evertere: clavis enim affixum esse amplius est, quam radicatum esse. Id precabatur propheta, *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* 118. 120). Sic et tu confige et alliga, quasi clavo altius impacto. Ut enim sic affecti vix capiantur, sic secus compositi captu faciles, nullo negotio dejiciuntur. Quod tunc Judæi passi sunt. Cum audissent enim et credidissent, rursus eversi sunt. Cum ergo fidem illorum Christus firmiorem reddere vellet, ne ultra in sola superficie maneret, vehementiore sermone animum configit. Credentium enim erat reprehensiones facile tolerare: illi vero statim excanduerunt. Quomodo id agit? Primo hortatur: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et veritas liberabit vos;* ac si diceret: Altam facturus sum incisionem; sed ne exagitemini. Imo vero his illorum superbiam repressit. A quo, quæso, liberabit? A peccatis. Quid ergo arrogantes illi? 33. *Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus umquam.* Statim animo deciderunt, quia terrenis inhiabant. Illud, *Si manse*

ritis in sermone meo, est indicantis quid in corde versarent, et scientis ipsos credidisse quidem, non autem mansisse in fide. Et magnum quidpiam promittit, ipsos nempe discipulos ejus fore. Cum enim nonnulli nuper recessissent, ipsos subindicans dicit, *Si manseritis* : nam illi audierant, crediderant, et recesserant, quoniam non manserant. *Multi enim discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo palam*[1] *ambulabant* (*Joan*. 6. 67). *Cognoscetis veritatem*; hoc est, me; nam *Ego sum veritas*. Judaica quidem omnia typus erant; veritatem autem a me discetis, quæ vos a peccatis liberabit. Quemadmodum enim illis dicebat, *In peccatis vestris moriemini*; sic et his dixit, *Liberabit vos*.

Servitus peccati.—Non dixit, Liberabo vos a servitute, sed hoc illis intelligendum reliquit. Quid ergo illi? *Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam*. Atqui si indignandum fuisset, de priori utique oportuerat, cum dixit, *Cognoscetis veritatem*, et dicendum erat : Quid ergo? an veritatem ignoramus? lex ergo et notitiæ nostræ mendacia sunt? Verum hæc non curabant, sed de terrenis tantum rebus dolebant, et hæc servitutem esse suspicabantur. Sunt enim, sunt usque nunc etiam multi qui de rebus indifferentibus et de hac servitute erubescant; de servitute peccati non item : ac mallent millies illa servitute servi vocari, quam hac semel. Tales illi erant, neque aliam noverant servitutem; dicuntque : Servos vocasti eos qui ex genere Abrahæ sunt, nobiles illos? quos ideo non oportebat servos vocare. *Numquam*, inquiunt, *servivimus*. Talis Judæorum fastus est. *Semen Abrahæ sumus, Israelitæ sumus*. Nusquam gesta sua commemorant. Ideo in eos clamabat Joannes, *Nolite dicere, Patrem habemus Abraham* (*Matth*. 3. 9). Cur autem non coarguit illos Christus? siquidem sæpe servierunt Ægyptiis, Babyloniis, aliisque multis. Quia non ad contentionem, sed ad salutem loquutus fuerat, et ad beneficia præstanda, id illi curæ erat. Potuisset enim quadringentorum annorum servitutem afferre, hinc septuaginta annorum; et quæ sub judicibus, modo viginti, modo duorum, modo septem annorum; potuisset dicere ipsos numquam serviendi finem fecisse. Verum eos non hominum servos ostendere voluit, sed peccati; quæ servitus est gravissima, a qua solus Deus liberare potest. Dimittendi enim peccata potestatem nemo habet nisi Deus : idque illi confitebantur. Ideoque ad hoc illos inducit his verbis : 34. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*; ostendens se loqui de libertate ab hujusmodi servitute. 35. *Servus autem non manet in domo; filius autem manet in æternum*. Sensim hinc legem dejicit, priora tempora subindicans. Ne enim eo recurrerent dicentes : Sacrificia habemus quæ Moyses præcepit, illa nos eruere poterunt, ideo hæc intulit. Alioquin quam hæc consequentiam haberent? *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam illius*[2] (*Rom*. 3. 23. 24), etiamque ipsi sacerdotes. Ideo Paulus de sacerdote ait, *Debet offerre pro seipso, ut pro populo, quoniam ipse circumdatus est infirmitate* (*Hebr*. 5. 3. *et* 2); et hoc significat dicendo : *Servus non manet in domo*. Hic autem et parem cum Patre honorem, et servi a libero differentiam significat : nam hoc sibi vult parabola; id est, Non habet potestatem servus; quod indicatur per illud, *Non manet*.

2. Cur autem cum de peccatis sermonem habet, domum memoravit? Ut ostenderet sicut in domo habet herus, sic se in omnia potestatem habere. Illud vero, *Non manet*, id est, non habet largiendi potestatem, quod non sit herus; filius porro herus est : id enim significat illud, *Manet in sæculum*, secundum humanarum rerum metaphoram : ne dicant, Tu quis es? Mea sunt omnia; Filius enim sum, et in paterna domo maneo : domum vocat potestatem. Nam alibi quoque domum Patris vocat principatum : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan*. 14. 2). Nam cum de libertate et de servitute sit sermo, jure hac usus est metaphora, dicens illos non habuisse dimittendi potestatem. 36. *Si ergo Filius vos liberaverit*. Viden' eum Patri esse consubstantialem, et quomodo ostendat se parem habere potestatem? *Si vos Filius liberaverit*, nemo contradicet amplius, sed firmam habebitis libertatem. Nam *Deus est qui justificat, quis est qui condemnet?* Hic a peccato se purum ostendit, illamque significat quæ nomine tenus est libertatem, quam dant homines : illam vero aliam, solus Deus. Hinc illis suadet ne propter hanc servitutem erubescant, sed propter peccati servitutem. Et ostendere volens ipsos, etsi servi non sint, quia illam respuerunt servitutem, magis tamen servos factos esse, statim intulit, *Vere liberi eritis*; indeque declarat hanc non esse veram libertatem. Deinde ne dicerent se peccatum non habere (nam credibile erat hoc esse dicturos), vide quomodo illos accuset. Omissis cæteris in illorum vita reprobandis, hoc facinus, quod jam agitabant, in medium adducit : 37. *Scio quia semen Abrahæ estis, sed quæritis me interficere*. Sensim ejicit illos ab Abrahæ cognatione illa, docens ne altum illa de re saperent. Sicut enim libertas et servitus ab operibus pendent, ita et cognatio. Nec statim dixit, Non estis filii Abrahæ illius justi, vos homicidæ; sed cum illis adhuc consonat dicitque, *Scio quia semen Abrahæ estis*; verum non hoc est quod quæritur : et jam asperius in illos invehitur. Etenim ut plurimum observandum est, ipsum cum magnum quidpiam est operaturus, postquam id fecerit, majore uti loquendi fiducia, utpote cum ipsa opera contentiosos reprimant. *Sed quæritis me interficere*. Quid, si juste? At non sic se res habet : quapropter causam ille affert, quia *Sermo meus non capit in vobis*. Quomodo ergo ait in ipsum credidisse? Verum, ut dixi, iterum mutati fuerant. Ideo vehementer in illos invehitur. Nam si de cognatione illa gloriamini, ut vita consonet oportet. Nec dixit, Non capitis verbum; sed, *Sermo meus non capit in vobis*, dogmatum suorum sublimitatem declarans. Atqui non ideo interficere oportuit; imo potius honorare et colere?

[1] Vox, *palam*, in quibusdam Mss. deest.
[2] Hæc, *per gratiam illius*, desunt in quibusdam.

Ut discerent. Sed quid, si tu a temetipso hæc loqueris, ut hæc præveniat, ait : 38. *Quæ ego vidi apud Patrem meum, hæc loquor : et vos quæ audistis apud patrem vestrum, facitis.* Ut ego, inquit, et re et verbis ostendo Patrem, ita et vos re tantum. Non modo enim eamdem substantiam, sed eamdem quam Pater veritatem habeo. 39. *Dicunt ei : Nos patrem habemus Abraham. Dicit eis Jesus : Si patrem haberetis Abraham, opera ejus faceretis.* 40. *Nunc autem quæritis me interficere.* Frequenter hic illorum sanguinarium animum exagitat, et Abrahamum commemorat : idque, ut illos ab hac cognatione abducat, et superfluam illam jactantiam auferat, suadeatque ne illa in re spem salutis habeant, neque in cognatione naturæ, sed in cognatione propositi. Hoc enim illos impediebat quominus ad Christum accederent, quod putarent cognationem talem illis esse satis ad salutem. Quam veritatem dicit? Quod sit æqualis Patri. Ideo enim quærebant illum Judæi interficere, ut ait ille : *Quæritis me interficere, quia veritatem vobis loquutus sum, quam audivi a Patre meo.* Ostendens hæc non esse Patri contraria, rursus ad illum confugit. 41. *Dicunt ei : Nos ex fornicatione non sumus nati; unum Patrem habemus, Deum.* Quid dicitis? Vos Patrem habetis Deum, et Christum incusatis hoc dicentem? Viden' illum præcipuo quodam modo dixisse Deum esse Patrem suum?

3. Quia igitur illos ex Abrahæ cognatione ejecit; cum nihil habeant quod objiciant, aliud quidpiam majus audent ad Deum se referentes. Sed hoc etiam honore illos dejicit dicens : 42. *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me, quia ego ex Deo exivi, et venio : neque a meipso veni, sed ille me misit.* 43. *Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.* 40. *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* Exclusit eos a cognatione Abrahæ; et quia majora ausi sunt, tunc demum plagam infligit, cum dicit eos non modo ex Abraham non esse, sed etiam ex diabolo esse, impudentiæ par vulnus infligens; neque id sine testimonio, sed adhibita probatione. Interficere enim, inquit, diabolicæ est malitiæ. Nec simpliciter opera dixit, sed *Desideria;* ostendens et diabolum et Judæos cædibus esse debitos, idque invidiæ causa. Adamum enim occidit non alia quam invidiæ causa. Hoc et nunc quoque subindicat. *Et in veritate non stetit;* id est, in vitæ probitate. Quia enim illum frequenter incusabant quod non esset ex Deo, dicit hoc inde provenire. Ille namque prior peperit mendacium, cum dixit : *In quacumque die comederitis, aperientur oculi vestri* (*Gen.* 3. 5). Ille primus mendacio est usus. Homines enim illo ut non sibi proprio utuntur, sed ut alieno; hic ut proprio. 45. *Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi.* Qua consequentia arguit? Nulla oblata accusatione vultis me interficere. Quia enim inimici veritatis estis, ideo me persequimini : sin minus, peccatum meum dicite. Ideo pergit : 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hinc illi : *Nos ex fornicatione nati non sumus.* Atqui multi ex fornicatione nati erant, utpote illicitis coitibus assueti : verum non ideo arguit, sed in hoc institit. Quia enim ostenderat illos non ex Deo, sed ex diabolo esse, ex his omnibus procedit. Nam interficere, diabolicum est, ut et mentiri, quod utrumque facitis. Ostendit vero ex amore probari quempiam ex Deo esse. *Quare loquelam meam non cognoscitis?* Cum enim semper dubitarent dicerentque : *Quid est quod dicit, Quo ego vado, vos non potestis venire?* ideo ait : *Non cognoscitis loquelam meam, quia sermonem Dei non habetis.* Idque accidit, quia mens vestra humi repit, et quod mea longe sublimiora sint. Quid ergo si intelligere non poterant? Hic non posse, est nolle. Quia vos ita instituistis, ut abjecti sitis, quod nihil magnum cogitatis. Quia enim dicebant se ideo illum persequi, quod Dei cultui studerent; ideo ubique ostendere conatur, quod se persequi sit Deum odisse, contra vero se amare, sit, Deum nosse. *Unum Patrem habemus, Deum.* Hinc gloriam aucupantur ab honore, non ab operibus. Incredulitas ergo vestra probat non me alienum a Deo esse; sed vos Deum non nosse. In causa autem est quod mentiri, et diaboli opera facere velitis. Illud autem ex abjecto animo proficiscitur, ut apostolus inquit : *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis* (1. *Cor.* 3. 3)? Quare autem non potestis? *Quia desideria patris vestri vultis facere*, id curatis et contenditis.

Judæorum opera Abrahæ operibus contraria. — Viden' illud, *Non potestis*, significare quod non velint? *Hoc Abraham non fecit.* Sed quænam sunt ejus opera? Mansuetudo, modestia, obsequium. Vos contra inhumani et crudeles estis. Unde autem moti sunt, ut ad Deum confugerent? Illos Abrahamo indignos ostenderat. Cum illud vitare vellent, in majus quidpiam ascenderunt. Cum enim cædes illis exprobraret, quasi ad defensionem dicunt se Deum ulcisci. Ostendit ergo illud ipsum esse Deo adversantium. Illud autem, *Exivi*, significat illum inde venisse. *Exivi* enim subindicat ejus ad nos adventum. Quia autem verisimiliter dicturi erant, Aliena et nova loqueris, se a Deo venisse dicit. Ideo hæc non auditis, inquit, quia ex diabolo estis. Cur me vultis interficere? quid criminis offerre potestis? Si nihil, cur non creditis mihi? Sic ergo cum ex mendacio et cæde illos ex diabolo esse ostendisset, probat et ab Abrahamo et a Deo alienos esse; tum quod odio haberent eum qui se nihil læserat, tum quod non audirent sermonem ejus. Demonstrat autem ubique se non esse Deo adversarium, neque ideo illos sibi non credere, sed quod alieni essent a Deo. Nam eum qui peccatum non fecit, qui dicit se a Deo venire et ab ipso missum esse, qui veritatem loquebatur, et ita loquebatur, ut omnes ad se redarguendum provocaret, neque tamen credebatur : palam erat ideo non credi, quod illi carnales essent. Noverat enim, noverat utique peccata animam abjectam reddere. Ideo, inquit, *Quoniam imbecilles facti estis ad audiendum* (*Hebr.* 5. 11). Quando enim terrena non potest quis contemnere, quomodo de cælestibus philosophari poterit?

4. *Moralis exhortatio. Rapere oportet, non peritura bona, sed regnum cælorum.* — Quamobrem, obsecro, nihil non agamus ut rectam instituamus vitam, animum purgemus, ut nihil sordium nobis impedimento sit. Accendite vobis lucem cognitionis, et ne seminetis in spinis. Qui non intelligit malam esse avaritiam, quomodo id quod majus est sciet? Qui ab his non abstinet, quomodo illis hærebit? Rapere bonum est, at non peritura, sed regnum cælorum; nam *Violenti*, inquit, *rapiunt illud* (*Matth.* 11. 12). Non igitur desides possumus illud consequi, sed cum diligentia et studio. Sed quid sibi vult, *Violenti?* Violentia multa est opus (nam angusta est via), et strenuo opus est animo. Qui rapiunt, omnes volunt antevertere: nihil respiciunt, non damnationem, non accusationem, non supplicium, sed unum tantum, id rapere quod appetunt, et omnes qui ante sunt antevertere student. Rapiamus ergo regnum cælorum. Non est culpa id rapere, sed laudi datur; culpa vero est non rapere. Hic divitiæ nostræ non in alterius detrimentum vertunt. Studeamus ergo illud rapere. Si ira, si concupiscentia instent, naturæ vim inferamus, mansuetiores simus, paululum laboremus, ut perpetuo quiescamus. Ne rapias aurum; sed illas rape divitias, quæ te aurum pro luto habere suadeant. Dic mihi, si plumbum et aurum prostarent, quid raperes? nonne aurum? Tu vero ubi is qui rapit punitur, quod majus est honoras; ubi autem raptor honoratur, quod majus est prodis. Quod si utrinque punitio esset, annon ad hoc magis venisses? Hic autem nihil tale est, sed beatitudo. Et quomodo, inquies, rapi potest? Projice ea quæ præ manibus habes. Donec enim hæc [1] tenueris, illa rapere non potes. Cogita virum argento plenas manus habentem; num poterit hoc retento aurum rapere, nisi illud prius projiciat et expeditus sit? Raptorem enim expeditum esse oportet, ne retineatur. Nam sunt quædam adversariæ potestates quæ nos invadunt, ut illud auferant. Sed fugiamus illas, fugiamus, nullam relinquamus foris ansam. Funes incidamus, nudi rebus sæcularibus simus. Quis usus est sericarum vestium? quousque his ridiculis implicabimur? quousque aurum defodiemus? Vellem hæc perpetuo dicendi finem facere: sed vos non sinitis, mihi semper ansam præbentes. Verum nunc tandem absistamus, ut exemplo alios instituentes promissa consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesus Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque sancto Spiritui, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii legunt, *præsentia*, pro, *hæc*.

HOMILIA LV.

CAP. 8. v. 48. *Responderunt ergo Judæi et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes? 49. Respondit Jesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem.*

1. Impudens petulansque est malitia, quæ cum erubescere deberet, magis exasperatur; ut Judæis usu venit. Cum oportuisset enim ex dictis compungi, et admirari fiduciam, verborumque consequentiam, Jesum contumeliis incessunt, Samaritanumque ac dæmoniacum vocant, dicuntque: *Nonne bene diximus, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* Quando enim sublime quidpiam dicebat, id furor esse ab insensatis existimabatur. Atqui nusquam evangelista ante dixit ipsum Samaritanum appellatum fuisse; hinc tamen credibile est ipsum sæpe hoc nomine vocatum fuisse. *Dæmonium habes*, inquis. Atque uter dæmonium habet? an qui Deum honorat, an qui ipsum honorantem contumelia afficit? Quid ergo Christus, ipsa mansuetudo, ipsa modestia? *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem qui misit me?* Ubi oportebat docere illos, fastum illorum deprimere, et instituere ne de Abrahamo altum saperent, ibi vehemens erat; ubi contumelias ferre, multa utebatur mansuetudine.

Quæ contra Deum dicuntur ulcisci, quæ contra nos, patienter ferre par est. — Cum dicebant, Patrem habemus Deum et Abraham, in illos invehebatur; cum autem dæmoniacum appellabant, modeste loquutus est; ut nos institueret, quatenus ea quæ in Deum proferebantur ulcisceremur, quæ in nos autem patienter ferremus. 50. *Ego non quæro gloriam meam.* Hæc dixi, inquit, ut ostenderem vobis non competere Deum vocare patrem, qui homicidæ estis. Itaque honoris ipsius causa hæc dixi, et propter illum hoc audio, atque propter ipsum me inhonoratis. Verum hanc contumeliam non curo. Illi enim ideo pœnas debetis dictorum, propter quem hæc nunc audio. *Ego non quæro gloriam meam.* Ideo omissa vindicta ad cohortationem vertor, et auctor vobis sum, ut illa faciatis, quorum gratia non modo supplicium effugietis, sed etiam vitam æternam consequemini. 51. *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in æternum.* Hic non modo de fide agit, sed etiam de vita pura. Ac superius ait, *Vitam æternam habebit;* hic vero, *Mortem non videbit:* et una subindicat illos nihil adversum se posse. Nam si qui sermonem ejus servaverit, non morietur, quanto minus ipse? Id cum illi intelligerent, aiunt: 52. *Nunc cognoscimus quia dæmonium habes: Abraham mortuus est, prophetæ mortui sunt;* id est, Qui Dei sermonem audierunt, mortui sunt, et qui tuum audierunt, non morientur? 53. *Numquid tu major es patre nostro Abraham?* O jactantiam! Rursus ad ejus cognationem refugiunt. Atqui par fuisset dicere, Numquid tu major es Deo? aut qui te audiunt, majores sunt Abrahamo? Sed non hoc dicunt, quia illum Abrahamo minorem putabant. Primum itaque illos homicidas ostendit, atque hac ratione ipsos a cognatione abducit: et cum persisterent, alia id aggreditur via, demonstrans ipsos frustra laborare. De morte vero nihil dicit, aut revelat, neque explicat de qua loqueretur morte. Interim autem suadet illis se majorem Abrahamo esse, ut sic

illis pudorem inferret. Sane, inquit, etiamsi de vulgo essem, non oporteret innoxium morte mulctari; cum autem veritatem dicam, nullumque admiserim peccatum, atque a Deo missus major sim Abrahamo, annon furore pleni frustra laboratis, cum me tentatis interficere? Quid ergo illi? *Nunc cognoscimus quia dæmonium habes.* At non ita Samaritana; neque enim dixit illi, Dæmonium habes; sed tantum, *Numquid tu major es patre nostro Jacob?* Ili quippe contumeliosi et arrogantes erant; illa vero discendi cupida. Ideo dubitavit, et debita cum modestia respondit, Dominumque vocat illum. Qui enim longe majora pollicitus, et fide dignus erat, non contumelia afficiendus, imo admirationi habendus erat: hi vero dæmoniacum illum appellant. Samaritanæ verba dubitantis erant; hæc autem incredulorum et perversorum. *Numquid tu major es patre nostro Abraham* (*Joan.* 4. 12)? Itaque hoc eum majorem facit, quam Abrahamum. Cum autem illum exaltatum videritis, ipsum majorem esse confitebimini. Ideo dicebat, *Cum exaltaveritis me, tunc cognoscetis quia ego sum.* Et vide prudentiam. Primo, illis a cognatione semotis, ostendit se illo majorem esse, ut prophetis longe excellentior esse intelligeretur. Cum enim illum semper prophetam appellarent, ideo dicebat: *Sermo meus non capit in vobis* (*v.* 37). Illic porro dicebat, se mortuos suscitare; hic vero, illum qui crederet, non visurum esse mortem: quod multo majus erat, quam non concedere ut a morte retineretur. Ideo magis exasperabantur. Quid ergo dicunt? *Quem teipsum facis?* Et hoc contumeliose; Tu, inquiunt, te venditas. Ad hæc Christus: 54. *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.*

2. Quid hic dicunt hæretici? Audivit, *Numquid major es patre nostro Abraham?* nec ausus est respondere, Etiam; sed obscure loquitur. Quid ergo? nihilne est gloria ejus? Apud illos nihil. Quemadmodum enim dicit, *Testimonium meum non est verum*, nempe secundum illorum opinionem · sic et hoc loco dicit, *Est qui glorificat me.* Et cur non dixit, Pater qui misit me? ut supra dixit, sed, *Quem vos dicitis quia Deus vester est, et non novistis eum?* Volebat ostendere ipsos non modo Patrem, sed etiam Deum ignorare. *Ego autem novi eum.* Itaque cum dico, *Novi eum*, non est jactantia; si dicerem me non nosse, mendacium esset; vos autem cum dicitis vos illum nosse, mendaces estis. Atque ut vos nosse falso dicitis, ita ego me non nosse falso dicerem. *Si ego glorifico meipsum.* Quia dicebant, *Quem teipsum facis?* respondet ille, *Si ego meipsum* facio, *gloria mea nihil est.* Ut ergo illum perfecte novi, sic vos ignoratis ipsum. Ut cum de Abrahamo ageretur, non totum abstulit, sed dixit, Scio quia semen Abrahæ estis, ut hinc majorem inferret accusationem; sic et hoc loco non totum abstulit, sed quid? *Quem vos dicitis.* Illam concedens gloriam, majorem effecit criminationem. Quomodo autem illum ignoratis? Quia illum, qui omnia ad ejus gloriam facit et dicit, contumelia afficitis, licet ab ipso missus sit. Verum hoc sine testimonio est, sed quod sequitur ad illud probandum usu veniet. 55. *Et sermonem ejus servo.* Hic si quid contra habuissent, objicere poterant; magnum quippe hoc erat indicium, ipsum a Deo missum fuisse. 56. *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum; et vidit, et gavisus est.* Rursum probat illos ab Abrahamo alienos esse, quando de quibus ille gaudebat, ipsi dolent. Diem autem crucis hic indicare puto, quam arietis et Isaaci sacrificio præfiguraverat. Quid ergo illi? 57. *Quadraginta* [1] *annos nondum habes, et Abraham vidisti?* Itaque quadraginta annos prope jam attigerat Christus. Dixit eis: *Priusquam Abraham fieret, ego sum.* 59. *Et acceperunt lapides, ut jacerent in eum.* Viden' quomodo se Abrahamo majorem esse probaverit? Qui enim gavisus est ut videret diem, et id optabile putavit, sine dubio id beneficio esse putavit, quod ille major esset. Nam cum Judæi illum fabri filium dicerent (*Matth.* 13. 55), neque amplius quidquam de illo existimarent, paulatim eos ad sublimiorem intelligentiam erigit. Cum ergo audierunt se Deum non nosse, id non ægre tulerunt; cum autem audierunt, *Antequam Abraham fieret, ego sum*, ac si eorum nobilitas degeneraret, exasperantur et lapides jaciunt. *Vidit diem meum, et gavisus est.* Ostendit se non invitum ad crucem venire: siquidem laudat eum qui de cruce gaudet, quæ salus mundi erat. Illi autem lapidabant: ita erant ad cædes parati, et sine ullo examine id ex se faciebant.

In Christo vox, Sum, *perpetuitatem significat.* — Cur vero non dixit, Priusquam Abraham fieret, ego eram, sed, *Ego sum?* Sicut ipsius Pater illa usus est voce, *Sum*, sic et ille. Hæc quippe vox significat ipsum perpetuo esse, ab omni liberum tempore; ideoque ipsis blasphema vox esse videbatur. Qui vero comparationem illam cum Abrahamo non ferebant, licet illa non tanta esset; si sæpe se Patri coæquasset, annon illum perpetuo impetiissent? Deinde fugit iterum humano more, et abscondit se, cum satis eos docuisset et sua implesset; exivit de templo, et secessit ad cæci curationem, operibus fidem sibi concilians, quod nempe ante Abraham esset. Sed forte dicet quispiam: Cur illorum conatum non fregit? sic enim forte credidissent. Paralyticum sanavit, nec crediderunt; mille signa fecit, et in ipsa passione supinos illos prostravit, illorum oculos obtenebravit, et non crediderunt; et quomodo credidissent, si vim et conatum eorum solvisset? Animo quippe desperato nihil pejus: sive signa viderit, sive prodigia, in eadem perseverat impudentia. Nam Pharao mille plagis acceptis, cum castigaretur tantum, resipiscebat, et usque ad ultimum diem idem perstitit, illos quos dimiserat persequutus. Ideo Paulus sæpe dicit, *Ne obduretur quis ex vobis fallacia peccati* (*Hebr.* 3. 8). Quemadmodum enim vires corporis [2] demum exstinguuntur, et omnem sen-

[1] Sic omnes Mss. et Editi Chrysostomi, atque ita legitur, inquiunt, in quodam Barberino Codice. Sed aliorum Novi Testamenti exemplarium recepta lectio est, *quinquaginta*.

[2] Hic, inquit Savil., inserendum conjicit doctissimus Boisius, *morbis diuturnis exhaustæ*, et quidem aliquid hujusmodi desiderari clarum est. Verum reclamant omnia exemplaria, et sic posse stare textum arbitror.

sum amittunt : sic et anima multis affectibus detenta, ad virtutem fit velut mortua. Quidquid ipsi obtuleris, nihil sentit ; sed sive supplicium, sive quidvis aliud commineris, sine sensu manet.

3. *Contra invidos ; invidus ut alium perdat, ipse perit.* — Quamobrem, obsecro, donec spem salutis habemus, donec converti possumus, omnia faciamus. Nam qui sensu carent, tamquam gubernatores desperantes, navem ventis committunt, nihil ex se afferentes ; sic se denique isti gerunt. Invidus hoc unum spectat, ut cupiditatem suam impleat : etsi supplicium et mortem sit subiturus, morbum animi curat solum ; ut et impudicus et avarus. Si vero tanta sit morborum animi tyrannis, multo major virtutis vis esse debet. Si propter illa mortem despicimus, propter hanc multo magis despiciamus. Si suam illi animam spernunt, multo magis nobis pro salute omnia spernenda sunt. Quæ enim nobis erit excusatio, si cum illi qui pereunt, tantam perniciei suæ dant operam, non parem nos pro salute nostra exhibeamus, sed semper invidia tabescamus? Nihil enim invidia pejus ; ut alium perdat invidus, ipse perit. Invidi oculus dolore tabescit, in morte vivit perpetua, omnes arbitratur sibi inimicos, qui etiam nihil se læserunt. Dolet quod Deus honoretur, gaudet de quibus lætatur diabolus. Ille honoratur ab hominibus? Sed non est hic honor, ne invideas. Sed a Deo honoratur? Imitare illum? Sed non vis? Cur ergo teipsum perdis? cur projicis id quod habes? Non potes illi par esse, neque virtutem assequi? cur malitiam amplecteris? Oporteret illi gratulari, ut si non possis laborum consors esse, saltem ex congratulatione lucreris. Sæpe namque propositum sufficit ad magnum præstandum opus. Ait quippe Ezechiel (*Cap.* 35. 12), ideo Moabitas puniri, quod de Israelitarum malis gauderent : aliosque salutem consequi, quod de aliorum malis ingemiscerent. Quod si aliquid boni et solatii sit iis qui gemunt de aliorum malis, multo magis iis qui de aliorum honoribus gaudent. Moabitas incusabat quod de Israelitarum malis gauderent : atqui Deus castigabat illos ; sed non vult nos gaudere de suppliciis ab se illatis : neque enim lætatur dum ulciscitur. Quod si condolendum est patientibus, multo magis oportet honoratis non invidere. Sic perierunt Core et Dathan, qui eos, quibus invidebant, splendidiores reddiderunt, seseque ultioni tradiderunt. Fera quippe est venenosa invidia, fera impura ; malitia voluntaria, quæ veniam non mereatur, nequitia quæ defendi nequit, omnium malorum causa et mater. Ideo illam radicitus evellamus, ut et a præsentibus malis liberemur, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LVI.

CAP. 9. v. 1. *Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate : 2. et interrogaverunt eum discipuli ejus, dicentes : Rabbi, quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus nasceretur?*

1. *Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate.* Humanus cum sit, et nostræ salutis cupidus, ut improborum ora obstrueret, nihil omittit eorum quæ adhibere par erat, etsi nemo ei attenderet. Hoc videns propheta dicebat : *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris* (*Psal.* 50. 6). Ideo nunc, quia verborum sublimitatem non capiebant, sed etiam dæmoniacum illum vocabant, atque interficere tentabant, e templo egressus, cæcum sanat, ut et absentia sua illorum furorem sedaret, et signo facto duritiem illorum immanitatemque emolliret, ac fidem dictis conciliaret ; signumque edit non vulgare, sed quod tunc primum visum fuerat. *A sæculo*, inquit, *non est auditum, quod aperuerit quis oculos cæci nati* (*Joan.* 9. 32)? Cæci enim oculos forte quis aperuerit ; cæci nati, non item. Ac quod egressus e templo ad hoc data opera venerit, inde palam est, quod ipse cæcum viderit, cæcus vero ad ipsum non venerit. Et tam diligenter illum intuitus est, ut id discipuli adverterent, et ad interrogandum inducerentur. Videntes enim eum studiose conspicientem, interrogaverunt eum : *Quis peccavit, hic, aut parentes ejus?* Falso nixa interrogatio. Quomodo enim peccasset antequam nasceretur? quomodo ob parentum peccatum hic punitus esset? Quomodo ergo ad hanc venerunt interrogationem? Antehac cum paralyticum sanavit, dixit : *Ecce sanus factus es; noli amplius peccare* (*Joan.* 5. 14). Discipuli ergo considerantes illum propter peccatum in paralysin incidisse, dicunt : Esto, ille propter peccata in paralysin inciderit ; de hoc quid dixeris? num hic peccavit ; Verum id dici nequit : nam a nativitate cæcus est. Num forte parentes ejus? Neque hoc dici potest : filius enim pro patre non dat pœnas. Ut ergo puerum morbo laborantem videntes dicimus : Quid de hoc dicendum, quid fecit hic puer? non rogando, sed dubitando : sic discipuli non tam interrogando quam dubitando, id dicebant. Quid ergo Christus? 3. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus.* Quod non dicit, ut eos prorsus peccatis liberos indicet (neque enim simpliciter dixit, *Neque hic peccavit, neque parentes ejus ;* sed addidit : Ut cæcus nasceretur) (*a*), sed ut glorificetur Filius Dei. Peccavit namque hic et parentes ejus : sed non inde cæcitas venit.

Nemo de peccatis aliorum, ne de parentum quidem dat pœnas. — Hæc porro dicit, non ut indicaret, non hunc quidem, sed alios his de causis cæcos fuisse, nempe ob parentum iniquitatem : neque enim licet, alio peccante, alium castigare. Nam si hoc concedamus, illud etiam concedamus oportet, ipsum antequam nasceretur peccavisse. Ut ergo cum dicit, *Neque hic peccavit*, non intelligit ab ortu quempiam

(*a*) Atqui hæc verba, *ut cæcus nasceretur*, nusquam in Evangelio reperiuntur.

peccare et puniri : sic cum dicit, *Neque parentes ejus*, non declarat quempiam de peccatis parentum pœnas dare. Nam Ezechielis ore hanc tollit opinionem : *Vivo ego, dicit Dominus, si erit hæc parabola dicens : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt* (*Ezech.* 8. 3 *et* 2). Moyses item ait : *Non morietur pater pro filio* (*Deut.* 24. 16). Et de quodam rege dicit, quod propterea id non fecerit, servans legem Moysis (4. *Reg.* 14. 6). Quod si quis objecerit : Quomodo ergo dicitur : *Qui reddit peccata parentum in filios usque ad tertiam et quartam generationem* (*Deut.* 5. 9)? reponemus, sententiam non esse universalem; sed de quibusdam dici, qui ex Ægypto exierant; hoc est, Quia ii qui ex Ægypto exierant, post tot signa et prodigia parentibus suis pejores evaserunt, qui tamen parentes nihil horum viderant, eadem illa patientur, inquit, quæ illi passi sunt, quia eadem scelera perpetrarunt. Et quod res sic intelligenda sit, probe capiet, si quis locum exploret. Cur ergo cæcus natus est? *Ut manifestaretur*, inquit, *gloria Dei*. Hinc rursus alia exsurgit quæstio : Num absque hujus punitione, non poterat gloria Dei apparere? Certe non dicitur non potuisse; poterat enim : sed ut in hoc etiam appareret. Ergone, inquies, injuriam propter Dei gloriam accepit? Quam, quæso, injuriam? qui, si nunquam illum nasci voluisset? Ego vero etiam ex cæcitate beneficium accepisse dico; nam interioribus quoque vidit oculis. Quid juvant oculi Judæos? Majus enim supplicium habuerunt, quod videndo cæci essent. Quid vero huic damni fuit ex cæcitate? Propter illam visum accepit. Itaque ut mala hujus vitæ, mala non sunt; sic bona non sunt bona; sed unum peccatum malum est, cæcitas vero non mala. Qui autem ex nihilo producit, potuit illum sic relinquere. Quidam vero dicunt hanc particulam non esse causalem, sed ex eventu dici; ut quando dicit : *In judicium veni in hunc mundum, ut non videntes videant, et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* 9. 39). Non enim venit ut videntes cæci fierent. Et rursum Paulus : *Nam quod notum est Dei, manifestum est in illis, ut sint inexcusabiles* (*Rom.* 1. 19). Etsi non ideo manifestaverit, ut excusatione privarentur, sed ut illam haberent. Et rursum alibi, *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* 5. 20). Atqui non ideo subintravit, sed ut cohiberetur peccatum.

2. Viden' ubique adverbium ex eventu poni? Ut enim architectus optimus partem ædium perficit, partem imperfectam reliquit, ut ex residuo apud incredulos de toto sese defendat : ita et Deus corpus nostrum conglutinat et perficit, tamquam domum quamdam labantem, cum manum aridam sanat, paralytici membra firmat, claudos erigit, leprosos mundat, ægros sanat, crura debilia confirmat, mortuos suscitat, clausos oculos aperit, non habenti oculos visum dat. Quæ omnia infirmæ naturæ vitia dum corrigit, potestatem ostendit suam. Cum dicit autem, *Ut manifestetur gloria Dei*, de se, non de Patre loquitur. Illius quippe gloria manifesta erat. Quia enim audierant, Deum, cum hominem formaret, accepisse limum de terra; ideo sic ille lutum formavit. Si enim dixisset : Ego sum qui accepi pulverem de terra, et hominem formavi, id auditoribus offensioni fuisset; ubi vero id ipso opere ostendit, non repugnare potuerunt. Accepto itaque pulvere, quem cum sputo commiscuit, sic occultam gloriam suam manifestam reddidit. Non parva enim gloria erat, quod creaturæ opifex putaretur. Ex hoc enim cætera sequebantur : ex parte totum credebatur. Majoris namque fides id quod minus erat confirmabat. Creatarum enim rerum omnium præstantissimus est homo, et membrorum pretiosissimum est oculus : idcirco non simpliciter, sed illo modo hic oculos creavit. Etsi enim parvum sit membrum, est tamen maxime necessarium corpori : hoc Paulus declarat : *Et si dixerit auris, Non sum oculus, non sum de corpore : num ideo non est de corpore* (1. *Cor.* 12. 16)? Omnia quippe quæ in nobis sunt, divinam potentiam demonstrant; multo magis oculus, qui totum corpus gubernat, qui toti corpori pulchritudinem indit, qui faciem ornat, qui lucerna est omnium membrorum. Nam quod sol est orbi, id oculus est corpori. Si solem exstinguas, omnia perdidisti, omnia turbasti : si exstinguas oculos, pedes sunt inutiles, manus, item ipsa anima. Cognitio enim his labefactatis abit : his namque Deum novimus. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur* (*Rom.* 1. 20). Non ergo corpori solum lucerna est oculus, sed animæ plus quam corpori. Quapropter ceu in regio quodam loco superne locatur, cæterisque superponitur sensibus. Hunc itaque format. Deinde ne putes ipsum materia opus habuisse ad agendum, et discas non luto opus habuisse initio (nam qui substantias majores ex nihilo produxit, multo magis hanc sine prævia materia fecisset) : ut ergo discas illa non indiguisse, docens se Creatorem in principio fuisse, apposito luto dicit (*v.* 7) : *Vade, lavare*, ut intelligas me ad formandos oculos luto opus non habere, sed ut manifestetur in ipso gloria mea. Quod enim de seipso loquatur cum dicit, *Ut manifestetur gloria Dei*, intulit, 4. *Me oportet facere opera ejus qui misit me;* id est, Oportet me manifestare meipsum; et ea facere, quæ demonstrare possint me eadem facere quæ Pater facit; non similia, sed eadem, quod majorem significat æqualitatem, diciturque de iis, qui ne vel tantillum inæquales sunt. Quis ergo jam contradixerit, videns eum eadem posse quæ Pater potest? Non modo enim oculos formavit, nec solum aperuit, sed et visum largitus est, quod argumentum etiam est, ipsum animam quoque inspirasse. Illa enim non operante, oculus etsi sanus et integer fuerit, nihil umquam viderit. Itaque animæ etiam operationem [1] indidit, et membrum dedit omnibus instructum arteriis, nervis, venis, sanguine, cæterisque omnibus, ex quibus corpus nostrum constituitur. *Me oportet operari, dum dies est.* Quid hæc sibi volunt? et quam habent consequentiam? Multam. Hoc enim vult significare :

[1] Morel. legit, *nobilitatem*, pro, *operationem*.

Donec dies est, donec possunt homines in me credere, dum vivo, operandum mihi est. *Venit nox*, hoc est futurum tempus, *quando nemo potest operari*. Non dixit, Quando ego operari non possum; sed, *Quando nemo potest operari;* id est, Quando non est amplius fides, non labores, non pœnitentia. Quod enim fidem opus appellat, dicunt ei, *Quid faciemus, ut operemur opera Dei?* Respondet, *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit.* Quare ergo hoc opus nemo potest tunc operari? Quia tunc fides non erit, sed velint, nolint, omnes audient. Ne quis enim diceret, illum ambitione motum hoc facere, ostendit se eorum gratia omnia facere, quippe qui hic solum habeant credendi facultatem, nec quidpiam ibi lucri consequi possint. Ideo nec accedentem cæcum curavit. Quod enim dignus esset qui curaretur: quodque si vidisset, credidisset accessissetque; et si ab aliquo audisset præsentem, non neglexisset, ex iis quæ sequuta sunt palam est, ex fortitudine nempe et ex fide ejus. Poterat enim secum cogitare ac dicere: Quid hoc est? lutum fecit, et lenivit oculos meos; et dixit mihi, *Vade, lavare.* Annon poterat curare me, et tunc in Siloam mittere? Sæpe ibi me lavi cum aliis, nihilque mihi profuit. Si quam potestatem haberet, præsens me sanavisset. Quod etiam dicebat Naaman Elisæo. Jussus enim lavare se in Jordane, non credebat, cum tamen tanta esset Elisæi fama (4. *Reg.* 5. 11). At cæcus non fuit incredulus, nec contradixit, nec secum reputavit: Quid hoc est? an lutum imponere oportuit? hoc potius cæcum reddiderit: quis umquam sic visum recepit? Sed nihil horum cogitavit. Viden' fidem et animum firmum? *Venit nox.* Hinc ostendit, etiam post crucem se impiorum curam habiturum esse, multosque attracturum. *Adhuc dies est.* Posthac vero illos penitus abscindet, quod ita declarat: 5. *Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi.* Quod etiam aliis dixit: *Credite, donec lux vobiscum est* (*Joan.* 12. 36).

3. Cur ergo Paulus præsentem vitam noctem vocavit, illam autem vitam diem? Non contraria Christi verbis, sed eadem ipsa dicens mente, non litera, nempe, *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* 13. 12). Noctem enim præsens tempus vocat, propter eos qui in tenebris sedent, vel comparando eam cum illa die: Christus vero noctem appellat futurum tempus, quod tunc a peccando cessetur. Paulus vero præsentem vitam noctem appellat, quia ii qui in nequitia et incredulitate vivunt, in tenebris sunt. Fideles igitur alloquens ait, *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*, utpote qui luce illa fruituri sint: noctem vero veterem vitam appellat. *Abjiciamus*, inquit, *opera tenebrarum* (*Ibid*). Viden' illum noctem ipsis esse dicere? Quare addit: *Sicut in die honeste ambulemus*, ut illa fruamur luce. Nam si lux hæc tam pulchra est, cogita qualis erit illa. Quantum enim solaris radius est lucernæ lumine splendidior, tanto, imo longe magis erit lux illa hac præstantior. Et hoc significabat his verbis, *Sol obtenebrabitur;* id est, ob vim splendoris illius non apparebit. Quod si nunc ut splendidas et bono aere fruentes ædes habeamus, infinitas opes expendimus misere exædificando: cogita quot sint subeundi corporei labores, ut splendidas ædes nobis in cælis exstruamus, ubi lux illa ineffabilis. Hic enim et pugnæ et contentiones de terminis et parietibus: ibi vero nihil simile, nulla invidia vel livor; nemo de terminis nobiscum contendet. Hæc porro necessario relinquenda domus est; illa perpetuo manet: hæc tempore teritur, innumerisque obnoxia est detrimentis; illa semper stat: hanc pauper excitare nequit; illa vel duobus obolis construitur, ut vidua illa construxit. Ideo præfocor, quod tot nobis propositis bonis, ita segnes desidesque simus, nihilque non agamus, ut hic conspicuis fruamur ædibus, dum nihil curamus ut in cælis vel minimum paremus nobis diversorium. Dic, quæso, ubi hic domum habere velles? in deserto, aut in aliquo parvo oppidulo? Non puto: sed in magnis regiisque urbibus, ubi majus commercium, ubi splendor major est. Ego in talem te duco civitatem, cujus opifex et auctor est Deus. Hic, quæso, construamus, hic exædificemus minore sumptu et labore[1]. Has ædes construunt manus pauperum, hoc optimum est ædificium; quæ autem hic construimus, extremæ sunt dementiæ argumentum. Nam si quis te in Persidem ageret, visurum illam regionem et mox reversurum; atque te illic juberet ædes exstruere: annon stultissimum illum diceres, qui tibi inanem sumptum suaderet? cur ergo in terra idipsum facis, unde brevi migraturus es? At, inquies, filiis relinquam. Verum illi quoque te paulo post sequuturi sunt; imo sæpe te præcedent, illorumque similiter posteri; hincque tibi mœroris causa, cum heredes non tibi superesse videas. Ibi vero nihil hujusmodi timendum, sed immota manet hereditas tibi, filiis, nepotibus, si eamdem virtutem imitabuntur. Illam Christus ædificat: quo opifice nullis curatoribus, nulla sollicitudine est opus. Ubi enim Deus in se suscipit opus, quid ultra curandum? Ille omnia colligit, et domum excitat. Neque id solum mirabile est; sed quod ita illam exstruat ut optare, imo melius quam optare possis. Est enim artifex optimus, qui tibi utilissima curat. Si pauper sis, et hanc construere domum velis, nullam invidiam, nullum tibi pariet livorem. Nemo enim invidus illam videt[2], sed angeli tantum, qui de bonis tuis gaudent: nemo illius fines invadere poterit, quia hoc morbo laborantium nullus vicinus erit. Vicinos illic habebis sanctos, Paulum, Petrum, prophetas omnes, martyres, angelorum et archangelorum cœtus. His vero de causis facultates pauperibus effundamus, ut illa tabernacula consequamur, quæ nos omnes adipisci contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Hæc, *et labore*, desunt in quibusdam Mss.
[2] Legendum putat Boisius in notis Savilianis, *in illa habitat*, loco, *illam videt*.

HOMILIA LVII.

Cap. 9. v. 6. *Hæc cum dixisset Jesus, exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos cæci, et dixit : 7. Vade, lavare in piscina Siloe.*

1. *Scripturæ non perfunctorie legendæ. Cur Christus cæcum sanaturus in terram exspuerit. Cæci nati fides quanta.* — Qui aliquam ex lectionibus utilitatem carpere volunt, ne minimum quidem prætercurrant. Ideo namque Scripturas scrutari jubemur, quia multa quæ statim facilia videntur, magnam habent latentem sententiæ profunditatem. Vide namque quid in præsenti proponatur. *Hæc cum dixisset*, inquit, *exspuit in terram* (v. 3. et 4). Cur hoc? Ut manifestetur gloria Dei, et quod oporteat me facere opera ejus qui misit me. Neque enim sine causa hæc memoravit evangelista, addiditque ipsum exspuisse; sed ut declararet Jesum operibus sermonem confirmare. Et cur non aqua usus est, sed sputo ad lutum faciendum? Missurus illum erat in Siloe. Ne quid ergo fonti adscriberetur, sed disceres, ex ore ejus exiisse virtutem, quæ efformavit et aperuit oculos, exspuit in terram. Hoc significans evangelista dicebat, *Et lutum fecit ex sputo*. Deinde ne putaretur opus ex terra processisse, lavare jussit. Cur ergo non statim hoc fecit, sed in Siloam misit? Ut cæci fidem discas, utque Judæorum pervicacitas reprimeretur. Credibile enim est omnes vidisse illum abeuntem, illitumque lutum in oculis habentem. Res enim inexspectata omnium oculos ad ipsum convertit : tum qui viderunt, tum qui ignorabant, ad rei exitum intenti erant. Quia enim non facile creditu erat cæcum visum recuperasse, per longam viam multos parat testes, et tam insolitæ rei spectatores; ut attentiores facti, jam non possent dicere, Hic est, non est hic. Ad hæc vero vult illud ostendere, se veteri legi contrarium non esse, dum in Siloe mittit. Neque enim metuendum erat, ne facti gloria Siloe referretur. Multi namque istic oculos laverant, qui nihil inde boni sunt consequuti. Hic enim virtus Christi omnia operatur : ideoque interpretationem hic adjicit evangelista. Cum dixisset enim, *In Siloe*, adjicit, *Hoc est, Missus*, ut intelligas illic a Christo curatum esse, ut Paulus ait : *Bibebant autem de spirituali consequente illos petra : petra autem erat Christus* (1. Cor. 10. 4). Ut ergo Christus erat spiritalis petra, ita et spiritalis Siloe. Videtur autem mihi repentina illa aquæ præsentia arcanum nobis significare mysterium. Quodnam illud? Inexspectatum præter spem omnem adventum. Sed vide mihi cæci animum in omnibus obsequentem. Neque enim dixit, Si lutum aut sputum mihi oculorum usum restituunt, quid opus est Siloe? si vero Siloe, quid opus est sputo? cur linivit, cur lavare jussit? Nihil horum vel cogitavit; sed unum in proposito habebat, ut jubenti obtemperaret : nihil ipsum retinuit, nihil offendit. Si quis vero dicat, Quo pacto luto deposito visum recepit? nihil a nobis audiet aliud, quam nos modum nescire. Et quid mirum si nesciamus, quando ne evangelista quidem sciebat, neque etiam ipse qui sanatus fuit? Sed quid factum fuisset noverat, modum vero deprehendere non poterat. Illud vero interrogatus dicebat : *Lutum imposuit oculis meis, et lavi, et video*. Id autem quomodo factum sit, dicere nequit, etiamsi millies interrogent. 8. *Itaque vicini*, inquit, *et qui viderant eum prius, quia mendicus erat*[1], *dicebant : Nonne hic est qui sedebat, et mendicabat?* 9. *Alii dicebant, Hic est*. Rei insolentia ad incredulitatem ducebat eos, licet tam multa provisa essent, quæ ipsos ad credendum inducerent. Alii autem dicebant : *Nonne hic est qui sedebat, et mendicabat?*

Dei benignitas erga omnes cujusvis conditionis. — Papæ, quanta Dei humanitas! Quousque descendit dum cum tanta benevolentia mendicos curat, et hinc Judæis silentium imponit, quia, non claros, illustres ac principes viros, sed obscuros etiam sua providentia dignabatur : nam ad omnium salutem venerat. Quod autem accidit in paralytico, hic quoque evenit. Neque enim ille quis se curasset norat, neque hic. Hoc autem accidit ob Christi discessum : qui cum curabat, semper secedere solebat, ut circa signa omnis suspicio tolleretur. Qui enim non noverant quis esset, quomodo in ejus gratiam circa res gestas aliquid finxissent? Neque enim hic cæcus erro quispiam erat, sed ad templi januas sedebat. Dubitantibus ergo omnibus circa illum, quid dicit? *Ego sum*. Non puduit pristinæ cæcitatis, non formidavit populi furorem, neque veritus est sese ostendere, ut beneficum prædicaret. 10. *Dicunt ei, Quomodo aperti sunt tibi oculi?* 11. *Respondit eis : Homo qui dicitur Jesus*. Quid dicis? an homo hæc operatur? Sed nihil adhuc de eo magnum opinabatur. *Homo qui dicitur Jesus*[2], *fecit lutum et unxit*.

2. *Cæci a Christo sanati veracitas. In iis quæ videri nequeunt, fide est opus.* Vide quam verax sit. Non dixit unde fecerit : quod enim non viderat, non dicit. Neque enim viderat illum exspuisse in terram, sed quod unxisset, sensu et ex tactu perceperat. *Et dixit mihi, Vade, lavare in natatoria Siloe*. Hoc ex auditu testificabatur. Et unde Christi vocem noverat? Ex ejus cum discipulis colloquio. Hæc omnia narrat, allato ex operibus testimonio : modum dicere nequit. Quod si in iis quæ sensu et tactu percipiuntur, fide est opus; multo magis in iis quæ videri nequeunt. 12. *Dicunt ei, Ubi est ille? Respondit, Nescio*. Id porro dicebant, *Ubi est ille?* occidendi animo. Vide autem hic quam sit Christus a fastu alienus, quomodo non aderat post restitutam sanitatem, non gloriam, non populi plausum quærebat. Vide autem quam veraciter ad omnia cæcus respondeat. Quærebant ergo Christum, ut ad sacerdotes ducerent; cum autem

[1] Vulgata Latina, *quia mendicus erat*. In Editis Græcis Evangelii legitur ὅτι τυφλὸς ἦν, *quia cæcus erat*.

[2] Hæc, *Homo qui dicitur Jesus*, desunt in quibusdam Mss.

non invenirent, cæcum ducunt ad Pharisæos, qui asperius interrogarent. Ideo namque evangelista sabbatum fuisse dicit, ut pravum eorum animum ostenderet, et quam calumniandi miraculum ansam captarent, quod scilicet legem transgressus videretur. Hincque palam est, quod ubi primum illum viderunt, nihil aliud dixerint, quam, 15. *Quomodo aperuit oculos tuos?* Et animadverte non dixisse illos, Quomodo visum recepisti; sed, *Quomodo aperuit oculos tuos?* occasionem ipsi offerentes calumniandi ipsum ob opus editum. Ille vero quasi non ignaris brevius loquitur: non nomen protulit, non ait, Dixit mihi, *Vade, lavare*; sed statim ait, *Lutum imposuit super oculos meos, et lavi, et video.* Utpote cum jam illi multum calumniati essent dixissentque, Vide quanta Jesus operetur in sabbato; lutum illinit. Tu vero perpende quomodo non turbetur cæcus. Nam ubi primum interrogatus sine periculo respondit, non tam magna res erat veritatem profiteri: hoc vero mirum est, in majori constitutum metu, non negare, non contraria prioribus dicere. Quid ergo Pharisæi? imo etiam alii? Adduxerunt eum tanquam negaturum. Contra vero evenit quam optabant ipsi, et accuratius rem didicerunt: id quod illis ubique circa signa accidit; in sequentibus autem id clarius ostendemus. Quid ergo Pharisæi? *Dixerunt quidam* (non omnes, sed petulantiores): 16. *Hic homo non est a Deo, quia sabbatum non custodit. Alii dicebant, Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Viden' illos a signis allectos? Nam qui miserant, ut adduceretur audi quid nunc dicant, etsi non omnes. Cum enim principes essent, ex gloriæ cupiditate in incredulitatem deciderunt. Attamen ex principibus multi crediderunt in eum, neque tamen confitebantur. Populus despectui erat, ut qui nihil magni conferret in synagogam. Principes autem difficilius se credere profitebantur, alii principatus amore, alii metu cæterorum detenti. Quare dicebat: *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab hominibus accipitis* (*Joan.* 5. 44)? Et ipsi quidem qui injuste interficere conabantur, se Dei esse dicebant; illum vero, qui cæcos curabat; non posse ex Deo esse, quia sabbatum non servabat. His opponebant isti, non posse peccatorem talia facere signa. Illi versute tacito signo, quam transgressionem vocabant, in medium afferebant. Non enim dicebant, In sabbato curat; sed, *Sabbatum non custodit.* Hi rursum ignave agunt. Cum enim oportuisset ostendere non violari sabbatum, ex signis tantum arguunt; et jure quidem. Adhuc enim illum esse hominem putabant. Alioquin poterant illum alio modo defendere, quod nempe sabbati Dominus esset, qui illud statuisset: sed nondum hac erant sententia [a]. Nemo certe eorum audebat ea quæ sentiebat aperte profiteri, sed dubitando proponebat, alii metu repressi erant, alii principatus amore. *Schisma igitur erat inter illos.* Quod prius fuit in populo, deinde in principibus. *Alii dicebant, Bonus est; alii, Non, sed seducit turbam* (*Joan.* 7. 12). Viden plebe imprudentiores principes discissos? Sed postquam ita scissi sunt, nihil generosum exhibuere, cum instare Pharisæos viderent. Qui si penitus discissi fuissent, statim veritatem cognituri erant. Potest enim dissensio recta esse. Ideo ille dicebat, *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium* (*Matth.* 10. 34). Est enim etiam mala concordia, et discordia bona. Nam qui turrim ædificabant, in damnum suum concordes erant; atque iidem ipsi, licet inviti, in commodum suum divisi sunt. Core autem cum sociis male consenserant; ideo bene divisi sunt. Judas quoque cum Judæis male consensit. Potest ergo bona discordia, et mala concordia esse. Ideo ait, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum; et si pes tuus, abscinde* (*Matth.* 5. 29. *et* 18. 8). Si membrum male conjunctum abscindendum, nonne multo magis ab amicis male conjunctis abscindi oportet? Itaque concordia non semper bona est, ut nec semper discordia mala.

3. Hæc dico ut malos fugiamus, sequamur bonos. Nam si membra putrida incurabilia exscindimus, ne reliquum corpus perdant; idque facimus, non quod membrum despiciamus, sed ut cætera servemus: quanto magis hoc agendum circa eos qui male nobis juncti sunt? Quod si possimus illis emendatis, nihil damni accipere; id omni conatu tentandum: sin illi corrigi nequeant, nobisque noceant, exscindere et abjicere oportet. Hinc enim illi sæpe magis lucrabuntur. Unde Paulus sic hortatur: *Auferte malum de medio vestrum* (1 *Cor.* 5. 13), et, *Ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit* (*Ibid. v.* 2). Perniciosum enim, perniciosum utique est pravorum consortium. Non tam cito pestis grassatur, et scabies corrumpit illa affectos, ut pravorum nequitia: nam *Corrumpunt bonos mores colloquia prava* (1. *Cor.* 15. 33). Propheta quoque, *Egredimini de medio eorum, et segregamini* (*Jer.* 51. 45). Nemo itaque improbo utatur amico. Nam si pravos filios exheredamus, neque naturam reveremur, vel leges ejus, neque necessitudinem quamvis: multo magis notos et familiares fugere oportet, si mali sint. Quamvis enim nullo hinc damno afficiamur, malam tamen famam vitare non poterimus. Extranei namque non vitam explorant, sed ex sociis judicant. Hæc ipsa et nuptas et virgines rogo. *Providentes*, inquit, *bona, non solum coram Domino sed etiam coram hominibus* (*Rom.* 12. 17). Nihil ergo non agamus, ne proximo offendiculo simus. Vita enim, etsi rectissima, si offendiculo aliis sit, totum perdidit. Et quomodo potest recta vita offensioni esse? Cum malorum consortium malam parit famam. Cum enim fidenter cum improbis versamur, etsi nihil nobis damni accidat, aliis offendiculo sumus. Hæc viris, mulieribus, virginibus dico, eorum conscientiæ explorandum relinquens, quanta hinc oriantur mala. Ego quidem nihil mali suspicor, neque alius fortasse perfectiorum; sed simplicior frater in tua offenditur perfectione. Oportet autem illius consulere imbecillitati. Etiamsi hinc ille non lædatur,

[a] Suspicatur Savilius legendum, *nondum hanc habebant cognitionem*. Sed locus, ut est in textu, ferri potest.

sed gentilis offendetur. Jubet autem Paulus sine offensione esse Judæis, et Græcis, et Ecclesiæ Dei (1. *Cor.* 10. 3). Ego nihil mali de virgine suspicor; virginitatem quippe amo; *Caritas* autem *non cogitat malum* (1. *Cor.* 13.) Hoc institutum vitæ admodum diligo, neque absurdum quid cogitare possum. Quomodo id externis persuadebimus? Oportet enim illorum etiam rationem habere. Sic itaque nostra disponamus, ne quis infidelium contra nos ansam reperire possit. Sicut enim ii qui vitam rectam exhibent, Deo gloriam referunt: ita qui secus agunt, in causa sunt cur blasphemetur. Verum absit ut tales apud nos sint; sed ita luceant opera nostra ut glorificetur Pater noster qui in cælis est, et nos ejus gloria fruamur: quam utinam nos omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LVIII.

CAP. 9. v. 17. *Dicunt cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit, Quia propheta est.* 18. *Non crediderunt ergo Judæi.*

1. Scripturæ non simpliciter neque perfunctorie, sed quam diligentissime legendæ sunt, ne quid obicis oriatur. Etenim jam quis merito quæstionem moveat, Quomodo, postquam dixerunt, *Hic non est a Deo, quia sabbatum non servat*, jam dicunt ei, *Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos?* Non dixerunt, Tu quid dicis de illo, qui sabbatum solvit? sed excusationem nunc pro accusatione ponunt. Quid ergo dicendum? Non iidem sunt qui dicebant, *Hic non est ex Deo;* sed ii qui ab ipsis sententia disjuncti dicebant: *Homo peccator non potest hæc signa facere.* Cum enim vellent ii os comprimere, ne Christum ipsi defendere viderentur, illum qui virtutis ejus experimentum ceperat, in medium adducunt et interrogant. Vide ergo pauperis sapientiam, qui prudentius quam illi omnes loquutus est. Et primo quidem ait: *Propheta est:* neque formidavit perversum Judæorum judicium, repugnantium dicentiumque: *Quomodo potest hic a Deo esse, qui sabbatum non custodit?* sed dixit, *Propheta est. Et non crediderunt Judæi quod cæcus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus.* Animadverte quot modis miraculum obtegere et abolere conentur. Verum ipsa veritatis natura iisdem ipsis firmatur, quibus ab insidiatoribus impetitur; iisdem fulget, quibus obscurari tentatur. Nisi enim hæc facta essent, miraculum apud multos suspectum esse potuisset: nunc vero ac si studiose veritatem indagarent, ita omnia faciunt, neque aliter fecissent, si pro Christo hæc operati essent. His tamen ipsum deprimere tentabant, cum dicerent, *Quomodo aperuit oculos tuos?* id est, Num quibusdam præstigiis? Nam alibi quoque cum nihil objiciendum haberent, modum curandi calumniari conantur dicentes: *Non ejicit dæmonia nisi in Beelzebub*[1] (*Matth.* 12. 24). Et hic etiam cum nihil opponendum habeant, ad tempus et sabbati solutionem confugiunt, dicuntque, *Solvit sabbatum;* et, *Peccator est.* Atqui ille vos invidos, qui gesta ejus carpere studebatis, ille aperte interrogavit, *Quis ex vobis arguet me de peccato* (*Joan.* 8. 46). Et nemo respondit, neque dixit, Blasphemas, dum te impeccabilem dicis. Atqui si dicere potuissent, haud dubie non tacuissent. Nam qui dicentem, se ante Abraham esse, lapidibus impetierunt, et ipsum a Deo non esse, se vero esse a Deo gloriati sunt, licet homicidæ essent; et eum qui hujusmodi signa operabatur, ex Deo non esse dicebant, quia sabbatum non custodiret: si vel accusandi umbram habuissent, non præteriissent utique. Si autem ideo peccatorem vocant, quia sabbatum solvere videbatur, futile certe crimen erat, vel sociorum judicio, qui ut frigidum illud et ex simultate profectum damnabant. Undique ergo cohibiti, aliud quidpiam impudentius ac petulantius aggrediuntur. Quodnam illud? *Non crediderunt,* inquit, *quod cæcus fuisset, et vidisset.*

Mendacium ubique in seipsum impingit. — Cur ergo accusarunt quod sabbatum non custodiret, nisi illud credidissent? cur non fidem habetis tantæ multitudini, et vicinis qui ipsum cognoscunt? Verum, ut dixi, ubique mendacium in seipsum impingit, per ea ipsa queis veritatem oppugnat; ipsamque veritatem clariorem efficit: quod etiam nunc evenit. Ne quis enim diceret vicinos et spectatores nihil accurate dixisse, sed de simili loquutos esse, parentes in medium adducunt, et sic inviti veritatem patefecerunt. Nam hi maxime omnium filium suum noverant. Quia enim ipsum perterrefacere non poterant, sed audacter ipse beneficum prædicabat, per parentes se miraculum infirmare posse sperabant. Et vide interrogationis nequitiam. Quid enim ait? Illos in medium adductos, ut terrorem incuterent, cum vehementia furentes interrogant: 19. *Hic est filius vester?* Nec dicunt, Qui pridem cæcus erat: sed quomodo? *Quem vos dicitis quia cæcus natus est;* ac si illi versute fingerent, ut opera Christi confirmarent. O exsecrandi, et plus quam exsecrandi! Ecquis pater hæc de filio confinxerit? Ac si dicerent: Quem vos cæcum dixistis; neque id tantum; sed hoc ubique sparsistis. *Quomodo ergo nunc videt?* O stultitiam! Vestrum est, inquiunt, hoc commentum, hæc simulatio vestra. Dupliciter ad id negandum inducunt, et his verbis, *Quem vos dicitis*, et illis, *Quomodo ergo nunc videt?*

2. Cum tres essent interrogationes, si filius eorum esset, si cæcus fuisset, et quomodo visum recepisset, duo tantum confitentur, tertium non addunt. Illudque ad veritatem firmandam conduxit, ut nemo alius, quam cæcus curatus, qui fide dignus erat, hæc confiteretur. Et quomodo ad gratiam loquuti essent parentes, qui etiam quædam ex iis, quæ sciebant, tacuerunt propter metum Judæorum? Quid enim di-

[1] Ms. Orientalis Savil. post *Beelzebub*, addit, *principe dæmoniorum.*

cunt? 20. *Quod hic est filius noster, scimus, et quod cæcus natus sit;* 21. *quomodo autem nunc videat, aut quis aperuit ejus oculos, nos nescimus. Ipse ætatem habet, ipse de se loquatur.* Fide dignum illum statuunt, et sic se excusant : Non est puer, inquiunt, neque infans; potest de se testimonium ferre. 22. *Hæc autem dixerunt propter metum Judæorum.* Vide quomodo evangelista illorum sententiam propositumque enuntiet. Hæc dico ob verbum illud ante dictum, *Æqualem se facit Deo.* Quia si illa fuisset Judaica sententia, non autem Christi judicium, id certe addidisset evangelista, dixissetque eam fuisse Judæorum sententiam. Cum igitur parentes illos ad cæcum sanatum remisissent, iterum vocaverunt eum. Nec tamen palam et impudenter dicunt, Nega Christum te sanasse, sed sub pietatis specie id volunt assequi. 24. *Da gloriam Deo*, inquiunt. Nam si parentibus dixissent, Negate filium vestrum esse, et cæcum natum, res admodum ridicula visa esset, idipsumque filio dicere, manifesta fuisset impudentia. Ideo non sic dicunt; sed alio modo insidias parant, dicentes : *Da gloriam Deo;* id est, Confitere ipsum nihil fecisse. *Nos scimus quia hic homo peccator est.* Cur ergo non reprehendistis eum cum diceret, *Quis ex vobis arguet me de peccato* (*Joan.* 8. 46)? unde scitis illum esse peccatorem? Cum dicerent autem illi, *Da gloriam Deo*, et ipse nihil respondisset, occurrens Christus laudavit eum, nec reprehendit quod gloriam Deo non dedisset; sed quid? *Credis in Filium Dei*[1]? Ut discas illud esse, dare gloriam Deo.

Filius æqualis Patri. Cæci testimonium explicatur. —Quod si ipse non esset æqualis Patri, hæc gloria non esset. Sed quoniam qui Filium honorat, Patrem quoque honorat, jure non increpatur cæcus. Cum ergo exspectabant ut parentes annuerent et negarent, nihil dicebant isti : cum vero se nihil hinc consequutos viderunt, jam huic dicunt, *Hic peccator est.* 25. *Respondit ille et dixit, Si peccator est, nescio : unum scio, quod cum cæcus essem, nunc video.* Numquid timuit cæcus? Minime. Et cur qui dixerat, *Propheta est*, nunc dicit, *Si peccator est, nescio?* Non ita affectus erat neque id putabat; sed quod vellet rei ipsius testimonio, non voce sua[2], illum a crimine liberare, et fide dignam efferre defensionem, ex beneficii ipsos damnantis testimonio. Nam si post multa verba dicente illo, *Nisi esset Dei cultor, non potuisset talia signa facere*, ita indignati sunt ut dicerent, *In peccatis natus es totus, et tu doces nos?* si ab initio hæc dixisset, quid non fecissent? quid non dixissent? *Si peccator est, nescio;* id est; Nihil ea de re nunc dico, neque sententiam fero : illud probe scio et pronuntio, si peccator esset, non talia fecisset. Quibus verbis se et testimonium suum omni suspicione liberavit, ut qui non ad gratiam rem gestam narraret. Quia ergo non poterant illam evertere vel abolere, rursus ad modum curationis explorandum redeunt, velut si quipiam feram undique pervestigantes[1], modo huc, modo illuc accurrant. Ad priores ergo sermones redeunt, id curantes ut illos per crebras interrogationes infirment, dicuntque : 26. *Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?* Quid ergo ille? Illis devictis et prostratis, non ultra remisse loquitur. Donec enim res examine et perquisitione opus habuit, moderate rem declaravit : postquam autem illos cepit, splendidamque victoriam retulit, audacter illos aggreditur, aitque : 27. *Dixi vobis semel, et non audistis; quid iterum vultis audire?* Vidistin' mendici adversus scribas et Pharisæos confidentiam? Tam firma res est veritas, tam infirmum mendacium. Illa enim viros ex infirma plebe claros efficit; hoc vero fortes deprimit. Id porro vult cæcus significare : Dictis non attenditis; ideo non ultra loquar, neque crebris et vanis interrogationibus respondebo, cum non discendi causa audiatis, sed ut dicta insectemini. *Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri?* Jam se discipulis annumerat. Illud enim, *Numquid et vos*, significat ipsum esse discipulum. Deinde vero illos satis traducit et incessit.

3. Cum enim sciret hoc illos maxime pungere, lacessendi causa dixit; quod erat animi fidentis, sublimis, illorumque furorem despicientis, atque illius, in quo fidebat, dignitatem celebrantis, ut ostenderet ipsos virum admirabilem contumelia afficere; ipsum autem non vere affici contumelia, sed contumeliam illatam in honorem sibi rapere. 28. *Tu es discipulus ejus*, inquiunt; *nos autem discipuli sumus Moysis.* Verum id non ratione nixum est. Vos enim neque Moysis, neque hujus discipuli estis. Si Moysis essetis, et Christi essetis. Ideo Christus supra dicebat illis : *Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi : de me enim ille scripsit* (*Joan.* 5. 46) : quoniam ad hos semper sermones confugiebant. 29. *Nos scimus quod Moysi loquutus est Deus.* Quo narrante? quo nuntiante? Majoribus, aiunt, nostris. Annon illis fide dignior est, qui hoc per signa confirmat, cum dicit se a Deo venire et cælestia loqui? Neque dixerunt, Audivimus quod Moysi loquutus sit Deus; sed, *Scimus.* Quæ ex auditu scitis, o Judæi, affirmatis; et quæ visu percipitis, minora putatis esse? Atqui illa quidem vidistis, sed audistis, hæc vero non audistis, sed non vidistis. Quid ergo cæcus? 30. *In hoc enim est mirabile, quod vos nescitis unde sit*, et talia signa facit : quod vir non insignis apud vos, neque clarus vel illustris, talia possit : ut omnino manifestum sit, esse Deum, qui ne minimo quidem humano egeat auxilio. 31. *Scimus autem quod Deus peccatores non exaudit.* Cum enim antea dixissent : *Quomodo potest homo peccator talia signa facere?* eorum nititur judicio, et hæc ipsis in mentem revocat. Hæc sententia, inquit, et mihi et vobis communis est : in hac persistite. Et vide mihi prudentiam. Signum semper in ore versat, quia illud tollere non poterant, et inde ratiocinatur. Viden' eum, cum initio diceret, *Si peccator est, nescio*, id

[1] Morel. legit, *in filium hominis.*
[2] Morel. legit, *et voce sua.*

[1] Alii legunt, *velut si canes feram in tuto latentem undique pervestigantes.*

non dubitando dixisse? absit, norat enim non esse peccatorem. Nunc ubi opportunum est tempus, vide quomodo respondeat. *Scimus autem quod Deus peccatores non audiat; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit.* Hic non modo a peccatis absolvit, sed et Deo acceptum, et Dei opera facientem probat. Quia enim illi se Dei cultores dicebant, ideo addidit, *Et voluntatem ejus facit.* Non satis est, inquit, Deum cognoscere, sed ejus est facienda voluntas. Inde miraculum extollit. 32. *A sæculo non est auditum quod aperuerit quis oculos cæci nati.* Si ergo confitemini [1], Deum non exaudire peccatores; hic vero miraculum patravit, et tale miraculum, quale nemo fecit: palam est illum virtute omnia superasse, ejusque potestatem plus quam humanam esse. Quid ergo illi? 34. *In peccatis natus es totus, et tu doces nos?* Donec enim negaturum eum sperabant, fide dignum putantes, semel et iterum vocarunt. Quod si fide dignum non putabatis [2], inquam, cur vocastis et secundo interrogastis? Cum porro nihil veritus, vera loqueretur, quando maxime mirari illum oportebat, tunc illum damnant. Quid porro sibi vult illud, *In peccatis natus es totus?* Hic illi cæcitatem exprobrant, ac si dicerent: A prima ætate in peccatis es; ac si ideo cæcus fuisset, quod præter rationem est. Hac in re ipsum consolans Christus dicebat: *In judicium ego veni in mundum, ut non videntes videant, et qui vident, cæci fiant. In peccatis natus es totus, et tu doces nos* (*Joan.* 9. 39)? Quid dixerat ille? num suam sententiam attulerat? annon potius communem, cum diceret, *Scimus quod Deus peccatores non exaudit?* nonne ea quæ vos dixeratis in medium attulit? *Et ejecerunt eum foras.* Vidistin' veritatis præconem, et quomodo paupertas philosophiam non interturbarit. Viden' quot et quanta a principio audierit et passus sit? et quomodo verbis et operibus testificatus sit?

4. Hæc porro scripta sunt, ut nos illa imitemur. Nam si mendicus, cæcus, qui Christum non viderat, tantum fiduciæ statim ostendit ante Christi hortamenta, stans contra populum totum, cædem spirantem, at dæmone actum, furentem, ex ejus voce Christum damnare cupientem: neque cessit ille, neque recessit, sed fidenter illos confutavit, maluitque foras ejici, quam veritatem prodere: quanto magis nos, qui tamdiu in fide viximus, qui per fidem sexcenta miracula vidimus, qui majora quam ille beneficia accepimus, qui interioribus oculis arcana mysteria vidimus, et ad tantum honorem vocati sumus, omnem fiduciam exhibere oportet adversus eos qui Christianos accusant, illosque confutare, neque eis temere parcere?

Scripturarum lectioni vel auditioni assidue vacandum. Contra spectaculorum frequentiam. — Hoc vero facere poterimus, si fiduciam assumamus et Scripturis attendamus, neque perfunctorie illas audiamus. Nam si quis assidue veniat, etiamsi domi non legat, sed hic dictis attendat: anni unius spatio poterit multa discere. Neque enim hodie has, cras alias Scripturas legimus, sed semper easdem. Attamen multi ita misere affecti sunt, ut post tantam lectionem ne nomina quidem librorum sciant; nec verentur, neque formidant tam negligenter ad divinam ingredi concionem. Sed si citharœdus, si saltator vel alius quivis ad scenam vocarit civitatem, diligenter omnes accurrunt, et gratias habent vocanti, atque in spectaculo hujusmodi dimidium diei insumunt: Deo autem nos per prophetas et apostolos alloquente, oscitamus, nos scalpimus, fastidimus. In æstate quidem et æstu magno [1] forum petimus; in hieme vero a pluvia et luto domi continemur. At in hippodromis, ubi nullum est tectum quod a pluvia defendat, multi, imbre urceatim labente, vento aquam in vultum ferente, insania ducti stant, frigore, pluvia, luto, viæ longitudine despectis; nihil eos domi retinet, nihil a spectaculo cohibere potest: huc autem ubi tectum, ubi mire temperatus calor, venire refugiunt, cum de animæ salute agatur. Hæccine, quæso, toleranda? Ideo in illis apprime edocti, in necessariis imperitiores quam pueruli sumus. Quod si quis te aurigam vel saltatorem appellet, id contumeliam dicis, licet nihil non agas ut tibi hoc vituperium attrahas; si vero ad rei spectaculum evocet, non resilis; artemque, cujus nomen refugis, totam fere prosequeris. Ubi vero et rem et nomen tenere debes [2], atque esse et vocari Christianus, nequidem quid id sit intelligis. Quid hac amentia pejus? Hæc frequenter vobis dicere velim; sed timeo ne frustra et sine ullo fructu vobis sim odiosus. Video namque insanientes, non modo juvenes, sed etiam senes: quorum maxime causa erubesco, cum virum cerno canitie venerandum, canos dehonestare, et filium secum trahere. Quid magis ridiculum? quid turpius? filius a patre turpiter agere docetur.

5. *Spectaculorum amatores redarguuntur: quodnam sit spectaculorum damnum.* — Mordent hæc verba? Hoc ego volo, ut mœrorem verba pariant, ut reipsa a tanta turpitudine liberemini. Sunt enim nonnulli his longe frigidiores, quos hujusmodi verborum non pudet, sed longam texunt hac de re orationem. Quos si interrogaveris quis sit Amos, quis Abdias, quot prophetæ, quot apostoli, ne hiscere quidem possunt; sed circa equos et aurigas, graviorem quam sophistæ et rhetores afferunt defensionem: et post hæc omnia dicunt: Ecquid hinc detrimenti? quid damni? Ideo ingemisco, quod noxiam esse rem nesciatis, neque in sensum malorum veneritis. Vitæ tempus dedit tibi Deus, ut ipsum colas: tu vero frustra et inutiliter consumens illud, quæris adhuc, quod sit damnum? Si tantillum frustra insumas pecuniæ, id damnum vocas; dum vero dies integros in satanicis pompis insumis, nihil absurde te facere putas? Cum oporteret precibus [3] et obsecrationibus totam vitam

[1] Hunc locum sic effert Ms. Savil. Orientalis... « *aperuerit quis oculos cæci nati* ». *Deinde ratiocinatur : si ille non esset a Deo nihil posset tale facere. Quod si in confesso sit*, etc.

[2] Idem Ms. habet, *putabant*, et mox, *interrogarunt*.

[1] Alii legunt tantum : *In æstu magno*.

[2] Ms. Orient. Savil. habet, *cupis*, pro, *debes*.

[3] Editi habent, *eleemosynis*, pro, *precibus*.

impendere, tu in clamoribus, in tumultu, obscœnis verbis, pugnis, intempestivis voluptatibus, præstigiis, totam vitam consumis; idque frustra et in perniciem tuam. Et post hæc omnia interrogas, quod sit damnum: neque intelligis, nihil parcius insumendum esse quam tempus [1]. Aurum si impenderis, recuperare poteris; amissum tempus difficile recuperes. Breve namque ejus spatium in hac vita nobis conceditur; quo nisi ut par est utamur, quid illo advenientes dicemus? Dic, quæso, si quem filiorum tuorum juberes artem quampiam ediscere, ille vero vel domi vel alibi tempus tereret, annon magister illum deferret? annon diceret tibi: Pactum mecum scripto fecisti, tempusque definivisti: si vero filius tuus non velit tempus apud nos insumere, sed alibi terere, quomodo poterimus tibi discipulum sistere? Hæc nos quoque dicere cogimur. Nam dicet nobis Deus: Tempus assignavi vobis, quo pietatis artem edisceretis; cur frustra et incassum tempus illud insumpsistis? cur non magistrum assidue adiistis? cur dictis non attendistis? Quod enim pietas sit ars quædam, audi prophetam dicentem: *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* (*Psal.* 33. 12); et iterum, *Beatus vir quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (*Psal.* 93. 12). Cum ergo tempus inutiliter [illegible] habebis? Et cur, [illegible], [illegible] scripsit? O insipientiam! o [illegible] tibi labores sudoresque [illegible], ac [illegible] turnam et immortalem paravit, [illegible] leste fers? Sed nescio quomodo [illegible] tulimus, et tamdiu [illegible]. [illegible] facere opus est. Nam hoc quoque [illegible] tribuendum, quod si hic longa sit [illegible], [illegible] omnes fastidiamus; illic vero a meridie [illegible], [illegible] lucernis recedant. Verum ne semper [illegible], rogamus vos et obsecramus: hanc et nobis et vobis gratiam concedite, ut aliis omissis omnibus, his incumbamus. Siquidem hæc ex vobis lucrabimur, gaudium, lætitiam, laudem, gloriam et mercedem. Totum autem præmium vos lucrabimini, quod antehac ad furorem usque orchestræ addicti; ob Dei timorem et cohortationem nostram, vos ab hujusmodi morbo erueritis, et vinculis solutis, ad Deum accurreritis. Neque ibi solum mercedem recipietis; verum etiam in hac vita veram consequemini voluptatem. Talis quippe virtus est: præter coronas illas, hic quoque suavem nobis vitam parat. Dictis ergo obtemperemus, ut hæc et illa consequamur bona, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, simulque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] In iisdem hic sic habetur locus, *neque attendis, te maxime temporis usus rationem esse redditurum.*

HOMILIA LIX.

Cap. 9. v. 35. *Et ejecerunt eum foras: et audivit Jesus quia ejecerunt eum foras: et cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?* 36. *Respondit ei, Et quis est, Domine, ut credam in eum?* etc.

1. *Contumelias Christi causa patientes quomodo remunerentur. Cæcus natus in discipulorum chorum adscitus.* — Qui propter veritatem et Christi confessionem, malo vel contumelia quadam afficiuntur, hi maxime a Deo honorantur. Ut enim qui propter Deum pecunias perdidit, hic maxime illas invenit; et qui odit animam suam, hic potissimum diligit illam: sic qui contumelia afficitur, hic potissimum honore cumulatur; id quod cæco accidit. Illum igitur ex templo Judæi ejecerunt, et invenit illum templi Dominus. A pestifero consessu liberatus, salutiferum fontem est consequutus: dehonestatus est ab iis qui Christum dehonestarunt, et honoratus est ab angelorum Domino. Hæc sunt veritatis præmia. Sic et nos si hic pecunias amittamus, illic fiduciam reperimus; si hic ærumnosis largiamur, requiescemus in cælis; si propter Deum contumeliis afficiamur, et hic et illic honorem consequimur. Ejectum e templo invenit Jesus. Significat evangelista ideo venisse, ut illi occurreret. Et considera quod ipsi præmium conferat: caput bonorum. Se namque ei notum facit prius ignoranti, et eum in discipulorum chorum adscivit. Tu vero consideres velim quomodo ejus diligentiam evangelista exhibeat. Illo enim dicente, *Tu credis in Filium Dei?* respondet, *Domine, quis est?* Nondum enim ipsum norat, etsi sanatus, quia cæcus fuerat priusquam ad beneficum accederet, et post receptum visum a canibus illis trahebatur. Jesus ergo ceu agonotheta quispiam athletam post multos labores coronatum excipit. Et quid dicit? *Credis in Filium Dei?* Quid hoc? Post tantam cum Judæis disceptationem, post tot verba, interrogat num credat? Non quod ignoret, sed quod velit se notum facere, et quanti faciat ejus fidem, ostendere. Me contumelia, inquit, tantus populus affecit, sed nihil curo; unum opto, ut credas. Melior quippe est unus qui facit voluntatem Domini, quam mille iniqui (*Eccli.* 16. 3). *Tu credis in Filium Dei?* Ut præsens et dicta excipiens, sic interrogat; et prius in illo sui desiderium excitat. Non dixit enim, Statim crede, sed interrogavit. Quid igitur ille? *Et quis est, Domine, ut credam in eum?* Optantis ac vehementer desiderantis verbum. Pro quo tanta loquutus est, hunc ignorat, ut discas quam veritatis amans esset. Nondum enim ipsum viderat. 37. *Dicit ei: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ille est.* Non dixit, Ego sum, sed remissius adhuc, *Et vidisti eum.* Illud adhuc obscurum erat; ideo clarius addit, *Qui loquitur tecum, ille est.* Respondit ille: 38. *Credo, Domine: et adoravit eum statim.* Neque dixit, Ego sum qui sanavi te, qui dixi tibi, Vade, lavare in Siloe: sed his silentio missis, ait: *Credis in Filium Dei?* Deinde ille, multum exhibens affectum, statim adoravit eum: quod pauci ex iis qui curati sunt, fecerunt, ut leprosi illi, et si qui alii: hinc ostendit divinam suam virtutem. Ne quis enim putaret hæc verba tantum esse, ipsum opus addidit. Illo autem adorante, ait Christus: 39. *In*

judicium ego veni in mundum, ut non videntes videant, et qui vident, cæci fiant. Idipsum Paulus dicit: *Quid ergo dicimus? Quod gentes non sequentes justitiam, acceperunt justitiam, justitiam autem quæ est ex fide Jesu: Israel autem sequens legem justitiæ, in legem justitiæ non venit* (*Rom.* 9. 30). Cum dixit Christus. *In justitiam veni in hunc mundum;* et illum fidei tenaciorem effecit, et sequentes se excitavit: nam Pharisæi sequebantur illum, *In judicium* porro est, in majus supplicium; ostendens eos qui se damnarent, esse damnatos, et qui se peccatorem pronuntiarent, ipsos esse peccato obnoxios. Hic vero duplicem visus restitutionem et duplicem cæcitatem memorat, sensibilem nempe, et spiritualem. Tum dicunt ei quidam ex sequentibus: 40. *Numquid et nos cæci sumus* (*Joan.* 8. 33. 41)? Et ut alibi dicebant, *Nemini servivimus unquam;* et, *Non ex fornicatione nati sumus:* ita et nunc sensibilibus tantum inhiant, et hujus illos pudebat cæcitatis. Deinde ostendens melius esse, ipsos esse cæcos quam videre, ait: 41. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Cum calamitatem illam, ignominiam esse putarent, id in ipsorum caput convertit dicens, Hoc vobis tolerabilius redderet supplicium. Ita semper humanos sensus resecat, et ad magnam mirabilemque cogitationem erigit. *Nunc autem vos videre dicitis.* Sicut ibi dicit, *Quem vos dicebatis quia Deus vester est:* sic et hoc loco, *Nunc autem vos videre dicitis:* neque enim videtis. Hic quod sibi maxime laudi esse arbitrabantur, id supplicio fore ostendit. Et cæcum natum de priore cæcitate consolatur: postea de illorum cæcitate loquitur. Ne dicerent enim: Non ex cæcitate provenit, quod ad te non accedamus, sed te ut deceptorem aversamur; ea solum de re disserit.

2. Nec sine causa evangelista narravit, Pharisæos quosdam, qui cum illo erant, hæc audivisse ac dixisse, *Numquid et nos cæci sumus?* sed ut tibi in memoriam revocaret eos ipsos esse, qui ante ab illo recesserant, illumque lapidabant. Erant enim quidam qui perfunctorie sequebantur, et facile in contrarium vertebantur. Undenam ergo se probat, non deceptorem, sed pastorem esse? Allatis utrinque indiciis et pastoris et deceptoris, et hinc illis explorandæ veritatis ansam præbet. Et primo quis sit deceptor et fur ostendit, ex Scripturis sic vocans illum his verbis (*Cap.* 10): 1. *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Vide latronis signa; primo, non palam intrat; secundo, non per Scripturarum testimonium: hoc enim est non intrare per ostium. Hic porro et qui fuerunt, et qui futuri erant indicat, Antichristum, falsos Christos, Judam et Theudam, et alios hujusmodi; jure autem *Ostium* Scripturas vocat. Hæ namque nos ad Deum ducunt, et Dei cognitionem aperiunt: hæ oves faciunt, hæ custodiunt, nec lupos ingredi sinunt. Tamquam enim tutum ostium, hæreticos ab ingressu arcent, nosque in securitate qua volumus constituunt, nec sinunt errare. Et si hoc ostium non pandamus, non erimus inimicis captu faciles. Hinc eos, qui vere pastores, et qui non pastores sunt, cognoscemus. Quid sibi vult autem, *In ovile?* Id est, Ad curandas oves. Qui enim sacra non utitur Scriptura, sed aliunde ascendit; id est, qui sibi aliam et non statutam viam aperit: hic fur est. Viden' hinc eum cum Patre consentire, dum Scripturas in medium affert? Ideo Judæis dicebat, *Scrutamini Scripturas* (*Joan.* 5. 39); et Moysen in medium adduxit in testem, necnon prophetas omnes. *Omnes,* inquit, *qui audiunt prophetas, venient ad me;* et, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi* (*Ibid. v.* 46). Hic porro illud ipsum metaphorice ponit. Cum dixit autem, *Ascendit aliunde,* scribas subindicavit, quia docebant præcepta, doctrinas hominum (*Matth.* 15. 9), et legem transgrediebantur, quod ipsis exprobrans dicebat: *Nemo vestrum facit legem* (*Joan.* 7. 19). Ac probe dixit, *Ascendit,* non, Ingreditur, quod est furis parietem supergredi nitentis, et cum periculo omnia facientis. Viden' quomodo furem descripsit? Jam pastoris indicium animadverte. Quodnam illud est? 2. *Qui intrat per ostium, pastor est ovium.* 3. *Huic ostiarius aperit, et vocem ejus oves audiunt, et proprias vocat nominatim;* 4. *et cum eas emiserit, ante eas vadit.* Indicia posuit et pastoris et latronis. Videamus quo pacto illis sequentia applicet. *Huic,* inquit, *ostiarius aperit.* In metaphora persistit, ut significantius loquatur. Quod si parabolæ verba singula explorare velis, nihil obstat quominus hic ostiarium intelligamus Moysen. Illi namque Dei eloquia credita sunt, cujus vocem oves audiunt, *Et proprias vocat nominatim.* Cum enim illum frequenter deceptorem vocarent, idque ex incredulitate sua confirmarent dicentes, *Quis principum credidit in eum* (*Joan.* 7. 48)? non ex ipsorum incredulitate se, sed illos deceptores et perniciosos esse vocandos dicit, quod sibi non attenderent, ac proinde ex ovium numero jure ejecti essent. Nam si pastoris est per statutum ingredi ostium, et ipse per hoc ingressus est; qui sequuntur omnes, oves esse poterunt; qui autem se sequestrarunt, non ideo pastori nocuere, sed se ex ovium societate disjunxerunt. Quod si se ipse postea ostium dicit, nemo perturbetur: nam se et pastorem dicit et ovem, secundum diversas œconomiæ suæ rationes. Nam quando nos Patri offert, se ostium appellat; cum nostri curam gerit, pastorem. Ne enim solum ejus opus esse putes, quod nos Patri offerat, se pastorem vocat. *Et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat, et educit eas, et ante eas vadit.* Atqui contra, pastores sequuntur oves. Verum ille, ut ostendat se omnes ad veritatem deducturum esse, contra pastorum morem agit: ut autem cum oves emisit, (*a*) (non extra, sed in medium luporum emisit). Nam longe mirabilior nostra hæc pastoralis cura est.

3. *In quo distinguatur verus Christus a falsis Christis.* — Videtur autem mihi hic cæcum subindicari, quem vocavit ex medio Judæorum, et ille vocem ejus audivit et novit. 5. *Alienum vero non sequuntur, quia alienorum vocem nesciunt.* Hic Theudæ aut Judæ asseclas dicit (nam *Quotquot,* inquit, *in* illos *crediderunt,*

(*a*) Quæ uncinis clauduntur, in quibusdam Mss. per homœoteleuton omissa sunt.

dispersi sunt (*Act.* 5. 36. 37); sive etiam futuros pseudochristos qui multos postea seducturi erant. Ne dicerent enim, se quemdam ipsorum esse, longe se ab illis diversum ostendit. Primam differentiam affert, doctrinam ex Scripturis sumptam, quarum ductu illos agebat : alii vero secus. Secunda differentia erat ovium obedientia. Ipsi namque non viventi tantum, sed etiam mortuo crediderunt : illos vero statim reliquerunt. Tertiam nec modicam adjicere possumus. Illi ut tyranni ad defectionem omnia faciebant : ipse tantum a tali suspicione aberat, ut cum vellent ipsum regem facere, fugerit; et cum interrogarent an liceret censum dare Cæsari, solvere juberet, atque ipse etiam didrachma daret. Ad hæc ipse pro salute ovium venit, ut vitam haberent, et abundantius haberent : illi vero præsenti etiam vita suos privarunt. Illi eos qui sibi crediti erant prodiderunt, et fugerunt : Christus vero ita fortiter stetit, ut animam suam traderet. Illi inviti, coacti et fugientes passi sunt : hic libens et volens omnia pertulit. 6. *Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.* Cur obscure loquebatur? Ut attentiores redderet. Ubi autem illud effecit, obscuritatem tollit his verbis : 9. *Ego sum ostium : per me si quis introierit, ingredietur et egredietur, et pascua inveniet.* Hoc est, In securitate et libertate vivet (pascua autem hic vocat pabulum ovium, potestatemque et dominatum); hoc est, Intus manebit, et nemo inde expellet : quod etiam apostolis evenit, qui libere intrabant et exibant, quasi universi orbis domini; nemoque illos ejicere potuit. 8. *Omnes quotquot ante me venerunt, fures sunt et latrones; sed non audierunt eos oves.* Non de prophetis hic loquitur, ut aiunt hæretici (illos enim audierunt, et per illos crediderunt quotquot in Christum crediderunt); sed de Theuda et Juda aliisque seditiosis agit. Præterea verbum illud, *Non audierunt oves*, in earum laudem dicit : nusquam vero laudat eos qui prophetas non audierunt; imo illos admodum improbat et reprehendit. Hinc palam est illud, *Non audierunt*, de seditiosis illis dictum fuisse. 10. *Fur non venit, nisi ut furetur et mactet et perdat :* ut hic contigit; omnes enim mactati occisique sunt. *Ego autem veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Quid, quæso, vita abundantius? Regnum cælorum. Verum id nondum dicit, sed vitæ nomen affert, ut notum illis. 11. *Ego sum pastor bonus.* Hic demum de passione loquitur, ostendens illam pro mundi salute futuram esse, nec se invitum illam adire. Deinde exemplum rursus affert pastoris et mercenarii. *Bonus enim pastor animam suam ponit.* 12. *Mercenarius autem, qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et venit lupus, et rapit eas.* Hic se perinde atque Patrem imperantem exhibet; siquidem pastor ipse est cujus propriæ sunt oves. Viden' quomodo in parabolis sublimius loquatur, ubi obscurior est sermo, neque auditoribus carpendi ansam præbeat? Quid ergo facit mercenarius? *Videt lupum venientem, et dimittit oves, et venit lupus, et rapit eas.* Hoc illi fecerunt, ipse contra. Etenim cum apprehensus fuit, dixit : *Sinite illos abire* (*Joan.* 18. 8), ut impleretur sermo, quod nullus eorum perierit. Hic potest etiam spiritualis lupus intelligi, quem non sivit oves abripere. Non lupus tantum hic est, sed etiam leo. Nam *Adversarius noster diabolus tamquam leo rugiens circuit* (1. *Pet.* 5, 8). Hic serpens et draco est : *Calcate super serpentes et scorpiones* (*Luc.* 10. 19).

4. *Vox Christi audienda ipsique soli hærendum. Avaritia servitus omnium deterrima. Eleemosyna commendatur.* — Quare rogo, maneamus sub pastoris cura : manebimus autem si vocem ejus audiamus, si ipsi morem geramus, si alienum non sequamur. Ecqua vox ejus est? *Beati pauperes spiritu : beati mundo corde : beati misericordes* (*Matth.* 5. 3. 8. 7). Si hæc servemus, sub pastore manebimus, et lupus ingredi non poterit. Sed etiamsi irruat, id in perniciem suam faciet. Pastorem enim ita nos amantem habemus, ut animam suam pro nobis tradiderit. Cum ergo et potens sit et diligat, quid impedit quominus salutem consequamur? Nihil, nisi nos ipsi deficiamus. Quomodo deficiemus? Illum audi dicentem : *Non potestis duobus dominis servire, Deo et mamonæ* (*Matth.* 6. 24). Si ergo huic serviamus, illius tyrannidi subjecti non erimus. Nam tyrannide quavis acerbior est pecuniarum concupiscentia. Nullam habet voluptatem, sed sollicitudines, invidiam, insidias, odium, sycophantias, et mille virtutis impedimenta, desidiam, lasciviam, avaritiam, ebrietatem, quæ liberos in servitutem redigunt, et servis deteriores constituunt : servos, inquam, reddunt, non hominum, sed gravissimi omnium animi morborum. Hic multa audet quæ nec Deo nec hominibus placent, metuens ne quis se ab hac servitute liberet. O acerbam servitutem, et diabolicam potestatem! Hæc quippe est omnium gravissima, quod tot detenti malis delectemur, et catenas amplectamur, et quod tenebrosum carcerem habitantes, lucem fugiamus, sed nos malis constringamus, et in morbo oblectemur. Quare nec liberari possumus, et pejore quam qui metalla fodiunt conditione sumus, dum labore et miseria obruti, nullum inde fructum percipimus. Quodque omnium deterrimum est, si quis nos ab acerba hujusmodi captivitate eruere velit, id non patimur; imo etiam ægre ferimus et indignamur; nihil melius affecti quam qui insania capti sunt, imo longe miserabiliores illis, quod nolimus ab insania liberari. Numquid ea de causa in mundum venisti, o homo? an ideo homo factus es, ut hæc metalla operareris et aurum colligeres? Non ideo certe ad imaginem suam te formavit; sed ut ipsi placeres, ut futura consequereris, ut cum angelis choreas ageres[1]. Cur te ab hac nobilitate ejicis, et in extremam conjicis ignobilitatem et infamiam? Qui eodem quo tu partu natus est, partu dico spirituali, fame tabescit : tu copia rerum dirumperis. Frater nudum

[1] Hæc, *ut cum angelis choreas ageres*, deerant in Morel (*Onze.*)

corpus circumfert : tu vestes vestibus addis, tineis hunc amictum apparans. Quanto melius esset pauperum corpora his obtegere? Ita enim illa non consumerentur, te cura omni liberarent, et futuram tibi parerent vitam. Si nolis ea a tineis consumi, da pauperibus : illi namque hæc vestimenta probe sciunt excutere. Christi namque corpus qualibet arca pretiosius et tutius est; neque tantum ea custodit incorrupta, sed etiam splendidiora reddit. Arca sæpe cum vestibus abrepta extremo te affecit damno: hanc vero custodiam ne mors quidem potest labefactare. Neque enim portis aut vectibus hic nobis est opus, non servis vigilantibus, nec alia quavis cautione. Ab insidiis prorsus libera sunt, ut par est, quæ in cœlis sunt recondita. Locus enim ille a nequitia nulla adiri potest. Hæc nos dicendi finem non facimus, vosque audientes non obtemperatis. Cujus rei causa est, quod pusilli simus animi, et terrenis inhiemus. Imo absit ut omnes vos damnem, ac si omnes incurabiliter ægrotetis. Etiamsi enim ii qui divitiis inebriantur, obstruant aures ne audiant; at ii qui in paupertate vitam agunt, dictis attendere poterunt. Et quid hæc ad pauperes, inquies, qui nec aurum, nec vestimenta hujusmodi habent? Verum illi panem habent et aquam frigidam; habent duos obolos et pedes, queis ægros invisant; habent linguam et sermonem, ut consolentur male affectum; habent domum et tectum, quo recipiant hospitem. Neque enim tot et tot talenta auri a pauperibus, sed a divitibus exigimus. Quod si ad pauperis ostium venerit Dominus, non pudebit eum vel obolum accipere; sed se plura accepisse dicet, quam ab iis qui multa deposuerunt. Quot nunc homines illo tempore fuisse optarent, quo Christus in carne terram obibat, ut colloquii et mensæ cum eo consortes essent! Ecce jam licet, possumus illum ad prandium vocare, cum ipso convivari, et cum majori lucro. Eorum enim qui cum illo convivabantur multi perierunt, ut Judas et hujusmodi homines; quicumque vero illum jam domum vocabunt, ut mensæ et tecti consortem efficiant, benedictione magna fruentur. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere : hospes eram, et suscepistis me : infirmus, et visitastis me : in carcere eram, et venistis ad me* (*Matth.* 25. 34-36). Ut ergo hæc audiamus verba, nudum vestiamus, colligamus hospitem, nutriamus esurientem, sitienti potum demus, ægrum et carcere detentum invisamus, ut fiduciam et veniam peccatorum accipiamus, et illa bona quæ omnem sermonem et mentem superant consequamur: quæ utinam omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LX.

CAP. 10. v. 14. *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* 15. *Sicut novit me Pater, et ego cognosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis.*

1. *Pastor Ecclesiæ fortis esse debet. Pastores mali qui.* — Magnum quidpiam, magnum certe est Ecclesiæ præfectura, quæ multa egeat philosophia et fortitudine; ac quanta Christus dixit, ita ut animam ponat pro ovibus, numquam illas deserat, et contra lupum stet fortiter. In hoc differt pastor a mercenario. Hic enim contemptis ovibus propriæ saluti semper advigilat : ille vero, sua demissa, salutem curat ovium. Post data ergo pastoris indicia, duos gregi perniciosos memorat : furem mactantem et rapientem oves; et alterum qui non ipse perdit, sed furem non arcet nec impedit. Per illum autem Theudam significat, per hunc Judæorum doctores traducit, qui de commissis sibi ovibus nullam habebant curam; qua de re jam olim Ezechiel illos incusabat his verbis : *Væ pastoribus Israel! Nonne pastores pascebant semetipsos? nonne oves pascuntur a pastoribus* (*Ezech.* 34. 2)? Sed illi contrarium faciebant, quod malitiæ maximæ genus est, aliorumque causa malorum. Ideo namque dicit : Neque errantes oves reducebant, neque quod perierat quærebant (*Ibid. v.* 4), neque quod contritum erat alligabant, neque quod infirmum curabant, quia seipsos, non oves, pascebant. Idipsum Paulus alio verbo significabat : *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi* (*Philip.* 2. 21); et rursum, *Nemo quæ sua sunt quærat, sed proximi unusquisque* (1. *Cor.* 10. 24). Ab utroque genere se Christus segregat : ab illis qui ad perniciem veniunt, cum ait, *Ideo veni ut vitam habeant, et abundantius habeant;* ab his vero qui nihil curant, si oves a lupis rapiantur; cum illas non relinquit, sed animam suam ponit ne illæ pereant. Cum enim consultarent illum occidere, neque a doctrina destitit, neque credentes prodidit; sed stetit, et mortem subiit. Ideo ubique dicebat, *Ego sum pastor bonus.* Deinde cum nullum adesse videretur rei testimonium (nam illud, *Animam meam pono,* brevi postea accidit; illud vero, *ut vitam habeant, et abundantius habeant*, post suum ex hac vita discessum futurum erat), quid facit? Alterum ab altero confirmat; nempe ex eo quod det animam, quod det etiam vitam. Quod et Paulus dicebat : *Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus : multo magis reconciliati salvi erimus* (*Rom.* 5. 10). Et rursum alibi : *Qui etiam Filio suo non pepercit,* (*a*) [*sed pro nobis omnibus tradidit illum,*] *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit* (*Rom.* 8. 32)? Sed cur non jam accusant illum ut prius, dicentes : *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum* (*Joan.* 8. 13)? Quia sæpe illos silere coegerat; et a signis major accesserat fiducia, ut illis obsisteret. Deinde quia superius dixerat : *Et oves vocem ejus audiunt, et sequuntur eum;* ne quis diceret, Quid ad non

(*a*) Uncinis clausa desunt in quibusdam Mss.

credentes? audi quid addat: *Et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Quod et Paulus significavit: *Non repulit Deus populum suum quem præcognovit* (*Rom.* 11. 1); et Moyses: *Cognovit Dominus qui sunt ejus* (2. *Tim.* 2. 19): illos dico, inquit, quos præscivi. Deinde ne parem cognitionis modum putares, audi quomodo illud per sequentia corrigat. *Cognosco meas*, inquit, *et cognoscunt me meæ.* Sed non æqualis est cognitio: sed ubi æqualis est? In Patre et in me: nam *Sicut cognoscit me Pater, et ego cognosco Patrem.* Nisi enim hoc probare voluisset, cur id addidisset? Quia enim se frequenter in cæterorum ordine ponit, ne quis putaret se ita cognoscere Patrem ut homo cognoscit, subdidit: *Sicut cognoscit me Pater, et ego cognosco Patrem.* Ita perfecte ipsum cognosco, ut ipse me. Ideo dicebat, *Nemo cognoscit Filium, nisi Pater, et Patrem, nisi Filius* (*Luc.* 10. 22), peculiarem quamdam cognitionem indicans, et qualem nemo alius potest attingere. *Ego pono animam meam.* Id frequenter dicit, se non deceptorem esse declarans. Quandoquidem apostolus ut se verum magistrum ostenderet, seque falsis apostolis opponeret, ex periculis et mortibus sese commendat dicens: *In plagis supra modum, in mortibus frequenter* (2. *Cor.* 11. 23). Cum enim diceret, *Sum lux, Sum vita*, ex fastu loqui apud insipientes videbatur; cum vero dicebat, Mori volo, nullam sibi invidiam pariebat. Ideo hic non dicunt ei, *Tu testimonium perhibes de teipso, testimonium tuum verum non est.* Hoc verbo magnam exhibebat curam, siquidem pro lapidantibus volebat se tradere.

2. Propterea de gentibus opportune sermonem inducit. 16. *Etenim alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere.* En rursus vocem *Oportet* adhibet, quæ non necessitatem indicat, sed rem prorsus esse futuram; ac si diceret: Quid miramini, si hi me sequuturi sunt, et si oves vocem meam sint audituræ? Cum enim alias me sequentes videbitis, et vocem meam audientes, tunc magis obstupescetis. Etsi vero dicat, *Quæ non sunt ex hoc ovili*, ne turberis. Differentia enim in lege solum est, ut ait Paulus: *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium. Et illas oportet me adducere* (1. *Cor.* 7. 19). Declarat utrosque dispersos et commixtos esse, sine pastoribus, cum nondum pastor ille bonus venisset. Deinde futuram illorum conjunctionem prænuntiat: *Et erit unum ovile.* Quod ipsum Paulus significavit: *Ut duos condat in semetipso in unum novum hominem* (*Ephes.* 2. 15). 17. *Propterea me diligit Pater, quia ego animam meam pono, ut iterum accipiam eam.* Ecquid hoc verbo humilius? siquidem propter nos Dominus amandus est, quoniam pro nobis moritur. Quid ergo, dic mihi? an superiori tempore non diligebatur, sed nunc diligere incepit Pater, et nos in causa amoris ipsi fuimus? Viden' quantum nostræ se accommodet infirmitati? Quid hic ergo vult probare? Cum alienum illum a Patre et deceptorem dicerent, ipsumque in pestem ac perniciem venisse, dicit ille: Si non aliud, illud saltem me ad vos amandos induxit, quod vos, ut et ego, a Patre amemini, et ideo ab illo amemini, quia ego pro vobis morior. Præterea illud vult demonstrare, se non invitum mortem adire; (nam si invitus moreretur, quomodo id amoris vinculum fuisset)? et quod ea maxime sit Patris voluntas. Si autem ut homo hoc loquatur, ne mireris: sæpe namque hujus rei causam diximus, superfluumque et onerosum esset id repetere. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam:* 18. *et nemo tollit eam a me. Ego pono eam a meipso, Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo sumendi eam.* Quia enim sæpe consilium inierant ut illum interficerent, dicit: Me nolente, inutilis labor vester erit; et a priori secundum confirmat, a morte resurrectionem. Hoc enim stupendum admirandumque est. Etenim utrumque novum fuit et præter communem consuetudinem.

Christus quomodo potestatem habet ponendi et resumendi animam. — Dicto igitur diligenter attendamus. *Potestatem habeo*, inquit, *ponendi animam meam.* Ecquis potestatem non habeat ponendi animam suam? Quisque enim potest se interimere. Verum non hoc sensu loquitur. Quomodo ergo? Ita potestatem habeo ponendi eam, ut nemo possit me nolente id facere. Secus autem cæteri homines. Nos enim potestatem non habemus animam ponendi, nisi occidendo nos ipsos. Si autem in insidiatores incidamus, qui occidere possint, non ultra potestatem habemus ponendi, necne; sed invitis nobis illi occidunt. In Christo secus: nam aliis insidiantibus, poterat ille non ponere animam. Cum dixisset ergo, *Nemo tollit eam a me;* addidit, *Potestatem habeo ponendi animam meam;* id est, Ego solus possum ponere illam: quod vobis non competit. Nam multi alii possunt animam nobis abripere. Sed hoc in principio non dixit; neque enim id creditum fuisset, sed cum ex rebus ipsis testimonium accepit, ac sæpe insidiantes non potuerunt eum comprehendere (frequenter enim ex manibus eorum elapsus est), tunc demum ait: *Nemo tollit eam a me.* Si hoc verum est, hinc sequitur eum libenter ad hoc venisse; indeque confirmatur, illum posse cum voluerit eam resumere. Nam si ita mori plus quam humanum est, de reliquo ne dubites. Etenim cum solus sit vitam ponendi dominus, cum eadem potestate illam cum voluerit resumet. Viden' quomodo a priori secundum probet, et a morte resurrectionem indubitatam ostendat? *Hoc præceptum accepi a Patre* (*Joan.* 12. 49). Quodnam? Ut moriar pro mundo. Num exspectavit donec audiret, et tunc acquievit, et an opus habuit discere? Ecquis sanus hoc dixerit? Verum ut supra cum dicit, *Propterea me Pater diligit*, liberam ostendit voluntatem, et contrariam amovit suspicionem: sic et hoc loco cum dicit se præceptum accepisse a Patre, nihil aliud declarat, quam Patri placere quod ipse facit; ne occisum postea illum, a Patre putarent derelictum et proditum, nec exprobrarent, ut revera exprobrarunt: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere;* et, *Si Filius Dei es, descende de cruce* (*Matth.* 27. 42. *et* 40). Atqui ideo non descendit, quia Filius Dei est

3. Deinde ne audiens, *Præceptum accepi a Patre*, alienum ab eo hoc opus esse putares, jam prius dixerat, *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus*, his ostendens oves esse suas, et opus gestum totum esse suum, nec se egere præcepto. Nam si præcepto opus habuisset, cur dixisset, *A meipso pono?* Nam qui a seipso ponit, non eget præcepto. Causam quoque addit cur hoc faciat. Quænam illa? Quod pastor sit, et bonus pastor. Bonus vero pastor non eget alio qui ad rem illam se hortetur. Quod si id in hominibus, multo magis in Deo. Ideo Paulus dicebat, *Semetipsum exinanivit* (*Philip.* 2. 7). Nihil ergo aliud hic sibi vult præceptum, quam concordiam cum Patre ostendere. Quod si tamen humano et humili more dictum sit, id auditorum imbecillitati tribuendum. 19. *Dissensio itaque facta est inter Judæos.* 20. *Dicebant alii, Dæmonium habet et insanit. Quid eum auditis?* 21. *Alii dicebant : Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* Cum enim plus quam humana essent quæ dicebantur, et præter communem consuetudinem, dæmoniacum illum dicebant, jamque quater (*a*) sic illum vocarunt. Nam antea dicebant : *Dæmonium habes: quis te quærit interficere?* ac rursum, *Nonne bene diximus quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* et hic, *Dæmonium habet et insanit; quid eum auditis* (*Joan.* 7. 20. *et* 8. 48)? Imo non quater, sed sæpius id illum audivisse constat. Nam quod dicunt, *Nonne bene diximus quia dæmonium habes?* non bis vel ter, sed sæpius illud dictum fuisse confirmant. *Alii dicebant*, inquit, *Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* Quia enim ex verbis non poterant illis silentium imponere, ex operibus id demonstrant. Certe verba non sunt dæmoniaci. Quod si verbis non obtemperatis, opera revereamini (*Joan.* 10. 38). Quod si non dæmoniaci, sed plus quam humana illa sunt, palam est a divina quadam virtute proficisci. Viden' syllogismum? Quod enim supra hominem essent, hinc palam erat quod dicerent, *Dæmonium habet:* quod vero dæmonium non haberet, ex iis quæ fecit demonstravit. Quid ergo Christus? Nihil ad hæc respondit. Prius enim responderat, *Ego dæmonium non habeo;* nunc vero non item. Quia enim ex rebus ipsis demonstrationem concinnaverat, demum tacuit. Neque enim responsione digni erant ii qui dæmoniacum dicebant, ex operibus quæ admirari oportebat, et Deum ipsum esse putare. Ecquid opus erat, ut illos confutaret, cum jam ipsi inter se dissidirent et digladiarentur? Ideo silebat et omnia æquo animo ferebat. Non ea solum de causa, sed ut nos institueret ad mansuetudinem et patientiam.

4. *Discipuli Christi officia.*—Hunc itaque imitemur. Neque solum enim tacuit, sed etiam iterum stat, et interrogatus respondet, et providentiæ suæ signa dat: atque dæmoniacus appellatus et insanus, ab hominibus qui mille ab se beneficiis affecti fuerant, idque non semel aut bis, sed pluries, non modo se non ultus est, sed etiam beneficia conferendi finem non fecit. Ecquid dico beneficia conferendi? Pro ipsis animam ponit, et crucifixus pro ipsis Patrem alloquitur. Hæc et nos imitemur. Hoc enim est Christi esse discipulum, si mansueti simus et mites. Unde autem ad hanc perveniemus mansuetudinem? Si peccata nostra frequenter cogitemus, si lugeamus, si lacrymemur. Anima quippe in dolore hujusmodi versans, non indignatur. Ubi namque luctus est, ibi ira esse nequit; ubi dolor, ibi iracundia eliminatur; ubi contritio animi, nulla ibi indignatio. Luctu affectus animus non spatium temporis habet ut excitetur; sed acerbe ingemiscet, amarius flebit. Scio multos hæc audientes ridere; at ego non finem faciam illos deplorandi qui rident. Luctus enim est præsens tempus, planctus et gemituum. Multa quippe et in verbis et in rebus peccamus. Talia vero perpetrantes excipient gehenna, fluvius ardens igneo alveo, regni cælorum amissio, quod est omnium gravissimum. Post hanc comminationem, dic mihi, rides, in deliciis vivis? ac Domino tuo irato et comminante, in lapsu perstas, nec times ne tibi sic ardentem fornacem compares? Non audis quid quotidie clamet? *Esurientem me vidistis, et non dedistis mihi manducare; sitientem, et non dedistis mihi bibere. Discedite in ignem paratum diabolo et angelis ejus* (*Matth.* 25. 42. *et* 41). Hæc quotidie comminatur. Sed cibum illi dedi, inquies. Quando et quot diebus? decem aut viginti? At non hoc satis habet ille; sed quanto tempore in terra versaris. Nam et virgines oleum habuerunt; sed non quantum ad salutem satis erat. Siquidem et ipsæ lampades accenderunt; exclusæ tamen sunt a thalamo, ac jure quidem : exstinctæ quippe sunt ante sponsi adventum. Propterea multo nobis opus est oleo, et magna liberalitate. Audi quid dicat propheta : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* (*Psal.* 50. 1). Itaque nos ita proximi oportet misereri, quanta possumus misericordia. Quales enim erga conservos fuerimus, talem experiemur Dominum. Quænam magna est misericordia Quando non ex superfluis dabimus, sed ex iis quibus egemus. Quod si ne ex superfluis quidem demus, quæ nobis spes supererit? unde a malis liberabimur? quo fugiemus ut salutem consequamur? Si enim virgines post tot sudores nullam prorsus invenere consolationem, quis nobis patrocinabitur cum illa tremenda verba Judicis exprobrantis audiemus : Esurientem non me nutrivistis; et, Quod non fecistis uni ex istis minimis, nec mihi fecistis (*Matth.* 25. 42. 40). Non de discipulis, neque de monachis tantum hæc dicit, sed et de quovis fideli. Nam qui talis est, etsi servus sit, etsi in foro mendicet, si modo credat in Deum, jure omni fruitur benevolentia. Si despiciamus illum nudum aut esurientem, hæc audiemus verba : et merito quidem.

(*a*) Hic notat Boisius : *Atqui tria tantum loca adducuntur, ut forte legendum sit* ter, *hoc loco et mox.* Verum licet tria loca tantum afferat, post tertium dicit alia superesse. Quare cum *quater* dixisset, post allata tria loca quartum sic expresserit, *sæpeque alias.* Certe *quater* habent omnia exemplaria, et bis hic habetur.

Officia Christiana quam facilia. — Quid enim grave, quid onerosum a nobis exigit, quid non facillimum? Neque enim dixit, Infirmus eram, et non sanastis me; sed, *Non visitastis me.* Non dixit, In carcere eram, et non eduxistis me; sed, *Non venistis ad me.* Quanto igitur faciliora sunt præcepta, tanto majus supplicium non servantibus. Quid enim, quæso, facilius, quam carcerem adire? quid suavius? Cum videris alios vinctos, alios squalidos, comatos, et pannis indutos, alios fame tabescentes, et ad pedes canum more accurrentes, alios discerptis lateribus, alios ex foro ligatos revertentes, qui tota die mendicantes, ne cibum quidem necessarium collegerunt; vespere autem a custodibus ad laboriosum et immane ministerium coactos; etiamsi lapis esses, humanissimus hinc evades; etiamsi vitam mollem dissolutamque ducas, hinc plane philosophus evades, dum humanæ vitæ conditionem in alienis calamitatibus intueberis. Tunc in mentem veniet tremendus ille dies, variaque supplicia. Hæc animo versans, iram, voluptatem, sæcularium rerum amorem abjicies, et tranquillo quovis portu tranquilliorem animam efficies. De judicio illo philosophaberis, tecum reputans, si apud homines tantus ordo rerum, tantus terror, tantæ comminationes, multo magis apud Deum. *Nulla enim potestas est, nisi a Deo* (*Rom.* 13. 1). Qui principibus hæc ordinanda commisit, multo magis ipse exsequetur.

5. *Majus ex officio caritatis quam e theatralibus spectaculis gaudium percipitur. Visendi sunt incarcerati.* —Nam nisi ille instaret timor, omnia sane perirent: quando tot imminentibus suppliciis multi ad nequitiam sese conferunt. Hæc si philosopheris, ad eleemosynam eris promptior, magna frueris voluptate, et longe majore, quam qui a theatro descendunt. Nam qui a theatro surgunt, concupiscentia ardent. Cum vident enim illas in scena mulieres, ornatibus splendentes, mille affecti vulneribus, instar maris æstuantis erunt, dum earum aspectu, habitu, verbis, incessu, cæterisque omnibus animus obsidetur. Qui autem ab illo alio spectaculo egrediuntur, nihil tale patientur, imo magna fruentur tranquillitate. Compunctio enim ex vinctorum aspectu parta hujusmodi ignem totum exstinguit. Si exeunti ex carcere occurrat lasciva meretrix, nihil illi mali inferet. Nam fuco nulli obnoxius, aspectus hujusmodi retibus non capietur, cum contra talem aspectum metus judicii ob oculos versetur. Ideo ille qui omne voluptatis genus expertus erat, dicebat, *Melius est ire in domum luctus, quam in domum risus* (*Eccle.* 7. 3). Et hic talem sectatus philosophiam, illic beatissima audiet verba. Ne ergo illud negligamus opus. Etiamsi enim non possimus eo cibum inferre, nec argentum, at poterimus verbis lapsum animum consolari, et in aliis multis juvare, sive eos qui in carcerem truserunt alloquentes, sive custodes mansuetiores reddentes, et vel quantulumcumque opis afferemus. Si dixeris, nec frugi nec probos viros illic esse, sed homicidas, sepulcrorum effossores, fures, mœchos, lascivos, multisque sceleribus obnoxios, rursus mihi necessarium hunc aditum probas. Non enim jubemur bonos misereri, et malos punire; sed hujusmodi humanitatem omnibus impertire. Nam ait, *Estote similes Patri vestro, qui in cœlis est, qui oriri facit solem suum super malos et bonos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* 5. 45). Ne ergo alios acrius insecteris, neve sis judex vehementior, sed mitis et humanus. Nos etenim etsi non mœchi simus, non sepulcrorum effossores, non fures, sed aliis sumus obnoxii vitiis, quæ mille suppliciis digna sunt. Nam vel fratrem fatuum vocavimus, quod nos gehennæ obnoxios reddit; vel mulieres impudicis oculis aspeximus, quod est consummatum adulterium: quodque omnium gravissimum est, indigne mysteria participavimus, quod reos facit corporis et sanguinis Christi. Ne ergo acerbi aliorum scrutatores simus; sed nostra cogitemus, et sic inhumanitatem hanc et crudelitatem sedabimus. Ad hæc vero dicendum etiam, nos ibi probos viros multos reperturos esse, toti plerumque civitati exæquandos. Nam carcer ille, in quo Joseph erat, multos improbos continebat; et tamen omnium curam gerebat justus ille, et cum aliis occultus erat. Nam cum toti Ægypto esset exæquandus, in carcere tamen erat nemini notus. Nunc quoque verisimile est ibi multos esse probos et frugi viros, etsi non omnibus notos; et cura illis exhibita, officium aliis præstitum abunde tibi compensat. Etiamsi vero nullus ibi talis esset, magna tamen tibi reposita est merces. Certe Dominus tuus non justos modo alloquebatur, nec impuros fugiebat; sed et Chananæam cum multa benevolentia excepit, et Samaritanam scelestam et impuram, aliamque meretricem, quod Judæi exprobrarunt, excepit et curavit, passusque est ut impuræ mulieris lacrymis pedes sui rigarentur, ut nos doceret humane peccatores excipere. Hæc enim maxima humanitas est. Quid dicis? fures et sepulcrorum effossores carcerem occupant? Num, quæso civitatis incolæ omnes justi sunt? annon hic multi pejores sunt, qui impudentius furantur? Alii enim solitudinem saltem et tenebras obtendunt, et hæc clam faciunt: alii, posita larva, nudo capite, mala perpetrant, violenti, raptores, avari. Difficile namque est virum reperire insontem.

6. Quod si non aurum rapimus, si non tot et tot jugera terræ, at fraude et furto idipsum in minoribus pro virili facimus. Nam cum in commercio, vel in emendo et vendendo, minus quam oportet numerare contendimus, omnemque machinam movemus, annon illud latrocinium est? annon furtum et rapina? Ne mihi dixeris, te nec domum nec servum abstulisse. Injustitia namque non raptæ rei pretio, sed rapientis voluntate penditur. Justitia namque et injustitia in magnis et parvis rebus eamdem vim habent: et furem appello tam eum qui exsecta crumena aurum abripit, quam ementem, qui aliquid defraudat de pretio; et parietis effossorem voco, non eum modo qui, rupto pariete, aliquid intus furatur; sed etiam eum qui, jure violato, aliquid a proximo aufert. Ne ergo rebus nostris omissis, alienarum judices simus; neque dum humanitatis tempus est, nequitiam scru-

temur: sed cogitantes quomodo nos olim affecti fuerimus, simus tandem mansueti et benigni. Quomodo ergo affecti eramus? Audi Paulum dicentem: *Eramus enim aliquando et nos inobedientes, insipientes, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, odibiles, odientes invicem* (*Tit.* 3. 3); et rursum, *Eramus enim natura filii iræ* (*Ephes.* 2. 3). Sed Deus nos quasi in carcere detentos videns, et gravibus constrictos catenis, quæ ferreis longe graviores, non erubuit, sed venit in carcerem, et innumeris dignos suppliciis eduxit inde, et in regnum induxit; cæloque splendidiores effecit, ut et nos pro virili nostra hoc ipsum faciamus. Nam cum discipulis dicit: *Si ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes: exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (*Joan.* 13. 14): non de lavandis pedibus tantum hic legem dat, sed et de aliis omnibus, quæ ipse nobis contulit. Homicida est in carcere? At nos bene facere ne desistamus. Sepulcrorum effossor est, aut mœchus? Sed ne malitiæ, verum calamitatis misereamur. Sæpe autem, ut dixi, reperietur ibi quispiam innumeris viris exæquandus; et si sæpe vinctos adeas, hunc venatum assequeris. Sicut Abraham, qui quosvis excipiebat, in angelos incidit: sic et nos in viros magnos incidemus, si id frequentemus. Si vero liceat quid admirandum dicere, non tanta laude dignus est, qui magnum quempiam excipit, quam is qui miserum et infelicem. Ille namque non parvum argumentum affert sui recipiendi, nempe vitam suam; homo autem omnibus abjectus et miser unum habet portum, nempe misericordiam ejus qui se bene excipit: itaque hæc humanitas pura est. Qui claro et conspicuo officia exhibet, sæpe ad ostentationem id facit: qui vero abjectum excipit despectumque hominem, ob solum Dei præceptum id facit. Quare si convivium paremus, claudos et cæcos excipere jubemur; si eleemosynam erogemus, minimis et vilissimis elargiri præcipimur: nam ait, *Quantum uni ex his minimis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* 25. 45). Cum ergo illic reconditum thesaurum sciamus, eo frequenter ingrediamur, et ibi negotiemur, ac theatrorum studium illo vertamus[1]. Si nihil aliud afferendum habeas, verborum consolationem adhibe. Non modo enim alentem, sed et intrantem Deus mercede donat. Nam si ingressus, trementem metuentemque animum confirmaveris, hortando, juvando, opem promittendo, philosophiam docendo, non parvam hinc mercedem recipies. Extra positi multi, te ita loquente, ridebunt, multis perfusi deliciis; sed qui in calamitate versantur, animo compuncto cum modestia multa dictis attendent, te laudabunt, et meliores evadent. Nam et Paulum prædicantem Judæi sæpe deriserunt, vincti autem cum sommo silentio audiebant. Nihil enim ita animum ad philosophiam præparat, ut calamitas, tentatio, ærumnæ. Hæc itaque cogitantes, quot nempe in carcere positis bona, quot nobis ipsis conferemus, si sæpe cum illis versemur, forenses illas et intempestivas consuetudines eo vertamus, ut et illos lucremur, et nobis ipsis lætitiam pariamus, ac Dei gloriam curantes, æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria simulque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Morel legit, *sepeliamus*, pro, *vertamus*.

HOMILIA LXI.

CAP. 10. v. 22. *Facta sunt autem encænia in Jerosolymis, et hiems erat.* 23. *Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis.* 24. *Circumdederunt ergo eum Judæi, et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis?*

1. *Christus mansuetudinem verbo et exemplo prædicavit. Malus Judæorum animus.* — Omnis quidem virtus bona est, maxime autem mansuetudo et clementia. Hæc nos homines esse demonstrat, et a feris dirimit: hæc nos angelis exæquat. Ideo Christus frequenter de hac virtute verba facit, cum mites et mansuetos esse jubet. Neque verba tantum facit, sed et operibus ad id nos instituit, modo alapas perferens, modo convicia et insidias, ac rursum cum insidiantibus versans. Nam qui dæmoniacum illum et Samaritanum appellaverant, qui sæpe occidere illum voluerant, qui lapidibus impetierant, hi circumsistunt et interrogant, *Si tu es Christus?* Neque illos post tot talesque insidias repulit, sed mansuete admodum respondit. At necessarium est hunc sermonem altius repetere. *Facta sunt*, inquit, *encænia in Jerosolymis, et hiems erat.* Magnus hic dies festus et solemnis erat. Qua enim die templum constructum fuerat, ex longa et Persica (*a*) reversi captivitate, hanc celebritatem solemniter agebant. Diei festo aderat Christus. Instante namque morte, frequenter in Judæam veniebat. *Circumdederunt ergo eum Judæi et dicebant: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Non dixit, Quid a me quæritis? dæmoniacum sæpe vocastis, furiosum, Samaritanum: Deo adversarium et deceptorem me putastis esse: et nuper dicebatis, *Tu testimonium perhibes de teipso; testimonium tuum non est verum* (*Joan.* 8. 13): cur ergo interrogatis et de me audire vultis, cujus testimonium rejicitis? Nihil horum dixit, etsi nosset malum interrogantium animum. Nam quod eum circumdederint, ac dixerint, *Quousque animam nostram tollis?* id videbatur ex amore quodam et discendi studio proficisci. Mens autem interrogantium corrupta et subdola erat. Quia enim opera calumniis non obvia erant, verbis capere quærebant, aliter quam prius interrogantes, ac frequenter sciscitantes, ex ipsis verbis eum confutare volebant; et cum opera carpere non possent, ex verbis

(*a*) Sæpe Chrysostomus Persidem vocat Babyloniam et Assyriam.

ansam quærebant. Ideo dicebant, *Dic nobis.* Atqui sæpe dixit. Nam sic Samaritanam alloquutus est: *Ego sum qui loquor tecum* (*Joan.* 4. 26) et cæco dixit: *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ille est* (*Ibid.* 9. 37) Illis quoque dixit, sed aliis verbis. Atqui si mente valuissent, et recte explorare voluissent, verbis ipsum confiteri debuissent, qui operibus hoc ipsum sæpe comprobaverat. Nunc vero illorum perversitatem considera. Cum concionatur et verbis docet, aiunt: *Quod signum ostendis?* Cum autem operibus demonstrationes profert, dicunt illi: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Dum opera clamant, verba quærunt; et cum verba docent, ad opera confugiunt, contrariisque semper insistunt. Quod enim non discendi causa interrogarent, exitus demonstravit. Quem enim ita fide dignum putabant, ut de seipso testificantem admitterent, vel pauca loquentem, statim lapidibus impetunt. Itaque quod circumdarent eum et instarent, id ex nequitia proficiscebatur. Modus quoque interrogandi multum præ se ferebat odium. *Dic nobis palam, si tu es Christus.* Atqui palam ille loquebatur in solemnitatibus, quibus semper aderat, nihilque clam dicebat; ideoque adulantes dicunt, *Quousque animam nostram tollis?* ut provocantes, aliquam criminandi ansam reperiant. Quod enim semper illo animo interrogarent, non ut discerent, sed ut dicta carperent, non hinc solum, sed et aliunde sæpe probatur. Nam cum accesserunt dicentes: *Licet censum dare Cæsari, necne* (*Matth.* 22. 17)? et cum de repudianda uxore agerent, cumque de illa sciscitarentur, quam dicebant septem habuisse viros, deprehensi sunt, non discendi studio, sed ex pravo animo sciscitari. Sed tunc illos coarguit his verbis, *Quid me tentatis, hypocritæ?* ostendens se illorum secretam mentem cognoscere. Hic vero nihil loquitur simile, ut nos doceat, insidiatores non semper esse arguendos, sed multa modeste et mansuete esse ferenda. Quia ergo stultum erat, ipsis operibus prædicantibus, verborum testimonia quærere, audi quomodo ipsis respondeat, simul subindicans hæc illos frustra quærere, non discendi causa, et significans, se jam verbis ipsis clariorem emisisse vocem, per opera scilicet. Nam ait: 25. *Sæpe dixi vobis, et non creditis mihi: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, illa testimonium perhibent de me.* Quod ii, qui apud illos moderatiores erant, sæpe mutuo dicebant: *Neque enim potest homo peccator hæc signa facere* (*Joan.* 9. 16); et rursum, *Non potest dæmonium cæcorum oculos aperire;* et, *Nemo potest talia signa facere, nisi sit cum illo Deus.* Et videntes signa quæ faciebat, dicebant: *Numquid hic est Christus?* Alii autem dicebant: *Quando venerit Christus, num plura signa faciet, quam hic fecit* (*Ibid.* 7. 31)? Iidem vero ipsi ex operibus volebant in illum credere dicentes: *Quod signum ostendis nobis, ut videamus et credamus tibi* (*Ibid.* 2. 18)?

2. *Quomodo Christus Judæos increpando simul alliciat et irritet. Eadem potentia Patris et Filii, eadem manus.* — Quia ergo tunc simulabant se ex solo verbo credituros, qui tot tantisque operibus non crediderant, illorum nequitiam arguit his verbis: *Si operibus non creditis, quomodo verbis credetis?* Quare superflua est interrogatio. 26. *Sed dixi vobis,* inquit, *et non creditis mihi, quia non estis de ovibus meis.* Ego totum pastoris officium exhibui: si vero me non sequimini, non quod ego non pastor sim renuistis, sed quod vos oves meæ non sitis. Nam 27. *Oves meæ,* inquit, *vocem meam audiunt, et sequuntur me,* 28. *et vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum: et nemo potest eas rapere de manu mea.* 29. *Quia Pater, qui dedit mihi, major est omnibus: et nemo potest eas rapere de manu Patris mei.* 30. *Ego et Pater unum sumus.* Animadverte quomodo illos rejiciendo, hortetur tamen ut se sequantur. *Vos,* inquit, *non auditis me; neque enim estis oves;* qui vero sequuntur, hi sunt ex ovili. Hæc porro dicebat, ut illi oves esse conarentur. Deinde ubi quid consequuturi sint exposuit, incitat illos, ut sequendi desiderium inferat. Quid ergo? num ob Patris potentiam nemo rapit, tu vero nihil potes, et custodire non vales? Minime. Ut discas enim, illud, *Pater, qui dedit mihi,* ideo dictum fuisse, ne illum denuo Deo adversarium dicerent; postquam dixerat, *Nemo rapit eas de manu mea,* pergit ostendens suam et Patris manum unam esse. Nisi enim hoc ita esset, dicturus erat: Pater qui dedit mihi, major omnibus est, et nemo potest eas rapere de manu mea. Verum non ita dixit, sed, *De manu Patris mei.* Deinde ne putes ipsum esse infirmum, sed per Patris potentiam oves in tuto esse, subdidit: *Ego et Pater unum sumus;* ac si diceret, Non ideo dixi, ob Patris potentiam neminem eas esse rapturum, quasi illas ego servare non valeam. Nam *Ego et Pater unum sumus;* id est, secundum potentiam: nam de illa hic sermo erat. Si autem eadem est potentia, palam est eamdem esse substantiam. Cum enim multa facerent Judæi, insidias pararent, extra synagogam ejicerent, dicit illos omnia incassum machinatos esse. Nam in manu Patris mei sunt oves, ut propheta dicit: *In manu mea depinxi muros tuos* (*Isai.* 49. 16). Deinde unam esse manum ostendens, illam modo suam, modo Patris esse dicit. Cum manum audis, nihil sensile cogites, sed virtutem, potentiam. Si autem nemo rapuit, quia Pater sibi potestatem indidisset, superfluum fuisset addere, *Ego et Pater unum sumus.* Nam si minor Filius esset, temerarium esset dictum. Nihil certe aliud declarat, quam potentiæ æqualitatem: quod cum Judæi intelligerent, lapidibus ipsum impetebant. Neque tamen ille hanc amovit opinionem. Atqui si id falso opinati fuissent, illos emendare oportuit ac dicere: Cur hoc facitis? non hæc dixi, ut parem paternæ meam potentiam indicarem. Nunc contra, illis furentibus, illam opinionem confirmat et probat. Non sese purgat, ut qui male et falso dixerit; imo illos increpat, ut qui non consentaneam de se habeant opinionem. Cum enim dicerent: 33. *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia homo cum sis, facis teipsum Deum;* audi quid dicat: 35. *Si illos dicit Scriptura deos, ad quos sermo Dei factus est,* 36 *quomodo vos dicitis quia blasphemo, quia dixi, Filius Dei sum?* Id est,

Si ii qui per gratiam hoc acceperunt, non accusantur cum se deos vocant; qui ex natura sua hoc habet, quo jure increpetur? Verum non ita dixit, sed demum id probavit, postquam demissius loquutus est his verbis: *Quem Pater sanctificavit et misit;* et postquam illorum furorem sedavit, tunc claram affert demonstrationem. Interim vero, ut admitteretur id quod dicebat, humilius loquutus est, ac demum ad majora ipsos adducit, dicens: 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi;* 38. *sin autem facio, etsi mihi non creditis, operibus meis credite.* Viden' quomodo probet, ut dixi, se Patre in nullo inferiorem esse, sed æqualem omnino? Quia enim non poterat substantia ipsius videri, ab operum æqualitate et identitate æqualis potestatis demonstrationem affert.

3. Ecquid, quæso, credemus? *Quod ego in Patre, et Pater in me sit.* Nihil enim aliud ego sum, quam Pater, manens Filius; nihil aliud est ille, quam quod ego, manens Pater: et qui me novit, novit et Patrem, Filiumque didicit. Quod si potentia minor esset, etiam cognitio falsa esset. Neque enim alia per aliam vel substantia vel potentia disci potest. 39. *Voluerunt ergo eum apprehendere: et exiit de manibus eorum,* 40. *et abiit trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans primum.* 41. *Et multi venerunt ad eum, et dicebant: Joannes quidem signum fecit nullum; omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera sunt.* Postquam enim magnum quidpiam et sublime dixit, statim secedit, illorum cedens furori, ut per absentiam illius sedetur et sopiatur. Quod etiam tunc fecit. Sed cur evangelista locum indicat? Ut discas ipsum ideo istuc abiisse, ut ipsis in memoriam illa revocaret, quæ Joannes illic fecerat dixeratque, necnon testimonium ipsius. Istuc ergo cum venissent, statim Joannis recordati sunt; ideo dicunt, *Joannes nullum fecit signum;* nam alias quid ad rem fecisset id addere? sed quia locus Baptistæ memoriam revocavit, necnon ejus testimonii. Vide autem quam certos syllogismos concinnent. Joannes, inquiunt, nullum fecit signum; hic signa facit: hinc ergo ejus præcellentia ostenditur. Si ergo illi nullum signum edenti credidimus, multo magis huic credemus. Deinde, quia Joannes erat qui testimonium perhibuerat, ne quia signum non fecerat, indignus fuisse putaretur qui testimonium ferret, adjiciunt, etiamsi signum non fecerit, vera tamen omnia de Christo dixisse, ita ut non Christus ex illo, sed ille ex operibus Christi fide dignus haberetur. 42. *Multi ergo crediderunt in eum.* Multa enim illos attrahebant. Nam recordati sunt verborum ejus, cum ipsum se fortiorem dicebat, lucem, vitam, veritatem cæteraque omnia; vocis quoque desuper allatæ, Spiritusque specie columbæ apparentis, ipsumque omnibus ostendentis. Ad hæc miraculorum demonstratio accedebat; qua confirmabantur. Nam si Joanni, inquiunt, credendum, multo magis huic. Si absque signis illi credidimus, multo magis huic, qui illius testimonio celebratus, et ex signis demonstratus est.

Tranquillitas quantum animæ prosit. Anima a negotiis vacans, in portu sedet. Mulierum officium.— Viden' quantum illis locus profuerit, quantum sequestratio a viris improbis? Ideo illos frequenter ab istorum consortio abducit. Quod etiam in veteri lege fecisse deprehenditur. Judæos procul ab Ægyptiis in deserto informans, et sic in omnibus instituens. Id quod etiam nobis faciendum suadet, jubens forum vitare, tumultumque et turbam, atque in cubiculo tranquille orare. Navicula enim tempestate non agitata, secundo vento navigat: animaque a negotiis vacans in portu sedet. Ideoque mulieres philosophiæ magis deditas esse oporteret, quam viros, quæ rei familiari ut plurimum incumbunt. Sic Jacob simplicior fuit, qui domi habitaret, a tumultibus liber. Neque enim sine causa hæc Scriptura dixit, *Habitans domum* (*Gen.* 25. 27). Atqui domi etiam, inquies, magnus tumultus. Siquidem tu vis, et multas tibi attrahis curas. Vir certe in medio foro, et pro tribunali, externis rebus quasi fluctibus agitatur: mulier vero, seu in quodam philosophiæ gymnasio, domi sedens, mentem colligens, poterit et precibus et lectioni cæterisque philosophiæ exercitiis incumbere. Ac quemadmodum ii qui desertum incolunt, a nemine turbantur: sic mulier semper intus manens, perpetua poterit frui tranquillitate. Si quando autem domo sit exeundum, nulla inde perturbationis causa. Sive enim in ecclesiam veniant, sive ad balneum sit pergendum, sæpe coguntur quidem mulieres exire: ut plurimum autem domi sedet mulier, potestque philosophari, adventantemque virum perturbatum sedare, compescere, superfluos ac molestos ejus cogitatus eliminare, et sic rursus emittere curis in foro susceptis vacuum, et bona quæ domi didicit secum ferentem. Nihil enim, nihil utique fortius muliere pia et prudente, ut virum informet, ejusque animam, ut voluerit, instituat. Non amicos, non doctores, non principes perinde feret, ut uxorem monentem, et consilium dantem. Monitio quippe talis cum quadam voluptate conjuncta est, quod illa multum ametur. Multos possem afferre viros asperos, immorigeros, ab uxoribus mitigatos. Uxor viri et mensæ et lecti et liberorum procreationis consors, ipsa conscia dictorum et arcanorum, ingressus et exitus, plurimorumque aliorum, in omnibus marito dedita, et sic illi juncta, ut par est corpus capiti copulari, si prudens sit et diligens, plus quam omnes alii conjugem fovebit et curabit.

4. *Uxoris christianæ agendi ratio qualis esse debeat; quale sit ipsius verum decus.*—Quamobrem hortor, ut operam illi rei dent, et quæ decent suadeant. Ut enim ad virtutem uxor, sic et ad nequitiam inducendam multam vim habet. Mulier Absalonem, mulier Amnonem perdidit, mulier Jobum perdere conata est: uxor Nabalem a cæde eripuit, mulier totam gentem servavit. Nam Debora et Judith, et aliæ multæ imperatorum probe functæ sunt officio. Ideo Paulus ait: *Quid enim scis, mulier, an virum salvum facies* (1. *Cor.* 7. 16)? Illisque temporibus Persida, et Mariam et Priscillam, apostolicis certaminibus se dedidisse scimus (*Rom.* 16). Quas et vos imitari debetis, nec verbis solum, sed etiam operibus conjuges infor-

mare. Et quomodo maritum operibus erudiemus? Cum te videbit nec improbam, nec curiosam, nec ornatus amantem, non superfluos sumptus expetentem, sed præsentibus contentam; tunc te consulentem feret. Si autem verbis philosopheris, rebus vero contraria feceris, tunc loquacitatem tuam damnabit. Sin verbis simul et operibus doctrinam inferas, tunc te excipiet atque magis obtemperabit: ut cum aurum non quæres, neque margaritas, neque vestimentorum magnificentiam; sed horum loco, modestiam, temperantiam, benevolentiam: utque ex teipsa hæc afferes, sic ab illo eadem exiges. Nam si quid ad placendum viro sit agendum, animam oportet, non corpus ornare, imo corrumpere. Neque enim ita te illi amabilem aurum reddet, ut temperantia et benevolentia, atque animus ad vitam pro marito ponendam paratus. Hæc viros capiunt. Nam cultus ille superfluus displicet illi, rem familiarem coarctat, et sumptum et curas parit. At quæ prius dicta sunt, virum uxori copulant. Benevolentia quippe, amicitia, desiderium, nec curas faciunt, nec impensam exigunt; imo contrarium omnino. Ornatus quidem ille a consuetudine fastidium ingenerat: animæ vero ornatus quotidie floret, et majorem accendit flammam. Itaque si viro placere velis, orna animam castitate, pietate, rei domesticæ cura. Hæc maxime alliciunt, et numquam desinunt. Hunc ornatum non senectus solvit, non morbus aufert; sed corporis cultum diuturnum tempus atterit, morbus consumit, aliaque multa perdunt. At animæ bona his omnibus sunt superiora. Ille ornatus invidiam parit et zelotypiam; hic vero a morbo quovis et a vana gloria liber est. Hoc pacto res domestica facilior erit, et proventus uberior, quando aurum non corpori tuo circumpositum erit, nec manus ligabit; sed pro necessariis expendetur usibus: ut in cibum servorum, filiorum curam necessariam, aliaque rationi consentanea. Alioquin si hæc in luxum præponantur, dum cor angitur, quod lucrum? quæ utilitas? Tantum cultum non sinit dolor aspicere. Scitis enim, scitis utique, quod si quis mulierem omnium ornatissimam videat, delectari non potest, si animus sit in mœrore: qui enim vult delectari, hilaris sit oportet. Si autem aurum totum ad ornandum uxoris corpus insumptum est, in angustia rei familiaris nulla potest esse heri voluptas. Quapropter si vultis placere viris, dabitis voluptati locum: dabitis porro, si talem cultum et ornatum tollatis. Hæc quippe omnia sponsalium tempore quamdam videntur habere voluptatem; demumque tempore marcescunt. Si enim cælum tam pulchrum, solem tam splendidum, cui nullum par esse corpus dixeris, ob consuetudinem non usque adeo miramur, quomodo ornatum corpus diu mirabimur? Hoc dico, quod velim vos ornari vero cultu, quem Paulus præcepit: *Non auro et margaritis, aut veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona* (1. *Tim.* 2. 9 *et* 10). Sed vis externis placere, ab iisque laudari? Certe non castæ mulieris est desiderium. At si velis, etiam illos habebis et amatores et castitatis laudatores. Illam enim talem mulierem nemo æquus æstimator laudabit, sed lascivi tantum et molles homines; imo ne hi quidem laudabunt, sed maledicent, cum mulieris lasciviam intuebuntur: probam vero hanc mulierem et hi et illi omnesque laudabunt; quippe qui nihil ab illa mali acceperint, sed philosophiæ doctrinam: magna apud homines laus aderit, magna apud Deum merces. Hunc ergo quæramus ornatum, ut et hic cum libertate vivamus, et futura consequamur bona: quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXII (*a*).

CAP. 11. v. 1. *Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, ex castello Mariæ et Marthæ sororis ejus.* 2. *Maria autem erat ea quæ unxit Dominum unguento.*

1. *Ærumnæ amicis Dei maxime competunt. De Maria sorore Lazari quæstio.* — Multi cum aliquos vident homines Deo acceptos, in ærumnam quampiam, ut morbum, paupertatem, aut quid simile incidisse, perturbantur, nescii Deo amicis id maxime competere. Nam Lazarus ex Christi amicis erat, et infirmabatur: id quod dicebant ii qui miserunt: *Ecce quem amas infirmatur.* Sed locum altius repetamus. *Erat*, inquit, *quidam languens Lazarus a Bethania.* Non abs re dixit unde esset Lazarus, sed ea de causa, quam postea dicturus est. Interim vero præsentia tractemus. Sorores utiliter indicat, et Mariam quæ in aliquo præstabat, hoc adjiciens, *Erat autem Maria quæ Dominum unxerat unguento.* Hic quidam quæstionem movent, cur Dominus hoc mulierem facere permiserit? Primo itaque discas oportet, non hanc esse meretricem de qua Matthæus et Lucas, sed aliam honestam mulierem. Illæ namque mulieres erant peccatis onustæ: hæc vero et honesta et studiosa. Nam Christum excipere curavit. Narrat autem evangelista, sorores quoque ipsum amavisse; et tamen Lazarum mori permisit. Quare non, ut centurio et regulus, relicto fratre ægrotante, Christum adeunt, sed mittunt? Admodum Christo fidebant, ipsique familiares erant. Alioquin mulieres erant infirmæ, et luctu detinebantur. Quod enim non ex contemptu sic fecerint, postea demonstrarunt. Quod igitur hæc illa non esset palam est. Sed illam, inquies, cur admisit Christus? ut solveret nequitiam, ut humanitatem exhiberet, ut discas nullum esse morbum, qui ejus bonitatem superet.

(*a*) Hanc homiliam et duas sequentes edidere olim Parisienses typographi Tomo secundo Bibliothecæ Patrum, Editione secunda, nomine sancti Basilii Seleuciæ episcopi, latine versas per Theodorum Peltanum Societatis Jesu Theologum.

Ne itaque hoc tantum respicias quod illam admiserit, sed et illud considera, quomodo mutaverit. Et cur hanc memorat historiam evangelista? imo vero quid nos vult docere, cum ait : 5. *Amabat autem Jesus Martham et sororem ejus, et Lazarum?* Ne umquam indignemur vel ægre feramus, si viri virtute præditi et Dei amici, in morbum incidant. 3. *Ecce quem amas, infirmatur.* In commiserationem Christum pertrahere volebant. Adhuc enim hominem esse putabant, quod ex dictis eorum arguitur, *Si fuisses hic, non fuisset mortuus.* Neque dixerunt, Ecce Lazarus infirmatur; sed, *Ecce quem amas, infirmatur.* Quid ergo Christus? 4. *Hæc infirmitas non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Vide quomodo rursum eamdem dicat gloriam suam et Patris. Cum enim dixisset, *Dei*, subdidit, *Ut glorificetur Filius Dei. Hæc infirmitas non est ad mortem.* Cum enim illic biduo mansurus esset, remittit illos ut hæc nuntient. Qua in re mirandum est, quod sorores cum audissent non esse ad mortem, et postea mori vidissent, offensæ non fuerint, rem contra cessisse cernentes; verum accesserunt, nec putarunt mentitum illum esse. Illa autem particula, *Ut*, non causalis est, sed eventum significat. Alia namque fuit morbi causa; illo autem ad Dei gloriam usus est. 6. *Et cum hæc dixisset, mansit in eo loco duos dies.* Cur mansit? Ut expiraret ille et sepeliretur : ne quis diceret, Nondum defunctum suscitavit, sopitus tantum erat; vel, Solutus defecerat, non mors erat. Ideo tanto tempore manet, ut illo jam corrupto, dicere possent, *Jam fœtet* (*Joan.* 11. 39). 7. *Deinde dicit discipulis : Eamus in Judæam.* Cur cum nusquam ita prædixerit, hic prædicit? Valde timebant : et quia sic affecti erant, prædicit, ne statim turbentur. Quid vero discipuli? 8. *Nunc quærebant te Judæi lapidare, et rursus eo vadis?* Timebant enim etiam ei, sed sibi magis; nondum enim perfecti erant. Quapropter timore exagitatus Thomas dicit ei : *Eamus, ut et nos moriamur* (*Ibid.* 16). Infirmior namque et magis incredulus [1] quam cæteri erat. Sed vide quomodo Christus dictis suis illos confirmet. 9. *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Vel hoc dixit, ut declararet, nihil timendum esse nullius sibi mali conscio; sed eum qui male fecerit puniendum (quare nobis nihil timendum, cum nihil morte dignum fecerimus) : vel sic intelligas, Qui lucem hujus mundi videt, in tuto est; si autem ille in tuto est, multo magis is qui mecum est, nisi a me discesserit. His verbis illos confirmavit, et necessariam causam subdidit, cur illo migrandum esset : et postquam declarasset, non iturus Jerosolymam, sed Bethaniam, dixit : 11. *Lazarus amicus dormit, et vado ut illum excitem.* Hoc est, Non iterum vado cum Judæis disputaturus et congressurus, sed amicum nostrum excitaturus. 12. *Dicunt discipuli : Domine, si dormit, salvus erit.* Id vero non sine causa dixerunt, sed ut impedirent quominus iret. Dicis, inquiunt, illum dormire? ergo nihil cogit illo abire. Atqui ille ideo dixerat, *Amicus noster*, ut ostenderet necessariam esse profectionem.

2. Quia vero illi segniores erant, dixit tandem, 14. *Mortuus est.* Primo itaque ut fastum tolleret, sic loquutus fuerat; cum autem id illi non intelligerent, adjecit, *Mortuus est*, 15. *et gaudeo propter vos.* Cur, *Propter vos?* Quod absens prædixerim : itaque cum resuscitavero, nulla remanebit suspicio. Viden' quomodo adhuc imperfectiores essent discipuli, nec ejus virtutem ut par erat cognoscerent? Quod ex metu illorum animos turbante proveniebat. Et cum dixit, *Dormit*, addidit, *Vado ut excitem eum;* cum autem dixit, *Mortuus est*, non jam addidit, *Vado, ut suscitem eum.* Non enim volebat ex verbis prædicere, quæ opere confirmaturus erat, nos semper docens, vanam gloriam esse fugiendam, neque temere esse promittendum. Quod si rogatus hoc centurioni fecit (dixit enim, *Ego veniam; et curabo eum* [*Matth.* 8. 7]); id dixit, ut ejus fidem ostenderet. Si quis vero dixerit, Cur somnum suspicabantur esse discipuli, neque noverunt mortuum esse, cum diceret, Vadam et curabo eum? (stultum enim erat si putarent Jesum quindecim stadia confecturum esse, ut illum expergefaceret) : respondebo, putasse illos hoc ænigma esse, ut alia multa quæ dicebat.

Thomas omnium infirmissimus postea fortissimus effectus est. — Omnes itaque Judæorum impetum formidabant : omnium maxime Thomas : ideo dixit, 16. *Eamus, ut et nos moriamur cum eo.* Quidam vero dicunt, ipsum mori optasse; sed non ita res est : nam potius ex timore loquebatur. Sed non increpatus fuit. Ejus enim infirmitatem adhuc tolerabat; demum certe his omnium fortissimus effectus est et insuperabilis. Nam, quod admiratione dignum est, is quem ita infirmum ante crucem vidimus, post crucem et post resurrectionis fidem ferventissimum omnium conspicimus. Tanta est Christi virtus. Nam qui cum Christo Bethaniam ire non audebat, hic Christo non præsente orbem fere percurrit, in mediis populis versabatur sanguinariis, qui illum interficere quærebant. Si autem stadiis quindecim distabat Bethania, quæ sunt milliaria duo, quomodo quatriduanus erat Lazarus? Mansit duobus diebus, et pridie venerat nuntius, eo ipso mortis die : deinde quarta die advenit. Ideo donec vocaretur exspectavit; neque non accersitus venit ne qua oriretur suspicio. Neque ipsæ, quæ amabantur, venerunt; sed alii mittuntur. 18. *Erat autem Bethania quasi stadiis quindecim.* Hinc significatur multos ex Jerosolymis adfuisse; nam statim adjicit, multos ex Judæis adfuisse qui consolarentur eas (*Joan.* 11. 19). Quomodo [1] a Christo dilectas Judæi consolabantur? Atqui convenerant ut si quis Christum confiteretur, extra synagogam fieret?

[1] In Morel. legitur, *timidior*, pro, *magis incredulus.*

[1] Omnes fere Mss. nostri locum, ut in textu jacet, efferunt; Editi vero sic..... « *quasi stadiis quindecim* ». *Neque illud sine causa notatur : sed ostendere voluit Evangelista locum esse proximum, et ex illa proximitate verisimilem fieri multorum præsentiam. Itaque subjunxit : « Multi autem ex Judæis venerant ut consolarentur eas.»* Quomodo etc.

Vel ob calamitatis magnitudinem, vel quia ut nobiliores venerabantur; vel forte qui non improbi erant, venerunt: multi enim ex ipsis crediderunt. Hæc porro dicit evangelista, Lazari mortem confirmans. Cur porro Christo obviam venit sine sorore comite? Vult seorsim illum adire, et rem nuntiare. Postquam autem Christus spem bonam indiderat, tunc abit, et Mariam vocat, et occurrit illi, luctu adhuc vigente. Viden' amoris magnitudinem? Hæc est de qua dicebat: *Maria vero optimam partem elegit* (*Luc.* 10. 42). Quomodo ergo, inquies, Martha nunc ferventior videtur? Non erat hæc ferventior; sed illa nihil didicerat: nam Martha imbecillior erat. Cum enim tot tantaque audisset, adhuc tamen dicit, *Jam fœtet; quatriduanus est enim*. Illa vero, etsi nihildum audisset, nihil hujusmodi loquuta est; sed statim credens dixit: 21. *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.*

3. Videte quanta sit mulierum philosophia, etiamsi imbecilla mente essent? Viso namque Christo non statim in luctum, in planctum, in gemitum erumpunt, ut nos solemus, quando notos quospiam ad luctum venientes conspicimus; sed statim illæ magistrum mirantur. Credebant utique ambæ in Christum; sed non ut par erat. Nondum enim perfecte sciebant, nec Deum esse, neque sua potestate et auctoritate hæc facere: quod utrumque ipsas edocuit. Quod autem ignorarent, patet ex eo quod his verbis, *Si fuisses hic, frater noster non esset mortuus*, addiderint, 22. *Quæcumque petieris a Deo, dabit tibi*; quasi de virtute prædito et conspicuo viro loquentes. Vide autem quid Christus respondeat: 23. *Resurget frater tuus*; illud confutans, *Quæcumque petieris*. Neque enim dixit, Petam, sed quid? *Resurget frater tuus*. Si dixisset enim: O mulier, adhuc terram respicis? alieno non egeo auxilio, a meipso omnia facio; hæc molesta fuissent, et mulierem offendissent. Nunc vero dicens, *Resurget*, medium tenuit modum, et per sequentia ea quæ dixi subindicavit. Dicente enim illa, 24. *Scio quia resurget in novissimo die*, clarius suam ostendit auctoritatem, dicens, 25. *Ego sum resurrectio et vita*; commonstrans se non alterius auxilio egere, siquidem ipse vita est. Quod si alterius egeret opera, quomodo ipse fuerit resurrectio et vita? Sed non tam clare dixit, subindicavit tamen. Rursum illa dicente, *Quæcumque poposceris*, ille reponit: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet*; ostendens se bonorum datorem esse, et a se petendum esse. 26. *Et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum.* Vide quomodo mentem ejus erigat. Non enim tantum quærebatur resurrectio Lazari, sed oportebat et hanc, et qui præsentes cum illa erant, resurrectionem ediscere. Propterea antequam suscitet eum, verbis philosophatur. Quod si resurrectio sit et vita, non loco circumscribitur, sed ubique sanare potest. Si vero dixissent ut centurio, *Dic verbo et sanabitur puer meus* (*Matth.* 8. 8), id profecto fecisset: quia vero illum ad se vocabant, et ut veniret rogabant, ideo obtemperavit, ut illas a tam humili, quam de se habebant, opinione retraheret, et ad locum venit: et tamen dum sese attemperat, ostendit posse se, etiam dum absens est, sanare; ideo tardat. Non enim vulgata fuisset gratia repente collata, nisi fœtorem emisisset. Et unde sciebat mulier futuram resurrectionem? Audierat Christum multa de resurrectione loquentem, sed nunc videre cupiebat; et vide quomodo adhuc humi versetur. Cum audisset enim, *Ego sum resurrectio et vita*, non respondit, Resuscita eum; sed quid? *Credo quia tu es Christus Filius Dei*. Quid ergo Christus illi? 25. *Omnis qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet*, si hac nempe morte mortuus fuerit; 26. *et omnis qui vivit et credit in me, non morietur*, illa videlicet morte. Cum igitur ego sim resurrectio, ne turberis si jam mortuus fuerit, sed crede. Hæc enim non mors est. Interim illam de eventu consolatus est, spemque adjecit, tum dicens eum esse resurrecturum, tum hæc proferens, *Ego sum resurrectio*; tum etiam quia, si resurgat et iterum moriatur, nihil mali passurus sit. Itaque non est hæc mors formidanda; hoc est, Neque ipse mortuus est, neque vos moriemini. *Credis hoc? Ait illa: Credo quia tu es Christus Filius Dei, qui in mundum venisti.* Videtur mulier Christi dictum non intellexisse. Novit certe magnum esse quidpiam, sed totum non intellexit. Ideo de alia re interrogata, de alia respondet. Id vero interim lucrata est, quod luctum poneret. Hæc quippe virtus est verborum Christi. Ideo illa prævenit, hæc sequuta est. Nam benevolentia erga magistrum re præsenti non multum affici permittebat. Itaque cum gratia mens quoque mulierum philosophabatur.

4. *Mulierum planctus et luctus immodestus.* — Verum nunc, præter alia mala, hic quoque mulierum morbus obtinet. Nam in luctu et planctu ostentationem affectant, brachia nudant[1], crines discerpunt, genas laniant; aliæ ob dolorem; aliæ ad ostentationem; aliæ impudico animo brachia nudant, viris intuentibus. Quid facis, o mulier? Te in medio foro turpiter nudas, quæ Christi membrum es, idque in foro viris præsentibus? Crines vellicas, vestem discindis, magnos ejulatus emittis, choream circum efficis, et mænadum illarum imaginem servas, nec te putas Deum offendere? Quæ illa insania? Annon gentiles ridebunt? Annon fabulas nostra esse putabunt? Dicent enim, Nulla est resurrectio; sed Christianorum dogmata ridicula sunt, fraudes, fallaciæ. Ac si enim nihil post hanc vitam supersit, ita lugent apud illos mulieres; nihil attendunt Scripturis suis. Figmenta sunt illa omnia, ut ipsæ comprobant. Si enim crederent eum qui mortuus est, non vere mortuum esse, sed ad meliorem vitam translatum; non illum quasi jam ultra non esset lugerent, non ita se macerarent, non illas emitterent voces incredulitatis

[1] Alii habent, *cruentant*, pro, *nudant*. More nempe gentilium, qui præficas in funera inducebant, quarum officia descripta sunt Tomo quinto Antiquitatis explanatæ sub initium.

plenas: Non te amplius videbo, non te recuperabo. Fabulæ apud illos omnia sunt. Quod si id quod caput omnium bonorum est non credunt, multo minus credent cætera. Non tam effeminati gentiles sunt: multi apud illos philosophantur. Audiens gentilis mulier filium in pugna cecidisse, statim sciscitata est, quomodo se res publica haberet (*a*); aliusque philosophus coronatus, ut audivit filium pro patria cecidisse, sublata corona sciscitatus uter ex duobus, cum quis esset didicisset, coronam statim reposuit. Multi in deorum suorum honorem filios filiasque mactandos tradidere. Lacænæ autem mulieres filios hortantur, ut scutum ex prælio referant, vel super ipsum mortui referantur. Pudet me ita gentiles philosophari, dum nos turpiter agimus. Qui nihil de resurrectione norunt, perinde agunt ac si nossent: qui norunt resurrectionem, ita se gerunt ac si illam ignorarent. Multi quod propter Deum non facerent ex humano pudore faciunt. Opulentiores enim mulieres capillos non vellunt, brachia non nudant; quod quidem summopere improbandum, non quod non nudent, sed quia non pietatis causa, ac ne turpes videantur, hoc faciunt. Pudor luctum cohibet, Dei metus non cohibet? Et quomodo hæc non admodum improbanda? Oporteret ergo quod opulentæ faciunt quia opulentæ sunt, id pauperes ob Dei timorem facere. Nunc omnia inverso ordine fiunt: illæ ob vanam gloriam philosophantur, hæ ob pusillanimitatem turpiter agunt. Quid hac inæqualitate deterius? Omnia hominum gratia facimus. Verba quoque stultitiæ plena et ridicula proferunt. Dominus quidem dicit: *Beati qui lugent*. de iis loquens, qui peccata lugent: nemoque illo luget luctu, nec curat si pereat anima; hoc non jussi sumus facere, et facimus [1]. Quid ergo, inquies, hominem deflere non licebit? Hoc non veto, sed tunsiones, sed immoderatos fletus. Non sum ferinus, non inhumanus: scio naturam flecti, et quotidianam requirere consuetudinem. Non possumus non lugere, quod et Christus ostendit: lacrymatus enim est de Lazaro. Hoc et tu facito! lacrymare, sed leniter, sed pudenter, sed cum timore Dei. Si sic lacrymeris, non lacrymaris quasi resurrectionem non credens, sed quasi separationem non ferens.

5. Nam illos etiam qui peregre proficiscuntur lacrymis prosequimur; sed non quasi desperantes. Sic et tu lacrymas emitte, ac si proficiscentem præmitteres. Hæc non jubens, sed humanæ me infirmitati attemperans dico. Nam si peccator erat is qui defunctus est, qui sæpe Deum offenderit, deflendus utique est; imo non deflendus tantum, cum id nihil ipsi afferat utilitatis, sed ea facienda sunt, quæ possint illum juvare, ut eleemosynæ, oblationes. Hinc etiam lætandum est, quod omnis malitiæ occasio ipsi ablata sit. Si vero justus sit, exsultandum, quod in tuto sit collocatus, et liber ab incerto futuro statu: si juvenis sit, gaudendum quod cito ereptus sit hujus vitæ malis; si senex, quod eo diutius sit usus, quod maxime desiderabile videbatur. Tu vero his prætermissis omnibus, ancillas ad luctum incitas, quasi in defuncti honorem, quod extremum dedecus est. Honor enim defuncto sunt, non fletus, non ejulatus, sed hymnorum psalmorumque cantus, optimaque vita. Ille namque digressus cum angelis versabitur, etiamsi funeri nemo adsit: qui porro improbus moritur, etsi totam civitatem exsequiis præsentem habeat, nihil inde lucrabitur.

Defuncti quomodo sint honorandi.— Vis defunctum cohonestare? Alia adhibe, eleemosynas, beneficia, ministeria. Quid ex tot fletibus lucri? Ego aliud gravius audivi: multas nempe esse quæ per fletus amatores alliciunt, dum vehementia luctus maritalis amoris famam sibi comparant. O diabolicum inventum! O satanicum artificium! Usquequo terra et cinis, usquequo sanguis et caro erimus? Respiciamus in cælos, spiritualia cogitemus. Quomodo gentiles arguemus? Quomodo de resurrectione cum illis agemus, quomodo de virtutibus? Qua securitate vivemus? An ignoras ex mœrore provenire mortem? Dolor enim mentem obtenebrans, non modo nihil ut par esset videre sinit, sed multum infert damni. Illo itaque modo Deum offendimus, ac neque nobis, neque defuncto prosumus: hac autem ratione Deo placemus, et ab hominibus celebramur. Nam si nos non concidamus, cito mœroris reliquias aufert: sin indignemur, nos dolori quasi dedititios reddit. Si gratias agamus, non dolebimus. Et quomodo potest, inquies, non lugere, qui filium, aut filiam, aut uxorem amisit? Non dico non lugendum, sed non sine modo lugendum esse. Si enim cogitemus Deum abstulisse, nosque seu virum seu filium mortalem habere, cito consolationem admittemus. Indignari namque est eorum qui majus quidpiam requirunt, quam natura ferat. Homo et mortalis natus es, cur doles quod secundum naturam contigerit? An doles quod comedas ad vitam servandam? Num quæris sine cibo vivere? Sic circa mortem facito, nec quæras immortalitatem, mortalis cum sis. Hoc semel definitum est. Ne doleas, ne te maceres, sed fer ea quæ omnibus statuta sunt. Dole de peccatis. Hic optimus luctus est, hæc maxima philosophia. Hæc ergo perpetuo defleamus, ut illic gaudium consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] In aliis legitur, *non jussi sumus lugere et lugemus*.

(*a*) Hæc puto referri ad illud apophthegma Lacænæ mulieris apud Plutarchum p. 401 Edit. Paris., s. p. 241. Quæ cum filios quinque ad pugnam emisisset, et in suburbio pugnæ exitum exspectaret, nuntianti filios suos omnes in pugna cecidisse, *Vide mancipium*, respondit, *non hoc quærebam; sed quo loco essent res patriæ*. Respondet ille victoriam penes Spartiatas esse. *Nunc*, inquit illa, *filiorum cædem non invita audio*. Alius philosophus hic memoratus Xenophon est. Hanc porro historiam refert Diog. Laertius in Xenophonte versus finem. Hic memoriter loquens Chrysostomus, rem paulo secus narrat.

HOMILIA LXIII.

CAP. 11. v. 30. *Nondum autem venerat Jesus in castellum, sed erat in loco, ubi occurrit ei Martha.* 31. *Judæi autem, qui erant cum illa*, etc.

1. *Divitiarum contemptus etiam in hac vita utilis.*— Magnum bonum est philosophia : philosophiam dico nostram, non externam. Gentilis enim philosophia verba et fabulæ sunt : fabulæque illæ nihil ad philosophiam pertinent. Omnia quippe apud illos gloriæ causa fiunt. Magnum itaque bonum philosophia est, quæ nobis vel in hac vita vicem suam reddit. Nam qui divitias contemnit, jam hic utilitatem decerpit, superfluis inutilibusque curis vacuus. Qui gloriam calcat, jam hic mercedem suam recipit, cum nullius sit servus, sed vera libertate liber. Qui cælestia desiderat, hic præmium accipit, cum præsentia omnia nihil esse existimet, et dolorem omnem facile superet. En igitur mulierem philosophantem, quæ hic mercedem suam accepit. Cum enim lugenti et mœrenti omnes assiderent, non exspectavit ad se venientem Magistrum, neque dignitatem servavit, neque luctu detenta fuit. Nam præter hanc miseriam, quæ lugent, hoc morbo laborant quod velint a præsentibus in honore haberi. Secus illa, statim atque audivit, cito venit ad illum. Jesus autem nondum in vicum advenerat. Lento enim gradu veniebat, ne ad signum edendum accurrere videretur, sed rogatus venire. Vel hoc subindicare vult evangelista cum ait, cito surrexisse illam ; vel declarat ita accurrisse, ut adventum ejus præverteret. Venit autem non sola, sed cum Judæis qui domi erant. Et perquam prudenter ei soror clam Magistri adventum significavit, ne cœtum turbaret : neque surgendi causam dixit : alioquin multi recessissent. Nunc autem illam omnes quasi ad luctum proficiscentem sequuntur : et forte hinc etiam mortuum fuisse Lazarum confirmatur. 32. *Et procidit ad pedes ejus.* Ferventior hæc erat, quam soror ejus. Non turbam reverita est, non suspicionem quam circa illum habebant (Multi enim ipsi erant inimici qui dicebant : *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur* (*Joan.* 11. 37)? Sed præsente Magistro humanam omnem rationem expulit, unumque curabat Magistri honorem. Et quid dicit? *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* (*Ibid. v.* 21). Quid vero Christus? Nihil adhuc cum illa loquitur, neque dixit eadem quæ sorori dixerat (turba quippe multa aderat, et non erat hæc loquendi tempus); sed se attemperat ac dimittit, atque humanam sibi naturam esse declarans, tantisper lacrymatur, et signum differt interim. Quia enim magnum erat miraculum, et quale raro fecerat, multique per illud credituri erant [1], ne si turba absente factum esset, non crederetur, nihilque illis prodesset, multos attrahit testes, in hoc illis se attemperans, ne prædam amitteret. Humanam autem exhibet naturam : lacrymatur enim et turbatur. Solet quippe luctum humanus affectus excitare. Deinde affectum corripiens (illud enim, *Infremuit spiritu*, hoc significat), turbationem cohibuit, et sic interrogat : 34. *Ubi posuistis eum?* ne flendo interrogaret. Cur autem interrogat? Quod nollet sese proferre, sed omnia cuperet ab illis ediscere rogatus; ita ut omni suspicione liberum fore signum. Dicunt illi, *Veni et vide.* 35. *Lacrymatus est Jesus.* Viden' ipsum nullum adhuc resurrectionis signum dedisse, atque accedere non ut suscitaturum, sed ut lacrymaturum? id quod significant Judæi, qui dicebant : 36. *Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex illis dicebant :* 37. *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci, facere ut et hic non moreretur?* Ne in calamitatibus quidem nequitiam represserant. Atqui facturus est rem longe mirabiliorem. Nam longe mirabilius est post mortem ad vitam revocare, quam instantem mortem depellere. Ex quo ergo ejus virtutem mirari par erat, illum calumniantur; confitentur tamen ipsum oculos cæci aperuisse : et cum oportuisset ideo mirari, illi contra criminantur, quod hoc etiam non fecerit. Neque inde solum probatur illos perverso fuisse animo; sed quod cum nondum advenisset, nec quidpiam præstitisset, criminationibus prævertant, non exspectato rei fine. Viden' quam corrupto essent judicio?

2. *Evangelistæ humana de Christo scribunt.* — Venit ergo ad monumentum, et rursus affectum corripit. Cur de industria identidem dicit evangelista lacrymatum illum esse, et infremuisse? Ut discas illum vere natura nostra indutum fuisse. Quia enim plura de seipso, majoraque quam quivis alius palam dixerat, rursum in corporeis humiliora dicit. Nihil de ipsius morte, ut reliqui evangelistæ, narrat hic; quod tristis, quod in agonia esset (*Matth.* 26. 38. *Marc.* 14. 34); sed contra quod supinos prostraverit (*Joan.* 18. 6). Quod illic omissum, hic supplevit, dum luctum ejus memorat. Nam de morte disserens dicebat : *Potestatem habeo ponendi animam meam* (*Joan.* 10. 18) : et nihil abjectum ibi loquitur. Ideo autem in passione multa illi humana adscribunt, hinc comprobantes veram incarnationem esse. Matthæus ab agonia, a perturbatione, a sudore (*Luc.* 22. 43. 44); hic a luctu id suadet. Si enim nostræ non fuisset naturæ, non a luctu semel et iterum correptus fuisset. Quid vero Jesus? A criminibus non se defendit : quid enim opus erat verbis confutare eos qui mox operibus erant confutandi? Id quod minus molestum erat, et magis poterat illos pudefacere. 39. *Ait autem : Tollite lapidem.* Cur non absens vocavit et surgere jussit? imo, cur non adhuc superposito lapide suscitavit? Nam qui poterat corpus mortuum voce movere et animatum ostendere, multo magis voce lapidem removisset; qui vinctum fasciis, et impeditum, voce ut ambularet effecit, longe facilius lapidem removisset (*Joan.* 11. 43. 44). Quid dico? Etiam absens hoc facere potuit. Cur ergo non fecit? Ut ipsos miraculi testes faceret, ne idipsum dicerent quod circa cæcum : *Hic*

[1] Alii habent, *magnum erant lucrum consecuturi.*

est, non est hic. Ipsæ namque manus, et quod venisset ad sepulcrum, testimonio erant eumdem ipsum esse (*Joan.* 9. 8. 9). Quare si non eo advenissent, putaturi erant aut phantasma esse, aut alium et non illum esse quem videbant. Nunc autem cum ad sepulcrum venerint, lapidem removerint, jussique ligatum a vinculis solverint, et amici qui ex sepulcro retulerant, ex pannis illum agnoverint, quod sorores non abscesserint, quod altera dixerit, *Jam fœtet, quatriduanus enim est;* jam hæc omnia abunde poterant improbos ipsi miraculi testes cohibere. Ideo præcipit illis ut lapidem a sepulcro amoverent, ostendens se ipsum suscitare : ideo etiam interrogat, *Ubi posuistis eum?* ut qui dixerant, *Veni et vide*, et qui duxerant illum, dicere non possint alium fuisse suscitatum; ut et vox et manus testificarentur (vox dicendo, *Veni et vide*; manus lapidem tollendo, et fascias solvendo); visus quoque et auditus (hic vocem audiendo, ille exeuntem videndo); olfactus quoque testis, qui odorem excepit; *Jam fœtet*, inquit; *quatriduanus enim est.* Jure ergo dixi, non intellexisse mulierem hoc Christi dictum, *Etiam si mortuus fuerit, vivet.* Vide ergo quid nunc dicat, quasi res ob diuturnitatem amplius fieri non possit. Res enim stupenda erat, quatriduanum et corruptum cadaver suscitare. Discipulis quidem dixit, *Ut glorificetur Filius Dei*, de seipso loquens; mulieri vero ait : *Videbis gloriam Dei*, de Patre verba faciens. Viden' auditorum differentiam diversi sermonis esse causam? In mentem revocat ea quæ mulieri dixerat, ac si redarguat, quod oblita sit; vel cum nollet adstantes percellere, placide dicit : 40. *Nonne dixi tibi, si credideris, videbis gloriam Dei?*

Fides quantum sit bonum. Apostoli quam præstantiores philosophis. — Magnum ergo bonum est fides, magnum utique, et multorum causa bonorum [1]; ita ut homines Dei opera in nomine ipsius edere possint. Nam, *Si habueritis fidem*, inquit, *dicetis monti huic, Transi hinc, et transibit* (*Matth.* 17. 19); ac rursum, *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora his faciet* (*Joan.* 14. 12). Quæ majora? Ea quæ discipuli postea fecere. Nam umbra Petri mortuum suscitavit (*Act.* 5. 15). Sic enim magis prædicabatur Christi potestas. Siquidem non tam mirabile erat ipsum viventem miracula edere, quam post mortem ejus alios in nomine ipsius majora præstare posse. Nam argumentum illud non dubium erat resurrectionis ejus : quæ si ab omnibus visa fuisset, non ita fuisset credita; potuissent enim dicere phantasma esse : quia autem videbat ex solo nomine ejus longe majora signa fieri, quam cum ipse inter homines versaretur, fidem negare non poterat, nisi admodum desiperet. Magnum itaque bonum fides est, cum ex ferventi animo, amore magno, ardenti corde procedit. Hæc nos philosophos ostendit : hæc humanam detegit vilitatem, et missis ratiociniis, de cælestibus philosophatur; imo potius ea quæ non potest humana sapientia reperire, ipsa capit et dirigit. Huic itaque hæreamus, neque ratiociniis nostra committamus. Cur, quæso, gentiles nihil reperire potuerunt? annon totam illam externam sapientiam noverant? cur piscatores et tentoriorum opifices superare non potuerunt? nonne qui illi ratiociniis, hi fidei totum commiserant? Ideo Platonem illi, Pythagoram et alios omnes errones longe superarunt; astrologos, mathematicos, geometras, arithmeticos, quavis disciplina instructos vicerunt [1], iisque superiores effecti sunt; ita ut hi vere videantur philosophi, illi autem stulti ac deliri. Animadverte enim, hos dixisse animam immortalem; nec dixisse modo, sed etiam id suasisse. Illi vero primo quid esset nesciebant; postquam autem invenerunt, et distinxerunt eam a corpore, divisi sunt inter se, aliis incorpoream illam, aliis corpus esse, et cum corpore dissolvi dicentibus. Cælum item illi animatum et deum esse dixerunt : piscatores vero opificium esse Dei et dixerunt et suaserunt. Sed quod gentiles ratiociniis utantur, nihil mirum : quod autem ii qui fideles esse videntur, animales inveniantur, hoc luctu dignum est [2]. Ideo hi quoque erraverunt, et alii quidem dicunt se ita nosse Deum, ut Deus seipsum novit, quod ne gentilium quidem quisquam dicere ausus est : alii dicunt non posse Deum sine passione gignere, nec plus illi tribuunt quam hominibus : alii dicunt nihil prodesse vitam probam, vel rectum institutum. Sed hæc confutare non licet per tempus.

4. *Fides nihil prodest improbo. Contra adulteros.* — Quod autem fides recta nihil prosit, si corrupta vita sit, et Christus et Paulus declarant, qui hoc maxime curant : Christus, cum sic docet [3]; *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum* (*Math.* 7. 21); et rursum, *Multi dicent mihi in illa die : Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? Et tunc confitebor illis, Quia nescio vos : discedite a me qui operamini iniquitatem* (*Ibid.* v. 22. 23). Qui enim [4] non sibi attendunt, facile ad nequitiam sæpe declinant, etiamsi fidem rectam habeant. Paulus autem Hebræis scribens, hæc dicit et monet : *Pacem cum omnibus persequimini, et sanctificationem, sine qua nemo videbit Dominum* (*Hebr.* 12. 14). Sanctificationem appellat castitatem, ut unusquisque sua uxore contentus sit, neque aliam adeat. Nam qui sua contentus non est, salvus esse nequit; sed pereat oportet, etsi mille bonis operibus sit instructus. Fornicantem enim impossibile est intrare in regnum cælorum; imo id jam non fornicatio est, sed adulterium. Sicut enim alligata viro, si cum altero coeat, adulteratur : sic alligatus uxori, si aliam habeat, adulter est. Hic vero non heres erit regni cælo-

[1] Editi habent, *magna res est fides, et magnos efficiens eos qui juxta illam vitam instituunt.*

[1] Alii habent, *quasi pulverem dissiparunt*, loco, ricerunt.
[2] Quidam legunt, *hoc ridiculum est.*
[3] In aliis legitur, *Christus plura de hoc loquitur dicitque.*
[4] Nonnulli hunc locum sic efferunt..... « *Quia nescio vos* », et iterum : « *Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus subjiciuntur vobis.* » *Qui enim*, etc.

rum, sed in gehennam incidet. Audi quæ de his dicit Christus : *Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur* (*Marc.* 9. 45). Nulla enim venia ei qui uxoris consolationem habens, illam, altera admissa, contumelia afficit : hæc quippe intemperantia vere est. Quod si multi jejunandi et precandi causa ab uxore abstinent; qui sua non contentus alteram admittit, quantum sibi ignem accumulat? Si non licet ei qui uxorem repudiavit et ejecit, cum altera coire; hoc quippe est adulterium; qui uxorem secum habens, alteram inducit, quantum scelus perpetrat? Nemo igitur hunc morbum in animo insidere sinat, sed radicitus evellat. Neque enim tam uxorem, quam seipsum lædit. Adeo grave, adeo venia indignum est hoc peccatum, ut si uxor, invito conjuge etiam idololatra, ab illo separetur, a Deo puniatur; si ab adultero, minime. Viden' quantum sit hoc malum? Nam *Si qua fidelis*, inquit, *habeat virum infidelem, et ipse consentit habitare cum illa, ne dimittat ipsum* (1. *Cor.* 7. 13). De adultera secus; sed quid? *Si quis dimiserit uxorem suam præter causam fornicationis, facit eam mœchari* (*Matth.* 5. 32). Nam si conjugium unum corpus facit; si quis cum meretrice coeat, unum cum illa corpus efficitur. Quomodo ergo honesta mulier, quæ est membrum Christi, talem virum admittat? aut quomodo sibi junget membrum meretricis? Et vide quam mira res sit. Quæ cum infideli habitat, non est impura (nam *Sanctificatus est*, inquit, *vir infidelis in muliere* (1. *Cor.* 7. 14) : de meretrice non sic, sed quomodo? *Tollens* igitur *membra Christi, faciam membra meretricis* (*Ibid.* 6. 15)? Illic sanctitas manet, infideli cum illa habitante; hinc recedit. Grave namque malum est fornicatio, grave utique, et immortale afferens supplicium. Et in hac vita innumera attrahit mala, vitam miseram, nec meliorem, quam eorum qui supplicio afficiuntur, dum in alienam domum furtim et cum tremore ingreditur, omnesque suspectos habet, tam servos quam liberos. Quamobrem obsecro, hoc vos expedire morbo curetis. Sin non obsequamini, ne in sacra limina ingrediamini [1]. Nam scabiosas et morbidas oves non oportet in bene valentium grege versari, sed ab ovili exigendæ sunt, donec morbum deponant. Nam membra Christi sumus : ne efficiamur membra meretricis. Non est lupanar hic locus, sed ecclesia. Si membrum meretricis habeas, ne stes in ecclesia, ne locum contumelia afficias. Etiamsi enim gehenna nulla, nullum supplicium esset, post pacta illa et nuptiales lucernas, post justum lectum et liberorum procreationem, post tale consortium, quomodo audes alteri copulari? cur non vereris, nec erubescis? An ignoras eos qui post uxoris mortem, aliam ducunt, a multis improbari, etiamsi pœnas non daturi sint? Tu vero, uxore superstite, aliam inducis. Ecqua est illa incontinentia? Disce quæ hac de re dicta sint : *Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur* (*Marc.* 9. 45). Minas perhorresce, time supplicium. Non est tanta hic voluptas, quantum illic supplicium. Verum absit ut quis tali sit obnoxius supplicio; sed utinam sanctitatem sectantes videamus Christum, et promissis fruamur bonis : quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi quicum Patri gloria unaque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii habent, *si non vultis, ne in adyta ingrediamini.*

HOMILIA LXIV.

CAP. 11, v. 41. *Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* 42. *Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter turbam circumstantem dixi*, etc.

1. *Christus humilia sæpe loquitur, quare.* — Quod sæpe dixi, hoc et nunc dicam, Christus non tam suam dignitatem, quam salutem nostram respicit, nec quærit magnum quidpiam dicere, sed quod nos possit ad se trahere. Ideo pauca magna et sublimia, atque etiam subobscure dicit, humilia vero et abjecta frequenter sermonibus admiscet. Quia enim hæc auditores magis alliciebant, his utitur frequentius. Neque semper sic loquitur, ne postea credituris noceat; neque illa tacet, ne præsentes offendat. Nam qui abjectam illam mentem deposuerunt, vel ex uno sublimi dogmate totum intelligere potuerunt : qui vero demissiore animo semper erant, nisi hæc frequenter audissent, non utique accessissent. Neque tamen manent, postquam tot et tanta audierunt, sed lapidibus impetunt, persequuntur et occidere tentant, blasphemumque vocant : ac cum se Deo æqualem facit, dicunt, *Hic blasphemat* (*Marc.* 2. 7); cum autem dicit, *Remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* 9. 2. *Luc.* 5. 20), dæmoniacum vocant; ut etiam cum dixit, qui verba sua audiret, morte superiorem esse : cum autem sic loquitur, *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* 14. 10), ipsum relinquunt; rursusque offenduntur cum ait, se de cælo descendisse. Si ergo hæc, etsi rarius dicta, non ferebant tamen, vix certe attendissent, si sublimia semper loquutus fuisset. Quando igitur dicit : *Sicut mandavit mihi Pater, sic loquor* (*Ibid.* v. 31); et, *A meipso non veni* (*Id.* 7. 28), tunc credunt, ut palam significat evangelista cum dicit, *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum* (*Id.* v. 31). Si ergo humilia verba ad fidem trahebant, sublimia vero avertebant, annon extremæ dementiæ fuerit non cogitare humilia verba ad auditorum captum attemperata esse? Siquidem et alio loco, cum magnum quidpiam loqui vellet, tacuit, et causam silentii addidit : *Ne scandalizemus eos, projice hamum in mare* (*Matth.* 17. 26). Quod etiam hic facit. Nam postquam dixerat, *Ego sciebam quia semper me audis*; addidit, *Sed propter turbam circumstantem dixi, ut credant.* An nostra hæc sunt? an humana conjectura? Cum ergo quis ex scriptis se persuaderi non patitur, quod ipsi de sublimioribus offenderentur, is audiens Christum dicentem se ideo humilia loqui ne

scandalizentur, quomodo suspicari poterit[1] illum ex natura rei loqui, et non per indulgentiam quamdam? Sic et alibi voce superne delata dicit: *Non propter me hæc vox facta est, sed propter vos* (*Joan.* 12. 30). Atqui magno licet multa de se humiliter prædicare; vili autem et abjecto non licet magnum quidpiam et sublime de se dicere. Illud ex attemperatione quadam fit, ut ad audientium imbecillitatem accommodetur, imo magis, ut humilitatem illi exerceant, et vere indutum carne esse sciant; itemque ut doceat auditores, numquam magnum quidpiam de se loquendum esse; tum eo quod ipse putaretur Deo adversarius esse, et quod non crederetur a Deo venire, quodque suspicarentur ipsum solvere legem, quod auditores ipsi inviderent, ipsumque odio haberent, quia se dicebat æqualem Deo[2]. Quod autem is qui vilis abjectusque est, sublimia de se loquatur, nulla potest esse consentanea causa, sed id solum arrogantiæ et impudentiæ adscribatur, audaciæque nulla venia dignæ. Cur ergo humilia loquitur, qui ineffabilis illius et magnæ substantiæ est? Tum iis quas diximus de causis, tum ne putaretur ingenitus esse. Nam et Paulus tale quidpiam timuisse videtur. Ideo ait: *Præter eum qui illi cuncta subjecit* (1. *Cor.* 15. 27). Hoc enim vel cogitare impium esset.

Christus ejusdem substantiæ est ac Pater. — Si enim minor Patre et ex alia substantia fuisset, annon omnia fecisset, ne talis putaretur esse? Nunc vero contrarium efficit dicens: *Si non facio opera ejus qui misit me, nolite mihi credere* (*Joan.* 10. 37). Et cum dicit, *Ego in Patre, et Pater in me est*, æqualitatem nobis subindicat. Oportuisset enim cum vehementia illam opinionem avertere, si minor fuisset, et nusquam dicere: *Ego in Patre, et Pater in me*; et, *Unum sumus*; aut, *Qui videt me, videt et Patrem.* Nam cum de virtute sermo erat, dicebat, *Ego et Pater unum sumus* (*Ibid.* 10. 38. *et* 30); et cum de potestate, *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vificat: sic et Filius quos vult vivificat* (*Ibid.* 12. 45. *et* 5. 21). Quod non poterat facere, si alterius fuisset substantiæ. Quod si etiam potuisset, non id dicendum erat, ne suspicarentur unam eamdemque esse substantiam. Si enim, ne suspicentur ipsum esse Deo adversarium, etiam quæ sibi non conveniunt sæpe loquitur, multo magis tunc oportuit. Nunc vero cum dicit: *Ut honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (*Ibid.* 5. 23); et, *Opera quæ ipse facit, et ego similiter facio* (*Ibid.* v. 36); et se esse resurrectionem et vitam, lucemque mundi, sese Patri exæquantis verba sunt, ac suspicionem quam illi habebant confirmantis. Viden' quomodo sese purgat accusatus quod legem solvat; æqualitatis vero cum Patre opinionem non modo non tollit, sed firmat. Sic dicentibus illis, *quia Blasphemas facis teipsum Deum* (*Joan.* 10. 36), illud ipsum ab operum æqualitate statuit.

2. *Non solum Filius sed ipse etiam Pater se indigna locutus est. Christus cur oravit. Non indigebat precibus. Verbis humilitatem, operibus potentiam ostendebat.* — Ecquid dico Filium id fecisse, quando Pater qui non carnem assumpsit, idipsum facit? Nam et ipse passus est multa de se humilia dici ad audientium salutem. Illud enim, *Adam, ubi es* (*Gen.* 3. 9)? et illud, *Ut cognoscam si forte secundum clamorem eorum perficiant* (*Ibid.* 18. 21); et, *Nunc cognovi quod tu timeas Deum* (*Ibid.* 22. 12); et, *Si forte audiant* (*Ezech.* 3. 11); et, *Si intelligant*; et, *Quis det cor populi hujus sic esse* (*Deut.* 5. 29)? et, *Non est similis tui in diis, Domine*; et multa alia in veteri lege si quis colligat, indigna Dei majestate esse comperiet. Et de Achab dictum est, *Quis decipiet mihi Achab* (2. *Paral.* 18. 19)? Et quod facta cum diis gentilium comparatione se semper illis præponat, hæc omnia indigna sunt Deo; sed alia ratione digna sunt illo. Nam ita benignus est, ut propter salutem nostram verba dignitati suæ convenientia contemnat. Imo et quod homo factus sit, formamque servi acceperit, quod humilia verba loquatur, quod viliter sit amictus, indignum illo est, si quis majestatem ejus respiciat; dignum vero, si quis benignitatis ejus ineffabiles divitias secum reputet. Est et alia humilitatis verborum causa. Quænam hæc? Quia Patrem quidem et noverant et confitebantur, ipsum vero non noverant. Ideo frequenter ad Patrem refugit, quod ille in confesso esset, quasi ipse nondum fide dignus esset; non ex se, sed ex auditorum stultitia et imbecillitate. Ideo precatur et dicit: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Nam si quos vult vivificat, et ita vivificat ut Pater, cur precatur? Sed jam tempus est ad locum venire. Tulerunt ergo lapidem, ubi erat mortuus jacens. *Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quod semper me audis; sed propter turbam circumstantem dixi, ut credant quia tu me misisti.* Interrogemus ergo hæreticum (*a*): num per preces gratiam consequutus mortuum suscitavit? quomodo ergo alia sine precibus operatus est, ut cum ait, *Tibi dico dæmonium, Egredere ab eo* (*Marc.* 9. 24); et, *Volo, mundarè* (*Ibid.* 1. 41); et, *Tolle grabbatum tuum* (*Joan.* 5. 9); et, *Remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* 9. 2); et mari, *Tace, obmutesce* (*Marc.* 4. 39)? quid plus habet quam apostoli, si et ipse precibus operatur? Imo ne ipsi quidem per preces omnia faciebant, sed sæpe sine precibus nomine Jesu utebantur. Si vero nomen ejus tantam virtutem habuit, quomodo ipse precibus opus habuerit? Si precibus eguisset, plane nomen ejus eam vim non habuisset. Cum autem hominem fecit, quibus est precibus usus? nonne multa ibi æqualitas? *Faciamus*, inquit, *hominem* (*Gen.* 1. 26). Quid autem

[1] Multi Mss. sic habent, *Cum enim ex ipsis rebus pateat illos de sublimioribus offendi, cumque præterea ipse dicat Christus, ego humilia loquor, ne scandalizentur, quis jam suspicari poterit*, etc.

[2] In quibusdam Mss. sic effertur hic locus..... *quod auditores ipsi inviderent, et quod sæpius in Veteri Testamento legeretur, Dominus Deus tuus, Dominus unus est.*»

(*a*) Hæretici quidam dicebant Christum precibus opus habere.

infirmius, si illi precandum fuit? Sed videamus quæ sit oratio : *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me.* Quis umquam ita precatus est? Priusquam quid aliud loquatur, dicit, *Gratias ago tibi*, ostendens se precibus non egere. *Ego autem sciebam quia semper me audis* [1]. Hoc dixit, non quod ipse non posset, sed quod una esset voluntas. Cur precandi forma usus est? Non me, sed illum dicentem audi : *Propter circumstantem turbam, ut cognoscant quia tu me misisti.* Non dixit, Ut cognoscant me minorem esse, me superna gratia egere, et sine precatione operari non posse ; sed, *Quia tu me misisti.* Hæc quippe omnia precatio significat, si simpliciter illam accipiamus. Non dixit, Misisti me infirmum, servitutis conscium, qui nihil ex me possum ; sed his missis omnibus, ne aliquid horum suspiceris, veram precandi causam affert, Ne me Deo adversarium putarent ; ne dicerent, Non est ex Deo ; ut ostendam rem factam esse secundum voluntatem tuam ; ac si diceret, Si Deo contrarius essem, res non processisset. Illud vero, *Audisti me*, etiam inter amicos dicitur et æquales. *Ego autem sciebam quia semper me audis* ; id est, Ut voluntas mea fiat, non egeo precibus ; sed hoc dico ut illis suadeam tibi et mihi unam esse voluntatem. Cur ergo precaris? Propter infirmos et crassiores. 43. *Et cum hæc dixisset, clamavit voce magna.* Cur non dixit, In nomine Patris mei veni foras? cur non dixit, Suscita illum, Pater? sed his missis omnibus, assumptoque precantis habitu, rebus ipsis auctoritatem demonstrat? Quia hoc sapientiæ suæ est, verbis humilitatem, operibus potentiam ostendere. Quia enim nulla alia de re poterant illum accusare, quam quod non esset ex Deo, et sic multitudinem decipiebant ; ideo ex abundanti illud verbis suis ostendit, eo quo infirmitas illorum exigebat modo. Poterat enim alio modo concordiam ostendere una cum dignitate sua ; sed eo turba pervenire non poterat. Dixit, 43. *Lazare, veni foras.* Hoc est, quod dixerat : *Venit hora, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent* (*Joan.* 5. 28). Ne putes enim illum ab altero virtutem accepisse, jam superius te docuit, et id operibus ostendit. Non dixit, Surge ; sed, *Veni foras*, mortuum tamquam viventem alloquens.

3. Quid huic potestati par fuerit? Quod si non propria virtute hoc fecit, quid plus habebit quam apostoli, qui dicunt : *Quid nobis attenditis, tamquam propria virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare* (*Act.* 3. 12)? Nam si non propria virtute faciebat, cur non adjecit id quod apostoli de se dicebant? Ita certe illi majorem philosophiam et virtutem exercuerint, qui gloriam propulsarint. Et alibi, *Viri, quid hæc facitis? Similes vobis homines sumus* (*Ibid.* 14. 14). Num apostoli quia nihil per se faciebant, hæc dixerunt, ut hoc ipsum persuaderent ; ille vero si hanc de se opinionem habuisset, annon illorum existimationem amovisset, nisi sua auctoritate operatus esset? ecquis hoc dixerit? Atqui contra loquitur Christus dicens : *Propter circumstantem turbam dixi, ut credant.* Itaque si credidissent, non opus erat precibus. Si autem precari indignum ipso non erat, cur illis causam imputet? cur non dixit, Ut credant me non esse tibi æqualem? oportebat enim ob illam opinionem ad hoc venire. Sed cum legem solvere existimabatur, illis nihil proferentibus ipse dictum expressit : *Nolite putare quia veni solvere legem* (*Matth.* 5. 17) ; hic vero opinionem firmat. In summa, quid opus erat circuitione et ænigmatibus? Satis erat dixisse, Non sum æqualis, et rem solvere. Quid ergo? annon dixit, inquies, *Non facio voluntatem meam?* Sed illud subobscure dixit, et propter eorum imbecillitatem, eadem de causa, qua etiam precatus est. Quid autem sibi vult illud, *Quoniam audisti me?* Hoc est, Nihil inter me et te contrarium est. Quemadmodum igitur illud, *Audisti me*, non significat ipsum non posse (nam si hoc esset, non impotentia solum, sed et ignorantia esset, siquidem ante precationem nescivisset Deum assensurum esse : si vero ignorabat, quomodo dixit, *Vado ut suscitem eum?* nec dixit, Vado precaturus Patrem, ut suscitet eum) : quemadmodum, inquam, hoc non imbecillitatis, sed concordiæ est ; sic et illud, *Semper me audis.* Aut hoc dicendum, aut respondendum, hæc propter illorum opinionem dicta fuisse. Quod si nec ignorabat, nec imbecillus erat, palam est illum ideo humilia verba loquutum fuisse, ut vel ex hyperbole credas et confiteri cogaris, hæc dixisse illum non secundum dignitatem suam, sed secundum imbecillitatem auditorum. Quid ergo aiunt veritatis hostes? Non ad imbecillitatem auditorum dixit, *Audisti me* ; sed ut ostenderet præcellentiam. Verum hoc non erat præcellentiam demonstrare, sed admodum humiliter agere, ostendereque se nihil plus quam hominem habere. Nam precari non est Dei, nec ejus qui in eodem sedet solio. Viden' nulla alia de causa ad hoc venisse, nisi propter eorum incredulitatem? Animadverte ergo rem ipsam ejus auctoritatem testificari. Vocavit, et prodiit mortuus ligatus. Hinc ne videretur res esse phantasma (nam prodire ligatum non minus admirandum videbatur, quam resurgere), *Jussit solvi illum*, ut tangentes et accedentes viderent vere illum esse. Et dixit, 44. *Sinite illum abire.* Viden' quam sit alienus a fastu? Non ducit eum secum, neque sequi se jubet, ne videatur sese ostentare : tanta utebatur modestia. Signum tantum alii mirabantur, alii Pharisæis nuntiaverunt. Quid igitur illi? Cum mirari et obstupescere oportuisset, consultant ut illum interficiant, qui mortuum suscitavit. O insipientiam! Eum qui in aliis corporibus mortem superaverat, morti se traditurus esse putabant, et dicunt, 47. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Hominem illum adhuc vocant, qui illius divinitatis tantam acceperant demonstrationem. *Quid facimus?* Credere oportebat, ipsum colere et adorare, neque amplius hominem existimare. 48. *Si dimitti-*

[1] Quatuor Mss. habent : « *Quæcumque enim volo tu facis* », *inquit*. Quæ putat Savilius conjungi posse cum iis quæ in textu habentur, sic, « *Ego autem sciebam quia semper me audis : quæcumque enim volo tu facis.* » Sed sine Manuscriptorum auctoritate nihil jungere audemus.

mus eum sic, venient Romani, et tollent gentem nostram et civitatem. Quid facere deliberant [1]? Populum concitare volunt, ut periclitaturum ob tyrannidis suspicionem. Si discant Romani ipsum circumagere turbam, nos suspectos habebunt, et venient tollentque nostram civitatem. Cur quæso? num defectionem docebat? nonne jubebat tributum dare Cæsari? annon cum illum regem facere volebatis, aufugit? annon vilem et sine fastu vitam ducebat, sine domo et aliis hujusmodi? Hæc dicebant, non metuentes, sed invidentes. Verum id contigit, quod minime exspectabant, et gentem et urbem ceperunt, quia Christum ipsi occiderant. Erant gesta illius procul omni suspicione. Nam qui ægros sanabat, qui optimum vitæ institutum docebat, et principibus parere jubebat, is non affectabat, sed propulsabat tyrannidem. At, inquiunt, id ex superioribus conjectamus. Verum ipsi defectionem docebant, secus ille. Viden' illa dicta simulationem fuisse? Quid enim simile exhibebat? num satellitibus stipabatur? num curru trahebat? annon solitudines obibat? Sed ne viderentur hæc ex animi sui morbo dicere, civitatem totam periclitari dicunt, et reipublicæ insidias parari, seque de extremis metuere. Non hæc vobis captivitatis causa fuerunt; sed his contraria, et hanc et Babylonicam, et illam quæ sub Antiocho contigit pepererunt: non quod apud vos Dei cultores essent, sed quod injusti et Deum irritantes; hoc vos prodidit. Verum hujusmodi res est invidia: nihil decorum sinit videre, excæcato semel animo. Nonne mites esse Christus docuit? nonne alapis cæsos in dextera, alteram vertere? nonne injuria affectos tolerare? nonne majorem ad mala patienda, quam alii ad mala facienda animum exhibere? Hæccine tyrannidem affectantis? annon potius propulsantis?

4. Verum, ut dixi, gravis est invidia, et simulatione plena. Hæc orbem innumeris implevit malis: hujus morbi causa, reis et noxiis tribunalia replentur: hinc oritur gloriæ et pecuniarum amor, hinc amor principatus, hinc superbia: hinc viæ scelestis latronibus, mare piratis infestatur: hinc cædes per orbem, hinc genus nostrum discerpitur. Quodcumque malum vides, inde proficiscitur: hoc in Ecclesias irrepsit: hoc jamdiu innumera peperit mala: amorem pecuniæ ubique induxit: hic morbus cuncta subvertit, justitiam corrupit (*Dona enim*, inquit, *sapientium oculos excæcant, et tamquam frenum ori, avertunt correptiones* [*Eccli.* 20. 31]): hoc servos pro liberis facit: de hoc quotidie disserimus, et nihil proficimus. Feris pejores efficimur, pupillorum bona rapimus, viduas nudamus, pauperes lædimus, væ super væ adjicimus. *Væ mihi, quia periit pius de terra* (*Mich.* 7. 2). Nostrum jam est lugere; imo illud quotidie dicendum. Nihil precando proficimus, nihil ex consiliis et monitis lucramur: restat ut lacrymas fundamus. Illud et Christus fecit: cum multa Jerosolymis monita dedisset, cum id illis nihil prodesset, eorum deflevit cæcitatem. Hoc et prophetæ faciunt: hoc et nos nunc faciamus. Lacrymarum, fletuum, ejulatus nunc tempus est. Opportune dicamus: *Vocate lugentes mulieres, et ad sapientes mittite, et loquantur* (*Jer.* 9. 17). Sic forte poterimus morbum abigere eorum qui ædes splendidas construunt, qui ex rapina agros sibi comparant.

Quinam sint vere lugendi.—Lugendi tempus est: sed mecum vos lugete qui nudati, qui læsi estis: vestro luctui lacrymas meas jungite. Verum non nos, sed illos lugeamus; non vos læserunt, sed sibi perniciem intulerunt. Vos enim pro injuria illata regnum cælorum habetis: illi pro lucro gehennam. Ideo melius est lædi, quam lædere. Lugeamus eos, non humano luctu, sed ex divinis Scripturis desumpto, quo prophetæ luxerunt. Acerbe cum Isaia lugeamus, et dicamus: *Væ conjungentibus domum domui, et agrum agro adjicientibus, ut a vicino aliquid auferant, numquid habitabitis soli in terra? Domus magnæ et pulchræ, et non erunt qui in eis habitent* (*Isai.* 5. 8. et 9). Lugeamus cum Nahumo, et cum illo dicamus, *Væ qui ædificat in altum domum suam* (*Jer.* 22. 13): imo lugeamus illos, ut tunc Christus Judæos, et dicamus: *Væ vobis divitibus, quia habetis mercedem vestram et consolationem* (*Luc.* 6. 24). Sic, quæso, nos lugere non desistamus: et nisi turpe sit, plangamus super fratrum segnitiem. Ne lugeamus jam mortuum, sed raptorem, avarum, pecuniarum amantem, insatiabilem. Cur mortuos lugemus, nullo fructu? Hos lugeamus, qui mutari possunt. Verum nobis lugentibus, ipsi fortasse rident. At hoc quoque luctu dignum, quia rident de quibus lugere oporteret. Si fletu nostro moverentur, cessandum a luctu esset, cum illi jam ad emendationem pergerent: verum quia illi sine sensu supini jacent, nos flendo persistamus, non divites tantum, sed etiam pecuniæ amantes, avaros. Non malæ sunt divitiæ, quippe quibus ut par est uti possumus in egenorum usum; sed avaritia malum est, quæ æterna parit supplicia. Lugeamus ergo. Forte quædam sequetur emendatio. Si qui in hoc incidere malum non eruantur, alii forte sibi cavebunt ne in idipsum incidant. Faxit Deus ut et illi a morbo liberentur, et nemo nostrum in illum incidat, ut in communi omnes promissa consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii habent: *Quid est quod volunt dicere?*

HOMILIA LXV.

CAP. 11. v. 49. *Unus autem ex illis Caïphas, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam*, 50. *nec cogitatis quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo*, etc.

1. *Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt: in laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum* (*Psal.* 9. 16). Hoc Judæis contigit. Ipsi namque dicebant, occidendum esse Jesum, ne venirent Romani, et tollerent ipsorum gentem et civitatem. Postquam autem occiderunt eum, hæc passi sunt:

et quod ut effugerent fecerant, hoc quia fecere, non effugerunt. Sed qui occisus fuit, est in cælis; qui autem occiderunt, gehennam sortiti sunt: etsi id non in voto haberent; sed quid? Volebant, inquit, a die illo occidere ipsum. Dicebant enim, *Venient Romani, et tollent gentem nostram. Unus autem ex illis Caiphas, cum esset pontifex anni illius, dixit*, cæteris impudentior: *Vos nescitis quidquam.* Illi nempe dubitabant, et deliberando proposuerant (dicebant enim, *Quid facimus?*) hic impudenter, aperta fronte, et petulanter clamavit. Quid vero dicit? *Vos nescitis quidquam, neque cogitatis quia expedit vobis, ut unus moriatur homo, et ne tota gens pereat.* 51. *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit.*

Multi indigni futura prædixerunt. — Vides quanta sit pontificalis potestas? Quia enim pontificatum sortitus erat, licet indignus, prophetavit, quid diceret ignorans: gratia ejus tantum ore usa est, impurum vero cor non tetigit. Multi quoque alii futura prædixerunt, indigni licet, Nabuchodonosor, Pharao, Balaam, omniumque causa manifesta est. Hoc autem vult ille significare: Vos sedetis, adhuc segnius hoc negotium attenditis, nec scitis unius hominis salutem pro communi contemnendam esse. Vide quanta sit virtus Spiritus: ex improba mente mirabilis prophetiæ verba potuit elicere. Filios autem Dei gentes appellat evangelista, ex eo quod futurum erat, sicut et ipse ait, *Et alias oves habeo* (*Joan.* 10. 16); ab eo quod futurum erat sic vocans. Quid sibi vult illud, *Cum esset pontifex anni illius?* Cum aliis hic quoque mos corruptus erat. Non enim ultra toto vitæ tempore, sed anno uno sacerdotium gerebant, ex quo venales facti erant principatus. Attamen vel sic adhuc aderat Spiritus. Postquam autem in Christum manus sustulerunt, tunc illos reliquit, et ad apostolos translatus est. Et hoc velum scissum ostendit, nec non Christi vox dicentis: *Ecce dimittetur domus vestra deserta* (*Matth.* 23. 38). Et Josephus qui paulo post fuit, dixit quosdam angelos, qui apud illos manebant, se inde migraturos esse significavisse (a), nisi resipiscerent. Quamdiu enim vinea perstitit, pro more omnia facta sunt; ubi autem heredem occiderunt, non item, sed perierunt: et quasi splendidam vestem ab ingrato filio, a Judæis scilicet, auferens Deus, probis illam servis dedit, ex gentilibus conversis, et desertos illos nudosque reliquit. Nec parum fuit quod inimicus hæc prophetaret. Hoc enim alios quoque allicere poterat. Nam contra quam ille volebat evenit. Quia enim mortuus est, ideo a futuro supplicio liberati fideles sunt. Quid sibi vult illud, 52. *Ut congregaret eos qui prope, et eos qui procul sunt?* Unum corpus reddidit. Qui Romæ est, Indos putat membrum suum esse. Quid huic congregationi par? Omniumque caput est Christus. 53. *Ab illo die cogitaverunt Judæi ut interficerent eum.* Antea quærebant; dicit enim, *Ideo quærebant eum Judæi interficere*; et, *Quid me quæritis interficere* (*Joan.* 5. 18. *et* 7. 20)? Sed tunc quærebant, nunc autem id statuerunt, et rei manum admoverunt. 54. *Jesus autem jam non palam ambulabat in Judæa.* Rursus humano more saluti suæ cavet, ac frequenter hoc facit.

2. *Christus humano more fugit.* — Jam causam dixi, cur frequenter abierit, et secesserit. Nunc prope desertum habitat in Ephrata, et ibi manebat cum discipulis suis. Quantum putas turbatos fuisse discipulos videntes ipsum humano more saluti suæ providere? Nemo jam sequutus est. Nam cum prope esset dies festus, omnes Jerosolymam accurrebant; ipsi vero, cum gauderent omnes et festum agerent, tunc latebant, tunc in periculis erant; attamen perstabant. Certe cum Pascha et Scenopegia celebrarentur, illi in Galilæa latebant. Rursum postea in die festo, dum soli cum Magistro fugerent et laterent, suam erga illum benevolentiam ostendebant. Hinc Lucas illum dixisse ait: *Ego perseveravi vobiscum in tentationibus* (*Luc.* 22. 28). Hæc porro dicebat ut ostenderet, illos gratia sua roborari. 55. *Multi enim de regione ascenderunt, ut sanctificarent seipsos.* 57. *Et dederant pontifices et Pharisæi mandata, ut apprehenderent eum.* Mira sanctificatio cum sanguinaria voluntate, cum cruentatis manibus. 56. *Et dicebant: Putatis quia non veniet ad diem festum?* In Paschate insidiabantur illi, tempusque solemnitatis tempus cædis reddebant; id est: Huc illum incidere oportet, advocante festo. O impietatem! Cum majore opus erat pietate, et cum extremis obnoxii sceleribus, liberi emittebantur, tunc innoxium comprehendere conantur. Atqui cum jam illud tentassent, non modo nihil perfecerant, sed etiam ridiculi apparuerant. Ideo frequenter incidit et evadit, et cupientes se interficere retinet, et dubios relinquit, ut virtutem suam demonstrando illos ad compunctionem deducat; et ut postquam captus fuerit, sciant, non vi sua, sed ipsius concessione id accidisse. Neque enim tunc potuerunt illum comprehendere, etsi propinqua Bethania esset: et cum comprehendissent, supinos illos prostravit. (*Cap.* 12) 1. *Ante sex dies Paschæ venit Jesus in Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus:* 2. *et manducabat apud eos; et Martha ministrabat, Lazarusque manducabat.* Hoc veræ resurrectionis signum erat, quod post multos dies et viveret et manducaret. Unde palam est prandium in ejus domo fuisse: nam ut amici et dilecti Jesum excipiunt. Quidam tamen dicunt id in alia domo gestum fuisse. Maria autem non ministrabat: discipula enim erat. Rursus hic major adest illi Spiritus gratia. Non ministrabat enim tamquam vocata, neque communi incumbebat ministerio; sed Christo soli honorem defert: neque ut homini, sed ut Deo adstat. Unguentum enim ideo effudit, et capillis capitis abstersit, quod signum erat illam de Christo non eamdem quam alii opinionem habere. Sed increpavit Judas pietatem simulans. Quid ergo Christus? 7. *Bonum opus operata est in sepulturam meam.* Cur discipulum circa mulierem non reprehendit, neque dixit

(a) Josephus l. 6. 31. de Bello Judaico, inter alia signa futuri Jerosolymorum excidii hoc refert: *Deinde vocem repentinam auditam fuisse dicentium, Hinc migremus*: quem locum hic puto respicere Chrysostomum.

ut evangelista, ipsum furti faciendi causa mulierem increpasse? Patientia sua voluit eum in pudorem deducere. Quod autem nosset illum esse proditorem patet, quod jam illum sæpe redargueril, ut cum dixit, Non omnes credunt (*Joan.* 6. 65); et, *Unus ex vobis diabolus est* (*Ibid. v.* 71). Indicavit ergo se nosse illum esse proditorem, non vero aperte redarguit, sed indulsit, quod vellet eum a proposito revocare. Cur ergo alius dixit, omnes discipulos sic loquutos esse (*Matth.* 26. 8)? Et omnes, et ille; sed reliqui non eodem animo.

Cur Christus furi loculos commiserit. — Quod si quis quærat, cur furi loculos pauperum commiserit, et avarum dispensatorem fecerit, respondebimus, rem arcanam unum nosse Deum; quod si quidpiam sit conjectando dicendum: ut omnem auferret excusationis causam. Non enim dicere poterat se ex pecuniarum amore id fecisse, cum posset cupiditati suæ ex loculis facere satis, sed ex ingenti nequitia, quam volebat Christus cohibere, indulgentia erga illum multa usus. Quamobrem [1] illum furantem non arguebat, etsi non nescius, ejus malam obstruens cupiditatem, et omnem auferens excusationem. *Sinite illam,* inquit; *in diem sepulturæ meæ hoc fecit.* Rursus proditorem admonet, cum sepulturæ meminit. Sed non incessit illum monitio, neque hoc verbum emollivit: etsi potuisset illum in commiserationem injicere; ac si diceret: Molestus sum et onerosus; sed exspecta paulisper, et migrabo. Huc enim respexit cum diceret: 8. *Me autem non semper habebitis.* Sed nihil horum ferum et furiosum hominem flexit, etiamsi multa alia dixerit et fecerit, pedes ejus laverit illa nocte, ac mensæ consortem fecerit, quod vel latronum animos mulcere potest; et alia verba loquutus sit, quæ possent etiam lapidem emollire. Et hæc non multo ante, sed in ipso die, ne tempus in oblivionem induceret. Sed adversus omnia perstitit.

3. *Avaritia quantum sit malum. Amor pecuniæ dæmone deterior.* — Gravis namque est avaritia: gravis certe, quæ oculos et aures obturet, et fera sæviores reddit: non conscientiam, non amicitiam, non societatem, non propriam salutem cogitare sinit; sed ab omnibus simul avertens, quos capit in servitutem redigit, ut gravissima domina. Quodque in hac dura servitute deterius est, gratias sibi habendas esse ipsis suadet; et quanto magis illi servitur, tanto magis augetur voluptas: hincque incurabilis morbus gignitur. Hinc venatu difficilis hæc fera est; hæc Giesi ex discipulo et propheta leprosum fecit; hæc Ananiam perdidit; hæc Judam proditorem fecit; hæc principes Judæorum corrupit, qui dona accipiebant et furum socii efficiebantur; hæc plurima induxit bella, sanguine vias, lamentis et gemitibus urbes replevit; hæc cœnas impuras, mensasque exsecrandas, cibos iniquos reddidit. Idcirco idolorum servitutem illam vocavit Paulus (*Coloss.* 3. 5) Sed neque ita deterruit. Cur autem idololatriam dicit? Habent multi divitias, illisque uti non audent, sed illas consecrant, et nepotibus intactas transmittunt, eorumque successoribus, quasi Deo dicata munera contingere non audent. Si quando vero iis uti cogantur, ita affecti sunt ac si rem illicitam facerent. Alioquin autem ac si quis gentilis simulacrum [1] coleret, sic tu aurum portis et vectibus munis, ac pro templo tibi arcam statuis, et in aureis vasis deponis. Sed non adoras simulacrum ut ille? At omnem ipsi cultum exhibes. Hujusmodi homo prius oculos et animam tradat, quam idolum illud. Hoc faciunt auri amatores. At aurum non adoro, inquies. Neque ille idolum adorat, sed inhabitantem dæmonem. Ita et tu, etsi aurum non adores, sed illum adores dæmonem qui ex auri intuitu et concupiscentia in tuam involat animam. Dæmone namque deterior est pecuniarum cupiditas, cui multi magis obsequuntur, quam idolis alii. Hi namque in multis non parent; illi vero in omnibus cedunt, et quidquid faciendum suggerat, obsequuntur. Quid dicit avaritia? Esto omnibus hostis et inimicus, naturam obliviscere, Deum contemne, sacrifica mihi teipsum: et in omnibus illi obtemperant. Idolis quidem boves et oves immolantur: avaritia autem dicit, Immola mihi animam tuam: et avarus morem gerit. Viden' quales aras habeat? qualia excipiat sacrificia? Regnum Dei avari non possidebunt (1. *Cor.* 6. 10): ac nihil tamen formidant. Atqui hæc cupiditas omnium infirmissima est. Neque enim innata, neque naturalis est: alioquin enim nobis a principio adfuisset: at initio aurum non erat, nec aurum quispiam amabat. At si vultis, dicam unde malum irrepserit. Singuli eos qui præcesserant æmulati, morbum auxerunt, et vel invitum incitat is qui præcessit. Cum vident enim splendidas ædes, agrorum copiam, servorum greges, argentea vasa, et multam vestium congeriem, nihil non agunt ut illos superent: ut primi secundis, hi sequentibus causa cupiendi exsistant. Quod si voluissent moderate agere, non aliis doctores fuissent; imo neque his ulla est excusatio. Sunt enim alii qui pecunias spernant. Et quis spernit, inquies? Quod enim gravius est, tanta hujus vitii vis est, ut videatur non posse superari, nec credatur quempiam esse qui contrariam virtutem sectetur. Multos tamen hujusmodi numerare possum et in urbibus et in montibus. Et quid inde lucri? neque enim hinc meliores evadetis. Alioquin autem non de his nobis sermo nunc est, nec dicimus divitias effundi oportere: vellem utique; sed quia majus esse onus videtur, non cogam, sed hortor ne aliena concupiscatis, atque ex facultatibus largiamini. Multos autem inveniemus rebus suis contentos, sua curantes, et ex justis laboribus victum parantes. Cur non hos imitamur et æmulamur? Cogitemus eos qui ante nos fuerunt: annon illorum prædia stant, dum ipsorum sola nomina circumferuntur? En hujus balneum, il-

[1] In Florilegio, ut animadvertit Savilius, hic locus melius habere videtur, *sed ex ingenti nequitia, quam si cohibere voluisset, non tradidisset benefactorem. Christus vero multa erga illum indulgentia multaque patientia usus, suffe-rebat.*

[1] Alii addunt, *saxeum.*

lius suburbanum et diversorium : annon statim atque hæc videmus, ingemiscimus, cogitantes quot labores sustinuerit, quot quantaque rapuerit? et nusquam ille apparet; sed alii ejus facultatibus delectantur, quos ille numquam putasset; et forte etiam inimici, dum extremas ille dat pœnas. Eadem nos manent. Nam sine dubio moriemur, eumdemque finem sortiemur. Quanta, quæso, odia, quantos sumptus, quantas inimicitias sustinuerunt? Et quid inde lucri? Immortale supplicium, et consolatio nulla, criminationes ab omnibus non viventi modo, sed etiam defuncto oblatas. Quid porro? cum multorum imagines in ædibus positas conspicimus, annon magis lugemus? Vere plane dixit propheta : *Verumtamen vane conturbatur omnis homo vivens* (*Psal.* 38. 12). Perturbatio enim vere est harumce rerum cura; perturbatio et anxietas superflua. Secus autem in æternis illis mansionibus et tabernaculis. Hic alius laboravit, alius laborum fructu potitur; ibi vero laborum suorum quisque dominus erit, et multiplicem accipiet mercedem. Ad illam ergo possessionem properemus : illic paremus nobis ædes, ut quiescamus in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri et Spiritui sancto gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA LXVI.

CAP. 12. v. 9. *Cognovit ergo turba multa ex Judæis quia illic esset : et venerunt, non propter Jesum tantum, sed ut et Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.*

1. Quemadmodum divitiæ incautos perdere consueverunt, ita et principatus : illæ enim in avaritiam deducunt, hic in arrogantiam. Vide ergo apud Judæos subditam quidem turbam sanam, principes autem corruptos. Quod enim plebs in illum crederet, testificantur passim evangelistæ : *Multi de turba crediderunt in eum* (*Joan.* 7. 31). Ex principibus autem multi non credebant. Ipsi vero dicunt, non turba, *Numquid aliquis ex principibus credidit in eum* (*Ibid.* 7. 48)? Sed quid dicunt? *Turba populi, qui non norunt Deum, maledicti sunt* (*Ibid.* v. 49). Eos qui credebant, maledictos dicebant; se vero qui occiderunt Christum, prudentes. Hic quoque multi qui miraculum viderant, crediderunt; principes autem, non modo non contenti propriis malis erant, sed etiam Lazarum interficere tentabant[1] (*Joan.* 12. 10) Esto, Christum, qui sabbatum solvebat, qui se æqualem Patri faciebat, propter Romanos interficere quæratis; in Lazaro quid sceleris deprehendistis, ut cogitetis interficere? An beneficium accipere crimini dandum? Viden' sanguinarium illorum propositum? Atqui multa signa fecerat; sed nullum eos ita efferaverat, non paralyticus, non cæcus. Hoc enim et natura mirabilius erat, et post alia multa factum; resque stupenda erat videre mortuum quatriduanum ambulantem et loquentem. Pulchra sane festi officia, cædibus celebritatem miscere[2]. Præterea illic de violato sabbato accusabant eum, et hac ratione populum adducebant : hic vero quia nihil poterant criminis offerre, contra suscitatum machinantur. Neque poterant hic dicere, ipsum esse Patri adversarium; precatio enim cohibebat illos. Quoniam igitur sublata erat assidua illa accusandi materia, signumque conspicuum erat, ad cædem feruntur : idipsumque facturi erant erga cæcum, nisi sabbati crimen adfuisset. Alioquin ignobilis ille erat, ejeceruntque illum de templo : hic autem vir insignis, ut liquet ex eo quod multi sorores ejus consolatum venerint; et miraculum videntibus omnibus editum fuerat, atque stupendo modo. Ideo omnes visum accurrebant. Hoc illos mordebat, quod instante solemnitate, illa missa omnes Bethaniam advolarent. Illum ergo occidere moliti sunt, et nihil audere sibi videbantur : ita sanguinarii erant. Ideo lex ab his verbis incipit, *Non occides* (*Exod.* 20. 13); et de hoc propheta accusat, *Manus eorum sanguine plenæ* (*Isai.* 1. 15). Quomodo ergo cum non palam in Judæa ambularet, et in desertum secessisset, iterum fidenter intrat? Postquam secessu iram illorum sedaverat, jam quietos adit. Alioquin plebs præcedens et subsequens poterat illis metum incutere : nihil enim eam ita allexerat, ut signum Lazari. Alius porro evangelista dicit, *Straverunt sub pedibus ejus vestimenta* (*Luc.* 19. 36); et, *Omnis civitas commota est* (*Matth.* 21. 10); cum tanto scilicet honore ingrediebatur. Hoc porro faciebat ut prophetiam aliam figuraret, aliam impleret : et idem fuit alterius principium, alterius finis. Nam illud, *Lætare quia Rex tuus venit tibi mansuetus* (*Ibid.* v. 5), prophetiam implet : quod autem asino insideat, rem futuram præsignificat, quia immundum gentilium genus subditum habiturus erat. Quomodo autem alii dicunt ipsum discipulos misisse et dixisse, *Solvite asinam et pullum* (*Marc.* 11. 12); hic vero nihil simile dicit, sed invento asello insedisse? Utrumque factum esse credibile est, et post solutam asinam, ducentibus discipulis, invento asello Christum insedisse. Ramos autem palmarum et olivarum acceperunt, et vestimenta straverunt, ostendentes se majorem de illo, quam de propheta, opinionem habere; et dicebant : 13. *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Vides hoc maxime illos dolore obruisse, quod omnes persuasum haberent ipsum non esse Deo adversarium? Et hoc maxime populum scindebat, quod se diceret a Patre venire. Quid sibi vult illud, 15. *Lætare multum, filia Sion?* Quia omnes ipsorum reges ut plurimum iniqui

[1] Hæc sequuntur in Florilegio : *Inierunt enim consilium Principes sacerdotum ut Lazarum interficerent, quia multi propter eum ab eis desciverant et crediderant in Jesum. Esto*, etc.

[2] Savil. hunc locum male habere contendit, ipsumque e Florilegio sic restituere jubet : *O Sacerdotum amentiam, qui diem festum ita egregie agunt ut cædes celebritati misceant.* Quam corruptam seriem pronuntiat Savilius, ego perspicuam omnino et claram arbitror. *Ironice* hic dicitur : *Pulchra sane festi officia, cædibus celebritatem miscere*; ac perinde clare Græca exprimunt. Florilegus autem multa de suis addidit, quæ in Chrysostomi commentariis non erant.

erant et cupidi, ipsosque hostibus tradebant, plebem subvertebant et hostibus subditos reddebant : Confide, inquit, hic non talis est, sed mansuetus et mitis; quod ex asina ostenditur. Neque enim exercitu stipatus ingressus est, sed cum asina tantum. 16. *Hoc autem nesciebant*, inquit, *discipuli ejus, quod scriptum de illo esset*. Viden' illos plurima ignorasse, quia ipse nondum eis revelaverat? Nam cum dixit, *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* 2. 19) : neque tunc intellexerunt discipuli ejus. Et alius evangelista (*Marc.* 9. 9) dicit, absconditum fuisse sermonem ab eis, nec scivisse resurrecturum illum esse a mortuis. Sed hoc jure absconditum illis erat. Quapropter alius evangelista (*Matth.* 17. 22) narrat ipsos singula audientes doluisse et mœstos fuisse. Id autem contingebat quod resurrectionem non nossent. Et jure id occultabatur ipsis, quia illorum captum superabat : asinæ vero historia cur illis occulta fuit? Quia hæc quoque res magna erat.

2. Vide autem evangelistæ philosophiam, quomodo non erubescat pristinam illorum ignorantiam profiteri. Quod scriptum esset sciebant; quod vero de illo scriptum esset, id ignorabant. Nam certe hoc illis offendiculo futurum erat, si rex eum esset, hæc esset passurus, atque ita tradendus. Alioquin autem non tam facile quod regnum illud esset intellexissent. Nam alius evangelista dicit, de hujus mundi regno dici putavisse (*Ibid.* 20. 25). 17. *Testificabatur autem turba, quod Lazarum resuscitasset.* Non enim tot repente mutati fuissent, inquit, nisi signo credidissent. 19. *Pharisæi autem dixerunt illis, Videtis quia nihil proficitis? Ecce mundus totus post illum abit.* Hoc dictum mihi videtur ab iis qui sanæ mentis erant, nec audebant palam loqui; et ex eventu confutabant illos, ut qui inutilia tentarent. Mundum autem hic turbam vocant. Solet enim Scriptura mundum dicere et creaturas, et eos qui in nequitia vivunt : illud quidem cum ait, *Efferens secundum numerum mundum suum* (*Isai.* 40. 26) : hoc vero cum dicit, *Mundus vos non odit, me autem odit* (*Joan.* 7. 7). Hæc accurate scire par est, ne præter nominum significationem hæretici ansam arripiant. 20. *Erant autem quidam gentiles, qui ascenderant adorare in solemnitate.* Cum jam prope esset ut proselyti fierent, venerant ad solemnitatem, et fama commoti dicunt : 21. *Volumus Jesum videre.* Philippus autem Andream adit, utpote qui ipsum præcederet, et rem ei communicat. Verum non sine cautione nec palam id facit : audierat enim, *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* 10. 5). Ideo rem cum discipulo communicatam Magistro refert : ambo enim id retulerunt ei. Ille vero quid dicit? 23. *Venit hora ut clarificetur Filius hominis.* 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Quid significat illud, *Venit hora?* Dixerat, *In viam gentium ne abieritis*, omnem Judæis præscindens pervicaciæ ansam; illos cohibuit. Cum autem illi immorigeri manerent, gentiles autem accedere vellent, Tempus demum, inquit, est ad passionem accedendi, cum omnia impleta sint. Nam si contumacibus illis semper hæreremus, illosque accedere volentes non admitteremus, indignum hoc esset providentia nostra. Quia igitur discipulos suos post crucem ad gentes missurus erat, cum videt illos jam accedere, ait, Tempus est ut ad crucem veniam. Non antea sivit accedere, ut id esset in testimonium illis. Antequam enim illum repellerent, antequam in crucem agerent, non dixit, *Euntes docete omnes gentes*; sed, *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* 28. 19. et 10. 5); et, *Non missus sum nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*; et, *Non est bonum accipere panem filiorum, et dare canibus* (*Ibid.* 15. 24. 26). Cum autem odio haberent eum, et ita odio haberent, ut occiderent, superfluum erat persistere, renitentibus illis. Nam recusarunt illum dicentes, *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* 19. 15). Tunc demum illos dimisit, quia ipsi priores dimiserant. Ideo dicit, *Quoties volui congregare filios vestros, et noluistis* (*Matth.* 23. 37)? Quid sibi vult, *Granum frumenti, nisi cadens in terram mortuum fuerit?* De cruce loquitur. Ne enim turbarentur, cogitantes tunc illum occisum fuisse, cum gentes accesserunt, dicit : Hoc ipsos maxime ad accedendum inducit, hoc prædicationem meam augebit. Deinde quia sermonibus non ita persuadebat, a rerum experientia ipsos allicit dicens : In frumento hoc accidit, ut mortuus majorem fructum afferat. Si hoc in seminibus, multo magis in me. Verum discipuli dicta non intellexerunt. Quare frequenter hoc repetit evangelista, ut excuset eos quod postea fugerint. Istiusmodi sermonem de resurrectione disputans Paulus attulit (1. *Cor.* 15. 36. *sqq.*).

3. Quam ergo excusationem habebunt ii qui resurrectionem non credunt, cum illam in seminibus quotidie contemplari possimus, in plantis quoque, et in generatione nostra? Primo enim corrumpi semen oportet, et inde fieri generationem. Universim vero cum Deus aliquid facit, nullis opus est ratiociniis. Quomodo enim nos ex non exstantibus fecit? Hæc Christianis dico, qui se dicunt Scripturis credere : addam aliud ex humanis ratiociniis. Ex hominibus alii improbi, alii probi sunt : ex improbis multi re prospera ad extremam senectutem devenerunt; ex probis secus res cessit. Quandonam ergo et quo tempore singuli pro merito accipient? Sane, inquiunt, sed corporum resurrectio non est. Non audiunt Paulum dicentem, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem* (1. *Cor.* 15. 53)? Non de anima (non enim anima corrumpitur) : et resurrectio dicitur de illo qui cecidit : cecidit vero corpus. Cur autem non vis esse corporis resurrectionem (a)? annon possibilis Deo est? Sed hoc negare extremæ insipientiæ esset. At non decet? Cur non decet hoc corruptibile, quod et laborem et mortem una subiit, coronas etiam participare? Nam si non deceret, non a principio factum fuisset, neque Christus carnem sumpsisset. Quod autem sumpserit, illamque resuscitaverit, audi quid dicat : *Infer digitos tuos, et vide quia spiritus ossa et nervos non ha-*

(a) Hæretici erant qui dicerent carnem non resurrecturam esse.

bet (*Joan*. 20. 27). Cur Lazarum suscitavit, si melius erat sine corpore resurgere? cur inter signa et beneficia hoc posuit? cur cibos præbuit? Ne itaque, dilecti, ab hæreticis decipiamini. Et resurrectio, et judicium est. Hæc autem de medio tollunt quotquot nolunt operum suorum rationem reddere. Oportet enim resurrectionem talem esse, qualis fuit resurrectio Christi. Primitiæ enim ille est, et primogenitus mortuorum. Quod si resurrectio est animæ purgatio, et liberatio a peccatis; Christus vero non peccavit: cur resurrexit? quomodo nos a maledictione liberati sumus, si ipse peccavit? quomodo dicit, *Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam* (*Joan*. 14. 30)? Nam hoc impeccabilitatem ejus significat. Igitur secundum illos, aut non surrexit, vel ut resurgeret, ante resurrectionem peccavit. Sed et resurrexit, et peccatum non fecit. Ergo resurrexit; et hæc prava doctrina nihil aliud est quam inanis gloriæ proles. Hunc ergo morbum fugiamus. Nam *Corrumpunt bonos mores colloquia prava* (1. *Cor*. 15. 33). Non sunt hæc apostolorum dogmata. Marcion et Valentinus hæc innovarunt. Fugiamus ergo, dilecti. Nihil prodest vita bona, cum prava doctrina: ut vicissim nihil sana doctrina, cum vita corrupta. Hæc gentiles pepererunt: hæc illi auxerunt ab externis accepta philosophis, et materiam non factam et multa hujuscemodi statuentes. Ut ergo dixerunt non esse creatorem sine materia non facta: sic et resurrectionem negarunt. Verum ne iis attendamus, cum immensam Dei potestatem noscamus: ne attendamus, Vobis hæc dico. Nos enim adversus illos pugnare non recusabimus. Sed inermis et nudus, etsi in infirmiores inciderit, licet fortior, facile capietur. Nam si Scripturis attenderetis, et vos quotidie ad pugnam appararetis, non auctor vobis essem ut pugnam adversus illos vitaretis, sed manum conserere suaderem: nam fortis est veritas. Quia vero Scripturis uti nescitis, congressum timeo, ne inermes vos illi prosternant. Nihil enim, nihil utique imbecillius iis qui Spiritus auxilio sunt destituti.

Philosophorum mores. — Quod si exteriore utantur sapientia, mirandum non est, sed potius ridendum quod stultis utantur doctoribus. Neque enim vel de Deo, vel de creatura quid sanum illi invenire potuerunt; sed ea quæ apud nos vidua novit, Pythagoras prorsus ignoravit. Sed dicunt animam fruticem, piscem, canem fieri. Hisne, quæso, attendas? et qua ratione? Magni sunt illi in vico, cincinnos pulchros alunt, palliis induuntur: hactenus pertingit eorum philosophia. Si intus respicias, cinis, pulvis, nihil sanum est, sed *Sepulcrum patens est guttur eorum* (*Psal*. 5. 11); omnia immunditie et sanie plena, et eorum dogmata vermibus scatent. Primus eorum aquam dixit esse deum; qui sequutus est, ignem; alius, aerem (*a*); et omnes ad corpora delati sunt. Hosne, quæso, mireris, qui ne incorporei quidem Dei notitiam attigere? Quod si postea quid noverunt, id evenit postquam in Ægypto cum nostris colloquuti sunt. Sed ne vos nimium perturbemus, hic orandi finem faciamus. Si enim illorum doctrinam proponere incipiamus, quid de Deo, quid de materia, quid de anima et de corpore dixerint, magnus consequetur risus: neque nostra egebunt confutatione; ipsi enim sese mutuo confodiunt. Qui contra nos de materia librum scripsit (*b*), seipsum confodit. Quare ne vos frustra detineamus, nec sermonum labyrinthum texamus, his missis, hoc dicemus: divinarum Scripturarum lectioni attendendum, neque verbis certandum esse, nullo fructu. Quod etiam Paulus Timotheum docet, etsi multa instructum sapientia, et signorum gratiam habentem (2. *Tim*. 2. 14). Ipsi ergo obtemperemus, abjectisque nugis, operibus manum admoveamus, fratrum amori dico, hospitalitati, et magnam eleemosynæ rationem habeamus; ut promissa consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Justinus Martyr in Parænetico ad Græcos, paulo post initium, de rerum omnium principio secundum philosophorum sententiam loquitur, atque Thaletem dicere aquam esse omnium rerum principium, Heraclitum Metapontinum ignem, Anaximenem Milesium, aerem, etc.

(*b*) Philosophus quidam librum de materia contra Christianos scripsit.

HOMILIA LXVII.

CAP. 12. v. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. 26. *Si quis mihi ministrat, me sequatur*.

1. *Præsens vita non dulcis videtur, nisi de futura non cogitantibus. Quomodo qui amat animam suam perdat eam*. — Dulcis est præsens vita, et multæ plena voluptatis; verum non omnibus, sed iis qui ipsi nærent. Si quis vero cælum respiciat, et bona ibi reposita, cito illam despiciet, et pro nihilo habebit. Nam et corporum pulchritudo, donec alia speciosior appareat, in admiratione habetur: cum vero formosius quidpiam conspicitur, primum contemnitur. Si velimus ergo illam intueri pulchritudinem, et regni illius speciem, cito præsentia vincula dissolvemus. Vinculum enim est rerum præsentium amor. Et hoc nobis suadens Christus, audi quid dicat: *Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam. Qui mihi ministrat, me sequatur: et ubi ego sum, illic et minister meus erit*. Hæc ænigmati similia videntur, neque tamen sunt, sed multæ plena sapientiæ. Et quomodo *Qui amat animam suam, perdet eam?* Qui absurdis ejus concupiscentiis obtemperat, qui plus quam par est ei indulget. Ideo admonet quispiam, *Noli ambulare in cupiditatibus animæ tuæ* (*Eccli*. 18. 30). Sic enim illam perdes (nam a via ad virtutem agente abducit): ut contra, *Qui odit eam in hoc mundo, servabit eam*. Quid est, *Qui odit eam?* Qui illi perniciosa jubenti resistit. Neque dixit, Qui non credit ei; sed, *Qui odit eam*. Quemadmodum enim odiosos nec audire libenter, nec videre placide possumus: sic et animam,

cum contraria Dei voluntati præcipit vehementer aversari oportet. Quia enim jam de morte loquuturus est illis, de morte scilicet sua, prævidetque illos in mœstitiam delapsuros esse, rem sublimiori modo tractat: Quid dico, si mortem meam non fortiter feratis? Nisi vos ipsi moriamini, nihil vobis lucri supererit. Et vide quomodo consolationem sermoni admiscet. Valde durum et molestum erat audire, hominem animæ suæ amantissimum mori oportere. Ecquid vetera recenseam, quando nunc etiam multos inveniemus qui libenter omnia tolerent, ut hac vita fruantur, etiamsi futura credant? qui cum vident ædificia, opificia, machinas, lacrymantes talia dicunt : Quanta machinatur homo, et pulvis efficitur? Ita magna est hujusce vitæ concupiscentia. Hæc itaque vincula solvens Christus ait : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam*. Quod autem ut illos moneret, et metum eorum solveret, hæc dixerit, audi ex sequentibus : 26. *Qui mihi ministrat, me sequatur;* de morte loquens, et ut per opera ipsum sequantur exigens. Minister enim eum cui ministrat sequi omnino debet. Et considera quandonam hæc loquatur : non cum persequutionem patiebantur, sed cum in fiducia degebant, et in tuto esse putabant, a multis honorati et culti; cum sese erigere poterant et audire : *Et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* 16. 24) : id est, Paratus semper esto ad pericula, ad mortem, ad migrandum ex hac vita. Deinde cum gravia et molesta dixisset, præmium addit. Quodnam illud? Quod ipsum sequatur, quod sit una secum : ostendens fore ut resurrectio mortem sequatur. Nam *Ubi sum ego*, inquit, *illic et minister meus*. Ubi est Christus? In cælis. Ergo etiam ante resurrectionem illuc et anima et mente transferamur. *Si quis mihi ministraverit, diliget eum Pater*. Cur non dixit, Ego? Quia nondum consentaneam de ipso opinionem habebant, sed majorem de Patre. Qui enim nondum sciebant Ipsum esse resurrecturum, quomodo magnam de illo opinionem concepissent? Quamobrem filiis Zebedæi ait : *Non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo* (*Marc.* 10. 40). Atqui ipse est qui judicat. Hic vero se genuinum Filium declarat. Illos enim ut genuini et veri Filii ministros excipiet. 27. *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora*. Atqui hæc non sunt mortem adire suadentis, imo hortantis utique. Ne dicerent enim eum, humanis carentem doloribus, facile de morte philosophari, et sine suo periculo nos hortari ; ostendit se, licet eam formidaret, ipsam utpote utilem non recusare. Hæc porro ad assumptam carnem, non ad divinitatem pertinent. Idcirco ait : *Nunc anima mea turbata est :* (nisi enim hoc esset, qua serie hæc consequi possent, *Pater, salvifica me ex hac hora?*) et ita perturbatus est ut liberari se postularet, si effugere posset.

2. Hæc humanæ naturæ infirmitas est. Sed quid dicam non habeo, cum mortem deprecer. *Propterea veni in horam hanc :* ac si diceret : Etiamsi turbemur, et consternemur, mortem ne fugiamus. Nam ita perturbatus ego, non fugiendum dico : ferendum quippe illud est quod accidit. Non dico, Libera me ex hac hora ; sed, 28. *Pater, clarifica nomen tuum*. Etiamsi perturbatio ad hæc dicenda compellat, contrarium dico, *Clarifica nomen tuum;* id est, Duc in crucem : quod humanum affectum indicat, naturamque mori nolentem, sed vitam servare cupientem; ostenditque se non extra humanos affectus esse. Sicut enim neque esurire neque dormire crimini datur, sic neque præsentem vitam optare. Christus vero corpus habuit a peccatis liberum, non a naturalibus necessitatibus : alioquin corpus non fuisset. His etiam aliud docuit. Quodnam illud? Ut si umquam in mœstitia et metu simus, ne ideo a proposito resiliamus. *Pater, clarifica nomen tuum*. Ostendit se pro veritate mori, rem illam gloriam Dei vocans. Et hoc post crucem contigit. Futurum erat ut orbis converteretur, ac nomen Dei cognosceret, ipsique serviret; non Patris nempe nomen dumtaxat, sed etiam Filii : attamen illud tacet. *Venit ergo vox de cælis : Et clarificavi, et iterum clarificabo*. Ubi clarificavit? In præcedentibus. Et iterum clarificabo post crucem. Quid ergo Christus? 30. *Non propter me vox hæc facta est, sed propter vos*. Illi autem tonitruum esse putarunt, vel angelum ipsi loquutum fuisse. Et unde hoc putarunt? annon clara et conspicua vox fuit? Verum cito avolavit ab illis, utpote crassioribus, carnalibus, segnibus. Alii sonum tantum retinuerunt, alii articulatam fuisse vocem noverant; quid vero significaret, non item. Quid ergo Christus? *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos*. Cur hoc dixit? Ad illud respiciens quod semper dicebant, illum ex Deo non esse. Qui enim a Deo clarificatur, quomodo non est ex Deo, cujus nomen propter ipsum clarificatur? Ideo vox delata est. Propterea inquit ipse, *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos :* Non ut aliquid a me ignoratum ab illa audiam (omnia enim quæ Patris sunt novi), sed propter vos. Quia enim dicebant angelum loquutum illi esse, vel factum esse tonitruum, et non advertebant, inquit, propter vos delatam esse vocem, ut hinc concitaremini ad interrogandum quid dictum fuisset. Illi vero stupefacti, neque sic interrogarunt, cum audirent id ad se pertinere. Nescienti enim cujus gratia diceretur, jure non insignis vox videbatur esse. *Propter vos vox delata est*. Viden' quomodo res humiles eorum gratia fiant, non quasi Filius auxilio egeat? 31. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi infra ejicietur*. Hoc quomodo aptatur illi, *Clarificavi, et clarificabo?* Optime et admodum consentanee. Quia enim dixit, *Clarificabo*, modum gloriæ ostendit. Quis ille modus? Ille, inquit, *Ejicietur infra*. Quid sibi vult illud : *Judicium est mundi hujus?* Ac si diceret, Judicium erit et ultio. Quomodo? Occidit primum hominem, quem peccato obnoxium invenit (*Per peccatum enim mors intravit* [*Rom.* 5. 12]) : in me hoc non invenit. Cur ergo insiliit, et morti tradidit? cur in Judæ animam ingressus est, ut me occideret? Ne mihi enim jam dixeris, ita Deum dispensavisse : hoc enim non diaboli est, sed Ipsius sapientiæ. Exploretur interim mens maligni il-

lius. Quomodo ergo mundus in me judicatur? Quasi constituto judicio, dicetur illi : Esto, omnes occideris, sed quia peccato obnoxios reperisti ; Christum vero cur occidisti? nonne plane injuste? Per Christum ergo totus mundus vindicabitur. Quod ut clarius evadat, exemplo utar. Sit violentus tyrannus quispiam, qui in manus suas incidentes omnes innumeris afficiat malis. Hic si cum rege vel cum filio regis congressus, occidat illum injuste, ejus mors etiam alios ulcisci poterit. Sit aliquis qui a debitoribus exigat, verberet, in carcerem conjiciat; deinde eadem arrogantia nihil debentem perinde cogat. Eorum quæ in alios commisit tunc pœnas dabit : ille namque ipsum occidet.

3. Sic et in Filio factum est. Eorum enim quæ contra vos fecerit diabolus, per ea quæ contra Christum ausus fuit, dabit pœnas. Quod autem id subindicetur, audi : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur infra*, per mortem meam. 32. *Et ego si exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum;* hoc est, etiam gentiles. Et ne quis diceret, Quomodo ejicietur infra, si te vicerit? Non vincet, inquit. Quomodo enim vincet eum qui alios trahit? Nec loquitur de resurrectione; sed quod resurrectione majus est, *Omnes traham ad meipsum.* Nam si dixisset, Resurgam, nondum palam esset ipsos esse credituros : cum autem dicit, Credent, utrumque declarat, et resurrecturum se confirmat. Si enim mortuus mansisset, et homo purus esset, nemo credidisset. *Omnes traham ad meipsum.* Cur ergo dicit Patrem trahere? Quia trahente Filio, trahit et Pater. Traham, inquit, utpote a tyranno detentos, qui non possint per se accedere, et ejus obsistentis manus effugere Alibi autem illud rapinam vocat. *Nemo potest spolia fortis rapere, nisi prius fortem alliget, et tunc vasa ejus rapiat* (*Matth.* 12. 29). His ejus violentiam significat. Quod ergo illic rapinam, hic tractionem appellavit. Hæc cum sciamus, excitemur, glorificemus Deum, non per fidem tantum, sed etiam per vitam; alioquin non gloria, sed blasphemia in Deum esset. Non ita blasphematur Deus ab exsecrando gentili, ut a Christiano corrupto. Idcirco omnia, obsecro, faciamus, ut Deus gloria afficiatur. Nam ait, Væ servo illi, per quem nomen Dei blasphematur (quando autem Væ dicitur, omnis cruciatus sequitur atque supplicium) : beatus autem ille est, per quem nomen ejus honoratur. Ne itaque simus quasi in tenebris, sed omnia peccata fugiamus, maxime autem illa quæ in publicam perniciem transeunt : in his enim præsertim Deus blasphematur. Quam enim veniam consequemur, si aliis dare jussi, aliena rapiamus? quæ nobis erit spes salutis ? Si esurientem non alas, punieris; si indutum exuas, quam consequeris veniam? Hæc frequenter dicere non cessabimus. Forte qui hodie non audiunt, cras audient : qui cras non attendent, postridie audient. Quod si qui immorigeri sint, nos saltem innoxii judicium non subibimus, qui quæ nostra erant impleverimus. Utinam nec nos de dictis erubescamus, nec vos pudore afficiamini, sed omnes cum fiducia stare possimus ante tribunal Christi, ut et nos possimus in vobis gloriari, deque malis nostris aliquam consolationem accipere; vestram nempe probationem, in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri gloria, simulque Spiritui sancto in sæcula. Amen.

HOMILIA LXVIII.

CAP. 12. v. 34. *Respondit ei turba : Nos audivimus ex lege, quod Christus manet in æternum : et quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?*

1. *Mors Christi non obfuit quominus maneret in æternum.* — Error deprehensu facilis et infirmus est, etiamsi exterius mille depingatur coloribus. Et quemadmodum ii, qui ruinæ proximos parietes oblinunt, non illos tamen illitos firmant : sic qui mentiuntur, facile confutantur : id quod hic passi sunt Judæi. Nam Christo ipsis dicente, *Cum exaltatus fuero, a terra omnes traham ad meipsum; Nos audivimus*, inquiunt, *a lege, quia Christus manet in æternum. Quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?* Norant igitur Christum esse immortalem, et vitam habere sine termino. Ergo quid diceret intelligebant. Etenim in Scripturis passim et passio et resurrectio occurrunt. Nam Isaias hæc simul ponit : *Tamquam ovis ad occisionem ductus est* (*Isai.* 53. 7), et quæ sequuntur omnia. Et David in secundo Psalmo, et alibi sæpe hæc ambo copulat. Patriarcha quoque cum dicit, *Decidens dormivit ut leo*, addiditque, *Et ut catulus leonis, quis suscitabit eum* (*Gen.* 49. 9)? simulque passionem et resurrectionem significat. Verum hi sperantes se illi silentium impondituros ac demonstraturos ipsum non esse Christum, hinc Christum in æternum manere confitentur. Et vide quam maligne. Non dixerunt enim, Nos audivimus quod Christus non passurus, non crucifigendus sit, sed, *Quod manet in æternum.* Atqui neque hoc dictum contrarium erat. Passio namque immortalitatis non fuit impedimentum. Hinc videre licet multa eos scivisse quæ in dubium vocari poterant, atque sponte sua malignatos esse. Quia enim ante de morte disseruerat, cum hic audirent illum exaltandum esse, hoc suspicati sunt. Deinde dicunt, *Quis est iste Filius hominis?* Et hoc maligne. Ne putes, inquiunt, nos de te hoc dicere, neu dicas, nos inimicitiæ causa tibi contradicere. Ecce nescimus de quo loquaris, et tamen hæc proferimus. Quid ergo Christus? Ipsos confutat, ostenditque passionem nihil obesse quominus ipse maneat in æternum. 35. *Adhuc*, inquit, *modicum tempus lumen in vobis est*; significans mortem suam esse translationem. Nam lux solis non exstinguitur, sed parvo tempore secedens, rursum apparet. *Ambulate dum lucem habetis.* Quod hic tempus indicat? an totam hanc vitam? an tempus ante crucem? Utrumque arbitror. Ob ineffabilem

enim ejus benignitatem, multi etiam post crucem crediderunt. Hæc porro dicit ut illos ad credendum concitet, ut etiam superius fecit ita dicens, *Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat* (*Joan.* 7. 33). Quanta nunc Judæi ignorantes faciunt, ac si in tenebris ambularent! Videntur sibi recta incedere via, dum contraria procedunt, sabbatum servantes, et legem ciborumque observationes; et nesciunt ubi ambulent. Ideo dicebat: 36. *Ambulate in luce, ut filii lucis sitis;* id est, filii mei. Atqui in principio inquit evangelista: *Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* 1. 13); id est, ex Patre: hic vero ipse illos gignere dicitur, ut scias unam esse operationem Patris et Filii. *Hæc loquutus Jesus, abiit, et abscondit se ab eis.* Cur abscondit se nunc? Neque enim lapides contra eum tulerunt, neque blasphemarunt, ut ante fecerant. Cur ergo se abscondit? Cum in corda penetraret, sciebat eorum animos exasperari, etiamsi nihil loquerentur: sciebat fervere illos et cædem spirare; neque exspectavit donec in opus procederent, sed abscondit se, ut illorum invidiam sedaret. Vide quomodo id subindicet evangelista, qui statim addit: 37. *Cum autem tanta signa fecisset, non crediderunt in eum.* Quæ illa tanta signa? Ea quæ prætermisit evangelista, ut ex sequentibus palam est. Nam cum secessisset, et postea reversus esset, rursus placide illos alloquitur his verbis: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me* (*Ibid.* 12. 44). Vide quid facit: ab humilibus incipit, et confugit ad Patrem, iterumque extollit sermonem. Et cum eos efferatos intelligit, discedit, et rursus comparet, et ab humilibus iterum incipit. Et ubinam hoc fecit? Imo ubi non fecit? Vide quid initio dicat: *Sicut audio, judico;* deinde sublimius, *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Ibid.* 5. 30. 21); iterumque, *Ego non judico vos, alius est qui judicat* (*Ibid.* 8. 50). Rursumque secedit: posteaque in Galilæa comparens, *Operamini*, inquit, *non cibum qui perit* (*Ibid.* 6. 27). Et cum magna de se dixisset, quod ex cælo descenderit, quod vitam æternam det, rursum abscedit. Et in Scenopegia rursum adstans, idipsum facit.

2. Ac perpetuo videas illum doctrinam suam variantem, præsentia, absentia, humilibus, sublimibus verbis. Quod etiam hic fecit. *Cum autem tanta signa fecisset, non crediderunt in eum*, inquit, 38. *ut impleretur sermo Isaiæ, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* Et rursum, *Non potuerunt*, inquit, *credere, quia dixit Isaias: Auditu audietis, et non intelligetis.* 41. *Hæc autem dixit quando vidit gloriam ejus, et loquutus est de eo.* Ecce iterum hoc, *Quia*, et, *Dixit*, non causales sunt voces, sed eventum significantes. Neque enim quia id dixit Isaias, ideo non crediderunt; sed quia credituri non erant, ideo hæc dixit Isaias. Cur ergo non ita loquitur evangelista, sed incredulitatem a prophetia, non prophetiam ab incredulitate esse dicit: imo in sequentibus illud significantius ponit sic loquens, *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias?* Hic pluribus vult significare Scripturæ veracitatem, et quod quæ illa prædixit, non alio quam quo dixit modo evenerint. Ne quis enim diceret, Cur venit Christus? non sciebat non credituros illos? prophetas inducit, qui hoc præsciverunt. Venit autem, ne aliquam peccati sui excusationem haberent. Quæ enim prædixit propheta, ut prorsus futura prædixit: nisi enim omnino futura essent, non prædixisset. Erant autem prorsus futura, cum illi incurabiles essent.

Prophetiæ nullam imponunt necessitatem. — Illud autem, *Non potuerunt*, id est, Noluerunt. Nec mireris. Nam alibi quoque ait: *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* 19. 12). Sic sæpe solet potestatem pro voluntate ponere. Iterumque, *Non potest mundus vos odio habere; me autem odio habet* (*Joan.* 7. 7). Quod etiam in communi usu observatur: ut cum dicit quispiam, non possum illum talem amare, voluntatis vehementiam potestatem vocans: ac rursum, Ille talis fieri non potest bonus. Et propheta quid ait? *Si mutabit Æthiops pellem suam, et pardus maculas suas; et populus hic poterit bene facere, qui didicit mala* (*Jer.* 13. 23). Non ideo hæc dicit, quod non possint illi virtutem exercere; sed quod nollent, ideo non posse. Hoc autem hic sibi vult evangelista, non posse mentiri prophetam, neque tamen ideo impossibile erat illos credere. Poterat enim fieri ut etiam illis credentibus verax esset propheta. Neque enim hæc dixisset, si credituri fuissent. Cur, inquies, non ita dixit? Quia tales quasdam proprietates habet Scriptura, et id ejus legibus concedendum. *Hæc porro dixit, cum vidit gloriam ejus.* Cujus? Patris. Cur ergo Joannes de Filio loquitur, et Paulus de Spiritu? Non ut confundentes hypostases, sed unam significantes dignitatem. Nam quæ Patris sunt, Filii sunt, et quæ Filii, Patris [1]. Atqui multa per angelos dixit, et nemo tamen ait, Sicut dixit angelus; sed quid? Deus dixit. Quæ enim a Deo per angelos dicta sunt, Dei sunt; non item quæ Dei sunt, angelorum sunt. Hic vero ait verba Spiritus esse. *Et loquutus est de eo.* Quid loquutus est? *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum* (*Isai.* 6. 1), etc. Gloriam ergo hic dicit visionem illam, fumum, arcana audisse mysteria; Seraphim vidisse, fulgur a throno exsiliens, in quod respicere potestates illæ non valebant. *Et loquutus est de eo.* Quid loquutus est? Quod audierit vocem dicentem, *Quem mittam, et quis ibit? Et dixi, Ecce ego sum, mitte me. Et dixit, Auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et nescietis. Excæcavit enim oculos eorum, et induravit cor eorum, ne forte videant oculis, et corde intelligant* (*Isai.* 6. 8-10). En rursus aliam quæstionem, quæ nulla tamen est, si recte attendamus. Quemadmodum enim sol debiles oculos percellit, non per propriam naturam: sic quoque accidit iis, qui Dei verbis non attendunt. Ita et Pharaonis cor indurasse dicitur, quod accidit illis etiam

[1] Savil. legit, *et quæ Filii, Spiritus*, et sic omnes fere Manuscripti.

qui Dei dictis repugnant. Proprietas autem hæc Scripturæ est, ut et illud, *Tradidit eos in reprobum sensum* (*Rom.* 1. 28); et illud, *Distribuit gentibus* (*Deut.* 4. 19); id est, concessit, dimisit. Non enim illum hic operantem inducit, sed ex aliorum nequitia hæc facta esse significat. Cum enim derelinquimur a Deo, tradimur diabolo; diabolo traditi, innumeris afficimur malis. Ut auditorem ergo terreat, ait, *Induravit*, et, *tradidit*. Nam quod ille non modo non tradat, sed nec nos deserat, nisi nolimus, audi quid dicat: *Nonne peccata vestra dividunt me a vobis* (*Isai.* 59. 2)? ac rursum: *Qui elongant se a te, peribunt* (*Psal.* 72. 27). Osee autem dicit: *Oblita es legis Dei tui, et ego tui obliviscar* (*Osee* 4. 6); et ipse in Evangeliis: *Quoties volui congregare filios vestros, et noluistis* (*Luc.* 13. 34)? et Isaias rursum: *Veni, et non erat homo: vocavi, et non erat qui audiret* (*Isai.* 50. 2). Hæc autem dicit ut ostendat nos priores in causa esse cur derelinquamur, et cur pereamus. Deus enim non modo nec relinquere, nec punire nos vult; sed etiam quando punit, non libens hoc facit. *Nolo* enim, inquit, *mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* 18. 32). Christus autem de excidio Jerosolymæ lacrymatur [1], quod nos etiam erga amicos facimus.

3. Hæc cum sciamus, nihil non agamus ne nos separemus a Deo, sed animæ nostræ curæ amorique fraterno operam demus, neque nostra discerpamus membra (illud enim furentium et mente captorum est); sed quanto pejus affectos videmus, tanto majorem impendamus curam. Nam multos sæpe conspicimus difficilibus insanabilibusque corporis morbis laborare, nec finem facimus imponendi pharmaca. Quid podagra, quid chiragra pejus? num ideo membra abscindimus? Minime; sed nihil non facimus ut saltem leniamus, si sanare non possimus. Hoc et circa fratres nostros faciamus. Si incurabili morbo laborent, curare perseveremus, aliorumque onera mutuo feramus. Sic enim Christi legem implebimus, et promissa consequemur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria simulque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii habent: *Christus Jerusalem evertere parans lacrymatur.*

HOMILIA LXIX.

Cap. 12. v. 42. *Veruntamen ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de synagoga non ejicerentur.* 43. *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.*

1. *Avaritia gravissimus morbus. Substantia Patris et Filii ἀπαράλλακτος, eadem ipsa.* — Pravi omnes animi affectus omnino fugiendi nobis sunt; sed longe magis ii qui plura pariunt peccata: exempli causa, avaritia, quæ ex se gravis est morbus, sed longe gravior efficitur, quia radix et mater est omnium malorum. Ejusmodi est inanis gloria. Ecce hi ob gloriæ cupidinem a fide sunt avulsi. Nam *Multi*, ait, *ex principibus crediderunt in eum; sed propter Judæos non confitebantur, ut de synagoga non ejicerentur.* Id quod illis supra dicebat: *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem accipientes, et gloriam, quæ a solo Deo est, non quærentes* (*Joan.* 5. 44)? Non ergo principes erant, sed servi, extrema servitute. Cæterum hic postea timor sublatus est. Nusquam enim sub apostolis hoc morbo captos videmus. Nam tunc et principes et sacerdotes crediderunt. Gratia enim Spiritus superveniens illos omnes adamante firmiores reddidit. Cum igitur hoc ne tunc crederent impediret, audi quid dicat: 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me;* ac si diceret, Cur timetis in me credere? fides per me transit in Deum, ut etiam incredulitas. Vide quo pacto per omnia substantiam eamdem declaret. Non dixit, Qui credit mihi, ne quis diceret, de verbis ejus tantum hoc dici, quod de hominibus quoque dici poterat. Nam qui apostolis credit, non ipsis credit, sed Deo. Verum ut discas de fide in substantiam suam hæc agi, non dicit, Qui credit verbis meis, sed, *Qui credit in me.* Et cur, inquies, nusquam vice versa dicit, Qui credit in Patrem, non credit in Patrem, sed in me? Quia dixissent illi, Ecce nos in Patrem credimus, in te non credimus. Nam infirmiores adhuc erant. Discipulos enim alloquens sic dicebat, *Creditis in Deum, et in me credite* (*Joan.* 14. 1). Hos autem cum infirmiores ad hæc audienda videret, aliter instituit. Ostendit ergo non posse in Patrem credere eos, qui non in se credant. Et ne putes id quasi de homine dici, subdit: 45. *Qui videt me, videt eum qui misit me.* Quid ergo? an corpus est Deus? Minime. Visionem quippe mentalem hic significat, et hinc consubstantialitatem demonstrat. Et quid sibi vult illud, *Qui credit in me?* Ac si quis diceret, Qui aquam de flumine tollit, non de flumine, sed de fonte accipit. Imo infirmius hoc exemplum est ad rem propositam. 46. *Ego lux in mundum veni.* Cum enim Pater et in veteri et in nova lege sic appelletur, et hoc ipse utatur nomine; ideo Paulus hinc edoctus splendorem vocat illum (*Hebr.* 1. 3). Multam certe cum Patre affinitatem hic ostendit, imo nullam differentiam: nam fidem in se, non in se, sed in illum transire dicit. Lucem porro se vocavit, quod ab errore liberet, et quod spirituales solvat tenebras. 47. *Si quis me non audierit, ego non judico illum. Non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.* Ne putarent enim se propter infirmitatem contemptores dimisisse, ideo dixit: *Non veni ut judicem mundum.*

2. Deinde ne hinc segniores fiant, quod didicerint eum qui credit, salvum fieri, et qui non credit, puniri [1], vide quam formidolosum illis tribunal minetur, cum

[1] Putant Boisius et Savilius legendum esse *non puniri.* Certe ita legendum mihi quoque videtur: sed omnes Mss. *puniri* habent.

adjicit : 48. *Qui me spernit, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum.* Si pater neminem judicat, et tu non venisti ut judices mundum, quis illum judicabit? *Sermo quem loquutus sum, ipse judicabit illum.* Quia enim dicebant illum non ex Deo esse, sic loquutus est, ut declaret quod tunc non poterunt hæc dicere; sed, Verba quæ nunc loquutus sum, accusatoris vicem agent, qui illos convincet, et omnem defensionis modum adimet. *Sermo quem loquutus sum.* Quis sermo? 49. *Quod a me ipso non venerim, quia qui misit me Pater, ille dedit mihi mandatum quid dicam, et quid loquar:* et alia hujusmodi omnia. Ergo hæc ideo propter illos dicta sunt, ut nullam haberent defensionis ansam. Nam nisi ita res se haberet, quid plus habebit quam Isaias? Nam ille hoc ipsum dicit : *Dominus dat mihi linguam eruditionis, ut sciam quando sermonem dicere oporteat* (*Isai.* 50. 4). Quid plus quam Jeremias? Nam et ille cum mittebatur, tunc inspirationem habebat. Quid plus quam Ezechiel? Hic enim, devorato capitulo, ita loquutus est (*Ezech.* 3. 1). Alioquin autem ii qui dicta ejus audituri erant, causa ipsi cognitionis fuisse reperirentur. Si enim cum mittebatur, mandatum accepit quid esset dicturus, subinde dices ipsum, antequam mitteretur, nihil scivisse : quibus verbis quid magis impium fuerit, si quis nempe hæc ita accipiat, nec causam humilitatis verborum hujusmodi ediscat? Verum Paulus ipsos etiam discipulos intelligere dicit, *Quæ sit voluntas Dei bona, beneplacita et perfecta* (*Rom.* 12. 2); et Filius nescivit donec mandatum accepit? et qua ratione id consistere possit? Viden' eum isthæc admodum humiliter loqui, ut illos attrahat, et iis qui futuri erant, silentium imponat? Ideo igitur humana loquitur verba, ut vel sic illos eo adigeret, ut vilitatem verborum fugerent, gnari non ex natura, sed ex auditorum imbecillitate hæc ita dici. 50 *Scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Viden' verborum humilitatem? Qui enim mandatum accipit, non sui dominus est. Atqui ipse ait : *Quemadmodum enim Pater suscitat mortuos et vivificat : ita et Filius quos vult vivificat.* An ergo suscitandi quos vult potestatem habet, dicendi quod vult non habet? Hoc autem vult his verbis significare : Non secundum naturam est, ut ille alia loquatur, alia ego. *Et scio quia mandatum ejus vita æterna est.* Illos autem alloquitur, qui ipsum deceptorem, atque in perniciem venisse dicebant. Cum autem dicit, *Ego non judico*, ostendit se istorum perniciei non esse causam [1]. Per hæc enim pene testificatur, cum discessurus esset, neque ultra cum eis versaturus, Quia nihil tamquam a meipso loquutus sum vobis, sed omnia quasi a Patre. Ideoque in humilia desinit et sermonem concludit, ut diceret, Hanc vobis usque in finem emisi vocem. Quam vocem? *Sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Quod si Deo contrarius essem, contrarium certe dixissem, me nihil eorum quæ Deo placent dicere, ut gloriam ad me referrem. Nunc autem adeo omnia in Patrem retuli, ut nihil meum loquar. Cur ergo non creditis mihi dicenti, me mandatum accepisse, et ita vehementer amoventi malam illam vestram opinionem, quod Dei sim adversarius? Sicut enim fieri nequit ut ii, qui mandatum acceperunt, aliud faciant aut dicant, quam pro mittentis voluntate, donec mandatum accurate impleverint : ita neque ego aliud facere aut dicere possum, quam quæ Pater voluerit. Nam *Quæ ego facio, ille facit, quia mecum est* (*Joan.* 8. 29). et non dimisit me solum Pater. Viden' quo pacto semper declaret se Genitori sine ullo intermedio junctum esse? Nam cum dixit, *A meipso non veni*, non sibi potestatem adimit, sed se non Patri contrarium esse significat. Nam si homines sui domini sunt, multo magis Filius. Quod autem hoc verum sit, audi Paulum dicentem, *Exinanivit semetipsum* (*Philipp.* 2. 7), *et tradidit pro nobis* (*Ephes.* 5. 2). Sed, ut dixi, gravis res est inanis gloria, gravis utique. Ipsa enim id effecit, ut illi non crederent, et alii male crederent, et quæ ille benignitatis gratia dicebat ipsis, ad impietatem verterent.

3. *Exhortatio moralis de luxu vitando. Sub finem hujus Numeri eleemosyna commendatur.* — Hanc itaque feram omnino fugiamus; varia quippe est et multiformis, virusque suum ubique disseminat, et in pecuniis, et in deliciis, et in corporum pulchritudine. Idcirco ubique necessitatem excedimus : inde vestium luxus, servorum greges. Ideo ubique necessitas contemnitur, in domibus, in vestibus, in mensa; luxusque dominatur. Vis gloria frui? Eleemosynam eroga : tunc te laudabunt angeli; tunc Deus approbabit. Nunc autem in aurifices tantum et textores admiratio vertitur; tu vero, o mulier, incoronata recedis, teque sæpe vides maledictis exceptam. Si porro hæc non corpori tuo circumponeres, sed in pauperes effunderes, ubique plausus adesset, et laus magna. Tunc illa habebis, cum aliis dabis; donec vero sola retinueris, non habes. Domi namque thesaurus non tutus est; tutus vero est in pauperum manibus. Cur corpus ornas, dum animam impuritate correptam negligis? cur non tantam animæ quantam corpori curam impendis, cum majorem oporteret? Attamen oporteret, dilecti, parem saltem adhibere. Dic, quæso, si quis te interroget, quid malueris, an corpus tuum vegetum formosumque esse ac vilibus indutum vestibus; an mutilum, morbosum et auro ornatum : annon optares potius in natura corporis pulchra gaudere forma, quam in vestium ambitu? an in corpore sic optares, in anima secus? ac dum illam turpem, deformem, nigram habes, ex aureis ornamentis te fructum percipere putas? Quænam hæc amentia? Ornatum in interiora verte, et torquibus illis animam circumda. Nam quæ circum corpus ponuntur, neque ad valetudinem, neque ad formam juvant : non nigrum album reddunt, neque quod turpe est formosum efficiunt. Hæc autem si animæ circumponas, cito illam pro nigra albam

[1] Alii legunt : *Cum autem dicit, « non judico », hoc est, « non sum illorum perniciei causa, sed ipsi causa sunt »*

reddes, pro turpi et deformi, pulchram et formosam. Non meus hic sermo est, sed Domini dicentis : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, ut nivem dealbabo* (*Isai.* 1. 18); et, *Date eleemosynam, et omnia vobis munda erunt* (*Luc.* 11. 41). Si ita sis affecta, non te solam, sed virum quoque tuum formosum reddes. Nam si te luxum deponentem viderit, non magnis opus erit sumptibus : hinc autem habendi cupiditatem deponet, et pronior erit ad eleemosynam, et tu fidenter poteris illi ea quæ decent suadere. Nunc autem, o vos mulieres, non parem habetis potestatem. Quo ore, qua fronte conjuges ad eleemosynam hortabimini, cum maximam opum partem ad corporis ornatum insumatis? Tum poteris cum fiducia virum de eleemosyna alloqui, cum aureum cultum deposueris. Etiamsi vero nihil proficias, quod tuum erat totum implesti : imo fieri nequit ut illum non flectas, cum per res ipsas loqueris. *Quid enim scis, mulier, an virum tuum salvum factura sis* (1. *Cor* 7. 16)? Ut nunc et pro te et pro illo rationem reddituræ es : sic si luxum hujusmodi deponas, duplicem coronam consequeris, cum viro coronata et gloriosa per infinita illa sæcula, et æternis fruens bonis : quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXX.

Cap. 13. v. 1. *Ante diem festum Paschæ, Jesus sciens quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

1. *Christus nobis exemplar. Ipsius erga inimicos benignitas.— Imitatores mei estote*, inquit Paulus, *sicut et ego Christi* (1. *Cor.* 11. 1). Ideo enim ex massa nostra carnem accepit, ut per eam nos virtutem doceret. *In similitudinem*, inquit, *carnis peccati, et de peccato peccatum in carne damnavit* (*Rom.* 8. 3); ipseque Christus ait : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* 11. 29). Hæc non verbis tantum, sed et rebus docuit. Nam et Samaritanum et dæmoniacum ipsum vocabant, et deceptorem, lapidesque in ipsum jaciebant : et nunc quidem ministros miserunt Pharisæi, ut illum caperent; nunc alios subjecerunt insidiatores : ipsi quoque sæpe contumelias inferebant, cum tamen nihil adesset in quo accusarent ipsum, sed beneficia frequenter acciperent. Verumtamen post hæc tanta, non cessat eos et verbis et operibus juvare : et cum a servo quodam cæderetur, ait : *Si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis* (*Joan.* 18. 23)? Verum hæc inimicis et insidiatoribus dixit. Videamus autem, quid nunc faciat erga discipulos; imo quæ nunc exhibeat erga insidiatorem. Qui enim omnium maxime odio dignus erat, quia cum discipulus et mensæ consors esset, cum miracula vidisset, et tot dignatus esset muneribus, deterrima omnium fecit : non lapidibus, non contumeliis impetiit, sed illum prodidit : hunc vero vide quam benigne excipiat. Lavit ejus pedes, ut hoc officio ipsum cohiberet a tanta nequitia. Atqui poterat ipsum sicut ficum arefacere, si voluisset, vel discindere sicut petras discidit, et sicut item velum templi discidit. Verum noluit vi, sed proposito voluntatis a proditione abducere. Ideo lavit ejus pedes. Neque hac de re erubuit infelix et miser ille. *Ante diem festum Paschæ*, inquit, *sciens Jesus quia venit hora ejus*. Non tunc primum scivit, sed cum fecit id quod fecit, jam olim sciebat. *Ut transeat*. Magnifice evangelista transitum ejus mortem vocat. *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*. Viden' quomodo relicturus eos vehementiorem amorem exhibeat? Illud enim, *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*, hoc significat : nihil prætermisit eorum quæ ardenter amantem oportet facere. Cur non a principio hoc fecit? Majora in extremo facit, ut eorum caritatem augeat, et magnum indat animum ad futura perferenda mala. Suos autem dicit secundum familiaritatis rationem; nam et alios suos vocat secundum creationem; ut cum dicit, *Sui eum non receperunt* (*Joan.* 1. 11). Quid sibi vult illud, *Qui erant in mundo*? Quia sui erant etiam mortui, Abraham, Isaac, Jacob, ipsisque similes; sed hi non in mundo erant. Viden' eum esse Deum et veteris et novæ legis? Quid significat illud, *In finem dilexit eos*? Id est, amare perseveravit, ac ferventis amoris signum hoc esse dicit. Atqui aliud alibi dixerat, animam suam se ponere pro amicis suis. Sed nondum hoc acciderat. Cur autem hoc nunc fecit? Quia id longe mirabilius erat, quando tam conspicuus apud omnes esse videbatur, nec parvam consolationem abscessurus reliquit. Quia enim in mœrore vehementi futuri erant, parem illis consolationem inducit. 2. *Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas*. Hoc dicit perculsus evangelista, narrans quomodo pedes ejus, qui ipsum prodere instituerat, laverit. Ingentem porro ejus nequitiam ostendit, quod nec mensæ consortium ipsum cohibuerit, quæ res maxime solet malitiam continere, nec suaserit illi ut usque ad ultimum diem cum Magistro se superstite maneret. 3. *Sciens autem Jesus, quia omnia tradidit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit*. Hic etiam mirabundus dicit : Cum tantus et talis esset, qui a Deo exierat, et ad Deum ibat, qui omnibus imperabat, hoc tamen fecit, nec dedignatus est rem talem aggredi. Cum tradidisse ait, ut puto, fidelium salutem respicit. Nam cum dicit, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Matth.* 11. 27), de hoc tradendi genere loquitur, ut et alibi ait : *Tui erant, et mihi eos dedisti* (*Joan.* 17. 6); et rursum, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*; et, *Nisi datum sit ei de cœlo* (*Ibid.* 6. 44; *et* 3. 27). Vel hoc dicit, vel se nihil ex hoc minuendum esse, qui a Deo exierit, ad Deum vadat et omnia contineat. Cum vero

illud tradere audis, nihil humanum suspiceris: honorem enim Patri redditum et concordiam significat. Sicut enim Pater ipsi tradit, sic ipse Patri; quod declarat Paulus dicens, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri* (1. *Cor*. 15. 24). Hic autem humaniori more loquitur, ineffabilem erga illos exhibens caritatem, quorum curam ut suorum gerebat, docens illos humilitatem matrem bonorum, quam et initium et finem virtutis esse dicit. Nec temere jacet illud, *A Deo exivit, et ad Deum vadit;* sed ut discamus ipsum digna fecisse ejus qui illinc exiisset et illuc ivisset, omnemque fastum conculcavisse. 4. *Et cum surrexisset a cœna, positis vestibus.*

2. Vide quomodo non lavando solum, sed et alio quoque modo humilitatem exhibeat. Non enim antequam recumberet, sed postquam omnes recubuissent, tunc surrexit. Deinde non solum lavat, sed positis vestibus. Neque his contentus, linteo se præcinxit. Neque id satis habuit, sed ipse pelvim implevit, neque alteri implendam tradidit, sed hæc omnia ipse facit: his omnibus ostendens hæc non perfunctorie nobis esse facienda, cum recte facimus, sed cum omni diligentia et alacritate. Videtur porro mihi illum proditoris primum lavisse pedes, quod dixerit, 5. *Cœpit lavare pedes discipulorum:* et addiderit, 6. *Venit ad Simonem Petrum, qui dicit ei: Tu mihi lavas pedes?* His manibus, inquit, quibus oculos aperuisti, leprosos mundasti, mortuos suscitasti? Hæc quippe magnam habent emphasim: quare non alio opus habuit, quam illa voce, *Tu*, quæ per se totum significat. Jure autem quæras: Cur nullus alius ipsum cohibuit, nisi Petrus, quod non parvi amoris reverentiæque signum fuit? Qua ergo de causa? Videtur mihi primo proditoris pedes abluisse; deinde ad Petrum venisse, aliosque deinceps admonitos fuisse. Quod enim alium quempiam ante illum laverit, palam est ex his verbis, Cum autem venit ad Petrum. Sed non est vehemens accusator evangelista. Illud enim, *Cœpit*, hoc subindicat. Etiamsi vero Petrus primus esset, verisimile est proditorem, utpote petulantem, ante coryphæum accubuisse. Aliunde namque ejus petulantia dignoscebatur, quando intinxit cum Magistro, et quando reprehensus non compunctus est. Petrus autem jam semel antea increpatus, qui illa ex amoris vehementia dixerat, ita repressus est, ut anxius et tremens altero opus haberet ad interrogandum; hic vero sæpe reprehensus ne sensit quidem. Cum ergo venisset ad Petrum, *Dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?* 7. *Respondit ei: Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea:* id est, quantum hinc lucri, quantam doctrinæ utilitatem, et quantam hoc ad humilitatem nos ducere possit. Quid ergo Petrus? Adhuc cohibet et dicit: 8. *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Quid facis, Petre? non recordaris eorum quæ prius dicta sunt? Annon cum dixisti, *Propitius esto tibi*, audisti, *Vade post me, satana?* neque resipiscis, sed adhuc vehemens es? Etiam, inquit: res enim magna et stupore plena agitur. Quia igitur id ex vi amoris faciebat, hinc quoque capitur a Christo. Ut ergo tunc vehementer increpavit, dixitque, *Scandalum es mihi* (*Matth*. 16. 23): sic et hoc loco dicit, *Nisi lavero te, non habebis partem mecum.* Quid ergo fervens ille ardensque vir? 9. *Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput.* Recusando vehemens, concedendo vehementior efficitur. Utrumque autem ex amore prodibat. Sed cur non dixit Jesus, qua de causa id faceret, sed minas addidit? Quia ille non alio modo morem gessisset. Nam si Christus dixisset, Sine; hoc enim modo vos docebo humilitatem: millies se humilem fore promisisset, ne Dominus hoc faceret. At nunc quid dicit Christus? Quod Petrus maxime timebat, ne separaretur a Domino. Ille enim erat qui frequenter, quo iret, interrogabat. Ideo dicebat, *Animam meam dabo pro te.* Nam si cum audivit, *Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea*, ne sic quidem abstitit, multo minus si scivisset. Ideo dixit, *Scies autem postea*, gnarus eum, si scivisset, adhuc repugnaturum fuisse. Neque dixit Petrus, Doce nunc me, ut sinam; sed quod longe vehementius erat, ne scire quidem sustinuit, sed instat rursus: *Non lavabis mihi pedes.* Ubi autem comminatus est, statim cessit. Quid autem significat, *Scies postea?* quandonam? Quando in nomine meo dæmonia ejicies, cum me videris in cælum assumi, cum a Spiritu didiceris me a dextris sedere, tunc cognosces quid nunc factum sit. Quid ergo Christus? Quia Petrus dixerat, *Non tantum pedes, sed et manus et caput*, 10. *Qui lotus est*, inquit, *non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis* [1], *sed non omnes.* 11. *Sciebat enim quis traditurus esset eum.* Si mundi sunt, cur lavas pedes eorum? Ut vos modestiam discatis [2]. Ideo quod vilissimum membrorum videtur esse, solum lavit. Quid significat illud, *Qui lotus est?* Id est, qui purus est. Num illi puri erant, qui nondum a peccatis liberi erant, nec Spiritu dignati, cum adhuc peccatum dominaretur, et maledictionis chirographum maneret, necdum victima esset oblata? Quomodo igitur illos esse puros dicit? Verum ne putes, quia puros illos dicit, esse prorsus a peccatis liberos, addidit: *Jam vos mundi estis, propter sermonem quem loquutus sum vobis;* hoc est, Hac tantum ratione mundi estis. Jam lucem accepistis, jam a Judaico errore liberi estis. Nam propheta dicit: *Lavamini, mundi estote, abjicite malitiam ab animabus vestris* (*Isai*. 1. 16). Itaque qui talis est, lotus est, et purus. Quia ergo omnem malitiam ab anima respuerant, et pura mente cum illo versabantur: ideo secundum propheticum sermonem dicit, Qui lotus est, jam mundus est. Non lavacrum illud per aquam et Judaicum dicit, sed conscientiæ purgationem.

3. *Viduarum et pupillorum habenda cura est.* — Simus ergo et nos mundi; discamus bene facere. Quid est bene facere? *Judicate pupillo, defendite viduam; et venite, disceptemus, dicit Dominus* (*Ibid*. 1. 17. 18).

[1] Post hæc quidam Mss. alia addunt, quæ habentur infra, et consulto hic omittuntur.

[2] Alias legitur, *ut nos..... discamus.*

Frequenter in Scriptura viduarum et pupillorum fit mentio : at nobis illorum nulla ratio est. Atqui cogita quanta sit reposita merces. *Si fuerint*, inquit, *peccata vestra sicut puniceum , ut nivem dealbabo ; si ut coccinum , ut lanam dealbabo* (*Isai.* 1. 18). Defensore namque caret vidua ; ideo magnam illius curam habet. Vidua enim cum possit secundas adire nuptias , ob Dei timorem viduitatis ærumnas tolerat. Manum ergo ipsis porrigamus omnes et viri et mulieres, ne quando viduitatis molestias subeamus. Sin subeamus , magnam nobis experiundæ benignitatis ansam parabimus. Non parva vis lacrymarum viduæ est , sed potest illa vel ipsum cælum aperire. Ne ergo illis insultemus , nec calamitatem augeamus , sed omni modo feramus opem. Si ita faciamus , multam nobis securitatem comparabimus et in hoc sæculo et in futuro. Non enim hic tantum , sed et illic nobis opem ferent , dum maximam peccatorum nostrorum partem ob beneficia ipsis præstita abscindent, et id nobis conciliabunt , ut possimus ante tribunal Christi adstare cum fiducia ; quod nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXI.

Cap. 13. v. 12. *Et accepit vestimenta sua , et cum recubuisset iterum , dixit eis : Scitis quid fecerim vobis ?* etc.

1. ***Post lapsum resurgere difficillimum est. Judæ pervicacia.*** — Perniciosum est , dilecti , perniciosum utique , in profundum malorum incidere. Ex hinc enim difficile convertitur animus. Ideoque nihil non agendum est , ut ne a principio capiamur. Facilius quippe est non cadere , quam lapsum resipiscere. Vide ergo, quando semel lapsus est Judas, quot oblatis sibi auxiliis , non tamen resurgat. Dixit Jesus , *Unus vestrum diabolus est* ; dixit, *Non omnes credunt* ; dixit , *Non de omnibus dico* ; et , *Scio quos elegi* (*Joan.* 6. 71. 13. *et* 13. 18) : et nihil horum sensit. *Postquam autem lavit pedes, et accepit vestimenta sua, cum recubuisset, ait : Scitis quid fecerim vobis.* Non ultra Petrum solum , sed omnes alloquitur. 13. *Vos vocatis me Magistrum et Dominum*[1] ; *et bene dicitis ; sum etenim. Vos vocatis me.* Illorum judicium acceptum habet. Deinde ne ad illorum gratiam hæc dicta esse videantur , subdit , *Sum etenim.* Cum ergo sermonem eorum inducit, jam onerosus non est ; quod illum confirmet , nulli suspicioni obnoxium reddit. *Sum etenim* , inquit. Viden' quo pacto, quando discipulos alloquitur , de se apertius loquatur. Ut ergo dicit : *Nolite vocare magistrum super terram : unus enim præceptor vester est* (*Matth.* 23. 8. 9) ; ita ait , *Et nolite vocare patrem super terram.* Illud autem , unus et unus, non de Patre tantum dicitur, sed etiam de ipso Filio ; sin de se non loqueretur , quomodo dixisset, *Ut filii lucis sitis* (*Joan.* 12. 36) ? Ac rursus, si magistrum solum Patrem diceret, quomodo sic loqueretur, *Sum etenim ?* et , *Unus est præceptor vester, Christus ?*

Discipulorum pedes lavit Christus ut nos humilitatem doceret.—14. *Si ergo*, inquit, *ego Dominus*[2] *et Magister lavi pedes vestros , et vos debetis alter alterius lavare pedes.* 15. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Atqui non est idipsum. Hic namque Magister est et Dominus, et vos mutuo conservi. Quid ergo sibi vult illud , *Ita ?* Eodem studio. Ideo ex majoribus rebus exempla sumit, ut sultem minus faciamus. Nam magistri pueris literas pulcherrimas scribunt, ut, licet imperfectius, imitentur. Ubi nunc sunt qui conservos nihili pendunt ? ubi qui honores expetunt ? Proditoris pedes Christus lavit, sacrilegi et furis, etiamque proditionis tempore , et cum nulla resipiscentiæ spes esset , mensæ consortem effecit ; et tu altum sapis , et supercilia extollis ? Pedes mutuo lavemus , inquit, etiamque servorum. Et quid magnum, si servorum quoque ? Hic enim liber et servus nomine tenus differunt, illic vero rei veritate. Nam ille natura Dominus est, et nos servi ; neque tamen id facere nunc recusavit. Nunc vero mirum, si non liberis ut servis et ut emptis mancipiis utamur. Ecquid tunc dicemus , cum tantæ patientiæ et moderationis exempla habeamus, nec imitemur, imo ex diametro oppositi et elati stemus, neque debitum reddamus ? Nos quippe mutuo debitores constituit Deus, ipse prius exorsus, et in minori parte debitores. Ipse namque Dominus erat ; et nos vero si id faciamus, erga conservos facimus. Quod ipsum subindicavit cum diceret , *Si ergo ego Dominus et Magister ;* ac rursum , *Ita et vos.* Consequens enim erat dicere, Quanto magis vos servi ? verum illud auditorum conscientiæ reliquit. Cur autem hoc nunc fecit ? Honorem consequuturi erant, alii majorem, alii minorem.

2. Ne igitur sese adversus alios extollerent , dicerentque ut antea, *Quis major est ?* neque alii adversus alios indignarentur , omnem ab ipsis tollit elationem dicens : Quantumcumque magnus sis, non debes erga fratrem altum sapere. Neque dixit id quod majus erat : Si ego proditoris pedes lavi, quid magnum , si vos sociorum pedes lavetis ? sed cum hoc reipsa exhibuisset , id spectatorum judicio reliquit. Ideo dicebat, *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur* (*Matth.* 5. 19). Hoc enim vere docere est , cum per opera docetur. Quem enim fastum hoc non tollat ? quam non arrogantiam et superbiam deprimat ? Qui sedet super Cherubim , proditoris pedes lavit ; tu vero , o homo , qui cinis, terra et pulvis es , teipsum extollis et altum sapis ? ecqua gehenna dignus non fueris ? Quod si altos sensus capias, ego tibi monstrabo viam : quid enim sit ignoras. Qui rebus præsentibus quasi magnis hæret , hic vilis et abjecti est animi. Itaque

[1] Alii et Morel. legunt, *Magistrum et Christum.*
[2] Morel. legit, *Christus*, pro, *Dominus.*

non est humilitas sine magnitudine animi; neque aliam habet causam superbia nisi pusillanimitatem. Quemadmodum enim pueruli vilibus inhiant, sphæris, trochis, talis, magna vero ne cogitatione quidem capere possunt: sic et nunc qui philosophatur, præsentia nihil existimabit (non ergo illa habere vel ab alio assequi optabit); qui vero non philosophatur, contra affectus, araneis, umbræ, somniis et vilioribus rebus hærebit. 16. *Amen, amen dico vobis: non est servus major domino suo; neque apostolus major est eo qui misit eum.* 17. *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.* 18. *Non de omnibus vobis dico, sed ut impleatur Scriptura: Qui manducat panem mecum, levavit calcaneum suum contra me.* Id quod superius dixit, hic quoque repetit, ut redarguat. Nam si non est servus major domino suo, neque apostolus major eo qui misit ipsum; et si hoc a me factum est: multo magis a vobis fiat oportet. Deinde, ne quis diceret: Cur hoc dicis? nunc enim nescimus: hoc ipsum adjecit: Non ut ignorantibus hæc dico: sed ut per opera, quæ dicta sunt exhibeatis. Nam scire quidem, omnium; facere vero, non omnium. Ideo enim hoc dicit, *Beati estis si hæc feceritis.* Ideo frequentissime hoc repeto, etsi vos sciatis, ut vos ad agendum inducam. Nam etiam Judæi norunt, sed non ideo sunt beati, cum hæc non faciant. *Non de omnibus vobis dico.* Papæ, quanta patientia! Nondum proditorem arguit, sed rem obtegit, hinc illi pœnitentiæ locum concedens. Et arguit et non arguit, hæc dicens: *Qui manducat panem mecum, levavit calcaneum suum contra me.* Videtur mihi illud, *Non est servus major domino suo*, ad hoc dictum esse, ut si quipiam a servis, vel aliis vilioribus personis quidquam mali patiantur, ne turbentur, ad Judæ exemplum respicientes, qui innumera consequutus bona, contraria rependit. Ideo subdidit, *Qui manducat mecum panem;* missisque aliis omnibus, hoc, quod ipsum poterat cohibere et pudore afficere, protulit. Qui a me alebatur, qui mihi mensæ consors erat, inquit. Hæc porro dicebat, ut illos institueret ad beneficia iis præstanda, qui sibi malum inferrent, etiamsi insanabiles essent. Cum dicit autem, *Non de vobis omnibus dico*, ne omnibus timorem incuteret, illum tandem segregat his verbis, *Qui manducat mecum panem.* Illud enim, *Non de omnibus*, non omnino unum quempiam designabat: propterea subdidit, *Qui manducat mecum panem*, misero declarans, se non ignorantem sed probe scientem comprehendi, id quod illum maxime cohibere poterat. Neque dixit, Tradit me; sed, *Levavit super me calcaneum*, ut dolum et occultas insidias declararet.

3. *Miser est, non qui patitur, sed qui infert injuriam.*—Hæc porro scripta sunt, ut ne injuriam inferentibus succenseamus, sed illos arguamus et deploremus. Lacrymis enim digni sunt, non patientes, sed inferentes injuriam. Nam se maxime lædunt raptor, sycophanta, et si qui aliud mali inferant; nobis autem valde prosunt, nisi nos ipsi ulciscamur. Exempli causa, rapuit quispiam, et tu pro injuria gratias Deo egisti, ipsique gloriam retulisti? Per gratiarum actionem innumera præmia consequutus es: quemadmodum ille immensum sibi ignem apparavit. Si quis vero dixerit: Quid, si inferior cum essem, injuriam non potui propulsare? responderim ego, Potuisti indignari et succensere: hæc enim in nostra sunt potestate, imprecari lædenti, ipsumque mille maledictis prosequi et infamare. Qui hoc non facit, omissæ vindictæ mercedem recipiet. Constat enim eum, cum hoc posset facere, non fecisse tamen. Nam qui læsus est, obviis quibusque armis utitur, si injuriam non ferat, maledictis, conviciis, insidiis lædentem ulciscitur. Ab his ergo tu si non modo abstineas, sed etiam pro illo preceris, hoc pacto Deo similis effectus es. *Orate*, inquit, *pro persequentibus vos, ut sitis similes Patri vestro, qui est in cælis* (*Matth.* 5. 44. 45). Viden' quanta lucremur ex illatis injuriis? Nihil ita Deum delectat, ut non reddere malum pro malo, imo bonum pro malo reddere. Contraria ergo reddere jubemur, officia, preces. Ideo Christus eum qui se proditurus erat beneficiis afficiebat, pedes ejus lavabat, clam arguebat, parce reprehendebat, officiis, mensa, osculo dignabatur. Neque tamen ille resipuit, sed Christus sua agens perstitit. Verum age, servorum exemplo te erudiamus, atque, quod validius est, ex ipso Veteri Testamento, ut videas nos nullam excusationem habere, si injuriarum recordemur. Vultis Moysen afferam, vel altius repetam? Quanto enim vetustiora sunt exempla, tanto ad persuadendum aptiora. Quare? Quia tunc difficilior erat virtus. Neque enim tunc illi leges scriptas habebant, non veterum exempla; sed nuda per se natura pugnabat, et sine portu vel ora ubique nare cogebatur. Quapropter Noe laudans Scriptura, non modo perfectum vocat, sed addit, *In generatione sua* (*Genes.* 6. 9). Ostendens illo tempore, cum multa essent impedimenta: nam alii post illum claruerunt, non tamen illum inferiorem fuisse. Temporibus enim suis perfectus erat.

Joseph exemplum patientiæ.—Quis ergo ante Moysem patiens fuit? Beatus ac strenuus ille Joseph, qui castitate fulgens, non minus patientia resplenduit. Venditus est cum nullum læsisset, imo officia etiam servilia omnino præstitisset. Ipsi convicium intulerunt, nec se ultus est, licet patrem secum haberet: sed abiit cibum afferens illis in desertum; et cum non inveniret eos, non maledixit, neque reversus est, etiamsi ansam arripere posset, si voluisset; sed erga illas feras, erga illos immanes, fratris semper affectum servavit. Rursus in carcere constitutus, et causam rogatus, nihil mali de fratribus loquutus est, sed tantum, Nihil feci; et, *Furto sublatus sum de terra Hebræorum* (*Gen.* 40. 15). Ac postea rursus ubi potestatem accepit, illos aluit et a malis innumeris eripuit. Nam si vigilemus, non potest proximi nequitia nos a virtute dejicere. At fratres ejus contra. Nam veste illum exuerunt, et occidere tentarunt, somniumque exprobrarunt, etiamsi cibum ab illo acceperant, atque vita et libertate illum spoliare nitebantur. Illi comedebant, et nudum fratrem in cisterna demissum contemnebant. Quid hac feritate deterius?

quot illi homicidis non immaniores erant? Eductum postea illum mille mortibus tradiderunt, dum vendiderunt barbaris et feris hominibus, qui ad barbaros proficiscebantur. Verum ille quando rex effectus est, non modo non ultus illos est, sed etiam a peccato illos, quantum in ipso erat, liberavit, dum rem gestam Dei providentiam vocavit, non illorum nequitiam. Quæ vero contra illos fecit, non ulciscendæ injuriæ animo, sed pro fratre illa simulavit. Postea vero ubi vidit illos fratrem suum defendere, posita larva, statim lamentatus est, amplexatusque est illos, ac si ab eis magna beneficia accepisset, qui pene ab illis olim interemptus fuerat: atque illos omnes in Ægyptum deduxit, milleque beneficiis cumulavit. Quam ergo defensionem habebimus, qui post legem et gratiam, post tantum philosophiæ augmentum, ne illum quidem qui ante legem et gratiam fuit imitamur? quis nos a supplicio eximet? Nihil est enim, utique nihil deterius injuriarum memoria. Et hoc manifestum reddidit is qui decem millia talenta debebat (*Matth.* 18. 24), qui prius debito absolutus, postea ad solvendum coactus est; absolutus, per Dei misericordiam; coactus vero per propriam nequitiam, quod conservo suo debitum non remiserit. Quibus perspectis, proximo peccata dimittamus, imo beneficiis illos prosequamur, ut misericordiam Dei consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXII.

CAP. 13. v. 20. *Amen, amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.*

1. Magna Dei merces collata iis qui servos suos fovent et beneficio afficiunt, indeque fructus nobis proveniunt. Nam *Qui recipit vos*, inquit, *me recipit; et qui recipit me, recipit eum qui misit me.* Christum et ejus Patrem recipere, quid huic officio æquiparandum? Et quæ consequentia ad dicta superius? quid hæc commune habent cum iis quæ supra dixit, *Beati eritis, si hæc feceritis: Qui recipit vos?* Optime hæc consonant: vide autem quomodo. Quia exituri erant, et gravia multa passuri, duobus illos modis consolatur: et a se, et ab aliis. Si philosophati fueritis, inquit, meique memoriam servaveritis, et quæ passus sum et quæ feci omnia versantes, facilius ærumnas feretis. Neque hoc solum modo, sed quod etiam ab omnibus multa officia sitis accepturi. Primum vero significavit cum dixit, *Si hæc feceritis, beati eritis;* alterum vero cum dicit, *Qui vos recipit, me recipit.* Omnium quippe domos ipsis aperuit; ita ut ex morum probitate, et ex sibi operam ferentium caritate duplicem haberent consolationem. Deinde postquam hæc illis præcepit, utpote totum orbem pervasuris, cogitans proditorem his utrisque privari, nihilque horum consequuturum esse, neque ex patientia in laboribus, neque ex suscipientium officiis, turbatus est rursum. Quod significans evangelista, et illum ideo turbatum declarans, adjicit: 21. *Et cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit: Unus ex vobis me tradet.* Iterum omnibus timorem incutit, quod non illum nominatim efferat. Illi vero anxii sunt (*Joan.* 13. 22), licet nullius sibi mali conscii, quia Christi sententiam tutiorem quam suas ipsas cogitationes ducebant. Quare se mutuo respiciebant. Quod in unum proditionem restringeret, timorem minuebat; quod adderet, *Unus ex vobis*, omnes conturbabat. Quid ergo? Alii quidem omnes se mutuo respiciunt; Petrus vero semper fervens, Joanni annuit (*Ibid.* 24). Quia enim pridem correptus fuerat, et lavare volentem cohibuerat, et ubique comparet amore ardens, sed increpatur, ideo timens, neque quievit, neque loquutus est, sed Joannis opera vult ediscere.

Cur, cæteris timentibus, Joannes in sinu Christi recubat.— Illud porro quæsitu dignum est, cur omnibus anxiis, timentibus, coryphæo metuente, Joannes quasi lætus in sinu Jesu recubat; nec recubat solum, sed in pectus incidit: neque hoc solum quæsitu dignum est, sed et aliud consequens. Quid illud? Quod de se dicit, *Quem diligebat Jesus.* Cur nemo alius id de se dixit, quamvis alii quoque amarentur? Verum hic magis quam alii. Quod si nullus alius hoc de se dixit, sed ipse solus, nihil mirum. Hoc ipsum opportuno tempore facit Paulus his verbis: *Scio hominem ante annos quatuordecim* (2. *Cor.* 12. 2). Atqui non paucas alias sui laudes prosequutus est. An putas id parum esse, quod ut audivit, *Sequere me* (*Matth.* 4. 20), statim relictis retibus et patre sequutus sit, et quod cum Petro solus assumptus sit in montem (*Id.* 17. 1), et rursus cum in domum ingressus est (*Luc.* 8. 51)? Ipse vero quantum Petri encomium narravit, nec tacuit dixisse Christum illi: *Petre, amas me plus his* (*Joan.* 21. 15)? Et ubique illum ferventem et sincere ipsi affectum exhibet. Quando autem dicebat, *Hic autem quid* (*Ibid. v.* 21)? ex amore magno sic loquebatur. Ideo nemo alius hoc de illo dixit, sed neque ipse Joannes dixisset, nisi in hunc incidisset locum. Nam si postquam dixit Petrum annuisse Joanni ut interrogaret, nihil addidisset, nos certe in dubium conjecisset, et causam inquirere coegisset: ideo ipse affert: *Recubuit super pectus Jesu.* An parum te didicisse putas, cum recubuisse audis, et quod tanta apud Magistrum frueretur fiducia? Si vero causam quæris, id ex amore proveniebat: ideo ait, *Quem diligebat Jesus.* Ego vero puto illum ob aliam causam id fecisse, ut ostenderet se a crimine alienum. Ideo fidenter agit. Nam cur non alio in loco id dicit, sed innuente coryphæo? Ne putes enim ipsi innuisse ut majori, ait ex amore multo id profectum esse. Cur in pectus Christi incidit? Quod nihil adhuc magnum de illo opinarentur: præterea mœrorem ita leniebat. Verisimile namque est illos vultu mœstos fuisse. Nam si animo turbati erant, multo magis vultu. Illos lenit

et verbis et interrogatione, hinc invitat conceditque ut in pectus suum recidat. Vide autem quam sit alienus a fastu. Non dicit quippe nomen, sed, *Quem diligebat :* Quemadmodum et Paulus cum diceret, *Scio hominem ante annos quatuordecim.* Tunc autem primum ipsum confutat Jesus, neque tamen nominatim; sed quomodo? 26. *Cui ego intinctum panem porrexero.* Modus quoque reprehensionem afferebat : neque enim mensam reveritus est, cum eodem vesceretur pane. Esto, non cohibuerit mensæ consortium; ab eo buccellam panis accipere quem non flexisset? Non illum certe. Quapropter 27. *Tunc satanas in illum intravit,* ejus deridens impudentiam. Donec in choro fuit, non ausus est ingredi, sed extrinsecus oppugnabat : postquam vero ipsum Christus palam fecit et segregavit, libere demum in illum insiluit. Neque enim talis cum esset sine spe emendationis, decebat illum adhuc intus manere. Ideo ejecit illum, et separatum illum satanas abripit, dimissisque illis noctu [1] proditor recessit. 27. *Dicit ei Jesus, Amice, quod facis, fac citius.* 28. *Hoc autem nemo scivit discumbentium.*

2. Papæ, quantum sensu omni carebat! quomodo non flexus est, nec erubuit, sed impudentior factus exivit? Illud autem, *Fac citius,* non imperantis, nec consulentis est; sed exprobrantis, et demonstrantis se optare ut resipiscat. Sed cum obduratus esset, dimisit eum. *Et nemo,* inquit, *discumbentium novit.* Hic magna quæstio moveri possit, quo pacto interrogantibus discipulis, quis esset, dicit, *Cui intinctum panem porrexero,* neque sic intellexerunt; nisi forte clam dixerit, ita ut nemo audiret. Nam ideo Joannes supra pectus recumbens, ad aurem fere interrogabat, ita ut proditor non palam fieret : et Christus sic respondit, ut non manifestum illum faceret. Et quamvis cum emphasi Jesus dixerit : *Amice, quod facis, fac citius :* illi neque sic intellexerunt. Hoc autem dicebat, ut ostenderet ea quæ Judæis ille de morte dixerat, vera esse; nempe : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam;* et, *Nemo tollit eam a me* (*Joan.* 10. 18). Quamdiu ergo retinere voluit, nemo contra potuit; cum permisit autem, tunc facile fuit. Hæc igitur omnia subindicans dixit, *Quod facis, fac citius :* neque tunc illum notum fecit. Forte namque illum discerpsissent, forte Petrus occidisset. Ideo id nemo discumbentium novit. Quid, neque Joannes? Ne ille quidem : non putavit enim discipulum in tantam proruptūrum iniquitatem. Quia enim procul erant a tanto scelere, de aliis nihil hujusmodi suspicari poterant. Ut ergo prius dixerat illis, *Non de omnibus dico,* et nihil aperuerat : sic et nunc de alio dici putarunt. 30. *Erat autem nox quando exivit,* inquit. Cur mihi tempus dicis? Ut discas ejus petulantiam, cujus impetum ne tempus quidem cohibuit. Sed neque hoc illum palam fecit. Illi igitur metu detenti et formidine multa, turbabantur, et veram dictorum causam non norant : suspicabantur autem, *Ut egenis aliquid daret* (*Joan.* 13. 29), ista dixisse. Multam enim gerebat pauperum curam, ut nos ad idipsum naviter agendum institueret. Neque sine causa id putabant; ille namque loculos habebat (*Joan.* 12. 6). Atqui nemo pecuniam ipsi dedisse narratur : verum quod discipulæ ex bonis suis ad victum necessaria ipsi suppeditabant; hoc ille nusquam vel subindicavit.

Cur Christus loculos habuerit. Peccata aliorum non revelanda. — Cur porro is qui jubet, nec peram, neque æs, neque baculum ferri, loculos ferebat ad pauperum ministerium? Ut discas vel eum qui nihil habeat et crucem portet, hanc maxime rem curare oportere. Multa enim faciebat, ut nos institueret. Hoc igitur Jesum dixisse putarunt discipuli, ut quidpiam pauperibus daretur. Neque tamen hoc proditorem flexit, quod ad ultimam usque diem illum traducere et notum facere noluerit. Hoc et nobis quoque faciendum est : contubernalium peccata non revelanda sunt, etiamsi incurabilia sint. Etenim postea ipsi ad prodendum accedenti osculum dedit, ac rem suscepit tantam, cum ad longe formidabiliorem pergeret, ad crucem nempe, et mortem ignominiosissimam : ac rursum illic benignitatem suam ostendebat. Hic vero rem illam gloriam vocat, docens nihil adeo turpe, adeo ignominiosum esse, quod non clariorem reddat, quando secundum Deum efficitur. Postquam igitur exierat Judas ad prodendum, dicit : 31. *Nunc clarificatus est Filius hominis :* hinc lapsos discipulorum animos erigens, suadensque ut non modo non tristentur, sed etiam gaudeant. Ideo Petrum a principio increpavit. Nam quod morte quis mortem vincat, gloria est magna. Et hoc est quod ille de seipso dicit : *Cum exaltatus fuero, tunc cognoscetis quia ego sum* (*Joan.* 8. 28. 12. 33): et rursum, *Solvite templum hoc* (*Joan.* 2. 19); iterumque, *Signum non dabitur, nisi signum Jonæ* (*Luc.* 11. 29). Quomodo enim non gloria sit maxima, post mortem majora posse quam ante mortem? Ut enim resurrectio crederetur, majora fecere discipuli. Si enim non vixisset, et Deus non fuisset, quomodo hi in nomine ejus tanta fecissent? 32. *Et Deus clarificabit eum.* Quid est, *Deus clarificabit eum in seipso?* Hoc est, per seipsum, non per alium. *Et statim clarificabit eum;* id est, simul cum cruce. Non post longum tempus, inquit, nec diu post resurrectionem illum reddet splendidum; sed statim in ipsa cruce conspicuæ res apparebunt. Sol namque obscuratus est [1], petræ scissæ sunt, velum quoque scissum est, multa corpora sanctorum qui dormierant suscitata sunt : sepulcrum signacula habebat, custodes assidebant, et cum lapis corpori superpositus esset, corpus surrexit : post quadraginta dies Spiritus datus est, et statim omnes illum prædicarunt (*Matth.* 27. 51. *sqq. Luc.* 23. 45). Hoc est illud, *Glorificabit illum in seipso, et statim glorificabit illum :* non per angelos et archangelos, non per aliam quamdam potestatem, sed per seipsum.

3. Quomodo clarificavit per seipsum? Omnia faciendo ad gloriam Filii. Atqui omnia Filius fecit. Viden' ipsum opera Filii ad Patrem referre? 33. *Filioli,*

[1] Alii habent, *foras,* loco, *noctu.*

[1] Alii legunt, *radios avertit,* loco, *obscuratus est.*

adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me, et non invenietis : et sicut dixi Judæis, Ubi ego sum, vos non potestis venire; et vobis dico modo. Jam tristia orditur post cœnam. Nam cum Judas exivit, non vespera erat, sed nox. Cum enim paulo post adventuri essent qui illum caperent, oportebat omnia illis commendare, ut memoria retinerent : imo potius Spiritus omnia ipsis suggerebat; multaque tunc, ut verisimile est, abjecerunt, utpote qui tunc primum audirent, et tot tentationes passuri essent. Nam qui in somnum præ tristitia lapsi sunt, ut ait alius evangelista (*Luc.* 22. 45); et ipse quoque Christus ait : *Sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum* (*Joan.* 16. 6); quomodo hæc omnia accurate retinere potuissent? Sed cur illis dicebantur? Non modicum ipsis lucrum ad Christi gloriam obveniebat, quod hæc clare scirent postea, dum recordarentur se hæc a Christo audivisse. Cur autem illorum animum prius dejicit, dicens, *Adhuc modicum tempus vobiscum sum?* Judæis namque jure dicebatur, nos vero quare cum ingratis illis locas? Minime facio. Et cur ait, *Sicut dixi Judæis?* Reduxit in memoriam, quia non nunc ob malorum præsentiam hæc prædixit, sed jam olim præviderat, ipsique testes erant, qui audierant ipsum hæc Judæis dicentem. Quare addidit illud, *Filioli;* ut cum audirent illud, *Sicut dixi Judæis,* ne putarent simili modo sibi dictum fuisse. Non ergo ut dejiceret illorum animos hoc dixit, sed ut consolaretur, ne inexspectatæ ærumnæ ipsos turbarent. *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Ostendit mortem suam esse translationem et transitum ad meliora et ad locum corruptibilia corpora non recipientem. Hæc porro dicit etiam ut eorum erga se amorem excitet et ferventiorem efficiat. Scitis enim cum aliquos nobis amicissimos videmus abscedentes, nos magis incendi; maxime cum videmus eos in locum concedere quo nos ire non possumus. Ut ergo Judæos terreret, hæc dixit, atque discipulorum amorem incenderet. Talis est ille locus, quo non illi modo, sed nec vos quoque amicissimi possitis venire. Hic quoque dignitatem suam ostendit. *Et vobis dico modo.* Cur, *modo?* Aliter illis, aliter vobis; id est, non cum illis. Ubinam illum quæsierunt Judæi? ubi discipuli? Discipuli, cum fugerent; Judæi vero, quando in calamitates ingentes et inauditas inciderunt, urbe capta, et ira Dei undique illos circumsidente. Discipulis ergo tunc propter incredulitatem ita loquutus est : vobis nunc ego, ne inexspectatam subeatis calamitatem. 34. *Mandatum novum do vobis.* Cum enim verisimile esset illos, iis auditis, ac si deserti prorsus essent, in perturbationem delapsuros esse : consolatur ipsos, omnium bonorum radice ad securitatem muniens eos, nempe caritate; ac si diceret : Me abeunte doletis? verum si vos mutuo diligatis, fortiores eritis. Cur ergo non ita dixit? Quia quod longe utilius erat protulit : 35. *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis.* His enim significavit, chorum suum numquam esse solvendum, postquam hoc indicium illis dederat. Hoc vero dixit, quando proditor ab illis separatus est. Cur autem hoc mandatum dicit novum esse, quod in Veteri quoque Testamento positum erat? Ipse illud novum fecit ipso præcipiendi modo; intulit enim, *Sicut dilexi vos.* Non enim vestris præcedentibus meritis debitum persolvi, sed ipse cœpi, inquit. Sic et vos oportet amicis vestris beneficia præstare, nullo debito obstrictos. Et omissis miraculis quæ edituri erant, ex caritate illos distinguit. Quare? Quia hoc maxime sanctorum indicium et argumentum est : omnem quippe indicat sanctitatem. Per hoc maxime omnes salutem consequimur. Hoc est, inquit, esse discipulum. Sic vos laudabunt omnes, cum vos viderint meam imitari dilectionem.

4. Quid ergo? annon potius hoc miracula ostendunt? Minime. *Multi enim dicent : Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejicimus* (*Matth.* 7 22)? et iterum, gaudentibus ipsis, quod dæmonia sibi parerent, dicit : *Ne gaudeatis quia dæmonia vobis subjiciuntur; sed quia nomina vestra scripta sunt in cælis* (*Luc.* 10. 20). Atqui hoc orbem adduxit, quia illud jam aderat : si illud non adfuisset, hoc non mansisset. Caritas enim illos statim bonos probosque reddidit, effecitque ut omnes unum cor et anima essent. Nam si dissensio fuisset, omnia peritura erant. Neque illis tantum hoc loquutus est, sed et omnibus in ipsum postea credituris : siquidem et nunc nihil aliud gentilibus offendiculo est, quam quod caritas non adsit. At, inquies, nos quoque arguunt quod signa non fiant. Verum non usque adeo. In quo autem dilectionem ostenderunt apostoli? Viden' Petrum et Joannem qui numquam separantur, in templum ascendentes? viden' Paulum, quo nempe sit ergo illos affectu; et tamen dubitas? Nam si aliis fuerunt virtutibus instructi, multo magis bonorum matrem possederunt. Hæc quippe ab anima virtute prædita germinat; at ubi nequitia est, exarescit. *Cum abundaverit iniquitas,* inquit, *refrigescet caritas multorum* (*Matth.* 24. 12). Gentiles certe non ita movent signa, ut vita : vitam nihil ita instituit, ut dilectio. Nam signorum editores deceptores sæpe vocarunt; vitam vero puram numquam carpere possunt. Quamdiu ergo prædicatio non tantum profecerat, jure signa in admiratione erant : nunc autem ex vita mirabiles esse oportet. Nihil enim gentiles ita afficit, ut virtus : nihil ita illis offendiculo est, ut improbitas; et jure quidem. Cum enim viderit avarum et raptorem contraria præcipientem, eumque qui inimicos diligere jubetur, in contribules suos, tamquam in feras, sævientem, nugas præcepta illa vocabit. Cum viderit quempiam mortis formidine captum, quo pacto immortalitatis doctrinam accipiet? Cum ambitiosos viderit, aliisque animi morbis captos, potius in sua manebit sententia, nihilque de nobis magnum putabit. Nos enim, nos utique in causa sumus cur illi in suo errore persistant. Nam doctrinam illam olim quam repudiarunt, et nostra admirantur; sed ex vita nostra arcentur. Nam verbis philosophari facile est : multi enim apud illos id fecerunt : adhuc vero requirunt opera bona. Veteres illos qui apud nos fuerunt recogitent. At illi non credunt, et nos præsentes ob-

servant. Ostende nobis, inquiunt, fidem per opera. Hæc nusquam sunt. Sed cum nos vident plus quam feras proximos nostros discerpere, nos orbis perniciem vocant. Hæc gentiles retinent, ne ad nos transeant. Itaque nos horum pœnas dabimus, non solum quod mala perpetremus, sed etiam quod nomen Dei blasphemetur. Quousque pecuniis, deliciis aliisque vitiis dediti [1] erimus? Abstineamus denique. Audi quid de quibusdam insensatis dicat propheta : *Comedamus et bibamus : cras enim moriemur* (*Isai.* 22. 13). De præsentibus hoc dicere non possumus : ita multi omnium bona absorbent. Quod illis exprobrans dicebat propheta : *Numquid soli habitabitis terram* (*Isai.* 5. 8)? Quamobrem timeo ne quid mali accidat, et ingentem nobis attrahamus Dei ultionem. Quod ne fiat, virtutem exerceamus omnem, ut futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque Spiritui sancto, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Putat Boisius legendum, *vincti*, verum sine ulla Manuscriptorum auctoritate.

HOMILIA LXXIII.

Cap. 13. v. 36. *Dicit Simon Petrus : Domine, quo vadis? Respondit ei Jesus : Quo ego vado, non potes sequi me modo; sequeris autem postea.*

1. *Petri fervens animus. Dilectio sine superna gratia nihil est.* — Magnum quidpiam dilectio, et igne vehementius, quod ad ipsum cælum sustollit : nullus potest obex impetum ejus cohibere. Ferventissimus igitur Petrus, cum audisset dicentem, *Quo ego vado, vos non potestis venire*, quid dicit? *Domine, quo vadis?* Hoc autem dicebat, non tam discendi, quam sequendi illum desiderio. Non ausus certe est dicere, Venio; sed ait, *Quo vadis?* Christus non verbis, sed animo ejus respondet, ut ex ipsis ejus verbis palam est? Quid enim ait? *Quo ego vado, non potes modo me sequi.* Viden' illum sequi optavisse, ideoque interrogasse? Ut audivit autem, *Sequeris postea*, neque sic desiderium cohibuit, etsi sperandum audiret; sed eo venit ut diceret : 37. *Quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam.* Quia enim proditionis metum deposuerat, et inter probos censebatur, cum fiducia demum, aliis silentibus, sciscitatur. Quid ais, Petre? dicit ille, *Non potes;* et tu dicis, Possum? Experimento itaque dices dilectionem tuam sine superna gratia nihil esse. Unde palam est, eum lapsum illum ad utilitatem Petri permisisse. Volebat quidem Christus his prolatis verbis ipsum instituere : quia vero ille in vehementia sua perseverabat, non injecit quidem, neque impulit ad negationem, sed deseruit, ut suam edisceret infirmitatem. Dixit Jesus se tradendum fore; respondit ille : *Propitius esto tibi : non erit tibi hoc* (*Matth.* 16. 22). Correptus, non emendatus est; sed cum vellet ipsi Jesus pedes lavare, dixit, *Non lavabis mihi pedes in æternum* [1]. Audiens rursum, *Non potes me sequi modo*, dicit : *Etsi omnes te negaverint, ego non negabo.* Quia igitur videre erat illum in arrogantiam prolabi, contradicere meditantem, monet demum ne repugnet. Id porro subindicans Lucas, dixisse illum ait : *Et ego pro te rogavi, ut non deficeret fides tua* (*Luc.* 22. 32); id est, Ne prorsus et usque in finem pereas : in omnibus humilitatem docens, et arguens humanam naturam per se nihil esse. Quia enim dilectionis vis id efficiebat, ut ad contradicendum paratus esset, illum ad resipiscendum monet, ne postea in idipsum incideret, cum orbis totius administrationem susciperet; sed ut memor eorum quæ sibi acciderant, seipsum cognosceret. Et vide quantus sit lapsus. Non enim semel aut bis, sed eousque processit, ut breviter negaret; ut disceret se non ita dilexisse, ut dilectus fuerat. Attamen ei qui ita lapsus fuerat, rursum dicit : *Diligis me plus his?* Itaque non quod frigidus esset, sed quod superna nudatus esset ope, cecidit. Dilectionem ergo Petri amplectitur, contradictionem vero inde partam succidit. Si diligis, debes dilecto obtemperare. Dixit ille et tibi et sociis, *Non potes :* quid contendis? Non intelligis quid sit Dei negatio? Quia vero hac in re non vis discere, non posse quod ego dico non fieri; in negatione tua id dices, etsi hoc tibi incredibile visum sit. Hoc quidem nesciebas; hujus vero cognitionem [1] in animo habebas; sed tamen contra quam exspectabas accidit. *Animam meam pro te ponam.* Quia enim audierat majorem hac caritatem neminem habere, insiluit statim, insatiabilis cum esset et suprema attingere vellet. At Christus ut ostendat, ad se tantum pertinere hæc cum auctoritate loqui, dicit : 39. *Antequam gallus cantet;* hoc est, nunc. Neque enim longe aberat : intempesta quippe nocte loquebatur, et jam prima et secunda vigilia præterierat. (*Cap.* 14) 1. *Non turbetur cor vestrum.* Hoc dicit, quia verisimile erat ipsos ista audientes turbatos fuisse. Si enim coriphæus ita fervens audivit negaturum se esse antequam gallus ter cantaret; credibile erat ipsos magnam calamitatem passuros esse, quæ posset vel adamantinos animos evertere. Quia igitur par erat illos hæc cogitantes terreri, vide quomodo ipsos consoletur, *Non turbetur cor vestrum :* hoc primo divinitatis suæ virtutem demonstrans, quod ea quæ illi in mente habebant, ipse sciret et palam faceret. *Creditis in Deum, et in me credite;* id est, omnes ærumnæ pertransibunt. Nam fides in me et in Patrem fortior est ærumnis omnibus, nec sinet vos malis obrui. Deinde subdit : 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Ut mœrentem Petrum consolatur dicens, *Sequeris autem postea :* sic eamdem illis spem suggerit. Ne putarent enim ad illum solum promissionem pertinere, ait : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt; si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum :* id est, Quod

[1] Alii legunt, *non hoc facies in æternum.*

[1] Alii habent, *conscientiam*, pro, *cognitionem.*

vos ille locus excepturus sit qui et Petrum. Nam magna ibi est mansionum copia, nec potest dici ille apparatu opus habere. Quia enim dixit, *Non potestis me sequi modo*; ne putarent exclusos se esse, addit : 3. *Ut ubi ego sum, et vos sitis*. Tantam hujusce rei curam habeo, ut id jam fecissem, nisi jam olim vobis præparatum esset : ostendens multum ipsis esse fidendum.

2. Deinde ne videretur id dicere adulandi causa, sed crederent rem ita se habere, subdit : 4. *Et quo ego vado scitis, et viam scitis*. Viden' quomodo ostendat eis hæc non frustra dicta fuisse. Illud vero dicit, quod sciret illos hanc cupere notitiam. Nam Petrus non discendi causa, sed ut sequeretur eum, superiora loquutus est. Quia vero increpatus ille fuerat, et interim Christus quod impossibile videbatur, possibile esse monstravit; et cum impossibile videretur, cupiditatem injecit quid illud esset cognoscendi : ideo ait illis : *Et viam scitis*. Sicut enim ubi dixit, *Me negabis*, cum nemo quidquam præfatus esset, ut quæ in cordibus erant scrutaretur, addidit, *Ne turbemini :* ita et hoc loco, ubi dixit, *Scitis*, cupiditatem animi eorum declaravit, et ipse dat illis interrogandi occasionem. Illud vero, *Quo vadis?* Petrus ex vi amoris, Thomas vero præ timore dicit. 5. *Domine, nescimus quo vadis*. Locum nescimus, inquit, *Et quomodo possumus viam scire?* Vide quam reverenter. Non enim dixit, Dic nobis locum ; sed, *Nescimus quo vadis*. Hoc enim jam olim omnes discere cupiebant. Nam si Judæi id audientes animi pendebant, tametsi cupiebant illum abscedere; multo magis ii qui numquam volebant ab illo separari, id discere cupiebant. Reverebantur autem illum interrogare; interrogant tamen et amore et anxietate ducti. Quid ergo Christus? 6. *Ego sum via, veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Cur ergo interrogatus a Petro quo iret, non statim respondit, Ego ad Patrem vado, vos vero non potestis nunc venire; sed tantum verborum circuitum intulit, tot interrogationes et responsiones? Judæis namque merito non hoc dixit; his vero quare? Dixerat quidem et his et Judæis, se ex Deo exivisse, et ad Deum ire : et nunc id clarius dicit, quam prius. At Judæis non ita clare dixit. Nam si dixisset, Non potestis ad Patrem venire nisi per me, id ex fastu dici putavissent : cum celat vero, dubios reddit. At, inquies, cur discipulis et Petro ita dixit? Fervidum noverat Petri animum, et ad instandum inquirendumque pronum. Ut ergo illum avertat, obscure loquitur. Postquam autem id quod volebat per sermonis obscuritatem effecit, iterum id revelat.

Christus multa cautione in instituendis discipulis utebatur. Se Patri æqualem ostendit. Visio pro cognitione accipitur. — Cum dixisset enim, *Ubi sum, nemo potest venire*, addit : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt;* et rursus : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Hoc itaque nolebat illis initio dicere, ne in mœrorem majorem induceret : postquam autem illos consolatus est, hoc dicit. Etenim ab increpatione Petri multum mœroris abstulit, metuentesque ne ea ipsa audirent, hinc magis reprimebantur. *Ego sum via.* Hæc est explicatio illius dicti, *Nemo venit, nisi per me :* illud vero, *Et veritas et vita*, significat hæc prorsus futura esse. Si veritas, nihil a me falsum exibit : si etiam vita, ne mors quidem vos impedire poterit, quin ingrediamini. Alioquin vero, si *Ego sum via*, duce non egebitis : si veritas sum, non loquor falsa : si vita, etiamsi moriamini, promissa consequemini. Quod de via dicebat, intellexerunt et confessi sunt : reliqua vero ignorabant : non tamen de illis audebant sciscitari. Attamen multum ex via consolationis acceperunt. Si ergo in mea potestate est, inquit, ad Patrem adducere, istuc omnino venietis. Neque enim alia venire potestis via. Cum autem dixisset antea, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum* (*Joan.* 6. 44); ac rursum, *Si ego exaltatus fuero a terra, omnes traham ad meipsum* (*Ibid.* 12. 32); et nunc iterum, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*, se Patri æqualem ostendit. Quomodo autem cum dixerit, *Quo vadam scitis, et viam scitis*, subdit : 7. *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis : et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum?* Non sibi contradicit : noverant enim illum, non tamen ut oportebat. Deum enim noverant, Patrem vero nondum : nam Spiritus postea veniens totam illis cognitionem intulit. Hoc autem vult dicere : Si meam nossetis substantiam et dignitatem, Patris quoque nossetis. *Et modo cognoscetis eum, et vidistis eum* (alterum futuri, alterum præsentis); hoc est, per me. Visionem vero dicit, mentis cognitionem. Eos enim qui videntur, possumus videre et ignorare : eos vero qui cognoscuntur, non possumus cognoscere et ignorare. Ideo ait, *Et vidistis eum;* ut visus est, inquit, et angelis (1. *Tim.* 3. 16). Atqui non ipsa substantia visa est; sed tamen visam esse dicit, ut videlicet videre poterant. Sic vero loquutus est, ut discas eum qui ipsum novit, Genitorem quoque ejus nosse. Videbant porro illum non nuda substantia, sed carne indutum. Alibi quoque visionem cognitionem appellat; ut cum dicit : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* 5. 8). Mundos autem dicit, non tantum a fornicatione, sed a peccatis omnibus : nam omne peccatum maculam indit animæ.

3. Nihil itaque non agamus, ut sordes abstergamus. Abstergit autem primo lavacrum; deinde aliæ multæ et variæ viæ. Nam clemens cum sit Deus, alias nobis variasque vias, quibus purgemur, aperuit, quarum prima est eleemosyna. Eleemosynis enim et fide purgantur peccata (*Eccli.* 3. 33), inquit. Eleemosynis, inquam, non ex inique partis : illud enim non eleemosyna, sed inhumanitas et crudelitas est. Quæ enim utilitas alterum spoliare, alterum induere? A misericordia incipiendum est : alioquin inmanitas esset. Etsi enim omnia aliena demus, nihil hinc lucri nobis, ut ostendit Zacchæus, qui se Deum placare dicit dando quadruplum eorum quæ rapuerat (*Luc.* 19. 8). Nos vero qui innumera rapimus, et pauca damus, placare Deum putamus, ignorantes nos illum magis irritare. Dic, quæso, mihi, si asinum mortuum et fœtidum a

triviis ad aram tractum offerres in sacrificium, nonne te omnes lapidarent ut impium et exsecrandum? Quid vero, si probem, sacrificium ex rapina magis exsecrandum esse, quam defensionem habebimus? Ponamus enim cimelium ex rapina partum : annon magis fœtet, quam asinus mortuus? Vis discere quantus sit peccati fœtor? Audi prophetam dicentem : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ.* (*Psal.* 37. 6). Tu vero Deum verbis precaris, ut scelerum tuorum obliviscatur; dum per rapinas et fraudes tuas illud agis, ut eorum semper recordetur, dum peccatum tuum aræ imponitur. Jam vero non hoc solum peccatum est, sed quod est gravius, sanctorum animas inquinas. Hoc enim lapis est (*a*), et sanctificatur : illæ autem semper Christum ferunt : et audes tam immunda offerre? Minime, inquies; non eas pecunias offero, sed alias. Ridicula hæc et nugacia sunt. Nescis quod si in multam pecuniam vel stilla injustitiæ inciderit, tota inquinatur? Ut enim si quis in purum fontem fimum injiciat, totam aquam reddit immundam : ita si in divitias rapina ingrediatur, omnia fœtore implet. Quid ergo? manus lavamus cum in ecclesiam ingredimur, cor vero non item? num manus vocem emittunt? Anima verba profert : in illam Deus respicit : illa fœdata, nihil prodest corporis puritas. Quæ utilitas si manus exteriores abstergas, interiores vero impuras relinquas? Illud grave est, illud omnia subvertit, quod parva cum metu curantes, magna contemnamus. Illotis certe manibus orare indifferens est; illota vero conscientia, illud est omnium malorum deterrimum. Audi quid dictum sit Judæis, de tali immunditia sollicitis : *Lava a malitia cor tuum.* (*Jer.* 4. 14). Quousque erunt in te cogitationes laborum tuorum? Lavemus et nos, non luto, sed aqua pura, eleemosyna, non avaritia. Prius a rapina abstine, et tunc eleemosynam largire. Declinemus a malo, et faciamus bonum (*Psal.* 36. 27).

Eleemosyna ex rapina scelus est. — Manus coerce a rapina, et sic eas ad eleemosynam porrige. Si vero iisdem manibus alios[1] spoliemus, etiamsi non ex ablatis alios induamus, neque sic supplicium effugiemus. Sic enim propitiationis materia sceleris quoque materia est. Melius certe est non misereri, quam sic misereri. Siquidem Caino melius fuisset nihil prorsus offerre. Si vero qui minora obtulit, Deum irritavit; qui aliena dat, quomodo non provocabit? Ego tibi dixi, inquit, Ne rapias; et tu me ex raptis honoras? quid existimas? an me his delectari? Dicet igitur tibi : *Existimasti inique, quod ero tui similis. Arguam te, et statuam contra faciem tuam peccata tua* (*Psal.* 49. 21). Sed absit ut quis talem audiat vocem; verum utinam post puras erogatas eleemosynas, cum splendidis lampadibus, in thalamum ingrediamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Altare lapis erat.

[1] In Mss. multis legitur, *pauperes*, loco, *alios*.

HOMILIA LXXIV.

CAP. 14. v. 8. *Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* 9. *Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me, Philippe? Qui videt me, videt et Patrem.*

1. Dicebat propheta Judæis : *Facies meretricis facta est tibi* (*Jer.* 3. 3), qui impudenter cum omnibus agis. Ut autem videtur, non illi civitati tantum hoc jure dicatur, sed etiam iis qui veritati impudenter obsistunt. Dicente enim Philippo, *Ostende nobis Patrem*, respondit Christus : *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me, Philippe?* Et tamen quidam sunt, qui post hæc verba Filium a Patre abscindunt. Atqui quam majorem quæris propinquitatem? Quidam enim ex hoc dicto in Sabellii morbum inciderunt. Verum et his et illis relictis, ut ex diametro et impie oppositis, accuratum verborum sensum exploremus. *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me, Philippe.* Quid enim? tune Pater es quem inquiro? Non, inquit. Ideo non dixit, Non cognovisti eum; sed, *Non cognovisti me;* nihil aliud declarans, quam non aliud esse Filium, quam quod est Pater, manens tamen ipse Filius. Cur Philippus ad interrogandum accessit? Dixerat Christus, *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis* (*Joan.* 14. 7); Judæisque sæpe hoc ipsum dixerat. Quia ergo cum frequenter et Petrus et Judæi interrogaverant, quis esset Pater, interrogaverat item Thomas, et nullus quid clarum acceperat, sed adhuc res ignorabatur; ne molestus videretur esse Philippus, et cum Judæis tentando eum fastidiosus, ut dixit, *Ostende nobis Patrem tuum*, adjecit, *Et sufficit nobis;* nihil ultra quærimus. Atqui Christus dixerat : *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis*, et per se Patrem ostendebat : ille vero mutavit ordinem dicens, Ostende Patrem, ac si Christum accurate cognosceret. Verum non illi morem gessit Christus, sed ad viam direxit, suadens illi ut per se Patrem cognosceret. Ipse vero carneis oculis ipsum videre volebat, forte quia audierat Deum vidisse prophetas. Verum illa humiliore modo dicta sunt, o Philippe. Ideo dicebat Christus : *Deum nemo vidit umquam* (*Joan.* 1. 18); et rursum, *Omnis qui audivit a Deo, et didicit, venit ad me. Neque vocem ejus audistis, neque faciem ejus vidistis* (*Ibid.* 6. 45. *et* 5. 37). Et in Veteri Testamento, *Nemo videbit faciem meam, et vivet* (*Exod.* 33. 20). Quid ergo Christus? Admodum increpat : *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me, Philippe?* Non dixit, Non vidisti me; sed, *Non cognovisti me.* Numquid te nosse volo? inquit. Patrem tuum videre nunc quæro; tu vero mihi dicis, *Non cognovisti me?* quænam hæc consequentia? Multa sane. Quia enim Filius idipsum est quod Pater, manens tamen Filius, jure in se Patrem ostendit. Deinde hypostases distinguens ait : *Qui videt me, videt et Patrem*, ne quis diceret eumdem esse Patrem et Filium.

Si enim idem ipse Pater esset, non diceret, Qui videt me, illum videt. Quomodo autem non dixit ei, Impossibilia petis, quæ non sint puri hominis? mihi enim tantum hoc possibile est. Quia dixerat, *Sufficit nobis*, quasi ipsum vidisset, ostendit eum neque se vidisse: alioquin illum vidisset, si se videre potuisset. Ideo dicebat: *Qui videt me, videt et Patrem.* Si quis me vidit, et illum videbit; hoc est: Neque me, neque illum potest quis videre. Philippus enim visus cognitionem quærebat: et quia se illum vidisse putabat, volebatque sic Patrem videre, ostendit ipsum neque se vidisse.

Consubstantialitas Christi declaratur. Amor pecuniæ unde.— Quod si quis hic visionem pro cognitione intelligi velit, non contradicam. Nam qui me novit, inquit, novit et Patrem. At non hoc dicit, sed ut consubstantialitatem ostendat dicit: Qui novit substantiam meam, novit et Patris. Et quid hoc, inquies? Nam qui novit creaturam, novit et Deum. Atqui creaturam omnes norunt et vident; Deum vero non omnes norunt. Ad hæc, videamus quid Philippus videre quærat: num sapientiam Patris? num ejus bonitatem? Minime; sed, quid sit Deus, ipsam substantiam. Ad hoc respondet Christus: *Qui videt me.* Qui autem creaturam videt, non Dei substantiam videt. *Qui videt me, videt et Patrem*, inquit. Si alterius esset substantiæ, non hoc dixisset. Ut autem crassiore utar sermone: nemo qui aurum ignoret, in argento auri substantiam videre potest: non enim alia natura per aliam dignoscitur. Ideo jure increpavit dicens: *Tanto tempore vobiscum sum.* Tanta dignatus es doctrina, vidisti signa cum auctoritate facta, et omnia quæ divinitatis erant propria, et quod Pater solus facit, peccata remissa, arcana in medium adducta, fugatam mortem, creationem ex terra factam, *Et non cognovisti me?*

2. Quia enim carne circumdatus erat, ideo dixit, *Non cognovisti me.* Vidisti Patrem? Ne quæras amplius videre: in me enim illum vidisti. Si vidisti me, ne curiose inquiras: etenim in me ipsum nosti. 10. *Non credis quia ego in Patre?* Hoc est, In illa substantia appareo. *Verba quæ ego loquor, a meipso non loquor.* Viden' propinquitatis excessum, et unius substantiæ argumentum? *Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Quomodo a verbis orsus, transit ad opera? Ex consequenti enim dicere debuit, Ipse loquitur verba; sed duo hic ponit, doctrinam et signa; vel quod etiam verba essent opera. Quomodo ergo facit ille? Etenim alibi dicit: *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere* (*Joan.* 10. 37): quomodo ergo hic Patrem facere dicit? Hoc ipsum indicans, nihil medium esse inter Patrem et Filium; hoc est, Non aliter fecit Pater, aliter ego facio: siquidem alibi et ipse et Pater operari dicitur: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* 5. 17). Illic nullam esse operum differentiam, hic idipsum indicat. Quod si prima fronte verba aliquam exhibent humilitatem, ne mireris. Nam cum prius dixisset, *Non credis*, tunc sic loquutus est; ostendens se ideo ita verba temperasse, ut illum ad fidem adduceret. In cordibus namque eorum versabatur. 11. *Creditis quia ego in Patre, et Pater in me?* Oportebat certe vos audientes Patrem et Filium, non aliud quærere ad declarandum substantiam esse eamdem. Quod si hoc non satis est vobis ad demonstrandam honoris æqualitatem et consubstantialitatem, ab operibus quoque discite. Illudque, *Qui videt me, videt et Patrem meum*, si de operibus dictum esset, non dixisset postea: *Sin minus propter opera credite mihi.* Deinde ostendens se non hæc tantum posse, sed et alia his multo majora, cum hyperbole illa ponit. Neque enim dicit, His majora possum facere; sed quod longe mirabilius, Et aliis, inquit, possum facultatem dare majora his faciendi. 12. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora his faciet, quia ad Patrem vado.* Hoc est, Vestrum erit deinceps miracula edere; ego enim abeo. Deinde cum perfecisset ea quæ sermo indicabat, dicit: 13. *Quodcumque petieritis in nomine meo, accipietis, et ego hoc faciam, ut in me glorificetur Pater.* Viden' quomodo rursum hoc ipse faciat? *Ego faciam*, inquit, et non dixit, Rogabo Patrem; sed, *Ut in me glorificetur Pater.* (*a*) [Atqui dicebat alibi: *Deus glorificabit eum in seipso*; hic vero, Ipse glorificabit Patrem.] Cum enim Filius magna posse deprehendetur, Genitor glorificabitur. Quid sibi vult illud, *In nomine meo?* Quod apostoli dicebant, *In nomine Jesu Christi surge et ambula.* Omnia quippe signa quæ illi edebant, ipse operabatur, *Et manus Domini erat cum illis* (*Act.* 11. 21). 14. *Ego faciam*, inquit. Viden' auctoritatem? quæ per alios fiunt, ipse facit; et quæ per se, non poterit, nisi Patre vim dante? Ecquis hæc dixerit? Cur hoc secundum ponit? Ut suum confirmet sermonem, et ostendat priora per attemperationem quamdam dicta fuisse. Illud autem, *Ad Patrem vado*, id est, Non pereo, sed in propria dignitate maneo, et in cælis sum. Hæc porro omnia illis ad consolationem dicebat. Quia enim credibile erat eos, qui nondum resurrectionis rationem probe noverant, triste aliquid in animo versare, aliis ipsos hæc daturos esse promittit, ubique curans illos, et ostendens se semper manere; nec manere modo, sed etiam majorem exhibiturum se virtutem.

3. *Moralis exhortatio. Sacrificium novæ quam præstet sacrificio veteris legis.* — Sequamur ergo illum, et crucem tollamus. Etiamsi enim nulla sit persequutio, alterius tamen mortis tempus adest. *Mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram* (*Col.* 3. 5). Exstinguamus ergo concupiscentiam, opprimamus iram, tollamus invidiam. Hoc est vivum sacrificium: quod sacrificium non desinit in cinerem, non in fumum diffunditur, non eget lignis et igne, vel gladio. Ignem quippe habet et gladium, Spiritum sanctum. Hoc usus gladio, circumcide cordis superflua et aliena, aperi obturatas aures. Morbi namque et malæ concupiscentiæ solent verbo aditum obstruere. Pecuniarum concupiscentia non sinit audire verbum de eleemo-

(*a*) In quibusdam desunt quæ uncinis clauduntur.

syna; invidia accedens arcet doctrinam de caritate; aliusque rursum ingruens morbus animam reddit ad omnia segniorem. Tollamus ergo malas concupiscentias. Nam sufficit velle, et omnia exstinguuntur. Ne, quæso, illud attendamus, pecuniarum amorem esse tyrannidem, sed vere tyrannidem esse segnitiem nostram. Multi certe sunt qui argentum quid sit se nescire dicunt. Neque enim naturalis est illa cupiditas. Naturales quippe affectus ab initio infusi sunt: aurum vero et argentum an esset, multo tempore ignotum fuit. Unde ergo crevit hæc cupiditas? Ex vana gloria, et summa desidia. Ex cupiditatibus enim aliæ sunt necessariæ, aliæ naturales, aliæ neutrum. Exempli causa: quæ si non expleantur animal perimunt, hæ sunt naturales et necessariæ; ut cibi, potus, somni cupiditas: amor vero corporum, naturalis quidem est, sed non necessarius. Multi enim ipsum superarunt, nec perierunt. Pecuniarum vero cupiditas, nec naturalis nec necessaria est, sed superflua. Si voluerimus, ejus dominium non recipiemus. Certe de virginitate loquens Christus ait, *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* 19. 12): de divitiis vero non item, sed quid? *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet* (*Luc.* 14. 33), non est me dignus. Ad id quod facile est hortatur; ad id vero quod multos exsuperat, arbitrio rem permittit. Cur ergo nos omni privamus defensione? Nam qui a violentiore morbo captus erit, non magnas dabit pœnas: qui vero ab infirmiore affectu capitur, omni privatur defensione. Quid enim respondebimus quando dicet: Esurientem me vidistis, et non nutrivistis (*Matth.* 25. 42)? quam excusationem habebimus? paupertatem objiciemus? At non sumus vidua illa pauperiores, quæ duobus depositis obolis, omnes superavit. Neque enim doni magnitudinem requirit Deus, sed voluntatis modum: et hoc ad illius providentiam pertinet. Illius itaque benignitatem mirati, quæ possumus offeramus; ut et in præsenti vita et in futura multam consequuti Dei clementiam, promissis frui bonis possimus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXV.

CAP. 14. v. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate:* 16. *et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum,* 17. *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.*

1. *Deus vult per opera diligi. Contra Sabellianos et Pneumatomachos.* — Operibus semper egemus, non verborum ostentatione. Loqui enim et promittere cuivis facile est; operari non item. Cur hæc dixi? Quia multi nunc sunt qui dicunt se Deum timere et amare; sed operibus contraria exhibent: Deus autem per opera diligi quærit. Ideo discipulis dicebat: *Si diligitis me, mandata mea servabitis.* Cum enim dixisset, *Quodcumque petieritis, ego faciam;* ne putarent solam petitionem esse satis, subdidit: *Si diligitis me;* tunc, inquit, faciam. Quia autem verisimile erat eos, cum dicentem audissent, *Ad Patrem vado,* turbatos esse, dicit: Non est hoc diligere, nunc turbari, sed dictis obtemperare. Dedi vobis mandatum, ut diligatis invicem, ut sic invicem faciatis, ut ego feci vobis. Hæc est dilectio, his obtemperare, et dilecto concedere. *Et rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis.* Sese demittentis verba sunt. Quia enim cum nondum illum probe cognoscerent, verisimile erat, eos illius absentis consortium, verba, carnalemque præsentiam admodum exquisituros esse, et nullam, ipso absente, accepturos consolationem; quid ait? *Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis;* id est, Alium qualis ego sum. Erubescant qui Sabellii morbo laborant, et qui de Spiritu non recte sentiunt. Nam in hoc sermone mirum illud est, quod hæreses ex diametro oppositas uno ictu prosternat. Nam cum dicit, *Alium,* hypostasis illius differentiam indicat; cum vero dicit, *Paracletum,* substantiam eamdem. Quare dicit, *Rogabo Patrem?* Quia si dixisset, Ego mittam, non ita credidissent: nunc enim id curat, ut Spiritus credatur: nam postea se missurum illum esse dicit: *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* 20. 22): hic vero se rogaturum esse Patrem dicit, ut fide dignus sermo ipsis esset. Joannes quippe de illo dicit: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus* (*Ibid.* 1. 16): quod autem habebat, quomodo ab altero acciperet? Et iterum: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (*Luc.* 3. 16). Quid vero plus habuisset quam apostoli, si Patrem rogaturus erat ut aliis daret, quando illi sæpe sine precatione operari videntur? quomodo autem si per preces Spiritus a Patre mittitur, ipse a seipso involat? quomodo ab alio mittatur, qui ubique præsens est, qui dividit unicuique sua sicut vult, qui cum auctoritate dicit: *Segregate mihi Paulum et Barnabam* (*Act.* 13. 2)? Atqui Deo ministrabant illi ministri; attamen cum auctoritate eos ad proprium sibi opus vocavit, non quod ad aliud opus evocaret, sed ut potestatem suam ostenderet. Quid ergo sibi vult, inquies, illud, *Rogabo Patrem?* Ut ostendat tempus adventus ejus esse.

Cur Spiritus sanctus non advenit præsente Christo.— Cum enim illos per sacrificium mundasset, tunc advolavit Spiritus sanctus. Cur non supervenit quando erat cum illis Jesus? Quia nondum oblatum fuerat sacrificium. Cum autem jam peccatum deletum esset, et ipsi ad pericula missi, ad pugnam se appararent, hortatorem mitti oportuit. Cur vero non statim post resurrectionem Spiritus venit? Ut ejus majore capti desiderio, cum majori gratia illum acciperent. Donec enim cum illis Christus erat, non affligebantur; postquam autem discessit, nudati et in timore magno versantes, cum magno illum desiderio excepturi erant. *Vobiscum manet,* hoc est, ne post mortem quidem abscedit. Ne vero Paracletum audientes, aliam rursus

incarnationem suspicarentur, sperarentque se oculis ipsum esse visuros, hanc amovens suspicionem ait : *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum.* Non enim ita vobiscum deget, ut ego; sed in animabus vestris habitabit; hoc enim sibi vult illud, *In vobis manet.* Spiritum autem veritatis eum appellat, hinc figuras veteris legis denotans. *Ut vobiscum sit.* Quid sibi vult illud, *Vobiscum sit?* Id quod ipse ait, *Ego vobiscum sum* (*Matth.* 28. 20), Præterea aliud quoque subindicat : Non eadem patietur quæ ego passus sum, neque abscedet. *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum.* Quid ergo? an ex numero visibilium erat? Minime. Sed hic cognitionem intelligit; addit enim, *Neque cognoscit eum :* solet enim accuratam cognitionem visionem appellare. Quia enim sensuum clarissimus visus est, per hunc sensum semper accuratam cognitionem denotat. Mundum autem hic vocat improbos, hincque discipulos consolatur, quod illis eximium afferat donum. Vide quantopere doni magnitudinem extollat. Dicit alium esse, quam ipse sit; addit, Non relinquet vos; subdit, Ad ipsos tantum venturum esse, ut et ego veni; dixit, In vobis manet; sed neque sic illorum mœrorem expulit. Illum enim consortiumque ejus adhuc quærebant. Cui rei ut medeatur, ait : 18. *Neque ego vos relinquam orphanos : venio ad vos.* Ne timeatis, inquit; non ideo dixi me alium Paracletum missurum esse vobis, quod vos ad finem usque relicturus sim : non ideo dixi, *Apud vos manet,* quasi non ultra vos visurus sim. Certe ipse quoque venio ad vos. *Non relinquam vos orphanos.* Quia enim a principio dixerat, *Filioli :* ideo hic ait : *Non relinquam vos orphanos.*

2. Initio itaque dixit : *Ubi ego vado, venietis;* et, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt;* hic vero quia diuturnum erat tempus, dat Spiritum. Sed cum, quid diceret non intelligentes, non sat inde consolationis haberent, *Non relinquam vos orphanos*, inquit. Hoc enim maxime requirebant. Sed quia illud, *Venio ad vos*, præsentiam significabat : ne rursus eamdem ipsam præsentiam requirerent, quam prius, vide quomodo hoc ipsum non clare quidem dixerit, sed subindicaverit. Cum dixisset enim, 19. *Adhuc modicum, et mundus me non videt;* subdidit, *Vos autem videtis me;* ac si diceret : Venio quidem ad vos, sed non ut prius quotidie vobiscum versaturus. Et ne dicerent, Cur ergo Judæis dixisti, *Jam non videbitis me* (*Joan.* 16. 10)? objectionem solvit dicendo, *Ad vos* tantum. Nam Spiritus quoque talis est. *Quia ego vivo, et vos vivetis.* Crux enim non usque ad finem nos separabit, sed ad brevissimum tempus me abscondet. Vitam autem, ut videtur mihi, non præsentem tantum, sed et futuram dicit. 20. *In illa die cognoscetis, quia ego in Patre, et vos in me, et ego in vobis.* In Patre secundum substantiam, in vobis secundum concordiam et auxilium divinitus præstitum. Et qua, quæso, ratione? qua ratione hæc contraria quadrare possunt? multa enim, imo infinita est distantia inter Christum et discipulos. Etiamsi eadem ipsa verba jaceant, ne mireris. Solet enim Scriptura iisdem verbis de Deo et de hominibus dictis, diverso modo uti. Nam et dii dicimur (1. *Cor.* 8. 5), et filii Dei (*Gal.* 3. 26) : nec eamdem vim habet cum de nobis dicitur, quam cum de Deo. Imago item dicitur Filius (*Coloss.* 1. 15) et gloria (1. *Cor.* 11. 7), ut et nos; sed multa est differentia. Rursum, *Vos autem Christi, Christus vero Dei* (1. *Cor.* 3. 23); non ita tamen est Dei Christus, ut nos sumus Christi. Quid porro sibi vult? Cum resurrexero, inquit, scietis me non a Patre separari, sed eamdem habere virtutem, et me vobiscum perpetuo esse, rebus ipsis prædicantibus auxilium a me vobis præstitum, inimicis repressis, vobis fidenter agentibus, molestis de medio sublatis, prædicatione quotidie florente, omnibus piæ doctrinæ cedentibus. *Sicut misit me Pater, et ego misi vos* (*Joan.* 20. 21). Vides hic quoque idem dictum non eamdem vim habere? Nam si eodem accipiamus modo, nihil different apostoli a Christo. Cur porro ait, *Tunc cognoscetis?* Quia tunc viderunt eum resurrexisse et secum versari. Tunc veram fidem didicerunt. Magna quippe Spiritus virtus erat, quæ omnia docebat illos. 21. *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Non enim sufficit habere solum, sed nobis accurata opus est custodia. Cur autem hoc ipsum illis sæpe dicit? ut, *Si diligitis me, mandata mea servate;* et, *Qui habet præcepta mea, et servat ea;* et, *Si quis audierit sermonem meum, et servaverit eum, ille est qui diligit me : qui non audit sermones meos, non diligit me* (*Joan.* 14. 23. 24). Puto illum subindicare illorum mœrorem. Quia enim de morte multa philosophatus erat, dicens : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam* (*Joan.* 12. 25); et, *Nisi quis acceperit crucem suam, et sequatur me, non est me dignus* (*Matth.* 10. 38); pluraque adhuc dicturus erat, exprobrans eis dicit : Putatis vos ex amore tristes esse? Non tristari potius dilectionis esset indicium. Quia autem illud vult efficere, in sequentibus id repetit. *Si enim diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado.* Nunc autem præ metu id patimini. Quod vero circa mortem sic afficiamini, non est eorum qui mandatorum meorum recordantur : oporteret enim vos crucifigi, si vere diligeretis me. Vos enim hortatus sum, ut non timeatis ab iis, qui occidunt corpus. Tales Pater amat, et ego amo. *Et manifestabo eis meipsum.* Tum Judas, 22. *Et quid*, inquit, *quia manifestaturus es nobis teipsum?*

3. Viden' animam eorum a timore obrutam? Commotus turbatusque est, ac putabat, sicut in somnis mortuos videmus, sic illum se visurum esse. Ne igitur hoc suspicarentur, audi quid dicat : 23. *Ego et Pater veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus :* ac si diceret, Sicut Pater manifestat seipsum, sic et ego. Neque hoc tantummodo, sed etiam quod adjecerit, *Mansionem apud eum faciemus*, omnem tollit suspicionem : id quippe non ad somnia pertinet. Tu vero mihi perpendas discipulum et turbatum et non audentem clare dicere quod cupiebat. Neque enim dixit : Væ nobis, quod moriaris, et ita nobis appariturus es ut mortui apparent. Non sic ille; sed, *Quid est quia manifestaturus es nobis teipsum, et non mundo?*

Dicit ergo, Vos acceptos habeo, quia vos mandatum meum servatis. Ne enim postea videntes ipsum, phantasma se videre putarent, ideo hæc prædicit. Et ne eo, quo dixi, modo ipsum appariturum esse opinarentur, causam apponit, quod nempe mandata ejus servarent, dicit etiam Spiritum sanctum sic illis appariturum esse. Quod si tanto tempore cum illo versati, illam substantiam non ferunt, imo ne intelligunt quidem; quid futurum erat si ab initio sic illis apparuisset? Ideo cum illis comedit, ne phantasma esse putetur. Nam si super aquas ambulantem videntes, id existimarunt, licet idem vultus ac species viderentur, nec multum distaret ille; quid non suspicati fuissent, si statim vidissent illum resurgentem, quem captum viderant et involutum? Propterea frequenter dicit illis se appariturum esse, cur, et quomodo appariturus sit, ne illum esse phantasma putent. 24. *Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermo quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me.* Itaque qui hæc verba non audit, nec me, nec Patrem diligit. Nam si hoc dilectionis signum est, audire mandata, ipsaque Patris sunt; qui audit, non Filium modo, sed etiam Patrem amat. Quomodo sermo tuus est, et non tuus? Id est, Nihil extra Patrem loquor, neque proprium quidpiam præter placitum ejus. 25. *Hæc loqutus sum vobis, apud vos manens.* Quia hæc obscura erant, et alia non intelligebant, in pluribusque dubitabant; ne rursus turbarentur, neve dicerent, Quæ præcepta? omni anxietate eripuit illos, dicens: 26 *Paracletus autem, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit.* Obscura forte nunc vobis dicuntur; sed doctor ille clare vos docebit. Illud autem, *Apud vos manebit*, subindicat se abiturum esse. Deinde ne tristentur, ait: Donec apud illos ipse manserit, nec Spiritus venerit, nihil magnum vel sublime poterunt intelligere. Hæc porro dicit illos præparans ut secessum suum generose ferant, utpote qui magna ipsis bona conciliaturus esset. Frequenter vero Paracletum vocat, ob ærumnas, quibus tunc affligebantur. Quia igitur his auditis turbabantur, cogitantes molestias, bella et secessum ejus, vide quomodo illos soletur iterum dicens: 27. *Pacem relinquo vobis:* ac si diceret, Quid damni vobis erit a perturbationibus mundi, si pacem mecum habeatis? Neque enim talis hæc pax est. Externa pax enim perniciosa sæpe est et inutilis, nihilque prodest: ego vero talem vobis do pacem, ut illam mutuo servetis, quod vos fortiores efficiet. Sed quia rursum dixerat, *Relinquo*, quod recedentis erat, illosque turbare poterat, ideo rursum ait: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Viden' eos partim amore, partim metu turbatos esse? 28. *Audistis quia ego dixi vobis, Vado ad Patrem, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est.* Et quod gaudium hoc ipsis allaturum erat? quam consolationem?

4. *Quomodo Christus de se loquens, discipulorum imbecillitati sermonem attemperet. Qua ratione Pater sit major Filio.*—Quid sibi vult hoc dictum? Nihildum noverant de resurrectione, neque de Christo eam, quam par erat, opinionem habebant: (quomodo enim habuissent, qui ne sciebant quidem ipsum esse resurrecturum?) Patrem vero magnum esse putabant. Dicit ergo: Si mihi timetis, quasi non valeam me tueri, neque confiditis me post crucem a vobis posse videri; tamen audientes me ad Patrem ire, gaudere tandem oportuit, quia ad majorem vado, omnia me mala solvi possunt. *Vos audistis, quia ego dixi vobis* Cur hoc adjecit? Ita gestis rebus confido, inquit, ut prædicere non verear. 29. Hoc ergo, et quæ futura sunt, *Dixi vobis priusquam fiant, ut cum facta fuerint, credatis*, quia ego sum: ac si diceret: Num sciretis, nisi ego dicerem? neque dicerem, nisi confiderem. Viden' sermonem auditorum captui attemperatum? Nam cum dicit, *Putatis, quia non possum rogare Patrem, et exhibebit mihi duodecim legiones angelorum* (*Matth.* 26. 53)? secundum auditorum opinionem loquutus est. Nemo enim, etsi insaniat, dixerit eum non potuisse sibi opem ferre, sed angelis opus habuisse: verum quia illum esse hominem putabant, ideo dixit, *Duodecim legiones angelorum.* Atqui cum interrogasset tantum, supinos prostravit. Si quis vero dixerit majorem esse Patrem, ut Filii principium (*a*); non huic contradicemus. At hoc non facit Filium alterius esse substantiæ. Hoc autem vult dicere: Donec hic fuero, par est vos putare quod nos periclitemur: si porro illuc abeam, confidite nos in tuto esse; illum enim nemo vincere potest. Hæc porro omnia ad discipulorum infirmitatem se demittens dicebat. Ipse namque confido, nec mortem curo. Ideo ait: *Hæc dixi vobis priusquam fiant.* Quia enim vos nondum potestis hac de re sermonem capere, a Patre, quem magnum appellatis, consolationem adduco. Consolatus ergo illos, tristia rursum affert: 30. *Jam non ultra loquar vobiscum.* Quare? *Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam.* Principem mundi diabolum dicit, et improbos homines. Non enim cælo et terræ imperat; nam omnia evertisset et prostravisset; sed illis dominatur, qui se illi dediderunt. Ideo vocat illum principem tenebrarum hujus sæculi: tenebras autem hic dicit mala opera. Quid ergo? diabolusne te perdit? Minime: nihil enim in me habet. Cur ergo te illi interficiunt? Quia ita volo, et ut cognoscat mundus, quod Patrem diligam. Non enim quod sim morti obnoxius, neque quod illi quidpiam debeam, sed ob amorem erga Patrem hæc subeo. Hoc autem ait, ut iterum illorum animum excitet, ut discant, ipsum non invitum, sed lubentem, et diabolum despicientem ad hoc venire. Non enim satis erat dixisse, *Adhuc modicum tempus vobiscum sum* (*Joan.* 7. 33); sed illud, triste licet, frequenter versat, et jure quidem; donec autem sermonem illis acceptum reddat, lætiora admiscet. Ideo aliquando dicit: *Vado et venio*; et, *Ut ubi ego sum, et vos sitis*; et, Non potestis me nunc sequi, sequemini autem post-

(*a*) Ea solum ratione potest Pater major dici; imo non proprie major, sed prior: ut quivis pater non est natura major filio suo, sed prior tantum. Ita est mens Chrysostomi.

ea (*Joan.* 13. 36); et, *Ad Patrem vado*; et, *Pater major me est*; et, *Antequam fierent dixi vobis*; et, Non ex necessitate hæc patior, sed ob Patris amorem; ut cognoscant illi, non perniciosam nec damnosam rem esse; siquidem admodum diligebat illum, et dilectus ita volebat. Ideo hæc lætiora admiscens, tristia quoque frequenter memorabat, ut illorum animos exerceret. Nam illud, *Apud vos manebit* (*Joan.* 14. 17), et, *Expedit vobis* (*Id.* 16. 7), ut recedam, consolantis erant. Ideo prius innumera de Spiritu dixerat, ut, *In vobis est*, et, *Mundus non potest capere*, et, *Ipse vobis suggeret omnia*, et, *Spiritus veritatis*, *Spiritus sanctus*, et, *Paracletus*, et, *Expedit vobis*: ne animo deficerent quasi omni ope et auxilio destituti. Expedire autem dicit, ostendens se illos spirituales redditurum.

5. *Gratia vis magna.* — Hoc utique factum videmus. Nam illi trementes et metuentes, accepto postea Spiritu sancto, in pericula insiliebant, et ferrum, bestias, maria, supplicia omnia adibant; et illiterati idiotæque cum tanta fiducia loquebantur, ut auditores percellerent. Ex luteis enim Spiritus illos ferreos reddidit, volucres effecit, nec sivit eos ab humana ulla re prosterni. Talis est hujusmodi gratia: si mœrorem inveniat, illum solvit, concupiscentiam malam absumit, timorem exigit, nec sinit sui participem ultra hominem esse; sed quasi in cælos translatum omnia quæ illic sunt contemplari jubet. Ideo nemo sibi aliquid proprium esse dicebat, sed perseverabant in orationibus, in lætitia et in simplicitate cordis (*Act.* 2. 46). Hoc enim maxime requirit Spiritus sanctus: *Fructus enim Spiritus est gaudium, pax, fides, mansuetudo* (*Gal.* 5. 22. 23). Atqui sæpe, inquies, tristantur spirituales homines. At hæc tristitia gaudio dulcior est. Nam Cain contristatus est, sed tristitia hujus mundi: Paulus quoque contristatus est, sed secundum Deum. Quidquid enim spirituale est, lucrum habet maximum; quidquid sæculare, extremum damnum. Attrahamus igitur nobis inexpugnabilem Spiritus opem, per præceptorum observationem, et nihilo inferiores angelis erimus. Neque enim illi, etsi incorporei, tales sunt (si enim hoc ita esset, nullus incorporeus malus fuisset): sed voluntas arbitrii ubique in causa est. Ideoque etiam inter incorporeos reperti sunt hominibus, etiamque brutis, pejores; et in corporeis multi incorporeis meliores. Omnes quippe justi terram inhabitantes, corporei licet, bona opera ediderunt. Nam ut peregrini, terram incoluerunt; ut cives, cælum. Ne ergo dicas, Carne circumdatus sum, vincere non possum, neque pro virtute labores suscipere. Ne accuses Creatorem. Nam si caro virtutem impossibilem reddit, non in culpa sumus: quod autem impossibilem non reddat, ostendit sanctorum chorus. Paulum quippe natura carnis non impedivit quominus talis evaderet, nec Petrum, quominus claves cælorum acciperet. Enoch carnem gestans translatus est, et non ultra visus. Sic et Elias cum carne raptus est; Abraham, Isaac et Jacob in carne resplenduerunt; Joseph carne opertus impudicam mulierem superavit. Ecquid dico carnem quæ etiamsi catena constringatur, non læditur? Etsi ego vinctus sum, inquit Paulus, *At verbum Dei non est alligatum* (2. *Tim.* 2. 9). Ecquid dico vincula et catenam? Adde carcerem et claustra, et neque sic illa virtutis impedimenta erunt. Ita ergo docet Paulus. Nam vinculum animæ, non ferrum, sed timor et cupiditas pecuniarum, innumerique morbi. Hæc vinciunt corpus, etsi solutum sit. At hæc a corpore pariuntur, inquies. Hæc obtentus sunt et vanæ cavillationes. Nam si a corpore parerentur, omnes sic essent affecti. Ut enim lassitudinem, somnum, famem, sitim non possumus vitare, quia hæc naturalia sunt: sic et hæc, si quidem talia essent, neminem sinerent sua tyrannide liberum. Quod si multi hæc effugiunt, palam est hæc vitia ex deside anima proficisci. Hæc igitur abscindamus, neque corpus incusemus; sed ipsum animæ subjiciamus, ut illo ad parendum inducto, æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXVI

CAP. 14. v. 31. *Surgite, eamus hinc.* CAP. 15. v. 1. *Ego sum vitis vera: vos palmites, et Pater meus agricola est.*

1. *Ignorantia imbecillitatem parit. Discipuli quam meticulosi ante Christi mortem.* — Timidam et imbecillem animam ignorantia efficit; ut magnam et sublimem cælestis doctrinæ institutio: nam si non instituatur, formidolosa est, non natura, sed voluntatis proposito. Cum enim quempiam video strenuum modo audacem, modo formidolosum, non jam naturæ vitium esse dico: naturalia enim immutabilia sunt. Rursum, cum video nunc meticulosos quospiam, statimque audaces, idipsum facio: arbitrio totum adscribo. Nam discipuli admodum timidi erant antequam id quod par erat ediscerent, et dono Spiritus sancti digerentur: postmodum vero leonibus audaciores fuerunt. Et Petrus, qui puellæ minas non tulerat, inverso capite appensus, et verberatus, milleque periculis expositus, non tacebat, sed quasi hæc per somnium pateretur, sic libere loquebatur; sed non ante crucem. Ideo Christus dicebat: *Surgite, eamus hinc.* Qua de causa, quæso? an ignorabat horam quo superventurus erat Judas? an timebat ne adveniens, suos apprehenderet, et antequam doctrinam illam optimam compleret, insidiatores irrumperent? Absit: hæc procul ab ipsius dignitate sunt. Si non timebat, cur istinc abducit eos, et completo sermone, tunc ad hortum Judæ notum adducit? Etiamsi vero Judas advenisset, annon poterat ipsorum oculos excæcare; id quod ipso non præsente fecit? cur ergo discedit? Ut modicum respirandi tempus discipulis det. Verisimile quippe erat eos, utpote in patenti loco,

tremuisse et formidasse, et a tempore, et a loco. Nox quippe erat profunda, nec poterant dictis attendere, cum semper animo versarent eos, qui se invasuri essent, cum maxime Magistri sermo mala exspectanda esse doceret. *Adhuc modicum*, inquit, et non ero vobiscum; et, *Venit princeps hujus mundi* (*Joan.* 14. 19. 30). Cum talia ergo audientes turbarentur, ac si mox capiendi essent, in alium illos ducit locum; ut putantes se jam in tuto esse, libere demum audirent: magna quippe dogmata audituri erant. Ideo ait: *Surgite eamus hinc:* deinde adjicit: (*Cap.* 15) 1. *Ego sum vitis, vos palmites.* Quid vult per hanc parabolam subindicare? Eum qui non dictis attendat vivere non posse, et futura signa a Christi virtute proventura esse. *Pater meus agricola est.* Quid igitur? auxilio eget Filius? Absit: hoc exemplum id non indicat. Vide quam diligenter hanc parabolam exsequatur. Non enim dicit, radicem agricolæ cura frui, sed palmites. Radix enim non hic memoratur, sed docet nihil posse illos operari sine suæ virtutis auxilio, et ita ipsos sibi fide conjungi oportere, ut palmes viti jungitur. 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum Pater.* Hic vitam subindicat, declarans, non posse quempiam sine operibus in ipso esse. *Et omnem qui fert fructum, purgabit eum;* id est, Multo frui cultu curabit. Atqui radix prius quam palmites cura opus habet; circumfodi et nudari debet: sed nihil hic de radice dicit, verum omnia de palmitibus, ostendens se quidem sibi sufficere; discipulos autem multa egere agricolæ cura, quantumvis sint virtute præditi. Ideo ait: Palmitem qui fructum fert, purgat. Eum qui nullum fert, non relinquit in vite, neque potest ibi manere: eum vero qui fert fructum, fructuosiorem efficit. Hoc de ærumnis mox inducendis intelligi dixeris. Illud enim, *Purgabit eum*, id est, incidet, unde palmes fructuosior efficitur. Hinc ostenditur, tentationes illos fortiores efficere. Deinde ne interrogarent de quibusnam hæc diceret, neve illos iterum sollicitos redderet, ait: 3. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis.* Viden' quomodo se ut palmitum curatorem efferat? Ego vos purgavi, inquit, licet superius hoc Patrem fecisse declaret: sed nulla est inter Patrem et Filium differentia. Vestra quoque afferatis oportet. Deinde ut ostendat se eorum ministerio non opus habentem id fecisse, sed ut ipsi proficerent, subdit: 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso: sic nec qui in me non manet.* Ne præ metu abscinderentur, emollitam formidine ipsorum animam roborat, et sibi conglutinat, bonamque spem affert. Radix enim manet; auferri aut relinqui, palmitum est. Deinde utrinque procedens, a bonis et a tristibus, priora a nobis exigit. 5. *Qui manet in me, et ego in eo.* Viden' Filium non minus quam Patrem ad discipulorum curam conferre? Pater purgat, ipse in se continet. Manere autem in radice, id efficit, ut palmites fructum ferant. Nam quod non purgatum manet in radice, fructum fert, licet non quantum oporteret; quod non manet, nihil. Attamen purgare etiam Filii esse ostensum est, et in radice manere, Patris, qui radicem genuit.

2. *Fructum non ferre quantum malum. Christus discipulos hortatur consolaturque, in multis se imbecillitati eorum attemperans.* — Viden' quomodo omnia communia sint, et purgare, et radicis virtute frui? Magnum certe detrimentum, nihil posse facere; verum non hic sistitur pœna, sed ulterius procedit. 6. *Mittetur*, inquit, *foras*, non amplius excoletur, *et arescet;* id est, Si quid habuit ex radice, id deponit; si quam gratiam, illa nudatur, et omni inde auxilio et vita spoliatur. Ecquis finis? *In ignem injicietur.* Sed non talis est qui manet in vite. Deinde ostendit quid sit manere, et ait: 7. *Si verba mea in vobis manserint.* Viden' me jure superius dixisse, ipsum operum demonstrationem quærere? Cum dixisset enim, Quodcumque petieritis, faciam, addidit, *Si diligitis me, mandata mea servate;* et hic, *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petite, et fiet vobis* (*Joan.* 14. 14. 15). Hæc autem dicebat, ostendens illos qui insidiabantur ei, combustum iri; ipsos autem fructum laturos esse. Metu itaque ex his in illos translato, postquam ostendit ipsos inexpugnabiles fore, ait: 8. *In hoc clarificatus est Pater meus, ut efficiamini mei discipuli, et fructum plurimum afferatis.* Hinc fide dignum sermonem proferi. Nam si ad gloriam Patris vergit quod fructus afferatur, non negliget gloriam suam. *Et efficiemini mei discipuli.* Viden' quomodo ille qui fert fructum discipulus sit? Quid significat illud, *In hoc clarificatus est Pater?* Id est, Gaudet, cum vos in me manetis, cum fructum fertis. 9. *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.* Hic demum humanius loquitur: nam illud, ut ad homines dictum [1], propriam vim habet. Nam qui mori voluit, qui servos, inimicos et hostes tanto dignatus est honore, qui ad cælum duxit, quantum amoris modum exhibuit? Si ergo vos diligo, confidite. Si Patris est gloria quod fructum feratis, nihil malum suspicemini. Deinde ne supinos redderet, vide quomodo rursus devinciat. *Manete in dilectione mea.* Hoc in vestra est potestate. Quomodo autem hoc erit? 10. *Si præcepta mea servaveritis, sicut et ego præcepta Patris mei servavi.* Rursus humano more sermo procedit. Neque enim legislator præceptis subditus esse debebat. Viden' id quod semper dico, hic etiam exhiberi propter auditorum imbecillitatem? Nam secundum illorum opinionem multa dicit, ac per omnia ostendit, illos in tuto esse, et inimicos illorum pessum ire, atque omnia quæ habent, a Filio habere, et si vitam puram agant, a nullis umquam superatum iri. Animadverte autem cum quanta loquatur ipsis auctoritate. Non dixit enim, Manete in dilectione Patris; sed, *In dilectione mea.* Deinde ne dicerent, Postquam nos omnibus inimicos fecisti, tunc nos relinquis et recedis; ostendit se illos non relinquere, sed ita ipsis copulari, si quidem velint, ut palmitem viti. Rursumque ne nimium fidentes supini evaderent, non immotum fore bonum dicit, si desides fuerint. Hinc ne sibi totum referret,

[1] Morel. legit, *ut ab homine dictum.*

et ad lapsum majorem deduceret, ait : *In hoc clarificatus est Pater*. Ubique enim et suum et Patris erga illos amorem demonstrat. Non ergo res Judæorum gloria Patris erant, sed ea quæ ipsi erant accepturi. Tum ne dicerent, Ex paternis excidimus, omnibus nudati desertique sumus : In me, inquit, respicite : diligor a Patre, et tamen hæc quæ nunc adsunt, patior. Non ergo vos relinquo nunc, quod vos non diligam. Nam si ego interficior, nec tamen hoc pro indicio habeo me non amari a Patre, neque vos turbari par est. Nam si in dilectione mea maneatis, nihil hæc vobis nocere mala poterunt, quantum ad dilectionem.

3. *Christus per opera diligendus. Contra rapinam et avaritiam. Sub finem Numeri laudatur paupertas.* — Quia igitur magna inexpugnabilisque res est dilectio, nec ea in verbis solum consistit, illam per opera exhibeamus. Ipse nos inimicos sibi reconciliavit; nos amici facti, tales maneamus : ipse cœpit, nos saltem sequamur : ipse non ad proprium sibi lucrum diligit (nullo enim indiget), nos saltem ad utilitatem nostram : ipse nos inimicos dilexit, nos saltem amicum diligamus. At nunc contraria facimus. Quotidie namque propter nos blasphematur Deus, ob rapinas, ob avaritiam. Fortasse vero quispiam vestrum dixerit, Quotidie de avaritia disseris. Utinam singulis quoque noctibus id liceret : utinam et in foro sequi, et ad mensam possem : utinam mulieres, amici, filii, servi, agricolæ, vicini, ipsumque pavimentum et parietes, in hanc possent erumpere vocem, ut paulum remitteremus. Orbem namque totum invasit hic morbus, omniumque detinet animos, magna certe mamonæ tyrannis. A Christo redempti sumus, et auro servimus. Alium dominum prædicamus, et alii obsequimur; et quidquid jusserit diligenter audimus : genus, amicitiam, naturam, leges, et omnia pro illo obliviscimur. Nemo respicit in cælum, nemo futura cogitat. Sed tempus erit, cum nullum erit horum verborum lucrum. Nam *In inferno*, inquit, *quis confitebitur tibi* (*Psal.* 6. 6)? Desiderabile est aurum, multasque nobis profert delicias, et nobis honorem conciliat; sed non tantum quantum cælum. Divitem namque multi oderunt et aversantur; virtute præditum autem reverentur et honorant. At, inquies, pauper deridetur, etiamsi virtute præditus sit. Verum non apud homines, sed apud eos qui ratione præditi non sunt : quare nihil curandum. Neque enim si asini contra nos ruderent, graculique acclamarent, sapientes vero laudarent omnes, hoc misso consessu, ad brutorum clamores nos verteremus. Sunt enim graculis similes et asinis pejores ii qui præsentia admirantur. Certe si terrenus rex te laudet, vulgi multitudinem nihil curabis, etiamsi te omnes derideant : et cum universorum Dominus te laudet, adhuc cantharorum et culicum laudes quæris? Tales enim sunt isti, si cum Deo comparentur; imo his quoque viliores sunt. Quousque in cœno versabimur? quousque parasitos et gulæ deditos spectatores nobis statuemus? Illi aleatores probare possunt, ebriosos, lurcones : virtutem autem et vitium ne in somniis quidem imaginari valent. Certe si quis te derideat quod terræ sulcos ducere nescias, non ægre feres, imo vicissim deridebis eum, qui tibi hujusmodi imperitiam exprobret : cum autem virtutem vis exercere, eos qui illam prorsus ignorant, spectatores tibi constituis? Eapropter numquam pervenimus ad illam artem. Non enim peritis, sed ignaris nostra committimus. Illi vero non secundum artis regulas, sed secundum ignorantiam suam illa explorant. Quapropter, obsecro, multitudinem despiciamus, imo nec laudes desideremus, non pecunias, non divitias : nec malum quid existimemus paupertatem. Nam prudentiæ, patientiæ, omnisque philosophiæ magistra paupertas est. Siquidem Lazarus in paupertate vixit, et coronatus est : Jacob panem solum expetebat : Joseph in extrema paupertate non modo servus, sed etiam captivus erat, ideoque illum magis laudamus; neque ita miramur cum frumentum dispensaret, ut cum in carcere degeret, non ita cum diademate ut cum catena cingebatur; non quando in solio sedebat, sed quando insidiis impetebatur et vendebatur. Hæc itaque omnia cogitantes, necnon coronas his certaminibus paratas, ne divitias, honorem, delicias, potentiam, sed paupertatem, catenas, vincula, patientiam pro virtute susceptam laudemus. Illorum enim finis tumultu ac perturbationibus plenus est, et in hac vita hæc desinunt : horum vero fructus, cælum et cælestia bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit : quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXVII.

Cap. 15. v. 11. *Hæc loquutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat, et gaudium vestrum sit plenum.* 12. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*

1. Omnia bona tunc mercedem habent, cum debitum finem consequuntur : si intercipiantur, tunc naufragium est. Et sicut navis, innumeris onusta mercibus, nisi ad portum appulerit, sed in medio pelago submergatur, nihil ex longa navigatione lucri refert, sed eo majorem patitur calamitatem, quo plures sustinuit labores : sic animæ quæ ante finem decidunt, si in mediis certaminibus ruant. Ideo Paulus gloriam, honorem et pacem consequi eos dicit, qui secundum bonorum operum patientiam currunt (*Rom.* 2. 7). Quod etiam nunc Christus discipulis innuit. Quia enim illos acceperat, et ea de re illi gavisi erant; deindeque passio, tristiaque verba gaudium interceptura erant; postquam illos pluribus alloquutus consolatusque fuerat, dicit : *Hæc loquutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat, et gaudium vestrum impleatur;* hoc est, Ne discedatis a me, neve a cursu desistatis. Gavisi estis in me, et admodum gavisi, sed incidit tristitia. Hanc ejicio, ut in fine gaudium veniat; ostendens præsentia non esse luctu digna, sed potius læ-

titia. Vos vidi perturbatos; non contempsi, nec dixi, Cur strenui non manetis? sed loquutus sum ea, quæ vos consolari possent. Sic vos volo semper in hac dilectione servare. Audistis de regno; gavisi estis. Ut itaque gaudium vestrum impleatur, hæc dixi vobis.

Non potest esse dilectio Dei sine dilectione proximi. — *Hoc est autem præceptum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Viden' Dei dilectionem cum nostra complicatam, et quasi catena annexam. Ideo aliquando duo dicit præcepta, aliquando unum: neque enim potest qui alteram accepit, alteram non habere. Aliquando dicit: *In hoc lex et prophetæ pendent* (*Matth.* 22. 40); aliquando, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos eis facite* (*Ibid.* 7. 12). Hæc est enim lex et prophetæ. Et, *Plenitudo legis est dilectio* (*Rom.* 13. 10). Quod etiam hic dicit. Nam si *manere* ex dilectione pendet, dilectio autem ex præceptorum observatione, præceptum vero est, ut diligamus invicem; manere in Deo ex dilectione mutua datur. Neque dilectionem solum dicit, sed etiam modum significat: *Sicut dilexi vos.* Rursus ostendit, secessum suum non ex odio, sed ex dilectione oriri. Itaque me magis mirari eam ob causam oportebat. Pro vobis enim animam meam pono. Verum nusquam ita loquitur; sed supra cum optimum pastorem describit; hic vero, cum admonet illos, et dilectionis magnitudinem ostendit, seipsum quis sit declarat. Cur autem ubique dilectionem extollit? Quia hoc est discipulorum indicium, hoc virtutem fovet. Ideo Paulus de illa hæc dicit, utpote verus Christi discipulus, qui illam experiretur. 14. *Vos amici mei estis.* *Jam non dicam vos servos*: 15. *quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos amici mei estis; quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Cur ergo ait, *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* 16. 12)? Cum dicit, *Omnia quæ audivi*, nihil aliud vult significari, quam quod nihil alienum loquatur; sed quæ a Patre audivit. Quia vero illud maxime amicitiæ esse videtur, cum arcana dicuntur; hac quoque, inquit, dignati estis gratia. Cum vero dicit *Omnia*, intelligas ea, quæ audire illos oportebat. Deinde aliud effert non vulgare amicitiæ signum. Quodnam illud? 16. *Non vos me elegistis*, inquit, *sed ego elegi vos.* Ego vestram amicitiam ardens quæsivi. Neque hoc satis habuit, sed, *Posui vos*, inquit, id est, Plantavi, *ut eatis* (adhuc in metaphora vitis persistit), id est, Ut extendamini, *et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Quod si fructus maneat, multo magis vos. Non enim vos amavi tantum, inquit, sed magnis quoque beneficiis affeci, ubique terrarum palmites vestros propagans.

2. Viden' quot modis dilectionem suam ostendat? cum secreta aperit, cum prior ad amicitiam accurrit, cum magna ipsis confert beneficia, et illa quæ passus est pro illis sustinuit. Hinc ostendit se perpetuo mansurum cum illis fructum emissuris. Ipsius enim auxilio ad fructum ferendum opus habent. *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Atqui ejus a quo petitur est, facere: si vero a Patre petitur, cur Filius id facit? Ut discas non minorem esse Filium. 17. *Hæc loquutus sum vobis, ut diligatis invicem*; id est, Non exprobrans hæc dico, me animam meam ponere, me priorem ad vos accurrisse, sed ut ad amicitiam vos inducam. Deinde quia persequutionem a multis pati, et exprobrari durum erat et intolerabile, quod posset etiam sublimem animum dejicere; ideo innumeris præmissis ad hoc venit, postquam animum illorum demulserat, et ex abundanti monstraverat hæc pro illis facta esse, ut et alia quæ jam ostenderat.

Christus discipulos multis modis consolatur. — Sicut enim dixit non modo non dolendum, sed etiam gaudendum, quod iret ad Patrem; non enim ut relinqueret illos hoc se facere dicit, sed quod illos valde amaret: ita et hic ostendit lætandum, non dolendum esse. Et animadverte quo pacto probet illud. Non enim dixit: Scio rem esse molestam, sed propter me illud sustinete, quia propter me patimini. Nondum enim hæc sufficiens consolationis causa fuisset: quapropter missa illa, aliam proponit. Quam? Quod prioris virtutis hoc esset argumentum, et contra dolendum esset, non quod nunc odiosi sitis, sed si diligeremini. Hoc enim subindicat, cum ait: 19. *Si de mundo essetis, mundus quod suum esset diligeret.* Itaque si diligeremini, improbitatis indicium præberetis. Deinde quia his dictis nihil profecerat, iterum prosequitur: 20. *Non est servus major domino suo. Si me persequuti sunt, et vos persequentur.* Hinc maxime ostendit ipsos imitatores fore. Donec enim Christus in carne fuit, contra ipsum certabatur; postquam autem assumptus est, adversus illos pugnatum est. Hinc quia pauci contra tantum populum concertaturi turbabantur, ipsorum animos erigit dicens, hanc esse maxime lætandi causam, quod ab illis odio haberentur: Ita enim, inquit, mihi passionum consortes eritis. Non ergo vos turbari oportet; non enim me potiores estis; siquidem, ut dixi, *Non est servus major domino suo.* Inde tertia sequitur consolatio: quod Pater una cum ipsis contumelia afficiatur. 21. *Hæc omnia facient vobis*, inquit, *propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me*; hoc est, Illum quoque contumelia afficiunt. Ad hæc illos omni venia indignos pronuntians, aliam affert consolationem his verbis: 22. *Si non venissem, et loquutus fuissem eis, peccatum non haberent*; ostendens ipsos inique in se et in discipulos esse acturos. Cur ergo nos in hæc induxisti mala? annon prævidebas bella et odia? Ideo addit: 23. *Qui me odit, et Patrem meum odit.* Non parvum hinc illis supplicium prænuntiat. Quia enim ubique obtendebant, se propter Patrem Christum persequi, illis omnem auferens defensionem, hæc dixit. Nullam enim habent excusationem: verborum doctrinam ipsis præbui, operibus verba confirmavi secundum Moysis legem, qui hæc facienti et dicenti obtemperare jubet omnes, quando dicta et ad pietatem ducunt, et magnis sunt fulta miraculis. Nec simpliciter miracula dixit, sed qualia nemo alius patravit: cujus rei ipsi testes erant cum dicerent: *Numquam homo sic apparuit in Israel* (*Matth.* 9. 33); et, *A sæculo non est auditum, quod quis aperuerit oculos cæci nati* (*Joan.* 9. 32): item de Lazaro, atque similia

multa proferri possent, necnon miraculorum modus: omnia certe nova, et stupenda. Cur ergo, inquit, et te et nos persequuntur? *Quia de mundo non estis. Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret.* Prius in memoriam illis revocat verba, quæ fratribus suis dixerat: sed illic quidem cautius, ne ipsos offenderet; hic vero contra totum revelavit. Et unde liquet nos propterea odio haberi? Ex iis quæ in me facta sunt. Nam quod dictorum gestorumve meorum coarguere potuerunt, ut me non reciperent? Deinde cum res stupenda nobis esset, causam quoque dixit; nempe ipsorum nequitiam. Neque hoc satis habuit, sed etiam prophetam adducit, ostendens illum hæc jam olim prænuntiasse ac dixisse: 25. *Quia odio habuerunt me gratis* (*Psal.* 68. 5) Quod et Paulus facit. Multis enim mirantibus quod Judæi non crediderint, prophetas affert id olim prænuntiantes, et causam proferentes incredulitatis, nempe malitiam et arrogantiam eorum. Quid ergo? si sermonem tuum non servarunt, neque nostrum servabunt: si te persequuti sunt, et nos persequentur: si viderunt signa qualia nullus alius fecit; si verba audierunt non hactenus audita, et nihil profecerunt; si Patrem tuum et te oderunt: cur nos in medios injecisti? quomodo nos fide digni erimus? quis ex contribulibus nos audiet?

3. Ne itaque hæc cogitantes turbarentur, vide quam afferat consolationem. 26. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* 27. *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Ille fide dignus erit: nam Spiritus veritatis est. Ideo non Spiritum sanctum, sed *Spiritum veritatis* ipsum vocavit. Illud vero, *Qui a Patre procedit*, ostendit ipsum omnia accurate nosse, quod etiam de seipso dicit Christus: *Scio unde venio, et quo vado*, et hic de veritate loquens. *Quem ego mittam.* Ecce non Pater solus, sed etiam Filius mittit. Et vos quoque fide digni eritis, qui mecum fuistis, neque ab aliis audistis. Ipsique apostoli hinc asseverantes loquuntur: *Qui cum eo comedimus et bibimus* (*Act.* 10. 41). Quod autem hæc non ad gratiam dicta sint, testificatur ipse Spiritus. (*Cap.* 16) 1. *Hæc loquutus sum vobis, ut non scandalizemini*; cum nempe videbitis multos non credentes, et vos gravia patientes. 2. *Extra synagogam facient vos.* Jam enim decreverant, ut si quis Christum confiteretur, extra synagogam ejiceretur. *Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Ita vestram moliuntur [1] necem, ac si rem piam et Deo gratam agerent. Deinde consolationem rursus affert: 3. *Et hæc facient, quia non noverunt Patrem, neque me.* Vobis ad consolationem satis est, quod propter me et propter Patrem hæc patiamini. Hic illis in memoriam revocat beatitudinem illam, quam in principio protulerat: *Beati estis cum vobis exprobraverint, et persequuti vos fuerint, et dixerint omne malum verbum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete et exsultate, quia merces vestra multa est in cœlis* (*Matth.* 5. 11. 12). 4. *Hæc loquutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini* horum, et cætera fide digna habeatis. Neque enim dicere poteritis me adulandi aut gratiæ ineundæ causa hæc dixisse, neque fallacia esse verba mea. Nam si quis vos decipere vellet, non hæc prædiceret quæ vos deterrere possent. Ideo ergo prædixi, ne istæc inexspectata vos turbarent: et alia quoque de causa, ne diceretis me hæc futura esse non præscivisse. *Reminiscamini* igitur, *quia ego dixi vobis.* Nam semper Judæi obteptum malum afferebant, cur illos persequerentur, ipsos pellentes quasi perniciosos. Verum hæc discipulos non turbabant, quia hæc futura audierant, et sciebant cur paterentur: quæ causa erat ad erigendos ipsorum animos idonea: illamque ideo ubique versat dicens, Non noverunt me; et, Propter me facient, et propter nomen meum, et propter Patrem (*Joan.* 16. 3. *et* 15. 21); et, Ego primus passus sum; et, Non ex justa causa hæc audent.

4. *In tentationibus unde consolatio sumenda.* — Hæc nos quoque in tentationibus animo versemus, cum ab improbis aliquid patimur; ducem nostrum et fidei perfectorem respiciamus; et quod ab improbis, quod propter virtutem, et propter Christum patimur. Nam si hæc cogitemus, facilia omnia et tolerabilia erunt. Nam si pro dilectis aliquid passus quispiam gloriatur; si quis propter Deum passus fuerit, quem malorum sensum habebit? Si enim Christus rem probrosam, crucem nempe, gloriam propter nos vocabat: multo magis nos hoc affectu esse debemus. Et si cruciatus sic contemnere possumus, multo magis pecunias et avaritiam. Oportet ergo, quando quid grave passuri sumus, non labores solum, sed etiam coronas respicere. Ut enim mercatores non maria solum, sed et lucra cogitant: sic et nos cœlum, et eam quæ secundum Deum est fiduciam cogitare oportet. Quod si tibi dulces videantur opes, cogita Christum non id velle, et statim ingratæ tibi videbuntur. Rursum si molestum est pauperibus dare, ne impensam tantum cogites, sed a semente ad messem statim animum transferas. Et si durum tibi videtur abstinere ab amore alienæ uxoris, tecum reputa coronam ex hoc labore partam, et facile laborem feres. Nam si timor hominum a malis facinoribus avertit, quanto magis Christi amor?

Virtutis merces ipsius laborem levat. Eleemosyna commendatur. — Dura virtus est; sed ipsi circumponamus magnas futurorum promissiones. Probi enim ipsam per se virtutem, missis cæteris, speciosam habent, ideoque ipsam colunt, ac propter Dei placitum, non propter mercedem recte agunt: magnamque rem continentiam putant, non ut supplicium vitent, sed quia id Deus præcepit. Si quis vero infirmior sit, is præmia cogitet. Sic circa eleemosynam faciamus, et contribulium nostrorum misereamur: ne fame enectos despiciamus. Quomodo enim non absurdum fuerit, nos ad mensam sedere in risu, in deliciis, dum alios in trivio audimus ejulantes, neque ad ejulantem nos convertere, sed eum moleste ferre, et deceptorem vocare. Quid dicis, o homo? an pro pane uno quis

[1] Quidam habent, *reputabunt*, pro, *moliuntur*.

decipit? Etiam, dices. Ideo ergo magis debet ad commiserationem movere, ideo maxime ex necessitate eruendus est. Si vero dare nolis, saltem ne contumeliam inferas : si nolis ex naufragio eripere, ne impellas in barathrum. Tecum reputa, cum accedentem repellis, quid Deum rogando impetraturus sis. *Qua enim mensura*, inquit, *mensi fueritis*, *remetietur vobis* (*Matth.* 7. 2). Cogita quomodo ille repulsus abeat, prono capite, lugens, paupertatis simul et contumeliæ vulnus referens. Nam si mendicare maledictum putatis, petentem non accipere, et cum contumeliis discedere, cogita quantam excitet tempestatem. Quousque feris similes erimus, et naturam ipsam per avaritiam ignorabimus? Multi de his ingemiscunt : at volo non nunc tantum, sed semper hanc misericordiam obtinere. Cogita mihi diem illam, qua stabimus ante tribunal Christi : quando misericordiam petemus, et in medium adductos Christus sic alloquetur : Propter panem unum, aut unum obolum, tantam in horum animis excitatis tempestatem; quid dicemus? quam defensionem afferemus? Quod enim ipsos in medium adducturus sit, audi ex ejus verbis : *In quantum non fecistis uni ex his*, *neque mihi fecistis* (*Matth.* 25. 45). Neque enim illi tunc dicent aliquid ad nos, sed Deus pro illis nos coarguet. Nam Lazarum quidem dives vidit, Lazarusque nihil ei dicit, sed Abraham pro eo loquutus est. Sic et pauperibus eveniet, qui nunc a nobis spernuntur. Non enim manum extendentes videbimus, misero habitu, sed in requie constitutos. Nos autem illorum speciem et habitum induemus : atque utinam solum habitum, nec, quod multo gravius erit, supplicium. Neque enim dives ille de micis saturari cupiebat ibi, sed torrebatur et graviter cruciabatur; et audivit : *Recepisti bona in vita tua, et Lazarus mala* (*Luc.* 16. 25). Ne igitur magnum quidpiam esse divitias existimemus. Hæ namque viaticum ad supplicium nobis erunt, nisi attendamus; ut contra, si attendamus, paupertas additamentum nobis erit deliciarum et quietis. Nam peccata abstergimus si hanc cum gratiarum actione toleremus, et magnam apud Deum acquirimus fiduciam.

5. Ne ergo semper requiem quæramus, ut illic requie fruamur; sed pro virtute labores suscipiamus, superflua resecemus, et nihil amplius quæramus, sed in pauperes omnia nostra effundamus. Quænam nobis erit excusatio, quando ipse nobis cælum promittit, nos autem neque panem ipsi præbemus? cum ipse tibi solem oriri curet (*Matth.* 5. 45), et omne tibi creaturarum ministerium præbeat; tu vero ne vestem quidem des ipsi, neque ipsum tecti consortem facias? Et quid dico solem et creaturam? Corpus tibi suum dedit, et sanguinem pretiosum; tu vero ne potum quidem illi præbes? At semel dedisti? Verum non est hoc misericordia : donec enim habens non dederis, nondum totum implevisti. Nam virgines quæ lampades habebant, oleum quoque habebant, sed non sufficiens. Oportebat, si tua dares, non ita parcum esse : nunc vero cum ea quæ Domini sunt largiris, cur tam tenax es? Vultisne dicam tantæ causam inhumanitatis? Hi qui per avaritiam colligunt, ad eleemosynam sunt pigri : nam qui ita lucrari didicit, expendere nescit. Quomodo enim sic ad rapinam paratus, ad contrarium se converterit? qui aliena rapit, quomodo sua alii dabit? Etenim canis qui carnibus vesci assuevit, non ultra potest gregem custodire : ideo eos qui hujusmodi sunt pastores mactant. Quod ne nos etiam patiamur, a tali cibo abstineamus. Nam hi carnibus vescuntur, qui per famem mortem inducunt. Non vides quomodo omnia communia nobis Deus permisit? Nam si pauperes esse permisit, id in divitum gratiam fecit, ut possent per eleemosynam peccata deponere. Tu vero hac in re crudelis et inhumanus es. Unde liquet te, si in majoribus hanc haberes potestatem, innumeras admissurum cædes, et lucem vitamque omnibus interclusurum fuisse. Quod ne fieret, insatiabilitati tali viam præcidit. Quod si hæc audientes ægre fertis, multo magis ego, qui hæc videam. Quousque tu dives, ille pauper erit? Usque ad vesperam : ulterius non licet. Adeo enim brevis est vita, et omnia jam in januis sunt, ut brevis hora omnia existimanda sint. Quid tibi opus est redundante penu, quid servorum et dispensatorum grege? cur non potius tibi mille eleemosynæ præcones comparas? Penus nullam emittit vocem, sed fures multos allicit : penus vero pauperum ad Deum ipsum ascendit, præsentem vitam reddit suavem, omniaque solvet peccata, ac gloriam apud Deum, honorem apud homines afferet. Cur ergo tibi tot bona invides? Tibi enim longe magis quam pauperibus beneficium præstas : illis namque præsentia largiris; tibi vero futuram gloriam et fiduciam apparas : quam nos omnes utinam assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula. Amen.

HOMILIA LXXVIII.

CAP. 16. v. 5. *Hæc autem ab initio vobis non dixi, quia vobiscum eram. Nunc autem vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?* 6. *Sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.*

1. *Tristitia quæ bona sit.* — Magna tristitiæ vis, et multa nobis opus est fortitudine, ut huic animi morbo generose resistamus; et hinc parta utilitate, quod superfluum in illa est, relinquamus : aliquid enim utilitatis habet. Nam cum peccamus vel nos vel alii, tunc solum tristitia bonum est : cum autem in humanas incidimus calamitates, inutilis tristitia est. Quia ergo discipulos nondum perfectos hæc oppugnabat, vide quomodo Christus illos etiam increpatione adhibita corrigat. Nam qui millies illum antea interrogaverant, ut cum Petrus diceret, *Quo vadis?* et Thomas, *Nescimus quo vadis : et quomodo possumus viam scire* (*Joan.* 13. 36. *et* 14. 5)? et Philippus, *Ostende nobis*

Patrem tuum (*Joan.* 14. 8) : hi nunc audientes, *Extra synagogam facient vos;* et, Odio habebunt; et, *Qui interficiet vos, arbitrabitur se obsequium præstare Deo* (*Ibid.* 15. 19. *et* 16. 2); ita animo conciderunt, ut ne mutire quidem possent vel loqui. Quod exprobrans eis dicebat : *Hæc ab initio non dixi vobis, quia vobiscum eram. Nunc autem vado ad eum, qui me misit; et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Nimia quippe tristitia gravis est; gravis, inquam, et ad mortem viam parat. Ideo Paulus dicebat : *Ne abundantiore tristitia absorbeatur ille. Hæc autem ab initio vobis non dixi* (2. *Cor.* 2. 7), inquit. Cur ab initio non dixit? Ne quis diceret eum a sæpe contingentibus conjecturam fecisse. Et cur rem aggreditur tam difficilem? Hæc, inquit, ab initio sciebam, nec ideo tacebam quod nescirem; sed *Quia vobiscum eram.* Hoc rursum humano more dicitur; id est : Quia in tuto eratis, et poteratis pro lubito sciscitari, atque in me totum bellum vertebatur; superfluumque fuisset hæc ab initio dicere. An ergo non dixit? nonne convocatis duodecim dicebat, *Ad præsides et reges ducemini, et flagellabunt vos in synagogis* (*Matth.* 10. 18. 17)? cur ergo ait, *Ab initio non dixi?* Quia verbera et abductiones prædixerat; non tamen significaverat cædem eorum ita cordi fore hostibus ut rem divinum cultum esse putarent. Hoc enim maxime illos deterrere poterat, si tamquam impii et perniciosi erant judicandi. Ad hæc vero, tunc ea quæ a gentilibus passuri erant prænuntiabat; hic vero Judaica addidit, et cum majore vehementia, docuitque in januis illa esse. *Nunc autem vado ad eum qui me misit, et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Non parva hæc consolatio erat, quod ipsi scirent nosse illum quanto in mœrore essent. Nam præ anxietate, ob discessum ejus et mala ipsos invasura, quæ utrum ferre possent ignorabant, attoniti erant. Cur non dixit illis postea, cum acceperunt Spiritum sanctum? Ut discas illos jam in virtute firmatos fuisse. Si enim nondum Spiritu dignati non resilierunt, licet tristitia obruti, cogita quales futuri erant gratia repleti. Nam si tunc his auditis rem tulissent, totum Spiritui repularemus : nunc vero totus animæ eorum fructus est, et clara ex nuda anima profecti amoris erga Christum demonstratio. 7. *Sed ego veritatem dico vobis.* Vide quomodo rursum consolatur illos. Non ad gratiam loquor, inquit; sed etiamsi admodum contristemini, quod expedit audiendum est. Vos ut adsim optatis, usus aliud postulat. Curatoris autem est, non parere amicis, si quando rem sibi utilem amoveri velint. *Si ego non abiero, Paracletus non veniet.* Quid hic dicunt illi, qui de Spiritu non recte sentiunt? expeditne Dominum abire, et servum venire? Viden' quanta sit Spiritus dignitas? *Si autem abiero, mittam illum ad vos.* Ecqua hinc utilitas? 8. *Cum venerit ille, arguet mundum;* id est, Non impune hæc facient, si ille venerit. Quæ jam facta sunt enim, erant ad silentium ipsis imponendum satis : cum autem hæc per illum facta fuerint, perfectiorque doctrina et majora miracula fuerint, multo magis damnabuntur, tot tantaque videntes in nomine meo fieri; quod clariorem reddit resurrectionis demonstrationem. Nunc enim dicere possunt, fabri filium esse, cujus nos patrem et matrem novimus : cum viderint autem solutam mortem, pulsam malitiam, claudicantem naturam recte incedentem, fugatos dæmonas, immensam Spiritus largitionem, et hæc nominis mei invocatione fieri : quid dicent? Testimonium perhibuit de me Pater, perhibebit et Spiritus. Atqui a principio hoc fecit; sed etiam nunc faciet.

2. *Quid est*, Arguet de peccato. *Quid*, De justitia. *Quid*, De judicio.—Illud autem, 9. *Arguet de peccato*, id est, Omnem excusationem eis auferet, ostendetque illorum scelera sine venia esse. 10. *Et de justitia, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me;* id est, Quia irreprehensibilem vitam duxi : cujus rei indicium est, quod ad Patrem vadam. Quia enim semper illum accusabant, quod ex Deo non esset, et ideo illum peccatorem et iniquum dicebant, se hanc illis criminandi ansam sublaturum esse dixit. Nam si putare me non ex Deo esse, id me transgressorem exhibet : cum Spiritus me illo abeuntem, non ad horam, sed ut ibi maneam, ostenderit (illud enim, *Jam non videbitis me*, hoc indicat), quid postea dicent? Vide pravam opinionem per hæc duo sublatam. Nam signa facere non est peccatoris, neque enim id potest peccator, neque a Deo esse peccatoris est. Ergo non ultra potestis dicere ipsum peccatorem, nec ex Deo non esse. 11. *De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.* Hic rursum de justitia sermonem habet, quia adversarium superavit, quod peccator non potuit, neque justus quivis hominum. Quod enim propter me condemnatus sit, scient ii qui in posterum illum calcabunt, et resurrectionem meam manifeste videbunt, id quod condemnantis est. Neque enim me potuit detinere. Quia ergo dicebant, me dæmonium habere et deceptorem esse : hæc omnia futilia esse deprehendentur. Non enim illum cepissem, si peccato essem obnoxius : nunc vero condemnatus et ejectus est. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Expedit ergo ut ego vadam, siquidem tunc portaturi estis, cum abiero. Et quid factum est? an Spiritus te major est, quando nunc non portamus, et ille nos ad portandum idoneos reddet? num major et perfectior est ejus efficacia? Minime : nam ille quæ mea sunt dicet. Ideo ait : 13. *Nihil loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit.* 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Cum dixisset, Ille vos docebit et vobis suggeret, atque in ærumnis vos consolabitur, quod ipse non fecit; et, *Expedit ut ego vadam*, et ut ille veniat; et, Nunc quidem non potestis portare, tunc vero poteritis; et, Vos deducet in omnem veritatem : ne his auditis, majorem esse Spiritum putarent, et in extremam inciderent impietatem, ideo ait : *De meo accipiet;* id est, Quæ ego dixi, e

ille dicet. Cum vero dicet, *Nihil a se loquetur*, nihil contrarium, nihil proprium aut alienum, sed mea loquetur. Ut igitur de seipso loquens ait, *A meipso non loquor* (*Joan.* 14. 10), id est, Nihil nisi quæ Patris, nihilque proprium vel ab illo alienum : ita et de Spiritu intelligendum. Illud vero, *De meo*, id est, De iis quæ novi, de mea cognitione. Una quippe est mea et Spiritus scientia. *Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* Illorum erigit animos : nullius enim tam cupidum est humanum genus, quam futura discendi. Hoc enim frequenter interrogabant eum, *Quo vadis?* quæ est via? Hac igitur cura eximens illos, dicit : Omnia vobis prædicet, ne incauti ruatis. *Ille me clarificabit.* Quomodo? In nomine meo opera efficiet. Quia enim post adventum Spiritus majora edituri signa erant, ideo æqualitatem indicans ait : *Ille me clarificabit.* Quam vero dicit *omnem veritatem?* Nam testificatur, quod nos deducturus sit ad omnem veritatem. Ipse namque quia carne indutus erat, et ne videretur de seipso magnifice loqui, quia item discipuli resurrectionem non noverant, et adhuc imperfectiores erant, tum propter Judæos, ne tamquam legis transgressorem punire viderentur, non sæpe magnum quidpiam de se loquebatur, neque aperte a lege dissentiebat. Quia vero discipuli ab illis discissi erant, et Judæi extra positi, multique credituri et peccata abstersuri erant, aliique erant qui de ipso loquerentur, jure ille non magna ulterius de se dicebat. Itaque non est ignorantiæ meæ adscribendum, quod non dicam, quæ dicere oporteret, sed auditorum imbecillitati. Ideo cum dixisset, *Deducet vos in omnem veritatem*, addidit : *Non loquetur a semetipso.* Quod enim Spiritus doctrina non egeat, audi Paulum dicentem : *Ita et quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei* (1. *Cor.* 2. 11). Quemadmodum ergo spiritus hominis non ab alio doctus novit : ita Spiritus sanctus *De meo accipiet;* id est, Verbis meis consona dicet. *Omnia quæcumque Pater habet, mea sunt.* Quia ergo mea sunt illa, Spiritus autem ex iis quæ Patris sunt loquetur, ex meis loquetur.

3. *Quare Spiritus non ante advenerit quam recessisset Christus. Hypostasium distinctio. Æqualitas Personarum.*— Cur autem non venit Spiritus antequam ille discederet? Quia cum nondum maledictum sublatum erat, nondum peccatum erat solutum, sed adhuc omnes supplicio obnoxii erant, non venerat ille. Oportet ergo, inquit, inimicitiam solvi, et nos Deo reconciliari, tuncque donum illud accipere. Sed cur dicit, *Mittam eum?* Id est, Vos præparabo ad illum recipiendum. Quomodo enim qui ubique est, mittatur? Alioquin autem hypostasium distinctionem ostendit. Ideo hæc ita loquitur : et cum vix possent illi separari, ut Spiritui hæreant, ipsumque colant, suadet. Poterat enim et ipse hæc operari; sed ideo ipsum miracula patrare sinit, ut ejus dignitatem ediscant. Sicut enim Pater quæ sunt producere potuit, Filius autem idipsum facit, ut ejus discamus potentiam : sic et Spiritus. Ideo ipse incarnatus est, Spiritui operationem reservans, ut eorum obstrueret ora, qui ineffabilis benignitatis argumentum in occasionem impietatis arriperent. Cum enim dicunt, Ideo incarnatus est Filius, quia inferior Patre erat, ipsis respondebimus : Quid ergo dicetis de Spiritu sancto? Non enim carnem accepit, neque tamen ideo majorem Filio dicetis, neque Filium illo inferiorem. Ideo ab baptismum Trinitas assumitur. Nam Pater totum perficere potest, et Filius, et Spiritus sanctus : verum quia de Patre nemo dubitat, sed dubium circa Filium et Spiritum sanctum versatur, in initiatione assumitur, ut in communi largitione ineffabilium bonorum, dignitatis communionem ediscamus. Nam quod Filius per seipsum ea possit, quæ in baptismate cum Patre potest, atque etiam Spiritus sanctus, clare dictum audi. Nam Judæis dicebat : *Ut sciatis quia potestatem habet Filius hominis in terra dimittendi peccata* (*Marc.* 2. 10); et rursum, *Ut filii lucis sitis;* et, *Ego vitam æternam do eis;* et postea, *Ut vitam habeant, et abundantius habeant* (*Joan.* 12. 36. *et* 10. 28. 10). Videamus quoque Spiritum hoc ipsum facientem. Ubinam? *Unicuique*, ait, *manifestatio Spiritus datur ad utilitatem* (1. *Cor.* 12. 7). Qui ergo hæc exhibet, multo magis peccata dimittit. Et iterum, *Spiritus est qui vivificat* (*Joan.* 6. 64); et, *Vivificabit per inhabitantem Spiritum in vobis* (*Rom.* 8. 11); et, *Spiritus vita per justitiam* (*Ibid.* v. 10); et rursum, *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege* (*Gal.* 5. 18). *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum* (*Rom.* 8. 15). Tunc vero quæ faciebant miracula, per Spiritum qui supervenerat edebant. Et Corinthiis scribens dicebat Paulus : *Sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri* (1. *Cor.* 6. 11). Cum igitur multa de Patre audissent, et Filium vidissent multa operantem, de Spiritu autem nihildum manifeste scirent : ipse miracula edit, et perfectam inducit cognitionem. Sed ne hinc major esse putaretur, ut dixi, ideo ait : *Quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt, annuntiabit.* Nam nisi hoc esset, quomodo non absurdum foret, si tunc auditurus esset, et propter discipulos? Neque enim secundum vos tunc notitiam accepturus erat, nisi propter auditoros. Quo dicto quid iniquius fuerit? Alioquin, quid auditurus erat? nonne hæc omnia dixerat per prophetas? Nam sive de legis solutione loquuturus erat, sive de Christo, de divinitate, et de incarnatione, hæc jam dicta fuerant. Quid enim apertius postea dicturus erat? *Et quæ ventura sunt, annuntiabit.* Hic maxime ostendit ejus dignitatem : nam Dei maxime proprium est, futura prædicere. Quod si hoc discat ab aliis, nihil plus quam prophetæ habebit : sed hic accuratissimam in Deo cognitionem ostendit, quod nihil aliud loqui possit. Illud vero, *De meo acipiet;* nempe de gratia quæ in carnem meam advenit, sive de illa ipsa, quam ego habeo cognitione; non quasi egeat, vel ab alio discat, sed quod una eademque sit cognitio. Cur vero sic, neque aliter dixit? Quia nondum Spiritus notitiam habebant. Quare unum tantum curat, ut credatur et

accipiatur ab eis, nec scandalizentur. Quia enim dixerat: *Unus est Magister vester Christus* (*Matth.* 23. 8); ne putarent Christo non habere fidem, si illi crederent, Una est, inquit, et mea et illius doctrina; ex iis quæ ego dicturus eram, ex iisdem et ipse dicet. Ne putetis alia ab illo dici; nam illa mea sunt, meamque gloriam celebrant. Una enim est voluntas Patris, Filii, et Spiritus sancti. Ita et nos esse vult dicens: *Ut sint unum, sicut ego et tu unum sumus* (*Joan.* 17. 11).

4. *Concordiæ bonum.* — Nihil enim par concordiæ et consensui: unus enim ita multiplex est. Si enim concordes sint duo vel decem, non amplius quisque unus est; sed unusquisque eorum decuplex erit, et invenies in decem illis unum, et in uno decem illos. Si inimicum habeant, non quasi unum aggrederetur, sed quasi decem aggressurus, vincitur. Non enim ab uno tantum, sed a decem impetitur. Indiget unus? Sed non in egestate est; nam majore parte, nempe novem aliorum abundat, et pars illa deficiens tegitur, minor ab ampliore. Singuli eorum viginti manus habent, viginti oculos, pedes totidem. Non suis enim modo oculis respicit, sed et aliorum, nec suis tantum gestat pedibus, nec suis solum manibus operatur, sed et alienis. Animas decem habet: non enim ipse solum sua curat, sed et alii quoque. Si vero centum essent, idem contingeret, et virtus augeretur.

Caritatis excellentia. — Vidistin' caritatis excellentiam, quomodo unum reddat inexpugnabilem et multiplicem? quomodo unus possit simul esse et in Perside et Romæ? Quod non potest natura, id dilectio potest. Pars quippe ejus hic erit, pars illic; imo totus hic, totus illic. Si vero mille sive bis mille amicos habeat, considera in quantam sit perventurus potestatem. Viden' quantum dilectio augmentum efficiat. Illud enim mirabile est, quod unus mille efficiatur. Cur ergo non tantam nobis potestatem conferimus, nec nos in securitate constituimus? Hoc potentia et divitiis quibuslibet præstantius est; hoc valetudine, hoc ipsa luce melius est; hoc lætitiæ argumentum. Usquequo in uno et duobus dilectionem circumscribemus? Ex contrario rem edisce. Sit quispiam qui nullum habeat amicum, quod extremæ est amentiæ (fatuus enim dicet, Non est mihi amicus); hujusmodi homo quam ducet vitam? Quamvis enim ditissimus sit, quamvis in rerum copia et deliciis, quamvis innumera bona possidens, nudus prorsus desertusque est. In amicis non sic; etsi enim pauperes sint, divitibus sunt opulentiores: et quæ ipse pro seipso dicere non audet, amicus dicet: quæ sibi præstare nequit, per alium poterit, imo longe plura, atque sic et voluptatis et securitatis nobis causa erit. Nec potest ipsi quidpiam mali accidere qui tot satellitibus cingitur. Neque enim regii satellites ita vigiles et diligentes sunt, ut isti. Illi namque necessitate et metu ducti custodiunt, hi benevolentia et dilectione: amoris autem longe major vis est, quam timoris. Ille custodes suos metuit, hic illis magis quam sibi fidit, et his fultus neminem insidiatorem formidat. Has ergo merces nobis comparemus: pauper, ut in paupertate consolationem habeat; dives, ut divitias in tuto habeat; princeps, ut cum securitate imperet; subditus, ut benevolos habeat principes. Hæc benevolentiæ, hæc mansuetudinis occasio est. Nam inter feras illæ maxime sævæ et intractabiles sunt, quæ non in gregem coeunt. Ideo urbes incolimus, fora habemus, ut una versemur. Id Paulus jubet dicens, *Non deserentes collectionem nostram* (*Hebr.* 10. 25). Nihil enim pejus solitudine, ac societatis et aditus privatione. Quid ergo monachi, inquies, et ii qui cacumina montium occupant? Neque illi vacant amicis; sed dum fori tumultus fugiunt, multos habent socios, et amoris vinculo conjunctos: quod ut assequerentur, secesserunt. Quia enim negotiorum contentiones multas pariunt rixas: ideo secedentes, dilectionem accuratissime colunt. Et quid, inquies, si quis solus sit, num innumeros habebit amicos? Ego certe vellem, si fieri posset, ut etiam simul versari liceret: interim vero firma maneat amicitia. Non enim locus amicos facit. Multos illi habent laudatores, qui non laudarent, nisi amarent. Et ipsi rursum pro toto orbe precantur, quod maximum est amicitiæ argumentum. Ideo in mysteriis nos mutuo amplectimur (*a*), ut multi unum efficiamur: et pro non initiatis communes effundimus preces, pro infirmis, pro orbis fructibus, pro terra et mari. Viden' totam dilectionis vim, in orationibus, in mysteriis, in admonitionibus? Hæc omnium est causa bonorum. Si huic diligenter inhæreamus, præsentia recte administrabimus, et regnum consequemur: quod utinam omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) In mysteriis Christiani se mutuo amplectebantur.

HOMILIA LXXIX.

Cap. 16. v. 16. ***Modicum**, et non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem.* 17. ***Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem**: Quid est hoc quod dicit, **Modicum**?* etc.

1. Dolentem et tristitia affectum animum nihil ita dejicere solet, ut frequenter repetita verba mœrorem afferentia. Cur ergo Christus cum dixisset, *Vado*, et, *Non ultra loquar vobiscum*, frequenter hæc repetit dicens: *Modicum, et jam non videbitis me*; et, *Vado ad eum qui misit me?* Cum enim illos per verba de Spiritu sancto recreasset, rursum illorum animos dejicit. Cur ergo id facit? Eorum animum explorat, et probatiorem efficit, et probe illos assuefacit ad tristia audienda, ut discessum suum generose et fortiter ferant. Nam qui ex verbis hæc meditati fuerant, reipsa facilius postea laturi erant. Quod si quis accurate examinaverit, hoc

ipsum consolatio est, quod dicat se ad Patrem ire. Significat enim se non periturum, sed mortem ejus esse translationem. Aliam quoque consolationem ipsis indidit. Non enim tantum dixit, *Modicum, et non videbitis me;* sed et addidit, *Modicum, et videbitis me;* indicans se rediturum esse, et brevem fore separationem, perpetuumque cum illis consortium. Hoc certe illi non intellexerunt. Unde jure miretur quispiam, quomodo cum hæc frequenter audissent, ita dubitarent quasi nihil audissent. Quare ergo non intellexerunt? Aut propter tristitiam, ut arbitror; ipsa enim dictorum omnium memoriam eliminabat; vel ob dictorum obscuritatem, ut contraria protulisse videretur, quæ vere contraria non erant. Si te videbimus, aiunt, quo vadis? si vadis, quomodo te videbimus? Ideo dicunt, *Nescimus quid loquitur.* Quod enim abiturus esset, id noverant: ignorabant autem ipsum paulo post esse rediturum. Ideo increpat illos quod dictum non nossent. Nam cum vellet de morte doctrinam illis vehementer inculcare, quid ait? 20. *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos;* in morte scilicet et cruce; *mundus autem gaudebit.* Quia enim cum id nollent, facile inducebantur ut crederent, ipsum non moriturum esse, dubiique erant, ignorantes quid significaret illud, *Modicum;* ait ille: *Plorabitis et flebitis; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Resurrectio partui comparatur. — Deinde postquam ostendit post tristitiam sequuturum gaudium esse, mœroremque lætitiam pariturum, ipsumque brevem esse futurum, lætitiamque perpetuam, ad vulgare decurrit exemplum: et quid ait? 21. *Mulier cum parit, tristitiam habet.* Qua parabola prophetæ frequenter usi sunt, mœroremque partus doloribus comparantes. Hoc autem vult significare: Vos ceu partus dolores invadent; at partus dolor est lætitiæ causa: sic et futuram resurrectionem confirmans, ostendensque hinc abire perinde esse atque ex utero in splendidam egredi lucem; ac si diceret, Ne miremini quod per hunc dolorem vos ad utilia ducam: nam mater sic per dolorem mater efficitur. Hic etiam mysticum quidpiam subindicat, quod ipse quoque mortis dolores solverit, et novum hominem regenerari curaverit. Non dixit autem solum tristitiam transituram, sed ne memorat illam quidem; tantum erat adventurum gaudium. Sic sanctis eveniet. Atqui non ideo gaudet mulier, quia venit homo in mundum, sed quia sibi natus est infans. Nam si ideo gauderet, nihil impediret quominus illæ quæ non pariunt, de aliis parentibus gauderent. Cur ergo sic loquutus est? Quia ad hoc solum usus est exemplo, ut ostenderet temporaneum esse dolorem, gaudium vero perpetuum; mortem esse translationem ad vitam, magnumque partus dolorum lucrum. Nec dixit, Natus est infans, sed, *Homo.* Hic enim resurrectionem suam subindicare videtur, et quod non morti illi parienti, sed regno nasceretur. Ideo non dixit, Natus est ei infans, sed, *Homo natus est in mundo.* 22. *Et vos nunc quidem tristitiam habebitis; iterum autem videbo vos, et tristitia vestra vertetur in gaudium.* Deinde quod non ultra moriturus sit, inquit: *Et nemo illud tollet a vobis.* 23. *In illa die me non rogabitis quidquam.* Iterum autem nihil aliud his confirmat, quam quod a Deo sit. Tunc scietis omnia. Quid sibi vult autem, *Me non rogabitis?* Mediatore opus non habebitis, sed sufficiet solum nomen proferre ut totum accipiatis; *Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo* (*a*). Ostendit nominis potestatem, siquidem nec visus nec rogatus, sed nominatus tantum, apud Patrem mirabiles reddit. Ubi autem hoc factum est? Ubi dicunt: *Respice ad minas eorum, et da servis tuis cum fiducia loqui sermonem tuum, et facere in nomine tuo signa. Et concussus est locus ubi erant* (*Act.* 4. 29-30. 31). 24. *Usque modo non petistis quidquam* (*b*). Hinc ostendit rursum, expedire ut abeat, siquidem usque ad illud tempus nihil petierunt; tunc accipient omnia quæcumque petierint. Neque enim, licet vobiscum deinceps non versaturus sim, putetis vos derelictos fuisse: nomen meum majorem dabit vobis fiduciam.

2. Cum ergo dicta illa obscuriora essent, ait: 25. *Hæc in proverbiis loquutus sum vobis. Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis.* Erit tempus, cum omnes clare intelligetis; hoc est, resurrectionis tempus. Tunc palam de Patre annuntiabo vobis. Nam quadraginta diebus versabatur loquebaturque cum illis, convescens et exponens ea quæ ad regnum Dei pertinebant (*Act.* 1. 3. 4). Nunc enim metu correpti, dictis non attenditis: tunc resuscitatum videntes, et una versantes, poteritis fidenter omnia discere; quia Pater vos amabit, cum vestra de me fides firmior erit. 26. *Et non rogabo Patrem.* Sufficit vestra in me dilectio ad patrocinium. 27. *Quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum. Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Cum enim resurrectionis verbum non parum eos consolatum esset, necnon quod audirent illum a Patre exivisse, et eodem redire, frequenter illa versat. Alterum enim pollicebatur, quod recte in ipsum crederent; alterum, quod in tuto esse deberent. Quando igitur dicebat, *Modicum, et non videbitis me; et Modicum, et videbitis me,* jure quid sibi vellet ignorabant: nunc vero non item. Quid autem significat, *Me non interrogabitis?* Non dicetis, *Ostende nobis Patrem tuum,* et, *Quo vadis* (*Joan.* 14. 8. *et* 13. 36)? quia omni cognitione pleni eritis, et erga vos afficietur Pater sicut et ego. Hoc maxime illis bonam spem indidit, quod discerent futuros se Patri amicos. Ideo dicunt: 28. *Nunc scimus quia nosti omnia.* Viden' quomodo secundum affectum animi ipsorum responderet? *Et*

(*a*) Hæc evangelii clausula non legitur apud BB., illam vero sequentia postulare videntur, posuitque Savilius.

(*b*) Hæc suo marte adjecit Savilius: et quidem hoc loco desiderantur, et a librariis sunt omissa. Qua de re sic ille loquitur in notis: *His verbis præposuimus verba contextus, quæ tamen Codices nostri non exhibebant. Hoc autem in Chrysostomi exemplaribus sæpe fieri, ex eoque obscuritatem magnam nasci, quæ textu apposito facile tolletur, præmonitum volo eruditum lectorem. Erit enim hoc documentum ad plurima Chrysostomi nostri loca corrigenda et illustranda diligenti lectori perutile.* Ejus exemplum sequuti, hæc quæ mox explicantur, adjecimus.

non est opus tibi, ut quis te interroget. Id est, Antequam audias, vides quid nos perturbet, et recreasti nos dicendo, *Pater vos amat, quia vos me amastis.* Post tot et tanta, tunc tandem dicunt, *Nunc scimus* (*Joan.* 16. 30). Viden' quam rudes adhuc essent? Deinde quia, ceu gratias agentes, dicunt, *Nunc scimus,* ait ille, Multis aliis opus habetis, ut perfectionem attingatis: nihil adhuc a vobis perfectum est. Nunc igitur me inimicis tradetis, et tanta vos invadet formido, ut neque simul abscedere possitis. Sed nihil hinc ego damni patiar. Viden' quomodo rursum attemperatus sermo sit? Hac ergo de re illos accusat, quod perpetuo indulgentia opus haberent. Cum enim dicerent, 29. *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis,* 30. *et* ideo *credimus tibi;* ostendit etiam nunc cum credunt, nondum credere, nec se illorum dicta admittere. Hæc vero dicit ad aliud illos tempus remittens. Illud autem, 32. *Pater mecum est,* propter eos iterum posuit: hoc enim illos discere semper voluit. Deinde ut ostendat se hæc dicendo nondum illis perfectam tradidisse notitiam; sed ne ratiociniis exagitarentur (verisimile enim erat eos humana quædam cogitasse, metuisseque se nullum ab eo auxilium habituros esse), ait: 33. *Hæc loquutus vobis, ut in me pacem habeatis;* id est, Ut non excidam ex animo vestro, sed me recipiatis. Ne quis ergo hæc dicta in dogma trahat: nam hæc ad nostram consolationem dilectionemque dicta sunt. Neque enim hæc tantum patiemini: ærumnæ vestræ tandem sedabuntur; sed donec in mundo eritis, in ærumnis versabimini, non solum nunc cum trador, sed etiam postea. Sed animum erigite: nihil enim grave patiemini. Postquam enim Magister inimicos vicerit, non oportet discipulos contristari. Et quomodo, quæso, mundum vicisti? Jam dixi, me principem ejus ejecisse foras; scietis autem postea, cum omnes cedent vobis, et obtemperabunt.

3. *Homines quomodo sint immortales.* — Licet enim nobis quoque vincere, si voluerimus ducem fidei nostræ respicere, et illa via, quam ille aperuit, incedere. Ita neque mors nos superabit. Quid ergo? inquies; an non moriemur? hinc enim constaret mortem non vicisse. Atqui tunc certator clarus est, non quando cum hoste non confligit, sed quando congressus non vincitur. Non ergo propter congressum mortales, sed propter victoriam immortales. Tunc enim mortales essemus, si perpetuo in morte maneremus. Ut enim longissimæ vitæ animalia non immortalia dixerim, etsi diuturno ante mortem vivant tempore: sic nec mortalem dixerim eum, qui post mortem resurrecturus est. Dic, quæso, si quis ad breve tempus erubesceret, illumne perpetuo rubrum diceremus? Minime: non enim id habitus est. Si quis pallidus fieret, an hunc regio morbo captum diceremus? Minime: temporaneus quippe morbus est. Ne ergo mortalem dicas eum, qui modico tempore in morte fuit. Nam sic dormientes possemus mortuos appellare: sunt enim, ut ita dicam, mortui, nihilque operantes. Sed mors corpora corrumpit? Et quid hoc? non enim moriuntur ut in corruptione maneant, sed ut meliora evadant. Vincamus ergo mundum; ad immortalitatem curramus, sequamur regem, ipsi tropæum erigamus, voluptates despiciamus. Non opus est laboribus; animam transferamus ad cælum, et totus mundus victus est. Si illum non concupiscas, victus est; si derideas illum, superatus est. Hospites sumus et peregrini: de nulla ergo re tristi doleamus. Neque enim si ex florente patria et claris majoribus ortus, in longinquam migrares terram, nemini notus, sine liberis, sine opibus, deinde a quopiam contumeliam acciperes, perinde ægre ferres ac si domi id passus esses. Cum scires enim te in peregrina et aliena regione esse, id tibi omnia facile ferenda et contemnenda esse suaderet, et famem et sitim et si qua alia. Hoc etiam nunc cogita: te nempe advenam et peregrinum esse, et utpote in aliena regione a nulla re turberis. Civitatem enim habes, cujus opifex et creator est Deus; hæc vero peregrinatio ad breve tempus est. Qui vult verberet, contumeliis et conviciis oneret. In peregrina terra sumus, et misere vivimus. Grave quippe esset id in patria pati, inter concives; tunc maxima esset infamia et jactura. Si autem ibi quis esset, ubi neminem sibi notum habet, omnia facile toleraret. Contumelia enim ex inferentis voluntate gravior judicatur. Ut exempli causa, si quis prætorem sibi notum contumelia afficeret, tunc contumelia esset acerba; si autem privatum esse ratus offenderet, ne attingere quidem videretur eum cui infertur. Sic nobiscum reputemus. Neque enim contumeliosi illi quinam simus sciunt; nempe cælorum cives, in supernam adscripti patriam, et inter Cherubinorum choreas. Ne itaque doleamus, neque contumeliam putemus esse contumeliam. Nos si cognoscerent, non utique læderent. Sed nos pauperes miserosque putant? Ne ergo id pro contumelia habeamus. Dic enim mihi, si quis iter agens servos suos aliquandiu in diversorio exspectaret, caupo autem vel viator, seu alius quispiam ignarus, illi malediceret et conviciaretur, nonne illius ignorantiam rideret, illiusque errore delectaretur? nonne lætaretur ac si alius, non ipse, afficeretur contumelia? Ita et nos faciamus. Nam in diversorio sedemus, viæ socios exspectantes. Cum omnes conveniemus, tum quos læserint, intelligent. Tunc, demisso capite, dicent: Hic est quem nos stulti habuimus in derisum (*Sap.* 5. 3).

4. His ergo duobus consolationem accipiamus, et quod non nos injuriam accipiamus (non enim sciunt quinam simus), tum quod, si ulcisci velimus, pœnas illi gravissimas demum sint daturi. Verum absit ut quispiam tam crudelis et inhumanus sit. Quid si a contribulibus nostris injuriam accipiamus? illud enim molestum esset. Imo levissimum. Quare? Quia non pari modo dilectos atque ignotos conviciantes toleramus. Hæc contumelia affectis hortandi causa sæpe dicimus: Frater est qui læsit, fortiter feras: pater est, vel patruus. Quod si fratris vel patris nomina revereris, dicam quid propinquius. Non solum enim fratres mutuo sumus, sed et membra et corpus unum.

Quod si fratris nomen reveremur, multo magis membri. Non audisti externum illud proverbium, amicos cum vitiis esse ferendos? non audisti Paulum dicentem, *Alter alterius onera portate* (*Gal.* 6. 2)? annon amatores vides? Cogor enim, quia vobis tale exemplum mutuari non possum, ad illud recurrere: quod ipsum facit Paulus sic dicens: *Deinde patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur* (*Hebr.* 12. 9). Imo illud opportunius dicatur, Quod Romanis dicit: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem: ita exhibete membra vestra servire justitiæ* (*Rom.* 6. 19). Ideo et nos fidenter exemplum referre pergimus. Non vides igitur amatores, qui meretrices depereunt, quanta perferunt mala, alapis cæduntur, verberantur, irridentur, lascivum scortum perferunt, dum se adversatur et mille contumelias infert? Et tamen si semel blandum quidpiam et suave videant, omnia sibi felicia putant, priora avolant, prospera cuncta sunt; sive paupertas accidat, sive morbus, sive quidpiam hujusmodi. Vitam sibi vel miseram vel felicem existimant, prout affectam sibi amasiam habent. Non gloriam humanam, non ignominiam norunt; sed si injuria inferatur, ex hujusmodi voluptate et rebus apud illam prosperis omnia facile ferunt. Si illa convicietur, si in faciem conspuat, illi se rosis aspergi putant. Et quid mirum si tali erga illam affectu sunt? Illius quippe domum omnium splendidissimam esse putant, etsi lutea illa sit, etsi in ruinam vergat. Ecquid de parietibus loquor? Nam visis iis in queis versari solent locis, excitantur. Hic vero concedite mihi ut apostolicum illud proferam: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, ita exhibete membra vestra servire justitiæ*. Idipsum ego dico: ut illas dileximus, sic nos mutuo diligamus, nec nos grave quidpiam pati existimabimus. Et quid dico nos mutuo? Sic Deum diligamus.

Discrimen inter amorem Dei, et amorem meretricis. — Inhorruistis audientes me tantum exigere erga Deum amorem, quantum erga meretricem exhibemus? At ego exhorresco quod ne parem quidem exhibeamus. Et si placet, illud expendamus, etsi admodum molesta res sit. Amasia amantibus nihil boni promittit, sed ignominiam, turpitudinem, contumeliam; hoc enim affert meretricis consuetudo, ridiculum reddit, turpem, infamem. Deus vero cælum et cælestia bona pollicetur; filios suos et Unigeniti fratres reddit, viventi tibi innumera largitur, mortuo resurrectionem, et tot tantaque bona, ut ne cogitare quidem ea possis, nosque honorabiles venerandosque efficit. Illa iterum expendere cogit omnia in voraginem et perniciem; Deus jubet cælum ipsum serere, et centuplum dat, atque vitam æternam. Illa amatore ut mancipio utitur, quovis tyranno acerbior; Deus vero dicit: *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* 15. 15).

5. Vidistisne magnitudinem hic malorum, illic bonorum? Quid ad hæc? Illius gratia multi vigilant, et imperanti toto animo morem gerunt, domum relinquunt, patrem, matrem, amicos, pecunias, patrocinia, omnia sua deserunt et labefactari sinunt; Dei vero causa, imo potius nostri causa, sæpe ne tertiam quidem facultatum partem expendere volumus, sed famelicum despicimus, nudum videntes prætercurrimus, neque alloqui dignamur. Illius vero si ancillulam viderint amatores, barbaram licet, in medio foro stantes, blande et hilari vultu alloquuntur, longioreque utuntur sermone. Propter illam nihil esse vitam arbitrantur, nihil principes, nihil regnum (id sciunt certe quotquot hunc experti sunt morbum); et majorem habent imperanti gratiam, quam servientibus cæteris. Nonne merito gehenna, nonne innumera nos manent supplicia? Evigilemus itaque, et Dei ministerio exhibeamus aut tantumdem aut dimidiam certe partem eorum quæ meretrici cæteri præbent, aut tertiam, ut minimum, partem. Forte iterum horretis? Et ego quoque. At vellem vos non de verbis tantum, sed et de rebus ipsis horrere. Nunc autem hic cor movetur, egressi vero omnia abjicimus. Quid hinc ergo lucri?

Ad eleemosynam pro more hortatur. — Si illic consumendæ essent pecuniæ, nemo defleret paupertatem, sed fœneraretur etsi sæpe captus fuisset: hic vero si eleemosyna nominetur, statim filios, uxorem, domum, curam rei familiaris, et millia obtendimus. Sed multa, inquies, illic voluptas est. Hoc est quod doleo, de quo excrucior. Quid vero si ostendero hic majorem esse voluptatem? Illic enim non parum voluptatem minuit pudor, contumelia, sumptus; itemque bellum et inimicitiæ: hic vero nihil hujusmodi. Quid enim, quæso, huic voluptati par esse possit, sedere regnum cælorum exspectantem, sanctorum splendorem, vitam perpetuam? At, inquies, hæc exspectantur, illa experimur. Quomodo experiris? Visne tibi ostendam hic quoque experimentum haberi? Cogita quanta fruaris libertate, quod nullum timeas vel tremas dum virtutem sectaris, non inimicum, non insidiatorem, non sycophantam, non æmulum, non rivalem, non zelotypum, non paupertatem, non ægritudinem, non aliud quidpiam humanum. Illic vero, etsi innumera ex voto succedant, et divitiæ quasi ex fonte manent, rivalium bellum, insidiæ, omnium miserrimam, illorum vitam efficiunt, qui in his volutantur. Ad voluptatem enim illius respuendæ et effeminatæ necesse est moveri bella; quod mille mortibus gravius et omni supplicio intolerabilius est. Hic autem nihil hujusmodi. *Fructus*, enim, inquit, *Spiritus, caritas, gaudium, pax* (*Gal.* 5. 22). Nusquam bellum, non intempestivi pecuniarum sumptus, non post expensam opprobria: si obolum des, si panem, si calicem aquæ frigidæ, multa tibi gratia habebitur, nihilque te mœrore doloreve afficiet; sed omnia te liberum gloriosumque reddent, et ab omni te turpitudine liberabunt. Quam ergo excusationem habebimus, quam veniam, qui hæc relinquimus, contrariis nos damus, et in caminum ignis ardentis nos sponte conjicimus? Quare hortor eos qui hoc morbo laborant, ut resipiscant, et ad sanitatem redeant, nec in desperationem incidant. Nam et ille filius his longe graviora

passus est (*Luc.* 15); sed quia ad paternam domum reversus est, et ad pristinum restitutus honorem est, et illo qui semper probe se gesserat, clarior apparuit. Hunc et nos imitemur; et ad Patrem reversi vel sero tandem, ab illa captivitate resiliamus, et in libertatem nos transferamus, ut regno cælorum fruamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, unaque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXX.

Cap. 17. v. 1. *Hæc loquutus est Jesus, et sublevatis oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te.*

1. *Qui fecerit et docuerit*, inquit, *hic magnus vocabitur in regno cælorum* (*Matth.* 5. 19); et merito sane. Verbis enim philosophari facile est, opera autem exhibere, fortis et magni animi. Quare Christus de patientia verba faciens, seipsum in medio proponit, jubens inde exempla sumere. Ideo post hanc admonitionem in preces convertitur, docetque nos, in tentationibus omnia relinquenda et ad Deum confugiendum esse. Postquam enim dixit, *In mundo tribulationem habebitis*, illorumque animos concitavit, per orationem rursum erigit. Illum enim adhuc pro homine habebant. Et propter illos hoc agit, ut in Lazaro, causamque aperit, *Propter turbam circumstantem dixi, ut credant quia tu me misisti* (*Joan.* 11. 42). Etiam, inquies, sed coram Judæis hæc jure sic disposita sunt; coram discipulis autem quare? Etiam jure coram discipulis. Qui enim post tot tantaque dicebant, *Nunc scimus quia scis omnia*, plusquam omnes indigebant confirmatione. Alioquin vero id evangelista non orationem vocat; sed quid ait? *Sublevatis oculis in cælum*, et magis illud colloquium cum Patre fuisse insinuat. Quod si alibi orationem vocet, et illum exhibeat nunc genua flectentem, nunc vero oculos ad cælum levantem, ne turberis. His enim instituimur quantum sit in oratione perseverandum; ut stantes suspiciamus, non carnis tantum, sed etiam mentis oculis; et ut flectamus genua, corda nostra conterentes. Venit enim Christus non modo ut sese exhiberet; sed etiam ut virtutem nos doceret ineffabilem. Magister autem non verbis tantum, sed re etiam erudiat oportet. Audiamus ergo quid hic dicat. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te.* Iterum ostendit nobis se non invitum ad crucem venire. Quomodo invitus veniret, qui hoc et fieri rogat, et rem appellat gloriam, non crucifixi modo, sed etiam Patris? Nam ita factum est: non enim Filius tantum, sed etiam Pater clarificatus est. Ante crucem enim nec Judæi ipsum noverant (*Israel*, inquit, *me non cognovit* [*Isai.* 1. 3]): post crucem autem universus orbis accurrit. Deinde modum etiam gloriæ addit, et quo pacto ipsum glorificabit. 2. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei non pereat.* Semper enim benefacere, id gloria Dei est. Quid sibi vult illud, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis?* Interim ostendit prædicationem non ad Judæos tantum circumscriptam, sed orbem totum pervasuram esse, et gentium vocationis primordia statuit. Quia enim dixerat, *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* 10. 5); dicturusque postea erat, *Euntes docete omnes gentes* (*Matth.* 28. 19), ostendit Patrem etiam id velle. Nam id Judæos admodum offendebat, etiamque discipulos. Neque enim postea æquo animo ferebant quod gentes adjungerentur, donec Spiritus doctrinam acceperunt; illud quippe Judæis non parum displicebat. Post tantam igitur advenientis Spiritus celebritatem, Jerosolymam veniens Petrus, vix potuit criminationem effugere, cum de sindone loqueretur (*Act.* 11). Quid vero significat illud, *Dedisti ei potestatem omnis carnis?*

Hæretici confutantur. — Interrogabo hæreticos, Quandonam potestatem illam accepit? ante vel postquam illos efformasset? Ipse namque ait, postquam crucifixus est [1] et resurrexit, *Data est mihi omnis potestas. Euntes docete omnes gentes* (*Matth.* 28. 18. 19). Quid ergo? non habebat potestatem operum suorum; sed fecit quidem eos, potestatem vero in eos non habuit postquam fecit? Atqui omnia facere exhibetur etiam priscis temporibus, et illos quidem ut peccatores punit, alios vero qui convertuntur, emendat [2] (*Non abscondam*, inquit, *a puero meo Abraham, quod facturus sum* [*Gen.* 18. 17]); alios vero qui recte faciunt, honorat. Itane tunc quidem habebat, nunc perdidit, et rursum recepit? Ecquis dæmon hæc loquutus est? Quod si eadem et tunc et in præsenti ipsi potestas inerat (ait enim, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat*); quid significat dictum illud? Missurus illos erat ad gentes; ne itaque putarent quid innovari, quod dixisset, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*, ostendit hanc esse quoque Patris voluntatem. Quod si illud perquam humiliter loquatur, nihil mirum: sic enim illos tunc instituebat, necnon eos qui post futuri erant; atque, ut dixi, ex tanta verborum humilitate, suadebat se auditorum imbecillitati sermonem attemperare.

2. Quid vero sibi vult illud, *Omnis carnis?* Neque enim omnes crediderunt. Verum, quod ad ipsum attinet, omnes. Quod si non dictis attendebant, non erat hæc culpa doctoris, sed non accipientium. *Ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Quod si hic etiam humanius loquitur, ne mireris. Jam memoratis enim de causis id agit, atque cavens semper ne magnifice ex se loquatur: illud enim auditores offendisset, qui nihildum magnum de ipso opinabantur. Joannes tamen cum ex se loquitur, non ita facit, sed sublimiore utitur sermone hujusmodi: *Omnia per*

[1] Ita Savil., Morel vero et quidam, *postquam incarnatus est.*
[2] Hæc, *alios vero qui convertuntur emendat*, desunt in Savil.

ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; et, *Vita erat*; et, *Lux erat*; et, *In propria venit* (*Joan.* 1. 3. 4. 9. 11); non quod non haberet potestatem, nisi accepisset; sed quod aliis quoque daret *Potestatem filios Dei fieri* (*Ibid. v.* 12). Paulus similiter ipsum æqualem Deo dicit (*Philipp.* 2. 6). Ipse vero humaniore modo petit sic : *Ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Solum verum Deum*, ad differentiam eorum, qui dii non sunt, sic loquitur. Ad gentes namque mittendi apostoli erant. Quod si id non admittant, sed propter hoc solum negent esse vere Dei Filium; sic progressi Deum esse negant. Nam ait : *Gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis* (*Joan.* 5. 44). Quid ergo? non erit Deus Filius? Si vero Deus Filius, et solius Patris, palam est et verum esse, et ejus qui solus verus dicitur Filium. Quid ergo cum dicit Paulus, *An solus et ego Barnabas* (2. *Cor.* 9. 6)? an Barnabam tollit? Minime; illud enim, *Solus*, ad aliorum differentiam ponitur. Quod si Filius non verus sit Deus, quomodo veritas est? non multum enim differt a vero veritas. Eum qui verus homo non sit, quid esse dicemus, quæso? annon hominem esse negabimus? Sic si Filius non est verus Deus, quomodo Deus est? Quomodo nos deos facit et filios, cum verus non sit? Sed de his accuratius alibi loquuti sumus : quare cætera persequamur. *Ego te clarificavi super terram.* Recte dixit, *Super terram*; nam in cælo glorificatus erat, cum naturalem haberet gloriam, et ab angelis adoraretur. Non ergo de gloria substantiæ ejus propria dicit (illam enim gloriam, quamvis nemo ipsum glorificet, semper plenam habet); sed hanc quæ humano cultu exhibetur. Itaque illud, *Clarifica me*, sic intelligendum. Ut autem discas illum de hujusmodi gloria loqui, audi sequentia. 4. *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* Atqui res adhuc in principio erat; imo ne in principio quidem. Quomodo ergo dicit, *Consummavi?* Vel se quod in se erat totum effecisse; vel quod futurum est ut factum dicit; vel potius dicatur, totum jam factum fuisse, quia jam radix bonorum posita erat, ex qua necessario producendi fructus erant, seque iis qui post futuri erant adfuturum esse, cum ipsis conjungendum. Ideo rursum humili modo dicit, *Quod dedisti mihi.* Nam si audiendo et discendo perseveravit, hæc gloria ejus longe minora essent. Quod enim ad hoc ex propria voluntate venerit, ex multis perspicuum est, ut cum dicit Paulus : Sic dilexit nos, ut traderet seipsum pro nobis (*Ephes.* 5. 2); et, *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philip.* 2. 7); et iterum, *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos* (*Joan.* 15. 9). 5. *Clarifica me tu, Pater, apud teipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te.* Et ubi claritas illa? esto apud homines inglorius fuerit, ob carnem qua induebatur; sed cur apud Deum glorificari quærit? Quid ergo hic dicit? De incarnatione hic sermo est, quod carnis natura nondum glorificata esset, nec incorruptionem consequuta, neque esset solii regii particeps. Ideo non dixit, Super terram; sed, *Apud te.*

3. *Incitantur desides. Amor pecuniæ damnatur. Fastus redarguitur. Vera libertas est nullo egere.* — Hac nos quoque fruemur gloria secundum mensuram nostram, si vigilemus. Ideo Paulus ait, *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur* (*Rom.* 8. 17). Innumeris ergo lacrymis digni sunt ii, qui tanta sibi proposita gloria, ob desidiam et somnolentiam sibi ipsis insidiantur, atque etiamsi gehenna non esset, omnium tamen essent miserrimi, qui cum possent cum Filio Dei regnare et gloria frui, ipsi tantis se bonis defraudant. Nam si concidi oporteret, si mille subire mortes, si mille animas et totidem corpora quotidie tradere : nonne hæc omnia pro tanta gloria pati deberemus? Nunc vero ne quidem pecunias contemnimus, quas demum vel inviti relinquemus. Non contemnimus pecunias, quæ nos innumeris circumplicant malis, quæ hic remanebunt, et nostræ non sunt. Illa enim administramus, quæ nostra non sunt, licet paterna. Cum autem aderit gehenna, vermis ille non moriens, ignis inexstinguibilis, stridorque dentium, quomodo illa feremus? Usquequo non videbimus, sed in quotidianas rixas et bella et inania verba omnia consumimus, terram alimus, corpus impinguamus, animam negligimus, necessaria nihil curamus, de superfluis et inutilibus solliciti sumus? Magnifica construimus sepulcra, splendidas emimus ædes, servorum greges varios nobiscum trahimus, dispensatores varios excogitamus, agrorum, ædium, pecuniarum principes statuimus, imo principum principes; desertæ vero animæ nulla nobis cura est. Ecquis horum finis erit? nonne unum implemus ventrem? nonne uno corpore circumdamur? quis tantus rerum tumultus? cur eam quam sortiti sumus animam dividimus, discerpimusque in talia ministeria, duram nobis excogitantes servitutem? Nam qui multis eget, multorum est servus, licet illis imperare videatur. Etenim famulorum servus est herus, et servitutis aliud gravius genus inducit. Et alio modo servus est, cum non audeat sine servis vel in forum, vel ad balneum, vel in agrum ire : illi vero sæpe sine hero circumquaque incedunt. Sed qui videtur esse dominus, nisi adsint servi, non audet exire domo; sed si extra domum vel compareat, se putat esse ridiculum. Quidam forte nos irrident hæc dicentes; sed ideo multis illi lacrymis sunt digni. Quod enim hæc servitus sit, ut ostendam, libenter interrogaverim : an velles egere aliquo, qui ori tuo cibum vel poculum admoveret? annon lacrymis dignum putares tale ministerium? Quid, si semper gestantibus egeres, ut incederes, nonne te ideo omnium miserrimum putares? Sic nunc te affectum esse oporteret. Nihil enim refert, an homines, an jumenta gestent. Annon, quæso, hinc angeli a nobis differunt, quod non tot egeant rebus, quot nos egemus? Itaque quanto paucioribus indigemus, tanto propinquiores illis sumus : quanto pluribus, tanto magis ad hanc caducam vitam deflectimus. Atque ut rem ita esse discas, senes interroga, quam vitam beatam existiment, an illam quando his rebus stulte vincebantur,

an hanc quando illis sunt superiores? Ideo enim illos advocavimus, quia illi qui in juventute ebriosi sunt, servitutis pondus non sentiunt. Quid febricitantes? an cum sitientes multum bibunt, et multis egent, an cum in valetudinem restituti, sitim deponunt, se beatos existimant? Viden' ubique miserum esse multis egere, et procul a philosophia esse miseram servitutem, et vim cupiditatis? Cur ergo sponte nobis miseriam augemus? Dic, quæso, si sine tecto et parietibus commode degere posses, annon id potius eligeres? cur ergo infirmitatis symbola auges? annon ideo Adamum beatum prædicamus, quia nullo egebat, non ædibus, non vestibus? Sane quidem, inquies; sed nunc in necessitate constituimur. Cur ergo necessitatem augemus? Nam si multi etiam de rebus necessariis multa sibi subtrahunt (servos nimirum, ædes, pecunias), quam nos excusationem habebimus, qui necessitatem excedimus? Quanto pluribus stiparis, tanto magis servituti addictus es. Quanto enim pluribus egebis, tanto magis libertatem minuisti. Vera quippe libertas est nullo egere; quæ post illam sequitur, est paucis egere, quam libertatem habent et angeli et illorum imitatores. In mortali autem corpore id exercere, cogita quantum laudi sit. Hoc Paulus Corinthiis scripsit: *Ego autem vobis parco* (1. *Cor.* 7. 28), et, Ne tribulationem carnis habeant hujusmodi. Ideo opes dicuntur, ut illarum ope ad necessaria utamur, non ut custodiamus defodiamusque: hoc enim non est possidere, sed possideri. Si enim considerare voluerimus, quomodo illas accumulemus, non ut iis ad necessaria utamur; certe inversus ordo est, et illæ nos possident, non nos illas. Ab hac ergo gravi servitute liberemur, et aliquando liberi evadamus. Quid innumera et diversa nobis vincula excogitamus? Non sufficit tibi naturæ vinculum, et vitæ necessitas, innumerarumque rerum turba; sed alia tibi ipsi nectis retia, et iis pedes constringis? Et quando cælum apprehendes, et in tanta sublimitate stare poteris? Optandum certe, optandum utique esset, his succisis funibus, supernam adire posse civitatem. Tot alia restant impedimenta; quæ omnia ut superemus, paupertatem amplectamur. Sic enim æternam consequemur vitam, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXI.

Cap. 17. v. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* 7. *Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt.*

1. Magni consilii Angelus dicitur Filius Dei, et aliorum quæ docuit gratia, et præcipue quia Patrem hominibus annuntiavit: quod et nunc dicit, *Manifestavi nomen tuum hominibus.* Nam cum dixisset se perfecisse opus illius, narrat deinde quid illud opus sit. Atqui manifestum erat nomen. Nam Isaias ait: Jurastis Deum verum (*Isai.* 65. 16). Verum, ut sæpe dixi, et nunc dicam, manifestum fuit, sed Judæis; neque illis omnibus; nunc autem de gentilibus loquitur. Neque hoc tantum significat, sed quod Patrem illum esse nossent. Non idem vero est scire ipsum esse Creatorem, et, Filium habere. Manifestavit autem nomen ejus et verbis, et rebus. *Quos dedisti mihi de mundo.* Quemadmodum supra dixit, *Nemo venit ad me, nisi ei datum fuerit* (*Joan.* 6. 66); et, *Nisi traxerit eum Pater meus* (*Ibid. v.* 44): sic et hoc loco, *Quos dedisti mihi.* Atqui se viam esse dixit. Unde palam est eum duo his significare, quod nempe non sit Patri contrarius, et quod voluntas ejus sit ut Filio credant. *Tui erant, et mihi eos dedisti.* Hic vult docere se multum a Patre amari. Quod enim illos accipere non opus habuerit, hinc liquidum est: ipse fecit illos, et illis perpetuo providet. Quomodo accepit illos? Sed, ut dixi, concordiam cum Patre significat. Quod si quis velit humano more illud explorare, ut dictum est, non ultra Patris erunt. Nam si cum Pater illos habuit, Filius non habuit, palam est eum, cum Filio dedit illos, dominium deposuisse: hincque absurdius quidpiam sequitur. Nam cum apud Patrem erant, imperfecti fuisse deprehendentur; et cum ad Filium venerunt, tunc perfecti evaserint. Sed hæc vel dictu ridicula sunt. Quid ergo his significat? Quod ipsi visum fuerit ut Filio crederent. *Et sermonem tuum servaverunt.* 7. *Et nunc cognoverunt, quia omnia quæ dedisti mihi abs te erant.* Quomodo sermonem tuum servaverunt? Cum mihi crediderunt, non Judæis. Nam Qui credit ei, inquit, *Obsignavit quia Deus verax est* (*Joan.* 3. 33). Quidam enim sic dicunt, Nunc cognovi omnia quæcumque dedisti mihi, abs te esse. At illud præter rationem dicitur. Quomodo enim ignoraturus erat Flius ea quæ Patris erant? Sed hæc de discipulis dicta sunt. Ex quo enim ea dixi, inquit, omnia quæ dedisti mihi, abs te esse didicerunt. Nihil alienum, nihil proprium mihi a te est. Quod enim proprium est, multa quasi aliena indicat. Cognoverunt ergo omnia quæ docuerim, tuam esse doctrinam et disciplinam. Et undenam hoc didicerunt? A verbis meis: sic enim docebam. Neque hoc tantum, sed quod a te exierim (*Joan.* 17. 8): hoc enim per totum curavit evangelium. 9. *Ego pro eis rogo.* Quid dicis? ut ignorantem Patrem doces? ut nescium hominem alloqueris? Quid ergo sibi vult hæc divisio? Viden' non alia de causa emitti preces, quam ut discant suum erga ipsos amorem? Qui enim non modo id quod in se est præbet, sed ad idipsum alium advocat, is sane majorem ostendit amorem. Quid ergo significat illud, *Pro eis rogo? Non pro toto mundo,* inquit, *sed pro iis, quos dedisti mihi.* Illud, *Dedisti*, persæpe ponit, ut idipsum Patri visum esse intelligant. Deinde quia sæpe dixerat, *Tui sunt, et tu mihi illos dedisti,* ut pravam suspicionem tollat, ne quis putaret imperium suum esse recens, et se nunc illos accepisse; quid ait? 10. *Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt, et clarificatus sum in eis.*

Æqualitas Patris et Filii. — Viden' æqualitatem?

Ne enim audiens, *Dedisti mihi*, putares eos alienari a Patris potestate, aut antea a potestate Filii, hæc ambo sustulit per ea quæ dixit, ac si ita loqueretur : Ne dum audis, *Mihi eos dedisti*, putes illos esse a Patre alienos (nam quæ mea sunt, illius sunt); nec audiendo, *Tui erant*, existimes a me fuisse alienos : nam quæ illius sunt, mea sunt. Itaque illud, *Dedisti*, accommodate solum dictum est. Nam quæ Pater habet, Filii sunt ; et quæ Filius habet, Patris. Illud autem non de Filio secundum hominem dici potest, sed quatenus major est. Nam quod minoris est, majoris etiam esse nemini non notum est; contrarium vero, minime. Hic autem conversio est, quæ conversio æqualitatem indicat (*a*). Hoc alibi quoque declarabat, *Omnia* quæ Patris sunt, *mea sunt* (*Joan.* 16. 15), de cognitione loquens. Illud porro, *Dedisti mihi*, et similia, declarant ipsum non ut alienum illos abripuisse, sed proprios accepisse. Deinde causam et demonstrationem affert, dicens, *Et clarificatus sum in eis;* id est, Vel potestatem in eos habeo, vel glorificabunt me, cum et tibi credent et mihi, similiterque glorificabunt. Quod si non similiter glorificatus est in eis, non jam sua sunt quæ illius sunt. Nemo enim glorificatur in quibus potestatem non habet.

2. Quomodo autem similiter glorificatus est? Omnes pro eo, ut pro Patre moriuntur, et perinde atque Patrem illum prædicant : et ut omnia in ejus nomine fieri dicunt, sic et in nomine Filii. 11. *Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt.* Hoc est, Quamvis in carne non videar, per hos glorificor. Cur frequenter dicit, In mundo non sum; et, Relinquo illos, eos tibi commendo; et, Cum essem in mundo, ego servavi eos (*Joan.* 17. 12)? Nam si quis illa simpliciter accipiat, multa sequentur absurda? Qua enim ratione ipse in mundo non sit, et cum hinc migrat, alteri ipsos commendet? Hæc enim verba sunt hominis simplicis, qui perpetuo ab illis separaretur. Viden' eum plurima humano more loqui, ac secundum illorum captum, qui putabant se ex illius præsentia magis in tuto esse? Quapropter ait, *Quando eram cum eis, servabam illos* (*Ibid.*). Atqui dicit, *Venio ad vos;* et, *Vobiscum sum usque ad consummationem* (*Matth.* 28. 20). Quomodo ergo, tamquam ab illis separandus, hæc loquitur? Ut dixi, secundum illorum opinionem, ut paulum respirarent audientes illum ita loquentem, et illos Patri commendantem. Quia enim multis ab eo auditis consolatoriis verbis, non obtemperabant, demum Patrem alloquitur, suam erga illos dilectionem exhibens; ac si diceret, Quia me ad te evocas, illos in tuto constitue. Ego enim ad te venio. Quid dicis? nonne tu potes illos servare? Etiam, possum. Cur ergo hæc dicis? *Ut habeant gaudium meum plenum* (*Joan.* 17. 13); id est, Ut ne perturbentur, imperfectiores cum sint. His verbis ostendit se ad illorum quietem et gaudium hæc omnia sic loquutum esse : nam aliter contrarius esse sermo videtur. *Nunc autem non sum in mundo, et hi in mundo sunt.* Ita enim opinabantur illi; interim vero illorum infirmitati se attemperat. Si enim dixisset, Ego servo illos, non credidissent : quapropter ait : *Pater sancte, serva illos in nomine tuo;* hoc est, Per auxilium tuum. 12. *Cum essem in mundo, ego servabam illos in nomine tuo.* Rursus ut homo et ut propheta loquitur : nusquam enim apparet in nomine Dei quid fecisse. *Quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* At alibi ait : *Omne quod dedisti mihi, non perdam ex eo* (*Joan.* 6. 39). Atqui non ille tantum periit; sed et alii multi postea. Quomodo ergo ait, *Non perdam?* Quantum in me erit, non perdam; quod et alibi clarius dicebat : *Non ejiciam eum foras* (*Ibid. v.* 37) : non mei causa, non me impellente vel relinquente. Quod si sponte resiliant, non ex necessitate traham. 12. *Nunc autem ad te venio.* Viden' humaniore modo concinnatam orationem? Itaque si quis velit ex his Filium minuere, minuet Patrem. Animadverte enim a principio : aliud quasi docens et explicans dicit, aliud ut præcipiens : modo docet, ut cum dicit, *Non pro mundo rogo;* modo præcipit : Ego custodivi eos usque modo, *Et nemo periit;* et, *Tu serva eos;* et rursus, *Tui erant, et mihi illos dedisti*, et, *Cum essem in mundo, servabam illos.* Sed hæc omnia solvuntur dicendo ipsum eorum imbecillitati se attemperantem hæc dixisse. Cum ait autem, *Nemo ex illis periit, nisi filius perditionis*, addidit : *Ut Scriptura impleretur.* Quam dicit scripturam? Eam quæ de se multa prædixerat. Neque tamen ideo periit, ut Scriptura impleretur. Hac de re multa supra disseruimus, quia hic proprius est Scripturæ modus, quæ dicta ponere videtur quasi eventuum causam. Oportet autem omnia accurate explorare, et dicentis modum, et argumentum, et Scripturæ leges, nisi velimus absurda colligere : *Fratres, nolite pueri fieri mentibus* (1. *Cor.* 14. 20).

3. Hoc porro non ad solam Scripturarum intelligentiam legendum est, sed ad vitam probe instituendam. Nam pueruli magna non quærunt, sed quæ nullius sunt pretii mirari solent. Nam currus, equos, aurigam, rotas ex luto factas, cum gaudio respiciunt; si autem regem videant currui aureo insidentem, alborum mulorum jugum, multumque ornatum, ne respiciunt quidem. Puellas quoque fictiles exornant; veras autem puellas conspicuas ne videre quidem volunt : in multisque aliis sic affecti sunt. Hoc multi homines etiam nunc patiuntur : quando cœlestia audiunt, ne attendunt quidem; ad lutea vero omnia perinde atque pueri inhiant, terrenas divitias mirantur, iisque hærent, et gloriam et delicias hujus vitæ in pretio habent. Atqui hæc puerilia sunt ut et illa :

(*a*) Hæc porro omnia referuntur ad superius allata Evangelii verba : *Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt*, quæ æqualem Patri Filium confirmant. Illud vero de Filio secundum hominem dici non potest, sed quatenus major sive Deus est. *Nam quod minoris est, majoris etiam esse nemini non notum est; contrarium vero minime.* Christus Deus dicitur homo esse, crucifigi, pati; Christus homo non dicitur æqualis Patri. In his autem verbis, *mea tua sunt, et tua mea sunt*, conversio est, quæ æqualitatem Filii et Patris indicat. Hanc puto Chrysostomi mentem esse, licet in verbis quædam adhuc difficultas remaneat. Hunc locum restaurare nititur Boisius in Editione Savil., verum novam condit seriem, non genuinam restituit.

alia autem vere sunt vitæ, gloriæ et quietis causa. Verum sicut pueri his privati flent, illa vero ne desiderare quidem sciunt : ita se habent multi qui videntur esse viri. Ideo ait : *Nolite pueri esse mentibus.* Pecunias, quæso te, amas, nec manentes, sed illa puerilia crepundia? hinc si videris quempiam nummum plumbeum mirantem, et sese ad illum colligendum inclinantem, pauperrimum illum esse judicas : tu autem cum etiam his viliora colligis, te inter divites annumeras? annon hæc cum ratione pugnant?

Veræ divitiæ quæ. Eleemosyna magnum pharmacum. — Illum divitem dicemus, qui præsentia omnia contemnit. Nemo enim, nemo sane hæc vilia, argentum, aurum, cæteraque imaginaria deridere voluerit, nisi majorum amore teneatur; sicut nec plumbeum nummum quis spernet, nisi aureos habeat. Et tu itaque cum videris hominem totum orbem prætercurrentem, ne putes alia de causa illum id facere, nisi ut majorem videat mundum. Sic et agricola paulum frumenti despicit, cum majorem sperat messem. Si vero cum adhuc incerta spes est, quæ habemus contemnimus : multo magis id agendum, cum secura est exspectatio. Quamobrem, quæso et obsecro, ne nos ipsos mulctemus, neve cœnum possidentes, supernis nos thesauris privemus, dum culmis et paleis onustam navim in portum agimus. Carpat si quis velit monitionum frequentiam, nugaces nos appellet, fastidiosos, onerosos : non cessabimus hæc frequenter monere, et prophetæ dictum illud vobis omnibus repetere : *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas miserationibus pauperum, et suspende illas in collo tuo* (*Dan.* 4. 24). Ne hodie facias, et cras desistas. Nam ut hoc corpus quotidiano eget cibo, ita quoque anima; imo longe magis anima; et nisi eroget, et infirmior evadit et turpior. Ne despiciamus pereuntem, præfocatum. Multa quotidie excipit vulnera ex cupiditate, ira, desidia, ex conviciis, vindicta, invidia. Ipsi ergo ph rmaca sunt apponenda. Neque parvum est eleemosynæ pharmacum, quod omnibus apponi potest vulneribus. *Date eleemosynam*, inquit, *et omnia vobis munda erunt* (*Luc.* 11. 41) : eleemosynam, non rapinam : quæ ex rapina dantur, non manent, etsi illa egenis largiaris. Eleemosyna enim est, quæ omni caret iniquitate : hæc omnia pura efficit : hæc melior est jejunio et humi cubatione. Etsi illa molestiora sint et laboriosiora, hæc tamen lucri majoris est : animam illuminat, fovet, formosam reddit Non sic athletas oleum roborat, ut pietatis certatores hoc oleum recreat. Ungamus ergo manus, ut strenue illas contra inimicum attollamus. Qui egenorum misereri cogitat, cito ab avaritia absistet. Qui pauperibus erogare perseverat, statim iram deponet, et numquam altum sapiet. Quemadmodum enim vulneratos sæpe curans medicus, facilius reprimitur, dum in alienis calamitatibus humanam conspicit naturam : sic et nos si ad pauperes juvandos nos contulerimus, facilius philosophabimur, neque divitias admirabimur, neque magnum quidpiam præsentia bona ducemus, sed omnia despiciemus, et sublimes ad cælum evecti, facile bona consequemur æterna, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, simulque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXII.

Cap. 17. v. 14. *Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo.*

1. Cum virtute præditi a scelestis vexamur, et virtutis studiosi ab illis deridemur, ne id ægre vel moleste feramus. Hæc quippe natura virtutis est, quæ ubique apud improbos odium parere solet. Cum enim probe viventibus invideant, et putantes id in suam cedere defensionem, si aliorum gloriam dejiciant, oderunt illos, utpote contraria sectantes, et nihil non agunt, ut illorum vitam traducant. Verum ne doleamus : illud enim virtutis indicium est. Ideo ait Christus : *Si de mundo essetis, mundus quod suum est amaret* (*Joan.* 15. 19); et alibi rursum, *Væ vobis cum benedixerint omnes homines* (*Luc.* 6. 26). Propterea hic quoque dicit : *Sermonem tuum dedi eis, et mundus eos odio habuit.* Rursumque causam affert cur tanta Patris cura digni sint. Nam propter te, inquit, et sermonem tuum odio habiti sunt, itaque digni prorsus sunt providentia tua. 15. *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.* Rursus sermonem explicat et clariorem reddit : quo nihil aliud declarat, quam se multam illorum curam habere, quod illos tam diligenter commendet. Atqui ipse dicebat, Patrem omnia quæ ipsi petierint facturum esse; quomodo ergo hic pro illis rogat? Nulla alia, ut dixi, de causa, quam ut dilectionem suam demonstret. 16. *De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo.* Cur ergo alibi dixit, *Quos dedisti mihi de mundo, tui erant* (*Joan.* 17. 6)? Illic de natura loquebatur; hic de operibus malis. Et longo illos encomio celebrat : primo, quod non sint de mundo; deinde, quod ipse illos dederit, et quod sermonem servaverint, ideoque odio habeantur. Quod si dicat, *Sicut ego non sum de mundo*, ne turberis. Illud enim, *Sicut*, hic non accuratam denotat æqualitatem. Ut enim cum de ipso et de Patre illud, *Sicut*, dicitur, multa ob naturæ cognationem indicatur æqualitas : sic cum de ipso et de nobis dicitur, magnum significatur discrimen, quia magnum inter utramque naturam intercedit intervallum. Nam si *Peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus* (*Isai.* 53. 9. 1. *Petr.* 2. 22), quomodo possint apostoli illi comparari? Quid ergo sibi vult, *De mundo non sunt?* Ad aliud respiciunt, nihil cum terra commune habent, sed cælorum facti sunt cives. His vero amorem suum ostendit, cum apud Patrem laudat illos, et Genitori commendat. Cum dixit autem, *Serva eos*, non solum rogat ut a periculis illos eruat; sed etiam ut in fide permaneant : ideo addidit, 17. *Sanctifica eos in veritate tua;* sanctos redde per donum Spiritus et per recta dogmata; ut cum dicit, *Mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis* (*Joan.*

15. 3); idipsum nunc ait: Institue illos, doce veritatem. Atqui hoc Spiritum facere dicit. Cur autem illud a Patre nunc postulat? Ut rursum æqualitatem discas. Recta quippe de Deo dogmata animam sanctificant. Si autem verbo sanctificari dicit, ne mireris. Quod vero de doctrina loquatur, his verbis innuit: *Sermo tuus veritas est;* hoc est, Nihil mendacii in ipso; omnino quippe oportet omnia dicta ejus evenire; et quod nihil figuratum vel corporeum, sic rursum ostendit, ut et Paulus de Ecclesia ait: Sanctificavit eam in verbis (*Ephes.* 5. 26). Solet enim verbum Dei purgare. Videtur autem mihi illud, *Sanctifica eos*, aliud quoque significare; nempe, Segrega eos verbo et prædicationi; quod ipsum ex sequentibus liquet. 18. *Sicut enim me*, inquit, *misisti in mundum*, *et ego misi eos.* Quod et Paulus dicit, *Ponens in nobis verbum reconciliationis* (2. *Cor.* 5. 19). Pro quo enim Christus abiit, pro hoc hi orbem comprehenderunt. Illud vero, *Sicut*, non similitudinis est inter ipsum et apostolos: (quomodo enim aliter homines mitti poterant)? sed mos est ei de futuro ut de præterito loqui. 19. *Et pro eis sanctifico meipsum, ut sint sanctificati in veritate.* Quid est, *Sanctifico meipsum?* Offero tibi sacrificium. Sacrificia vero omnia, sancta dicuntur, et proprie sancta quæ Deo consecrata sunt. Cum enim olim in figura sanctificatio esset in ove; nunc autem non in figura, sed in ipsa veritate sit: ideo ait: *Ut sint sanctificati in veritate tua.* Etenim illos tibi consecro et oblationem facio. Sive propter caput hoc fieri dicit, sive quia ipsi immolabantur. Constituite, inquit, membra vestra *Hostiam viventem, sanctam* (*Rom.* 12. 1); et, *Æstimati sumus sicut oves occisionis* (*Psal.* 43. 22); et, Sine morte hostiam eos facit et oblationem. Quod enim suam immolationem subindicaret dicens, *Sanctifico*, ex sequentibus palam est. 20. *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me* (*a*).Quia enim pro ipsis moriebatur (dixit vero, *Pro eis sanctifico meipsum*); ne quis putaret, ipsum id pro apostolis tantum facere, addidit: *Non pro his rogo solum, sed pro credentibus per sermonem eorum in me.*

2. Hinc iterum illorum erigit animos, indicans multos futuros discipulos. Cum enim id, quod præcipuum habebant, commune fecerit, rursum illos consolatur, ostendens illos aliorum salutis causam fuisse. Cum autem de illorum salute loquutus esset, indicassetque ipsos sanctificari fide et immolatione, de concordia demum loquitur, et in hoc sermonem claudit; hinc exorsus eodemque desinens. Principio dixerat, *Mandatum novum do vobis* (*Joan.* 13. 34); et nunc, 21. *Ut sint unum, sicut tu, Pater, in me, et ego in te.* Iterum illud, *Sicut*, non exactam æqualitatem hic exprimit; neque enim ita unum esse poterant; sed quantum hominibus fas est: ut cum dicit, *Estote misericordes, sicut Pater vester* (*Luc.* 6. 36). Quid sibi vult illud, *In nobis?* In fide in nos. Quia enim nihil ita omnes perturbat ut dissensio, id agit, ut unum fiant. Quid ergo? an hoc effecit? inquies. Sane quidem; omnes enim qui per apostolos crediderunt, unum sunt: etiamsi quidam ex illis disjuncti fuerint. Neque enim hoc illum latuit, imo id ille prædixit, et significavit hoc ex hominum desidia provenire. *Ut mundus credat quia tu me misisti.* Quod etiam in principio dixit: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si invicem diligatis* (*Joan.* 13. 35). Et quomodo hinc erant credituri? Quia pacis est Deus, inquit. Si ergo quæ ex iis didicerunt servaverint, a discipulis Magistrum auditores cognoscent: sin dissideant, non dicent Dei pacifici discipulos esse: si pacificus non sim, non confitebuntur me abs te missum fuisse. Viden' quomodo ad finem usque suam cum Patrem concordiam probet? 22. *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis:* id est, per signa, per doctrinam, et ut concordes sint. Hæc enim claritas est, ut sint unum, quæ etiam signis major est. Quemadmodum enim Deum miramur, quod in natura illa nulla sit dissensio, nulla pugna; et hæc maxima gloria est: Sic et hi, inquit, hinc clari efficiantur. Et cur, inquies, Patrem rogat, hæc det illis, cum seipsum id dare dicat? Nam sive de signis, sive de concordia, sive de pace sermo ipsi sit, hæc eum ipsis præbere dignoscitur. Unde palam erat, consolandi eos gratia petitionem esse factam. 23. *Ego in eis, et tu in me.* Quomodo claritatem dedit? In eos adveniens, et Patrem secum habens, ut illos una copulet. Alibi vero non ita loquitur; non enim claritatem acceperunt quod Pater advenerit, sed quod ipse cum Patre venerit, et mansionem apud eum fecerit (*Id.* 14. 23); illic Sabellii, hic Arii opinionem confutans.*Ut sint consummati in unum, ut cognoscat mundus quia tu me misisti.* Hoc frequenter dicit, ut ostendat pacem plus quam signa attrahere. Sicut enim contentio dissolvit, ita concordia copulat. *Et dilexi eos, sicut me dilexisti.* Hic rursum *Sicut* hoc significat, Sicut homines amari possunt: signum autem amoris est, quod se pro illis tradiderit. Cum dixisset ergo illos in tuto fore, nec evertendos esse, sanctos futuros, multosque per ipsos credituros esse, illos item magna fruituros gloria esse, non se solum ipsos dilexisse, sed etiam Patrem; loquitur demum de iis quæ post excessum ex hac vita futura sunt, de præmiis et coronis, quæ ipsis repositæ sunt. Nam ait: 24. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum.* Quod ergo semper quærebant dicentes, *Quo vadis?* quid dicis? id petendo accipis, et nondum habes? cur ergo dicebas eis, *Sedebitis super sedes duodecim* (*Matth.* 19. 28)? quomodo alia pollicitus es et plura et majora? viden', ipsum omnia sese attemperando dicere? Nam quomodo dicebat, *Sequeris autem postea* (*Joan.* 13. 36)? Verum id ait ad majorem amoris confirmationem. *Ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Iterum hoc suæ cum Patre concordiæ argumentum est; sublimius quidem prioribus (*Ante constitutionem mundi*, inquit), sed cum quadam ta-

(*a*) Totus vigesimus versiculus deest in Montef. Hunc addidimus e Cod. 703 et Savil., qui tamen in illud, *credituri sunt*, desinit.

men attemperatione : nam ait, *Dedisti mihi*. Quod si res non ita sit, adversarios libenter interrogaverim : Qui dat subsistenti certe dat : ergo cum prius ipsum genuisset, postea ipsi gloriam dedit, cum ante eum sine gloria reliquisset? Quod qua ratione stare possit? Viden' hic, *Dedisti*, intelligendum esse, genuisti? Sed cur non dixit, Ut participent, sed, *Ut videant claritatem?*

3. Hic subindicat omnimodam hanc esse requiem, ad Filium Dei spectare. Hoc enim claros reddit : quod et Paulus inquit : *Revelata facie gloriam speculantes* (2. *Cor*. 3. 18). Ut enim qui radios aspiciunt, et aere tenuissimo fruuntur, ex visu voluptatem percipiunt : sic et tunc erit, imo id longe majorem nobis pariet voluptatem. Ostendit etiam, id non esse quod videtur, sed tremendam quamdam substantiam. 25. *Pater juste, et mundus te non cognovit*. Quid hoc sibi vult? quænam hic consequentia? Hic declarat neminem nosse Deum, nisi eos qui Filium cognoscunt; hoc est, Vellem omnes hoc in statu esse; sed te non noverunt, etsi nihil possint arguere. Illud enim significat, *Pater juste*. Hic videtur illa dicere, ægre ferens, quod tam bonum, tam justum cognoscere noluerint. Cum enim Judæi dicerent se Deum nosse, non autem ipsum nosse, eo respicit ille dicens: *Dilexisti me ante mundi constitutionem*, a Judaicis accusationibus sese purgans. Nam qui gloriam accepit, qui dilectus fuit ante mundi constitutionem, qui illos voluit hujus gloriæ testes habere, quomodo contrarius Patri fuisset? Non igitur hoc verum est quod dicunt Judæi, quod ipsi te cognoscant, ego autem te ignorem; sed contrarium prorsus : Ego te novi, alii te non noverunt. *Et hi cognoverunt, quia tu me misisti*. Viden' illum hic eos subindicare, qui dicebant ipsum non ex Deo esse, et ad hoc omnia reducere? 26. *Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam*. Atqui dixisti perfectam cognitionem esse Spiritus : verum ea quæ sunt Spiritus, mea sunt. *Ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis maneat, et ego in ipsis*. Nam si didicerint quis tu sis, tunc scient me abs te non esse sejunctum, sed maxime dilectum, verum Filium et conjunctum tibi. Qui hoc ut par est credent, et fidem in me et dilectionem firmam servabunt. Si ipsi ut oportet diligant, ego in illis manebo. Viden' quomodo in optimum finem desiit, in dilectionem nempe, omnium matrem bonorum?

Deus credendus et diligendus. Charitas in proximum commendatur. — Credamus ergo, et diligamus Deum, ne de nobis dicatur : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit*. 1. 16); et iterum, *Fidem negavit, et est infideli deterior* (1. *Tim*. 5. 8). Cum enim ille servis, cognatis et alienis opituletur, tu vero ne congeneres quidem cures, quæ demum erit tibi defensio, cum Deus propter te blasphemetur, et contumeliis impetatur? Perpende enim quot nobis Deus bene faciendi occasiones dederit. Hunc, inquit, ut sanguineum, hunc ut amicum, illum ut vicinum, illum ut concivem, alium ut hominem miserare. Quod si horum nihil te retineat, sed omnia vincula dissolvas, audi Paulum dicentem, te esse infideli deteriorem : quia ille cum nihil audisset de eleemosyna, vel de cælestibus, te tamen humanitate superavit : tu vero jussus inimicos diligere, propinquos ut inimicos respicis, et pecuniis magis parcis, quam corporibus. Atqui divitiæ absumptæ nihil damni patientur; hic vero contemptus peribit. Quis ergo furor pecuniis parcere, et cognatos despicere? undenam hic amor sic invaluit? unde tanta inhumanitas atque crudelitas? Si quis enim, quasi in summo theatro sedens, totum spectet mundum; imo si placet, civitatem unam interim spectemus.

4. *Vitia quanta apud Christianos*. — Si quis ergo in sublimi sedens humana omnia videre posset, cogita quantam reprehenderet stultitiam, quantas funderet lacrymas, quam effuse rideret, quantum odium conciperet. Ea enim facimus, quæ risu, furore, lacrymis et odio digna sint. Ille canes alit, ut feras capiat, qui ipse in feritatem incidit : ille asinos et tauros, ut lapides transferat, dum homines despicit fame pereuntes. Aurum immensum impendit, ut lapideos homines faciat; illos autem qui vere homines sunt, lapidei tamen per calamitatem effecti, contemnit. Alius laminas aureas colligens, muros circum misere exornat, pauperum autem pectora nuda cernens, nihil flectitur. Alii vestibus novas excogitatas vestes addunt; dum alius nihil habet quo corpus nudum tegat. In judiciis iterum alius alium devorat. Alius in meretrices et parasitos sua profundit, alius in mimos et saltatores, ille in splendida ædificia, alius impendit in emendis prædiis et domibus. Ille usuras computat, alius usurarum usuras : ille syngraphas edit cædibus plenas, neque nocturna fruitur quiete, in aliorum mala vigilans. Illucescente die, alius ad iniquum lucrum, alius ad lascivam impensam, alius ad peculatum pergit. In superfluis et vetitis magnum studium : in necessariis nihil curarum. Qui judicant, judicum nomen habent; re autem fures et homicidæ sunt. Si quis lites, si quis testamenta exploret, in his quoque mille scelera reperiet, fraudes, furta, insidias. In his otium omne versatur : spiritualium vero ratio nulla; sed ecclesiam videndi solum causa omnes frequentant. At non est hoc quod quærimus, sed operibus nobis et puro animo est opus. Sin autem in avaritiæ studio totam transigas diem, posteaque hic ingressus pauca verba dixeris, non modo Deum non placasti, sed multum irritasti. Si enim tibi Dominum conciliare volueris, opera exhibe : disce calamitatum molem, respice nudos, famelicos, injuria læsos : multas tibi exhibendæ humanitatis vias aperuit. Ne itaque nos ipsos decipiamus, frustra et incassum vivendo, neque, quia nunc bene valemus, despiciamus; sed cogitantes nos sæpe in morbum delapsos, et in extremis positos, terrore et futurorum exspectatione pene mortuos fuisse, vereamur ne in eadem ipsa et in parem metum incidamus, et hinc meliores evadamus : cum nunc simus mille criminibus obnoxii. Qui judices sedent, leonibus canibusque sunt similes; qui in foro, vulpibus. Qui in otio degunt,

non ut deceret, otio fruuntur, tempus omne in theatris et hujusmodi malis consumentes. Ac qui hæc emendet nullus est; qui his invident et mordentur, quod non paria illis præstare possint, multi : ita ut hi quoque puniendi sint, etiamsi mala non agant. *Non solum enim hæc faciunt, sed et cum facientibus consentiunt* (*Rom.* 1. 32). Animus enim illis perinde corruptus est : unde liquet, ex voluntate sola pœnas dari. Hæc quotidie dico, neque dicendi finem faciam. Nam si quipiam audiant, id lucri obveniet; sin nullus attendat, tunc sane audietis, cum nihil esse lucri poterit, vosque ipsos damnabitis, nosque culpa liberi erimus. Verum absit ut hanc solum defensionem referamus; sed utinam vos nobis gloria sitis ante tribunal Christi, ut illis simul fruamur bonis, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, unaque sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXIII.

Cap. 18. v. 1. *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus.*

1. Horrendum quid mors est et terrore plenum, sed non iis qui superna sunt imbuti philosophia. Qui enim de futuris nihil clare cognovit, sed dissolutionem quamdam et finem esse vitæ putat, jure horret et formidat, ut qui non ultra futurus sit. Nos vero qui per Dei gratiam occulta et abscondita sapientiæ ejus didicimus, et mortem peregrinationem esse putamus, non jure formidemus; imo gaudeamus et bono animo simus oportet, quia ex hac fluxa vita ad aliam meliorem ac splendidiorem venimus, quæ finem non habeat. Quod Christus operibus docens, non vi et necessitate, sed libens ad passionem venit. *Hæc*, inquit, *loquutus est Jesus, et egressus est trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus.* 2. *Sciebat autem et Judas, qui tradidit eum, locum; quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.* Media nocte iter facit, torrentem transit, et festinat ad locum proditori notum, insidiatoribus laborem adimens et sudorem omnem, ostenditque discipulis se eo lubentem venire : quod ipsum maxime consolari eos poterat; seseque in horto quasi in carcere locat. *Hæc loquutus est eis.* Quid ais? Patrem oraverat, Patrem precatus erat. Cur ergo non dicis ipsum, finita oratione, illo venisse? Quia non precatio erat, sed alloquutio propter discipulos facta. Et introierunt discipuli in hortum. Ita metu liberavit eos, ut non abnuerent, sed in hortum ingrederentur. Quo permotus Judas illo venit? vel unde didicit illo veniendum esse? Hinc liquet Jesum sæpe foris pernoctavisse. Neque enim si domi egisset, ille in desertum locum venisset, sed domum, ut dormientem illic caperet. Ne vero hortum audiens, in latibulum venisse putares, addit : *Sciebat Judas locum*; neque id tantum, sed, *Quia frequenter convenerat illuc cum discipulis suis.* Sæpe namque cum illis conveniebat, ut seorsim de necessariis illos alloqueretur, quæ non par erat alios audire. Illud vero facit in montibus et hortis, tumultu vacuum locum semper quærens, ne auditores a doctrina interpellarentur. 3. *Judas autem cum accepisset cohortem, et a pontificibus et Pharisæis ministros, venit illuc.* Hi sæpe alias miserant qui apprehenderent eum; sed non potuerant. Unde palam est, tunc illum se sponte tradidisse. Et quomodo id cohorti suaserunt? Milites erant qui pecuniæ causa nihil non agere parati erant. 4. *Jesus autem sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, et dixit eis : Quem quæritis?* Id est, non ex illorum adventu hæc primo didicit, sed imperturbato animo, ut omnia sciens, hæc sic dixit et fecit. Cur cum armis illum capturi veniunt? Timebant ejus sequaces, et ideo, intempesta nocte, id aggressi sunt. *Egressus dixit eis : Quem quæritis?* 5. *Responderunt ei, Jesum Nazarenum.* Viden' insuperabilem potentiam, quomodo in medio consistens ipsos excæcaverit? Quod enim id non ex tenebris noctis proveniret, indicavit evangelista, cum dixit, illos faces habuisse. Etiamsi vero faces non adfuissent, ex voce cognosci poterat : quod si illi ignorabant, quomodo ignorare potuit Judas, qui frequenter cum ipso erat? Nam et ipse stabat cum eis, nec plus quam illi agnoscebat, imo etiam cum illis supinus lapsus est. Id vero fecit Jesus, ut ostenderet, eos se in medio stantem non modo non capere, sed ne videre quidem posse, nisi ipse vellet. 7. *Iterum dicit illis : Quem quæritis?* O stultitiam! Verbo illos supinos prostravit, neque ita resipiscunt tantam experti potestatem, sed eadem rursus aggrediuntur. Cum autem quod suum erat implesset, tunc demum seipsum tradit, aitque illis : 8. *Dixi vobis, quia ego sum. Stabat autem et Judas qui tradebat eum.* Animadverte evangelistæ moderationem, quomodo non maledicat proditori, sed rem gestam narret, unum ostendere studens, totum, illo permittente, factum esse. Inde ne quis diceret, ipsum Christum sese prodentem et monstrantem illos ad id impulisse; postquam exhibuit omnia, quæ illos absterrere poterant, quia in nequitia perseverabant, nullamque habebant excusationis ansam, tunc seipsum tradidit, dicens : *Si ergo me quæritis, sinite hos abire*, usque ad ultimam horam suam erga illos benignitatem exhibens. Si me opus habetis, inquit, nihil cum istis sit vobis commune. Ecce meipsum trado. 9. *Ut impleretur sermo quem dixit, quia non perdidi ex illis quemquam.* Perditionem autem hic dicit, non mortem hanc, sed illam æternam. Evangelista autem et in præsenti hoc accepit. Miretur autem quis quomodo non eos etiam ceperint et conciderint, cum maxime Petrus illos concitaret, cum mulctavit servum. Quis illos detinuit? Non aliud, quam ipsa vis quæ illos supinos prostravit. Quod significat evangelista, cum declarans id non ex illorum voluntate profectum esse, sed ex comprehensi virtute atque sententia, addit : *Ut sermo impleretur quem dixit, Nullus ex eis periit.*

2. *Quomodo Petrus gladium habuerit illoque fuerit*

usus. *Etiam lædentibus beneficiendum docet Christus, dum Malchum sanat.*—Petrus ergo hac voce et iis quæ gesta fuerant fretus, contra irruentes armatur. Et quomodo, inquies, qui jussus erat non peram habere, non duas tunicas, gladium habuit (*Matth.* 10. 10)? Ut videtur mihi, hoc metuens, se jam olim præmunierat. Quod si dicas : Quomodo qui jussus est non alapam infligere, homicidam agit? maxime autem non se ulcisci jussus fuerat; hic vero non se, sed Magistrum ultus est. Ad hæc, nondum perfecti et consummati erant. Tu vero si vis Petrum philosophantem videre, videbis postea cæsum et mille affectum malis, nec exasperatum. Jesus autem hic etiam miraculum edit, ut una te doceat, etiam lædentibus beneficia impendi oportere, et ut virtutem suam revelet. Servo igitur autem restituit, Petroque dicit : *Omnes qui gladium accipient, gladio peribunt* (*Matth.* 26. 52). Ut in lotione pedum fecit, cum minis contentionem ejus sedavit, sic etiam hoc loco. Nomen autem servi addit evangelista, quia magnum facinus erat, non tantum quod curaverit, sed etiam quod eum curaverit, qui sibi paulo post erat alapam inflicturus, et quod hinc concitandum contra discipulos bellum compescuerit. Ideo nomen ejus posuit evangelista, ut possent ii qui tunc legerent, perquirere et rei veritatem explorare. Nec sine causa auriculam dexteram dicit; sed, ut quidem puto, quo apostoli impetum declararet, quod ipsum fere caput impeteret. Verum Jesus non minis tantum illum cohibet, sed aliis illum verbis consolatur : 11. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam?* ostendens non illorum potentiæ, sed permissioni suæ id esse adscribendum, declaransque se non esse Deo contrarium, sed Patri obedire usque ad mortem. 12. *Tunc comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum;* 13. *et adduxerunt eum ad Annam.* Cur ad Annam? Læti rem ostentabant, ac si tropæum erigerent. *Erat autem socer Caiphæ.* 14. *Hic autem Caiphas erat qui consilium dederat Judæis, quod expedit unum hominem mori.* Cur iterum prophetiam nobis in mentem revocat evangelista? Ut pro salute hoc factum esse significet. Et tanta erat hujus veritatis excellentia, ut etiam inimici illam prædicerent. Ne enim vincula quis audiens turbaretur, hanc commemorat prophetiam, quia mors illius, salus orbis erat. 15. *Sequebatur autem Petrus, et alius discipulus.* Quis est alius discipulus? Ipse qui hæc scripsit. Et cur se non nominat? Nam cum supra pectus Jesu recubuit, jure nomen occultat; nunc autem cur idipsum facit? Eadem certe de causa. Nam hic quoque rem præclaram narrat, quod nempe, omnibus aufugientibus, ipse sequeretur. Ideo nomen tacet suum et Petrum priorem ponit, suique tamen meminisse coactus est, ut ediscas, eum accuratius quam alios ea quæ in aula gesta sunt enarrasse, utpote qui intus esset. Et vide quomodo laudem præcidat suam. Ne quis enim diceret, Quomodo, omnibus fuga semotis, ipse etiam ulterius quam Simon ingressus est? addit, 16. *Quia notus erat pontifici*, ut nemo miretur, si sequutus sit, nec ejus fortitudinem celebrat.

Petrus in timorem et metum distrahitur. Ipsius negatio. — Illud vero mirandum, quod Petrus, formidolosus cum esset, aliis recedentibus, usque ad atrium sit ingressus. Quod illuc se contulerit, amoris fuit; quod non ultra intus progressus sit, timoris pavorisque. Ideo namque hæc scripsit evangelista, ut viam pararet ad excusandam negationem. Neque enim ut rem magnam de se dicit, quod notus esset pontifici; sed quia dixit, solum se cum Jesu intravisse, ne putares magni rem esse animi, causam addit. Quod vero Petrus quoque intraturus fuisset, si id illi permissum fuisset, ex sequentibus significat. Cum enim exiisset, et ostiariam jussisset illum intromittere, statim intravit Petrus. Cur non ipsum ipse introduxit? Christo hærebat, et sequebatur eum; ideoque mulieri mandavit ut introduceret eum. Quid ergo mulier? 17. *Numquid et tu ex discipulis es hominis hujus? Dicit ille, Non sum.* Quid dicis, Petre? nonne dicebas nuper, si oporteret pro illo animam ponere, te positurum eam? quid igitur factum est, ut ne quidem ostiariæ interrogationem ferre possis? num miles erat qui sciscitabatur? num quis ex iis qui Jesum apprehenderant? Vilis erat ostiaria, neque aspera interrogatio. Non enim dixit, Deceptorisne et scelesti illius discipulus es? sed, *Hominis hujus*, quod miserantis potius erat. Verum nihil horum pertulit Petrus. Illud autem, *Numquid et tu*, ideo dicit, quia Joannes intus erat; adeo mansuete mulier loquebatur. Sed nihil horum sentiebat, vel intelligebat, nec primo, nec secundo, nec tertio; sed quando gallus cantavit : neque hoc advertit, donec Christus ipsum acerbe respexit. Et ipse quidem stabat se calefaciens cum servis pontificis; Christus vero vinctus detinebatur intus. Hæc porro dicimus, non Petrum accusantes, sed ut dictorum Christi veritatem exhibeamus. 19. *Princeps autem sacerdotum interrogavit Christum de discipulis et de doctrina.*

3. O malitiam! Cum sæpe audisset in templo concionantem et palam docentem, nunc id vult discere. Quia enim nihil habebant, de quo accusarent, de discipulis interrogabant : forte ubinam essent, et qua de causa collegisset illos, quid vellet, de quibus ageretur. Hoc autem dicebat, quod vellet illum ut seditiosum et novatorem arguere, quasi nemo alius ipsi crederet præter illos, quasi scilicet mala quædam esset officina. Quid ergo Christus? Hæc confutans ait : 20. *Ego palam loquutus sum mundo,* non privatim discipulis; *Ego palam docui in templo.* Quid ergo? nihilne secreto dixit? Dixit quidem : at non, ut illi putabant, timens et seditiones movens; sed cum ea quæ dicebat, supra multitudinis captum erant. 21. *Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt.* Non arrogantis hæc sunt, sed fidentis dictorum veritati. Quod igitur in principio dicebat : *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum non est* (*Joan.* 5. 31) : hoc et nunc subindicat, fide dignius volens testimonium statuere. Cum enim de discipulis ut discipulis percontaretur, quid ait? Mene de meis interrogas? interroga inimicos, insidiatores, eos qui

me vinculis constrinxerunt: hi loquantur. Hæc quippe est non dubia veritatis demonstratio, cum quis inimicos dictorum testes advocat. Quid ergo summus sacerdos? Cum sic oportuisset perquisitionem facere, hoc ille non fecit. 22. *Unus autem ex adstantibus ministris dedit ei alapam*, hæc dicenti. Quid hoc petulantius fuerit? Exhorresce cælum, contremisce terra de Domini patientia, et de servorum scelere. Sed quid dixerat? Non enim tanquam respondere nolens dixerat, *Quid me interrogas?* sed ut omnem improbitatis ansam succideret. Ac cum hac de re cæsus, posset omnia movere, perdere, subvertere, nihil horum fecit; sed ea loquutus est, quæ possent omnem lenire feritatem. 23. *Si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo;* hoc est, Si verba mea reprehendere potes, id ostende; *si non potes, cur me cædis?* Viden' judicium tumultu, ira et perturbatione plenum? Interrogavit subdole princeps sacerdotum: respondit Christus recte et ut decebat. Quid ergo consequens erat? Confutare, vel acquiescere. At secus agitur; nam servus cædit illum. Sic non judicium hoc erat, sed tumultus ac violentia. Deinde cum nihil amplius invenirent, 24. *Mittunt illum ligatum ad Caipham.*

Naturæ quanta infirmitas, cum nos Deus deserit. Cur evangelistæ omnes Petri negationem narrent. Judæorum vana religio.—25. *Erat autem Petrus stans, et calefaciens se.* Papæ! quanto torpore detinebatur fervens ille et furiosus, cum Jesus abduceretur! Neque postea movetur, sed se calefacit, ut discas quanta sit naturæ infirmitas, cum nos Deus deserit. Et interrogatus, iterum negat. Deinde 26. *Cognatus servi illius, cujus Petrus auriculam absciderat*, ea de re indignatus dixit, *Nonne ego te vidi in horto?* Neque hortus illi factorum memoriam revocavit, neque amor quem ibi verbis ostenderat, sed hæc omnia ex formidine missa fecit. Cur autem evangelistæ in hac re scribenda concordes sunt? Non ut discipulum accusent, sed ut nos doceant quantum malum sit, non totum Deo committere, sed sibi confidere. Tu autem mirare Magistri providentiam, quod etiam detentus ac vinctus, discipulum multum curaret, cum intuitu suo lapsum excitavit, et ad lacrymas deduxit. Ducunt ergo eum a Caipha ad Pilatum (*Joan.* 18. 28). Hoc autem factum est, ut judicum multitudo vel invita veritatem exploratam fuisse demonstraret. *Erat autem mane.* Antequam gallus cantaret, ad Caipham ducitur, mane ad Pilatum. Queis ostendit evangelista, a media nocte, semper a Caipha interrogatum, in nullo convictum fuisse: ideoque misit illum ad Pilatum. Sed illa aliis mittens, ipse sequentia narrat. Animadverte autem quam ridiculi sint Judæi. Innocente capto, armati in prætorium non intrant, *Ut non contaminarentur.* Atqui quæ contaminatio, ingredi in prætorium, in quo pœnas dant scelesti? Qui decimabant mentham et anethum (*Matth.* 23. 23. *Luc.* 11. 42), injuste occidentes se contaminari non putabant; contra vero in prætorium intrantes. Sed cur ipsi eum non occiderunt, sed ad Pilatum duxerunt? Jam multum ipsis de potentia et de imperio decisum erat, cum Romanis omnia subjecta essent. Alioquin vero timebant ne pœnas ipsi darent ab illo accusati. Quid sibi vult illud, *Ut manducarent Pascha?* Atqui illud jam Christus celebraverat una die azymorum. Vel Pascha vocat totam solemnitatem; vel ipsi tum Pascha faciebant; Christus vero pridie fecerat, cædem suam in parasceven reservans, quo die olim Pascha celebrabatur. Ipsi vero dum arma gestant, quod non licebat, et dum sanguinem effundunt, de loco accurate cavent, et Pilatum ad se evocant: qui egressus ait: 29. *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?*

4. Viden' eum longe ab illorum ambitione et invidia remotum? Videns enim illum vinctum, et ab illis adductum, non existimavit indubitatam esse accusandi causam; sed interrogat, absurdum esse dicens quod illi, præmisso judicio, supplicium ab se sine judicio sumendum postularent. Quid ergo illi? 30. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* O stultitiam! Cur facinus illud non dicitis, sed obtegitis? quid non malum aperitis? Viden' illos semper recusare rectam accusandi viam, nec quidpiam dicendum habere? Anna de doctrina percontatus est, et illum auditum misit ad Caipham. Hic interrogatum, cum nihil invenisset, misit ad Pilatum. Pilatus dicit, *Quam accusationem affertis contra eum?* Neque hic habent quid respondeant, sed conjecturis quibusdam rursus utuntur. Hinc anceps Pilatus ait: *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate illum. Dixerunt ergo illi: Nobis non licet interficere quemquam.* 32. Hoc autem dicebant, *Ut impleretur sermo Domini, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.* Et quomodo hoc significabat, *Non licet interficere quemquam?* Aut hoc dicit evangelista, quia non pro ipsis solum, sed etiam pro gentibus occidendus erat; vel quia ipsis crucifigere illum non licebat. Si vero dicunt, *Non licet nobis interficere quemquam*, illo tempore significant. Nam occiderunt, et etiam alio modo occiderunt; id quod probat lapidatus Stephanus: sed illum crucifigere cupiebant, ut mortis modum jactare possent. Pilatus vero ut ab hac molestia liberaretur, non ad diuturnum mittit judicium. Ingressus autem Jesum interrogat: 33. *Tu es rex Judæorum?* 34. *Respondit ille: A temetipso hoc dicis, an alii tibi hoc dixerunt?* Cur hoc Christus interrogat? Ut pravum Judæorum animum detegat. Hoc enim jam Pilatus a multis audierat; quia vero illi nihil quod dicerent habebant, ne longa fieret discussio, quod semper illi opponebant, in medium adducit. Quia vero dixerat illis, *Secundum legem vestram judicate eum;* ut ostendant peccatum illud non esse Judaicum, dicunt, *Non licet nobis.* Non enim in legem nostram peccavit, sed commune crimen est. Hoc perspecto Pilatus, ac si ipse periclitaretur, ait: *Tu es rex Judæorum?* Non ignorans ergo Christus interrogat, sed cum vellet Judæos ab eo accusari ait, *Alii tibi dixerunt?* Quod declarans Pilatus ait: 35. *Numquid ego Judæus sum? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?* hic se excusare volens. Deinde quia dixit, *Tu es Rex?* ipsum arguens

Jesus ait : Hoc audisti a Judæis. Cur non accuratam facis perquisitionem? Dixerunt me malefactorem esse : interroga quid mali fecerim. Verum id non facis, sed simpliciter causam exponis. *A temetipso hoc dicis*, an aliunde? Deinde ille quia auditis non poterat statim respondere, simpliciter turbam allegat; *Tradiderunt te mihi*, inquit. Oportet ergo te interrogare quid feceris. Quid ergo Christus? 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Pilati mentem erigit, qui non ita malus erat, neque illis similis, vultque ostendere se non esse simplicem hominem, sed Deum, et Dei Filium. Et quid ait? *Si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis.* Quod hactenus timuerat Pilatus, nempe tyrannidis suspicionem, ita solvit. Annon regnum Christi de hoc mundo est? Sane quidem est. Quomodo, inquies, *Non est?* Non quod hic non imperet, sed quod etiam in cælo imperium obtineat, sed illud non est humanum, verum longe majus ac splendidius. Si majus, quomodo captus est ab illo? Sponte et seipsum tradens. Verum hoc tum non tacet, sed quid ait? *Si ex hoc mundo essem, ministri mei utique decertarent, ut non traderer.* Hic ostendit regni terreni imbecillitatem, quod in ministris potestatem habeat : supernum autem regnum sibi sufficit, nulloque opus habet. Hinc ansam arripientes hæretici, alienum ipsum dicunt a Creatore. Quid ergo cum dicit, *In propria venit* (*Joan.* 1. 11)? quid cum : *Non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo* (*Id.* 17. 14)? Sic et regnum suum dicit non hinc esse, non mundum privans providentia sua et imperio suo, sed ostendens, ut dixi, non humanum vel fluxum esse. Quid ergo Pilatus? 37. *Ergo Rex es tu? Respondit Jesus, Tu dicis, quia Rex sum. Ego in hoc natus sum.* Si ergo Rex natus est, secundum alia omnia natus est : nihilque habet quod acceperit. Itaque cum audis, *Sicut Pater habet vitam in semetipso : ita dedit et Filio vitam habere* (*Id.* 5. 26), nihil aliud quam generationem intelligas. In aliis quoque similiter. *Et ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati*; hoc est, Ut hoc ipsum doceam omnes, et ipsis suadeam.

5. *Exemplum Christi sequamur oportet.* — Tu vero hæc audiens, ac Dominum videns vinctum et circumactum, præsentia nihil esse existimes. Quomodo enim non absurdum fuerit, cum Christus tot tantaque propter te sit passus, ne verba quidem sæpe ferre posse? Sed ille conspuitur, tu te ornas vestibus et annulis, et si non bona fama apud omnes fruaris, non vitalem vitam putas. Ille opprobriis impetitur, dicteria tolerat, turpes in maxilla plagas; tu semper in honore vis esse, nec fers vituperium Christi. Non audis Paulum dicentem : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (1. *Cor.* 11. 1)? Cum ergo te quispiam traduxerit, recordare Domini tui, quem ridentes adorabant, verbis et rebus dehonestabant, magnamque exhibebant ironiam; ille vero non modo vicem non reddebat, sed contraria, mansuetudinem, clementiam exhibebat. Hunc et nos imitemur : sic enim poterimus omni ignominia liberari. Non enim qui conviciatur, sed qui dejecto est animo et dolet, injuriis dat locum, ut illæ mordeant et pungant. Si enim non ægre ferres, non injuriam acciperes. Non enim ab inferentibus, sed a patientibus, hæc mala gravia fiunt. Quid doles? Si injuste tibi injuriam intulit, non indignari, sed illum miserari oporteret : si jure, multo magis quiescendum. Quemadmodum enim si quis te pauperem divitem appellaret, nihil ad te laudes illæ, sed id potius risum putares : ita si is, qui conviciatur, falsa dixerit, nihil id ad te. Quod si te conscientia reprehendat, ne te verba conturbent, sed re ipsa vitam corrigas. Et hæc circa veras contumelias loquor. Nam si paupertatem aut ignobilitatem exprobraverit, hæc irrideas. Hoc quippe non audientis opprobrium est, sed dicentis qui philosophari nesciat. At, inquies, quando hæc coram multis rei veritatem ignorantibus dicuntur, intolerabile ulcus efficitur. Imo tunc maxime tolerabile est, cum theatrum adest testium laudantium te atque probantium, illum autem improbantium et deridentium. Neque enim is qui se ulciscitur, sed is qui nihil dicit, mirabilis est apud eos qui mente valent; si vero nullus ex præsentibus mente valeat, ideo maxime illos rideas, et coram cælesti theatro gaudeas. Illic enim te omnes laudabunt, tibi plaudent, te probabunt. Unus autem angelus est toto orbi æquiparandus. Ecquid de angelis loquor, quando ipse Dominus te laudaturus est? Hisce nos cogitationibus exerceamus. Neque enim damnum est ei, qui contumelia afficitur, si taceat; secus, si se ulciscatur. Nam si damnum esset dicteria silentio excipere, non dixisset Christus : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram* (*Matth.* 5. 39). Si ergo falsa dixerit, ideo illius misereamur, quia sibi conviciantium supplicium attrahit, nec Scripturas legere dignus est. *Peccatori* namque *dixit Deus, quare tu enarras justitias meas per os tuum? Sedens contra fratrem tuum loquebaris* (*Psal.* 49. 16. 20). Sin vera dixerit, sic etiam commiseratione dignus est. Nam et Pharisæus vera dicebat; sed is audientem certe nihil læsit, imo juvit illum; se vero mille privavit bonis, et ex tali accusatione naufragium passus est. Itaque ille utrinque mulctatur, non tu. Tu certe si vigilaveris, dupliciter lucraris, et quod silentio Deum tibi propitium reddas, et quod moderatior sis, quodque ex dictis occasionem captes ad emendanda gesta tua, quod etiam humanam gloriam despicias. Etenim hinc nobis dolor exoritur, quod multi hominum famæ inhient. Sic si philosophari voluerimus, probe intelligemus res humanas nihil esse. Discamus igitur : et vitia nostra reputantes, paulatim ea corrigamus; hoc mense istud, sequenti aliud, tertio similiter aliud nobis corrigendum definiamus. Ita ceu gradibus ascendentes, ad cælum per scalam Jacobi perveniamus. Etenim scala in visione illa mihi illum per virtutem ascensum subindicare videtur, per quem a terra ad cælum ascendere possumus, non gradibus sub sensum cadentibus, sed morum emendatione et augmento. Hanc

ergo peregrinationem, hunc ascensum aggrediamur; ut cælos consequuti, omnibus illic fruamur bonis, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXIV.

CAP. 18. v. 37. *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.*

1. *Patientiam Christus quomodo doceat.* — Mirabilis res est patientia, quæ animam a fluctibus spiritibusque malignis liberatam, quasi in tranquillo portu constituit. Hanc nos ubique Christus docuit; nunc vero maxime, cum ad judicium trahitur et circumagitur. Etenim ad Annam adductus, cum mansuetudine magna respondit, et cædenti servo ea respondit, quæ fastum omnem coercere possent. Hinc ad Caipham, deinde ad Pilatum ductus, totaque consumpta nocte, in his ubique magnam præ se tulit mansuetudinem. Cum dicerent ipsum facinorosum esse, quod probare non poterant, silens tamen ille stetit: cum autem de regno interrogatus est, tunc loquutus est Pilato, erudiens eum et ad sublimiora ducens. Sed cur Pilatus ipsis præsentibus non rem examinat, sed in prætorium ingreditur? Magnam de illo habebat opinionem, et extra Judæorum tumultum, omnia volebat accurate discere. Deinde cum dixit, *Quid fecisti?* hac quidem de re nihil respondit, sed de qua re magis Pilatus audire cupiebat, nempe de regno ipsius, de illa respondit his verbis: *Regnum meum non est de hoc mundo;* id est, Rex quidem sum, sed non qualis tu suspicaris, verum longe splendidior. Hinc et ex sequentibus declarat se nihil mali fecisse. Nam qui dicit, *In hoc natus sum, et ad hoc veni ut testimonium perhibeam veritati*, se nihil mali fecisse declarat. Deinde cum dicit, *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam*, allicit eum, et suadet ut dicta illa audiat. Si quis, inquit, verax est, et hæc desiderat, me plane audiet. Hoc pacto illum paucis verbis allicit, ita ut dicat, 38. *Quid est veritas?* Sed interim urgenti rei instat. Vidit enim talem interrogationem tempore egere: volebat autem illum ex Judæorum furore eripere. Ideo exivit. Et quid ait? *Ego nullam in eo invenio causam.* Et animadverte quam prudenter. Non dixit enim, Quoniam peccavit, et dignus est morte, solemnitati illum concedite: sed prius illum ab omni crimine liberat, tunc ex abundanti rogat: si nolint ut innocentem dimittere, saltem ut noxium solemnitati tribuant: quare adjecit: 39. *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam in Pascha;* deinde supplicantis more, *Vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum? Clamaverunt omnes*, 40. *Non hunc, sed Barabbam.* O exsecrandam mentem! Moribus sibi similes et noxios dimittunt, innoxium vero plecti jubent: hic enim jam olim mos illorum erat. Tu autem in omnibus considera Domini benignitatem. *Flagellavit eum Pilatus*, forte ut, sedato Judæorum furore, illum erueret. Quia enim per priora non potuerat illum eruere, ut malum his sisteret, flagellavit, et cætera permisit, ut chlamydem et coronam ipsi imponerent, quo illorum frangeret iram. Ideo coronatum ad eos adduxit, ut illam videntes ipsi illatam contumeliam, furorem compescerent et virus totum evomerent. Et quomodo milites hæc faciebant, non mandante prætore? In Judæorum gratiam: siquidem initio non ab illo jussi noctu profecti sunt, sed in gratiam Judæorum et pecuniæ causa omnia audebant. Attamen cum tot tantaque fierent, stabat ille silens, ut etiam fecit cum examinaretur, nihilque respondit. Tu vero non solum hæc audias, sed etiam in mente semper retineas, cum orbis et angelorum Regem vides a militibus irrisum, et verbis et rebus, omniaque cum silentio ferentem, illum reipsa imitare. Cum enim dixisset Pilatus, *Regem Judæorum*, habitum illi vestemque deridendam circumponunt. Deinde educens illum dixit: (*Cap.* 19) 4. *Nullam causam invenio adversus eum.* Exiit ergo habens coronam, neque ita sedata est ira, sed clamabant, 6. *Crucifige, crucifige eum.* Videns ergo Pilatus omnia frustra tentari, dicit: *Accipite eum vos, et crucifigite.* Unde palam est eum priora illorum furori concessisse. *Ego nullam*, inquit, *causam invenio adversus eum.*

2. Animadverte quot modis judex illum purget, et quam frequenter crimina propulset: sed canes illos nihil avertere potuit. Nam illud, *Accipite, et crucifigite*, fastidientis est, et ad rem illicitam impellentis. Ipsi itaque duxerunt illum, ut post prætoris judicium hoc fieret: contra autem accidit, ut sententia judicis magis absolveretur. Deinde ignominia affecti dixerunt: 7. *Nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Cur ergo cum judex dixit vobis, *Accipite illum, et secundum legem vestram judicate*, dixistis, *Non licet nobis interficere quemquam;* hic vero ad legem confugitis? Et considera accusationem. *Filium Dei se fecit.* An hoc criminandum, dic mihi, quod is, qui Filii Dei opera facit, se Filium Dei dicat? Quid ergo Christus? Illis hæc mutuo loquentibus tacebat, illud implens propheticum dictum, *Non aperiet os suum: in humilitate sua de judicio sublatus est* (*Isai.* 53. 7. 8). Deinde Pilatus timet, cum ab illis audisset quod Filium Dei se fecerit, formidans ne id quod dicebatur verum esset, et ipse videretur inique agere. Illi vero cum hoc et ex verbis et ex operibus didicissent, non exhorrescunt, sed illis eum de causis occidunt, quibus adorare debuerant. Ideo non ultra illum interrogat, *Quid fecisti?* sed timore permotus a sublimioribus interrogationem parat dicens: *Si tu es Christus?* Sed nihil respondit. Nam qui audierat, *In hoc natus sum, et ad hoc veni;* et, *Regnum meum non est hinc*, cum debuisset obsistere, ipsumque eruere; id non fecerat, sed Judaicum impetum sequutus fuerat. Deinceps illi undique confutati, ad publicum crimen confugiunt, et dicunt: *Qui se regem facit, contradicit Cæsari* (*v.* 12). Oportebat ergo hoc diligenter explorare, an tyrannidem affectaret, et Cæsarem e regno depellere tentaret. Sed

illud non examinat; ideo ipse non respondit, cum sciret ipsum frustra interrogare. Alioquin, rebus ipsis testificantibus, nolebat verbo vincere, et defensionem parare, ostendens se sponte ad hoc venisse. Cum sileret ergo, 10. *Ait Pilatus : Nescis quia potestatem habeo crucifigere te?* Viden' quomodo seipsum damnare præoccupet? Nam si in te totum situm est, cur cum nullam causam invenias, non liberum dimittis? Cum ergo sententiam adversum se protulisset, tunc dicit : 11. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*, ostendens ipsum quoque peccato obnoxium esse; deinde illius fastum arrogantiamque deprimens ait : *Non haberes potestatem, nisi tibi datum esset*, declarans non temere, neque secundum communem usum, sed mystice id completum fuisse. Ne vero audiens, *Nisi tibi datum esset*, se omni crimine liberum putaret, dicit: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Atqui si datum erat, neque hic neque illi obnoxii erant. Frustra sic loqueris : hic enim *Datum* pro concessum dicitur; ac si diceret, Hæc fieri permisit : nec ideo tamen culpa liberi vos estis. Verbis illum perterruit, claramque præbuit sui purgationem : quapropter ille ipsum absolvere quærebat. Illi vero rursum clamabant : 12. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*. Quia enim ex lege crimina proferentes, nihil perfecerant, vafre ad externas vertuntur leges, dicentes : *Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari*. Et ubinam hic tyrannus apparuit? unde id comprobare poteritis? ex purpura? ex diademate? ex habitu? ex militibus? annon solus semper cum duodecim discipulis ibat, omnibus vilioribus utebatur, cibo, veste, habitaculo? Sed o impudentiam et intempestivam formidinem! Pilatus enim cum periculum formidaret, si hæc negligeret, exit quidem quasi rem examinaturus (id enim sibi vult, cum sedisse dicit); sed nullo facto examine, tradidit eum, putans se illos inflexurum esse. Quod enim illo esset animo, ex dictis audi: 14. *Ecce Rex vester*. Cum dixissent illi, *Crucifige*, rursum addidit : 15. *Regem vestrum crucifigam? Illi vero clamabant, non habemus regem nisi Cæsarem*. Sponte se ultioni subjecerunt. Ideo Deus illos tradidit, quando se ipsi priores ex ejus providentia et protectione subtraxerant : et cum uno consensu regnum ejus abnegassent, permisit eos suis calculis subruere. Atqui quæ dicta fuerant, totam illorum iram sedare debuissent. Sed timuerunt ne dimissus denuo populum congregaret, quod ne eveniret omnia movebant. Grave enim quidpiam est ambitio, grave, et quod animam perdere possit. Ideo numquam illum audierunt. At Pilatus verbis tantum vult illum dimitti : illi vero instant dicentes, *Crucifige*. Et cur tantopere illum interficere satagebant? Ignominiosa mors illa erat. Timentes ergo ne qua in posterum ejus memoria servaretur, hoc probrosum supplicium ipsi inferre student, nescii impedimentis veritatem extolli. Nam quod hoc suspicarentur, audi quid dicant : *Nos audivimus, quia seductor ille dixit, Post tres dies resurgam* (*Matth.* 27, 63). Ideo omnia sus deque vertentes miscebant, ut hanc in posterum statuerent perniciosam opinionem; et frequenter clamabant, *Crucifige*, incondita nempe turba a principibus corrupta.

3. *Passio Christi semper in mente ferenda.* — Nos autem hæc non solum legamus, sed in mente feramus, coronam spineam, vestimentum, calamum, alapas, plagas oculis inflictas, sputa, irrisiones. Hæc quippe in mente frequenter versata omnem iram sedare possunt. Etiamsi irrideamur, etiamsi quid injuste patiamur, frequenter dicamus : *Non est servus major domino suo* (*Joan.* 13. 16) : et quæ a Judæis dicuntur, adducamus in medium, cum rabidi dicerent : *Dæmonium habes*; et, *Samaritanus es tu* (*Id.* 7. 20. *et* 8. 48); et, *In Beelzebub ejicit dæmonia* (*Luc.* 11. 15). Ideo enim hæc omnia passus est, ut ejus vestigia sequamur, et dicteria feramus, quæ maxime concitare solent. Attamen ille non solum hæc pertulit; sed etiam omnia fecit, ut eos qui hæc moliti fuerant a destinato supplicio liberaret. Nam apostolos ad illorum salutem misit. Audis enim dicentes illos, *Scimus quia ignoranter fecistis* (*Act.* 3. 17); et sic illos ad pœnitentiam attrahunt. Hæc et nos imitemur. Nihil enim ita Deum placat, ut inimicos diligere, et benefacere lædentibus. Cum quis tibi molestiam creaverit, ne illum respicias, sed dæmonem qui movet illum, et contra dæmonem totam iram effunde : illum vero a diabolo motum miserare. Nam si mendacium a diabolo est, sine causa irasci multo magis ab illo procedit. Cum te irridentem videbis, cogita illum a diabolo concitari; non enim Christianorum dicteria hujusmodi. Nam qui jussus est lugere et audiens illud, *Væ qui ridetis* (*Luc.* 6. 25), certe cum exprobrat, irridet, exardescit, non opprobriis, sed lacrymis dignus est : nam et Christus turbatus est, Judam recogitans. Hæc itaque omnia operibus exsequi meditemur. Nisi enim hæc fecerimus, frustra et incassum in hunc mundum venimus; imo potius in malum. Non enim potest fides sola in cælum introducere; sed etiam magis eos, qui malam vitam exhibent, condemnare potest. *Qui enim novit voluntatem domini sui, et non fecit, vapulabit multis* (*Id.* 12. 47); et rursum, *Si non venissem, et loquutus fuissem eis, peccatum non haberent* (*Joan.* 15. 22).

E gentilium in vana studio, negligentiam Christianorum in sancta redarguit. — Quam ergo excusationem habebimus, qui intra regiam constituti, in adyta penetrare dignati, et consortes facti mysteriorum a peccatis eximentium, gentilibus, qui horum nullo fruuntur, deteriores sumus? Si enim illi ob vanam gloriam tantam exhibuere philosophiam; multo magis nos, quia ita Deo placet, par est omnem adire virtutem. At ne pecuniam quidem despicimus; illi vero suam sæpe contempserunt animam, in bellis filios devoverunt dæmonum insaniæ, et propter dæmonas naturam ipsam spreverunt : nos vero ne argentum quidem pro Christo spernimus, neque, ut Deo placeamus, iram deponimus; sed incendimur, et a febricitantibus nihil differimus. Ut enim illi morbo laborantes, ardentes sunt : sic et nos quasi igne quopiam suffocati, cupiditatem nusquam

sistere possumus, iram atque avaritiam augemus. Ideo pudet me et obstupesco, dum apud gentiles video qui pecunias despiciunt, apud nos vero omnes illa cupiditate insaniunt. Nam etiamsi aliquos apud vos respiciamus, qui illas spernant, ii aliis capti vitiis sunt, ira et invidia : resque difficilis admodum est puram invenire philosophiam. In causa vero est, quod non studeamus pharmaca ex Scripturis capere, neque cum compunctione illis attendamus, cum dolore et gemitibus; sed perfunctorie, si quando otium suppetat. Ideo quia multa rerum sæcularium colluvies ingressa est, omnia inundat, et si quid lucri obvenerat, disperdit. Neque enim si quis vulnere affectus, pharmacum apponat, nec accurate alliget, sed decidere permittat, et aquæ, pulveri, æstui, innumerisque aliis, quæ possint ulcus labefactare, exponat, aliquid ille proficiet : id vero non ex remedii imbecillitate, sed ex ægri desidia evenit. Hoc nobis quoque contingere solet, cum divinis oraculis tantillum quidem attendimus ; sæcularibus vero rebus nos perpetuo damus. Ita namque semen suffocatur, et omnia fructu carent. Ne ergo id eveniat, tantillum inspiciamus. Intueamur cælum, et oculos inde flectamus in sepulcra et mortuorum tumulos. Nos enim eadem mors exspectat, et ipsa migrandi necessitas, sæpe ante vesperam, nos invadet. Apparemus ergo nos ad hanc profectionem; multis namque viaticis opus habemus. Ibi enim multus calor, æstus multus, magna solitudo. Non licet tunc ad pandocheum divertere; non in foro emere ; omnia hinc asportanda sunt. Audi quid dicant virgines : *Ite ad vendentes* (*Matth.* 25. 9); at illæ euntes non invenerunt. Audi quid dicat Abraham : *Chaos est inter nos et vos* (*Luc.* 16. 26). Audi quid Ezechiel de illa die proferat : *Noe, Job, et Daniel filios suos non liberabunt* (*Ezech.* 14. 14). Verum absit ut nos talia audiamus verba, sed acceptis hinc quæ ad æternam vitam sufficiant viaticis, utinam videamus Dominum nostrum Jesum Christum, quicum Patri, unaque Spiritui sancto, gloria, imperium, honor nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXV.

CAP. 19. v. 16. *Tunc ergo tradidit eis illum Pilatus, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt illum.* 17. *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locus, Hebraïce Golgotha,* 18. *ubi illum crucifixerunt.*

1. Res prosperæ facile possunt dejicere ac prosternere eos qui non attendunt. Ita Judæi a principio Dei gratia fruentes, morem regni gentilium postea quærebant, et in deserto post manna cæparum recordabantur. Eodem modo hic, Christi recusato regno, regnum Cæsaris sibi acclamarunt. Ideo secundum illorum sententiam constituit eis regem. Cum ergo hoc Pilatus audisset, tradidit eum ut crucifigeretur : admodum injuste. Erat enim interrogandum an regnum affectasset : sed timore tantum motus, sententiam tulit, quod ne ille admitteret, Christus jam monuerat dicens : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Sed præsentibus se totum dedens, nihil magni philosophari voluit. Atqui uxoris somnium ipsum perterrefacere debuisset. Sed nullo horum melior est effectus : non respexit ad cælum, sed ipsum tradidit. Illi ut jam damnato crucem imposuerunt. Lignum quippe illud abominabantur, nec contingere quidem volebant. Sic et in figura factum est : nam Isaac ligna portavit. Sed tunc in patris tantum voluntate res constitit (figura quippe erat) : nunc vero res consequuta est, quia veritas erat. *Et venit in Calvariæ locum.* Quidam dicunt Adamum ibi mortuum esse et jacere : et Jesum ubi mors regnaverat, ibi tropæum erexisse. Nam tropæum gestabat crucem contra mortis tyrannidem : et sicut victores, sic et ipse victoriæ symbolum humeris gestabat. Quid enim, si hæc alio animo præceperunt Judæi? Crucifigunt eum cum latronibus, inviti prophetiam implentes. Quæ enim illi ad contumeliam faciebant, hæc veritati inserviebant : ut discas quanta sit ejus virtus. Nam et illud jam olim propheta prædixit : *Cum iniquis reputatus est* (*Isai.* 53. 12). Voluit ergo dæmon rem gestam obscurare ; sed non potuit. Tres enim sunt crucifixi; solus resplenduit Jesus : ut discas ejus virtutem omnia esse operatam. Atqui tribus crucifixis, miracula facta sunt; nemo tamen aliquod ex illis alii quam Jesu tribuit; ita infirmæ erant diaboli insidiæ, quæ in ipsius caput totæ sunt conversæ. Nam ex his duobus unus salutem est consequutus. Non modo igitur crucifixi [1] gloriæ non nocuit, sed non parum ipsi contulit : non minus enim erat latronem in cruce convertere, et in paradisum inducere, quam petras commovere. 19. *Scripsit autem titulum Pilatus;* tum ut Judæos ulcisceretur, tum ut Christum purgaret. Quia enim ut scelestum tradiderant, et id ex latronum consortio confirmare studebant; ne quis deinde illum incusare posset, et ut scelestum improbumque traducere, illorum ora obstruit, omniumque qui ipsum vellent accusare : ostendensque illos in proprium Regem insurrexisse, sic descripta verba posuit, ut in tropæo : quæ verba claram vocem emitterent, ac victoriam regnumque ejus prædicarent, etiamsi non regnum totum. Hoc autem non una lingua sed triplici declaravit. Quia enim credibile erat multos Judæis commixtos fuisse propter solemnitatem, ut nemo ejus apologiam ignoraret, omnibus linguis Judæorum furorem denotavit. Nam vel crucifixo invidebant. Atqui quid hoc vobis nocebat? Nihil. Si enim mortalis erat, imbecillus, et exstinguendus, cur timetis scriptas literas dicentes illum esse Regem Judæorum? Et quid dicunt? Dic quod ille dixerit (*Joan.* 19. 21). Nam nunc sententia est et communis calculus:

[1] Alias legitur, *crucis*, pro, *crucifixi*.

si vero adjiciatur, *Ipse dixit*, illius petulantiæ et arrogantiæ id adscribitur. Neque tamen sententiam mutavit Pilatus, sed perstitit. Hinc autem non parva quæpiam res, sed totum dispensatur. Cum enim crucis lignum defossum fuisset, nec illud quispiam eruere auderet, instante metu, et fideles, aliis rebus urgentibus, incumberent; et tamen futurum erat, ut insequenti tempore crux perquireretur, et tres cruces una jacerent: ne ignoraretur quænam Domini fuisset, primo quod in medio esset, deinde ex titulo agnita fuit; latronum quippe cruces titulos non habebant. Milites autem diviserunt vestimenta, sed non tunicam. Vide rursum per prava illorum gesta prophetias ubique impleri. Nam illud quoque jam olim prædictum fuerat. Atqui tres erant crucifixi; sed prophetiæ in illo implebantur. Cur enim non in aliis idem fecerunt, sed in hoc tantum? Tu vero mihi consideres velim prophetiæ accurationem. Non modo enim divisisse dicit propheta, sed etiam non divisisse: alia diviserunt, tunicam non diviserunt, sed sorti rem commiserunt. Illud vero, 23. *Desuper contexta*, non sine causa ponitur; sed alii dicunt allegoriam esse, quia non simpliciter homo erat crucifixus ille, sed prius divinitatem habuit.

2. *Vestium ritus in Palæstina. Tunica inconsutilis.* — Alii dicunt illud vestis genus describere evangelistam. Quia enim in Palæstina duos consuentes pannos, sic vestimenta texunt, ut significet Joannes, talem fuisse tunicam, dicit, *Desuper contexta*. Id vero dicere mihi videtur, ut vestium vilitatem subindicet: et sicut in aliis omnibus, sic in veste eum vilitati studuisse. Et hæc quidem milites (*Joan*. 19. 24). Ipse vero crucifixus matrem suam discipulo commendat, ut nos doceat ad extremum usque halitum, parentum curam præcipuam esse gerendam. Quando igitur Mater intempestive accessit, dicit: *Quid mihi et tibi est mulier* (*Joan*. 2. 4)? et, *Quæ est mater mea* (*Matth*. 12. 48)? hic vero magnum exhibet amorem, et discipulo quem diligebat ipsam commendat. Rursus nomen suum Joannes modeste tacet: nam si gloriari voluisset, causam etiam dixisset cur diligeretur, quam verisimile est fuisse magnam mirabilemque. Cur nihil aliud Joanni dicit, neque illum mœstum consolatur? Quia tempus consolandi non erat. Alioquin non parva res erat quod ille tali dignaretur honore, et perseverantiæ suæ præmium acciperet. Tu vero mihi considera quomodo crucifixus omnia sine perturbatione faciat, discipulum de matre alloquatur, prophetias impleat, latroni bonam spem indat; etiamsi antequam crucifigeretur visus fuerit sudare, in agonia esse, timere. Quid igitur hoc est? Nihil dubii, nihil incerti. Illic enim naturæ infirmitas ostensa est, hic potestatis magnitudo. Ad hæc, his duobus nos admonet, etiamsi antequam mala ingruant perturbemur, non ideo absistendum esse a malis; sed cum in ipsa certamina ingressi sumus, tunc omnia facilia et levia existimanda esse. Ne itaque mortem formidemus: naturæ quippe inest vitæ amor; sed in nostra potestate est aut vinculum solvere, et cupiditatem illam minuere; vel alligare, et vehementiorem reddere. Sicut enim coitus cupiditatem habemus, sed si philosophemur illam cohibemus tyrannidem: sic et in vita accidit. Nam sicut concupiscentia carnalis servandæ prolis causa indita est; quod Deus successionem generis stabilierit, neque tamen impedierit ut superiorem continentiæ viam teneamus: sic et vitæ amorem indidit, vetans ne quis sese interficiat, nec tamen vetans ne præsentem vitam spernamus. Horum gnaros oportet modum servare; nec sponte ad mortem ruere, etsi quis mille prematur malis; neque abreptos ob causas Deo acceptas, formidare et renuere, sed fidenter adire, futuramque vitam præsenti anteponere.

Matrem cur discipulo Christus commendat. — 25. *Stabant autem mulieres juxta crucem.* Infirmior sexus, fortior tunc apparuit: ita omnia tunc invertebantur. Ipse vero Matrem commendans dicit: 26. *Ecce filius tuus.* Papæ, quantum honorem discipulo collatum! Cum enim ipse jam abiret, ipsam discipulo curandam tradit. Quia enim credibile erat ipsam, utpote matrem, dolere et patrocinium quærere, jure illam discipulo tradit dicens: 27. *Ecce mater tua.* Hæc porro dicebat, ipsos mutuo conjungens amore: quod cum intelligeret discipulus, ipsam in sua accepit. Cur autem nullam aliam memoravit mulierem, licet alia quoque adstaret? Ut nos doceret plus tribuendum matribus esse. Ut enim parentes, cum spiritualia impediunt, ne cognoscendi quidem sunt: sic cum non ea cohibent, omne debitum est ipsis præstandum, et aliis sunt anteponendi, quia nos genuerunt, educarunt, milleque mala subierunt. Sic Marcionis impudentiam reprimit (*a*). Si enim secundum carnem natus non esset, nec matrem haberet, cur tantam de illa sola gerit curam? 28. *Postea sciens Jesus, quoniam jam omnia consummata sunt*; id est, quod nihil œconomiæ desit. Ubique enim satagebat ostendere hanc novam esse mortem: siquidem in potestate morientis sita omnia erant, neque prius mors corpori advenit, quam ipse vellet: volebat autem cum omnia implesset. Ideo dicebat: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan*. 10. 18). Sciens ergo omnia consummata, ait, *Sitio*. Hic rursum prophetiam implet. Tu vero mihi perpende sceleratum adstantium animum. Etiamsi enim innumeros habeamus inimicos, et intolerabilia ab eis perpessi simus, quando videmus eos interfici, plangimus: hi vero non flexi sunt erga illum, neque his conspectis mitiores facti sunt; sed magis efferabantur, et irrisionem augebant, in spongia offerentes illi acetum: sic illi potum dederunt, ut damnatis porrigitur: nam hyssopus ideo offertur. 30. *Cum accepisset autem dixit, Consummatum est.* Vidistin' eum imperturbatum cum potestate hæc facere? quod ex sequentibus ostenditur. Cum enim omnia consummata essent, *Inclinato capite* (non enim illud clavis erat affixum), *tradidit spiritum*, hoc est, exspiravit. Atqui non post inclina-

(*a*) Marcion dicebat Christum non vere ex Maria natum esse.

tum caput exspirat; hic vero contrarium efficitur. Non postquam exspiraverat caput inclinavit, ut apud nos fieri solet; sed postquam inclinaverat, exspiravit. Quibus omnibus declaravit evangelista, ipsum universorum esse Dominum.

3. At Judæi rursum, qui camelum deglutiebant et culicem excolabant (*Matth.* 23. 24), tantum nefas ausi, de die consultant. 31. *Quia Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura.* Viden' quam fortis sit veritas? Per studia eorum prophetia impletur. Alia quoque prædictio finem accipit. Venientes enim milites aliorum fregerunt crura (*Joan.* 19. 32), Christi non item. Attamen hi in gratiam Judæorum ejus latus lancea perforarunt, et mortuo corpori contumeliam inferunt. O scelestum et exsecrandum facinus! Sed ne turberis, ne dejiciaris, dilecte. Nam quæ mala illi voluntate faciebant, veritatem propugnabant. Prophetia namque erat, *Videbunt in quem transfixerunt* (*Ibid.* 37). Neque hoc tantum; sed etiam iis qui infideles futuri erant, hoc facinus demonstrationi fuit, ut Thomæ et ipsi similibus. Ad hæc etiam mysterium ineffabile consummabatur. *Exivit* enim *sanguis et aqua*. Non sine causa vel casu hi fontes manarunt; sed quia ex hoc utroque Ecclesia constituta est. Hoc sciunt initiati, qui per aquam regenerantur, ac per sanguinem et carnem nutriuntur. Hinc initium mysteria sumunt, ut cum ad tremendum poculum accesseris, sic venias ac si ex hoc latere potaturus esses. 35. *Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus.* Hoc est, Non ab aliis audivi, sed ipse præsens vidi, et verum est testimonium. Merito sane. Contumeliam narrat; non magnum quid et mirabile, ut possis contra suspicari; verum ille hæreticorum ora comprimens, et futura prænuntians mysteria, atque contentum in ipsis thesaurum considerans, minutatim recenset ea quæ gesta sunt. Impleta est autem prophetia illa, 36. *Os ejus non comminuent.* Etiamsi enim hoc de Judæorum agno dictum sit, tamen propter veritatem figura præcessit, et in hoc magis completum est. Ideo prophetam in medium adduxit. Cum sese testem afferens ubique non videretur fide dignus haberi, adducit Moysen, ut innuat hoc non casu factum esse, sed jam olim scripto fuisse prænuntiatum. Hoc illud dictum est: *Os ejus non comminuetur* (*Exod.* 12. 46. *Num.* 9. 12). Rursumque ex seipso prophetæ fidem facit. Hæc dixi, inquit, ut discatis magnam esse affinitatem inter figuram et veritatem. Viden' quantam curam adhibeat, ut credatur illud quod turpe ignominiosumque videtur? Nam corpus a milite contumelia affici, longe pejus erat quam crucifigi. Attamen et hæc dixi, inquit, et cum diligentia magna dixi, 35. *Ut credatis.* Nemo itaque fidem neget, neque præ pudore nostris noceat. Nam quæ maxime contumeliosa videntur, hæc sunt bonorum nostrorum honestissima. 38. *Post hæc autem veniens Joseph ab Arimathia, cum esset discipulus*: non ex duodecim, sed fortassis ex septuaginta. Jam enim putantes sedatam iram esse per crucem, cum libertate accesserunt, et funus curaverunt. Accedens igitur, a Pilato gratiam petit, ille concedit. Cur enim non fecisset? Tum ipsi operi manum adhibuit etiam Nicodemus: et magnifice sepeliunt. Adhuc enim illum pro puro homine habebant. Et aromata ferunt hujusmodi, quæ maxime possint corpus diuturno tempore conservare, ne citius in corruptionem vergat: quo indicabatur illos non magnum quidpiam de ipso sentire; attamen multum amorem præ se ferebant. Cur autem nemo ex duodecim accessit, non Joannes, non Petrus, non alius quispiam ex insignioribus? Neque hoc occultat discipulus. Nam si quis dixerit, ob metum Judæorum, hi quoque timebant: nam hic erat, inquit, *Absconditus ob metum Judæorum.* Nec dixeris, sic fecisse quod contemnerent; sed ipse quoque metuens accessit. Joannes autem qui adfuerat et exspirantem viderat, nihil hujusmodi fecit. Quid ergo dicendum? Mihi videtur eum ex insignioribus viris fuisse, ut ex funeris sumptu liquet, et Pilato notum fuisse: quapropter id impetravit, ipsumque sepelivit, non ut damnatum, sed ut mos erat Judæis sepelire virum magnum et admirandum.

4. Cum autem tempore urgerentur (illo enim hora nona mortuo, deinde iis Pilatum adeuntibus, et corpus auferentibus, credibile erat vesperam adventuram esse, qua non licebat operari), in proximo monumento corpus deponunt. Dispensatum est ipsum deponi in novo monumento, in quo nemo depositus ante fuerat: ut non crederetur alterum resurrexisse, qui cum illo depositus fuisset; et ut discipuli facile possent eo venire, et quæ evenerant spectare, cum vicinus esset locus; utque testes resurrectionis forent, non illi tantum, sed etiam inimici. Nam quod signacula in sepulcro posita fuerint, quodque custodes milites assederint, id certe testimonium sepulturæ erat: illam enim non minus quam resurrectionem in confesso esse Christus curavit. Ideo discipuli admodum student comprobari mortem. Nam resurrectionem totum sequens tempus confirmaturum erat; mors vero si obscura nec prorsus manifesta fuisset, resurrectionis rationem obscurasset. Neque his solum de causis in vicino loco sepultus est, sed ut falsus ostenderetur corporis furto sublati rumor. (*Cap.* 20) 1. *Una autem sabbatorum*, hoc est, Dominica, *primo diluculo*, *Maria Magdalene venit mane, et videt lapidem revolutum a monumento.* Surrexerat enim, et lapide et signis impositis. Cum autem oporteret etiam alios certiores fieri, sepulcrum post resurrectionem aperitur, et sic quod factum erat confirmatur.

Mariæ Magdalenæ fervens amor. — Hoc etiam Mariam movit. Quæ cum Magistrum tantopere amaret, quia sabbatum transierat, non cessavit; sed primo diluculo venit, ut ex loco aliquid acciperet consolationis. Et viso loco, lapideque sublato, non intravit, nec introspexit, sed ad discipulos cucurrit, desiderio ardens. Hoc enim maxime curabat, ut quamprimum sciret quid de corpore factum esset. Hoc enim cursus significabat, et verba declarabant. 2. *Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.* Viden' quomodo de resurrectione nondum quid clare cogno-

sceret, sed putaret translatum fuisse corpus; et sine fuco omnia discipulis nuntiat? Evangelista vero tanta laude mulierem non fraudavit, neque dedecori putavit esse, si ab illa quæ noctu profecta erat, hoc primum didicerint: sic ubique fulget ejus veracitas. Cum venisset illa, et hæc dixisset, hoc audito, illi ad sepulcrum statim properant, et vident linteamina posita; quod erat resurrectionis signum. Neque enim, si quipiam corpus abstulissent, illud antea nudavissent; nec, si furati essent, ita curassent sindonem auferre, involvere, et certo in loco ponere (*Joan.* 20 7); sed ut erat, corpus abstulissent. Ideo Joannes dicere præoccupat, cum multa myrrha fuisse sepultum, quæ non minus quam plumbum linteamina corpori conglutinat: ut cum audieris sudaria seorsim posita jacuisse, ne feras eos qui dicunt, ipsum furto sublatum fuisse. Neque enim fur adeo stultus fuisset, ut in re superflua tantam poneret curam. Qua de causa sudaria reliquisset? quomodo id faciendo latuisset? Nam diutius erat ea in re immorandum, et si tardasset, deprehensus fuisset. Cur autem separatim linteamina jacebant, et sudarium seorsim involutum? Ut discas, non festinanter et tumultuose hoc factum esse, ut hæc separatim jacerent, et illa seorsim involuta: hinc enim factum, ut resurrectionem crederent. Ideo post hæc illis Christus apparet, ex visu jam confirmatis. Hic mihi perpende quam sit evangelista a fastu alienus, et quomodo accuratam Petri perquisitionem testificetur. Nam cum prævenisset illum, et vidisset linteamina posita, nihil ultra perquisivit, sed discessit: ille vero fervens cum intrasset, omnia diligenter inspexit, et quid amplius vidit, et tunc hic ad spectaculum evocatus est. Nam post illum ingressus, sepulcralia vidit jacentia et divisa. Nam divisisse, et hoc et illud involutum separatim posuisse, diligentis et accurati cujuspiam erat, neque perturbati.

5. *Funerum sumptus et fastus damnatur.*—Tu vero cum audieris Dominum nudum resurrexisse, absiste ab insano funerum sumptu. Quid sibi vult enim illa superflua inutilisque impensa, quæ lugentibus multum affert detrimenti, defuncto nihil lucri; imo si vere dicatur, multum damni? Sepulturæ namque magnificentia in causa sæpe fuit ut fures corpus nudum et insepultum projicerent. Sed o inanem gloriam! quantam illa in luctu tyrannidem, quantam insaniam ostendit! Multi enim, ne id accidat, tenuia scindunt linteamina, et aromatibus impleta multis, ut duplici ratione furibus sint inutilia, sic terræ mandant. Annon hæc furentium, annon insanorum sunt, ambitionem præ se ferre, et rursum illam tollere? Etiam, inquiunt, ut in tuto sint penes defunctum, hæc omnia machinamur. Quid ergo? si fures non auferant, annon vermes et tineæ auferent? Quid vero? si parcant ei vermes et tineæ, annon tempus et sanies perdent? Ponamus autem ut nec vermes, nec tineæ, non tempus, nec quidpiam aliud hæc consumat, sed corpus ad usque resurrectionem intactum maneat, et hæc omnia nova et minuta serventur, quid amplius inde defunctis, quando corpus nudum suscitabitur, illa vero in sepulcro manebunt, nihilque nos juvabunt ad rationem reddendam? Cur ergo, inquies, id in Christo factum est? Noli hæc cum rebus humanis miscere: nam unguentum mulier meretrix effudit in sanctos pedes. Si de hac re sit loquendum, primo quidem hæc facta sunt ab iis, qui resurrectionem nondum noverant; ideo ait, *Ut mos Judæis erat.* Non enim ex duodecim erant qui sic Christum honorabant, sed hi non multum ei honoris tribuebant. Duodecim ergo eum non sic colebant, sed mortem, cædes, periculaque pro illo subeuntes. Ille quippe honor quidem erat, sed longe minor isto. Alioquin, ut dixi, de hominibus nobis nunc sermo est: tunc vero illa Domino exhibita sunt. Et ut discas nihil hæc Christum curavisse, ait ille: Esurientem me vidistis, et nutrivistis; sitientem, et potum dedistis; nudum, et induistis (*Matth.* 25. 35. 37). Nusquam dixit, Mortuum, et sepelistis. Hæc porro dico, non ut sepulturam tollam: absit; sed ut luxum et intempestivam ambitionem succidam. Affectus, inquies, dolor et commiseratio erga defunctum hæc suadent. Non sunt hæc commiseratio erga defunctum, sed vana gloria.

Eleemosyna defunctis prodest. — Si velis defunctum commiserari, aliam tibi funeris monstro rationem, et doceo te, quo pacto vestimenta apponas quæ cum illo resurgant et illum reddant splendidum: quæ vestimenta non vermes, non tempus absumunt, non a furibus illa tolluntur. Quænam hæc sunt? Eleemosynæ amictus. Hæc cum illo resurget: eleemosynæ signaculum cum illo est. His fulgebunt vestibus qui tunc audient: Esurientem me nutrivistis. Hæc insignes, hæc claros reddunt, hæc in tuto collocant. Quæ nunc fiunt, nihil aliud sunt, quam sumptus tinearum et mensa vermium. Hæc porro dico, non funeralia prohibens, sed modum excedere vetans, ut tegatur corpus, nec nudum terræ mandetur. Nam si viventibus præcipitur, ut nihil plus habeant quam vestimentum; multo magis mortuis. Neque enim ita mortuus veste indiget, ut vivus. Dum vivimus enim, tam frigoris quam pudoris causa vestibus egemus; mortuis ad hæc non opus est, sed ne corpus in funere nudum jaceat. Primum enim tegumentum pulcherrimum habemus terram, corporum naturæ aptissimam. Si ergo ubi tot sunt necessitates, nihil superfluum inquirendum; multo magis ubi non tanta est necessitas, intempestiva est ambitio.

6. At qui viderint, ridebunt, inquies. Ridentem sane non tam curare oportet, qui tantum insaniat. Nunc autem multi potius erunt qui mirabuntur, et nostram laudabunt philosophiam. Risu digna sunt non hæc, sed quæ nos facimus, plorantes, lugentes, nos simul cum mortuis defodientes. Hæc et risu et supplicio digna sunt. Philosophari autem et in his, et in vestium modo, hoc certe coronas et laudes nobis conciliat, nobisque omnes plaudent, atque mirabuntur Christi virtutem, dicentque: Papæ, quanta est Crucifixi virtus: suasit morientibus, mor-

tem non esse mortem : non ergo quasi pro pereuntibus agunt, sed pro iis qui ad meliorem locum præmittuntur. Suasit illis corpus hoc fluxum et terrenum induendum esse incorruptione, sericis et aureis vestibus longe pretiosiore. Ideoque non tantam sepulturæ gerunt curam, sed funeralia mirabilia putant esse vitam optimam.

Præficarum chori in funeribus, cæterique vani apparatus redarguuntur.—Hæc dicent, si nos ita philosophantes viderint; sin fractos, præficarum choros circumducentes, nos deridebunt, traducent, maledictis insequentur, vanum superfluumque sumptum carpent. Hæc enim incusantes omnes audimus, et jure quidem. Quam enim habebimus excusationem, quando corpus, quod sanie et vermibus absumitur, exornamus, Christum vero despicimus sitientem, nudum ambulantem, hospitem? Vanæ igitur curæ finem imponamus, defunctos sepeliamus, ut et nobis et illis conferat ad gloriam Dei. Multam pro illis erogemus eleemosynam : mittamus illis pulcherrima viatica. Nam si memoria præclarorum virorum qui mortui sunt prodest viventibus (ait enim, *Protegam hanc civitatem propter me, et propter David servum meum* [4. *Reg.* 19. 34]), longe magis eleemosyna hoc faciet. Hæc certe, hæc, inquam, mortuos suscitavit, quando circumsteterunt viduæ ostendentes quæ fecerat ipsis contubernalis Dorcas (*Act.* 9. 36). Cum quis ergo moriturus est, qui propinquior est ipsi, paret funeralia, et moribundo suadeat, ut egenis quidpiam relinquat. Cum his emittat indumentis : Christum heredem relinquat. Nam si reges cum heredes conscribunt, familiaribus partem relinquunt in cautionem, qui Christum cum filiis heredem relinquit, cogita quantam sibi et suis omnibus attrahet benevolentiam. Hæc funeralia pulchra sunt, hæc juvant et superstites et defunctos. Si his utamur funeralibus, resurrectionis tempore splendidi erimus : sin corpus curantes, animam negligamus, multa ibi gravia patiemur, et magnum excitabimus risum. Non enim parva est ignominia, virtute nudum abire : neque sic insepultum et projectum corpus dehonestatum videtur, ut anima virtute nuda. Hanc induamus, hac maxime amiciamur per omne tempus : vel si eam hic neglex imus, saltem in morte sapiamus, et id curemus per eleemosynam, ut a proximis juvemur. Sicque ex mutuis auxiliis fiduciam multam assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et una Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXVI.

Cap. 20. v. 10. *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos.* 11. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.*

1. Proclive ad misericordiam est muliebre genus. Hoc autem dico, ne mireris cur Maria acerbe fleat in sepulcro; Petrus vero non item : nam ait, *Discipuli abierunt ad semetipsos, illa vero flens stabat.* Imbecillis erat natura, necdum futuram resurrectionem clare noverat : quemadmodum etiam illi, visis linteaminibus, credentes abierunt ad semetipsos perculsi. Et cur non statim abierunt in Galilæam, ut mandatum ipsis fuerat ante passionem? Fortasse reliquos exspectabant. Alioquin autem adhuc admodum perplexi erant. Illi igitur nunc abierunt; illa vero ad locum stabat. Multum enim, ut dixi, eam consolabatur vel conspectum monumentum. Vides illam ad majus solatium se inclinantem, ut locum perspiceret ubi corpus jacebat? Ideo non parvam tantæ diligentiæ mercedem accepit. Quod enim discipuli non viderunt, hoc mulier prima vidit, sedentes angelos, alium ad pedes, alium ad caput, in vestibus albis : vel ipse habitus hilaritatem et gaudium præ se ferebat. Quia enim non animi sublimis mulier erat, ut ex sudariis resurrectionem conjiceret; aliquid amplius efficitur : angelos videt sedentes hilari veste, ita ut hoc spectaculum illam erigeret et consolaretur. Verum nihil ei de resurrectione dicunt; sed paulatim ad hanc doctrinam inducitur. Lætas nec assuetas visiones conspexit. Vidit habitum splendidum, audivit consolantem vocem. Quid enim ait? 13. *Mulier, quid ploras?* Per hæc, quasi aperta janua, paulatim ad sermonem de resurrectione ducebatur. Ex modo quoque sedendi ad interrogandos illos inducebatur : videbantur quippe scire quod factum fuerat. Ideo non una sedent, sed aliquantum distantes. Quia enim credibile non erat, ipsam interrogare ausuram esse, et interrogatione sua et sedendi modo invitant illam ad colloquium. Quid ergo illa? Ferventer simul et amanter : *Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.* Quid dicis? nondum resurrectionem cogitas, et positum esse imaginaris? Viden' quomodo nondum sublimem doctrinam acceperit? 14. *Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum.* Et quænam hæc consequentia? illos alloquens, cum nihildum audisset, ab illis retrorsum convertitur? Mihi quidem videtur, hæc illa dicente, repente Christum retro apparuisse, et angelos obstupefecisse, illosque, viso Domino, statim et habitu, et aspectu, et nutu indicavisse, se Dominum videre; quod efficit ut se mulier retro converteret. Illis ergo sic apparuit; mulieri vero non sic, ne illam ex primo conspectu perterrefaceret, sed in viliore et vulgatiore vestitu. Hinc vero palam illud est, quod eum esse hortulanum putaverit. Tam humilem autem non par erat statim ad sublimia ducere, sed sensim. Illam ergo rursus interrogat : 15. *Mulier, quid ploras? quem quæris?* Hoc declarat ipsum intellexisse, quod vellet interrogare, et ad respondendum induxit. Hoc cum ipsa mulier intelligeret, non Jesu nomen dixit, quasi ipse nosset de quo illa sciscitaretur, sed ait : *Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti, et ego eum tollam.* Rursum dicit positum, sublatum, ac si mortuus esset. Hoc porro significat : Si propter Ju-

dæorum timorem hinc sustulistis eum, dicite mihi, et ego eum tollam. Magna benevolentia, magnus amor mulieris; sed nihil sublime sapit. Ideo jam non visu, sed voce se notum ipsi facit. Quemadmodum enim Judæis modo notus, modo ignotus etiam præsens erat: sic cum loqueretur, notus erat, si quando id vellet. Nam cum Judæis dicebat, *Quem quæritis?* neque vultu, neque voce notus fuit, donec voluit: id quod etiam hic contigit, ipsamque tantum nomine suo vocavit, exprobrans ipsi quod de vivente talia imaginaretur. Quomodo autem, 16. *Conversa dicit*, si quidem illam alloquebatur? Opinor ipsam, cum diceret, *Ubi posuistis eum*, ad angelos conversam esse, ut sciscitaretur cur obstupescerent: hinc Christum vocantem ad se illam convertisse, seseque voce notum reddidisse. Nam cum vocavit illam, *Maria*, tunc ipsa illum cognovit. Sic non a visu, sed a voce cognitio profecta est. Quod si dixeris, Unde constat angelos obstupuisse, et ideo conversam fuisse mulierem? hic etiam dices: Unde constat ipsam tetigisse illum, et procidisse? Verum ut hoc liquet ex eo quod dixerit, 17. *Noli me tangere*: sic et illud constat ex eo quod sese convertisse dicatur. Cur dixit: *Noli me tangere?* Quidam dicunt ipsam spiritualem gratiam petere, quod audisset illum discipulis dicentem: *Si abiero ad Patrem, rogabo eum, et dabit vobis alium Paracletum* (*Joan.* 14. 3. 16).

2. Et quomodo illa quæ non aderat cum discipulis, hæc audire potuit? Alioquin longe est ab hac sententia imaginatio hujusmodi. Quomodo petit, cum nondum ille ad Patrem abiisset? Quid ergo? Videtur mihi adhuc velle illam cum ipso versari, ut prius, et ex gaudio nihil magnum cogitare, etiamsi longe melior factus erat secundum carnem. Ab hac ergo illam cogitatione abducens, et a nimia in se alloquendo libertate (neque enim cum discipulis similiter versari conspicitur), illius cogitationem erigit, ut cum majore reverentia sibi attendat. Si dixisset ergo, Noli ad me accedere, ut prius; non enim eodem in statu res sunt, neque eodem modo vobiscum versaturus deinceps sum; id fastum et arrogantiam sapuisset: illud vero, *Nondum ascendi ad Patrem*, etsi lenius, idipsum significat. Cum dicit enim, *Nondum ascendi*, declarat se eo festinare et tendere; eum autem qui illuc migraturus erat, nec ultra cum hominibus versaturus, non oportebat eodem quo prius animo intueri. Quod autem ita se res habeat, sequentia declarant. *Vade, dic fratribus: Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, et Deum meum et Deum vestrum.* Atqui non hoc statim facturus erat, sed post quadraginta dies. Cur ergo hoc dicit? Ut illius mentem erigeret, ipsique suaderet, se ad cælos ascensurum. Illud vero, *Patrem meum et Patrem vestrum, et Deum meum et Deum vestrum*, ad incarnationem pertinet; sicut et ascendere carnis est. Hæc enim illi dicit, quæ nondum sublimia cogitabat. Alio itaque modo ejus Pater est, et alio noster? Sane quidem. Nam si alio modo justorum Deus est, alio cæterorum hominum: multo magis aliter Filii, aliter noster est Deus. Cum enim dixit, *Dic fratribus*, ne hinc aliquam suspicarentur æqualitatem, differentiam apponit. Ipse namque in solio paterno sessurus erat; illis vero adstare datum est. Itaque licet secundum carnalem substantiam frater noster sit effectus, honore multum a nobis differt; nec quantum differat dici potest. Ipsa ergo abiit, hæc nuntiatura discipulis (*Joan.* 20. 18). Tantum est assiduitas et perseverantia bonum. Illi vero cur non doluerunt quod abiturus esset, neque eadem quæ prius loquuti sunt? Tunc ut moriturum plangebant; nunc illo resurgente, quæ dolendi causa? Nuntiavit autem Maria et visionem et verba, quæ possent illos consolari. Quia ergo credibile erat, eos hæc audientes, vel non credituros esse mulieri, vel, si crederent, ægre laturos, quod se non visu illo dignatus esset, etsi promisisset se in Galilæa ipsis apparitururn esse: ne igitur hæc secum versantes moleste ferrent, ne unam quidem diem præterire sivit; sed injecto ex resurrectionis notitia desiderio, necnon ex narratu mulieris, cum jam videndi desiderio ferverent, quod ex metu augebatur, cum vespera esset, adfuit, idque mirabili modo.

Cur in vespera Christus discipulis apparuerit. — Cur in vespera apparuit? Quia verisimile erat, ipsos tunc maxime formidare. Sed quod mirabile est, quomodo non ipsum phantasma esse putaverint? Nam januis clausis, et statim ingressus est. Certe mulier præoccupans magnam fidem indiderat: alioquin vero clarum ipsis et suavem conspectum exhibuit. Interdiu autem non venit, ut simul omnes congregarentur: multo namque erant stupore repleti. Non pulsavit januam, sed statim medius stetit, et ostendit latus et manus: simulque voce fluctuantes cogitationes sedavit dicens, 19. *Pax vobis*, hoc est, Ne turbemini; in mentemque ipsis revocat id quod ante crucem dixerat ipsis, *Pacem meam relinquo vobis;* ac rursum, *In me pacem habete; in mundo tribulationem habebitis.* 20. *Gavisi sunt autem discipuli viso Domino.* Viden' rebus verba confirmari? Nam quod dixit ante crucem: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Joan.* 16. 22); hoc nunc opere complevit. Hæc porro omnia ipsos ad certissimam fidem induxerunt. Quia enim inexpiabile bellum contra Judæos habebant, sæpe repetit illud, *Pax vobis*, parem bello consolationem afferens.

3. Hoc primum ipsis verbum post resurrectionem dixit (ideo Paulus quoque ubique ait, *Gratia vobis et pax*): mulieribus autem lætitiam dicit, quia in mœrore degebant et hanc primum accepere lætitiam [1]. Congruenter itaque viris propter bellum, pacem; mulieribusque propter dolorem, lætitiam annuntiat: solutisque tristibus omnibus, crucis præclara opera prædicat: hæc sunt pax. Quia igitur obices omnes sublati sunt, victoriam splendidam constituit, omniaque recte completa sunt; deinde sit demum: 21. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Nullam habebitis difficultatem, tum ob ea quæ facta sunt,

[1] Juxta Savil. et Morel. legendum esset, *maledictionem*, pro, *lætitiam*.

tum ob meam mittatis auctoritatem. Quapropter hoc dicit, illorumque animum erigit, et magnam verbis fidem facit, si quidem velint opus ipsius suscipere. Neque ultra Patrem rogat, sed auctoritate sua virtutem illis indit. 22. *Insufflavit* enim, *et dixit: Accipite Spiritum sanctum.* 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Sicut enim rex præfectos mittens, potestatem dat ut in carcerem mittant, et ex carcere liberent: sic Christus illos mittens, hac potestate donat. Quomodo ergo dicit: *Nisi ego abiero, ille non veniet*, et nunc Spiritum dat? Quidam dicunt, ipsum non Spiritum dedisse, sed illos per insufflationem ad recipiendum Spiritum idoneos fecisse. Nam si Daniel viso angelo perculsus est (*Dan.* 8. 17), quid non passi fuissent illi, si tam ineffabilem gratiam accepissent, nisi prius illos adhuc discipulos præparasset? Ideo non dixit, Accepistis; sed, *Accipite Spiritum sanctum.* Nec tamen aberraverit quis si dicat illos tunc accepisse potestatem quamdam spiritualem et gratiam; sed non ita ut mortuos suscitarent, et virtutes facerent, sed ut peccata dimitterent: diversa enim sunt Spiritus charismata. Ideo addidit: *Quorum remiseritis, remittuntur*, ostendens quod genus operationis largiatur. Illic vero post quadraginta dies [1] vim signorum acceperunt: idcirco ait: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et in Judæa* (*Act.* 1. 8). Testes fuerunt per signa: ineffabilis quippe est Spiritus gratia et multiplex donum. Hoc ita fit, ut discas Patris, Filii et Spiritus sancti unum esse donum, unam potestatem. Nam quæ Patris propria videntur, eadem et Filii et Spiritus sancti esse deprehenduntur. Quomodo ergo nemo venit ad Filium, *Nisi Pater traxerit eum* (*Joan.* 6. 44)? Verum hoc Filii quoque esse ostenditur: nam ait, *Ego sum via; nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Ibid.* 14. 6). Hoc quoque Spiritus esse videas: nam *Nemo potest dicere Dominum Jesum Christum, nisi in Spiritu sancto* (1. *Cor.* 12. 3). Ac rursum apostolos, modo a Patre, modo a Filio, modo a Spiritu sancto Ecclesiæ datos fuisse dicitur: ac divisiones gratiarum Patris, Filii et Spiritus sancti esse videmus.

4. *Sacerdotum dignitas et onus.*— Omnia ergo faciamus ut Spiritum sanctum nobiscum habere possimus, et concreditam operandi gratiam summopere colamus. Magna quippe est sacerdotum dignitas. *Quorum remiseritis peccata*, inquit, *remittuntur.* Ideo dicebat Paulus: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis* (*Hebr.* 13. 17), ut maximum ipsis habeatis honorem. Tu enim rem tuam curas; et si tu hæc recte disponas, nulla tibi aliorum ratio erit: sacerdos autem si recte suam ordinaverit vitam, tuam vero aliorumque omnium sibi commissorum non diligenter curaverit, cum scelestis in gehennam abibit: ac sæpe non ex suis, sed ex alienis in perniciem ruit, nisi omnia, quæ penes ipsum erant, perfecerit. Tantum ergo videntes periculum, multa illos benevolentia prosequamini: id quod et Paulus significavit dicens: *Ipsi pervigilant pro animabus vestris*, non simpliciter, sed *Ut rationem reddituri* (*Hebr.* 13. 17). Quapropter ipsi magno sunt cultu honorandi. Quod si eis cum aliis insultaveritis, neque vestra bene disponetis. Quamdiu enim gubernator bono est animo, rectores etiam in tuto erunt. Quod si, conviciantibus illis et hostiliter agentibus, misere agat, nec vigilare possit neque artem suam exercere, et vel invitus in sexcenta illos mala conjiciet. Sic et sacerdos si debito apud vos honore fruatur, etiam vestra poterit recte dispensare: sin illum in mœrorem conjiciatis, sic solutis manibus illos vobiscum fluctibus absorbendos objicietis, etiamsi strenuo sint animo. Cogita quid de Judæis Christus dicat: *Super cathedram Moysis sederunt scribæ et Pharisæi. Omnia quæcumque dixerint vobis ut faciatis, facite* (*Matth.* 23. 2. 3). Nunc non est dicendum: Super cathedram Moysis sederunt sacerdotes; sed, Super cathedram Christi. Ejus enim doctrinam exceperunt. Ideo dicit Paulus: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nobis* (2. *Cor.* 5. 20). Nonne videtis sæculi principibus omnes subesse: ac sæpe etiam eos qui genere, vita, et prudentia potiores illis sunt? Attamen ob ejus reverentiam qui illos constituit, nihil horum cogitant, sed regis placitum verentur, quisquis tandem sit is qui præfecturam accipit. Atqui ubi homo constituit, tantus adest timor: ubi vero Deus ordinat, ordinatum despicimus, ipsique conviciamur, mille contumeliis eum aspergimus, et cum de fratribus nostris judicare prohibeamur, contra sacerdotes linguam acuimus. Et qua venia hæc digna fuerint, quando trabem in oculo nostro non videntes, festucam in alterius oculo acerbius scrutamur (*Matth.* 7. 3. *Luc.* 6. 41)? nescis te tibi gravius judicium parare, cum sic judicas? Hæc porro dico, non quod illos probem, qui indigne sacerdotium administrant; nam illos admodum deploro et lugeo: neque tamen sic illi sunt a subditis, maximeque a simplicioribus judicandi. Licet eorum vita sit infamata, tu, si attendas, nihil damni accipies in iis, quæ illis a Deo commissa sunt. Si enim per asinam vocem emitti curavit, et per vatem benedictiones spirituales largitus est; si bruti ore, et impura Balaami lingua propter improbos Judæos operatus est: multo magis propter vos bene moratos, etiamsi sacerdotes admodum scelesti sint, sua omnia perficiet, et mittet Spiritum sanctum. Neque enim pura mens propter propriam puritatem Spiritum attrahit; sed gratia omnia operatur. *Omnia* enim, inquit, propter vos, *sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas* (1. *Cor.* 3. 22). Quidquid enim concreditum habet sacerdos, solius Dei donum est, et quantumcumque humana philosophia proficiat, gratia semper illa minor apparebit. Hæc porro dico, non ut segniter vitam instituamus, sed ne, si quando antistites quidam vestri negligenter se gerant, vos ideo mala vobis ipsis comparetis. Ecquid sacerdotes dico? Neque an-

[1] Sic omnes tum Editi tum Manuscripti; Franciscus tamen Aretinus *post quinquaginta dies* habet, et sic legendum videtur: nam vere post quinquaginta dies in sancta Pentecoste signorum operationem acceperunt.

gelus, neque archangelus in iis, quæ a Deo data sunt, aliquid efficere potest; sed Pater, et Filius et Spiritus sanctus omnia administrat. Sacerdos vero linguam suam commodat, manum porrigit. Neque enim justum fuisset, ut propter alterius improbitatem illi, qui fidem sunt amplexi, in symbolis salutis nostræ læderentur. Quibus perspectis omnibus, et Deum timeamus, et sacerdotes ejus veneremur, ipsis omnem præbeamus honorem; ut et pro operibus nostris et pro cultu illis exhibito magnam accipiamus a Deo mercedem, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXVII.

CAP. 20. v. 24. *Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus.* 25. *Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit : Nisi videro, non credam*, etc.

1. Sicut simpliciter leviterque credere facilitatis est : sic ultra modum perquirere et explorare, crassissimæ mentis. Ideo et Thomas accusatur. Apostolis enim dicentibus, *Vidimus Dominum*, non credidit; non tantum illis fidem negans, quantum rem fieri non posse existimans, nempe resurrectionem a mortuis. Non enim dixit, Non credo vobis; sed, *Nisi mittam manum meam, non credam.* Quomodo aliis congregatis hic solus aberat? Verisimile est ex dispersione præcedenti illum nondum reversum fuisse. Tu vero cum vides non credentem discipulum, Domini clementiam cogita, quomodo vel pro una anima ostendat se vulnera excepisse, et adveniat ad unius salutem, etiamsi crassiore quam cæteri animo esset. Ideo per crassissimum omnium sensum fidem quærebat, neque oculis credebat. Neque enim tantum dixit, Nisi videro; sed etiam, Nisi attrectavero; ne id quod videbatur, phantasia esset. Atqui discipuli, qui hæc nuntiabant, fide digni erant, et Dominus quoque, qui pollicitus erat. Attamen quia plura requisivit, neque illis quidem ipsum Christus privavit.

Cur post dies octo tantum Thomas Christum vidit. Cur Christi corpus cicatrices habuerit. — Cur non statim illi apparuit, sed post dies octo? Ut antea a discipulis institutus et edoctus, in majus traheretur desiderium, et magis in futuro confirmaretur. Unde didicerat latus apertum fuisse? Id a discipulis audierat. Cur aliud credidit, aliud non credidit? Quia hoc admodum mirabile erat. Perpende autem quam vere loquantur apostoli, quomodo nec sua nec aliena vitia occultent, sed veracissime scribant. Adstat iterum Jesus, neque ab illo rogari exspectat, neque quidquam tale audire; sed illo nihil dicente, præoccupans, quæ cupiebat implet, significans se præsentem fuisse, cum ille hæc discipulis diceret : nam iisdem usus est verbis, ac vehementer increpat et in futurum instituit. Nam cum dixisset ei : 27. *Infer digitum tuum, et vide manus meas, et mitte manum tuam in latus meum;* subdit, *Et noli esse incredulus, sed fidelis.* Viden' eum ex infidelitate dubitare? sed antequam Spiritum acciperent; post hæc autem non ultra, sed perfecti tunc erant. Nec illo autem modo solum increpavit, verum etiam in sequentibus. Postquam enim ille certior factus resipuit et exclamavit, 28. *Dominus meus, et Deus meus*, ait : 29. *Quia vidisti me, credidisti : beati qui non viderunt, et crediderunt.* Hoc enim fidei est, etiam non visa admittere. *Est* enim *Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* 11. 1). Hic vero non discipulos solum beatos prædicat; sed etiam eos qui postea credituri erant. Atqui discipuli, inquies, viderunt, et crediderunt. Verum illi nihil hujusmodi quæsierunt; sed ex sudariis statim verbum resurrectionis admiserunt, et antequam corpus viderent, plenam habuere fidem. Cum ergo quispiam dixerit, Vellem illo fuisse tempore, videreque Christum miracula patrantem, cogitet illud, *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* Quærendum autem incumbit, quomodo corpus incorruptibile clavorum cicatrices habuerit, et a mortali manu tangi potuerit. Sed ne turberis; id enim Christi sese ad humilia demittentis erat. Corpus enim tam tenue, tam leve, ut januis clausis ingrederetur, crassitie omni carebat : sed ut resurrectio crederetur, sese talem exhibuit; utque discerent ipsum fuisse crucifixum, neque alium pro ipso resurrexisse. Ideo resurrexit signa crucis habens, et ideo manducat. Apostoli quippe hoc signum magnopere prædicabant dicentes : *Qui cum eo simul manducavimus et bibimus* (*Act.* 10. 41). Quemadmodum ergo, cum illum ante crucem videmus supra fluctus ambulantem (*Matth.* 14. 25), non dicimus corpus illud alterius esse naturæ, sed nostræ : sic, cum post resurrectionem illum videmus cicatrices habentem, non ideo corruptibilem dicemus. Propter discipulum enim id ostenditur. 30. *Multa vero alia signa fecit Jesus.* Cum enim pauciora quam alii hic evangelista narrasset, dicit, neque alios omnes omnia recensuisse, sed quanta opus esset, ut auditores ad finem pertraherent. Nam *Si omnia*, inquit, *scriberentur, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros* (*Joan.* 21. 25).

2. Unde palam est eos non jactantiæ, sed utilitatis causa hæc scripsisse. Qui enim plura prætermiserunt, quomodo hæc jactantiæ causa scripsissent? Cur igitur non omnia narrarunt? Maxime propter multitudinem; deinde hoc quoque cogitabant, eum qui dictis non crederet, nec si plura dicerentur crediturum fuisse; illum vero qui hæc admiserit, non alio opus habere ad fidem habendam. Mihi autem hic videtur de signis post resurrectionem loqui : ideo ait : *In conspectu discipulorum ejus.* Sicut enim ante resurrectionem multa necessaria erant, ut crederent ipsum esse Filium Dei : sic et post resurrectionem, ut persuasum haberent ipsum resurrexisse. Ideo addidit : *In conspectu discipulorum ejus*, quia cum illis tantum versatus fuerat post resurrectionem. Ideo dicebat : *Mundus*

me jam non videt. Deinde ut discas discipulorum tantum causa hæc facta fuisse, subdidit : 31. *Ut et credentes vitam æternam habeatis in nomine ejus*, generaliter naturam alloquens, et ut ostendat, non illi, in quem creditur, sed nobis ipsis se maxime gratificari. *In nomine ejus*, hoc est, per eum. Ipse namque vita est. (*Cap.* 21) 1. *Postea manifestavit se discipulis ad mare Tiberiadis.* Viden' quomodo non frequenter cum illis versetur, neque sicut antea? Apparuit enim vespere, et avolavit; deinde post dies octo semel, et rursum avolavit; postea ad mare, et rursum cum multo timore. Quid sibi vult illud, *Manifestavit?* Hinc liquidum est, illum nonnisi ex indulgentia visum fuisse, quia jam incorruptibile et immortale corpus erat. Cur autem locum memoravit? Ut jam eum magna ex parte metum abstulisse ostendat, ita ut jam domo exirent, et circumquaque ambularent. Non enim amplius domi se continebant, sed in Galilæam ierant, ut a Judæis periculum declinarent. Venit ergo Simon piscatum. Cum enim non frequenter cum illis versaretur, necdum Spiritus datus esset, neque adhuc quidpiam illis commissum esset, nec quid facerent haberent, ad artem suam redierant. 2. *Et erant simul Simon et Thomas, et Nathanael qui a Philippo vocatus erat, et filii Zebedæi, et alii duo.* Cum nihil ergo haberent quod facerent, piscatum se contulerunt, et hoc noctu faciebant, quod formidarent. Hoc etiam Lucas ait; sed non idem ipsum, verum aliud indicat. Alii vero discipuli sequebantur, quod una de reliquo conjuncti essent, et simul vellent piscantes videre, atque hoc otio placide frui. Laborant ergo, et præpeditis adstitit Jesus, neque statim sese cognoscendum dedit, ut in colloquium venirent. Dicit ergo illis : 5. *Numquid pulmentarium habetis?* Adhuc humano more loquitur, ac si empturus aliquid esset ab eis. Cum se nihil habere dicerent, jussit ad dexteram rete mitti : cum misissent, ceperunt. Ut autem cognoverunt illum, tunc proprios sibi mores exhibent discipuli, Petrus et Joannes. Ille ferventior, hic sublimior erat : ille promptior erat, hic perspicacior. Ideo Joannes prior Jesum cognovit, Petrus prior illum adiit : neque enim modica signa erant. Quænam illa? Primo, quod multi pisces capti essent : deinde, quod rete non scissum fuisset : hinc, quod prius, quam exscenderent, prunas invenirent, appositum piscem et panem. Neque enim ex subjecta materia id faciebat; quod tamen per quamdam dispensationem ante crucem facere solebat. Ubi autem illum agnovit, omnia projecit, et pisces et retia, seque succinxit Petrus. Viden' et reverentiam et desiderium? Atqui ducentis cubitis aberant; sed neque illum navi adire sustinuit, verum natando venit. Quid ergo Jesus? 12. *Venite*, inquit, *prandete. Et nemo audebat eum interrogare.* Non jam solitam fiduciam habebant et loquendi libertatem, neque ad illum rogaturi accedebant; sed cum silentio, timore et reverentia magna sedebant illi attendentes. *Sciebant enim Dominum esse.* Ideoque non interrogabant, Quis es? formamque videntes aliam, terroris plenam, admodum perculsi erant, volebantque aliquid de illa sciscitari. Sed et quod timerent, et quod scirent non alium esse, sed illum ipsum, ab interrogatione abstinuerunt, solumque comedebant ea, quæ ipse cum majori potestate creaverat. Hic vero non ultra respicit in cælum, neque humana illa facit, ostendens illa eo, quod sese demisisset, facta fuisse. Quod vero non frequenter, nec simili modo cum illis versaretur, dixit : 14. *Hoc jam tertio manifestatus est illis, cum resurrexisset a mortuis.* Et jubet ex obsoniis afferri, ostendens id, quod visum fuerat, non phantasma esse. At hic non dicit ipsum comedisse cum illis. Lucas vero alibi dicit : *Et convescens cum illis* (*Act.* 1. 4). Quomodo autem, non nostrum est dicere : modo enim perquam mirabili hæc facta sunt, non quod natura cibis deinceps opus haberet, sed ex indulgentia ad resurrectionis demonstrationem hæc permisit.

3. *Christum in cælis videre quam dulce spectaculum. Amor Christi rerum terrenarum contemptum parit.* — Hæc audientes forte efferbuistis, et eos, qui cum illo erant, beatos prædicastis, necnon eos, qui cum illo futuri sunt in generali resurrectione. Itaque nihil non agamus, ut admirandam illam faciem videamus. Nam si nunc audientes sic incendimur, et desideramus illis fuisse diebus, queis in terra versabatur, vocem audisse, faciem vidisse, accessisse, tetigisse, ministrasse; cogita quid sit illum videre non ultra in mortali corpore, neque humana facientem, sed angelis stipatum, in immortali corpore illum conspicere, et reliqua frui felicitate, quæ omnem superat sermonem. Quamobrem, obsecro, nihil non agamus, ne a tali gloria excidamus. Nihil adest difficile, si velimus, nihil onerosum, si attendamus. Nam *Si sustinemus, et conregnabimus* (1. *Tim.* 2. 12). Quid est illud, *Sustinemus?* Si ærumnas et persequutiones feramus; si in arcta incedamus via. Arcta enim via natura sua laboriosa est, sed instituto voluntatis levior efficitur, spe futurorum. Nam *Quod in præsenti momentaneum est et leve tribulationis, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur* (2. *Cor.* 4. 17. 18). Transferamus igitur oculos ad cælum, et perpetuo illa imaginemur, et inspiciamus. Nam si semper in illis versemur, neque suavia hujus vitæ nos allicient, neque tristia moleste feremus; sed et hæc et similia irridebimus, nihilque nos vel in servitutem redigere, vel extollere poterit; si modo illuc semper desiderio tendamus, si illam dilectionem intueamur. Et quid dico, de præsentibus malis non dolebimus? Neque illa postea videre putabimus. Talis est quippe amor. Illos enim qui absentes sunt, quos amamus, quotidie imaginamur : magna quippe est dilectionis tyrannis, ab omnibus abscedit, et amatæ rei animam colligat. Si ita Christum amaremus, omnia hic nobis umbra, omnia imago et somnium viderentur. Diceremus et nos : *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio vel angustia* (*Rom.* 8. 35)? Non dixit, pecunia, divitiæ, aut forma (hæc quippe admodum vilia sunt et ridicula); sed quæ gravia videntur esse posuit, famem, persequutiones, mortes. Atqui ille hæc

ut nihili respuit; nos vero propter pecunias a vita nostra separamur et a luce. Et Paulus quidem non mortem, non vitam, non instantia neque futura, neque creaturam aliam præponebat ejus dilectioni : nos autem si tantillum auri videamus, incendimur, et Christi leges calcamus. Quod si hæc dictu non ferenda sunt, longe minus factu. Et quod grave est, hæc audientes horrescimus, facientes non horrescimus, sed facile juramus, pejeramus, rapimus, usuras exigimus, continentiam negligimus, ab oratione ferventi desistimus, præceptorum maximam partem transgredimur, pecuniarum causa nullum membrorum nostrorum curamus. Pecuniarum enim amator millia proximo inferet mala, et sibi quoque : irascetur facile, convitiabitur, fatuum appellabit, jurabit, pejerabit; neque veteris etiam legis modum servabit: qui enim aurum amat, non amabit proximum. Atqui nos etiam inimicos propter regnum cælorum amare jubemur. Nam si vetera præcepta servando, non poterimus intrare in regnum cælorum, nisi abundaverit justitia nostra plus quam illorum (*Matth.* 5. 20) : qui illa quoque transgredimur, quam habebimus defensionem? Qui pecunias amat, non modo inimicum non amabit, sed etiam amicis ut inimicis utetur.

4. *Pecuniarum amor quanta mala pariat.*—Ecquid dico, amicis? Pecuniarum amatores ipsam quandoque naturam ignorarunt. Ille non cognationem novit, non consuetudinis recordatur, non ætatem reveretur, nullum habet amicum, sed erga omnes inimico erit animo; verum erga se maxime, non tantum quod animam perdat suam, sed quod sese millibus torqueat sollicitudinibus, laboribus, mœroribus. Nam peregrinationes suscipiet, pericula, insidias et quidvis aliud, ut radicem malorum secum habeat, et multum numeret auri. Quid illo morbo gravius fuerit? Nam et cibo voluptateque omni, ob quam solent homines peccare multum, privatur, necnon gloria honoreque. Etenim qui pecunias amat, innumeros homines suspectos habet, multosque accusatores, invidos, calumniatores, insidiatores. Etenim qui injuste læduntur, odio habent, utpote qui male passi sint : qui nondum læsi sunt, timent ne patiantur, et erga læsos commiseratione ducti, hoc ipsum bellum suscipiunt : optimates vero et potentiores pro minoris conditionis hominibus stomachantes et indignantes, tum etiam illis invidentes, pariter eorum sunt inimici et hostes. Ecquid de hominibus loquor? Cum quis Deum habet inimicum, quæ illi postea spes erit? quæ consolatio? quod refrigerium? Pecuniarum amator illis numquam uti poterit; sed servus custosque erit, non dominus. Cum enim plures semper acquirere studeat, nusquam impendere volet, sed sibi ipsi expensam detrahet, omniumque pauperum pauperrimus erit, utpote qui cupiditatem sistere nequeat. Atqui pecuniæ ideo sunt, non ut illas custodiamus, sed ut iis utamur. Quod si velimus illas aliis defodere, quid nobis miserabilius fuerit, qui circumcurrimus ad acquirendas illas, ut eas claudamus et illarum communem usum auferamus? Est enim alius quoque morbus non minor isto. Nam hi in terram defodiunt, illi in ventrem, voluptatem, ebrietatem, et sibi simul et iniquitatis et lasciviæ supplicium adjiciunt. Alii parasitis et adulatoribus, alii ludis et meretricibus, alii similibus impensis gaudent, innumeras sibi ad gehennam parantes vias, cum semel rectam et constitutam viam reliquerunt, quæ ad cælos ducit. Atqui qui hanc suscipit, non modo majus lucrum, sed majorem etiam, quam illi, voluptatem assequatur. Qui enim meretricibus largitur, ridiculus erit et turpis, et multa suscipiet bella, et voluptatem brevem; imo nec brevem : quantumcumque enim scortis dederit, nullam illæ gratiam habebunt. *Dolium enim pertusum est domus aliena* (*Prov.* 23. 27). Alioquin autem petulans est genus muliebre, ejusque amorem inferno comparavit Salomon : et tunc solum cessat, cum amantem videt omnibus nudatum; imo ne tunc quidem cessat, sed magis exornatur, et jacenti insultat, illumque deridendum exhibet, totque malis afficit, quot ne describere quidem possumus. At eorum, qui salutem consequuntur, voluptas non talis est : neque enim rivalem hic habet quis; sed omnes gaudent et exsultant, tam ii qui bene valent, quam qui bene valentes vident. Nulla ira, nullus mœror, non turpitudo, non opprobrium ejus animum obsidet; sed multa conscientiæ lætitia, multa de futuris spes, gloria magna splendorque magnus, major Dei benevolentia et securitas : nullum præcipitium, nulla suspicio, sed tranquillissimus portus, aerisque serenitas. Hæc itaque omnia cogitantes, et voluptatem voluptati comparantes, eam quæ melior est eligamus, ut et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXVIII.

CAP. 21. v. 15. *Cum ergo prandissent, dicit Jesus Simoni Petro : Simon Jonæ, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te.*

1. *Caritas erga proximum Deo gratissima. Petrus Apostolorum os et caput; ipse post lapsum cautior et modestior.* — Multa quidem alia sunt quæ possint nobis apud Deum fiduciam præbere, nosque conspicuos et probatos exhibere : quod autem nobis omnium maxime supernam benevolentiam conciliat, est proximi cura et dilectio; id quod a Petro Christus exigit. Cum enim comedendi finem fecissent, *Dicit Jesus Simoni Petro : Simon Jonæ, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce oves meas.* Et cur aliis prætermissis, de his hunc alloquitur? Eximius erat inter apostolos, os discipulorum, et cœtus illius caput : ideo Paulus præ aliis hunc visurus venit. Simul ostendens ei, oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, fratrum ei

præfecturam committit; neque negationem commemorat vel exprobrat. Dicit autem : Si amas me, fratrum præfecturam suscipe, et ferventem illum amorem, quem semper exhibuisti, et de quo exsultabas, nunc ostende, animamque illam, quam te pro me daturum esse dicebas, da pro ovibus meis. Cum igitur semel et iterum interrogatus, illum ipsum, qui secreta cordis novit, in testem vocasset, et adhuc tertio interrogatus, turbatus est, ob priora timidus effectus (nam tunc affirmate loquutus, postea superatus est) : ideo rursus ad illum confugit. Nam cum dicit, 17. *Tu omnia scis;* id est, præsentia et futura. Viden' quanto melior factus sit, quanto modestior, non arroganter contradicens, ut ante? Ideo turbatus est : Num forte cum amare me putem, non amo tamen : ut ante altum sapiens et asseverans, postea superatus sum? Ter interrogat, et ter eadem imperat, ut ostendat, quanti faciat ovium curam, et hoc maximum esse amoris erga se argumentum. De amore erga se illum alloquutus, martyrium quod passurus erat prædicit : declarans se non quod diffideret ita loquutum esse, sed maxime credere. Ut autem amoris exemplum ostenderet, doceretque quomodo ipsum amare oporteret, ait : 18. *Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas : cum autem senueris, alii te cingent, et ducent quo tu non vis*[1]. Atqui hoc volebat et desiderabat : ideo et hoc ipsi manifestum fecit. Cum enim frequenter dixisset, *Animam meam pro te ponam* (*Joan.* 13. 37); et, *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* 26. 35), desiderata ipsi concessit. Quid sibi vult illud, *Quo tu non vis?* Naturæ affectum et carnis necessitatem indicat, innuitque animam invitam a corpore separari. Itaque, licet voluntas firma et constans effecta erat, attamen natura erat imbecilla. Nemo enim sine dolore corpus deponit, ita Deo, ut dixi, utiliter dispensante, ne plurimi violentam sibi mortem inferrent. Nam si rebus ita dispositis, potuit tamen diabolus id efficere, et innumeros ad præcipitia et voragines impellere : nisi tale desiderium erga corpus animæ insitum esset, multi vel ex levissimo mœrore sibi mortem inferrent. Illud igitur, *Quo tu non vis*, naturalem demonstrat affectum. Cur vero cum dixisset, *Cum esses junior*, addit, *Cum autem senueris?* Hoc significatur, ipsum nec juniorem, nec senem tunc fuisse, sed virum perfectum. Cur priorem vitam ipsi commemoravit? Ut ostenderet ita se rem habuisse. In sæcularibus enim juvenis utilis, senex inutilis est : apud me non ita, sed in senectute fortitudo major est, strenuitas præstantior, ætate nihil obicis afferente. Hæc porro dixit, non ut illum terrefaceret, sed ut excitaret : noverat enim ejus amorem, illumque ad hæc prompte ferri : simulque futuræ mortis modum significat. Quia enim Petrus semper pro Christo pericula subire cupiebat, Confide, inquit; ita desiderium implebo tuum, ut ea, quæ non juvenis perpessus es, senex patiaris. Deinde auditorem erigens evangelista intulit : 19. *Hæc autem dicebat, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Non dixit, Moriturus esset; sed, *Clarificaturus esset Deum :* ut discas, pati pro Christo, gloriam esse et honorem. *Et cum hæc dixisset, ait : Sequere me.* His ostendit curam et affectum magnum erga ipsum. Quod si quis dixerit, Cur ergo Jacobus Jerosolymorum thronum accepit? respondebo, Petrum non throni hujus, sed totius orbis doctorem a Christo statutum fuisse. 20. *Conversus ergo Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus; et dixit : Domine, hic autem quid?*

2. Qua de causa recubitum illum memorat? Non abs re, sed ut ostendat quantam Petrus fiduciam haberet post negationem. Qui enim tunc non audebat interrogare, sed alteri ut id faceret annuebat, hic præfecturam in fratres habuit. Neque solum sua non alteri committit, sed etiam pro alio ipse Magistrum interrogat, et Joanne tacente, ille loquitur. Hic porro amorem ostendit quem erga illum habuit : nam Petrus Joannem admodum amabat, ut ex sequentibus liquet; perque totum Evangelium hæc necessitudo ostenditur, necnon in Actibus Apostolorum. Quia ergo magna ipsi prædixerat, orbem commiserat, martyrium prænuntiarat, majorem quam cæterorum amorem ejus indicaverat, volens Petrus hunc consortem habere, dixit : *Hic autem quid?* annon eadem nobiscum via incedet? Ac quemadmodum tunc, cum interrogare non auderet, hunc protulit : sic et nunc vicem reddens, putansque ipsum de se velle interrogare, nec audere, ipse sciscitatur. Quid ergo Christus? 22. *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Quia magno motus desiderio id dicebat Petrus, quod nollet ab eo separari, ostendens Christus quantavis ipsum dilectione prosequeretur, non tamen suam attingere dilectionem, ait : *Si eum volo manere, quid ad te?* his erudiens nos non ægre ferendum esse, nec curiose inquirendum, ultra quam ipsi placitum sit. Quia enim Petrus semper ad tales interrogationes fervens promptusque erat, fervorem ejus præcidens, et docens non esse ulterius inquirendum, sic respondit. 23. *Exiit ergo sermo iste inter fratres*, id est, discipulos, *quod ille non moritur. Et non dixit Jesus, Non moritur; sed, Si volo eum manere donec veniam, quid ad te?* Ne putes, inquit, me uno modo vestra dispensare. Hoc autem faciebat, ut intempestivum illum mutuum affectum tolleret. Quia enim orbis terrarum curam suscepturi erant, non ita copulari eos oportebat : alioquin, magnum hinc futurum erat orbi detrimentum. Quamobrem ait illi : Opus tibi commissum est, hoc cura, hoc perfice, pugna, decerta. Quid enim si velim eum hic manere? tu tua cures et provideas.

Joannes Evangelista quam sit a fastu alienus. — Hic mihi consideres velim quam sit evangelista a fastu alienus. Cum enim discipulorum opinionem narrasset, illam corrigit, quasi quid Christus dixerit non intellexerint : ait enim, *Non dixit Jesus, Non moritur; sed, Si eum volo manere.* 24. *Hic est discipulus ille*,

[1] Alii habent...., *senueris, extendes manus tuas, et alius cinget te, et ducent, quo tu non vis.*

qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc; et scimus quia verum est testimonium ejus. Cur, nullo alio id agente, hic solus hæc ait, et secundum de seipso perhibet testimonium : videturque auditoribus occurrere? qua de causa? Dicitur ultimus, Deo movente, scripsisse : ideo illius dilectionem frequenter exhibet, subindicans qua de causa ad scribendum impulsus sit. Ideo id frequenter memorat, ut fide dignam reddat narrationem, et ostendat se inde motum ad hoc venisse. Novi, inquit, vera esse quæ dicit : quod si multi non credant, hinc ipsis credendum est. Unde? Ex eo quod deinde dicitur. 25. *Sunt et alia multa, quæ fecit Jesus : quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros.* Unde constat, me non ad gratiam loquutum esse. Qui enim, cum tot dici possint, ne tanta quidem dixit, quanta reliqui, sed longe plura prætermisit; Judaicis vero in medium allatis insidiis, lapidationibus, odiis, contumeliis, conviciis, cum narraverim quomodo illum dæmoniacum et deceptorem vocarent, palam est me non ad gratiam loquutum esse. Nam qui ad gratiam loqui voluisset, contrarium facere oportebat, probrosa occultare, et splendida narrare. Quia ergo quæ certissime sciebat scripsit, non recusat suum etiam in medium proferre testimonium, sibique proponit singula explorare et examinare. Mos enim est nobis, cum rem verissimam nos dicere putamus, nostrum non recusare testimonium. Si vero nos id facimus, multo magis ille qui in Spiritu scribebat : quod etiam reliqui apostoli prædicantes dicebant : *Nos testes sumus eorum quæ dicimus, et Spiritus, quem dedit obedientibus sibi* (*Act.* 5. 32). Omnibus enim affuerat, crucifixum non reliquerat, matrem sibi commendatam habuit : quæ omnia signa amoris erga illum erant, et quod ille omnia accurate nosset. Quod si tanta facta fuisse signa dicat, ne mireris; sed cogitans ineffabilem operantis virtutem, id quod dictum est cum fide accipe. Sicut enim loqui nobis facile est : sic, imo multo magis illi facile ea operari quæ vellet. Sufficiebat enim ipsi velle solum, et omnia sequebantur.

3. Attendamus itaque diligenter dictis hujusmodi, neque illa explicare et interpretari desinamus : ex frequenti enim tractatione aliquid consequimur. Sic vitam nostram expurgare poterimus, sic spinas succidere. Talis quippe res est peccatum, et sæcularis sollicitudo, infructuosa nempe et molesta. Ac quemadmodum spina, ubicumque retinetur, retinentem pungit : sic et sæcularia, undecumque detineas, detinentem lædunt. Verum spiritualia non hujusmodi sunt, sed margaritæ cuidam similia; undecumque illam verses, oculos delectat. Exempli causa, fecit aliquis eleemosynam; non modo spe futuri nutritur, hujus vitæ bonis lætatur, fiducia multa semper plenus. Malam vicit concupiscentiam; et ante regnum hinc jam fructum accepit, dum laudatur et celebratur ante alia omnia a propria conscientia. Singula quoque bona opera hujusmodi sunt, sicut contra mala opera ante gehennam hic conscientiam excruciant. Et si peccans futura cogitaveris, etiam nemine puniente, formidolosus et trepidus es; si præsentia cogites, multos habes inimicos et in suspicione vivis, neque jam lædentes obtueri possis, imo nec non lædentes. Non enim tantum ab eis voluptatis, quantum mœroris assequimur : occlamante conscientia, damnantibus foris hominibus, irritato Deo, gehenna nos cupide exspectante, cogitationibus non quiescentibus.

Peccatum plumbo gravius. — Grave enim, grave et onerosum est peccatum, et plumbo omni gravius. Qui id sentit, ne minimum quidem oculos attollere poterit, etiamsi insensilis sit. Sic et Achaab, etsi valde impius, quia hoc sensit, prono capite, contritus, misere incedebat (3. *Reg.* 21. 27). Ideo se sacco præcinxit, et fontes lacrymarum emittebat. Si hoc et nos faciamus, si lugeamus ut ille, si peccata exuamus ut Zacchæus, nos quoque veniam consequemur. Ut enim in tumoribus et fistulis, nisi quis fluentem humorem et vulnus afficientem sistat, frustra remedia adhibebit, malo semper grassante : sic et nos nisi manum coerceamus ab avaritia, et pravum illum fluxum reprimamus, nisi eleemosynam demus, frustra cætera facimus. Nam si quid ab illa curatum sit, adveniens avaritia obruit et labefactat, gravioremque priore plagam* infert. Finem ergo faciamus rapiendi, et ita eleemosynam erogemus. Quod si nos ipsos in præcipitia feramus, quomodo respirare poterimus? Nam si quis cadentem erigeret, id quod facit eleemosyna; alius autem vi ad lapsum pelleret, id quod avaritia facit; nihil aliud ex hac pugna eveniret, quam quod homo ille discerperetur. Id ne nobis accidat, neve avaritia nos deorsum trahente, eleemosyna nos derelinquat et abeat, nos leviores efficiamus et avolemus, ut a malis liberati, et ex bonis operibus ad perfectionem deducti, æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Homiliarum octoginta octo S. Joannis Chrysostomi in Evangelium Theologi finis.

SPURIA.

ADMONITIO

IN SPURIA SEQUENTIA.

Ut nullus umquam veterum Ecclesiæ Græcæ scriptorum fuit, qui tot emiserit *authentica* opera, quot Joannes Chrysostomus : ita nullus fuit, cui tot spuria adscripta fuerint; quorum tantus numerus, tanta

moles est, ut si cæterorum Ecclesiæ Græcæ doctorum, Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni scripta percurras, nullum deprehendas, qui tot germana opera emiserit, quot spuria doctori nostro adscripta fuere. Præter illa autem quæ ad calcem priorum sex Tomorum bene multa edidimus, et in fine hujus octavi majore numero damus, atque in sequentibus Tomis dabimus, ingentem adhuc spuriorum supellectilem Chrysostomi nomine insignitam in bibliothecis Manuscriptorum latere sivimus, utpote luce prorsus indigna. Fatemur etiam nos multa ex iis, quæ Savilius ut spuria edidit, in tenebris relicturos fuisse; sed tum reverentia tanti tam de re literaria bene meriti viri ducti, tum etiam ne in multorum reprehensionem incurreremus, omnia quæ Savilius emisit dabimus, etiam illa quæ ipse non sine scrupulo, quasi adulterina typis dedit; ut monuit in Notis ad Tomum septimum, p. 857. Illius hic verba proferimus.

IN SCRIPTA SUPPOSITITIA CHRYSOSTOMI.

Spuriorum ingens passim in omnibus fere bibliothecis tam privatis quam publicis numerus; quæ tam cupide exquiri, tam ambitiose edi a viris doctis miror. Gerardus Vossius, vir, ut audio, doctrina excellenti, ex Bibliotheca Strozziana novem orationes in Ascensionem Domini Latine versas vulgavit, easque forsan in novem annos episcopatus Joannis nostri tribuit, in quibus nihil sanum. Possem idem de aliis, sed contineo me. Nobis certe venia, ut spero, dabitur, post tot egregia opera edentibus hæc pauca adulterina. Et tamen scias, lector, nos multa rejecisse, ut luce prorsus indigna, quæ a librariis meis in meum usum descripta fuerant, qualia sunt inter alia quæ sequuntur.

Sub hæc autem septemdecim seu sermonum seu homiliarum titulos initiaque subjicit, quæ nos omniaque alia tam vera quam spuria in fine operum Chrysostomi alphabetico ordine incipiendo a primis cujusque operis verbis, Deo dante, typis indicari curabimus. Quæ igitur Savilius protulit spuria, illa omnia typis esse danda censuimus. Ex aliis vero, quæ hactenus publicata non fuerant, ea solum emisimus, quæ alicujus pretii esse videbantur.

Inter illa vero spuria, quæ postremam hujusce Tomi partem occupant, quædam, licet pauca, alicujus sunt pretii, ut verbi gratia Sermo in sanctum Thomam qui numeratur quintus, et Homilia septima in Pascha, quæ hic quinquagesima tertia recensetur, fortassisque aliæ quæpiam. Ex iis etiam, quæ infimæ notæ videntur esse, quædam interdum res nonnullas attingunt ac memorant, quæ usui etiam doctis esse possint.

Horum porro spuriorum, quæ postremam hujusce Tomi partem occupant, catalogus seu index sequitur.

INDEX SPURIORUM

QUÆ IN OCTAVO TOMO CONTINENTUR.

MONITUM

AD HOMILIAM SEQUENTEM.

Hanc homiliam sic jure notavit Savilius in Notis Tom. 8, p. 869 : *Cum Græculus quispiam ineptus et indoctus orationem cum hujusmodi principio a Joanne nostro habitam esse apud Ecclesiasticæ scriptores Historiæ reperisset, affinxit homo impudentissimus humano capiti corpus plane belluinum, nobisque pro vero hunc spurium et falsissimum fetum supposuit, vix lectione, nedum emendatione dignum.* Illi porro Ecclesiastici scriptores, qui initium homiliæ Chrysostomi attulerunt, sunt Socrates libro 6, cap. 18; et Sozomenus lib. 8, cap. 20, qui ambo ipsissima verba referunt, nullo pene discrimine, queis hic, quisquis sit, Græculus orsus est. Hanc certe homiliam quovis sagaci homine, multoque magis Chrysostomo indignam censent quotquot ea de re sententiam tulerunt. Sic orsus ineptus scriptor improbas mulieres bene multas recenset, hincque transit ad probas et sanctas quæ in Veteri Testamento feruntur, et sic concionem claudit.

Cæterum non sat accurate rem tractavit, qui dixit homiliam hanc a recenti quodam Græco concinnatam fuisse. Siquidem Anastasius Sinaita, sexti sæculi scriptor, Quæstione in Scripturam LIX, cui titulus, Cur dicit apostolus, *Mulieri docere non permitto?* magnam hujus homiliæ partem Chrysostomi nomine ad verbum refert ab his orsus verbis : *Nulla fera potest comparari cum muliere mala et verbosa. Quid enim est leone terribilius*, etc ; et in hæc verba desinit : *Qui ergo habet malam mulierem, sciat se jam recipere mercedem iniquitatis : dicit enim Sapiens : Mulier mala dabitur viro peccatori.* Quodque mireris, eadem ipsa, nec plura nec pauciora, ad verbum habentur in opusculo 49 S. Ephræmi, cui titulus, *Contra improbas mulieres*, sine alio discrimine quam quod interpretum diversitas intulerit. Unde colligatur ineptum scriptorem ex S. Ephræmo hoc assumentum mutuatum esse. Interpretationem Latinam priorem paraphrastice adornatam rejecimus, novamque paravimus.

IN DECOLLATIONEM PRÆCURSORIS ET BAPTISTÆ JOANNIS, ET IN HERODIADEM.

1. Rursus Herodias insanit, rursus turbas movet, rursus saltat, rursus injuste caput Joannis Baptistæ ab Herode amputari cupit. Rursus Jezabel circuit, quærens Nabuthæ vineam eripere, et sanctum Heliam in montibus persequi. Puto autem non me solum in stuporem conjici, sed etiam vos omnes qui vocem evangelii auditis, et mecum mirari Joannis loquendi libertatem, Herodis levitatem, impiarumque mulierum furiosam insaniam. Quid enim audivimus? Herodes apprehensum Joannem posuit in carcere (*Matth.* 14. 3). Quare? Propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui. Et jure vituperes Herodis a miserrimis mulieribus eo inducti levitatem. Quid vero dicas, et quomodo enarres mulierum illarum ingentem nequitiam? Mihi quidem videtur nullam in mundo esse feram malæ mulieri comparabilem. Mihi certe nunc de mala, non de proba et honesta muliere sermo habetur. Scio namque multas esse bonas et honestas mulieres, quarum vitam recensere mihi operæ pretium fuerit ad ædificationem, et ad bonorum excitandum amorem. Nulla itaque fera in mundo est malæ mulieri comparabilis. Quid in quadrupedibus leone ferocius? Nihil. Quid in serpentibus dracone sævius? Nihil. Attamen et leo et draco malæ mulieri hac in re cedunt. Testis mihi est sapientissimus Salomon dicens : *Cohabitare cum leone et dracone placet magis, quam cum muliere mala et linguosa* (*Eccl.* 25. 23). Et ne putes prophetam per ironiam hæc dixisse, ex ipsis rebus id ediscas. Danielem in lacu leones reveriti sunt, justum vero Nabuthe Jezabel occidit : cetus Jonam in ventre servavit ; Dalida vero Samsonem deprehensum et ligatum alienigenis tradidit : dracones, aspides et cerastæ Joannem in deserto tremuerunt ; Herodias vero ipsi in prandio caput abscidit : corvi

in monte Heliam aluerunt; Jezabel vero ipsum post pluviæ præstitum beneficium ad necem persequebatur. Quid enim dicebat? Si tu Helias, ego Jezabel: *Hæc mihi faciant dii, et hæc addant, si non crastina die hac hora ponam animam tuam sicut unius eorum qui interfecti sunt* (3. *Reg.* 19. 2). Et timuit Helias, et abiit pro anima sua, et perrexit in desertum per viam quadraginta dierum. Et venit sub Rathmen, et petiit animæ suæ ut moreretur, dixitque: *Domine Deus, sufficiat mihi nunc, accipe animam meam a me, quia non sum ego melior patribus meis* (*Ibid. v.* 4). Hei mihi! Helias propheta mulierem timuit? qui pluviam orbis in lingua gestabat, qui ignem de cœlo eduxit, et precatione sua mortuos suscitavit, timuit mulierem? Etiam timuit. Nulla enim nequitia cum muliere mala comparari potest. Attestatur huic verbo meo Sapientia quæ dicit, *Non est caput super caput serpentis, et non est malitia super malitiam mulieris* (*Eccli.* 25. 22. 23). O malum et acutissimum diaboli telum! Per mulierem ab initio Adamum in paradiso confodit: per mulierem mitissimum Davidem ad Uriam dolo occidendum impulit: per mulierem sapientissimum Salomonem ad prævaricationem deduxit: per mulierem fortissimum Samsonem rasum excæcavit: per mulierem filios Heli sacerdotis prostravit: per mulierem nobilissimum Joseph in carcere vinctum conclusit: per mulierem Joannis orbis lucernæ caput abscidit. Ecquid de hominibus loquor? Per mulierem angelos de cœlo dejicit: per mulierem omnes jugulat, omnes inhonorat, omnes contumelia afficit, impudens quippe mulier nemini parcit: non Levitam honorat, non sacerdotem, non prophetam reveretur. O malum omni malo pejus mulier mala! Si inops sit, malitia ditatur; si facultates habeat malitiæ cooperantes, duplex est malum, intolerabile animal, incurabilis morbus, immanis fera. Novi ergo aspides blanditiis cicures factas, et leones, tigres, pardos tractabiles redditos: mala vero mulier si injuria afficiatur, furit; si demulceatur, extollitur. Si principis uxor sit, nocte dieque virum ad necem dolo inferendam excitat, ut Herodias Herodem: si pauperem virum habeat, ad rixas et pugnas ipsum concitat: si vidua sit, ipsa sola omnes dedecore afficit. Lingua namque ejus timore Domini non frenatur; non futurum respicit judicium, non Deum ipsum; non amicitiæ leges servare novit. Pro nihilo habet mala mulier virum suum morti tradere. Certe justum Jobum uxor sua blasphemiæ morti tradebat dicens: Dic verbum quoddam contra Dominum, et morere (*Job.* 2. 9). O malam naturam! o scelestum animum! Non miserata viri sui viscera pustulis ceu carbonibus ardentibus tumida, et adusta, carnesque totas vermibus scatentes: non ad commiserationem versa est, videns illum totum obvolutum, infirmum, in agone certantem, et crebro anhelitu, hianti ore hæc sustinentem; non flexa est ad misericordiam, videns illum qui olim cum regia purpura incedebat, tunc in fimo nudum jacentem: non recordata est veteris consuetudinis, neque quanta per ipsum gloria, quantis bonis floruisset. Sed quid? Dic verbum contra Dominum, et morere. O gratiam uxoris! o malagma doloribus mitigandis! o conjugalis amicitiæ legem! Num aliquando tibi ægrotæ quid simile dixit? annon precibus et curis morbum tuum curavit? annon satis erat illi hæc temporanea castigatio, ut tu illum in æternum supplicium ob blasphemiam conjicias? an ignoras illud, *Omnis blasphemia et peccatum remittetur hominibus; blasphemia autem in Spiritum sanctum non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* 12. 31)? Vis aliam quoque videre huic malitiæ parem? Dalidam intuere. Nam et illa fortissimum Samsonem abrasum et vinctum alienigenis tradidit (*Jud.* 16); virum nempe suum, ejusdem lecti consortem, quem fovebat, cui adulabatur, quem seipsa cariorem habere simulabat; quem hesterno die diligebat, hodie decipiebat; quem hesterno die diligendo fovebat, hodie decipiendo tumulabat. Sed non formosus erat? Ecquis illo tempore formosior, qui septem cincinnos capitis gestabat, septiformis gratiæ imaginem? Sed fortis non erat? Et quis illo fortior, qui leonem terribilem in via solus suffocavit, et una asini maxilla alienigenas mille prostravit? Sed sanctus non erat? Usque adeo sanctus erat, ut cum sitiret aliquando ex aquæ penuria, precibus impetraret, ut aqua ex ipsa maxilla, quam tenebat, scaturiente, sitim sedaret. Et tamen uxor ipsa tam formosum, tam fortem, tam sanctum, quasi inimicum alienigenis tradidit. Et undenam mulier tam strenuum superare potuit? Ex ipsa viri bonitate. Nam cum arcanam fortitudinis ejus causam noctu abstulisset, nudum illum vinculis prævalidis domuit. Ideo hoc tibi Sapientia [1] præcipit: A conjuge tua custodi te, ne quid ei committas (*Mich.* 7. 5). Quæ fera, quæso, contra masculum suum tale quidpiam molita est? quæ dracæna masculum suum vult perdere? quæ leæna marem suum ad necem tradit? Viden' quam apposite Sapientia dixerit: *Non est caput super caput serpentis, et non est malitia super malitiam mulieris* (*Eccli.* 25. 22. 23)? In summa, qui uxorem habet malam, sciat se jam iniquitatum suarum mercedem retulisse. Id non caret testimonio: audi Sapientiam dicentem: Mulier mala viro iniquo dabitur pro operibus malis. Verum de muliere mala hæc satis sunto.

2. Operæ pretium autem jam nobis fuerit de mulieribus bonis sermonem habere, maxime propter eas quæ adsunt. Bonæ namque bonarum virtutes quasi sibi proprias respiciunt, illarumque labores suas esse coronas arbitrantur. Bona et hospitalis mulier erat beata Sunamitis, quæ virum hortata, domunculam Elisæo construxit, ut eo divertens ibi libere quiesceret (4. *Reg.* 4); ipsique lectum lucernam et mensam apposuit: lectum non indumentis vacuum, sed qui culcitras prophetæ competentes haberet: lucernam non sine ellychnio, sed et cum oleo ignem fovente: mensam non sine panibus, sed cibis instructam. Quid vero dixeris de beata illa vidua, quæ Heliam prophetam suscepit? quam nihil impedivit pauperies ob bonæ voluntatis divitias (3. *Reg.* 17)? cui nullum erat frumentum, vinum, aut pulmentum, nulla terrestris alimonia ad paupertatis consolationem: non ager frumento satus panem suppeditabat, non vinea suaves uvas ministrabat, non arbor dulcissimos fructus proferebat. Quomodo enim habuisset, cui ne ad palmæ quidem spatium locus arabilis erat, nec vel cubitale solum ad vitem inserendam; sed messis tempore semper in agris incurvata decidentes a messoribus spicas manu legebat, et sic ad anni decurrentis spatium alimentum recondebat? Hanc adiit Helias in tempore famis, quando pluvia nulla decidente tota aruerat terra; quando cœlum igneum, aer æneus erat, et nubes detinebantur; quando nulla herba, flos nullus, nullum fruticum germen, non aura roscida, non spica virens fluctuabat, et fontium ubera æstus constringebat: mare salsuginem auxerat, non influente aqua dulci, et repressis imbribus. Tunc Helias inopem illam viduam adiit. Scitis quanta patiatur vidua vel ubertatis tempore. Missis divitibus qui pane abunde fruebantur, descendens de monte propheta illam adiit. Cur is qui solo verbo ignem de cœlo eduxit, panes sibi non eduxit? annon poterat? Certe poterat; sed id non fecit. Quare? Ne viduam hospitalitatis fructibus privaret. Alioquin autem pugillum farinæ et paululum olei, benedictione sua auget. Non enim tam ad suum quam ad inopis viduæ alimentum properabat propheta, ut ostenderet bonum ejus et occultum animi propositum. Hoc facit Deus, qui potest sanctos omnes, qui in mundo sunt, alere: donum retinet, ut bona cordis proposita, hospitalitatis tempore, ex fructibus discernat. Cum autem non adsunt qui possint illos suscipere fructus, aut per aves alit, ut Heliam in monte; aut per prophetam e longinquo transmissum, ut Danielem in lacu; aut per

[1] Alia, legitur, *propheta*, pro, *sapientia*.

marinum animal, ut Jonam per cetum; aut ipse per se escam quasi imbrem demittit, ut patribus nostris in deserto. Cum enim nulli essent qui possent ipsos excipere, manna de cælo ut imbrem demisit, et ex petra aquam scaturire jussit : cum vero sancti in mundo simul versantur, tum dexteram cohibet; et cum videt illos in ærumnis versantes, dimittit, ut gratiam aliis impertiat, quatenus per beneficia ipsis præstita possint ii, qui voluerint, salutem consequi. Adiit ergo Helias viduam nihil habentem, nisi pugillum farinæ, quem cum labore sibi et filiis ad prandium pararet. Quid illi dicit? Accipe mihi paululum aquæ in vasculo, et bibam. Illa autem abeunte, clamavit post illam : Accipias mihi et frustum panis in manu tua. Illa vero, quod non habebat dixit, et quod habebat se habere confessa est. Quid enim ait? Vivit Dominus, si erit mihi subcinericius, nisi pugillus farinæ, et paululum olei in lecytho (3. *Reg.* 17. 10-12). Mirum quod in tanta cibi penuria, præsentes paupertatis suæ reliquias non negaverit. Quot nunc sunt qui aurum et argentum quasi lutum habentes, rogati amicis beneficia præstare abnuunt, et blande compellati se negant habere? et si tandem rogati cedant, ferro duriores syngraphas edunt, tutosque fidejussores exigunt ut aurum commodent. Illa vero una voce rogata, non negavit se pugillum farinæ habere. Et quid illi propheta? Festina, et fac mihi subcineritium, primo mihi, deinde tibi et filiis tuis. Tentatio erat prophetæ verbum, probatio cordis, examen propositi : eratque cor beatæ mulieris illius quasi sub jugo positum et exercitatum. Quo autem tendit? an ad filiorum amorem, an ad hospitalitatem erga prophetam exercendam? Verum illa maluit se et filios in angustiam conjicere, et prophetam excipere. Sciebat enim quod, *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet : et qui potum dat calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli, non perdet mercedem suam* (*Matth.* 10. 41. 42). Quid sibi vult cum dicit propheta, Festina? num adeo fame premebatur, ut egeret festinatione? Non utique. Sed volebat beneficium diligenter, hilariter ardenterque præstari, non ex tristitia aut ex necessitate : *Hilarem enim datorem diligit Deus* (2. *Cor.* 9. 7). Festina; et fac primo mihi, deinde tibi et filiis tuis. Festina, ut Abraham in angelorum adventu festinavit ad boves, ad vitulum, ut acciperet agnum (*Gen.* 18); et ut Sara festinavit ad subcineritios, ut acciperet panem in cælis absconditum. Festina, et fac ut Abraham hostias Deo. Ne prius tibi, et postea mihi, ut Cain, Ophni et Phinees filii Heli sacerdotis, qui Deum contumelia afficiebant, dum ipsi priores donorum Deo oblatorum primitias acciperent. Illa vero jussum diligenter exsequuta est. Propheta autem subcineritium panem locupletem vidit, cepit, loquutus est, et domum ejus bonis replevit. Non deficiet, inquit, pugillus farinæ ex hydria, et oleum ex lecytho, donec det Dominus pluviam super terram (3. *Reg.* 17. 14). Cur usque ad illud tempus? Necessario utique. Oportebat enim, nova gratia ut pluvia adveniente, veterem legem finem accipere. Et verbum res sequuta est. Viden' quomodo bonæ mulieres hospitalitatis fructus decerpserint? Bonorum quippe laborum fructus gloriosi sunt, et inconcussa prudentiæ radix. Audistis, mulieres, malarum mulierum opera, bonarum virtutes. Has diligite, illas secus : has imitemini, illas odio habeatis; ut bonorum cursum et vestigia sequentes, in sanctarum choro annumeremini, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SEQUENTEM SERMONEM.

Hunc sermonem, flosculis ad nauseam usque redundantem, nemo sanus Chrysostomo adscripserit. Est enim potius nugacis cujusdam Græculi, ut existimabit quisquis doctoris nostri scripta vel primoribus labris attigerit.

Interpretatio Latina, accurata sane, est Petri Pantini.

IN PRÆCURSOREM DOMINI SERMO.

Floridissima prata floribus auricomis variegata, arboribus suave spirantibus exornata, avibus dulce cantantibus perstrepentia, hominum aures demulcent, visumque oblectant. Sole porro aureo suo splendore in orbem circumquaque refulgente, reflexi ejusdem radii ignitum contra fulgorem effulminant. Ibi blæsæ et loquaces aviculæ, velut ad fistulam efformatis minurritionibus, argutum melos emittunt : ibi ventorum lene murmurantium auræ, inter circulos avium mutuo cantu contendentium, concavitates montium abruptorum concutientes, ad instar citharæ concorditer recinunt. Quo fit ut pastores quoque ac bubulci in tuguriis suis habitantes, hujusmodi vocalium avicularum tinnulo musicoque cantu fruentes, ipsi quoque multisonis calamis ad illarum imitationem modulantes, per amœniorem quemque locum, et herbam, pecus suum placide agant. Verum ibi quidem fons latices excellentissimos ebullit; hic melliflua divinæ sapientiæ doctrina elucet : ibi musicarum avium arguti cantus; hic sacrorum psalmorum dulcis modulatio : ibi turtur solitudinis amans, arbori inambulans, querulis vocibus ver amœnum significat; hic Joannes melle et locustis nutritus, præconiis solitariis, seu potius spiritualibus, hominum ad se cœtum incitans, cæleste illud ver jam mundo apparens, velut tuba denuntiat. *In diebus autem illis*, inquit, *venit Joannes Baptista prædicans in deserto, et dicens : Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cælorum* (*Matth.* 3. 1. 2). *In diebus illis.* Sub hisce de Jesu Deo tam manifestis indiciis; in hac cælestis Regis ad nos peregrinatione; in his sempiterni luminis splendoribus; *In diebus illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto.* In deserto, inquam, non in terra habitata : eo quod desolatum adhuc esset humanum genus, necdum a Patre et Filio et Spiritu sancto inhabitaretur. Quid porro prædicabat? *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cælorum.* O pœnitentia, quæ inter ipsas lacrymas nobis vitam suppeditas, et cum nuptiali peplo nuptialem etiam claritatem indueris! o pœnitentia, diaboli accusatrix, conversorum patrona! *Joannes autem habebat vestimentum de pilis cameli, et zonam pelliceam circa lumbos suos* (*Ibid. v.* 4). Circumspiciamus, dilecti, vestimentum Joannis : fortassis illud ipsum vestimentum ænigma nobis salutis fuerit. Gerit enim illud signum atque imaginem populorum ex gentibus se convertentium. *Habebat*, inquit, *vestimentum de pilis cameli.* Camelo frequenter Scriptura diabolum adsimilat, propter plurimum tumorem, calliditatem, et furorem. Qui e specula apud Isaiam prospeverat,

ait : Videbam *Ascensorem asini, et ascensorem cameli* (*Isai.* 21.7). Ascensorem enim asini dicit Christum; propterea quod asino insidens Jerosolyma fuit ingressus : ascensorem autem cameli illum, qui in ultimo dierum, efficiente diabolo, in mundum venturus est Antichristus. *Habebat autem Joannes vestimentum suum de pilis cameli.* Cum enim jam pietatis præconio ethnicos, pilorum instar diabolum cooperientes, ad se convertisset, illoque denudato et Ecclesia condensata, ejusdem Ecclesiæ corpus per fidei unitatem velut contexuisset, salutis ipse sibi vestimentum confecerat. *Habebat autem zonam pelliceam circa lumbos suos.* Lumborum et zonæ pelliceæ Scriptura meminit: ut per zonam ex mortuis pellibus confectam, foris cingentem, omnem in ipso libidinis affectum castitatis studio edomitum mortuumque fuisse ostendat. Hoc enim virginitatis, quæ intus occulebatur, minime mendax argumentum. Vescebatur autem, inquit, locustis et melle sylvestri. Hic Judæos a lege et præceptis resilientes denotat, ut alibi Scriptura : Exsiliebat ut bruchus promiscuus tuus : vel ut locusta in sepe, in die glaciei. Exortus est sol, et absiliebat; et non cognovit amplius locum suum (*Nahum.* 3. 16. 17). Mel autem sylvestre, propterea quod Judæi legis dulcedinem transgressione præceptorum exacerbassent. *Tunc*, inquit, *venit ad ipsum Jesus in Jordanem, ut baptizaretur ab eo : ipse autem prohibebat eum, dicens : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Respondens autem Jesus dixit ei : Sine modo* (*Matth.* 3. 13-15); te oportet esse testem ejus, quæ de me mox emittetur, vocis : *sic enim decet impleri omnem justitiam.* Me oportet docere, quod nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non possit intrare in regnum cælorum (*Joan.* 3. 5). Par est igitur, me primum facere, et tunc docere : ne Judæi occasionem hoc mihi improperandi habeant : *Alios doces, teipsum non doces? Sine modo* (*Rom.* 2. 21). oportet enim dictum patientis Job adstrui : Nemo mundus a sorde, ne si unius diei ipsius sit vita (*Job* 14. 4. 5. *sec. Septuag.*): oportet me detergere antiquum corporis peccatum : oportet me Spiritu renovare animam, et aqua corpus. *Sine modo :* oportet me aperire aquæ et Spiritus vulvam, ut fiam primogenitus multis fratribus (*Rom.* 8. 29). Ab illa enim vulva qui aberraverant, Judæos propheta accusans convincit, dum ait : *Alienati sunt peccatores a vulva* (*Psal.* 57. 4). *Tunc dimisit eum.* Cum autem Jesus descendisset in Jordanem, dilecti, videre erat magnum miraculum, fontem in flumine lotum, et flumen in flumine baptizatum. Fons enim Christus, ut ipse ait : *Me dereliquerunt fontem aquæ viventis* (*Jer.* 2. 13). Et sponsa, quæ est Ecclesia ad ipsum : *Fons signatus* (*Cant.* 4. 12), emittens. Ipse quoque flumen, ut ait propheta : *Flumen Dei repletum est aquis* (*Psal.* 64. 10). Venit in aquas, et sanctificatæ sunt, et sanavit eas. Si quis vestrum est, dilecti, nondum baptismo initiatus, veniat et videat, quomodo Pater de cælo clamet : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite* (*Matth.* 3. 17. *Luc.* 9. 35). Jordanis clamat, Spiritus aera emundat, Filium vocat Pater, cælum purgat Filius, terram exornat Spiritus, aeremque illustrat. Nunc impletur, quod olim a propheta dictum fuerat : *Dies diei eructat verbum* (*Psal.* 18. 2). Dies Pater, dies Filius, Pater Filio eructat verbum, sicut Paulus ait : *Sumite gladium Spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* 6. 17). Quo quidem verbo omnes nos stabiliet in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SEQUENTES DUAS ORATIONES.

De duabus sequentibus orationibus hæc monet Fronto Ducæus in margine prioris : *Hæ duæ orationes sequentes primum editæ sunt Romæ Græce et Latine, anno* 1580, *industria et interpretatione Gerardi Vossii.* Concors est autem eruditorum opinio esse ambas spurias Chrysostomoque indignas. Id styli genus, id omnia suadent : neque est ea in re probanda diutius immorandum.

Interpretationem Latinam Gerardi Vossii aliquot in locis castigavimus.

ORATIO ENCOMIASTICA, IN PRINCIPES APOSTOLORUM PETRUM ET PAULUM, EORUMDEMQUE GLORIOSISSIMUM MARTYRIUM (*a*).

1. Certare inter se cælum terramque conspicio, de hac solemni apostolorum memoria celebranda. Nam et cælestium potestatum agmina collaudant honestis vocibus eorum labore mixtam doctrinam : quippe quorum opera dispensationis ipsis mysterium innotuit : quemadmodum exclamat Paulus; *Ut innotescat nunc principalibus et potestatibus in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei* (*Ephes.* 3. 10) : et in orbe terrarum homines dignam, apostolorum principes exornando, laudationem proferre totis nervis ac viribus conantur, ut qui per eos salutem adepti sunt. Quid enim Petro majus, quid par Paulo? qui opere atque sermone creatam omnem naturam cælestem simul ac terrestrem superarunt : atque homines corporis luto complicati, angelis ipsis meliores exstiterunt. Quid igitur de utriusque naturæ doctoribus dicemus? Neque enim dignam orationem invenio, qua laudes eas compensem, quibus hi genus nostrum tantopere honestarunt, qui terram omnem et mare circuierunt, scelerum radices evulserunt, pietatisque semina in corde infidelium injecerunt. Petrus, apostolorum dux; Paulus, orbis doctor, et supernarum virtutum consors : Petrus, ingratorum Judæorum frenum; Paulus, gentium cohortatio [1]. Cerne mihi sublimem Domini sapientiam, qua quidem Petrum e piscatoribus, Paulum vero e pellionibus elegit (*Matth.* 4. *Marc.* 1. *Act.* 4) : idque ad utilitatem fecit : nam Judæorum gloria deprimebatur (*Ibid.* 18 *et* 26). Quapropter huic tamquam piscatori recte Dominus fidit, cum diceret : *Vade ad mare, et mitte hamum : et eum piscem qui prius ascenderit, tolle : et aperto ore ejus, invenies staterem* (*Matth.* 17. 26) : sceleratorum Judæorum instabilem mentem, mare vocans. Hamus artificiosum doctrinæ sermonem, piscis legem significat : os aperire, est interpretari : quod autem in illo staterem invenerit, id significat ipsum spiritualiter dijudicare. Paulo vero tamquam sutori gentes commisit universas : ut tam eos qui a lege, quam qui a gratia nudi erant, veste coccinea indueret, Domini

(*a*) Collata cum tribus Mss. Regiis, et cum marginalibus notis Savil.

[1] Alias legitur, *Magister*, pro, *cohortatio*.

aqua et sanguine intincta. Sic ad eum clamat Dominus: *Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te* (*Act.* 22. 21). O par beatum, cujus fidei totius mundi animæ sunt concreditæ? Petrus orthodoxæ fidei principium, magnus atque illustris Ecclesiæ sacerdos, necessarius Christianorum consiliarius, supernarum potestatum thesaurus, honoratus a Domino apostolus : Paulus magnus præco veritatis, universi terrarum orbis gloria, in cælis homo, et in terra angelus, decus Ecclesiæ in sublimibus volans aquila, lyra, spiritus, hirundo atque cicada : organum Dominicum, vigilans Christi minister [1]. Paulus et Petrus jugati boves Ecclesiæ : qui orbi terrarum insignem operam negotiantes navarunt; qui pro jugo crucem tulerunt, pro sessore Salvatorem, pro jugi nexu Scripturarum utrumque Testamentum, pro stimulo Spiritus sancti gratiam. Paulus et Petrus Ecclesiæ luminaria, quibus ipsa quotidie illuminatur; penuaria Dominica, publica totius mundi hospitia, Spiritus receptacula, apta sanctæ Trinitatis interpretandæ instrumenta, divini verbi œconomiæ doctores. Petrus spiritualis meus amor; Paulus vas electionis, meus baculus : Petrus templum Dei; Paulus os Christi, lyra Spiritus, tricubitalis homo (*a*), qui cælum attingit [2] qui loco circumscribitur, et universum mundum Domino circumscribit; qui ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum replevit evangelium Christi (*Rom.* 15. 19) : cursor velocissimus, in cælum aquila volitans, divina repletus gratia, quem testatur Dominus suum nomen per universum terrarum orbem ferre (*Act.* 9) : qui tertium cælum pervasit, paradisum ingressus est, et usque ad Dominicam incomprehensibilemque cathedram ascendit, et audivit arcana mysteria, quæ non licet homini loqui. Sed de Petro quid dicemus ? qui dulce spectaculum est Ecclesiæ, splendor totius mundi, columba castissima, apostolorum doctor, apostolus ardens, spiritu fervens, angelus et homo, gratia plenus, firma fidei petra, similis Ecclesiæ sapientia, qui ob puritatem beatus et filius columbæ, ex Dominico ore audivit; qui claves regni cælorum ab ipso Domino accepit (*Matth.* 16. 17. 19). Angelorum ordines vos exspoliastis. Et quid multis? Ipse vos Dominus laudibus ornat, inquiens : *Vos estis lux mundi* (*Ibid.* 5. 14) : qui regibus estis copiosiores, divitibus potentiores, militibus robustiores, sapientibus et philosophis sapientiores, oratoribus eloquentiores; *Nihil habentes, et omnia possidentes* (2. *Cor.* 6. 10). Vos estis martyrum patientia, patriarcharum orthodoxa fides, monachorum exercitatio, virginum coronatores, pacificatores conjugum, rapacium divitum frena, intemperantium impudicorumque moderatores, regum protectio, Christianorum muri, barbarorum adversarii : vos hæreticorum audaciam refrenatis, animi perturbationes comprimitis, dæmonum legiones exegistis, Græcorum [3] aras evertistis, inferiorum supernarumque rerum heredes constituti; illarum siquidem claves, istarum ligandi atque solvendi peccata potestatem accepistis. O idiotæ miraculum! o illiterati sapientiam ! Petrus sua ipsius umbra paralyticos solidavit, et mortem solvit; Paulus vestimentis suis morbos propulit, et dæmonas fugavit (*Act.* 5. 15) : qui in medio habetis matrem Domini, et justo spiritu estis potentiores [4] : Paulus quidem indefessa Ecclesiæ hirundo; Petrus vero orbi terrarum, quemadmodum luscinia, assidue canens : Ecclesiæ columnæ, magna mundi lumina, vobis inter vos præstantiores, et quavis simul creata natura excellentiores. Gaudeas Petre, fidei petra ; gaudeas Paule, Ecclesiæ gloriatio: gaudeas Petre, rectæ fidei fundamentum; gaudeas Paule, sollicitudo Ecclesiarum : gaudeas Petre, gloria et decus orbis terrarum ; gaudeas Paule, introitus paradisi : gaudeas Petre, introductor in regnum cælorum; gaudeas Paule, qui tranquillus portus es tempestate jactatis : gaudeas Petre, qui multis laudibus a Domino cumulatus es; gaudeas Paule, qui multorum es charismatum rector : gaudeas Petre, qui sancto Spiritu ferves; gaudeas Paule, strenuus cursor : qui sancta prædicatione vestra totum orbem terrarum illuminastis, qui infinita propter Ecclesiam sustinuistis mala, carceribus inclusi, a Judæis abominationi habiti, a barbaris indigne tractati, a regibus ignominiosis verberibus affecti : quibus nec commode respirandi, nec a docendo consistendi facultas est concessa : nec tamen docere cessastis : qui ne membrum quidem corporis præ graviorum rerum pondere movere potuistis; totumque terrarum orbem sceleribus devinctum, vestris salutaribus epistolis solvistis. Vos dæmonum phalangas præcipites egistis : per vos in orbem terrarum Spiritus sancti gratia diffusa est : vos erroris caliginem compressistis, vos dæmonum audaciam depressistis : altaria gentilium vos diruistis, vos omnem falsi nominis cultum in cinerem redegistis, vos sejunctas a frumento zizaniorum sordes ejecistis; et Ecclesiæ fruges quotidiana vestra doctrina puras reddidit.

2. *Laus Petri et Pauli.*—Quanam igitur gratiarum actione tot tantosque labores compensabimus, quos nostri causa pertulistis? Memini tui, Petre, et obstupesco : recordor tui, Paule, et quasi extra me positus, lacrymis perfundor. Quid enim dicam, aut quid loquar, dum vestras contemplor angustias, non intelligo. Quot carceres sanctificastis? quot vincula illustrastis? quot custodias doctrina vestra replevistis? quot catenas celebres reddidistis? quot tormenta sustinuistis? quot loca vestris gressibus sanctificastis? quot convicia superastis? ut Christum portastis? ut Ecclesias prædicatione exhilarastis? Benedictum instrumentum linguæ vestræ : membra vestra sanguine perfusa sunt propter Ecclesiam : vos in omnibus semper Christum imitati estis. In omnem terram exiit sonus vester, et in fines orbis terræ vestra verba (*Psal.* 18. 5). Indivulsam suam sponsam Ecclesiam a vobis desponsatam conservabit Christus. Nemo ante vos, neque post vos talis apparuit. Quis enim magistri officio fungens, dicere quidquam citra vestram traditionem ausus fuerit? Cunctos doctores vos perfecistis, cunctos theologos reddidistis, cunctos tenebris oppressos illuminastis. Vicit nostri cordis duritiem vestra tolerantia : anathema ipsi esse optantes, ut mundum lucrifaceretis (*Rom.* 9. 3). Quid igitur vobis retribuemus, pro omnibus bonis quæ retribuistis nobis? Hodie certaminis vestri celebratur memoria: hodie festivitas testimonii vestri, quod Christo dixistis; hodie læti nos omnes sanctas vestras reliquias veneramur Gaudeas Petre, qui ligno crucis fruitus es, et ad Magistri similitudinem recta quidem figura, sicut Dominus noster, crucifigi noluisti, sed magis inverso capite, veluti in terra ad cælum iter parans. O clavos illos beatos, qui membra illa sanctissima pertransierunt, membra mihi optabilia, ipsaque cælesti gloria longe meliora. Qui cum fiducia spiritum in manus Domini tradidisti, qui continue Domino, ipsique desponsatæ Ecclesiæ summa cum animi alacritate inservisti; Domini amans, recteque Domino serviens, Spiritu fervens, tu omnium Domini fidus apostolus. Beatissimus vero Paulus, cui caput ense præcisum est, vir cujus laudes verbis exprimi nequeunt. At cujusmodi ensis illius guttur, dominicum, inquam, instrumentum cælo suspiciendum et terræ tremendum pervasit? qualis locus tuum, Paule, sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in ejus veste qui te percussit? qui quidem sanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, ut ipse una cum sociis ad fidem traduceretur, ita affecit? Sit mihi instar coronæ gladius ille. Is triginta et quinque annos, summa ad serviendum alacritate, Domino

[1] Tres Mss. habent, *Christi familiaris.*
[2] Savil. habet in margine, *qui tertium usque ad cælum penetravit.*
[3] Savil. legit, *idolorum*, pro, *Græcorum.*
[4] Idem in margine legit, *qui in medio Christum habetis et Spiritus sancti fontes.*
(*a*) Sic hominem multoties a staturæ mensura vocat Chrysostomus, sic vocat item Geographus Nubiensis.

mancipavit. Perfecto denique octo et sexaginta annorum vitæ cursu, quem pro pietate institutum tenuerat, quievit. Vobis beatas vestras voces vicissim reddimus. *Gaudete in Domino semper* (*Philipp.* 4. 4) : absque intermissione pro nobis orate (1. *Thess.* 5. 17) : repromissiones vestras explete. Succlamas enim, beate Petre, sic dicens : Studebo post meum obitum memoriam vestri facere (2. *Petr.* 1. 15). Est ergo beatus Petrus apostolus Christi a Bethsaida Galilææ, ubi Dominus noster Jesus Christus plurima miracula operatus est : unde et Philippus prodiit : beatus vero Paulus ex urbe Ciliciæ Tarso. Obdormiere autem ambo in magna urbe Roma veteri, vigesimo nono die mensis Junii, sub iniquissimo Imperatore Nerone e medio sublati (*Act.* 21. 39), et ad omnium Dominum atque Magistrum plurimis rebus præclarissime gestis profecti. Omne itaque studium, carissimi, adhibeamus, precantes omnium regem Christum Deum nostrum, uti nos pro suo in humanum genus amore dignos reddat; qui possimus illorum traditionibus atque doctrinis feliciter insistere, ut consequamur misericordiam coram tribunali ipsius : per quem, et cum quo, Deo et Patri honor, cum sanctissimo et optimo et vivifico Spiritu, nunc et semper, in sæcula sæculorum. Amen [1].

[1] Unus Regius habet..... *vigesimo nono die mensis Junii sub imperatore Nerone. Ea autem nos gratia dignabitur Deus Dominus, ut illorum doctrinæ traditionibusque hærentes, per ipsorum sanctissimas preces, misericordiam consequamur ante tribunal Christi, cum quo Patri honor..... in sæcula sæculorum. Amen.*

SERMO IN SANCTOS DUODECIM APOSTOLOS.

Merito etiam hodie in adventu Spiritus sancti sagena hæc piscatorum impleta est, dum nos in eam pisces rationis compotes ultro insilimus. Nam Verbum verbi illiteratos erudiens, et linguis igneis tardiloquos corroborans, artem eorum in divinius quoddam transtulit, cum diceret : *Venite post me, et faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* 4. 19). Dixit, *Venite post me*, et cuncta e vestigio in melius fuere traducta. Duodecim electi erant athletæ, et horum nemo remansit incoronatus. Una enim gratia cum omnibus simul certabat et currebat, quæ uniuscujusque victoriam reddidit illustriorem. Unus infelix Judas ab hujusmodi anchorà [1] se divulsit, osculo lupis prodens ovem, et triginta argenteis vendens Dominum : sanguis autem venditi redemit mundum. Sed o felicem illam et præclaram, apostoli, vestram societatem, qua omnibus omnia facti estis gratia; non arundine, sed sermone hominum greges sapienter cepistis. Vos enim rectæ fidei immobiles estis columnæ, Ecclesiæ petra, regni sceptrum, et hujus maxime gregis vigiles præfecti, infirmitatis humanæ gratis medici, nostræque versus Deum pœnitentiæ compatientes fidejussores. Tamquam enim incudes quædam animatæ, dum feriremini, qui vos feribant, eos ad intelligentiam fabrefecistis.

Apostolorum divisio.— Petrus hinc Romam erudit : Paulus inde mundo evangelium annuntiat : Andreas Græciæ sapientes corrigit : Simon Deum docet barbaros : Thomas baptismate Æthiopas dealbat : Jacobi cathedram Judæa honorat : Marci thronum Alexandria ad Nilum complectitur : Lucas et Matthæus conscribunt Evangelia : Joannes autem divina tractans mysteria, etiam post mortem tamquam vivus Ephesum curat : Bartholomæus Lycaonas ad temperantiam instituit : Philippus miraculis conservat Hierapolim. Omnes ubique omnibus beneficia conferre non desistunt : pulverem immortalem in sepulcris reliquerunt : nunc quidem cultores, non multo post sublimes mundi judices consessuri. Huic cum claudus adhæsisset, rectis pedibus recessit : in illum paralyticus incidens, lectum portare jussus est : alius mortuos vocabat, et hos statim sibi audientes habuit : alterius vel sola umbra morbos propulit : alterius invocationem perhorrescebant dæmones, illorumque sudaria distillabant medelam. Nam discipuli illius erant, cujus vestimenti fimbria furtivo contactu arrepta, sanguinis fluxum patienti, rubeum sanguinis exsiccavit mare. Sed jam ad principes apostolorum converto sermonem, illius propheticæ vocis memor : *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum.* (*Psal.* 132. 1)! Præeat igitur oratione Petrus, quandoquidem et prior in vineam Domini conductus fuit : Petrus boni Pastoris gregis primogenita ovis, Petrus qui e stagno in cælum ascendit, nautas dimisit, et cum angelis colloqui meritus est : qui navem reliquit, et Ecclesiæ regimen assumpsit : qui claviger regni cælorum vocatus est, et ligandi atque solvendi in terra potestatem accepit : ad vocationem celer, et in fide non ambiguus, et in omnibus fervens Magistri cooperator : qui dixit : *Tu es Christus, Filius Dei vivi* (*Matth.* 16. 16) : qui simul cum Domino mori proposuerat, et usque ad Caiphæ atrium, una cum vincto Redemptore ingressus est : qui etiam negans dignus fuit venia, et pœnitens admirabilis. Neque enim tam propterea quod negarit reprehendendus, quam, quod se pœnituerit, est felix prædicandus. Nobis siquidem et errans utilis fuit, quia cito flens delictum inundatione abluit, et ad modicum fluctuans, in perpetuum inventus est fundamentum fidelium. Etenim si consideres, o dilecte, opportunum illius temporis metum, Petrum magnæ reprehensioni profecto non reperies obnoxium. Nam cum sol fugiebat, cælum abscondebatur, terra commovebatur, petræ scindebantur, ut quæ ferre nequirent tantam Creatoris contumeliam : tunc Petrus lapsus est, tunc coryphæus negavit, et rationis expertem diei nuntium reperit, statim redarguentem prædictam negationem. *Priusquam gallus cantet, ter me negabis* (*Matth.* 26. 34). Verum cum primus negasset, primus ad sepulcrum cucurrit, primus vitæ datorem a mortuis resurrexisse vidit : id a Maria edoctus, quod ei angelus super lapidem sedens, dicere non erat ausus. Cæterum post eum prodeat in medium Paulus, totius orbis terrarum sapientissimus orator : qui ex lupo factus est agnus, ex vepribus racemus, ex zizaniis frumentum, ex inimico amicus, ex Hebræis Hebræus manens : qui apud illos Saulus spirans necem et cædem, apud nos autem Paulus Jesu Christi vocatus apostolus, ex blasphemo theologus, ex persequutore evangelii prædicator, ex pirata gubernator, ex proditore miles : qui Romam una cum Petro sortitus est sepulcrum : quorum neuter tamen hanc Sichem contempsere : qui ratione Benjamin, Joseph frater, et ratione Theclæ, filiorum pater atque magister fuisti : qui ante Damascum cæcus, et in unaquaque civitate prædicationis oculus; ex cælo vocatus, et in cælum raptus es : qui priusquam hinc discederet, paradisum contemplatus, victoriæque coronam adhuc certans accepit, eamque sibi debitam affirmat. Quid enim ait? *Quam reddet mihi Dominus in illo die* (2 *Tim.* 4. 5). Paulus ex novissimis primus, ex abortivis perfectus vir, persequutor suavis, et dum persequutiones patitur, dulcis : qui Romanus et Pharisæus, et omnia omnibus propter fidem factus. Christus enim qui dixit Petro : Oportet te pati (*Act.* 9. 16) : etiam de Paulo dixit, quam multa oporteret eum pro nomine ipsius pati : ut ille quidem cruci affixus, hic vero truncatus capite, una fide propagata, uneque etiam cursu terminato, veri testes resurrectionis ejus essent,

[1] Savil. in margine habet, *ab hujusmodi choro.*

qui passus et sepultus est, et resurrexit, uti novit; et pervenit in sinum Patris, quem numquam reliquit. Ad quos ipse Dominus prophetice loquitur : *Circumdate* hanc novam *Sion*, *et complectimini eam* (*Psal.* 47. 13), hoc est : Conservate, muris cingite, precibus munite, ut quando merito iratus fuero, universamque mundi machinam concussero, considerans immortale vestrum sepulcrum, quæque mei causa geritis æquo animo stigmata, iram misericordia vincam; qua quidem ductus, en præmature vestram admitto supplicationem. Sacerdotium enim et regnum cum videro lacrymas fundere, quasi dolorum consors, statim ad commiserationem flectar, meæque illius vocis recordabor : *Protegam civitatem hanc propter David servum meum, et Aaron sanctum meum* (4. *Reg* 19 34). Qui sicut vos una fide consentientes, voluntaria animi submissione dignitatem suam occultantes, vestitu denique ipso humilitatem animi præ se ferentes, multa ad me discipulorum millia traduxerunt, me tamquam insigne ferentium, et mundo placare studentium. Dixi enim : *Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis* (*Matth.* 7. 7). Ipsi gloria et imperium, nunc et semper, in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO

AD ORATIONEM IN SANCTUM THOMAM.

Probo de hac oratione sic sententiam tulit Savilius : « Orationem hanc editam Burdigalæ a Frontone Ducæo, accurate emendavimus ex Cod. Bavarico. Quominus autem credam duabus Synodis, scilicet Lateranensi et VI universali Constantinopolitanæ, Chrysostomo hanc orationem asserentibus, facit totius homiliæ textura et stylus a Chrysostomo, meo judicio, diversissimus. Est enim oratio tota fere dramatica, et ex prosopopœis conflata. Neque, ut alias monui, novum est aut nuper natum, fetus *supposititios* claris parentibus subdere. »

Idipsum opinatur Fronto Ducæus in notis ad Tomum 6 Parisinæ Editionis anni 1636, ubi sic loquitur pag. 1035 : « Hunc quoque nobis Chrysostomi sermonem monasterii Cryptæ Ferratæ mss. Codices conservarunt, ex quibus exscriptus, et ad nos ab illustriss. Card. Baronio transmissus est. Licet autem ut genuinum eum auctoris nostri fetum propter styli disparitatem non agnoscamus, tamen eum commendat auctoritas Synodi Lateranensis sub Martino I coactæ circa annum 650 contra Monothelitas : in cujus consultatione citatur ex eo locus hoc modo : *Item S. Joannis episcopi Constantinop. in Thomam apostolum : Hæc audiens mundavi animam a perfidia*, etc.; *quæ habes hic*, p. 326. Profertur idem locus in sexta Synoda universali Constantinopoli sub Agathone habita contra eosdem Monothelitas, anno Christi 681, inter testimonia ostendentia duas voluntates et duas operationes in Domino, exscripta ex libris patriarchii Constantinopolitani actione 10. Item relectum est ex eodem codicillo testimonium S. Joannis archiep. Constantinopolitani ex Sermone in Thomam apostolum et contra Arianos, cujus initium : Legi quidem et Ecclesiæ obtemperans, continens ista : Hæc audiens, purgavi animam a perfidia, et exui me ambiguam sententiam, assumpsi credulum sensum, accepi corpus gaudens ac tremens. Expendi cum digitis et animæ oculum, et duas per hoc operationes sensi. Quod testimonium similiter collatum est cum libro membranaceo prolato a parte sedis Apostolicæ antiquæ Romæ et constitut. *Rectius tamen legitur hic*, legi Ecclesiæ, *quam illic*, legi quidem et Ecclesiæ.

Concors certe est omnium eruditorum opinio concionem esse Chrysostomo prorsus indignam. Tillemontius vero, qui quantum ad *spuritatem* opusculi cæteris adstipulatur, opinatur hanc homiliam anno 402 Edessæ in Mesopotamia dictam. « Videtur, » inquit, « ad tumulum S. Thomæ, id est Edessæ in Mesopotamia, hanc orationem dictam fuisse. Hic dicitur Deus turrim et caput Arianismi dejecisse, Thraciamque a tyrannide liberasse, tyrannumque exterminavisse. Precaturque ut etiam Occidentem ab Arianorum furore eruat, ut fur ille barbarus vincatur et profligetur, Arius pellatur, Imperator victor maneat. Hæc porro referri posse videntur in annum 402, anno videlicet elapso postquam Thracia a Gainæ tyrannide liberata fuerat, cum Alaricus Italiæ formidolosus erat. Uterque enim Arianus erat. Hic orator Arianos interrogat, undenam blasphema dicta sua accepissent; an ut Thomas Christi plagas tetigissent » : *Ecqua manu*, inquit, *an ea qua pretiosa vasa rapuisti? qua apostolos compilasti? qua barbari spolia excepisti? qua mercedem impietatis tenuisti? qua sanguinis vasa conflasti?* « Hæc certe referri possunt ad direptiones a Gaina Arianisque patratas, qui sane ecclesiis non pepercerant. Verum his quidpiam singularius subindicari videtur. Cum enim nuspiam narretur Gainam aliquam apostolorum celebrem ecclesiam diripuisse : opinamur ipsum Arcadium Constantinopolitanæ Apostolorum ecclesiæ pretiosa vasa abstulisse, cum urgente barbaro, instanteque necessitate, non posset alio modo tantam auri vim conflare, quantam exigebat ille pro se et pro militibus suis. Huic vero sententiæ favent hæc verba, *Mercedem impietatis tenuisti.* »

Hæc sane omnia, si non omnino explorata, admodum probabilia sunt. Quod autem ante tumulum S. Thomæ hæc concio habita fuerit, planum et assertum videtur ex hisce verbis sub finem homiliæ : « Suscipe urbem cineri tuo supplicantem : ætatem omnem ad legationem subeundam misit : senes et juvenes tumulo advolvimur. »

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

SERMO IN SANCTUM THOMAM APOSTOLUM, ET CONTRA ARIANOS, DEQUE EO QUI TYRANNIDEM IN THRACIA OCCUPAVIT, ET E MEDIO SUBLATUS EST, CUM IPSE ARIANUS ESSET.

Legi quidem Ecclesiæ obtemperans, ut licuit, in hoc tribunal ascendi; verum argumenti magnitudine superatus hæreo, et undiquaque constrictus, quo pacto rem istam exsequi, et quo genere orationis expedire possim, ignoro. Anne tamquam vivum Thomam prædicabo? Atqui mortem ejus prædicat tumulus. Anne mortuum narrabo? Atqui a rebus ipsis redarguor. Et mortuus est, et immortalis : et mortuus est ut homo, et mundum percurrit ut angelus : et passionem excepit, et cum passionibus pugnat : et deorsum jacet, et sursum lætatur. Nihil enim eum celare potuit, nullus eum locus occultavit; totum orbem terrarum illuminavit. Tumulum subiit, sed undecumque tamquam sol exoritur : vicerunt terram justi reliquiæ, ac rebus omnibus creatis amplior apparuit : per universum mundum gratia ipsum dispersit. Omnis

angulus partem aliquam habet Thomæ : omnem mundum implevit, et in singulis locis integer manet. In omnem terram exivit gloria ejus, et in fines orbis terræ tropæa ejus (*Psal.* 18. 5). Quo igitur eum nomine appellabo? solemne dicam? Atqui a nocte non vincitur. An stellam? At hunc dies minime abscondit : omni tempore creaturas illuminat, omnem caliginem ab orbe terrarum exterminat. Non eum ipso nox permanet, non eum tenebræ obscurant, non flumen impedit; mare continere non potest, oceanus virum novit, barbari Thomam honore afficiunt : omnes gentes festum hodie celebrant, ejusque dictum Domino tamquam donum offerunt, *Dominus meus et Deus meus* (*Joan.* 20. 28) : Consanguineus meus et Creator meus, Redemptor meus et Rex meus. Hæc enim docuit Thomas, hanc nobis tamquam filiis hereditatem reliquit : tamquam thesaurum hunc sermonem natura retinet; universum genus hoc dicto firmatur : hoc verbum ad angelos usque protenditur : angeli tamquam anchoram confessionem hanc tenent : omnis creatura doctrinam hanc velut diadema circumfert. Solus Arius hac oratione privatur, solus ille ab hereditate excidit, solus Christum cum Thoma Dominum non confitetur : non cum eo ipso Deum agnoscit : servum appellat dominum; creaturam, splendorem; spurium, legitimum; figmentum, opificem; non dicit Dominum et Deum herum suum, non favet veritati, non conjungit se cum Thoma, non sequitur justum; idque cum ejus diem colat, cum universo terrarum orbe festum celebret, et amicis Thomæ seipsum aggreget. Verum improbitas virtutem non fallit, neque cum duce veritatis seductor apte copulatur : novit feram pastor, novit lupum venator, novit fluctum gubernator, novit tempestatem portus, novit hostem imperator, novit Thomas Arium, novit et ipsum repellit. Blasphemi cultum non admittit, in homicidarum speluncam non intrat, non cum illis diversatur; impiorum confessum aversatur, vocem cum ipso pugnantem detestatur; os quod contra Deum loquitur iniquitatem (*Psal.* 74. 6), odit; linguam quæ Dominum ac Deum non appellat, aversatur, et ad eum ex toto terrarum orbe clamat : Ari, quid mihi blandiris? quid oleo caput meum impinguas? cur diem meum festum celebras, o nefarie? Blasphemum tuum hymnum non admitto : vanæ fidei tuæ non assentior : iniquam doctrinam tuam non agnosco. Ne me honores, qui Conditorem probro afficis, non suscipio honorem ignominiam parientem. Si dominum probris oneras, quomodo servum coles? si meam fidem non tenes, quomodo memoriam festo celebrabis? si mecum non sentis, quomodo sepulcro meo communicas? Ego Christum Dominum et Deum esse sum edoctus : palpavi manu, et veritatem inveni : propriis digitis sum certior factus : non alius mihi doctrinam inseruit, non miraculum auribus accepi, non iis credidi, qui mihi dicebant, *Vidimus Dominum* : repugnavi apostolis, restiti Petro, cum docere me conaretur : dixi illi, O homo, quid me perturbas? quid mihi verba pro rebus offers? quid mihi imperas ut verbis adductus credam? Nisi videro, non credam. Ut vidisti tu, videam et ego : ut edoctus es, edocear : ut didicisti, discam. Quod prædicandum mihi est, intuear, ac deinde prædicabo. Nemo fando audita annuntiat, nemo doctrinam a rumore manantem proponit, nemo me res tuas divulgantem recipiet. Si interroget, quo pacto resurrexerit Christus, quid dicam nescio. Si dicam, Petrus mihi dixit, quis ut fide digno assentietur? Videam, et prædicabo; discam, et docebo; persuadear, et persuadebo. Dicam ego quoque, Thomas apostolus non ab hominibus, neque per homines. Hæc ego cum dicerem, apparuit Dominus, et continuo pugnam diremit, aitque ad me : Quid tibi accidit, Thoma? quid cum Petro pugnas? quid cum amicis contendis? Ades, et miraculum experimento cognosce : disce reipsa resurrectionem : affer manum tuam, et corpus vide. Si potes, tene; si mandos digitos habes, vestigia clavorum tange; si credas, assequeris etiam; si vero contendas, non invenies; si sis incredulus, non cognosces; si dubites, quod passibile est non comprehendes; si passione tenearis, quod passioni obnoxium non est, non percipies. Hæc audiens purgavi animam ab incredulitate, et ambiguam sententiam exui, credulum sensum assumpsi, tetigi corpus, gaudens et tremens, expandi cum digitis et animæ oculum, et duas de cætero operationes cognovi; prehendi, et aspexi, ac manu quidem corpus tenui, anima vero Deum percepi; et quod exterius mirabile erat, inveni; quod interius, formidabile; quod apparebat, ingens; quodque tenebatur, admirandum. Exclamavi ergo, de eo quod comprehenderam obstupescens : *Dominus meus et Deus meus* (*Joan.* 20. 28). Nusquam enim servum intuebar, nusquam species humilis apparebat. Et quod ejusdem mecum erat naturæ, elucebat, de eo divinitas effulgebat; et quod ferebatur, exaltatum erat; et quod ferebat, glorificatum apparebat : cumque duæ res diversæ intelligerentur, una erat persona, quæ adorabatur. Hæc ego experimento percepi, hæc digitis tractavi, hæc animo intellexi : tu vero, Ari, unde basphemiam es edoctus? unde quæ prædicas, didicisti? num Christum ut ego palpasti? num manum admovisti? num vestigia clavorum scrutatus es? num digiti testimonium ferunt? Tune Christum tenuisti? qua vero manu? an ea qua pretiosam suppellectilem rapuisti? qua apostolos compilasti? qua barbari spolia excepisti? qua mercedem impietatis tenuisti? qua sanguinis vasa conflasti? hac ipsa Christum contrectasti? Absit. Non adeo iniquus est Dominus, non adeo imprudens Christus, ut suam tibi carnem credat : non prehendisti, quem repudiasti; non attrectasti, quem odisti; non scrutatus es, quem depressisti. Si enim scrutatus esses, non humiliasses; si recte perquisivisses, non adeo perverse interpretatus esses. Apage, recipe mercedem nequitiæ, cade cum commilitonibus tuis. Interim jam unam ex turribus tuis dejeci, jam Thraciam tua tyrannide liberavi. Adhuc modicum, et te funditus undiquaque perdam : adhuc modicum, et te ex orbe terrarum exterminabo. Modo tibi caput abscindam, modo superbia tua Occidentem quoque liberabo. Ita fac, beate Thoma, sermonem opere comple, exsequere quæ dixisti, præclarum principium fine confirma : ut Thraciam liberasti, sic et Occidentem liberato. Audiam et latronem sicut et tyrannum excisum : Imperatorem victoria coronato, pacem mundo largire, sudores eorum qui convenerunt, suscipe. Suscipe urbem cineri tuo supplicantem : ætatem omnem ad legationem obeundam misit. Senes ac juvenes tumulo advolvimur, virgines et adolescentes tuum corpus amplectimur, infantes passerum in morem hianti ore prospiciunt : noli talem speciem aspernari; ne vacuos labores nostros dimittas : da competentem sudoribus nostris mercedem. Nihil a te magnum postulamus : quæ possides petimus; quæ das, quærimus; quæ videre vis, desideramus, barbarum subactum, Arium pulsum, Imperatorem coronatum, mundum conversum, Christum exaltatum, et ab universo simul orbe terrarum audientem, *Dominus meus et Deus meus* : cui gloria, honor, et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN ORATIONEM SEQUENTEM.

Jure inter spurias hanc sive orationem sive homiliam ablegavit Fronto Ducæus. Nihil enim hic Chry-

sostomo dignum, non stylus, non dictio : nulla ex dotibus hic comparet, queis fulgebat ille divus orator. Hic vero quisquis sit Græculus exclamationibus, maximeque interrogationibus totam replevit orationem. Memoria autem labitur cum in longissima apostrophe Stephanum inducit Judæis dicentem : *Verum is qui ex vobis est, vel contra vos potius, vas electionis, Paulus clamat : Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent :* quasi vero potuerit Paulus, tunc Christo et Christianis infensissimus, hoc dictum jam protulisse. Verum hujusmodi memoriæ lapsus non satis esset ad hanc concionem Chrysostomo abjudicandam, nisi alia adessent bene multa, quæ opusculi *spuritatem* arguunt. Quot enim *memoriæ lapsus* in doctoris nostri concionibus animadvertimus! Multa certe, quæ longum esset recensere. Plurima quoque hujusmodi ad hunc locum congerit Fronto Ducæus, quibus referendis supersedemus, ne in re notissima diutius immoremur. Verum ex aliis totioribus indiciis constat hanc concionem alicujus indocti hominis esse, qui eam Chrysostomo adscripserit.

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

LAUDATIO SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS (*a*).

1. Coronemus Stephanum laudum floribus, eumque rosis præconiorum conspergamus : jam enim se ipse fidei præmiis ante coronavit. Scriptum quidem erat : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus* (*Matth.* 10. 28) ; at connexio cum corpore difficultatem afferebat. Verum ubi juvenis iste victorias martyrum voluit obtinere, difficultas omnis submota est ; timiditas autem metusque cessavit. Nam neque pontificum insaniam est veritus, neque sacerdotum audaciam reformidavit, neque terruerunt eum verba seniorum ; non scribarum ipsum minæ perturbarunt, neque sycophantarum sermones ejus ardorem animi restinxerunt, sed ad obeunda pro Christo certamina generosa mente properabat. Quis ergo mortalium dignas athletæ laudes offerat ? quis hominum convenientem ejus vitæ actionibus laudationem contexet ? quæ lingua poterit decora præstantissimi bellatoris effari ? quodnam os ad Stephani agones prædicandos aperietur ? quæ tandem labia strenui protomartyris sufficient facinoribus enarrandis ? Etenim luctabatur in terris, et quæ sunt in cælis contemplabatur ; in hac vita versabatur, et quæ sunt in excelsis, percurrebat : cum mortalibus colloquebatur, et immortalium ordinibus jungebatur : cum hominibus depugnabat, et cum angelis choreas ducebat. Omnis ætas deinceps bono animo esto : Stephanus enim luctatus est, et auctor mali collapsus est. Bono animo deinceps esto etiam is qui in canitie decertat ; et qui in senecta præclare se gerit, corona donatur ; et qui adolescens pugnaverit, coronatur ; et puer qui luctatus fuerit, refert præmia ; et infantes qui in agone contendunt, coronas reportant ; et mulieres quæ in acie steterint, gloria coronantur ; et virgines quæ luctatæ sunt, victorias consequuntur. Postquam igitur martyrii portas Stephanus reseravit, omnis in posterum ætas ad martyrium currat. Primus enim Stephanus tyranno restitit, primus de illo victoriam obtinuit, primus illos gloriosos agones inchoavit, primus propter Christum Christi passiones excepit : quo pacto mors ludatur, mortalibus indicavit ; quo pacto interitus sit risus futurus, hominibus demonstravit : his qui in hac vita versantur, vias, quæ in cælum ferunt, patefecit. *Stephanus* enim, *plenus gratia et fortitudine, faciebat signa et prodigia in populo* (*Act.* 6. 8). Ad majorem profectum Stephanum Spiritus gratia provehebat : ejus quippe fidei immensitas constantiam pollicebatur. Diaconus enim constitutus, martyr effectus est : viduarum necessitati præpositus, ad miraculorum gratiam profecit : diaconus mensis præfectus est, et prodigiorum effector est redditus. Stephanus autem plenus fide et fortitudine. Habeat, inquit, in nomine coronam victoriæ Stephanus : Stephanus, qui bellum, in quo se nemo exercuerat, hominum vitæ manifestavit : qui pugnam, quam nemo docuerat, mundo patefecit. Non erat hoc positum in more naturæ, et Stephanus adversus militiam incorpoream solus in acie stabat. Fides quippe feliciter ei certamina conficiebat ; spes incitabat ut ad finem usque depugnaret. Stephanus, plenus fide et fortitudine. Stephanus, qui mali auctorem captivum ostendit, qui generoso mentis arbitrio tropæum adversus ipsum erexit, qui dæmones ut lugerent, et homines ut choreas agerent, effecit : Stephanus primus martyrum tropænm tenens, pro Christo decertantium dux copiarum. Quisquis enim cœperit propter Christum pugnare, Stephanum doctorem nanciscitur : quisquis certamina martyrum aggressus fuerit, Stephanum imitatur. Stephanus primitiæ propter Christum decertantium, fundamentum propter ipsum morientium. Stephanus plenus fide et fortitudine. Undique munitus armis erat Christi miles, ex utraque parte loricatus erat pius imperator : plenus fide et fortitudine. Sufficiebant, inquit, hæc ad victoriam : poterant hæc tropæum acquirere. Fides enim ac fortitudo et mali auctorem vincebat, et Judæos perterrefaciebat. *Plenus fide et fortitudine faciebat signa et prodigia magna in populo.* Miraculorum turbam vir fortissimus edebat, portentorum magnam vim Christi miles operabatur : faciebat signa et prodigia in populo, tum claudis cursum largiens, tum paralyticis sanitatem effundens, ut pontifices ad invidiam concitaret : adeo Christi causa mortem oppetere desiderabat. Tum adversus ipsum hominum impiissimorum evocat pentapolim. *Surrexerunt* enim, inquit, *quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano* (*Act.* 6. 9). O quantam turbam improbitas congregavit ! o quantam invidia multitudinem convocavit ! Libertinos, Cyrenenses, Alexandrinos, et qui erant a Cilicia et Asia. Infinita, inquit, turba contra unum militem aciem instruxit ; innumerabiles copiæ adversus unum fortissimum bellatorem impetum fecerunt ; quinque civitatum viri in unum juvenem incurrerunt. O malitiam Judæorum insanabilem ! Ex ipso aspectu fortissimum bellatorem terrere voluerunt, ut multitudinis copia nervi debilitarentur. Deinde ordinem adhibent pugnæ sceleratissimi homines, atque initio quæstionum nodos sermonibus nectunt. *Surrexerunt*, inquit, *quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano.* Quid, inquiunt, adolescens, inconsiderate contumeliis Numen incessis ? quid meditatis verbis populo persuades ? quid miraculorum fallacia gentem dissipas ? Hic terminus quæstionum : Deusne est qui ex Maria natus est ? Creatorne est fabri filius ? nonne Bethleem castellum istius, et nutrix Nazaret fuit ? Deum confingis eum esse, qui in terris partu est editus ? qui propter tenuitatem in præsepio fasciis est obvolutus, qui Herodem fugit iratum, qui lavacro Jordanis ad emundationem est usus, qui fami subditus fuit et siti, qui fatigationem sensit et somnum ? qui captus est, nec aufugere valuit ? qui alapis cæsus est, neque seipsum est ultus ? qui suspensus est, nec descendere potuit ? qui exsecrandum et ignominiosum finem sortitus est ? Eum qui positus est in sepulcro, in cælo esse confingis ? qui mortalibus est æqualis, cum mortuorum esse prædicas vi-

(*a*) Collata cum Codice Regio 2342.

tam? Num igitur Deus ista pati sustinuisset? nonne solo mandato suo sese invadentes necasset? nonne imperans subito mortem intulisset? Aut ergo cessa ab hac impostura, aut parem tu quoque mortem excipe.

2. Talia quædam dicebant, dum cum Stephano disputarent. Tum Stephanus: Nonne prophetarum apud vos scripta servantur? nonne vos libros Veteris Testamenti pervolutatis? nonne invicem dicebatis: *Nos scimus quia Moysi loquutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit? nos Moysis discipuli sumus* (*Joan.* 9. 29. 28). Nonne Moyses dixit: *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus de fratribus vestris, tamquam me; ipsum audietis* (*Deut.* 18. 15)? nonne ante multos annos scripsit Michæas: *Et tu, Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux* (*Mich.* 5. 2)? nonne partum innuptæ prænuntiavit Isaias: *Ecce virgo in utero habebit* (*Isai.* 7. 14)? nonne adstitura in præsepio duo animalia prædixit Ambacum: *In medio duorum animalium cognosceris* (*Habac.* 3. 2)? nonne fugam in Ægyptum propter Herodem dixit Isaias: *Ecce Dominus venit super nubem levem in Ægyptum* (*Isai.* 19. 1)? nonne Jordanis aquarum fugam David præsignificavit: *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt* (*Psal.* 76. 17)? nonne molestiarum et laborum ejus eventum ante scripsit Isaias: *Ipse peccata nostra accepit et ægrotationes portavit* (*Isai.* 53. 4. *Matth.* 8. 17)? nonne clavorum violentiam David propheta prædixit: *Foderunt manus meas et pedes meos* (*Psal.* 21. 17)? nonne suspensionem in ligno Moyses ante prædicavit: Videbitis vitam vestram pendentem in ligno (*Deut.* 28. 66)? nonne sepulturam in monumento Jacob ante scripsit: Recumbens dormivit ut leo (*Gen.* 49. 9)? nonne resurrectionem David prænuntiavit: *Surge Deus, judica terram* (*Psal.* 81. 8. *et* 46. 6)? nonne quæ ad ascensionem spectant idem prædixit: *Ascendit Deus in jubilo?* Aut igitur in alio quopiam ostendite prophetias esse completas, aut tamquam Deum crucifixum adorate. Nam vos quidem, o stulti, Moysis prophetiam ignorantes, nudum vos hominem crucifigere putabatis: verum is qui ex vobis est, vel contra vos potius, vas electionis, Paulus clamat: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (1. *Cor.* 2. 8). De ipso redarguens vos princeps apostolorum dicebat: *Vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis: auctorem vero vitæ interfecistis* (*Act.* 3. 14. 15). Vestram hanc vocem cum multo ante novisset Isaias, dicebat: Væ iis qui dicunt amarum dulce, et dulce amarum (*Isai.* 5. 20). Cum igitur Stephanus ita dissereret, *Non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur.* Recteque dictum est illud, *Resistere.* Nam quia superius dixerat, *Surrexerunt quidam de synagoga*, hic dicit, *Non poterant resistere.* Itaque silentio lingua eorum compressa erat, sua omnes labia concludebant, sermonum sagittas inhibebant, verborum arcus compescebant, sub lingua lanceam improbitatis occultabant. *Non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur.* O res novas et inusitatas! quam recte scripsit Lucas! quam certo effecit, ut promissa Christi apparerent! Dixit enim Christus: *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri* (*Luc.* 21. 15). Recte igitur inquit: *Non poterant resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur.* Cui tandem sapientiæ? Christo qui in ipso loquebatur. Christum autem sapientiam esse, prodeat qui dicit Paulus: Christus Dei virtus, et Dei sapientia (1. *Cor.* 1. 24). Ipsum autem loqui in iis, qui se gratos præbent, ut scias, alio loco scribens aiebat: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? Et non poterant resistere sapientiæ* (2. *Cor.* 13. 3), hoc est, Christo. Quis enim resistet ei, et sustinebit? *Et non poterant resistere sapientiæ et Spiritui.* Cuinam spiritui? Paracleto, de quo in præcedentibus dicebat: *Stephanus autem plenus fide et fortitudine;* ac rursus, *Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei. Tunc* itaque *summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen et Deum* (*Act.* 7. 55. *et* 6. 11). Successit invidiæ falsum testimonium. *Summiserunt viros.* Pecunia mendacium coemerunt: Venite, aiebant, o venerabiles viri, rebus nostris studia vestra subministrate[1]: cogitatis nostris operam lingua vestra navet: consiliis nostris os vestrum inserviat. Novus enim Galilæi defensor exortus est: propugnator illius surrexit ac vindex. Deum in sepulcro jacentem colit: Creatorem sepulcro conclusum prædicat: eum qui positus est in monumento, in cælis esse confingit: eum cui milites illuserunt, autumat cum militia cælesti versari: eum qui ne seipsum quidem vindicare potuit, creaturæ judicem fore pollicetur. Hujus corpus Joseph in monumento reposuit: et hic eum a dextris Dei sedere confingit: cujus discipuli tamquam deceptorem ipsum negarunt, et hic ait fore ut omnis ei lingua confiteatur: de cruce descendere minime potuit, et hic ejus secundum adventum a cælis pollicetur: ei malefici conviciabantur, quod neque seipsum neque illos salvare posset, et hic contenta voce Salvatorem hunc mundi esse proclamat. An tale facinus umquam vidistis? an vero omnino tantæ dementiæ ac blasphemiæ verba audistis? Vos itaque prætextui operam navate, et celebrem apud eos, qui nunc vivunt, gloriam vobis comparabitis. Tum vero posteri calumniatorum, qui Nabuthem quondam oppresserunt, ejusmodi verbis sunt usi: audivimus eum loquentem verba blasphemiæ in Moysen et Deum. Adversus ipsum, inquiunt, legislatorem ausus est dicere: denuntiabat ille nobis dicens: *Attendite, popule meus, legem meam* (*Psal.* 77. 1): et hic clamat fore, ut traditiones mutet Jesus: quas tradidit nobis Moyses. In Moysen apud universam gentem venerabilem blasphemavit: in eum qui in auxilium sibi creaturam omnem adscivit, qui a gravi servitute gentem liberavit, qui virga maris undas in murum convertit, qui oratione copias Ægyptiorum in profundum demersit, qui oratione cælestem de nocte columnam accendit, qui cælestem panem nullaque agriculturæ ope confectum comparavit, qui virga fluenta ex sterili saxo hausit. *In Moysen.* Quid autem de hoc, *In Moysen*, sermonem protraho? *Et in Deum.* In ipsum cælum tela jacit; adversus ipsum Conditorem linguam extendit: mortuum Deo Creatorique oppositum prædicat. *In Moysen et in Deum. Commoverunt itaque plebem, et seniores, et scribas: et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium* (*Act.* 6. 12). Populum in iram concitarunt, et eum rapuerunt: ovem rapuerunt feræ, et adduxerunt in concilium hypocrisis atque invidiæ plenum, a veritate alienum, et expers æquitatis: et adduxerunt eum in concilium, de quo Jeremias multo ante clamavit: *Non sedi in concilio ipsorum vanitatis* (a) (*Jer.* 15. 17). *Et statuerunt falsos testes dicentes: Homo iste non cessat loqui verba blasphemiæ adversus locum sanctum, et legem* (*Act.* 6. 13). Templum, inquiunt, locum istum non erubuit afficere contumeliis, ubi eloquia divina recitantur, ubi prophetarum scripta buccinantur, ubi tabulæ ac manna cæleste, ubi arca et virga Aaronis, ubi canities pontificum, et dignitas seniorum, honorque scribarum: sed ludibrium existimat locum: templum vile esse pronuntiat. Neque contra locum tantum verba facere, sed et contra legem est ausus. Umbram esse legem fingit: figuram Vetus Testamentum esse audacter prædicat: Galilæum dicit Moyse esse majorem, Mariæ filium legislatore prædicat potentiorem: non seniorum est reveritus dignitatem, non scribarum turbas

[1] Reg. habet.... *O venerabiles viri, verbis nostris aures vestras præbete; rebus nostris..... subministrate.*

(a) Hic versiculus desumitur ex Psal. 25, v. 5, ubi legitur *non sedi cum concilio vanitatis.* In Jeremia vero 15, 17, sic legitur, *non sedi in concilio ludentium.*

reformidarit, sed blasphemiam in locum legemque jactavit.

3. Ac verborum ejus specimen istud cognoscite. *Audivimus enim eum dicentem, quoniam Jesus Nazarenus destruet locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses* (*Act.* 6. 14). Mortuum nobis iterum comminatur, defunctum Dominum nobis denuntiat. Jesus Nazarenus resurget, ac locum istum destruet. Spectris delusus est hic adolescens: celebris templi amœnitatem ignorat: latent eum labores eorum quæ in ipso perfecta sunt. Hanc domum sapientia Salomonis descripsit: cælestem gratiam auxiliatricem habuit sapiens: multas difficultates in hujus operis constructione toleravit: atque octoginta quidem millia lapides in monte cædebant, septuaginta vero millia ligna scindebant, triginta millia lapides attrahebant, ter mille sexcenti operi præsidebant: liberalem et magnificam in templum manum extendit, ac vix quadraginta et sex annorum spatio potuit opus perficere; et hic dicit fore ut Jesus Nazarenus locum destruat: neque hoc tantum, sed etiam ut mutet traditiones quas tradidit nobis Moses. Fore ait ut sanctissimum ab illo sabbatum destruatur: circumcisionem legis eversum iri a Nazareno pronuntiavit: neomenias nostras ut viles rejiciendas affirmat: jucunditatem festi tabernaculorum Mariæ filium non admittere prædicat: minime accepta Deo sacrificia nostra esse contingit: aspersiones et solitas purgationes mortuum evertisse declarat. Quis porro exitum Nazareni non novit? ecquando autem mortuus viventes potest ulcisci? Isaias sectus est, nec uspiam qui exigeret pœnas, comparuit: Jeremias suffocatus est, et se non potuit vindicare: lapidibus e medio sublatus est Nabuthes, nec uspiam ultor istius exoritur. Zacharias mactatus est, et ad hunc usque diem impuniti permanemus; et Nazareni defuncti vindex iste consurgit. Mortuum nobis tamquam judicem comminatur: tamquam disceptatorem eum, qui sepulcro conditus est, seductor annuntiat. Postea vero cum isti sic falsas accusationes proferrent, intuentes eum omnes, qui sedebant in consilio, truculentos in eum oculos defigentes, ira repleta supercilia in eum vibrantes, ipso aspectu perterrefacere athletam conantes, in improbitate sua propheticum oraculum adimplentes: *Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum* (*Psal.* 36. 32): *Intuentes in eum omnes, viderunt faciem ejus tamquam faciem angeli* (*Act.* 6. 15). Gaudium quippe martyrii subeundi ante ex ore prosiliens, efficiebat ut angelicæ gratiæ ex adolescente splendor emicaret. Quare vero faciem angeli? Ut adimpleretur sermo Christi quem dixerat: *In resurrectione neque ducunt uxores, neque nubunt, sed sunt sicut angeli in cælis* (*Matth.* 22. 30). Ita refulserunt Moyses et Elias, dum in monte cum Jesu loquerentur, sic ut discipuli, cum eos vidissent, in faciem ceciderint (*Matth.* 17. 6): ita futurum est ut justi omnes in regno Patris effulgeant (*Id.* 13. 43). *Viderunt faciem ejus sicut faciem angeli* (*Act.* 6. 15). Dixit autem princeps sacerdotum: *Si hæc ita se habent* (*Act.* 7. 1)? O plenum hypocrisis sermonem! o verba fraude invidiaque velata! *Si hæc ita se habent?* Ausus es, inquit, o homo, ignominia legislatorem Moysen afficere? num alium quemdam deum Deo tamquam in acie opposuisti? num adversus locum sanctissimum es impudenter loquutus? num ex Deo datam legem irritam esse imaginatus es? num ea quæ Moysis sunt, Nazarenum immutaturum censuisti? Magnorum tibi malorum auctor es factus. Tum ad hæc protomartyr: *Viri fratres et patres, audite* (*Ibid.* v. 2). Omni ætati interim, inquit, honor cuique conveniens deferatur. *Viri fratres et patres, audite. Audite*, non dico Credite: novi siquidem vestræ mentis incredulitatem; sed, *Audite. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia.* Non in Jerusalem, non in illo celebri templo, sed, *In Mesopotamia*, ubi deditus idololatriæ locus erat, ubi regio impiorum cœtibus opprimebatur: in Mesopotamia, ubi sculptilibus cultus

exhibebatur, [illegible]
lapidibus [illegible]
inter spinas [illegible]
genuinum [illegible]
multarum [illegible]
gione Ausitide tanquam [illegible]
tanquam lilium inter [illegible]
tenebris ignorantiæ, [illegible]
turris in expugnatione [illegible]
signis ac notus erat, a terra [illegible]
nora adaugens, a profundo in [illegible]
emittens: unde fructum eorum [illegible]
et illum Noe post diluvium (*Odoratus* [illegible]
nus odorem suavitatis [*Gen.* 8. 21 [illegible]
monium dicebat: Ecce homo justus, [illegible]
Deum, abstinens ab omni malo, qui [illegible]
quæ sunt legis adimplet (*Job* 1. 1): [illegible]
insitam natura legem, scripta non indiget: [illegible]
Deo sunt a sæculo omnia opera ejus. Deinde ad Abraham dicit: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi* (*Gen.* 12. 1). *Exi de terra tua.* Cur, inquit, regio, cui multi sunt dii, genitorem detinet patrem? cur idololatriæ dedita patria progenitorem detinet gentis? *Exi de terra tua, et de cognatione tua.* Difficilia sunt, si conditionem humanam spectes, quæ patriarchæ imperantur. Patriam, inquit, derelinque: totum genus dimitte: terræ in qua natus es, renuntia: a patre et matre sejungere. Verum nihil horum patriarcham perturbavit: non secum ipse tamquam mortalis reputavit, Incerta, inquiens, mihi, qui apparuit, promittit: instabilia iste pollicetur. Ergone quæ sunt in manibus, derelinquam, et invisibilia consectabor? quæ ante pedes sunt, dimittam, et quæ incerta sunt, appetam? At nihil horum pater gentium cogitabat: sed jussus separationi est assensus: mandata accipiebat, et incerta quærere desiderabat: siquidem fides hanc in ipso cupiditatem accendebat. Nam cum ea, quæ promissa erant, perfecte intelligeret, vehementius, excessum e patria accelerabat. *Exi* enim, inquit, *de terra tua.* Ex femoribus tuis, ex te secundum carnem sum nasciturus. Nihil itaque tibi polliceor: solum enim sufficit, ut meus pater appelleris. *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* 1. 1). Deinde postquam ea quæ Abrahæ acciderunt, narravit, una scilicet audita Dei voce paruisse, illum vocanti, servitutem seminis ejus prædixisse, ac fore ut quadringentis annis in Ægypto servirent, et ex illa necessitate Dei dextera liberarentur, illique circumcisionis testamentum dedisse, subjicit deinde mirabilem Isaac partum, fuisseque ab ipso, prout imperatum erat, octavo die circumcisum. Commemorat præterea Jacob etiam generationem ex Isaac, et duodecim patriarcharum Jacob parentem esse factum. Commemorat et germanorum invidiam adversus Joseph, utque fuerit a fratribus venditus in Ægypto, et invenerit gratiam et sapientiam apud regem Ægypti, ac post servitutem dominus sapiensque sit factus. Commemorat etiam per universum pene orbem terrarum exortam esse famem, Chanaan propter inopiam cibariorum sua carissima pignora tradidisse, cum gloria seipsum Joseph germanis suis manifestasse, patriarcham Jacob in Ægyptum Joseph accersivisse, in septuaginta quinque animabus illuc Jacob descendisse, multiplicatum esse in immensum Israel in Ægypto, et alterum regem surrexisse, qui Joseph non noverat, eumque circumvenientem Israelis gentem afflixisse, ac masculos infantes expositos Nilo flumini tradidisse. Narrat autem Moysis quoque legislatoris ortum, utque fuerit a parentibus inclusus theca et projectus, utque sustulerit eum filia regis Pharaonis, utque omni Ægyptiorum sapientia fuerit eruditus, ac potens in verbis et operibus factus sit, utque post annum quadragesimum ad visitandam gentem ascenderit, et ut Israelitam injuriam patientem viderit, Ægyptiumque sit ultus, utque litigantibus Israelitis consuaserit amicitiam copulare, utque eum contumelia affecerit gentilis ipsius, quasi cædem pa-

trasset, utque propter hoc verbum in terram Madian fugerit, ibique duum liberorum pater sit factus, utque angelus ipsi in monte Sina apparuerit, et ignis ac rubi pacificam viderit amicitiam, vocemque divinam de cælo lapsam exaudierit, quodque tremefactus non ausus fuerit considerare miraculum, et jussus fuerit pedum suorum solvere calceamentum, ac locum in quo erat, terram esse sanctam audiverit, quod cum signis eduxerit populum ex Ægypto, et per mare Rubrum quasi per aridam Israelis copias imperator traduxerit. Commemorat autem et iniquorum idololatriam in monte, cum illi maris viatores numen vitulo assimilarunt, et ab Ægyptiis reportatas victorias idolo acceptas retulerunt. Commemorat ipsis et captivitatem gentis in Babylone, utque acceptus Deo fuerit David, quoniam invenit gratiam ante Deum, et Christi pater est nuncupatus. Commemorat et ædificatam domum a Salomone, Deumque in locis manufactis non diversari. Postquam igitur patrum historias ita percurrit, Spiritu sancto sibi in auxilium ascito, probris eos increpare deinceps aggreditur, aitque : Duri cervice, inflexibiles atque indomiti : nam quæ tandem ærumna collum vestrum inflexit : quæ calamitas vestram cervicem inclinavit? nonne Pharaoni quadringentos annos in Ægypto servistis? nonne octo vos annos Chusarsat, rex Syriæ, sub ditionem suam subjunxit? nonne octodecim annis subditi Moabitarum regno fuistis? nonne rursus annos viginti Chananæorum servitutis jugum tulistis? nonne iterum septem annis Madianitis paruistis? nonne rursus octodecim annis subacti ab Ammonitis fuistis? nonne Philistim annis quadraginta dicto audientes fuistis? nonne septuaginta Babyloniorum servitio mancipati fuistis? nonne Salmanazar ad incolendos montes vos transtulit Chaldæorum? neque vestras umquam mentes ulla calamitas immutavit? Duri cervice, quos Ægypti cophinus non edomuit, quos palearum onus non emolliit, quos conficiendorum laterum violenta necessitas non inflexit. Tum vero, auditis vocibus istis, *Ejicientes eum extra civitatem lapidabant* (*Act.* 7. 57). Ubi Regem crucifixerant, ibi lapidibus militem feriunt. *Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant*. At enim post lapidum etiam jactus athleta victoriam exspectabat, et ejusmodi vocibus Creatorem compellabat : *Domine Jesu, suscipe spiritum meum* (*Ibid.* v. 58). Domine Jesu, qui de sententia Patris passionem subiisti, qui Parentis consilio mortem sustinuisti, suscipe spiritum meum. Separa deinceps a corpore animam, incorpoream illam hinc transfer, suscipe spiritum meum omnigenis virtutibus redimitum, suscipe spiritum meum : *Cursum* etenim *consummavi, fidem servavi* (2. *Tim.* 4. 7) : propterea obsecro, suscipe spiritum meum. Quamdiu enim hoc sum mortali corpore circumseptus, pertimesco : quamdiu terrenam hanc gesto carnem, reformido, ne post labores fructus amittam : vereor admodum, ne post luctam corona privatus remaneam, ne præmia post agones amittam. *Suscipe igitur spiritum meum*. Lugeat deinceps diabolus, ut qui victoriam amiserit : lamentetur auctor malorum, ut qui contra mortalem superior non evaserit : ingemiscant incorporei, quoniam qui in corpore sunt, passiones irrident. *Suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magna : Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* 7. 59). Atque, ut cum intelligas cum affectu precari, non perfunctorie precatur stans et inclinatus, sed positis genibus, dixit cum compunctione ac dolore, cum multa compassione et affectu : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit*. Somnus enim justis est mors, et requies sapientibus obitus. Idcirco namque somnus mors est, ut tanquam ex sopore quodam in resurrectione expergefacti, bonis æternis perfruantur : quorum bonorum utinam participes fiamus nos omnes, gratia et intercessione Christi, per quem gloria Patri in Spiritu sancto paracleto, sicut a principio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD ORATIONEM IN ILLUD,

SUFFICIT TIBI GRATIA MEA, ETC.

Hanc ut et alias multas Chrysostomo nostro adscriptas orationes, Severiano adjudicat nuperus quidam. Sed etsi hic quisquis sit scriptor ferream, ut Severianus, eloquentiam præ se ferat, est tamen Severiano longe nugacior, et oratio tam inepta, ut meo judicio indigna sit quæ legatur. Quamobrem non sine fastidio interpretationem novam Latinam paravi, quia illa, quæ Jacobo Beurero auctore circumferebatur, paraphrasim sapiebat.

IN ILLUD : SUFFICIT TIBI GRATIA MEA : VIRTUS ENIM MEA IN INFIRMITATE PERFICITUR (2. *Cor.* 12. 9).

1. Cum Deus hunc mundum tanto, tam concinno ordine ab initio creavit, miracula miraculis addidit, non legi naturæ serviens, sed vi potestatis suæ omnia efformans. Verbi gratia : *In principio fecit Deus cælum et terram* (*Gen.* 1. 1). Vides ordinem et consequentiam? Primo tectum, deinde pavimentum. Nam, ut dixi, non legi naturæ, non arti subditus erat, sed ex potestate operabatur. Stabat tectum, et solum non apparebat : nam Opificis potestas totum continebat. Hæreticum interroga : Dic, quæso, mihi, quomodo tectum factum est, et solum non subjectum fuit? rationem mihi explica, dic modum. Sed siles, et ad fidem te recipis. Qua dignus es venia, dum circa mundana et terrena ad fidem te recipis, et divina cælestiaque curiose ac temere scrutaris? Fecit cælum et terram : fecit terram solum, et aquas subdidit. Vidisti fundamentum ædificii? Superior terra, inferiores aquæ. Atqui secus architecti faciunt : aquas exhauriunt, et tunc fundamentum jaciunt. Deus vero aquis fundamentum superposuit, ut ne fundamenti vim, sed Opificis potestatem mireris. Sed, ut dicebam, diligenter auscultate : nam philosophice loqui aggredior. Cum hunc mundum tam concinno ordine formatum fabricatus est, alia quidem omnia ex una substantia fecit. Quod si obscurus sermo sit, clariorem illum reddam, si attendatis. Alia quidem omnia ex una substantia fecit, tam quæ sursum, quam quæ deorsum sunt (nam et ille mundus, et hic mundus est); sed singula opera ex una substantia erant. Verbi causa : superna omnia incorporea, inferna omnia corpora sunt; superna intelligibilia, inferna sensibilia; superna invisibilia, inferna visibilia. Quæ inferna sunt, omnia sunt corpora, cælum, sol, luna, terra, mare, arbores, plantæ, boves, oves, equi : omnia visibilia et sensibilia : omnia tactui et aspectui subjiciuntur. Superna omnia invisibilia sunt et intelligibilia, angeli, archangeli, throni,

dominationes, principatus, potestates, virtutes, Cherubim et Seraphim. Neque illa visibilia, neque hæc invisibilia sunt : neque illa corpora, neque hæc incorporea : sed et hæc corpora, et illa incorporea sunt; omnia ex una substantia formata, et quæ deorsum, et quæ sursum sunt; alia quidem ex corporibus; alia ex incorporeis : alia corporea, alia incorporea. Solus homo ex duplici substantia factus est; alia præstantiore, alia deteriore, ex anima et corpore : illa enim, anima scilicet, est invisibilis et spiritualis; corpus vero sensibile et visibile est. Cur ergo hi duo mundi ex una substantia sunt facti, neque sursum corpora, neque deorsum incorporea sunt; solus autem homo ex incorporeo et ex corpore constat? Audite causam, et discite Opificis sapientiam. Quia enim duo mundi erant substantia distincti; alius incorporeus, alius corporeus, alius visibilis, alius invisibilis; alius spiritualis, nempe superior, alius sensibilis, inferior : ne diversitas operum diversos induceret opifices, et ne diceretur alium superna, alium inferna fecisse, animal duplex in mundo posuit, quod et superiorum et inferiorum creationem prædicaret. Duplex mundus est homo, qui superioribus affinem habet animam, et inferioribus corpus. Ligamen quodpiam et pons est, qui unum habet Creatorem, superiorum et inferiorum opificem : ac quemadmodum virgo, in medio corpore anima implexa est. Quia ergo duplex est substantia, et duplex ejus est usus. Attende diligenter huic sermoni : duplex ejus est usus. Est anima, est et corpus. Corpori cibum, animæ doctrinam præscripsit : alitur corpus pane, anima doctrina : corpus vestibus induitur anima virtute. *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*Psal.* 44. 10). Non de sensilibus vestibus loquitur Scriptura, sed de virtute. *Omnis enim gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis* (*Ibid.* v. 14). Quid ergo? Duplex est homo, duplex substantia; et opus habet anima ratione docente, intelligente, affectus depellente, vulnera curante. Ne itaque mensæ tantum sensibili attendamus, sed et spiritualem vobis apponamus, ex Pauli verbis vobis convivium parantes, ac tentoriorum opificem in medium adducentes, idiotam, indoctum, orbis doctorem, dæmonibus terribilem, morbos curantem, sursum deorsum currentem, qui in paradisum venit, qui in tertium cælum ascendit, qui in arte sua tantam habuit gratiam, qui ab arte sua non impediebatur, sed dum eam tractaret, operibus fulgebat. Illum in medium agamus : neque enim laudibus ejus possum satiari. Ejus pulchritudinem amo : neque enim illa corporea est, ut putrescat, sed spiritualis, quæ numquam marcescit. Corpus solutum est, et forma plus quam sol splendet. Sol sursum currit, Paulus in terra currit : ille sensilem lucem emittit, hic spiritualem in animas inducit : ille noctu occidit, hic noctu lucet. Hic reges cepit, et pietate replevit : cepit mulieres, et viris fortiores reddidit : cepit juvenes, et senibus prudentiores effecit utrumque sexum, quamlibet ætatem instituit, qui cultrum sutorium habebat, qui pelles consuebat; neque enim finem faciam artem ejus memorandi. Nympha illa ornata, regibus honoratior, divitibus ditior, militibus fortior, muris tutior, lyra est lingua, melle dulcior, mari altior, cælo sublimior, igne ferventior, ferro acutior : ille Dei gratia præditus, templum Dei, os Christi, lyra Spiritus, catechumenorum præco : fidelium magister, undique circumcursans, murus qui numquam delabitur, Epistolæ ejus et orbem vincunt et arcam.

2. Quemadmodum enim Noe, junctis asseribus arcam fecit : sic et Paulus scriptis epistolis arcam spiritualem struxit, illa meliorem. Illa namque bruta animalia recepit, et bruta servavit; hæc bruta recipit, et immutat. Verbi gratia, ingressus est in arcam illam lupus, et egressus est lupus, ingressus est in Pauli epistolas lupus, et egressus est ovis : ingressus est magus, et emendatus est : ingressus est consul, et melior est effectus. Illa quidem arca Noe servavit solum cum duobus aut tribus hominibus; hæc autem arca orbem quasi sagena cepit : hæc quotidie ubique navigat, et tabulæ ejus non dissolvuntur; neque enim pice, sed Spiritu unctæ sunt. Exiit ex illa Noe, et ipsa navigat; mortuus est Paulus, et arca vivit : quotidie hæc sagena capit, nec demergitur; habet enim gratiam Gubernatoris orbis se sustinentem. Quia ergo tales sunt epistolæ, tales tabulæ, tanta salus; age hic linguam expediamus, unum vobis dictum explicantes, totam homiliam ea in re insumamus. Talis enim est Scripturarum ubertas. Cum enim sedens audivi ipsum dicentem, se raptum esse usque ad tertium cælum, et audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui (2. *Cor.* 12. 4); ubi deinde pergit ille dicens, *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est stimulus carni meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet* (*Ibid.* v. 7) : metui ne quis simplicium auditorum hæc non intelligens offenderetur, et necesse duxi hoc dictum in medium proferre et tractare. Nam sic ignaro clarum erit, gnaro lucidius et facilius; gnarus in memoriam revocabit, ignarus docebitur. Nam multos ignaros audivi dicentes, Paulum traditum fuisse satanæ. Quid dicis, quæso te? Paulus traditus est, inquit, satanæ, ut caput ejus percuteret : dolorem capitis immisit ipsi diabolus. Quid hoc est? an doctorem orbis, paradisi civem, Christi templum, ut dixi, lyram Spiritus, vas electionis, eum qui orbem percurrerat, qui spinas peccatorum evulserat, qui semina pietatis injecerat, qui in terra currebat, qui in mari certabat, qui nocte et die in profundo maris fuerat, qui in carceribus coronabatur, qui in judicio tropæum erexerat, qui totum orbem percurrerat, insomnem illum, cujus vestes morbos fugabant, cujus vita mortem profligavit, hunccine diabolus subitum habuit? Atqui contra ipsum fecisse audio. Fornicatus erat quispiam apud Corinthios; id Paulo nuntiatum est : quid dicit? *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini congregatis vobis omnibus, et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu* (1. *Cor.* 5. 2-5). Cogita Pauli potestatem : fornicantem tradidit satanæ, ut illum satanas perculeret, ut hæc castigatio peccatum ejus expiaret. Nam quod ita factum sit, in epistola secunda dicit · *Confirmate in illum caritatem, ut non circumveniamur a satana* (2. *Cor.* 2. 8. 11). Tunc diabolo tradidisti, et dicis, *Ut non circumveniamur a satana?* Modum, inquit, non novit satanas. Tradidi cum oportuit, cum par est resumo : tradidi ipsum satanæ ut carnifici, ut saltem homo noster abstergeretur : recipiamus eum. Nam si amplius ipsum dimittamus, circumvenimur a satana : nullum enim modum novit satanas. Tradidi, ut seipsum emendaret : si dimittamus, occidet eum ut Judam. Ideo dicit : *Confirmate in illum caritatem, ut non circumveniamur a satana.* Quam pulchra dixit! Non ultra satanæ est; non enim in fornicatione, sed in pœnitentia degit : ne igitur ille quod meum est auferat. Cum illius esset, ipsi tradidi; ut quod illius erat, meum tandem fieret. O Pauli sapientiam! Per lupum ovem servavit : per piratam, naufragum nautam reduxit : per inimicum, militem in ordinem restituit : pro acerbo pharmaco, diaboli plaga utor. Si modo erudiat, ab illo decedam. Castiget ille, ut fornicator quid fecerit sentiat : cum peccatum et putredinem absterserit, cum vulnus curaverit, tum anima fortis apparebit. Non relinquo aurum in igne, ne labefactetur, ipsum extraho. Sapientis enim est nosse modum, quamdiu igni tradendum sit, et quando extrahendum. *Ut non circumveniamur a satana* (2. *Cor.* 2. 11). Non enim cogitata illius ignoramus. Qui ergo cogitata illius novit, tantam habet potestatem, ut illi et temporis et modi fines præscribat; temporis, cum rapit ab illo; modi, cum tradit eum satanæ in interitum carnis. Quia enim insatiabilis est bellua, quæ carnibus

nostris numquam potest expleri, ne ipsum aliquando interficeret, ideo dicit : *In interitum carnis*, ne animam ejus attingeret. Quod Deus circa Jobum dicit : Abi, percute carnem ejus, animam autem ejus ne attingas (*Job* 2. 6) : diaboloque terminos posuit Deus. Ita et servus Dei, ex ejus virtute Dominum imitatus, sententiam fert in illum, quam diabolus transilire non ausus est. Quod si fecisset, Paulum domuisset. Nam cum in carcere esset, ejusmodi quidpiam diabolus tentavit : quia enim carcer concussus, soluta vincula erant, experrectus carceris custos, gladium arripuit ut seipsum interficeret, impellente diabolo (*Act.* 16. 27). Cum pastor intus esset, ne servaretur ovis, venit lupus ut illam raperet. Verum pastor, etsi vinctus, ipsum detinuit dicens : *Nihil mali tibi facias.* O pastoris humanitatem ! Vinctus est, et vincientem se miseratur : suis relictis res illius curat. *Nihil mali tibi facias* (*Ibid. v.* 28). Fores vides apertas, sed ego benevolus sum domesticus : fores sunt apertæ, sed ego intus maneo, donec salutem tibi pariam, non exeo. Ideo ingressus sum, ut te ex catenis erutum, a peccatis liberem. Tu me vinxisti, ego te solvo. *Nihil mali tibi facias : omnes enim hic sumus.* Quid ergo? Lupus stabat interempturus, gladium impellens in custodem carceris pastor clamavit. Audivit lupus, dimisit ovem, mox abripiendam pastor cepit. *Quid faciam*, inquit, *ut salvus fiam* (*Ibid. v.* 30) ? Baptizare in nomine Christi. Papæ, quam facilis salus ! quam ineffabilis benignitas ! Custodem carceris vinctus servavit, carcerem fecit ecclesiam. Quandonam, inquit, baptizabor, ut salvus sim? Carcer non impedit, locus non officit : gratia est quæ loco opus non habet, nec opportunitate : sit ipse carcer ecclesia.

3. Quam artis suæ nusquam obliviscitur! sed ubique piscatur, in carcere, in mari, in insula, in continenti, in deserto, in orbe. Piscator enim, nisi mare viderit, retia non expandit. Quia vero Paulus piscator erat, non sensilis, sed spiritualis, et in navicula piscabatur, et in monte, in fontibus, in viis, in pratis, in fluminibus, nullusque locus arti officiebat. Sed, ut dicebam, licet multoties excurram, a quæstione non decedam. Quid ergo agitur? Qui tanta præditus erat potestate, ut diabolo imperaret, et terminos ipsi poneret, modumque præscriberet : hic diabolo traderetur? Annon audisti Christum dicentem, Calcate *Super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici* (*Luc.* 10. 19)? quid ergo significat illud, *Datus est stimulus carni meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet* (2. *Cor.* 12. 7)? Ignorantia multorum inde plerumque proficiscitur, quod verborum proprietatem, et sensum non noverint. Colaphizare quidam de percussione tantum capitis accipiunt : κολαφισμὸς autem dicitur afflictio, humiliatio. Inimicus ipsum colaphizavit, afflixit, humiliavit : neque enim de capite solum dicitur. Ipseque alibi eadem utitur voce. Nam cum idiota esset, ad exprimenda sensa sua, voce utitur assueta : *Usque in hanc horam esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur* (1. *Cor.* 4. 11), ærumnis afficimur ab inimicis, insidiis appetimur, impedimur, injuriis afficimur ; hoc est, colaphizamur, affligimur, flagellamur, gravia patimur, in carcerem conjicimur, abducimur, in exilium pellimur, fami objicimur. Has ærumnas omnes colaphismum et humiliationem vocavit. Animum adhibe, et ne prætercurras : hic interpretatione opus est. Quid ergo? Clare rem expendemus. Interpretationem, quam dixi, retine, dictis attende. Colaphismus humiliatio est ab inimicis invecta ; sive per carcerem, sive per abductionem, sive per judicium, sive per famem, sive quocumque alio modo. Quid ergo sibi vult illud ? *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est stimulus carni meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi : et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea ; nam virtus mea in infirmitate perficitur*. (2. *Cor.* 12. 7-9). Observa quis sit hic angelus satanæ. Non enim dixit, datus est mihi angelus satanas, sed, *Angelus satanæ*. Mos est in Scriptura quod jam sæpe dictum est, et nunc etiam dicetur : *Eadem* enim dicere *non piget, vobis autem tutum est* (*Philipp.* 3. 1) : doceo enim, nec eloquentiam ostento ; planto, nec simpliciter transeo ; non sum viator, sed semen jacio. Viator namque currit, ut iter conficiat : qui vero seminat, etiam fodit : granum conjicit, deinde terram sulcat, ut altius defodiat, ne semen non opertum, avibus pateat. Quod agricola in seminibus, hoc ego in sententiis facio. Ut enim in seminibus corvi sunt, sic in sententiis dæmones et diaboli, sæcularesque curæ. Idcirco illud contego, ne sæcularis cura diabolica id arripiat. Nam si obvium relinquam, diabolus abripit ; si profundius defodiam, conservatur. Non enim tempore opus est, sed voluntate ; non pluvia, sed ferventi animo. Ferventer audi, diligenter complectere, et nemo ipsum abripere poterit. Quinam ergo, quod jam dicebam, mos est Scripturæ ? Ut plerumque nomina ex moribus imponat, neque hominem ea appellatione donet, quam ab initio parentes statuerunt, sed ea, quam aut vitium aut virtus expetunt. Exempli causa : si quem viderit impudentem, canem vocat, non suo, sed vitii sui nomine ; si rapacem, lupum appellat, non parentum nomine, sed ex nequitia ; si alium viderit improbe agentem, hinc illi nomen indit. Sed ne id temere efferre videar, et ut dicti probationem afferam, testes vobis adducam. *Visio quam vidit Isaias filius Amos contra Judæam et contra Jerusalem* (*Isai.* 1. 1-4). Hic attendite, *Contra Judæam et Jerusalem. Audi cælum, et auribus percipe terra, quia Dominus loquutus est : Filios genui et exaltavi : ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus me non intellexit. Væ genti peccatrici !* Quibus hæc ? Judæis. Populus plenus peccatis. Eorum recenset iniquitates, peccata, pertinaciam, tyrannidem, supplicium. Initio dixit, *Contra Judæam, et contra Jerusalem* ; et postea dicit : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum* (*Ibid. v.* 10 - 13), attendite legi Dei, populus Gomorrhæ. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus ? Plenus sum holocaustis arietum : adipem agnorum, et sanguinem taurorum et hircorum nolo.* Si offeratis mihi similam, vanum thymiama, *Abominatio est mihi.* Neomenias vestras et sabbata odit anima mea. Quæ sabbata odit ? quas neomenias, quæ thymiamata, quos tauros, quas oves ? Nihil horum norant Sodomitæ : ante Moysen fuerant, ante Abraham, a Lotho erant, Sodomitæ perierant. Sodomitasne alloquitur adustos, exstinctos ? Hic loquitur, *Contra Judæam, et contra Jerusalem* : Sodomam aggreditur, sed jam pœnas dedit. Quem alloquitur ? Hæc sine consequentia dicuntur, nisi verborum significationem attendas ; sed si didiceris, consequentiam invenies. Neque enim Sodomitas alloquitur, sed Judæos, quos Sodomitas vocat. Quia mores eorum sectabantur, illis ob similia gesta hoc nomen imponit. Rursum alibi : *Canes muti* Judæi, *qui latrare non possunt* (*Isai.* 56. 10) ; non quod in canum naturam transissent, sed quod moribus canes imitarentur. Joannes solitudinis civis, excelsus animus, mens invicta, qui humi incedens cælestem fornicem attingebat, sterilis partus, qui mutam patris linguam solvit, vox muti ; qui in deserto clamabat, in matrice (matrix enim desertum erat, ut pote sterilis), duplex ille præco, contemptor puerorum, visibilia transcendens, Judæos adit, dixitque illis : *Serpentes genimina viperarum* (*Matth.* 23. 33. *et* 3. 7) ; non quod natura serpentes, sed quod animo dolosi essent. Alius iterum propheta : *Equi in feminas furentes facti sunt ; unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat* (*Jer.* 5. 8). An equos alloquitur ? Minime, sed lascivos et improbos homines. Ipse Christus Judæis : *Vos filii diaboli estis* (*Joan.* 8. 44). Num filii erant diaboli, et naturæ diabolicæ? Nequaquam, sed propositum ejus imitabantur, nomenque ejus acceperunt, quod ille sic explicat : *Vos filii diaboli estis, et desideria patris vestri vultis facere : ille*

homicida erat a principio. Hanc regulam tenete : impudentes, canes sunt; rapaces, lupi; subdoli, serpentes; versipelles, aspides; stupidi, asini; lascivi et impuri, equi emissarii; immundi, cornices : Sodomitæ sunt, qui illorum gesta et opera imitantur. Non natura mala, sed institutum corruptum est. Diligenter animadvertite, et observate nomina a moribus imposita, et appellationes ab instituto animi. Neque id in Scriptura tantum, sed etiam in vulgari usu. Si hodie mansuetum hominem videamus, dicimus, Ovis est homo ille; si impudentem quemdam, dicimus, Non homo, sed canis est; si dolosum, serpentem vocamus. Viden' hanc esse communem consuetudinis legem? Si videamus hominem sceleribus multis onustum, dicimus, Satanas; non quod sit satanas, neque natura ipsi affinis, sed proposito, quia pro viribus illum studet imitari. Nomina itaque ex moribus dantur. Cum ergo audis Paulum dicentem, *Datus est stimulus carni meæ angelus satanæ* (1. *Cor.* 12. 7); ne putes esse diabolum; sed eos qui diaboli facta æmulabantur, gentiles, Judæos, dæmonas : qualis dæmon angelus satanæ erat Alexander ærarius, qui multa ipsi mala exhibuerat. Angelus satanæ : satanæ enim opera faciebat (2. *Tim.* 4. 14). Quales erant ii, qui ipsum in carcerem conjecerunt, qui flagellarunt. Homines ergo angelos satanæ dicit, qui satanæ opera edebant, qui evangelium præcidebant, qui prædicationem impediebant, qui ipsum flagellabant, qui pellebant. Attende : tota difficultas soluta est.

4. Animum diligenter adhibete, ut sciatis eum qui loquebatur laborasse, et Paulum humana passum esse. Postquam enim Christus ascenderat, et prædicationem legationemque præclaram ipsis tradiderat. Nam Christus legatus a Patre venit ad nos, missus ut pacem nobis annuntiaret. Bellum enim erat inter homines et Deum; misitque legatum, non servum, sed Filium. O curam providentiamque legati! o benignitatem mittentis! Cum audis mittentem et missum, ne mutationem loci putes, sed incarnationis œconomiam cogita. Etiamsi enim nobiscum esset, etiam apud Patrem erat. Et Paulus ait : *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos : reconciliamini Deo* (2. *Cor.* 5. 20). Pro Christo legatione fungeris? Sane quidem. Et ubi legatus est? Abiit. Quo abiit? Ad Patrem. Quare? Res stupendas observa. In humanis negotiis cum gens genti legationem mittit, legatus ex legationis lege, securitate fruitur; si quid legatus patiatur, magnum inter gentes illas bellum movetur. Contra vero apud Deum. Venit a Patre ad homines Legatus : occisus est, tuncque statuta pax fuit. Verum Legati dona ferunt et dona recipiunt. Quid ergo? quod donum attulit mihi, et quod donum stupendum? Ut stupendus est Legatus, ita stupendum donum. Sanguinem suum venit donum afferens, et corpus suum perinde venit afferens donum. Ecquod a me donum accepit? Fidem. Ecquis mihi fidei gratiam dedit? Credidi ego, ille gratiam dedit, inimicitia soluta est. Viden' rerum facilitatem? viden' reconciliationis celeritatem? Legatus cum ad gentem venerit, non dignatur forensem vel pauperem alloqui; sed statim ad regem ingreditur. Hic Legatus venit, et statim meretricem alloquutus est, latronem, magum, publicanum. Viden' Legati humanitatem? Non ad unum aut alterum venit, sed ad communem naturam; venitque meo indutus vestimento; ne si cum nuda divinitate venisset, prædam abigeret. Sed venit ad hominem ut homo. Ubi ergo venit, primitias nostras evexit, et vocatis apostolis, legationem ipsis tradidit : Legationem accipite. Quomodo, quæso, possumus? *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* 20. 22). Tu occisus es, nobis vero quid patiendum est? *Accipite Spiritum sanctum*, et, *Ego vobiscum sum* (*Matth.* 28. 20) : vobiscum, quia legatione fungor; neque enim vos reliqui. Cum ergo ascenderit, et legationem ipsis tradiderit, quid miraris si ipse rex et Pater legatione fungatur? *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos* [illegible] liis est affectus, [illegible] *Deo.* O benignitatem [illegible] igitur ascendit, legationem apo[illegible] res eversæ essent, [illegible] pietas tyrannidem exer[illegible] aræ incenderentur, [illegible] funderetur, natura calcaretur, [illegible] tur, leges et statuta nova [illegible] filios dæmonibus immolarent, [illegible] lebritates essent; rhetorum [illegible] cœtus, dæmonum debacchationes, [illegible] gladii acuti, ubique præcipitia et scopuli, [illegible] suetudo prævaleret, patrum dolores, [illegible] pietas, in via voluptatis incedens, leges regum [illegible] ruptæ essent; ac servi et heri, principes et privati, divites et pauperes, omnes impietate circumvexi essent, multis instructi machinamentis : tunc apostoli duodecim erant, imo undecim; unus enim a fera captus fuerat : undecim igitur erant. Paulus ergo, non eloquentia instructus, non pecuniis, non acuta lingua, non patriæ celebritate, non generis claritate, non corporis robore, nudus, solus, magis mutus quam pisces, ignobilis, idiota, inductus, circuibat per orbem semina pietatis jaciens, et omnes ipsi adversabantur; alius invadebat illum et flagellabat, alius apprehensum in carcerem trahebat, alius captum in sartaginem conjiciebat, alius offendebat : Innumera bella : *Foris pugnæ, intus timores. Ministri Christi sunt* (2. *Cor.* 7. 5)! *Ut minus sapiens dico, Plus ego : in laboribus abundantius, in plagis supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui; in itineribus sæpe; periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus : in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (2. *Cor.* 11. 23-29)? Frater cadebat, ille dolebat : inimicus insidiabatur, ille patiebatur. *Scis hoc, quod aversati sunt me omnes, qui sunt in Asia* (2. *Tim.* 1. 15). Rursum : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec efformetur Christus in vobis* (*Gal.* 4. 19). Quomodo sufficere poterat iis quæ foris, iis quæ intus erant, verberibus, doloribus, mari, periculis, carceribus, abductionibus, sartaginibus, insidiis, populis, regibus, domesticis, alienis, falsis fratribus insidiantibus, fratribus infirmis, alienis abscedentibus, familiaribus, supplantatis? quomodo corpus, quomodo anima sufficere poterat? Catenis constringebatur, in carcere habitabat, epistolas scribebat, hinc ejiciebatur, illic insidiis appetebatur, hinc angeli satanæ, illinc angelus satan : multi angeli satanæ, hi in carcerem, illi in tribunalia trahebant. Non sufficiebat illis, peribat, anima cruciabatur. Canes non videbat, et mordebatur, insidiis undique appetebatur. Ad Deum accedit dicitque : Rogo te, paulum respirem : quomodo his sufficiam? Angelus satanæ pellit me, inimici, insidiatores, gentiles, Judæi, falsi fratres, infirmi fratres : parturio et abortum faciam : non gigno, et alii insidiantur; hodie in carcere, cras in mari, deinde in pelago, in fame, in siti, in nuditate, in sartaginibus, in caminis, in itineribus. Quomodo iis sufficiam? Una est anima, unum corpus. Rogo te, me tuere, ne colaphis cædar. Nihil illi Deus respondit. Ad illum denuo accedit : Dimitte me, quæso, paulum respirem : homo sum unus, et orbem mihi commisisti : homo sum unus, et ab omnibus undique telis obruor. Accedit iterum ad ipsum, et ait : Rogo te, tuere me, ne colaphizer. Nihil ipsi Deus respondit : Accessit denuo ad eum, fastidio affectus velut athleta quidam sexcentis objectus aliis, qui ipsum mordeant et caput ejus

tundant. Secundæ precationi nihil respondit. Accessit tertio, et tunc respondit.

5. Cur distulit? Ut discas, non statim esse recedendum; ut discas, si quid petas quod non prosit, et contrarium accipias, non ægre ferendum esse. Petis sæpe id quod profuturum putas, nec prodest. Deus non lacrymas attendit, sed ea quæ mala sunt. Puer namque sæpe panem a matre petit : at si quid noxam afferens petat, non dat illa, nec dolentem curat, sed utilitatem respicit. Febricitans quoque medico sæpe molestus est, ut frigidam potionem det, neque ille concedit : neque enim præsenti noxiæ cupiditati attendit, sed futuræ valetudini studet. Ita et Paulus id quod utile esset petere nesciebat. Qua ergo venia digni sumus? Siquidem animum despondens, accessit ad illum dicens : Paululum respirem, a periculis liberer, paululum mihi quietis concede : solus sum, et mihi totum orbem commisisti. Primo accessit ad eum, et nihil respondit : secundo et tertio accessit : *Propter quod ter Dominum rogavi* (2. *Cor.* 12. 8). Quare? Ut abscederet a me angelus satanæ, id est, adversarii. Cur ita? Ut sine labore prædicem, ut ne insidiatorem habeam, ne inimicus adsit, ne verbera, ne pericula, ne carceres, ne abductiones, ne nuditas. Ideo accedo, hoc rogo. Laboravi, sudavi, miseriis affectus sum, undique ejectus. Quid, quæso, respondet illi Deus? Non annuit petitioni, non dedit id quod petebat; sed dixit ei : *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur* (*Ibid. v.* 9). *Sufficit tibi gratia mea.* Vides quæ pateris, non vides quæ facis : quæ contra te inimici faciunt vides, quæ ego in te facio non vides. Illi te flagellant, ego do gratiam. Intrastine in carcerem, annon intrasti? Intravi, et te rogo. Vidisti illic angelum satanæ, necne? Vidi eum, qui me illo conjiciebat. Vinxit te, an non vinxit? quid ego feci? annon muros concussi? annon fores aperui? annon vincula solvi? annon custodem carceris captivum tibi tradidi? num te læsit angelus satanæ? annon gratia mea tibi profuit? annon miraculum illud te splendidiorem reddidit? *Sufficit tibi gratia mea.* Et hæc et illa quæris? Non vis flagella, cur quæris signa? non vis pericula, cur quæris miracula? Cum flagellaris, vides; cum mortuum suscitas, non vides? cum vestimenta tua scissa sunt, vidisti; cum verba tua morbos fugarunt, non vidisti? cum vinctus in judicium veniebas, vidisti; cum Festus (*a*) dixit tibi, *In modico suades me Christianum fieri* (*Act.* 26. 28), non vidisti? *Sufficit tibi gratia mea.* Magnum cepisti telum, Spiritus virtutem, quæ vincit insidias, teque splendidiorem reddit. Quid vis? nihilne pati? Et quomodo virtus mea ostenderetur? Ostenderetur quidem, sed non ut nunc ostenditur. Quo pacto? Quia enim Paulus dolens dicebat : Væ mihi, regni præco sum, Christi discipulus, res immortales prædico; et flagellor, contumeliis afficior, abducor : ne propterea animo deficias, hæc te splendidiorem reddunt : nisi hæc patereris, non ita conspicuus esses. In carcerem intrasti. Nisi vinctus fuisses, et si tantum ingressus esses, te ille detinuisset, et eduxisset : jam vero cum vinctus esses, te vinctum solvit. Pedes ligno detenti erant, et gratia muros concussit. Hæc dico ne quis de insidiis contra nos structis obstupescat. Hæc dicimus, non Paulo nos exæquantes (neque enim adeo stulti sumus), sed ut ostendamus, Deum humilibus hoc ipsum inferre. *Sufficit tibi gratia mea.* Non ejecti sumus. Ubi gratia? Ubi sexcenti inimici insidias struxerunt. Ubi illa gratia? Plures amatores fuerunt, qui me a vobis separari noluerunt. Ubi gratia? Etiam Judæos nobis addiderunt. *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur.* Ne ergo te moveant ærumnæ, quæ in evangelii sortem datæ sunt. *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur.* Quomodo flagellaris, et flagellantes submoves? insidiis appeteris, et insidiantes superas? *Nam virtus mea in infirmitate perficitur.* Quod ergo Paulus audivit, hoc tu vis? hoc tibi satis est? Ut flagellis cædar, dedecore et ignominia afficiar, hoc volo. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in persequutionibus* (2. *Cor.* 12. 10). O gratum servi animum! Accessit ad eum, petens liberari ab ærumnis : ut autem audivit Dominum non modo id nolle, sed etiam contrarium velle : Hoc ita tibi videtur, inquit, ut ego affligar; hoc volo, hac in re gratiam habeo. Non dixit tantum, Volo; sed, Hoc mihi placet, cupio, desidero flagellari, pelli, in angustiis esse. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in persequutionibus, in angustiis.* Quare? *Ut inhabitet in me virtus Christi*, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Non Festus, sed Agrippa rex hoc dicit in Actibus.

MONITUM

IN ORATIONEM SEQUENTEM.

Hanc homiliam, ut et alias bene multas Chrysostomo attributas, Severiani esse ex conjectura putavit quispiam. Verum hujusce, quisquis sit, scriptoris stylus a Severiani orandi genere longe alienus mihi videtur; non est enim ita salebrosus, non ita ferreus; non tam excurrit extra argumentum ut Severianus, estque scriptoris non imperiti.

Interpretationem Latinam Frontonis Ducæi aliquot in locis, ubi aliam ipse lectionem sequutus erat, emendavimus.

IN PARABOLAM DE FILIO PRODIGO (*a*). (*Luc.* 15. 11.)

1. Semper quidem, fratres, divinam benignitatem prædicare debemus : quippe qui ejus beneficio et vivamus et moveamur et simus (*Act.* 17. 28) : præsertim vero hoc tempore id a nobis fieri par est, cum ob communem utilitatem, tum ob beneficium eorum siderum quæ ex piscina exoritura sunt. Nam et hæc per ipsam effulgebunt, et nos per ipsam servati sumus ac servamur : quæ quidem nobis hereditatis loco data est a Creatore et parente nostro Deo. Age ergo, dicamus de ea quæ Christus Dominus dixit, benignus Filius benigni Patris, qui solus idoneus enarrator est paternæ naturæ : explicemus totam prodigi parabolam, ut ex ea discamus, quomodo ad eum accedendum sit, qui est inaccessibilis, et delictorum venia petenda. *Homo quidam habuit duos filios* (*Luc.* 15. 11). Parabolæ in modum, non quasi dogmata proponens, disserit Salvator. Propterea de Patre suo tamquam de homine quodam verba facit, et de servis velut de filiis loquitur, ut Dei in homines paternum amorem significet. *Homo quidam*, inquit, *habuit duos filios.* Quis hic homo est? *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis* (2. *Cor.* 1. 3). Quosnam porro habuit duos filios? Justos scilicet et peccatores, eos qui divina ejus mandata servant, et qui Dominica transgrediuntur præcepta. *Et dixit adolescentior ex illis patri* (*Luc.* 15. 12). Quis hic est adolescentior filius? Qui mente fuit instabili præditus, et juventutis turbinibus

(*a*) Collata cum quatuor Mss. Regiis, quæ in multis variant; sed plerumque in vocibus rebusque levissimis.

agitatus. Patrem agnovit natura eum, qui se condiderat, licet honore non prosequuta sit voluntas libera Creatorem suum. *Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.* Recte petiit a Deo quæ Dei sunt, sed male quæ accepit, absumpsit. *Et divisit illis substantiam pater.* Dedit illis ut domum propriam mundum universum; dedit ipsis, ut Creator, creaturam omnem: ipsis corpora et animas ratione præditas largitus est, ut ratione quasi manu ducti nihil agerent contra rationem: proposuit ipsis legem suam, et naturalem et scriptam, quasi divinum pædagogum, ut ab ea instituti Legislatoris voluntatem adimplerent. *Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius* (ut adolescentiorem decebat, fecit) *profectus est peregre in regionem longinquam* (*Luc.* 15. 13). Discessit a Deo, et discessit ab eo Deus: non enim vim facit illi, qui nolit ipsi servire. Sunt enim arbitrii, non necessitatis, virtutes omnes. *Ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.* Ibi animæ divitias omnes perdidit; ibi delectans et deliciis perfruens naufragium fecit: ibi ludens et delusus pauper est factus: ibi corruptrices animæ voluptates mercatus, et risum emens, parentes lacrymarum accepit: ac virtutes quidem, quas habuit, abjecit; scelera autem, quæ non habuit, assumpsit. *Cum vero omnia consumpsisset* (non enim solent durare turpiter viventibus opes gratiæ), *facta est fames valida in regione illa* (*v.* 14). Ubi enim temperantiæ fruges non excoluntur, ibi fames valida: ubi continentiæ vitis plantata non est, ibi fames valida: ubi castitatis racemus in torculari non premitur, ibi fames valida: ubi mustum cæleste non abundat, ibi magna fames: ubi fertilitas malorum, ibi omnino sterilitas bonorum: ubi abundantia malarum actionum, ibi omnino raritas virtutum: ubi humanitatis oleum non scaturit, ibi fames valida. *Tunc ergo et ipse cœpit egere.* Nihil enim ei reliquum erat, nisi ea quæ intemperantiæ propria sunt mala, postquam omnia turpitudinis facinora commiserat. *Et profectus adhæsit uni civium regionis illius* (*v.* 15). Cives autem regionis illius erant dæmones, in qua profugus degebat. *Et misit eum in villam suam* civis ille, *ut pasceret porcos.* Sic enim honore afficiunt dæmones eos, qui se honore prosequuntur: sic amant eos, a quibus amantur: talia dona largiuntur illis qui sibi obediunt. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant* (*v.* 16). Quid autem hoc est, *De siliquis?* Siliquarum gustus dulcis est, sed tamen et asper simul et difficilis. Ejusmodi est et peccati natura; paululum quidem exhilarat, sed torquet plurimum: delectat ad tempus, et in æternum castigat. *In se autem reversus* (*v.* 17), apud se priorem felicitatem cogitans ac posteriorem hanc miseriam, sibique in memoriam revocans qualis esset, dum versaretur cum Deo et patre, qualis autem nunc sit, dum dæmonibus subjectus est: *In se* ergo *reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!* Quam multi nunc catechumeni sacris literis perfruuntur, ego autem fame divinorum oraculorum teneor! O quantis meipsum bonis privavi! o quantis me ipsum malis implicui! Cur enim a beato illo convictu secessi? cur me in hanc mortiferam vitam ingressi? Didici ex iis, quæ passus sum, Deum non derelinquere: didici eum semper tenere, qui se retinentes semper conservat: didici impuris dæmonibus non credere, qui omnem impuritatem et depravationem docent. Quid ergo ait? *Surgam, et ibo ad patrem meum* (*v.* 18). Revertar bene, unde discessi male: redibo ad patrem meum, Conditorem, Dominum, Curatorem, et Provisorem: et perveniam ad eum qui solet exspectare et prævenire eos qui se ad ipsum convertunt. *Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam illi: Pater, peccavi in cœlum et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis* (*v.* 19). Sufficiunt mihi ad salutem hæc verba, sufficit mihi ad obsecrationem patris mei nomen: etenim facere non potest pater meus, pater a me appellatus, quin se patrem operibus prodat: non potest non commovere viscera sua, qui misericors est: non potest, cum audierit, *Peccavi*, non veniam dare delictis meis: non potest, cum vocem meam exaudierit, juxtæ iræ suæ non oblivisci. Scio quantum apud eum valeat pœnitentia, scio quantum possint apud eum lacrymæ: scio quo pacto quisque peccator ad ipsum conversus, et flens amare, ut Petrus, peccatorum obtineat remissionem: novi Dei mei bonitatem: novi patris mei benignitatem. Miserebitur mei pœnitentis, quem non punivit peccantem.

2. *Et cum surrexisset, venit ad patrem suum* (*v.* 20). Præclaro consilio præclaram adjunxit actionem. Nos enim oportet non modo de rebus profuturis deliberationem instituere, sed et affectus probos actionibus indicare. Cum autem ille adhuc longe distaret loco, animo autem prope esset, et manibus continuo pectus suum rumperet ac percuteret, utpote quod pravarum cogitationum esset officina, et vultum terræ affigeret, atque ab oculis suis lacrymarum posceret stillas comites ad intercedendum, et excusationem meditaretur: prius exclamavit voce magna, cum lacrymis dicens, *Pater, peccavi in cœlum et coram te* (*Luc.* 15. 21). Peccavi, sat scio, Christe Domine et Deus; peccata mea tu solus nosti; peccavi, miserere, ut Deus et Dominus. Non sum dignus ut in cælum intuear, et te deprecer optimum Dominum meum, utpote qui maximis et gravissimis peccatis scateam: numerari non possunt peccata mea. Miserere, cum bonus sis semper Deus, *Quoniam dignus non sum vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis* (*v.* 19). Sic ex intimo pectore deprecantem vidit, qui delinquentes videt, et in peccatorum sceleribus connivet, eorumque pœnitentiam exspectat: vidit eum pater ejus, et miseratione ductus est: Pater quippe erat bonitate, licet Deus esset natura. *Et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum* (*v.* 20). Non exspectavit, ut, qui offenderat, prope accederet, sed ipse illi propere occurrit: neque ejus collum detestatus est, ut sordibus incontinentiæ compunctum, atque fœdatum; sed impollutis manibus suis eum complexus, deosculatus est, quem olim desideraverat, ita ut exsatiari non posset. O ineffabilem simul et tremendam misericordiam! o incredibilem humanitatem! o stupenda pacta! o mirabilem reconciliationem! Inflexit continuo Deum, vel uno momento, ad id, ut tum lacrymis cederet, tum tantam delictorum multitudinem præteriret. Num miratus es, cum videres Deum peccatori blandiri? O ingentem amorem viscerum paternorum! Peccator in terris lacrymas fudit, et qui solus est peccati expers, de cælis seipsum ad humanitatem inclinavit. Quis umquam vidit peccatorem, cui adularetur Deus? quis umquam vidit judicem officiose colentem reum? quis umquam ullum vidit adulari damnato? Verumtamen obtestatur Deus, ut olim Israelem. *Populi meus*, inquit, quam injuriam tibi intuli, *aut quid molestus fui tibi* (*Mich.* 6. 3)? Nunc etiam eadem fiunt, et facta sunt, quandoquidem ita vult placatu facilis Deus, ita solet a seipso vinci pater misericordiarum et Deus totius consolationis. Neque vero his contentus fuit prodigus ille filius, sed in iis bonis quæ ad pœnitentiam pertinent, prodigus fuit. Non enim sufficere sibi tantam humanitatem in tanta multitudine peccatorum arbitratus est, ad perfectam salutem obtinendam; sed, quæ patri dicere meditatus erat antea, ea et præsens convenienti habitu compositus dixit: Pater, si quidem omnino licet patrem te appellare, nisi forte et in hoc præter alia mea delicta pecco, dum te patrem voco; nisi nomen illud contumelia afficio, quod extra omnem contumeliæ aleam positum est; nisi labia mea conscientia claudit; nisi conditio morum linguam meam devincit; nisi orationem impedit anteacta vita: suscipe, pater sancte, pollutam deprecationem ab ore polluto. Pater secundum gratiam, et conditor secundum naturam, *Peccavi in cœlum et coram te, et non sum dignus vocari filius tuus.* Peccavi

confiteor peccata mea, non occulto quæ cernis, non nego quæ scis; ut reus abjectus jaceo, ut iniquus condemnor, ut judex miserere mei. *Peccavi in cœlum et coram te.* Vereor oculos meos ad cælum convertere. Etenim firmamenti speciem ut accusatoris vocem reformido: vereor in luce deitatis figere obtutum, cum mentis oculos habeam sordidatos. *Peccavi in cœlum et coram te, nec jam sum dignus vocari filius tuus.* Ecce meipsum prodo, meipsum condemno, sententiam in meipsum pronuntio. Non est opus mihi judice ad pronuntiandam sententiam, non opus est accusatoribus ad convincendum reum, non opus est testibus ad tabulas confirmandas. Intus habeo præsidentem conscientiam, judicem implacabilem in anima gero, ac forum formidabile: in conscientia testes circumfero, in oculis meis accusatores produco: theatra me accusant, in me circi clamant, in me spectacula eorum, qui cum bestiis pugnant, vociferantur: prodigalitas me traducit, me actiones, meæ infamia obruunt, me præsens nuditas manifestat; ipsi ignominiæ panni quibus amictus sum, me pudore suffundunt, et non sum dignus vocari filius tuus: *Fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* Ne me autem abigas ab aula tua, Domine, ut ne rursum me inventum hostis errantem velut captivum adducat: neque me prope tremendam ac mysticam mensam tuam sistas: non enim ausim apertis oculis intueri sancta sanctorum. Sine me cum catechumenis intra ecclesiæ fores consistere, ut contemplans quæ in ea perficiuntur mysteria, eorum sensim rursus particeps fieri concupiscam; ut divinis laticibus perfusus, turpium canticorum sordes in auribus meis residentes abstergam, ut cum tuas margaritas a piis viris abripi videro, manus et ipse dignas quæ tale munus accipiant, habere desiderem. Cum his eum invasisset prodigus, essetque cum lacrymis ita vociferatus, *Dixit pater ad servos suos* (*Luc.* 15. 22). Ad quosnam servos? Audi: ad sacerdotes et ministros mandatorum suorum. *Proferte cito stolam primam, induite illum.* Proferte stolam desuper textam, ab igne spirituali præparatam; proferte stolam in aquis piscinæ contextam; proferte stolam ex igne spiritali conflatam, et induite eum qui sese exuit: induite novum Adamum quem nudavit diabolus; induite regem creaturæ, ornate eum per quem mundum ornavi, condecorate filii mei membra carissima: non enim possum eum inornatum intueri, non fero ut imago mea nuda relinquatur: meum probrum censeo filii probrum, meam gloriam existimo hujus celebre nomen.

3. *Date etiam annulum in manum ejus:* ut Spiritus pignus gerat, et ipsum ferens custodiatur ab ipso Spiritu; ut meum sigillum circumferens, formidabilis omnibus hostibus adversariisque appareat; ut a longe, cujus patris iste sit filius, intelligatur. *Date etiam calceamenta in pedes ejus:* ne rursum nudatum reperiat serpens calcaneum ejus, eumque aculeo suo percutiat; sed ut ipse potius caput draconis conculcet, ut hostis conterat stimulos, et viam quæ secundum Deum est, percurrat. *Et adducite vitulum saginatum, et occidite* (v. 23). Quem tandem vitulum dicit saginatum? Quemnam? Quem juvenca Maria Virgo peperit. Proferte Vitulum indomitum, qui nondum peccati jugum sustinuit, virginem, et ex Virgine natum, qui sequitur eos qui sequuntur se, non ex necessitate, sed sponte; qui non utitur robore suo, neque cornibus, sed prompte cervicem inclinat iis, qui mactare ipsum volunt. Mactate itaque eum qui sponte mactatur; mactate eum, qui vivificat eos qui se mactant; occidite eum, qui occiditur, sed non moritur; occidite eum, qui membratim conciditur, et eos sanctificat, qui se concidunt; occidite eum, qui comeditur ab iis qui ipsum norunt, et numquam consumitur; occidite eum, qui comedentes beatos reddit. Et epulantes omnes lætemur, *Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari* (v. 24). Nostis spiritales delicias, qui eas degustatis et tremendis mysteriis initiati estis, dum ministri sacri officii, imitantes angelorum alas tenuibus suis lineis velis (*a*), quæ sinistris humeris insident, in ecclesia discurrunt, clamantque: Ne quis ex catechumenis, ne quis eorum qui non edunt, nullus ex exploratoribus, ne quis eorum qui non possunt intueri Vitulum qui comeditur, neve quis eorum qui spectare non possunt cælestem sanguinem, qui effunditur in remissionem peccatorum, ne quis indignus hostia vivente, ne quis non initiatus, ne quis eorum, qui non possunt impollutis labiis tremenda mysteria attingere: deinde subjunguntur voces angelorum collaudantium de cælis et dicentium. Sanctus Pater, qui voluit mactari Vitulum saginatum, qui peccatum non novit, ut propheta dixit Isaias: *Qui peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus* (*Isai.* 53. 9. 1. *Pet.* 2. 22). Sanctus est Filius simul et Vitulus qui semper occiditur sponte, qui semper vivit: sanctus Paracletus, Spiritus sanctus, qui sacrificium perficit. Hæc itaque dum intus agerentur, senior filius cum venisset, audivit a longe symphoniam, et choros (*Luc.* 15. 25); et cum ex pueris unum advocasset, interrogabat quid hoc esset: Aures meas verberat sonus quispiam. Ille autem inquit: David propheta intus concinit: *Tunc imponent super altare tuum vitulos* (*Ps.* 50. 21). Idem rursus eos, qui adsunt, ad epulas cohortatur, atque: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Ps.* 33. 9). Paulus divinarum rerum interpres proclamat, ac dicit: *Pascha nostrum immolatus est Christus* (1. *Cor.* 5. 7). Ecclesia festum agit, epulatur, et choreas ducit. Ille autem ait servo: hane est? dum ego foris sum, alii mysteria mea, me absente, dividunt? Sic est, inquit, quoniam frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum eum recepit. His auditis iratus est justus, neque ingredi voluit (*Luc.* 15. 28). Iratus est justus, et invidiæ factus est servus: qui delicias vitæ pedibus conculcaverat, ab invidia superatus est. Quomodo autem ait Paulus: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem* (*Rom.* 9. 3). Non ut invidum ostenderet esse justum, sed ut magnitudinem quamdam immensam innueret, ita orationem conformavit Salvator, ut immensas divitias bonitatis Patris sui declararet. Idque per ea, quæ consequuntur, indicat. *Pater* enim *egressus cœpit rogare illum.* O ineffabilem sapientiam! o religiosam providentiam! Et peccatoris est misertus, et justo est adulatus; et non permisit ut caderet is qui stabat, et eum qui ceciderat, excitavit: pauperem divitem effecit, neque divitem sivit invidia pauperem fieri. *At ille respondens dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, et numquam mandatum tuum præterivi, et numquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer* (*Luc.* 15. 29): sed circumeo in melotis, in pellibus caprinis, egens, angustiatus, afflictus (*Hebr.* 11. 37). Sed postquam filius tuus hic, qui contempsit, qui devoravit substantiam tuam cum meretricibus, venit, subito occidisti illi vitulum saginatum, et neque verbo ipsum castigasti, neque in speciem vultum ab ipso avertisti; sed continuo ipsum hospitio excepisti, et omnibus tuis vestimentis exornasti, aureo annulo splendidum reddidisti, calceamentis munivisti, ecclesiam aperuisti, mensam adornasti, crateras implevisti, vitulum occidisti saginatum, ad epulas fideles convocasti, angelos ad choreas impulisti, admirabile cæli terræque convivium convocasti. Tanta ergo munera in eum qui tuam bonitatem contempserat, quique nobilitatem tuam probris affecerat, contulisti. Quid dicam de tuarum miserationum pelago? quomodo tuæ benignitatis oceanum admirabor? Misereris omnium, Domine, quod omnia possis, et in hominum peccatis connives, ut ad pœnitentiam convertantur. *Pater autem dixit ipsi: Fili, tu semper mecum es* (*Luc.* 15. 31). Tu a meo sinu haud umquam sejunctus es; tu

(*a*) Alludit ad Diaconorum stolas.

ab Ecclesia mea numquam dissiluisti; tu psalmis semper et hymnis operam dedisti; tu cum angelis quovis tempore versaris; tu altari assistens cum fiducia clamas, *Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* 6. 9). Hic vero accessit ad me condemnatus, vultu pudore suffuso, et in terram inclinato, corde contrito ac voce tristi clamavit: *Pater peccavi in cœlum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Quid potuissem facere, auditis his vocibus? potuitne non misereri filii mei ad me accedentis? judica tu qui iratus es. Atqui non fert natura mea, cum humanus sim, ut inhumanum quid perpetrem; non possum non ejus misereri, quem procreavi, non possum non miseratione duci ejus, quem ex meis visceribus genui. *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.* Tuum est cælum, tuum firmamentum, sol laternarius tuus, luna ancilla tua, stellæ sunt faces tuæ, aer nutritius tuus, tuaque omnia quæ in aere versantur: tua est terra, et omnia quæ in ea sunt; tuum est mare, quæque in eo sunt cuncta; tuus mundus, ecclesia tua, tuum altare, tuus vitulus saginatus, tuum sacrificium, tui angeli, tui apostoli, tui martyres, tua præsentia, tua futura, tua resurrectio, tua immortalitas, tua incorruptio, tuum regnum cælorum, omnia quæ cernuntur oculis, quæque mente percipiuntur, sunt tua. Num tua abripui, et illi apposui? num te exui, et illum indui? nonne ex meis operibus misericordiam largitus sum? nonne pariter sum et tuus et illius pater? Et te honore afficio virtutis nomine, et illius me miseret propter insignem conversionem: te diligo propter vitam, et illum propter transmutationem: te propter conversationem, illum propter pœnitentiam: te propter longanimitatem, illum propter conversionem in me. *Epulari enim et gaudere te oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est* (*Luc.* 15. 32). Quis eum viderit mortuum excitatum ab inferis, non oblectatur? quis eum invenerit ea, quæ perdiderat, gaudio non effertur? Veni et tu, fili mi, oblectare nobiscum, exsulta cum angelis, complectere nobiscum fratrem tuum, et cum Davide psalle illud spiritale canticum, quod huic convenit festivitati: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum* (*Psal.* 31. 1. 2). Audistis divinam parabolum, et ejus scopum novistis, vimque perspexistis: quam benignum Dominum habeamus, quam patientem didicistis. Ad eum ergo cum puro corde confugiamus. Venite, communi voce ad eum clamemus: Here, Domine benigne, unigenite Dei Fili, peccavimus in cælum, et coram te, nec digni sumus qui filii tui vocemur, sed in miserationibus tuis confidimus, habemus obsidem tuæ benignitatis pretiosam crucem, quam nostra causa pertulisti: habemus fidejussorem tuæ misericordiæ illam olim meretricem, et illum quondam latronem: propter illos enim et nos peccatores omnes incitamur, ut ad humanitatem tuam recurramus. Ut illos celebres ac beatos reddidisti, sic etiam nostri, qui lapsi sumus, miserere: qui crucifixus mortuos suscitasti, nos quoque a peccato enecatos per humanitatem exsuscita, ut una perfruamur cum illis qui redempti sunt, et participes facti sunt, tua resurrectione. Hæc cum dixerimus, exspectemus, ut et nobis dicat Dominus noster Christus: *Secundum fidem vestram fiat vobis* (*Matth.* 9. 29). Vos vero qui baptismatis dono perfruituri estis, omnem alienam cogitationem abjicite, animasque vestras ad cælestem sponsum convertite: Spiritus sancti gratia perfruimini. *Dominus prope est, nihil solliciti sitis* (*Philipp.* 4. 5. 6). Etenim adstat pro foribus Redemptor, adest credentibus medicus, officina medici aperta est, parata sunt pharmaca, omnes exspectat piscina, gratia explicata est, spiritalis stola a Patre et Filio et Spiritu sancto pertexta est. Beati qui digni habiti fuerint, ut stolam ferant. Vos lucernas tantum fidei accendite, et oleum pietatis copiose infundite, ut de nocte cum audita vox fuerit dicens, *Ecce sponsus venit* (*Matth.* 25. 6), exeatis obviam illi cum splendidis lucernis, choreas ducentes, saltantes, et clamantes, *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Ibid.* 21. 9): ipsi gloria et potestas, nunc et semper, et in sæcula. Amen.

MONITUM

IN SEQUENTEM SERMONEM.

Hunc ut et alios quam plurimos sermones, qui Chrysostomi nomine circumferuntur, Severiano Gabalorum episcopo adscripsit nuperus scriptor. Nec satis perspicio cur omnia ejusdem farinæ opuscula ad unum Severianum referat. Multi certe erant Græculi qui sua Chrysostomi præmisso nomine publicabant. Hujus vero stylus non tam implicatus esse videtur, quam illarum orationum series, quas Severiani esse liquet Est autem prorsus ineptus, et flosculis ad nauseam usque redundans.

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

IN SALTATIONEM HERODIADIS, ET DECOLLATIONEM JOANNIS PRÆCURSORIS ET BAPTISTÆ (a).

1. Quemadmodum si quis amator solitudinis in aliquo saltibus referto loco sub arborum umbra consideat, et jucundo volucrum concentu, ac fluentis aquæ murmure placido delectetur, fieri nequit ullo modo, quin ejus animus sensusque omnis ad humanitatem traducatur, omnibusque sese affabilem præbeat: ita nos quoque superioribus diebus benignitate Spiritus commoti, de eleemosyna sermonem apud vos habebamus. Ubi vero stultitiam Herodis evangelium prædicavit, mulierumque petulantiam, convivium delirantium virorum, exsecrandam mensam, donum iniquum, opus injustum, et exequias corporis omni veneratione prosequendi, penitus immutatus sum. Motus enim fio, dilectissimi, cum meis observantur oculis præterita Herodis facta, vel potius vulnera, unde tam immania spectacula consequantur. *In illo*, inquit, *tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista, quem ego decollavi; ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo* (*Matth.* 14. 1). Confitetur cædem prophetæ, quam negare non potest, et, quem occidit, novit prophetam esse, virumque justum. Nisi enim nosset, haud illum diceret a mortuis surrexisse, ideoque virtutes operari in eo. O improbam conscientiam! in quali cæde testimonium in se dicit! o improbam conscientiam, quæ cum anima perversa usque ad mortem vivens illamque crucians, post mortem etiam implacabiliter torquet. Quam vero ob causam prophetam occidit? Quoniam præco veritatis erat, et injustam ejus actionem impedire sua reprehensione conten-

(a) Collata cum Codice Reg. 1971.

tam? Num igitur Deus ista pati sustinuisset? nonne solo mandato suo sese invadentes necasset? nonne imperans subito mortem intulisset? Aut ergo cessa ab hac impostura, aut parem tu quoque mortem excipe.

2. Talia quædam dicebant, dum cum Stephano disputarent. Tum Stephanus: Nonne prophetarum apud vos scripta servantur? nonne vos libros Veteris Testamenti pervolutatis? nonne invicem dicebatis: *Nos scimus quia Moysi loquutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit? nos Moysis discipuli sumus* (*Joan.* 9. 29. 28). Nonne Moyses dixit: *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus de fratribus vestris, tamquam me; ipsum audietis* (*Deut.* 18. 15)? nonne ante multos annos scripsit Michæas: *Et tu, Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux* (*Mich.* 5. 2)? nonne partum innuptæ prænuntiavit Isaias: *Ecce virgo in utero habebit* (*Isai.* 7. 14)? nonne adstitura in præsepio duo animalia prædixit Ambacum: *In medio duorum animalium cognosceris* (*Habac.* 3. 2)? nonne fugam in Ægyptum propter Herodem dixit Isaias: *Ecce Dominus venit super nubem levem in Ægyptum* (*Isai.* 19. 1)? nonne Jordanis aquarum fugam David præsignificavit: *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt* (*Psal.* 76. 17)? nonne molestiarum et laborum ejus eventum ante scripsit Isaias: *Ipse peccata nostra accepit et ægrotationes portavit* (*Isai.* 53. 4. *Matth.* 8. 17)? nonne clavorum violentiam David propheta prædixit: *Foderunt manus meas et pedes meos* (*Psal.* 21. 17)? nonne suspensionem in ligno Moyses ante prædicavit: Videbitis vitam vestram pendentem in ligno (*Deut.* 28. 66)? nonne sepulturam in monumento Jacob ante scripsit: Recumbens dormivit ut leo (*Gen.* 49. 9)? nonne resurrectionem David prænuntiavit: *Surge Deus, judica terram* (*Psal.* 81. 8. *et* 46. 6)? nonne quæ ad ascensionem spectant idem prædixit: *Ascendit Deus in jubilo?* Aut igitur in alio quopiam ostendite prophetias esse completas, aut tamquam Deum crucifixum adorate. Nam vos quidem, o stulti, Moysis prophetiam ignorantes, nudum vos hominem crucifigere putabatis: verum is qui ex vobis est, vel contra vos potius, vas electionis, Paulus clamat: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (1. *Cor.* 2. 8). De ipso redarguens vos princeps apostolorum dicebat: *Vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis: auctorem vero vitæ interfecistis* (*Act.* 3. 14. 15). Vestram hanc vocem cum multo ante novisset Isaias, dicebat: Væ iis qui dicunt amarum dulce, et dulce amarum (*Isai.* 5. 20). Cum igitur Stephanus ita dissereret, *Non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur*. Recteque dictum est illud, *Resistere*. Nam quia superius dixerat, *Surrexerunt quidam de synagoga*, hic dicit, *Non poterant resistere*. Itaque silentio lingua eorum compressa erat, sua omnes labia concludebant, sermonum sagittas inhibebant, verborum arcus compescebant, sub lingua lanceam improbitatis occultabant. *Non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur*. O res novas et insuitatas! quam recte scripsit Lucas! quam certo effecit, ut promissa Christi apparerent! Dixit enim Christus: *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri* (*Luc.* 21. 15). Recte igitur inquit: *Non poterant resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur*. Cui tandem sapientiæ? Christo qui in ipso loquebatur. Christum autem sapientiam esse, prodeat qui dicit Paulus: Christus Dei virtus, et Dei sapientia (1. *Cor.* 1. 24). Ipsum autem loqui in iis, qui se gratos præbent, ut scias, alio loco scribens aiebat: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? Et non poterant resistere sapientiæ* (2. *Cor.* 13. 3), hoc est, Christo. Quis enim resistet ei, et sustinebit? *Et non poterant resistere sapientiæ et Spiritui*. Cuinam spiritui? Paracleto, de quo in præcedentibus dicebat: *Stephanus autem plenus* fide *et fortitudine*; ac rursus, *Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei. Tunc* itaque *summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen et Deum* (*Act.* 7. 55. *et* 6. 11). Successit invidiæ falsum testimonium. *Summiserunt viros*. Pecunia mendacium coemerunt: Venite, aiebant, o venerabiles viri, rebus nostris studia vestra subministrate[1]: cogitatis nostris operam lingua vestra navet: consiliis nostris os vestrum inserviat. Novus enim Galilæi defensor exortus est: propugnator illius surrexit ac vindex. Deum in sepulcro jacentem colit: Creatorem sepulcro conclusum prædicat: eum qui positus est in monumento, in cælis esse confingit: eum cui milites illuserunt, autumat cum militia cælesti versari: eum qui ne seipsum quidem vindicare potuit, creaturæ judicem fore pollicetur. Hujus corpus Joseph in monumento reposuit: et hic eum a dextris Dei sedere confingit: cujus discipuli tamquam deceptorem ipsum negarunt, et hic ait fore ut omnis ei lingua confiteatur: de cruce descendere minime potuit, et hic ejus secundum adventum a cælis pollicetur: ei malefici conviciabantur, quod neque seipsum neque illos salvare posset, et hic contenta voce Salvatorem hunc mundi esse proclamat. An tale facinus umquam vidistis? an vero omnino tantæ dementiæ ac blasphemiæ verba audistis? Vos itaque prætextui operam navate, et celebrem apud eos, qui nunc vivunt, gloriam vobis comparabitis. Tum vero posteri calumniatorum, qui Nabuthem quondam oppresserunt, ejusmodi verbis sunt usi: audivimus eum loquentem verba blasphemiæ in Moysen et Deum. Adversus ipsum, inquiunt, legislatorem ausus est dicere: denuntiabat ille nobis dicens: *Attendite, popule meus, legem meam* (*Psal.* 77. 1): et hic clamat fore, ut traditiones mutet Jesus: quas tradidit nobis Moyses. In Moysen apud universam gentem venerabilem blasphemavit: in eum qui in auxilium sibi creaturam omnem adscivit, qui a gravi servitute gentem liberavit, qui virga maris undas in murum convertit, qui oratione copias Ægyptiorum in profundum demersit, qui oratione cælestem de nocte columnam accendit, qui cælestem panem nullaque agriculturæ ope confectum comparavit, qui virga fluenta ex sterili saxo hausit. *In Moysen*. Quid autem de hoc, *In Moysen*, sermonem protraho? *Et in Deum*. In ipsum cælum tela jacit; adversus ipsum Conditorem linguam extendit: mortuum Deo Creatorique oppositum prædicat. *In Moysen et in Deum. Commoverunt itaque plebem, et seniores, et scribas: et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium* (*Act.* 6. 12). Populum in iram concitarunt, et eum rapuerunt: ovem rapuerunt feræ, et adduxerunt in concilium hypocrisis atque invidiæ plenum, a veritate alienum, et expers æquitatis: et adduxerunt eum in concilium, de quo Jeremias multo ante clamavit: *Non sedi in concilio ipsorum vanitatis* (a) (*Jer.* 15. 17). *Et statuerunt falsos testes dicentes: Homo iste non cessat loqui verba blasphemiæ adversus locum sanctum, et legem* (*Act.* 6. 13). Templum, inquiunt, locum istum non erubuit afficere contumeliis, ubi eloquia divina recitantur, ubi prophetarum scripta buccinantur, ubi tabulæ ac manna cæleste, ubi arca et virga Aaronis, ubi canities pontificum, et dignitas seniorum, honorque scribarum: sed ludibrium existimat locum: templum vile esse pronuntiat. Neque contra locum tantum verba facere, sed et contra legem est ausus. Umbram esse legem fingit: figuram Vetus Testamentum esse audacter prædicat: Galilæum dicit Moyse esse majorem, Mariæ filium legislatore prædicat potentiorem: non seniorum est reveritus dignitatem, non scribarum turbas

[1] Reg. habet.... *O venerabiles viri, verbis nostris aures vestras præbete; rebus nostris..... subministrate.*

(a) Hic versiculus desumitur ex Psal. 25, v. 5, ubi legitur *non sedi cum concilio vanitatis*. In Jeremia vero 15, 17, sic legitur, *non sedi in concilio ludentium.*

reformidavit, sed blasphemiam in locum legemque jactavit.

3. Ac verborum ejus specimen istud cognoscite. *Audivimus enim eum dicentem, quoniam Jesus Nazarenus destruet locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses* (*Act.* 6. 14). Mortuum nobis iterum comminatur, defunctum Dominum nobis denuntiat. Jesus Nazarenus resurget, ac locum istum destruet. Spectris delusus est hic adolescens: celebris templi amœnitatem ignorat: latent eum labores eorum quæ in ipso perfecta sunt. Hanc domum sapientia Salomonis descripsit: cælestem gratiam auxiliatricem habuit sapiens: multas difficultates in hujus operis constructione toleravit: atque octoginta quidem millia lapides in monte cædebant, septuaginta vero millia ligna scindebant, triginta millia lapides attrahebant, ter mille sexcenti operi præsidebant: liberalem et magnificam in templum manum extendit, ac vix quadraginta et sex annorum spatio potuit opus perficere; et hic dicit fore ut Jesus Nazarenus locum destruat: neque hoc tantum, sed etiam ut mutet traditiones quas tradidit nobis Moses. Fore ait ut sanctissimum ab illo sabbatum destruatur: circumcisionem legis eversum iri a Nazareno pronuntiavit: neomenias nostras ut viles rejiciendas affirmat: jucunditatem festi tabernaculorum Mariæ filium non admittere prædicat: minime accepta Deo sacrificia nostra esse contingit: aspersiones et solitas purgationes mortuum evertisse declarat. Quis porro exitum Nazareni non novit? ecquando autem mortuus viventes potest ulcisci? Isaias sectus est, nec uspiam qui exigeret pœnas, comparuit: Jeremias suffocatus est, et se non potuit vindicare: lapidibus e medio sublatus est Nabuthes, nec uspiam ultor istius exoritur. Zacharias mactatus est, et ad hunc usque diem impuniti permanemus; et Nazareni defuncti vindex iste consurgit. Mortuum nobis tamquam judicem comminatur: tamquam disceptatorem eum, qui sepulcro conditus est, seductor annuntiat. Postea vero cum isti sic falsas accusationes proferrent, intuentes eum omnes, qui sedebant in consilio, truculentos in eum oculos defigentes, ira repleta supercilia in eum vibrantes, ipso aspectu perterrefacere athletam conantes, in improbitate sua propheticum oraculum adimplentes: *Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum* (*Psal.* 36. 32): *Intuentes in eum omnes, viderunt faciem ejus tamquam faciem angeli* (*Act.* 6. 15). Gaudium quippe martyrii subeundi ante ex ore prosiliens, efficiebat ut angelicæ gratiæ ex adolescente splendor emicaret. Quare vero faciem angeli? Ut adimpleretur sermo Christi quem dixerat: *In resurrectione neque ducunt uxores, neque nubunt, sed sunt sicut angeli in cælis* (*Matth.* 22. 30). Ita refulserunt Moyses et Elias, dum in monte cum Jesu loquerentur, sic ut discipuli, cum eos vidissent, in faciem ceciderint (*Matth.* 17. 6): ita futurum est ut justi omnes in regno Patris effulgeant (*Id.* 13. 43). *Viderunt faciem ejus sicut faciem angeli* (*Act.* 6. 15). Dixit autem princeps sacerdotum: *Si hæc ita se habent* (*Act.* 7. 1)? O plenum hypocrisis sermonem! o verba fraude invidiaque velata! *Si hæc ita se habent?* Ausus es, inquit, o homo, ignominia legislatorem Moysen afficere? num alium quemdam deum Deo tamquam in acie opposuisti? num adversus locum sanctissimum es impudenter loquutus? num ex Deo datam legem irritam esse imaginatus es? num ea quæ Moysis sunt, Nazarenum immutaturum censuisti? Magnorum tibi malorum auctor es factus. Tum ad hæc protomartyr: *Viri fratres et patres, audite* (*Ibid. v.* 2). Omni ætati interim, inquit, honor cuique conveniens deferatur. *Viri fratres et patres, audite. Audite*, non dico Credite: novi siquidem vestræ mentis incredulitatem; sed, *Audite. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia.* Non in Jerusalem, non in illo celebri templo, sed, *In Mesopotamia*, ubi deditus idololatriæ locus erat, ubi regio impiorum cœtibus opprimebatur: in Mesopotamia, ubi sculptilibus cultus exhibebatur, ubi sanctissimum Dei nomen lignis ac lapidibus indebatur, illic apparuit ei. Sciebat enim inter spinas rosas nasci, et in medio zizaniorum genuinum triticum germinare: quemadmodum ille multarum palmarum victor Jobus in luxuriosa regione Ausitide tamquam rosa inter spinas apparuit, tanquam lilium inter tribulos, tamquam lampas in tenebris ignorantiæ, virtutibus relucebat, et tamquam turris in expugnatione cunctis supernis virtutibus insignis ac notus erat, a terra in cælum præclara facinora adaugens, a profundo in sublime justitiæ fructus emittens: unde fructum eorum Deus odoratus, sicut et illum Noe post diluvium (*Odoratus* enim *est Dominus odorem suavitatis* [*Gen.* 8. 21]), famulo suo testimonium dicebat: Ecce homo justus, verax, colens Deum, abstinens ab omni malo, qui ante legem ea quæ sunt legis adimplet (*Job* 1. 1): cum enim habeat insitam natura legem, scripta non indiget: nota enim Deo sunt a sæculo omnia opera ejus. Deinde ad Abraham dicit: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi* (*Gen.* 12. 1). *Exi de terra tua.* Cur, inquit, regio, cui multi sunt dii, gentium detinet patrem? cur idololatriæ dedita patria progenitorem detinet gentis? *Exi de terra tua, et de cognatione tua.* Difficilia sunt, si conditionem humanam spectes, quæ patriarchæ imperantur. Patriam, inquit, derelinque: totum genus dimitte: terræ in qua natus es, renuntia: a patre et matre sejungere. Verum nihil horum patriarcham perturbavit: non secum ipse tamquam mortalis reputavit, Incerta, inquiens, mihi, qui apparuit, promittit: instabilia iste pollicetur. Ergone quæ sunt in manibus, derelinquam, et invisibilia consectabor? quæ ante pedes sunt, dimittam, et quæ incerta sunt, appetam? At nihil horum pater gentium cogitabat: sed jussus separationi est assensus: mandata accipiebat, et incerta quærere desiderabat: siquidem fides hanc in ipso cupiditatem accendebat. Nam cum ea, quæ promissa erant, perfecte intelligeret, vehementius, excessum e patria accelerabat. *Exi* enim, inquit, *de terra tua.* Ex femoribus tuis, ex te secundum carnem sum nasciturus. Nihil itaque tibi polliceor: solum enim sufficit, ut meus pater appelleris. *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* 1. 1). Deinde postquam ea quæ Abrahæ acciderunt, narravit, una scilicet audita Dei voce paruisse, illum vocanti, servitutem seminis ejus prædixisse, ac fore ut quadringentis annis in Ægypto servirent, et ex illa necessitate Dei dextera liberarentur, illique circumcisionis testamentum dedisse, subjicit deinde mirabilem Isaac partum, fuisseque ab ipso, prout imperatum erat, octavo die circumcisum. Commemorat præterea Jacob etiam generationem ex Isaac, et duodecim patriarcharum Jacob parentem esse factum. Commemorat et germanorum invidiam adversus Joseph, utque fuerit a fratribus venditus in Ægypto, et invenerit gratiam et sapientiam apud regem Ægypti, ac post servitutem dominus sapiensque sit factus. Commemorat etiam per universum pene orbem terrarum exortam esse famem, Chanaan propter inopiam cibariorum sua carissima pignora tradidisse, cum gloria seipsum Joseph germanis suis manifestasse, patriarcham Jacob in Ægyptum Joseph accersivisse, in septuaginta quinque animabus illuc Jacob descendisse, multiplicatum esse in immensum Israel in Ægypto, et alterum regem surrexisse, qui Joseph non noverat, eumque circumvenientem Israelis gentem afflixisse, ac masculos infantes expositos Nilo flumini tradidisse. Narrat autem Moysis quoque legislatoris ortum, utque fuerit a parentibus inclusus theca et projectus, utque sustulerit eum filia regis Pharaonis, utque omni Ægyptiorum sapientia fuerit eruditus, ac potens in verbis et operibus factus sit, utque post annum quadragesimum ad visitandam gentem ascenderit, et ut Israelitam injuriam patientem viderit, Ægyptiumque sit ultus, utque litigantibus Israelitis consuaserit amicitiam copulare, utque eum contumelia affecerit gentilis ipsius, quasi cædem pa-

trasset, utque propter hoc verbum in terram Madian fugerit, ibique duum liberorum pater sit factus, utque angelus ipsi in monte Sina apparuerit, et ignis ac rubi pacificam viderit amicitiam, vocemque divinam de cælo lapsam exaudierit, quodque tremefactus non ausus fuerit considerare miraculum, et jussus fuerit pedum suorum solvere calceamentum, ac locum in quo erat, terram esse sanctam audiverit, quod cum signis eduxerit populum ex Ægypto, et per mare Rubrum quasi per aridam Israelis copias imperator traduxerit. Commemorat autem et iniquorum idololatriam in monte, cum illi maris viatores numen vitulo assimilarunt, et ab Ægyptiis reportatas victorias idolo acceptas retulerunt. Commemorat ipsis et captivitatem gentis in Babylone, utque acceptus Deo fuerit David, quoniam invenit gratiam ante Deum, et Christi pater est nuncupatus. Commemorat et ædificatam domum a Salomone, Deumque in locis manufactis non diversari. Postquam igitur patrum historias ita percurrit, Spiritu sancto sibi in auxilium ascito, probris eos increpare deinceps aggreditur, aitque: Duri cervice, inflexibiles atque indomiti: nam quæ tandem ærumna collum vestrum inflexit: quæ calamitas vestram cervicem inclinavit? nonne Pharaoni quadringentos annos in Ægypto servistis? nonne octo vos annos Chusarsat, rex Syriæ, sub ditionem suam subjunxit? nonne octodecim annis subditi Moabitarum regno fuistis? nonne rursus annos viginti Chananæorum servitutis jugum tulistis? nonne iterum septem annis Madianitis paruistis? nonne rursus octodecim annis subacti ab Ammonitis fuistis? nonne Philistim annis quadraginta dicto audientes fuistis? nonne septuaginta Babyloniorum servitio mancipati fuistis? nonne Salmanazar ad incolendos montes vos transtulit Chaldæorum? neque vestras umquam mentes ulla calamitas immutavit? Duri cervice, quos Ægypti cophinus non edomuit, quos palearum onus non emolliit, quos conficiendorum laterum violenta necessitas non inflexit. Tum vero, auditis vocibus istis, *Ejicientes eum extra civitatem lapidabant* (*Act.* 7. 57). Ubi Regem crucifixerant, ibi lapidibus militem feriunt. *Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant.* At enim post lapidum etiam jactus athleta victoriam exspectabat, et ejusmodi vocibus Creatorem compellabat: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum* (*Ibid.* v. 58). Domine Jesu, qui de sententia Patris passionem subiisti, qui Parentis consilio mortem sustinuisti, suscipe spiritum meum. Separa deinceps a corpore animam, incorpoream illam hinc transfer, suscipe spiritum meum omnigenis virtutibus redimitum, suscipe spiritum meum: *Cursum* etenim *consummavi, fidem servavi* (2. *Tim.* 4. 7): propterea obsecro, suscipe spiritum meum. Quamdiu enim hoc sum mortali corpore circumseptus, pertimesco: quamdiu terrenam hanc gesto carnem, reformido, ne post labores fructus amittam: vereor admodum, ne post luctam corona privatus remaneam, ne præmia post agones amittam. *Suscipe* igitur *spiritum meum.* Lugeat deinceps diabolus, ut qui victoriam amiserit: lamentetur auctor malorum, ut qui contra mortalem superior non evaserit: ingemiscant incorporei, quoniam qui in corpore sunt, passiones irrident. *Suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* 7. 59). Atque, ut cum intelligas cum affectu precari, non perfunctorie precatur stans et inclinatus, sed positis genibus, dixit cum compunctione ac dolore, cum multa compassione et affectu: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit.* Somnus enim justis est mors, et requies sapientibus obitus. Idcirco namque somnus mors est, ut tanquam ex sopore quodam in resurrectione expergefacti, bonis æternis perfruantur: quorum bonorum utinam participes fiamus nos omnes, gratia et intercessione Christi, per quem gloria Patri in Spiritu sancto paracleto, sicut a principio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD ORATIONEM IN ILLUD,

SUFFICIT TIBI GRATIA MEA, ETC.

Hanc ut et alias multas Chrysostomo nostro adscriptas orationes, Severiano adjudicat nuperus quidam. Sed etsi hic quisquis sit scriptor ferream, ut Severianus, eloquentiam præ se ferat, est tamen Severiano longe nugacior, et oratio tam inepta, ut meo judicio indigna sit quæ legatur. Quamobrem non sine fastidio interpretationem novam Latinam paravi, quia illa, quæ Jacobo Beurero auctore circumferebatur, paraphrasim sapiebat.

IN ILLUD: SUFFICIT TIBI GRATIA MEA: VIRTUS ENIM MEA IN INFIRMITATE PERFICITUR (2. *Cor.* 12. 9).

1. Cum Deus hunc mundum tanto, tam concinno ordine ab initio creavit, miracula miraculis addidit, non legi naturæ serviens, sed vi potestatis suæ omnia efformans. Verbi gratia: *In principio fecit Deus cælum et terram* (*Gen.* 1. 1). Vides ordinem et consequentiam? Primo tectum, deinde pavimentum. Nam, ut dixi, non legi naturæ, non arti subditus erat, sed ex potestate operabatur. Stabat tectum, et solum non apparebat: nam Opificis potestas totum continebat. Hæreticum interroga: Dic, quæso, mihi, quomodo tectum factum est, et solum non subjectum fuit? rationem mihi explica, dic modum. Sed siles, et ad fidem te recipis. Qua dignus es venia, dum circa mundana et terrena ad fidem te recipis, et divina cælestiaque curiose ac temere scrutaris? Fecit cælum et terram: fecit terram solum, et aquas subdidit. Vidisti fundamentum ædificii? Superior terra, inferiores aquæ. Atqui secus architecti faciunt: aquas exhauriunt, et tunc fundamentum jaciunt. Deus vero aquis fundamentum superposuit, ut ne fundamenti vim, sed Opificis potestatem mireris. Sed, ut dicebam, diligenter auscultate: nam philosophice loqui aggredior. Cum hunc mundum tam concinno ordine formatum fabricatus est, alia quidem omnia ex una substantia fecit. Quod si obscurus sermo sit, clariorem illum reddam, si attendatis. Alia quidem omnia ex una substantia fecit, tam quæ sursum, quam quæ deorsum sunt (nam et ille mundus, et hic mundus est); sed singula opera ex una substantia erant. Verbi causa: superna omnia incorporea, inferna omnia corpora sunt; superna intelligibilia, inferna sensibilia; superna invisibilia, inferna visibilia. Quæ inferna sunt, omnia sunt corpora, cælum, sol, luna, terra, mare, arbores, plantæ, boves, oves, equi: omnia visibilia et sensibilia: omnia tactui et aspectui subjiciuntur. Superna omnia invisibilia sunt et intelligibilia, angeli, archangeli, throni,

dominationes, principatus, potestates, virtutes, Cherubim et Seraphim. Neque illa visibilia, neque hæc invisibilia sunt: neque illa corpora, neque hæc incorporea: sed et hæc corpora, et illa incorporea sunt; omnia ex una substantia formata, et quæ deorsum, et quæ sursum sunt; alia quidem ex corporibus; alia ex incorporeis: alia corporea, alia incorporea. Solus homo ex duplici substantia factus est; alia præstantiore, alia deteriore, ex anima et corpore: illa enim, anima scilicet, est invisibilis et spiritualis; corpus vero sensibile et visibile est. Cur ergo hi duo mundi ex una substantia sunt facti, neque sursum corpora, neque deorsum incorporea sunt; solus autem homo ex incorporeo et ex corpore constat? Audite causam, et discite Opificis sapientiam. Quia enim duo mundi erant substantia distincti; alius incorporeus, alius corporeus, alius visibilis, alius invisibilis; alius spiritualis, nempe superior, alius sensibilis, inferior: ne diversitas operum diversos induceret opifices, et ne diceretur alium superna, alium inferna fecisse, animal duplex in mundo posuit, quod et superiorum et inferiorum creationem prædicaret. Duplex mundus est homo, qui superioribus affinem habet animam, et inferioribus corpus. Ligamen quodpiam et pons est, qui unum habet Creatorem, superiorum et inferiorum opificem: ac quemadmodum virgo, in medio corpore anima implexa est. Quia ergo duplex est substantia, et duplex ejus est usus. Attende diligenter huic sermoni: duplex ejus est usus. Est anima, est et corpus. Corpori cibum, animæ doctrinam præscripsit: alitur corpus pane, anima doctrina: corpus vestibus induitur anima virtute. *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*Psal.* 44. 10). Non de sensilibus vestibus loquitur Scriptura, sed de virtute. *Omnis enim gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis* (*Ibid. v.* 14). Quid ergo? Duplex est homo, duplex substantia; et opus habet anima ratione docente, intelligente, affectus depellente, vulnera curante. Ne itaque mensæ tantum sensibili attendamus, sed et spiritualem vobis apponamus, ex Pauli verbis vobis convivium parantes, ac tentoriorum opificem in medium adducentes, idiotam, indoctum, orbis doctorem, dæmonibus terribilem, morbos curantem, sursum deorsum currentem, qui in paradisum venit, qui in tertium cœlum ascendit, qui in arte sua tantam habuit gratiam, qui ab arte sua non impediebatur, sed dum eam tractaret, operibus fulgebat. Illum in medium agamus: neque enim laudibus ejus possum satiari. Ejus pulchritudinem amo: neque enim illa corporea est, ut putrescat, sed spiritualis, quæ numquam marcescit. Corpus solutum est, et forma plus quam sol splendet. Sol sursum currit, Paulus in terra currit: ille sensilem lucem emittit, hic spiritualem in animas inducit: ille noctu occidit, hic noctu lucet. Hic reges cepit, et pietate replevit: cepit mulieres, et viris fortiores reddidit: cepit juvenes, et senibus prudentiores effecit utrumque sexum, quamlibet ætatem instituit, qui cultrum sutorium habebat, qui pelles consuebat; neque enim finem faciam artem ejus memorandi. Nympha illa ornata, regibus honoratior, divitibus ditior, militibus fortior, muris tutior, lyra est lingua, melle dulcior, mari altior, cælo sublimior, igne ferventior, ferro acutior: ille Dei gratia præditus, templum Dei, os Christi, lyra Spiritus, catechumenorum præco: fidelium magister, undique circumcursans, murus qui numquam delabitur, Epistolæ ejus et orbem vincunt et arcam.

2. Quemadmodum enim Noe, junctis asseribus arcam fecit: sic et Paulus scriptis epistolis arcam spiritualem struxit, illa meliorem. Illa namque bruta animalia recepit, et bruta servavit; hæc bruta recipit, et immutat. Verbi gratia, ingressus est in arcam illam lupus, et egressus est lupus, ingressus est in Pauli epistolas lupus, et egressus est ovis: ingressus est magus, et emendatus est: ingressus est consul, et melior est effectus. Illa quidem arca Noe servavit solum cum duobus aut tribus hominibus; hæc autem arca orbem quasi sagena cepit: hæc quotidie ubique navigat, et tabulæ ejus non dissolvuntur; neque enim pice, sed Spiritu unctæ sunt. Exiit ex illa Noe, et ipsa navigat; mortuus est Paulus, et arca vivit: quotidie hæc sagena capit, nec demergitur; habet enim gratiam Gubernatoris orbis se sustinentem. Quia ergo tales sunt epistolæ, tales tabulæ, tanta salus; age hic linguam expediamus, unum vobis dictum explicantes, totam homiliam ea in re insumamus. Talis enim est Scripturarum ubertas. Cum enim sedens audivi ipsum dicentem, se raptum esse usque ad tertium cælum, et audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui (2. *Cor.* 12. 4); ubi deinde pergit ille dicens, *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est stimulus carni meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet* (*Ibid. v.* 7): metui ne quis simplicium auditorum hæc non intelligens offenderetur, et necesse duxi hoc dictum in medium proferre et tractare. Nam sic ignaro clarum erit, gnaro lucidius et facilius; gnarus in memoriam revocabit, ignarus docebitur. Nam multos ignaros audivi dicentes, Paulum traditum fuisse satanæ. Quid dicis, quæso te? Paulus traditus est, inquit, satanæ, ut caput ejus percuteret: dolorem capitis immisit ipsi diabolus. Quid hoc est? an doctorem orbis, paradisi civem, Christi templum, ut dixi, lyram Spiritus, vas electionis, eum qui orbem percurrerat, qui spinas peccatorum evulserat, qui semina pietatis injecerat, qui in terra currebat, qui in mari certabat, qui nocte et die in profundo maris fuerat, qui in carceribus coronabatur, qui in judicio tropæum erexerat, qui totum orbem percurrerat, insomnem illum, cujus vestes morbos fugabant, cujus vita mortem profligavit, huncccine diabolus subitum habuit? Atqui contra ipsum fecisse audio. Fornicatus erat quispiam apud Corinthios; id Paulo nuntiatum est: quid dicit? *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini congregatis vobis omnibus, et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu* (1. *Cor.* 5. 2-5). Cogita Pauli potestatem: fornicantem tradidit satanæ, ut illum satanas percuteret, ut hæc castigatio peccatum ejus expiaret. Nam quod ita factum sit, in epistola secunda dicit: *Confirmate in illum caritatem, ut non circumveniamur a satana* (2. *Cor.* 2. 8. 11). Tunc diabolo tradidisti, et dicis, *Ut non circumveniamur a satana?* Modum, inquit, non novit satanas. Tradidi cum oportuit, cum par est resumo: tradidi ipsum satanæ ut carnifici, ut saltem homo noster abstergeretur: recipiamus eum. Nam si amplius ipsum dimittamus, circumvenimur a satana: nullum enim modum novit satanas. Tradidi, ut seipsum emendaret: si dimittamus, occidet eum ut Judam. Ideo dicit: *Confirmate in illum caritatem, ut non circumveniamur a satana.* Quam pulchra dixit! Non ultra satanæ est; non enim in fornicatione, sed in pœnitentia degit: ne igitur ille quod meum est auferat. Cum illius esset, ipsi tradidi; ut quod illius erat, meum tandem fieret. O Pauli sapientiam! Per lupum ovem servavit: per piratam, naufragum nautam reduxit: per inimicum, militem in ordinem restituit: pro acerbo pharmaco, diaboli plaga utor. Si modo erudiat, ab illo decedam. Castiget ille, ut fornicator quid fecerit sentiat: cum peccatum et putredinem absterserit, cum vulnus curaverit, tum anima fortis apparebit. Non relinquo aurum in igne, ne labefactetur, ipsum extraho. Sapientis enim est nosse modum, quamdiu igni tradendum sit, et quando extrahendum. *Ut non circumveniamur a satana* (2. *Cor.* 2. 11). Non enim cogitata illius ignoramus. Qui ergo cogitata illius novit, tantam habet potestatem, ut illi et temporis et modi unes præscribat; temporis, cum rapit ab illo; modi, cum tradit eum satanæ in interitum carnis. Quia enim insatiabilis est bellua, quæ carnibus

nostris numquam potest expleri, ne ipsum aliquando interficeret, ideo dicit: *In interitum carnis*, ne animam ejus attingeret. Quod Deus circa Jobum dicit: Abi, percute carnem ejus, animam autem ejus ne attingas (*Job* 2. 6): diaboloque terminos posuit Deus. Ita et servus Dei, ex ejus virtute Dominum imitatus, sententiam fert in illum, quam diabolus transilire non ausus est. Quod si fecisset, Paulum domuisset. Nam cum in carcere esset, ejusmodi quidpiam diabolus tentavit: quia enim carcer concussus, soluta vincula erant, experrectus carceris custos, gladium arripuit ut seipsum interficeret, impellente diabolo (*Act.* 16. 27). Cum pastor intus esset, ne servaretur ovis, venit lupus ut illam raperet. Verum pastor, etsi vinctus, ipsum detinuit dicens: *Nihil mali tibi facias.* O pastoris humanitatem! Vinctus est, et vincientem se miseratur: suis relictis res illius curat. *Nihil mali tibi facias* (*Ibid. v.* 28). Fores vides apertas, sed ego benevolus sum domesticus: fores sunt apertæ, sed ego intus maneo, donec salutem tibi pariam, non exeo. Ideo ingressus sum, ut te ex catenis erutum, a peccatis liberem. Tu me vinxisti, ego te solvo. *Nihil mali tibi facias: omnes enim hic sumus.* Quid ergo? Lupus stabat interempturus, gladium impellens in custodem carceris pastor clamavit. Audivit lupus, dimisit ovem, mox abripiendam pastor cepit. *Quid faciam*, inquit, *ut salvus fiam* (*Ibid. v.* 30)? Baptizare in nomine Christi. Papæ, quam facilis salus! quam ineffabilis benignitas! Custodem carceris vinctus servavit, carcerem fecit ecclesiam. Quandonam, inquit, baptizabor, ut salvus sim? Carcer non impedit, locus non officit: gratia est quæ loco opus non habet, nec opportunitate: sit ipse carcer ecclesia.

3. Quam artis suæ nusquam obliviscitur! sed ubique piscatur, in carcere, in mari, in insula, in continenti, in deserto, in orbe. Piscator enim, nisi mare viderit, retia non expandit. Quia vero Paulus piscator erat, non sensilis, sed spiritualis, et in navicula piscabatur, et in monte, in fontibus, in viis, in pratis, in fluminibus, nullusque locus arti officiebat. Sed, ut dicebam, licet multoties excurram, a quæstione non decedam. Quid ergo agitur? Qui tanta præditus erat potestate, ut diabolo imperaret, et terminos ipsi poneret, modumque præscriberet: hic diabolo traderetur? Annon audisti Christum dicentem, Calcate *Super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici* (*Luc.* 10. 19)? quid ergo significat illud, *Datus est stimulus carni meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet* (2. *Cor.* 12. 7)? Ignorantia multorum inde plerumque proficiscitur, quod verborum proprietatem, et sensum non noverint. Colaphizare quidam de percussione tantum capitis accipiunt: κολαφισμὸς autem dicitur afflictio, humiliatio. Inimicus ipsum colaphizavit, afflixit, humiliavit: neque enim de capite solum dicitur. Ipseque alibi eadem utitur voce. Nam cum idiota esset, ad exprimenda sensa sua, voce utitur assueta: *Usque in hanc horam esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur* (1. *Cor.* 4. 11), ærumnis affligimur ab inimicis, insidiis appetimur, impedimur, injuriis afficimur; hoc est, colaphizamur, affligimur, flagellamur, gravia patimur, in carcerem conjicimur, abducimur, in exilium pellimur, fami objicimur. Has ærumnas omnes colaphismum et humiliationem vocavit. Animum adhibe, et ne prætercurras: hic interpretatione opus est. Quid ergo? Clare rem expendemus. Interpretationem, quam dixi, retine, dictis attende. Colaphismus humiliatio est ab inimicis invecta; sive per carcerem, sive per abductionem, sive per judicium, sive per famem, sive quocumque alio modo. Quid ergo sibi vult illud? *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est stimulus carni meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi: et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur.* (2. *Cor.* 12. 7-9). Observa quis sit hic angelus satanæ. Non enim dixit, datus est mihi angelus satanas, sed, *Angelus satanæ.* Mos est in Scriptura quod jam sæpe dictum est, et nunc etiam dicetur: *Eadem* enim dicere *non piget, vobis autem tutum est* (*Philipp.* 3. 1): doceo enim, nec eloquentiam ostento; planto, nec simpliciter transeo; non sum viator, sed semen jacio. Viator namque currit, ut iter conficiat: qui vero seminat, etiam fodit: granum conjicit, deinde terram sulcat, ut altius defodiat, ne semen non opertum, avibus pateat. Quod agricola in seminibus, hoc ego in sententiis facio. Ut enim in seminibus corvi sunt, sic in sententiis dæmones et diaboli, sæcularesque curæ. Idcirco illud contego, ne sæcularis cura diabolica id arripiat. Nam si obvium relinquam, diabolus abripit; si profundius defodiam, conservatur. Non enim tempore opus est, sed voluntate; non pluvia, sed ferventi animo. Ferventer audi, diligenter complectere, et nemo ipsum abripere poterit. Quinam ergo, quod jam dicebam, mos est Scripturæ? Ut plerumque nomina ex moribus imponat, neque hominem ea appellatione donet, quam ab initio parentes statuerunt, sed ea, quam aut vitium aut virtus expetunt. Exempli causa: si quem viderit impudentem, canem vocat, non suo, sed vitii sui nomine; si rapacem, lupum appellat, non parentum nomine, sed ex nequitia; si alium viderit improbe agentem, hinc illi nomen indit. Sed ne id temere efferre videar, et ut dicti probationem afferam, testes vobis adducam. *Visio quam vidit Isaias filius Amos contra Judæam et contra Jerusalem* (*Isai.* 1. 1-4). Hic attendite, *Contra Judæam et Jerusalem. Audi cælum, et auribus percipe terra, quia Dominus loquutus est: Filios genui et exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus me non intellexit. Væ genti peccatrici!* Quibus hæc? Judæis. Populus plenus peccatis. Eorum recenset iniquitates, peccata, pertinaciam, tyrannidem, supplicium. Initio dixit, *Contra Judæam, et contra Jerusalem:* et postea dicit: *Audite verbum Domini, principes Sodomorum* (*Ibid. v.* 10 - 13), attendite legi Dei, populus Gomorrhæ. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum holocaustis arietum: adipem agnorum, et sanguinem taurorum et hircorum nolo.* Si offeratis mihi similam, vanum thymiama, *Abominatio est mihi.* Neomenias vestras et sabbata odit anima mea. Quæ sabbata odit? quas neomenias, quæ thymiamata, quos tauros, quas oves? Nihil horum norant Sodomitæ: ante Moysen fuerant, ante Abraham, a Lotho erant, Sodomitæ perierant. Sodomitasne alloquitur adustos, exstinctos? Hic loquitur, *Contra Judæam, et contra Jerusalem:* Sodomam aggreditur, sed jam pœnas dedit. Quem alloquitur? Hæc sine consequentia dicuntur, nisi verborum significationem attendas; sed si didiceris, consequentiam invenies. Neque enim Sodomitas alloquitur, sed Judæos, quos Sodomitas vocat. Quia mores eorum sectabantur, illis ob similia gesta hoc nomen imponit. Rursum alibi: *Canes muti Judæi, qui latrare non possunt* (*Isai.* 56. 10); non quod in canum naturam transissent, sed quod moribus canes imitarentur. Joannes solitudinis civis, excelsus animus, mens invicta, qui humi incedens cælestem fornicem attingebat, sterilis partus, qui mutam patris linguam solvit, vox muti; qui in deserto clamabat, in matrice (matrix enim desertum erat, ut pote sterilis), duplex ille præco, contemptor puerorum, visibilia transcendens, Judæos adit, dixitque illis: *Serpentes genimina viperarum* (*Matth.* 23. 33. *et* 3. 7); non quod natura serpentes, sed quod animo dolosi essent. Alius iterum propheta: *Equi in feminas furentes facti sunt; unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat* (*Jer.* 5. 8). An equos alloquitur? Minime, sed lascivos et improbos homines. Ipse Christus Judæis: *Vos filii diaboli estis* (*Joan.* 8. 44). Num filii erant diaboli, et naturæ diabolicæ? Nequaquam, sed propositum ejus imitabantur, nomenque ejus acceperunt, quod ille sic explicat: *Vos filii diaboli estis, et desideria patris vestri vultis facere: illi*

homicida erat a principio. Hunc regulam tenete : impudentes, canes sunt; rapaces, lupi; subdoli, serpentes; versipelles, aspides; stupidi, asini; lascivi et impuri, equi emissarii; immundi, cornices : Sodomitæ sunt, qui illorum gesta et opera imitantur. Non natura mala, sed institutum corruptum est. Diligenter animadvertite, et observate nomina a moribus imposita, et appellationes ab instituto animi. Neque id in Scriptura tantum, sed etiam in vulgari usu. Si hodie mansuetum hominem videamus, dicimus, Ovis est homo ille ; si impudentem quemdam, dicimus, Non homo, sed canis est ; si dolosum, serpentem vocamus. Viden' hanc esse communem consuetudinis legem? Si videamus hominem sceleribus multis onustum, dicimus, Satanas ; non quod sit satanas, neque natura ipsi affinis, sed proposito, quia pro viribus illum studet imitari. Nomina itaque ex moribus dantur. Cum ergo audis Paulum dicentem, *Datus est stimulus carni meæ angelus satanæ* (1. *Cor.* 12. 7) ; ne putes esse diabolum ; sed eos qui diaboli facta æmulabantur, gentiles, Judæos, dæmonas : qualis dæmon angelus satanæ erat Alexander ærarius, qui multa ipsi mala exhibuerat. Angelus satanæ : satanæ enim opera faciebat (2. *Tim.* 4. 14). Quales erant ii, qui ipsum in carcerem conjecerunt, qui flagellarunt. Homines ergo angelos satanæ dicit, qui satanæ opera edebant, qui evangelium præcidebant, qui prædicationem impediebant, qui ipsum flagellabant, qui pellebant. Attende : tota difficultas soluta est.

4. Animum diligenter adhibete, ut sciatis eum qui loquebatur laborasse, et Paulum humana passum esse. Postquam enim Christus ascenderat, et prædicationem legationemque præclaram ipsis tradiderat. Nam Christus legatus a Patre venit ad nos, missus ut pacem nobis annuntiaret. Bellum enim erat inter homines et Deum ; misitque legatum, non servum, sed Filium. O curam providentiamque legati ! o benignitatem mittentis ! Cum audis mittentem et missum, ne mutationem loci putes, sed incarnationis œconomiam cogita. Etiamsi enim nobiscum esset, etiam apud Patrem erat. Et Paulus ait : *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos : reconciliamini Deo* (2. *Cor.* 5. 20). Pro Christo legatione fungeris? Sane quidem. Et ubi legatus est? Abiit. Quo abiit? Ad Patrem. Quare? Res stupendas observa. In humanis negotiis cum gens genti legationem mittit, legatus ex legationis lege, securitate fruitur ; si quid legatus patiatur, magnum inter gentes illas bellum movetur. Contra vero apud Deum. Venit a Patre ad homines Legatus : occisus est, tuncque statuta pax fuit. Verum Legati dona ferunt et dona recipiunt. Quid ergo? quod donum attulit mihi, et quod donum stupendum? Ut stupendus est Legatus, ita stupendum donum. Sanguinem suum venit donum afferens, et corpus suum periude venit afferens donum. Ecquod a me donum accepit? Fidem. Ecquis mihi fidei gratiam dedit? Credidi ego, ille gratiam dedit, inimicitia soluta est. Viden' rerum facilitatem? viden' reconciliationis celeritatem? Legatus cum ad gentem venerit, non dignatur forensem vel pauperem alloqui; sed statim ad regem ingreditur. Hic Legatus venit, et statim meretricem alloquutus est, latronem, magum, publicanum. Viden' Legati humanitatem? Non ad unum aut alterum venit, sed ad communem naturam ; venitque meo indutus vestimento ; ne si cum nuda divinitate venisset, prædam abigeret. Sed venit ad hominem ut homo. Ubi ergo venit, primitias nostras evexit, et vocatis apostolis, legationem ipsis tradidit : Legationem accipite. Quomodo, quæso, possumus? *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* 20. 22). Tu occisus es, nobis vero quid patiendum est? *Accipite Spiritum sanctum*, et, *Ego vobiscum sum* (*Matth.* 28. 20) : vobiscum, quia legatione fungor ; neque enim vos reliqui. Cum ergo ascenderit, et legationem ipsis tradiderit, quid miraris si ipse rex et Pater legatione fungatur? *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos* (2. *Cor.* 5. 20). Qui contumeliis est affectus, exhortatur. Quid? *Reconciliamini Deo.* O benignitatem! o bonitatem ineffabilem! Quia igitur ascendit, legationem apostolis commisit; cum res eversæ essent, orbisque spinis repletus; cum impietas tyrannidem exerceret, nequitia dominaretur, aræ incenderentur, nidor omnia fœdaret, sanguis funderetur, natura calcaretur, partus contemnerentur, leges et statuta nova solverentur, cum filias et filios dæmonibus immolarent, cæteraque omnia celebritates essent; rhetorum chori, philosophorum cœtus, dæmonum debacchationes, diaboli potestas, gladii acuti, ubique præcipitia et scopuli, cum consuetudo prævaleret, patrum dolores, majorum impietas, in via voluptatis incedens, leges regum corruptæ essent; ac servi et heri, principes et privati, divites et pauperes, omnes impietate circumplexi essent, multis instructi machinamentis : tunc apostoli duodecim erant, imo undecim; unus enim a fera captus fuerat : undecim igitur erant. Paulus ergo, non eloquentia instructus, non pecuniis, non acuta lingua, non patriæ celebritate, non generis claritate, non corporis robore, nudus, solus, magis mutus quam pisces, ignobilis, idiota, inductus, circuibat per orbem semina pietatis jaciens, et omnes ipsi adversabantur; alius invadebat illum et flagellabat, alius apprehensum in carcerem trahebat, alius captum in sartaginem conjiciebat, alius offendebat : Innumera bella : *Foris pugnæ, intus timores. Ministri Christi sunt* (2. *Cor.* 7. 5)! *Ut minus sapiens dico, Plus ego : in laboribus abundantius, in plagis supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui ; in itineribus sæpe; periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus : in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (2. *Cor.* 11. 23-29)? Frater cadebat, ille dolebat : inimicus insidiabatur, ille patiebatur. *Scis hoc, quod adversati sunt me omnes, qui sunt in Asia* (2. *Tim.* 1. 15). Rursum : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec efformetur Christus in vobis* (*Gal.* 4. 19). Quomodo sufficere poterat iis quæ foris, iis quæ intus erant, verberibus, doloribus, mari, periculis, carceribus, abductionibus, sartaginibus, insidiis, populis, regibus, domesticis, alienis, falsis fratribus insidiantibus, fratribus infirmis, alienis abscedentibus, familiaribus, supplantatis? quomodo corpus, quomodo anima sufficere poterat? Catenis constringebatur, in carcere habitabat, epistolas scribebat, hinc ejiciebatur, illic insidiis appetebatur, hinc angeli satanæ, illinc angelus satan : multi angeli satanæ, hi in carcerem, illi in tribunalia trahebant. Non sufficiebat illis, peribat, anima cruciabatur. Canes non videbat, et mordebatur, insidiis undique appetebatur. Ad Deum accedit dicitque : Rogo te, paulum respirem : quomodo his sufficiam? Angelus satanæ pellit me, inimici, insidiatores, gentiles, Judæi, falsi fratres, infirmi fratres : parturio et abortum faciam : non gigno, et alii insidiantur : hodie in carcere, cras in mari, deinde in pelago, in fame, in siti, in nuditate, in sartaginibus, in caminis, in itineribus. Quomodo iis sufficiam? Una est anima, unum corpus. Rogo te, me tuere, ne colaphis cædar. Nihil illi Deus respondit. Ad illum denuo accedit : Dimitte me, quæso, paulum respirem : homo sum unus, et orbem mihi commisisti : homo sum unus, et ab omnibus undique telis obruor. Accedit iterum ad ipsum, et ait : Rogo te, tuere me, ne colaphizer. Nihil ipsi Deus respondit : Accessit denuo ad eum, fastidio affectus velut athleta quidam sexcentis objectus aliis, qui ipsum mordeant et caput ejus

tius pro tua humanitate leva me pondere debitorum meorum, mihique dic, ut meretrici: Dimittentur tibi peccata multa (*Luc.* 7. 47). Tu enim solus es sine peccato, bonus, et benignus, et peccata condonans; teque decet omnis gloria, honor, et adoratio, cum Patre tuo, qui principio caret, et omnino sancto, bono, et vivifico Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD HOMILIAM DE SAMARITANA.

De hac homilia hæc habet Savilius Tom. VIII, in notis, pag. 867: *In hac homilia nihil est Chrysostomo dignum præter epilogum, qui totus fere sumptus est ex trigesima prima Chrysostomi homilia in Joannem. Codex Oxoniensis, Cæsareus, et Ducæi Romanus inter se consentiunt. Mediceus plenior, sed illorum brevitas magis placet.* Hæc scite observata sunt Medicei lectiones nimias non attulit Savilius; et bene quidem neglexit: neque enim tantam accurationem meretur inficetum opusculum. Sicque nos Regii cujusdam Codicis lectiones misimus, cujus librarius multum excurrebat, et inutilia multa adjiciebat. Epilogum ex Chrysostomi Homilia trigesima prima in Joannem desumptum suo loco annotamus.

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

IN SAMARITANAM, ET IN ILLUD, VENIT JESUS IN CIVITATEM SAMARIÆ, QUÆ DICITUR SYCHAR (*Joan.* 4. 5) (a).

1. Samaritanæ certamina Christus nobis hodie promulgavit: et inopem orationem nostram oportet ejus recte factorum pelagus trajicere. Fidem enim ejus intueor, et statui laudationem ejus in medium afferre, ac vobiscum encomiis celebrare mendicam illam et opulentam; meretricem illam et apostolam; luxuriosam et fidelem; multis nuptiis junctam, et multis viribus præditam; eam quæ multos corrupit, et quæ unigenitum Dei Verbum obsequiis demeruit; quæ inquinata fuit, et purgata; quæ sitiebat, aquasque vivas desiderabat, et cælestium fluentorum gratiam consequuta est. Quid enim ait Joannes evangelista, qui mysteria ineffabilia intonuit? *Venit Jesus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere. Discipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent* (*Joan.* 4. 5-8). *Jesus ergo fatigatus ex itinere.* Cur igitur Isaias propheta dicit: Deus magnus non esuriet, neque sitiet, neque fatigabitur, *Nec est inventio prudentiæ ejus* (*Isai.* 40. 28)? Sed et Matthæus evangelista in Evangelio secundum ipsum de eo scribit: *Et cum jejunasset quadraginta diebus e quadraginta noctibus, postea esuriit* (*Matth.* 4. 2). Similiter autem et Joannes evangelista, sicut audiebas paulo ante, dicit: *Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.* Atque ille quidem esuriisse Dominum ait, hic vero fatigatum etiam eum fuisse. At Isaias propheta declarat ex Spiritu sancto loquens: Deus magnus non esuriet, neque sitiet, neque fatigabitur, *Nec est inventio prudentiæ ejus* Quo pacto potest apud istos consensus Evangeliorum et prophetiæ conservari? Verumtamen neque propheta mentitus est; absit: neque apostoli aliena a Spiritu sancto et a prophetia scripserunt; sed quoniam Salvatoris nostri magni Dei dispensatio geminam quamdam et inusitatam habuit connexionem, ex divinitate, inquam, et humanitate, secundum ejus beneplacitum ac voluntatem: idcirco propheta quidem divinitatis potentiam et amplitudinem prædicat; apostoli vero et evangelistæ veram corporis dispensationem exponunt. *Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere. Discipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Operæ pretium igitur est, dilectissimi, ut perquiramus, qua de causa et locum, et horam, et absentiam discipulorum indicavit: locum, *Sedebat juxta fontem*: horam, *Hora erat quasi sexta*: discipulorum absentiam, *Discipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent.* Cur igitur locum dixit? Ego docebo. In spirituali venatione versabatur, cujus causa in locum illum se contulerat, unde poterat prædam referre. Non vides quid faciant piscatores? Neque enim omnia maris loca percurrunt, sed ad certum locum abeunt, in quo latitare pisces noverunt. Sunt enim multa in mari loca, quæ plus cæteris pisces alunt. Ita nimirum et Dominus noster Jesus Christus, juxta prophetiam magnus Deus, noverat ut Deus, inde se posse prædam reportare, mulierem scilicet Samaritanam. Ut igitur dicebam, piscatores ea loca insident, unde sperant piscem se posse venari: sic etiam Christus in eum venit locum, unde poterat Samaritanam venari, et per ipsam ingentem hominum capturam parare. Ecce loci causam indicavi. Cur autem horam quoque dixit? Ait enim, *Fatigatus Jesus ex itinere sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.* Audi ergo, carissime, de hora quoque. Egena quæpiam erat hæc Samaritana, quæ sibi manuum labore semper victum quærebat, egena, inquam, et corpore et pecuniis, at non ita religione atque animæ pietate. Sic igitur expergefacta currebat ad telam propter opificium, unde et victum sibi comparabat. Hora vero sexta, quo tempore quieti a labore vacabant omnes, tum illa, cum hydriam arripuisset, aquam advehebat. Noverat ergo, qui sciebat omnia, Dominus, quam horam cæteri captandæ quieti dabant, illa solere istam advehendæ aquæ vacare, propterea sexta hora Dominus abiit: quippe qui noverat eam ad aquam advehendam profectam, seque spiritualem hanc prædam posse venari. Quare vero discipulos suos ablegavit Dominus? *Discipuli enim ejus*, inquit Evangelium, *abierant in civitatem, ut cibos emerent.* Mulier illa paupercula quædam erat misera, ut jam antea declaravimus, neque potuisset multorum satellitum numerum contueri. Quod si Magistri dignitatem vidisset, ac discipulorum comitatum, Magistrum, discipulos, turbam, ordinem, dignitatem, speciem, splendorem, subito fortassis aufugisset, ac præda periisset: accedere ausa non esset, piscis ex retibus evasisset, neque sagena captus fuisset, imo resiliisset: propterea discipulos in civitatem ablegavit. Abeuntes enim, inquit, emite cibos: vos abeuntes emite, ego aliud prandium habeo. *Meus enim cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, et perficiam opus ejus* (*Joan.* 4. 34): vos carnalia, et ego

(a) Collata cum quatuor Regiis Codicibus.

spiritualia : vos emite; nam ego redemi. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* (*Gal.* 3. 13), inquit vas electionis, Paulus : per aquas hanc spiritualem piscaturam venari volo. Didicisti cur locus notatus sit, et hora, et discipulorum absentia. Itaque operæ pretium est, ut deinceps ea quæ sequuntur, aggrediamur. *Venit mulier de Samaria haurire aquam*. Venit Samaritana, ut aquam hauriret, hora sexta, cum ab opificio telæ conquievisset, ad aquandum hora intermissionis a labore, atque, ut sæpe dictum est, hora sexta : quandoquidem et cum Eva mandatum in paradiso transgressa est, hora erat quasi sexta : ideoque Samaritana salutem consequuta est in fonte eadem sexta hora. Deinde vero Samaritana venit, ut aquam hauriret : et Jesum tamquam hospitem quemdam vidit, ac solum tamquam viatorem, qui levare vellet æstum, et juxta fontem sederet. Vidit hominem contemptum, nec illum magni fecit. At ipse Deus qui cuncta novit, priusquam in lucem edantur, fidei thesaurum contemplans, *Da mihi bibere*, inquit. Fons vitæ, juxta fontem sedens bibere poscit, non bibere volens, sed dare potum. *Da mihi bibere*, ut tibi dem bibendam aquam immortalitatis. Ego enim salutem mortalium sitio; non ut bibam, sed ut potum præbeam. Patrem imitor meum : sic enim ait Deus ad Abraham : Da mihi filium tuum; offer mihi filium tuum Isaac dilectum, unigenitum, in holocaustum, super unum montium, quem ostendero tibi (*Gen.* 22. 2). Non quod accipere filium vellet, id dixit; sed quod proprium Filium orbi terrarum largiri vellet.

2. Nam ut ait tonitrui filius divinus Joannes : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* 3. 16). Da mihi unigenitum, ut mundo largiar Unigenitum : immola filium, non ut immoles, sed ut Filium meum unigenitum immolem pro salute mundi, hostiam viventem, placentem, sanctam (*Rom.* 12. 1). Ita hic quoque, *Da mihi bibere*, non ut bibam, sed ut potum præbeam. *Dicit ei mulier : Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis*. Acuta mulier : in his meretrix laudem quærit; in his meretrix observationem præ se fert legis. Tale Samaritanorum est genus : in scortationibus polluitur, et in baptismatibus purgari se arbitratur. *Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis*. Animam sordibus replent, et corpus videntur abstergere. Sic et Samaritana cum animam scortationibus inquinatam habeat, de aquarum potu litigat. Quid ergo Jesus? Illam a se non repulit, non dixit : Ego Deus ex Deo sum; ego cælum firmavi, terramque fundavi; et tu mecum de aquis et potu litigas, atque adeo mulier commaculata peccatis? sed quid? *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam*(*Joan*.4.10). Vides, ut paulatim amorem ejus ad cupiditatem excitarit, dicens : *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam?* Quid ergo rursus ad eum mulier? *Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est; unde ergo habes aquam vivam? Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus* (*Ibid. v.* 11. 12)? Magnam conceperat opinionem de patriarcha Jacob mulier (attendite quæso diligenter) : magna in existimatione erat apud mulierem Samaritanam, eumque plurimi faciebat, tamquam patriarcham, tamquam justum : quandoquidem hic duodecim patriarcharum fuerat pater; duodecim enim tribus Israel ex Jacob proseminatæ sunt. Neque ob id solum, sed quoniam et cum Deo luctatus est, et potens inventus est : sic ut ei diceret Deus : *Dimitte me; jam enim ascendit aurora* (*Gen.* 32. 26). Et cum homine luctans aiebat Deus : Dimitte me, quia meus amicus es, et ascendit aurora. Tum ille : *Non te dimittam, nisi me benedixeris*. Quid hoc sibi vult, et quænam tandem est hæc Dei cum homine lucta, nisi quod nostræ similem propter nos carnem induturus erat? Quid ergo illi respondit Deus? Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum : quoniam invaluisti cum Deo et cum hominibus potens eris. Magnam igitur opinionem conceperat de patriarcha mulier; idcirco Domino dicebat : *Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus?* Quid ergo Christus? Animadverte Domini sapientiam : vide Magistri benignitatem. Non dixit illi : Sic est, ego patre vestro Jacob major sum : neque dixit ei, sicut Judæis dixit : *Antequam Abraham fieret, ego sum* (*Joan.* 8. 58); vel rursus ut dicebat : *Amen dico vobis quia multi reges et justi cum prophetis cupierunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* (*Matth.* 13. 17). Nihil horum dixit mulieri, sed luctam inhibet cum patriarcha ineundam, et ex eo, quod manifestum est, validiorem pugnam reddit. Si enim dixisset illi : Sic est, ego major sum quam Jacob : nam ille quidem a me benedictionem accepit, ego vero ipsam illi præbui : fortassis illa, cum tantam capere revelationum altitudinem minime posset, statim aufugisset. Nihil igitur tale dixit illi; sed ex iis, quæ subjecta erant oculis, rem dilucidam et inexpugnabilem reddit. Quid enim ait illi? *Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum : qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* 4. 13. 14). Prolatæ fuerant in medium personæ Jacob et Christi, sed omissa personarum lucta, venit ad luctam aquarum, quæ videntur, ac donorum quæ non videntur. Si enim dixisset : Etiam, major sum quam Jacob; confestim illa in urbem aufugiens abacta esset, resiliisset ante responsum, et antequam verba fecisset, ad civitatem pervenisset, dicens : Hic quidem insanit, homo est aliquis a dæmonio vexatus, furiosus est, et phrenesi laborat : cum sit unus aliquis peregrinus ac nullius pretii, majorem seipsum patre nostro dicit; imo vero illo, qui duodecim tribuum Israel pater fuit, qui benedictiones accepit a Deo, qui pauper quidem peregre profectus est, sed ob dispensationem et providentiam, qua rexit eum Deus, opulentus reversus est : sed accommodabat se mulieri Christus, et infirmitati mulieris aliquid concedebat, ut sensim ad rerum eam graviorum sublimitatem proveheret. Nam quemadmodum piscium venatores (audi enim prudenter quid illi faciant) hamum in mare mittunt, cumque senserint captum esse piscem, non statim extrahunt illum, sed paulatim laxant, ut ille plane atque intrepide illecebram devoret; cumque animadverterint intimis ejus præcordiis hamum ac visceribus infixum esse, tum majori cum impetu piscem extrahunt, qui prius se illi accommodaverant : ita se Christus erga mulierem gessit. Non a principio pulchritudinem illi divinitatis revelavit, neque ingentium illi honorum promissa proposuit, neque se Jacob ipsum creasse indicavit, sed ejus appetitum animi ad cupiditatem excitat, dicens illi : *Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum : qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Personarum contentionem ac luctam omisit, et ad alteram donorum partem transiit, imo vero præstantiam illorum ex re ipsa demonstrat. Quid igitur mulier? *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire*. Vides, ut cito crediderit, aquam a Christo datam, ut non amplius sitiamus, efficere. *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire* (*Ibid. v.* 15). Ad spiritualium fluentorum suorum horum cupiditatem Christus eam sensim incitavit. Credidit aquam esse, quæ bibitur, et sitim non generat; quæ participatur, et peccatorum delet chirographum. *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei Jesus : Vade, voca virum tuum, et veni huc* (*Ibid*.

v. 16). Si consortem habes copulæ, fiat etconsors fidei : ne spiritualium horum sola donorum gratiam accipias. *Vade, voca virum tuum, et veni huc.* Idcirco enim veni, non ut Evam solam salvam faciam per semper virginem Deique genitricem Mariam, sed etiam ut virum per me in paradisum rursus revocem. *Vade, voca virum tuum, et veni huc.* Recte quoque totius orbis doctor Paulus, dilectissimi, ex eadem regula scribens ad Corinthios dicebat : *Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies* (1. *Cor.* 7. 16)? Jam vero rem propositam attingamus. *Vade, voca virum tuum, et veni huc. Dicit ei mulier, Non habeo virum* (*Joan.* 4. 17). Cœpitque deinceps aperire peccata sua mulier : cœpit deinceps confiteri, ac dicere : *Non habeo virum.* Jam enim in scortationis et luxuriæ profundo demersa sum, et virum non habeo. *Dicit ei Jesus : Bene dixisti, quia non habeo virum : quinque enim viros habuisti ; et nunc quem habes, non est tuus vir : hoc vere dixisti* (*Ibid. v.* 18). Quid autem hoc est, *Quinque enim viros habuisti ; et nunc quem habes, non est tuus vir?* Operæ pretium est dicere. Quinque viros habuit mulier, et mortui sunt : post illos scortata est ; quamobrem nemo deinceps cum illa voluit tamquam cum uxore legitima copulari. At illa cum libidinis cohibere fervorem non posset, clam deinceps eum habebat, cum quo scortabatur ; sic ut neque aperte meretrix esset neque legitime nupta, sed virum clam haberet : existimabat autem se Christum velut hominem deceptūram, eique dicebat : *Non habeo virum.* Deinde Christus, qui cordis occulta cognoscit, quique novit omnia antequam fiant (*Dan.* 13. 42), ait illi : *Bene dixisti, quia non habeo virum : quinque enim viros habuisti ; et nunc quem habes, non est tuus vir : hoc vere dixisti. Dicit ei mulier : Domine, video quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos Judæi dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet* (*Joan.* 4. 19. 20). Quem tandem prophetam dicis, mulier? eumne quem scripsit Moses, *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris sicut me* (*Deut.* 18. 15), an alium quempiam? hunc tu dicis, mulier, qui cordis revelat occulta? Nam cum sua revelari peccata vidisset, ait : *Domine, video quia propheta es tu :* quod perinde erat ac si diceret cum Davide : *Ab occultis meis munda me* (*Psal.* 18. 13).

3. Et sedebat cum muliere colloquens Deus. O insignem humanitatem ! Qui super Cherubim sedet, cum muliere meretrice confert sermonem. *Video quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Meretrix de dogmatibus sermonem infert, et Dominum prophetam esse arbitrata, nihil sæculare postulavit : Dominum confessa est, et pecuniarum copiam non requisivit. *Domine, video quia propheta es tu.* Dominum confessa est, et nihil præter paterna dogmata petivit. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis locus est, ubi adorare oportet.* Etenim illo in monte Somor Abraham filium suum Isaac Deo in sacrificium obtulit : Jerosolymis vero Jacob cum in Mesopotomia ad Laban Syrum descenderet, scalam, quæ a terra in cælum extendebatur, in somnis vidit, et cum Deo luctatus est : propterea dicebat : *Deus apparuit mihi in Luza* (*Gen.* 48. 3). Idcirco mulier dogmata attingit, et ait : *Domine, video quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis locus est, ubi adorare oportet.* Itaque Dominus cum ea quæ decebat ipsum sapientia respondet. Nam quia Judæus ab ea existimabatur, ipsa vero Samaritana erat, respondere noluit interrogationi, ut neque mentiretur, neque asperiorem mulierem redderet. Nihil quippe aliud propositum illi fuit, nisi ut mulierem venaretur, et ad salutis viam traduceret : propterea nihil asperius apud eam proloquutus est, ut neque mentiretur, neque Samaritanæ pudorem incuteret. Si enim dixisset illi Jerosolymis locum esse, ubi adorare oportet, sicut Moyses filiis Israel præcepit, ipsam exasperasset : quoniam vetus, ut diximus, ipsam opinio præoccupaverat de monte illo in Sicimis ; in eo jussum esse Abraham a Deo Isaac immolare. Rursus autem si morem illi gerere voluisset, ac dicere hunc esse montem illum ; et, Recte adoratis ; rursus falsum verbum protulisset. Idcirco ergo utrumque in terram abjiciens, mulierculam ad eam, quæ paulo magis spiritualis erat, adorationem quasi manu ducit, aitque : *Mulier, crede mihi dicenti, quia venit hora, et nunc est, quando neque in monte hoc, neque Jerosolymis adorabunt Patrem : sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus : et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.* 4. 21 - 24). Vidisti doctrinam optimam? vidisti doctoris industrii sapientiam? *Mulier, crede mihi dicenti.* Vide quomodo conciliat fidem mulieris ; vide quomodo sensim animam ejus in cælum evehit : non erubescit amictum meretricis, sed salutem animæ promovet. Quid ita? Quia non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (*Luc.* 5. 32) : quia propter ovem, quæ perierat, minime deserto sinu Patris, ad nos inclinatis cælis descendit, et perfectus homo factus est, simulque quod erat permansit. *Mulier, crede mihi dicenti, quia venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Non circumscribitur loco adoratio Dei, sed undiquaque diffusa est gratia divinæ cognitio : non jam amplius Judæi et Samaritani ad se legis insignia rapiunt. *Nam eos, qui adorant Deum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Non amplius in alienis holocaustis, et vitulis, et arietibus ; non amplius circumcisio et sabbati observatio ; non amplius templum, et altare, et hircus emissarius, et sancta sanctorum ; non amplius umbra, et cultus, et sabbata ementita. *Neomenias enim vestras et sabbata*, inquit Deus per prophetam, *et diem magnum non fero : jejunium et otium, et solemnitates vestras odit anima mea. Nam eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Isai.* 1. 13. 14). Omnia illa velut umbra prætcrierunt ; vetera transierunt ; ecce nova facta sunt omnia. Commutata est deinceps rerum gratia ; non amplius secundum legem unum in locum eos, qui Deum adorant, congregari sino ; quippe qui velim omnem in terrarum orbem salutis dona diffundere. *In omnem enim terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Rom.* 10. 18). *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus : cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia* (*Joan.* 4. 25). O meretricem de spiritualibus philosophantem ! o meretricem Scripturas sacras in ore habentem ! Etsi enim corpore sordibus scortationis cooperta est, animo tamen sacrarum literarum prænuntiatione et lectione purgata est. *Scio quia Messias venit.* Messias vero, si interpretari velis, est Unctus. Propterea mulier, Exspecto, inquit, unctum, cujus caro divinitate ungetur [1]. *Cum ergo venerit ille, annuntiabit nobis omnia.* O profectum spiritualem ! o mulierem meretricem, et omnia scientem ! Vide quo pacto a terrenis ad cælos evolarit. Messiam dicit eum qui mittebatur, Christum, qui exspectabatur, qui ad mundi totius salutem procurandam veniebat : et rursus prophetam, rursusque Dominum, non amplius Judæum ipsum vocat, non amplius de aquæ largitione disceptat, non amplius illi dicit : *Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæis Samaritani :* quid igitur? *Domine, video quia propheta es tu :* et rursus attingens dogmata, *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Vide, quomodo spiritualium donorum gratiam rapiat : vide, quomodo cuncta

[1] Hæc, *cujus caro divinitate ungetur*, desunt in quibusdam.

depromptis ex Scriptura demonstrationibus firmet. *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus, cum venerit ille, annuntiabit nobis omnia.* Illum quæro, illum præstolor, illum exspecto. *Dicit ei Jesus, Ego sum, qui loquor tecum* (*Ibid. v.* 26). O magna et incredibilia miracula! Quod multis ex apostolis non revelavit, hoc meretrici palam revelat.

4. Cum Cleophæ apparuit, seipsum apostolis non manifestavit; sed cum oculos illorum aperuit, tunc ex ipsorum conspectu ablatus est: ita ut dicerent discipuli: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, dum aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* 24. 32)? Seipsum illis non revelavit, et mulieri dicit: *Ego sum, qui loquor tecum.* Quod soli Paulo fecit, qui ad tertium usque cælum ascendit, qui raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, qui terrarum orbem sagena cepit, hoc multo ante Samaritanæ fecit. Paulo se manifeste revelavit e cælo dicens: *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Saulus vero respondit, dicens: Quis es, Domine? Tum ille respondit: Ego sum Jesus Christus, quem tu persequeris* (*Act.* 9. 4. 5). Hoc et nunc Samaritanæ dicit: *Ego sum, qui loquor tecum.* Interea veniunt discipuli, et cum muliere colloquentem offendunt: *Ac mirati sunt quia cum muliere loquebatur* (*Joan.* 4. 27). Qui ab angelis adoratur, cum meretrice colloquebatur: qui cum Patre regnat in æterno regno, solus cum sola sermonem conferebat. At illa relicta hydria sua, civitatem ingressa est (*Ibid. v.* 28). Reliquit hydriam, postquam aquis vivis expleta fuit, et ad cives ingressa clamabat: *Venite, vidite hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci: numquid ipse est Christus* (*Ibid. v.* 29)? *Venite, videte hominem.* Non dixit: Venite, cernite Deum inter homines: ne hominibus videretur delirare; ne dicerent homines, Hæc insanit. Quando enim vidit quis Deum ambulantem? quando vidit quis Deum cum hominibus conversari? *Venite, videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci.* Excitat eos ad cupiditatem ut egrederentur, et venatu caperentur: et retibus capta est, ita retia tendit: a Judæo ad Dominum progressum fecit ista; ab homine ad Deum manu ducit. O meretricem apostolicam! Meretrix apostolis potentior evasit. Siquidem apostoli, postquam omnis Domini dispensatio completa fuit, tum demum apostolicam prædicationem aggressi sunt (a): at meretrix etiam ante passionem et dispensationem et resurrectionem, Christum evangelizat. *Venite, videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci:* Mea peccata divulgo, ut vos manu ducam: ut vos Deum, qui ad homines venit, cernatis, mala mea publico: Christus adoretur, qui peccatores non aversatur. *Venite, videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci: numquid ipse est Christus?* Vide mulieris sapientiam; vide meretricis probitatem. Unum ei tantum dixit scortationis peccatum Christus, et illa relicta hydria cucurrit ad urbem, dicens: *Venite, videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci.* Prædicat eum qui novit omnia, vel ipsis apostolis prædicat vehementius. Non vidit illum a mortuis excitatum, non vidit Lazarum quatriduanum e monumento evocatum, non vidit mortem conclusam, non vidit mare verbo frenatum, non vidit eum, qui Adam formaverat, creationis defectum in cæco luto adimplentem, et illum in paradiso Figulum sermone prædicabat. *Venite, videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci. Ex civitate autem illa Samaritanorum multi crediderunt in eum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, Quia dixit mihi omnia, quæcumque feci* (*Ibid. v.* 39). Imitemur et nos hanc mulierem Samaritanam, et ob propria peccata non erubescamus, sed Deum timeamus. Jam vero contrarium fieri video: nam eum, qui nos judicaturus est, non reformidamus; eos vero, qui nullatenus nos lædunt, perhorrescimus, et ignominiam ab ipsis inurendam reformidamus: quapropter in iis quæ timemus, pœnam sustinemus. Qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, et pœnitentiam agere; in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur. Colloquamur ergo cum Christo: nam et nunc in medio nostrum stetit, et per prophetas ac per apostolos nobis loquitur. Audiamus igitur, et illi pareamus. Quousque tandem temere ac frustra vivimus? Cum enim datum nobis tempus in re nulla consumpserimus, immodicarum pœnas extremas expensarum daturi discedemus. Idcirco enim in hanc vitam nos introduxit Deus, animamque participem rationis inspiravit, non ut vita præsenti utamur tantum, sed ut ad futuram vitam adipiscendam omnes incumbamus. Nam brutæ animantes huic solum vitæ sunt utiles: nos animam immortalem propterea sortiti sumus, ut ad vitam, quæ illic ducitur, obtinendam cuncta faciamus, ut illic fulgeamus, ut cum angelis choreas agamus, ut in æternum per infinita sæcula Regi astemus. Propterea namque et immortalis facta est anima, corpusque nostrum rursus erit. Quod si, propositis rebus cælestibus, affixus terræ fueris, cogita quanta inferatur ignominia largitori, cum ille tibi superna porrigat, tu nihilominus illa non admodum curans, cum terra commutas. Idcirco gehennam quoque veluti contemptus minatus est, ut hinc intelligas quantis teipsum bonis prives. Sed absit ut illud experiamur supplicium: quin potius Deo placentes æternis nos perfrui bonis contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesus Christi, cui gloria et imperium una cum Patre et sancto vivificoque Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

(a) Epilogus in multis ad verbum similis epilogo Homiliæ 31 Chrysostomi in Joannem.

ADMONITIO

IN HOMILIAM DE CÆCO NATO.

Hanc homiliam inter spuria ablegarunt Fronto Ducæus et Savilius, aliique quotquot de illa sententiam tulerunt: et jure quidem. Stylus enim toto cælo differt a Chrysostomi dicendi genere. Non assentimur autem nupero cuidam scriptori, qui hanc Joanni nostro falso adscriptam homiliam, ut et alias bene multas, Severiano Gabalorum episcopo sine ulla auctoritate adscribit; nam meo quidem judicio non minus a Severiano in dicendi genere differt, quam a Chrysostomo. Severiani namque stylus strigosus est atque perplexus, et Savilio judice totus ferreus. Hic vero orandi genere utitur clariore ac simpliciore, licet inculto. Sub finem vero contra Arianos agit, videturque antiquus esse scriptor; nec fortasse diu post Chrysostomum scripserit.

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

DE ZELO AC PIETATE, ET DE CÆCO NATO (a).

1. Fons est luminis verbum Dei : cum enim plenum sit luminis, et lumen effundat, fidelium mentes illuminat, et splendore circumdat : siquidem ipsum ex seipso fulget, et eos qui ipso fruuntur, illustrat; nec solum fidelium mentem illuminat, sed et lucis nomen impertit. Nam eos qui ignorantiæ sunt innutriti, et infidelitati addicti, merito Scriptura tenebras appellat, utpote qui veritatis lucernam non recipiunt, ut sint filii lucis. Propterea dicit et divinus apostolus Paulus : *Non sumus filii noctis, neque tenebrarum, sed filii lucis et diei* (*1. Thess.* 5. 5). Ac re vera lucis filii sumus, qui evangelici verbi, quod Dei ore prolatum est, filii sumus : *Ego enim*, inquit Christus, *sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* 8. 12). Illud namque verbum est lucis; cui si nos fidem adhibuerimus, efficit ut in filios lucis evadamus. Unde etiam Salvator ait : *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis* (*Ibid.* 12. 36). Ut enim se habet erga corpora lux ista, quæ sensu percipitur : sic erga animas spirituale verbum Dei : quodque tenebræ sunt in nocte, hoc in animabus seductis est ignorantia. Idcirco etiam de talibus scribit beatus David, dicens : *Nescierunt, neque intellexerunt : in tenebris ambulant* (*Psal.* 81. 5). Sic igitur synagogam ignorantia obrutam, nec volentem oculos ad spiritualis[1] doctrinæ cognitionem reflectere, noctem appellat Deus ob ignorantiam, cui addicta erat. Cum enim diceret Deus Judæis per prophetam : *Nocti assimilavi matrem vestram* (*Osee.* 4. 5); quam similem tenebris noctem appellaret, exponens addidit : *Assimilatus est populus meus populo non habenti scientiam* (*Ibid.* 4. 6). Propterea *Nescierunt, neque intellexerunt : in nocte ambulant.* Verum illi quidem hoc pacto : at qui doctrinæ Christi lucem receperunt, ejusmodi homines lux redduntur. Lux enim est Deus noster; itemque Verbum ejus, quod ex ipso ante sæcula absque ulla passione generatum est, lux dicitur; et sanctus, atque consubstantialis, vitæque largitor Spiritus, lux vocatur. Lux, et lux, et lux; sed una lux est : et anima quæ verbum suscepit, lux appellatur. Sed Deus quidem lux est naturaliter in tribus personis subsistens; nos vero per illius participationem : et rursus ipse Dominus noster Jesus Christus lux est, de quo Joannes evangelista dicit : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum* (*Joan.* 1. 9). Cum vero sit lux de luce ineffabili, legem luce redundantem transmittit, juxta prophetam dicentem : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Psal.* 118. 105). Postquam igitur lucem veritatis verbum susceperit anima, lux ipsa quoque redditur, et audit a Paulo : *Eratis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* 5. 8). Cum autem lucem evangelicam mens receperit, ratione fidei lux etiam nominatur, eodemque modo ratione operum. *Luceat* enim, inquit, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* 5. 16). Necesse namque est eum, qui fidei lucem receperit, ad opera quoque lucis progredi. Neque vero lucem esse tantum oportet fidelis animam, sed et per opera coram hominibus lucere : propterea Salvator etiam dicit : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Ac vide rem mirabilem : lux quidem a Deo procedens simplex est; sed radios habet differentes, non natura, sed operatione : ac mittitur quidem in omnem animam splendida doctrina Dei, juxta illud dictum : *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos* (*Psal.* 89. 17), ut apud eum opera nostra dirigantur. Unus est splendor, sed adveniens multos apud nos splendores efficit, splendorem eleemosynæ[1], splendorem castitatis, splendorem hospitalitatis, splendorem fraterni amoris. Apud Deum quidem splendor est unus : hic vero cum ad nos transmissus fuerit, diversos operatione sua fulgores producit, dum huic splendorem prophetiæ largitur, alii splendorem apostolatus, alii martyrii splendorem. Illic quidem splendor unus est; in nobis autem multi, sicut scriptum est : *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum tuorum* (*Psal.* 109. 3). Cur igitur recenset eos Paulus, et dicit : *Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores* (*1. Cor.* 12. 29)? Non ita sine causa dividit Paulus, sed ut idoneas offendit animas, non pro sua auctoritate, sed secundum fidei confessionem; non quod pro arbitrio suo det, aut pro libito, sed quod ejus arbitrium sine judicio non sit, verum secundum donationes gratiarum. Nam quemadmodum floridæ recteque tinctæ regiæ vestes radium quidem solarem excipiunt, at diversos fulgores emittunt : et qualis tincturæ fuerit pulchritudo, talem coloris nitorem efficit : utque transmittatur a subjecta tinctura decor in aurum, vel in purpuram, vel in prasinum, aut in alium quemdam colorem, non quod radius dividatur, sed quod pro conditione sua vestis radium luce dispenset : ejusmodi floribus semper relucet Ecclesiæ pulchritudo, quæ regia veste induta est, et cœlesti ac variegata stola decorata, sicut et Psalmorum auctor dicit : *Filiæ regum in honore tuo. Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato circumamicta, variegata* (*Psal.* 44. 10). Quomodo variegata est? Spiritus sancti donis, sicut Paulus ait, Operante *Deo signis, et portentis, et variis virtutibus* (*Hebr.* 2. 4), et Spiritus sancti distributionibus. Quid vero Christi Ecclesiam appellabo? Sponsam ornatam, reginam comptam, hortum vernantem, pratum redundans fertilitate; et si quid aliud dixero, minus quam pro dignitate verba fecero. Propterea dicebat Isaias propheta, ex persona Ecclesiæ vocem ejus assumens : *Exsultet anima mea in Domino : induit enim me vestimento salutis* (*Isai.* 61. 10). Et quoniam exemplo utebatur, neque totam Ecclesiæ pulchritudinem describere poterat, illud varietate distinguit, dicens : Sicut sponsam ornavit me mundo muliebri, et sicut sponso circumposuit mihi mitram : sicut terram efferentem fruges suas, et sicut hortum olerum semina sua[2]. Hortus enim re vera conclusus ac paradisus est Ecclesia Dei vivi (*Cant.* 4. 12) : paradisum autem dico non antiquo illi similem, sed illo multo sublimiorem. Etenim illic quidem serpens regnabat, hic vero Christus regnat.

2. Noli dignitatem nominis spectare, sed rei virtutem. Nam neque paradisus in pretio habendus est, nisi Dei mandatum in eo servetur : neque vilia loca sunt ignominiosa, si in eis sit lex Dei regnantis. Utrum melius? utrum potius? paradisus, an sterquilinium? Veruntamen Adamo propter transgressionem paradisus nihil profuit (*Gen.* 3. 9) : Job vero sterquilinium propter patientiam minime nocuit (*Job.* 2. 8). Adamus in paradiso propter inobedientiam ignominia afficitur : Jobus autem propter patientiam in sterquilinio coronatur. Nusquam enim locorum dignitas comparatur, nisi bona mens concurrat : et paradiso sublimius est cœlum, sed cadit inde diabolus. Profunda est terra, et cœlum in sublime tollitur (*Prov.* 25. 3) : at cœlo cadit diabolus, postquam transgressus est, juxta illud : *Videbam satanam sicut fulgur de cœlo ca-*

(a) Collata cum duobus Regiis Codicibus.

[1] Sic unus et Savil. Al., *propheticæ*.

[1] Unus et Savil. in marg. habent, *justitiæ*, pro, *eleemosynæ*.

[2] Unus habet, *et sicut hortum olerum cum pueris suis*.

dentem (*Luc.* 10. 18): at exaltantur de terra inopes, juxta illud: *Suscitans e terra inopem, et de stercore erigens pauperem* (*Psal.* 112. 7). Vides non locorum discrimen efficere, ut superiores evadamus, sed ubique fidem, et patientiam, et spem promerentibus coronas acquirere? Nihil cubiculo honestius, nihil theatro patentius: quid lasciviæ profuit Ægyptiæ adulterium in cubiculo? quid primæ martyri Theclæ nocuit nudam in theatro certare? Non peccavit denudata, non afficitur ignominia, sed coronatur sancta. Atque hæc quidem in theatro coronatur, illa vero in thalamo infamatur. Quid profuere idola, et eorum quæ non sunt adoratio, templorum inquam amplitudo? quid vero martyribus obfuit vilitas sepulcrorum? nonne dedecus inustum est errori in amplitudine, et in humilitate res martyrum sunt exaltatæ? Ita paradisus est deliciarum Ecclesia Dei vivi. In illo paradiso serpens tripudiabat, et decipiebat: in hoc paradiso Salvator ait: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit* (*Luc* 10. 19). In paradiso via vitæ Adamo propter transgressionem occlusa est: utque ostenderet Deus, animam virtute præditam minime impediri, extra paradisum majora recipit, quam quæ fuerant in paradiso. Occluditur Adamo paradisus, et Petro claves cælorum creduntur: ejicitur e paradiso Adamus, et in tertium cælum rapitur Paulus: interdicitur Adamo lignum vitæ: dixit enim Deus, inquit, Ne forte attingat Adam lignum vitæ (*Gen.* 3. 22). Illic prohibita est vita, et lignum vitæ prohibitum est ei qui transgressus erat: hic lignum crucis plantatum est, et omnes qui voluerint, vitam æternam decerpunt. In paradiso post transgressionem occultat se Deo Adamus, a conscientia perculsus: revocat eum is qui cuncta perquirit, et ait: *Adam ubi es* (*Ibid. v.* 9)? Non sciebas ubi esset? *Adam ubi es?* Ut ejus arguat iniquitatem, dicit: *Ubi es* (*Ibid. v.* 10)? quasi diceret, Quo in statu es? numquid æqualem te Deo reddidit fraus serpentis? vides ut nudatus fueris? *Ubi es?* Vocem tuam audivi, et absconditus sum. Ille absconditur in paradiso: apostoli dicunt: *Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculamur, a claritate in claritatem* (2. *Cor.* 3. 18). Vidisti fiduciam extra paradisum? vidisti ignominiam intra paradisum? In paradiso post transgressionem pelliceis tunicis induit Adamum Deus. Videamus quo indutus fuerit. Ille tunica fuit illic indutus; hic *Quicumque in Christo baptizati sunt, Christum induerunt* (*Gal.* 3. 27). Illic occluso paradiso, Cherubim, et gladius versatilis, qui viam intercludit paradisi; eratque tamquam paries et munimentum, quo ingredi prohibebatur Adamus propter inobedientiam, quæ in paradiso acciderat post transgressionem. Non ut accusem paradisum, hoc dico; sed ut ostendam locum illum Deo convenientem nihil ei profuisse, qui bono animo conversari noluerit. Eratque paries igneus, qui paradisum circumvallabat, neque sinebat ingredi transgressorem: ut indicaret Deus, non ignem illi fuisse adversatum, sed prohibuisse transgressionem, ne igneum parietem penetraret: nam et Heliam currus igneus in cælum abripuit. Non mentitur Ecclesia Dei, quæ dicit: *Induit me* Deus *vestimento salutis* (*Isai.* 61. 10), et sicut sponsam ornavit me mundo muliebri, sicut terram efferentem fruges suas, et sicut magnum hortum veritatis. Magnus hic paradisus est universi orbis Ecclesia. Christus regnat, eique reges ferenti fides habetur, nisi quis forte fuerit inventus in Ecclesia hæretico infectus errore, et serpentis doctrina corruptus, hoc est, hæreticorum errore; et ejicitur inde, sicut Adamus e paradiso. Nam quemadmodum illic is, qui serpentis doctrinæ fuerat obsequutus, e paradiso relegatus est: sic in Ecclesia, qui Paulo non parent, qui a Petro non docentur, sed documentis serpentum obsequuntur, ex hoc paradiso exterminantur. Unde hoc constat? Ait Paulus: *Æmulor enim vos Dei æmulatione: despondi enim vos uni viro virginem castum exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut serpens Evam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri* (2. *Cor.* 11. 2. 3). Verum hic locum non habet doctrina serpentis, cum magnus pastor fidei baculo capita serpentum conterat. Etenim tamquam pastor, mirificus Pater noster evangelica fide ac spe in Christum conterit capita draconum; et tamquam optimus plantarum cultor et hortulanus, plantas quidem Ecclesiæ nutrit, radicitus autem evellit quodcumque fuerit semen adulterinum aut germen; impietatis morbum, errorem gentilitatis tamquam spinas igni tradit; hæreticum errorem tamquam gramen evulsum abjicit zelo Dei indutus, qui multis ignotus est. Solent enim nonnulli Ecclesiam et sanctos pastores, qualis est hic admirabilis pater, captive ac fraudulenter aggredi; et per speciem clementiæ et benignitatis negligentiam introducunt, zelum vituperant, Deique verbum quod viget ac floret debilitare conantur. Reperies enim aliquem, qui specie ac prætextu clementiæ commendandæ dicet: Quid enim nobis rei est cum gentilibus? vult salvus fieri? salvus fiat. Qui hæc dicit, nondum zelo pietatis accensus est: qui pereuntem videt, neque illius perditionem luget, neque suam jacturam arbitratur, pietatis zelum minime novit, spiculis veritatis sauciatus non est.

3. Qui ergo videt pereuntem, neque zelo ducitur, ut ait Paulus, *Quis infirmatur, et ego non infirmor* (2. *Cor.* 11. 29)? Is Pauli discipulus non est. Conferat cum isto patris recte facta, et videbit eum cum apostolicis vocibus consentire: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Qui ita sentiunt, fratres sunt apostolorum. Justus enim non ob ea tantum, in quibus peccavit, mœrore afficitur, sed etiam ob ea in quibus alios peccantes viderit, ut ait David: *Mœstitia tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam* (*Psal.* 118. 53). Si quis ob aliorum peccata mœrore afficitur, zelum et æmulationem habet pietatis. Justus enim, cum vitam suam correxerit, lacrymatur, et luget, ut peccatum suum deleat: ac deinde ubi peccatis suis finem imposuit, aliorum deinceps peccata deplorat; quemadmodum et Paulus: *Ne forte, cum venero, multos lugeam ex iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam* (2. *Cor.* 12. 21). Paulus eos luget, qui peccarunt, et pœnitentiam non egerunt; Samuel luget Saülem, ita ut diceret Deus: *Usquequo tu luges ob Saül* (1. *Reg.* 16. 1)? Vides animam pereuntem, et non luges? Si quis mortuum efferri viderit, et non fleverit, tamquam immitis, durus et efferatus reprehenditur: si videris animam in impietate demersam, et æterna morte damnatam, et in infidelitate perseverantem, non ploras, dic quæso? non luges? hoccine est animæ religiosæ? Sane quidem alia omnia lugere oportet peccata eum qui recte sapiat, præcipue vero, cum animam viderit in gentilitatis impietate demersam. Ob ejusmodi animam non solum lugere oportet, verum etiam uri, et zelo accendi, ut quis discipulus Pauli fiat. Cum enim versaretur, inquit, Paulus Athenis, inflammabatur spiritus ejus, videndo civitatem deditam idolorum cultui (*Act.* 17. 16). Quare vero ita sentiunt viri sancti, quemadmodum et admirabilis hic pater pietatis erat defensor? Nam quemadmodum rex in terris subjectum sibi regit orbem terrarum, habet autem in singulis tribunalibus palatii, qui jus dicant: sic et Deus fideles habet pastores pietatis ac religionis defensores. Multi enim ex gentilibus irridentes dicunt, cum Christianos audiunt dicentes ipsis, Cur blasphematis? cur impie agitis? continuo irrident: Ecce defensores Dei: non potest Deus seipsum defendere? Imo seipsum non defendit (neque enim divinitatem probro afficit); sed per fideles famulos, ingratos servos castigat. An indiget Deus defensoribus? Ita est; non quod ipse sit infirmus, sed ut tibi zeli fores aperiat. Si enim omnia per se faceret, interclusa esset æmulatori via vitæ. Nonne repugnabat Deo Pharao, et in impietatis profundum erat demersus; neque tamen ultra plaga inferebatur, donec Moses fidelis exortus est? Nonne florebat multorum deorum error cum

falsis sacerdotibus et falsis prophetis, nec ulla plaga à Deo illata est, donec Helias æmulator exortus est? Defensores Dei sine dubio sunt sancti. Quare et ait Paulus : *In promptu* habemus *ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia* (2. *Cor.* 10. 6). Adhuc admiranda Debora inter mulieres quæ mulieris infirmitatem præ se ferebat, et virilem virtutem prophetando exhibebat, de qua dicit Scriptura, Et surrexit Debora (*Judic.* 5. 7), mater in Israel, mater populi facta est ob pietatem ; adeoque celebris fuit, ut, exorto bello, duces exercitus et Barac mulieri dicerent : Nisi tu venias ad bellum nobiscum, nos non veniemus (*Jud.* 4. 8). Non in mulieris fortitudine, sed in prophetiæ virtute confidebant. Exierunt multi divinæ voluntatis adjutores, et alienigenas interfecerunt. Illa ergo beata Debora veritatem prædicans ait : Domine, qui diligunt te, sicut ortus solis (*Ibid.* 5. 31) : inimici vero tui, sicut purgamentum lucernæ. Domine, qui diligunt te, sicut ortus solis, siquidem sol numquam exstinguitur : inimici vero tui, sicut purgamentum lucernæ, siquidem lucerna lucem habet ad tempus durantem, et rursus exstinguitur. Deinde laudat exercitus ducem, qui Dei voluntati inservierat, et jubet maledicere habitatoribus Mazor, quoniam non exierunt in auxilium Domini. Ergone Deus auxilio indigebat? Sic est. Oportet ut sui specimen exhibeant, qui ferunt auxilium religioni. Sic igitur hic etiam admirabilis pater non tamquam imbecilli fert auxilium Deo, sed huic præfectus muneri, religionem defendit ; dum corpori quidem interitum afferre videtur, animabus autem potentiam immittit. *Sagittæ* quippe potentis *acutæ* (*Psal.* 44. 7). Neque vero mireris, si Christi pastores ac pietatis magistri veritatem ulciscantur. Imo licet doctor non sit quispiam, neque doctoris ei cathedra sit commissa, sed Christi verbum simpliciter exceperit, et in ordine discipuli constitutus, zelum debet habere Dei, atque hanc gratiam benefactori rependere, ut libere loquatur, et pro veritate verba faciat, atque adversus impietatem decertet, ut a sancta Scriptura sibi dictum audiat : Fili, decerta pro veritate, *Et Dominus Deus pugnabit pro te* (*Eccli.* 4. 30. 33). Nihil mirum, si sancti pietatem ulciscuntur. Sæpenumero loquitur aliquid Deus clementiæ causa, utpote bonus ; et prophetæ non sinunt lædi pietatem propter clementiam Dei. Dicit Deus per Moysen : *Dic Pharaoni*, *Dimitte populum meum* (*Exod.* 8. 1. 2). Quod si nolueris, ecce immittam signa, et percutiam te. Perculsus est hoc dicto Moyses, et subiit animum viri pii hæc cogitatio, dixitque : Noli existimare ipsum ex æqualitate honoris populum suum habere, ac Deum populum suum. Et cum anxie dubitaret, num immensa Dei bonitas et clementia illi noceret, videreturque Deo refragari, cum audiisset, Populus tuus, et, Populus meus, prædicationem refert. *Hæc dicit Dominus Deus : Hebræorum : Dimitte populum meum* (*Ibid.* 9. 1) : sin autem nolueris, ecce ego immittam signa, et percutiam te et famulos tuos : ut discas, quia *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* 23. 1). Audivit terra populum et populum, neque verbis paruit : verumtamen dixit, Omnis terra Domini est. Licet enim clementer se gesserit Deus, hic tamen Dominus auctoritatem prodere noluit. Propterea namque sic loquutus est Deus, ut hominis pii zelus patefieret. Sed et fideles Dei verba semper amant excedere : sic enim inquit Salvator discipulis : *Quem me dicunt homines esse Filium hominis?* Dicit unus ex discipulis, *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* 16. 13. 16). Doceat vos quoque æmulatores esse Spiritus sancti æmulatio, ac pro pietate pati, bonumque certamen pro justitia certare.

4. *Æquum* enim est, ut boni discipuli sint imitatores magistri, sicut et Paulus ait : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (1. *Cor.* 11. 1). Vis nosse cum eum, qui omnino sit discipulus, tum eum, qui discipuli locum obtineat, habere pietatis æmulationem debere? Audi quo pacto cæcum a nativitate Christus sanarit : imo vero a principio historiam audiamus. Post multa siquidem ab evangelista dicta, sic narrare cœpit : *Præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate. Et interrogaverunt eum discipuli ejus dicentes* (*Joan.* 9. 1. *et sqq.*) ; et quæ sequuntur. Et cum exspuisset, ac lutum fecisset, *Linivit oculos ejus*, *et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloam* : et cum lavisset, vidit. Judæi noverant eum, et dicunt : *Nonne hic est, qui ad eleemosynam sedebat, cæcus?* alii dicebant, Sic est ; alii, Non, sed similis ipsi est. *Ille dicebat*, *Quia ego sum*. Pharisæi et principes Judæorum videntes multos ad Christum posse miraculum trahere, impietatis [1] æmulatione stimulati, et veritatis aculeo compuncti, eum qui cæcus fuerat intro vocant. Ac videre erat miserum spectaculum, cum pietas exagitaretur, improbi judices disceptarent, magnus patronus certantem juvaret, et Deus certamini præsideret ac spectaret. Vocant eum, qui cæcus fuerat et visum receperat, Judæi, atque in medio concilio statuunt, et dicunt ei : Dic quomodo visum recepisti, et quis oculos tuos aperuit, et quid fecit tibi (*Ibid. v.* 10)? Hæc dicebant, non ut discerent, sed ut ipsa interrogationis forma timorem incuterent. Sæpe namque forma interrogationis illum admonet, quem interrogamus, quid respondere, aut si tacere debeat : ut si quis ei dixerit, qui in rem quampiam testimonium sit laturus : Vidisti rem de qua agitur? interfuisti? unde rem nosti? vel ipsa forma docet illum negare. Sic et illi : Quomodo visum recepisti? quis aperuit oculos tuos? Ille minas eorum minus curans, veritati magis adhærebat, et ait : *Homo* quidam, *qui dicitur Jesus*, *cum lutum fecisset*, *linivit oculos meos, et dixit mihi : Vade*, *lava in Siloam. Et cum abiissem, lavi, et vidi* (*Ibid. v.* 11). Non noverat veritatem, sed beneficium agnovit : dignitatem benefactoris nondum noverat. Homo quidam cum lutum fecisset, unxit oculos meos et video. *Non crediderunt Judæi, quia cæcus fuisset, et vidisset*, *donec vocaverunt parentes ejus qui viderat* (*Ibid. v.* 15. *v.* 18). Improbitatis exceptio veritatem in dubitationem adduxit. Vocant parentes cæci : testimonia colligit adversus seipsam improbitas. Vocati sunt parentes cæci. Rursus eadem forma interrogationis usurpatur : *Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt* (*v.* 19)? Illi cum morem improbitatis probe nossent, eos scilicet minas intendere, dicunt illis : *Scimus quia hic est filius noster*, *et quia cæcus natus est scimus : quomodo autem nunc videat, aut quis aperuit ejus oculos, nescimus : ipse ætatem habet, ipsum interrogate : ipse de se loquetur* (*v.* 20. 21). Animadverte Dei sapientiam. Ne vocem ejus, qui visum receperat, exceptione rejicerent ut qui juvenis esset, nec publicis in judiciis verba facere nosset, providit Deus ut legitima prius ætas ejus indicaretur. *Ætatem habet*, inquiunt, *ipsum interrogate :* propterea quod impuberes patronis indigent ; qui vero perfectam ætatem attigerunt, ipsi patroni fiunt suiipsorum. *Responderunt parentes ejus*, *et dixerunt : Scimus, quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est.* Confessi sunt parentes ejus, ne qua dubitatio superesset, an is cæcus fuisset. *Ætatem habet*, *ipsum interrogate*, *ipse de se loquetur. Vocant rursus*, inquit, *eum secundo*, *et dicunt illi* (*v.* 24) : Quid fecit tibi? quomodo aperuit oculos tuos? Tum vero ille, Dei zelo indutus, interrogationem despexit, et ut indignos responso minime dignatus est alloqui ; sed quid ait illis? *Dixi vobis jam*, *et non audistis : quid iterum vultis me audire? numquid et vos vultis discipuli ejus fieri* (*v.* 27)? Itaque doctrinam imitatur Christi, cum nondum Christi doctrinam audierit. Nam cum in encæniis circumdedissent Salvatorem in porticu Salomonis Judæi, dicebant illi : *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Ait illis : Dixi vobis*, *et non audistis : quid iterum vultis audire* (*Ibid.* 10. 24)? Ac vide pietatem patroni. Cum Judæorum malitiam animadvertisset, eosque nihil

[1] Alias legitur, *pietatis.*

non agere ac simulare, ut ei metûm incuterent, ne magistrum illum confiteretur, ait illis : *Dixi vobis jam, et non audistis : quid iterum vultis audire? numquid et vos vultis discipuli ejus fieri?* Cum dixit, *Numquid et vos*, confiteri se discipulum esse indicavit. Hanc vocem usurpet omnis Christianus, a paganismo deductus : cum enim occurrerit tibi paganus veteris erroris addictus consuetudini, et dixerit tibi, Christianus es, dic illi : Etiam; numquid et tu vis fieri? Hic igitur fuit hominis istius scopus, qui visum et animæ et corporis receperat. *Dixi vobis jam, et non audistis : quid iterum vultis me audire? numquid et vos vultis discipuli ejus fieri?* Quasi diceret : Tantum abest ut me de sententia dimovere possitis, ut ego vos sperem potius de sententia dimotos, Christum ipsum confessuros. Quid ad illum deinde Judæi? *Maledixerunt ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis, nos autem Mosis discipuli sumus. Nos scimus, quia Mosi loquutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit* (*Joan.* 9. 28. 29). Cogita quænam esset multitudo contradicentium, et quænam unius potentia qui resistebat. Neque siluit rursus patronus veritatis, sed instilit : *In hoc enim mirabile est*, inquit, *quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam* (*Ibid. v.* 30. *et* 33). Stabat decertans, et spectator erat ac certaminis præses Deus : multi formidabiles adversus unum robustum, nubes infidelis adversus unam fidei guttam. *A seculo non est auditum*, inquit, *quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam* (*Ibid. v.* 32). Quandoquidem de doctrina Mosis gloriamini. Non ille quidem adhuc Mosis mentionem facit, ne exasperet eos : sed ait : *A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati :* hoc est, Quis alius aperuit propheta? neque qui antecellat occurrit, neque qui possit comparari. At quantum iste veritatem tuebatur, tantum illi in impudentia perseverabant. Quia negare non poterant, deinceps occultare contendebant : et dicunt, *Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est* (*Ibid. v.* 24). Gloria Filii, Patris est gloria et indivisa est gloria. Decertat inito præclaro cum Judæis certamine. Dicunt ei : *Da gloriam Deo*. Cuinam? Deo legis nostræ? An vero justum est, ut alius beneficium contulerit, et alius gloriam reportet? *Da gloriam Deo.* Alius beneficus fuit, et alii gloriam dabo? Confessi sunt lutum fecisse Jesum, et unxisse oculos ejus : eum qui aperuit, confitentur, et alteri gloriam deferam? Quare vero gloriam Deo dabo? Quia nempe Dei opus hoc est. Igitur Deum esse Christum imprudentes fatemini. *Da gloriam Deo.* Nam si Dei est opus, eique gloria debetur : qui auctor est operis, ipse est Deus. *Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Respondit eis, qui cæcus fuerat : Si peccator est, nescio; unum scio, quia cæcus cum essem, modo video* (*Ibid. v.* 25).

5. Hucusque cum libere loquutus esset, ejici foras ipsum jusserunt. *Et ejecerunt eum*, inquit evangelista, *foras* (*Ibid. v.* 34). Beatus qui ablegatus est a concilio malignantium (*Psal.* 63. 3). Ac vide, quid fiat. Postea quam bonum certamen certavit, Dei gloriam defendit, ac multa cum fiducia dicendique libertate Salvatorem confessus est; jam absolutis certaminum suorum spectaculis, foras ejectus est athleta, corona minime accepta, et foris illi præmiorum occurrit distributor. *Audivit* enim, inquit, *Jesus, quia ejecerunt eum foras : et cum invenisset eum dicit ei* (*Joan.* 9. 35). O verbum notandum, Invenit eum! quem perdidit error, veritas invenit. Cur autem occurrit illi? Vidit Salvator animam probitatis plenam : vidit animam pro Deo verba facere nondum scientem, sed pro fideli aliquo propheta se loqui existimantem : interrogatur enim de Christo. Et quid de illo dicit? quia propheta est. Salvator autem hæc ait : Si, cum me prophetam arbitratur, et hominem esse suspicatur, ita decertat, quid non faciet, si gloriam divinitatis cognoverit? Si cum hominem esse me censet, ac prophetam appellat, tantum veritati subsidium tulit, tantumque certamen suscepit nondum fidei elementis imbutus, sed solo beneficio illuminatus : cogita cur hominem putans se patrocinio tueri, a veritate non deflexerit; si secundum evangelium effari didicerit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* 1. 1); quid tandem erit? Propterea deinceps ejus scientiam corrigit, ejusque certamine collaudato fidem ipsius obsignat. Occurrit ei Salvator : non enim eum de facie noverat iste. Quando enim misit eum ad Siloam natatoriam ut lavaret, cæcum misit : ut autem videns rediit, Salvatorem cum turba mixtum non aspexit; ac confestim antequam Dominum cerneret, ad certamen vocatus decertavit. Porro lutum fecit Dominus, antequam lavaret ipse, atque inunxit oculos ejus, ut defectum sarciret. Quando igitur ejecerunt eum foras, cum invenisset eum Christus, dixit ei : *Tu credis in Filium Dei?* Non enim te credere oportet, ut prophetæ decertanti, sed ut Filio Dei. Ille cum faciem non nosset, vocem agnovit. *Tu credis in Filium Dei?* inquit. Vocem agnovit, et summa cum lætitia clamavit, *Quis est, Domine, ut credam in eum* (*Id.* 9. 36)? Cur credis dicenti tibi fideli : *Tu credis in Filium Dei?* Scio verum tuum esse sermonem; ac licet hanc mihi tu des cognitionem, non dubitabo tamen tibi credere. *Et quis est, Domine, ut credam in eum?* Tum futurorum provisor respondit : *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est* (*Ibid. v.* 37). Qui patrocinatus est intus, foris alloquitur : *Tu credis in Filium Dei?* At is qui in corpore et animo fuerat illuminatus ait : *Et quis est, Domine, ut credam in eum?* Respondens ille dixit ei : *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est.* Tum alter ait : *Credo, Domine, et adoravit eum.* Hæc a me dicta sunt, ut discatis omnes bonum magistrum sequi, bonumque pastorem imitari, ac pro veritate certare : vestrum enim certamen magno Pastore subsidium ferente committitur. Admirati estis cæcum, qui beneficio affectus patronus factus est veritatis; latronem, qui ante beneficium acceptum Christo patrocinatus est, admirati estis. Semper enim anima divina, quæ veritatem æmulatur, multa merito suo reserat ora, quæ veritati suffragentur, pendebat in cruce Christus et duo latrones, unus a dextris et unus a sinistris, et Judæi deblaterant, principes sacerdotum blasphemant : *Ecce Regem Judæorum :* et rursus, *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus ei* (*Marc.* 15. 26. 32) : et rursus, *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere* (*Ibid. v.* 31). Similiter et qui cum eo crucifixus erat latro et ipse deblaterabat dicens : *Si Filius Dei es, salvum fac temetipsum, et nos* (*Luc.* 23. 39). Alter vero latronum nihil dicebat, et alios obnoxios suo silentio castigabat. Postquam igitur principes sacerdotum et scribæ, qui legem noverant, imo vero qui ignorabant, qui prophetarum lectione commoniti Christum debuerant confiteri, confessi non erant : inexspectatum os aperuit Deus in cruce quod veritati patrocinetur. Ac vide quid faciat : Cum nondum Christi vocem audisset ei patrocinatur, ac deinde coronatur [1]. *Crucifixi* enim *sunt*, inquit, *cum eo duo latrones; unus a dextris, et unus a sinistris* (*Matth.* 27. 38); eratque medius Salvator tamquam statera veritatis, unum elevans confitentem, et alterum blasphemantem condemnans. Ac vide rem mirabilem. Dum scribæ ac principes sacerdotum Christum blasphemarent, et dicerent : *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus ei;* et alio latrone dicente, *Si Filius Dei es, salvum fac teipsum et nos;* nihil ait unus ex latronibus probus : quippe latrones populi Judæorum et nostri figuræ fuerunt. Nam hic quidem blasphemat, et damnatur; ille vero credit, et pœnitentiam agit, et salvatur. Ait igitur improborum ex Judaico latrocinio germanus (fuerunt enim popu-

[1] Juxta Savil. legendum esset : *Vide quid faciat. Non primum appretiat Christum, non primum vocem ejus audit, atque ita ei patrocinatur, sed primum patrocinatur, ac deinde coronatur.*

lus latronum improbi Judæi, ut testatur Salvator dicens : *Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Matth.* 21. 13) : ac prioris quidem propositum animi Judaicum fuit, posterioris vero Christianum, cum a malis exorsus, pœnitentia salutem extorqueat) : ait igitur improbus latro, cui propositum animi fuit Judaicum : *Si Filius Dei es, salvum fac temetipsum et nos*, de cruce descendens : alter autem probus invenitur, in judicio reus, in cruce judex. Sed et timorem Dei docet. Prima enim vox latronis ad socium latronem hæc fuit : *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es? Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit* (*Luc.* 23. 40. 41). Quid ais? qui foris furabaris, hic condemnas? qui foris occidebas, hic timorem doces? *Neque tu times Deum?* Cognosce Christi crucem, ut vox ista te doceat pietatem. Vide namque rem miram; latro socio latroni dicit : *Neque tu times Deum?* Deum ipsum prædicat, qui cum illis ultro crucifixus est, ac toleranter pro humano genere patitur. De ipso enim Salvatore dicere illum, *Neque tu times Deum?* ex iis quæ sequuntur intellige : *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit.* Hæc ideo dico, ut pro pietate laborare discatis, et cum domi tum publice æmulationem præ vobis ferre, ac pro Christo decertare, ut et ab ipso justitiæ coronam accipiatis, sicut et iste probus latro. Audi enim quibus verbis socium latronem blasphemantem affatur : *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum : Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Vidisti verum patrocinium? vidisti, ut Christum verum Deum sit confessus? *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum.* Mala propria confitetur, et Domino patrocinatur. Adeo tortus es, latro, coram præside, ut latrocinia tua, cædes, et furta a te commissa fatereris, nec tamen fassus es : et nunc extra tormenta dicis : *Digna factis recipimus?* Mille tormentis admotis vix apud præsidem fassus es; et hic, nemine te cogente, ita facile confiteris? Sic est, inquit; verum illic confessionem excipit mors, hic confessionem pœnitentia sequitur et vita. *Nos enim digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit.* Si nos, inquit, juste, hic injuste. Nos enim vivos occidimus, hic mortuos suscitavit : nos aliena prædati sumus, hic divitias suas orbi terrarum largitus est. Pugnat latro cum socio latrone, et ait : Ad hoc usque tempus, quo cruci affixi sumus, inter nos convenimus, et iter una fecimus; verumtamen ab ipsa cruce finditur mihi via : si mecum iter facere velis ad vitam, veni : sin minus, vade vias tuas. Hactenus cum te comitatus rer, prima via tecum ibam : jam vero crux secundam hanc viam in duas divisit. Pœnitentia dividitur latronum via. Tumque Psalmus et finis Psalmi adimplebatur : *Novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit* (*Psal.* 1. 6). Postquam igitur veritati patrocinatus est latro, ad Dominum gloriæ se vertit, et ait : *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum.*

6. Erubescant deinceps Ariani, et audiant quid latro dicat : *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Videt cruci affixum latro, et Dominum confitetur : hæreticus ejusdem throni participem cum Patre confitetur, et ut creaturam blasphemat. *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Vellem et ipse verbis quibusdam latronem compellare : Ut meminerit tui Christus, quid tandem fecisti, quo id commerueris? an quia occidisti, quia deprædatus es? sic enim ais, *Memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Sed nemo existimet, secundum gratiam tantum salvatum esse a Christo latronem; imo secundum debitum illi reddendum hoc fuit. Quod tandem debitum, dicet aliquis? an quod res justas egerit? eleemosynas dederit? res suas distribuerit? jejunarit? vigilarit? rem fecerit, quam nemo alius? An vero quod Deo crediderit? Et prophetæ Deo crediderunt, et patriarchæ crediderunt, hymnorum scriptores crediderunt, apostoli, prædicatores, martyres : verum omnes isti, cum Deum in gloria conspexissent, hic autem, cum in ignominia. Tu vero mille mihi famulos domino servientes siste, quo tempore ille prospera fortuna et honoribus fruitur : et unum servum, qui in tempore tentationis, afflictionis et exsilii a domino suo non recedat; illos autem mille servos, qui tentationis in tempore et exsilii dominum deseruerint, ac recesserint : numquid hi prospera favente fortuna, servi, qui tentationis tempore dominum reliquerunt, pares esse possunt ei, qui rebus in adversis Dominum est sequutus? Nequaquam. Credidit Petrus; sed cum mortuos eum suscitantem vidisset, cum gloriam ejus contemplatus esset, credidit : credidit Paulus, sed cum cælitus missam lucem vidisset, eamque lumina corporis excæcantem, animæ vero oculos illuminantem : credidit Abraham; sed cum divinam visionem aspexisset : Isaias credidit; sed cum eum in solio sedentem excelso vidisset (*Isai.* 6. 1), et Cherubim in circuitu ejus. Omnes viderunt, sed in gloria : hic autem in ignominia; quamobrem etiam clamabat : *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Sed spectato rerum mearum statu, mihi dicturi estis : Quamobrem hoc ais? Equidem peccator sum, et homicida : latro ad hanc horam usque : multa sunt scelera mea, fateor; sed in mente mea fidem absconditam habeo, quam nemo novit, nisi Dominus solus, qui mecum patitur. Habet externas apparentes notas passionis Dominus : at ego eam, quæ apparet, ignominiam non attendo, sed absconditam majestatem glorifico. Sic et tu dicito : Domine, noli, quæ apparent scelera mea, sed absconditam fidem spectare; et *Memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Cum nulli prorsus quidquam loquutus esset Christus, sed tacuisset, et neque Pilato, neque ulli alteri Judæorum scelerato capiti respondisset, tum respondet; et quoniam grave admodum et incommodum erat silentium, jam respondet, aitque latroni : *Amen, amen, dico tibi : hodie mecum eris in paradiso.* O eximium largitoris beneficium! Quandoquidem tardum beneficium postulasti, ac dixisti, *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum*, sero postulasti, ego præpropperum beneficium confero : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* 23. 43). Vidisti Dei salutem? vidisti Domini beneficium? vidisti magnum veritatis Judicem? *Hodie mecum eris in paradiso.* Nemo hactenus Judæorum, aut patriarcharum, de paradiso fieri mentionem audivit, ex quo transgressus est Adamus, et ex illo egressus est : ac tametsi Deus hominibus innumera fidelibus promisit, nulli tamen paradisum, nisi latroni promisit : nusquam homini apparet Dei ore promissum esse paradisum, postquam ejectus Adamus est, nisi huic primum latroni. Cur nulli patriarcharum primum de paradiso loquutus est, nulli prophetarum, nulli apostolorum? Antiquis vero promisit : Dabo tibi *Terram lacte et melle manantem* (*Exod.* 13. 6); apostolis dicit : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* 5. 3) : nusquam paradisus : reservat in medio paradisum, ut latroni primum promittatur. Licet enim dixerit Paulus, Raptus sum in paradisum (2. *Cor.* 12. 2); post latronem tamen hoc accidit. Cur igitur primus ingressus est, qui unam prope vocem protulit? quid enim? an sæpe psalmos cantavit? sæpe decertavit? sæpe de divinitate verba fecit? Semel, inquit. Justus nimirum est Deus meus salutis arbiter; quandoquidem primum hominum Adamum non ob multa peccata, sed ob unam inobedientiam e paradiso ejecit : ita justitiæ sætera latronem primum in paradisum ingressurum eum promisit, non cum multa quædam confessus esset, verum cum unam fidei confessionem obtulisset. Dixi peccatum Adami fuisse, quod contra quam præceptum erat, lignum attigerit. Quæ porro fuit latronis purgatio? Quod cum fide crucem attigerit, in paradisum intravit. Quid fit deinceps? Sal-

valor quidem salutem promiserat, sed tempus non erat, neque permittebatur latroni credere, ac baptizari: pronuntiarat enim Salvator, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non introibit in regnum cælorum* (*Joan.* 3. 5). Opportunitatem aut licentiam non reperiebat latro, suscipiendi baptismi tempus illi non suppetebat, quippe qui suspensus esset in cruce. Salvator igitur viam invenit, qua impedita expediret. Nam quia crediderat is Salvatori, qui in peccatis inveteraverat, eumque necesse erat baptizari, sic disponit Deus ut post passionem lancea miles Domini latus vulneret; et exsilit sanguis et aqua: ex ejus enim latere, inquit evangelista, *Exivit sanguis et aqua* (*Ibid.* 19. 34), ut de veritate passionis constaret, et figura sacramentorum exstaret. Neque vero sic exierunt sanguis et aqua, ut simpliciter fluerent, sed cum impetu, ut latronis corpus aspergerent. Quod enim cum impetuoso fluxu emittitur, aspergit: quod autem fluit, leniter fluit, prout venit. At cum impetu exivit ex latere sanguis et aqua, ut latronem aspersum baptizarent, sicut apostolus ait: *Accessimus ad Sion montem, et aspersionem sanguinis melius loquentem quam Abel* (*Hebr.* 12. 21. 24) Quare melius quam Abel loquitur sanguis Christi? Quia sanguis Abel insidet capiti homicidæ, Christi vero sanguis homicidas etiam pœnitentes emundat. Disce igitur æmulationem ac zelum veritatis, et libertatem pro Christo loquendi adamato; sequere verum Magistrum pro veritate decertantem, ut cum ab apostolo Paulo sic audiveris, *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (1. *Cor* 11. 1), justitiæ tu quoque coronam obtinere merearis, et quæ Christus Deus noster æterna bona præparavit iis, qui diligunt illum; quæ nobis omnibus utinam consequi detur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO

IN SERMONEM

DE PSEUDOPROPHETIS ET FALSIS DOCTORIBUS.

Hanc orationem a multis auctam, retractatam et mutatam fuisse perspicuum est, neque unus occurrit Codex manuscriptus qui cum alio consentiat. Longiorem homiliam Latine solum ediderat Gerardus Vossius: hujus autem interpretationi Latinæ ex aliquo exemplari breviorem aptavit Græcam homiliam Fronto Ducæus, ita ut non paucis in locis hiulcam et mutilam seriem repræsentet; et tamen si extrema verba ubi hiatus incipit, cum sequentibus quo desinit, conjungas, nihil desiderari existimes. Sub hæc autem, Vossiana et Frontoniana longiorem orationem edidit Savilius, sed multis in locis vitiatam. Nos demum ex Codice Coisliniano 349 hanc sartam et tectam proferimus, a Frontoniana et Vossiana longe diversam, et cum Saviliana magis consonantem.

Is qui Chrysostomi nomen in titulo ementitus est, sese fingit populo suo ultimum vale dicere: *Tempus resolutionis meæ instat*, inquit. Hic omnia spuritatis signa sese statim offerunt. Stylus humilis abjectusque, a Chrysostomi orandi genere toto cælo diversus: dictio inelegans est, grammaticæ leges plerumque violantur, epitheta insipida ad nauseam usque accumulantur. Demum Dionysius Areopagita ut scriptor celeberrimus memoratur. Hujus tamen scripta, quæ spuria apud eruditos omnes habentur, aliquot post mortem Chrysostomi sæculis confecta publicataque sunt. Inter hæreticos recensetur Nestorius; unde arguitur quanta fuerit Græculi hujus imperitia.

Interpretationem novam latinam adornavimus.

ORATIO DE PSEUDOPROPHETIS, ET FALSIS DOCTORIBUS, ET IMPIIS HÆRETICIS, ET DE SIGNIS CONSUMMATIONIS SÆCULI HUJUS. DICTA EST PAULO ANTEQUAM (SANCTUS) DE VITA MIGRARET.

1. Lugubris oratio, utpote ultima, ut mihi significatum est: attamen magno gaudio plena. Lugubris, quia non ultra vos alloquar; multo gaudio plena, quia tempus resolutionis meæ instat, ut sim cum Christo; ac sicut dixit Dominus, *Non amplius loquar vobiscum* (*Joan.* 14. 30). Adhuc tamen nunc loquar in dolore cordis de falsis prophetis, de falsis doctoribus, et de impiis hæreticis, de quibus dicebat apostolus: *Mali homines et præstigiatores proficient in pejus, in errorem inducentes et errantes* (2. *Tim.* 3. 13): de quibus etiam vos frequenter commonefeci. Multa enim verba feci per Christi gratiam, ut vos scitis, viri religiosi, fereque in singulis concionibus vos monui, si recordamini eorum, quæ heri dicebam: ac scio vos meminisse, maxime vero qui laboriosi, lectioni dediti, et Christi amantes estis. Nam qui lectionis studiosus est, jure Christi amans vocetur, secundum id quod dictum est a Domino: *Qui diligit me, sermones meos servat*; et, *Qui diligit me, diligetur a Patre meo* (*Joan.* 14. 23) Qui diligit me, in lege meditabitur die ac nocte, videlicet in Evangelio et reliquis Scripturis. Talis enim numquam delendam in corde suo Dei retinet memoriam: exspectans quippe illum de cælis venturum, ejus adventus horam semper observat. Sacros manibus libros pertractans, non obliviscetur illorum tremendorum librorum, de quibus scriptum est: *Judicium sedit, et libri aperti sunt* (*Dan.* 7. 10). Vide quantum sit lucrum, scrutari Scripturas, ut sæpe audivistis. Quid porro est id quod dicimus? Scripturam divinam nihil tacuisse eorum, quæ utilia nobis esse possent; sed perpetuo clamare per prophetas et apostolos, ac velut matrem prolis amantem prænuntiare, singulosque præmunire. Commonefacit enim circa præterita, præsentia et futura, nihilque neglizit, ut dictum est, eorum quæ nobis utilia sunt: id vero non in occulto, nec demissa voce, sed ubique totis viribus clamat, per legem, prophetas et apostolos, imo per ipsum Dominum. Per Isaiam quidem propheta dicit: *Clama in fortitudine, et ne parcas, quasi tubam exalta vocem tuam* (*Isai.* 58. 1), et iterum dicit: *Super montem excelsum ascende qui evangelizas Sion* (*Ibid.* 40. 9); ac postea dicit: *Exaltate, ne timeatis.* Rursumque David ait: *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ* (*Psal.* 68. 4). Joannes autem Theologus in Catholica sua epistola dicit: *Videte vosmetipsos* (2 *Joan.* 8) Paulus vero quid? *Videte quomodo ambuletis* (*Ephes.* 5. 15); Dominus item: *Ego palam loquutus sum mundo et in abscondito nihil loquutus sum* (*Joan.* 18. 20). Et alibi evangelista de ipso ait, stetisse illum et clamasse: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* (*Ibid.* 7. 37). Vides quanta contentione, quanto studio, quomodo palam loquatur, et nemo intelligat? Rursumque beatus Paulus dicit: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem*

(*Philipp*. 3. 2). *Videte quomodo ambuletis, quia dies mali sunt* (*Ephes*. 5. 15. 16). Et Joannes: *Videte vosmetipsos, ne perdatis ea, quæ operati estis, quia multi seductores exierunt in mundum* (2. *Joan*. 8. 7). Multaque hujusmodi sunt in divinis Scripturis tum Veteris tum Novi Testamenti, quæ occlamant, et nos somno sopitos excitant. Nos autem contrarium facimus, quemadmodum dixit Isaias propheta: *Auribus suis graviter audierunt, et oculos suos clauserunt* (*Isai*. 6. 10). O quam multas et quales scripturas audientes intelligimus! Quamobrem inexcusabiles erimus in die examinis cum non venerit is qui illuminat abscondita tenebrarum, et manifesta facit consilia cordium: cum judicium sedebit, et libri aperientur (*Dan*. 7. 10), quos nunc cum audimus, ridemus, et non suspicimus. Nos enim singuli in propria via erramus, relinquentes rectam viam, et facti sumus sicut ab initio (*Isai*. 63. 19), cum nobis non imperares, Domine. Vereque in nobis impleta est prophetia Davidis, quæ sic habet: *Et commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum* (*Psal*. 105. 35). Ideo humiles vilesque sumus per universam terram propter peccata nostra, et in nos pervenerunt fines sæculorum, sicut scriptum est (1. *Cor*. 10. 11): et pastores lupi sunt, et oves contritæ; et fames instans, non fames panis, neque sitis aquæ, sed fames audiendi verbum Dei. Sed nemo sperantium in Dominum animum despondeat. Ne igitur animo deficiatis, semper respicientes in eum, qui dixit: *Vobiscum sum* (*Matth*. 28. 20).

2. Confidite ergo. Neque enim fame necabit Deus animas justorum (*Prov*. 10. 3). De hac fame loquitur Dominus per prophetam: *Et erit in diebus illis, inducam famem super terram; non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini. Et circumquaque current ab Occidente usque ad Orientem, quærentes verbum Domini* (*Amos* 8. 11. 12). Vides hic non de pane verba fieri? Deus enim non de pane loquitur. O diram, exitiosam et damnosam famem! o famem æternum supplicium procurantem! Hæc fames est, quæ rem omnem malam subministrat: hæc fames omnis mali causa. Hanc prævidens futuram famem propheta David verbis Deum rogabat: *Deus meus, ne taceas a me*. Et de probis fidelibus sic vaticinatus est: *Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame*. Et alibi dicit: *Et in diebus famis saturabuntur*; et rursum: *Miserator et misericors Dominus escam dedit timentibus se*. (*Psal*. 27. 1; *et* 32. 19; *et* 36. 19; *et* 110. 4. 5). Hæc dixit David de iis, qui scrutantur Scripturas, quod non sint esurituri. Scrutemur Scripturas, fratres, ne esuriamus accedente exitiosa illa fame; scrutemur, ne in errorem abducamur, et circumferamur omni vento. Ideo negligentibus dicit Dominus: *Erratis, non intelligentes Scripturas* (*Matth*. 22. 29). Vere namque ii, qui tales sunt, errant. Undenam exitiosa fames advenit? annon ex eo quod Scripturas non scrutemur? O quantis nos privamus bonis, quod divinas Scripturas relinquamus! Dominicum enim præceptum est. Scrutare diligenter, scrutare et inquire, inveniesque magnas inæstimabilesque divitias, in agro absconditas, intelligesque sacram Scripturam. Scrutare, et invenies: cumque inveneris, vende omnia quæ habes, et eme agrum illum, præclaram nempe sanctarum Scripturarum scientiam, in quibus absconditur Filius, vera Sapientia Patris. Quem cum inveneris, beatus eris, sicut scriptum est: *Beatus homo, qui invenit sapientiam* (*Prov*. 3. 13), Scrutare, dilecte, sive dives sis sive pauper, sive servus sive liber, sive mas sive femina. *Scrutamini Scripturas* (*Joan*. 5. 39). Divina quippe Scriptura penus est omnis boni. Sed ad propositum redeamus: de consummatione quippe sermo est, de falsis prophetis, deque falsis doctoribus, et impiis hæreticis, qui torrentium instar omnia ubique inundant, multosque in errorem inducunt. Undenam id contigit? Certe ex ignorantia et imperitia præfectorum: ubi enim imperitia pastorum est, ibi ovium pernicies. Quid ergo primum dicam? an de consummatione nostra? an impiorum hæreticorum detestanda dogmata traducam? Si per tempus liceret, possem illorum profana dogmata et scelerata gesta triumphare: sed magno opus est certamine longoque sermone, quo impura illorum doctrina detegatur et triumphetur. Cæterum in præsenti operæ pretium est illos ex sacris Scripturis inimicos Christi comprobare, et lupos gregem ejus invadentes, ubique pellendos, et ab ovibus ejus abigendos. Ideo lupi jure vocati sunt et a prophetis, et ab ipso Domino, et a beatis apostolis; nec modo lupi, sed perniciosi, impii, hostes, inimici, insidiatores, blasphemi, hypocritæ, fures, latrones, abominandi, falsi prophetæ, falsi doctores, duces cæci, errones, maligni, antichristi, scandala, filii hostis maligni, zizania, athei, pneumatomachi, qui in Spiritum gratiæ blasphemant: quibus non remittetur neque in hoc sæculo neque in futuro: *Per quos via veritatis blasphemabitur* (2. *Pet*. 2. 2). Ad hæc, filii maligni diaboli, ut ait Theologus Joannes: *Manifesti sunt filii diaboli* (1. *Joan*. 3. 10). Oportet ergo primum circa istos occupari, et postea de consummatione loqui. Quandoquidem igitur in nos fines sæculorum devenerunt, ut ait apostolus (1. *Cor*. 10. 11), et exorta sunt tempora difficilia, et multiplicata est iniquitas, refrixitque caritas multorum, seductoresque multi sunt, ac plures qui seducuntur; age, sacros libros evolvamus, in iisque reperta veritatis via, per eam incedamus, et ad sanctos montes accurramus; ad prophetas dico et apostolos, ut non erremus, nec *Circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris* (*Ephes*. 4. 14). Ne infra maneamus, sed simul ascendamus cum sanctis discipulis ad beatum montem, audiamusque Pastorem nostrum dicentem: *Videte ne seducamini* (*Luc*. 21. 8): *Videte ne quis vos seducat* (*Matth*. 24. 4): videte ubique. Joannes quoque similia dicit: *Ne perdatis quæ operati estis* (2. *Joan*. 8); et Paulus: *Videte canes* (*Philip*. 3. 2): *Videte quomodo ambuletis* (*Ephes*. 5. 15). Illud autem, *Videte*, ad nihil aliud dicitur, quam ad nostram tutelam contra eos, qui sub ovina pelle seducunt, et lupum occultant, ac negligentiores seducunt. Certe necessario in Scripturis ubique occurrit illud, Videte, respicite, vigilate, attendite, non modo vobis, sed et universo gregi. Divina namque Scriptura, eorum quæ nobis proderant nihil tacuit.

3. Mihi vero erumpunt lacrymæ, cum audio quosdam ex nostra Ecclesia dicere, hæc in divinis Scripturis non haberi; nec dici modo hæc a laicis, sed etiam ab iis, qui videntur esse pastores, et loca obtinent apostolorum et prophetarum, sed non mores. Quibus opportune dicatur: Væ vobis, duces cæci, et indocti, atque inconstantes; qui vestium ornatu delectamini, non libris; qui dereliquistis verbum Dei, et ventri servitis: *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione* (*Philip*. 3. 19): qui lacte et lana et carnibus gregis abutimini, deque ovibus nihil curatis. Quomodo ergo evadetis, cum tantam salutem neglexeritis? Ego vero, assumpta ex sermone fiducia, plura testimonia proferam, ut ostendam ex sacris Scripturis, Evangeliis, prophetis, apostolis, Christo juvante, quomodo obstruatur os loquentium iniqua, et illuminetur cor eorum, qui verbum desiderant. Undenam autem incipiemus, nisi ab hoc dicto, *Ego sum principium et finis* (*Apoc*. 21. 6)? Quisque vero hic animum adhibeat, omni deposita sæculari cura. *Videte*, dicit Dominus, *ne seducamini*. ***Multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus; et multos seducent*** (*Luc*. 21. 8. *Matth*. 24. 5). Et rursum: *Attendite* vobis ipsis *a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; sed ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Id*. 7. 15. 16); id est, ex sermonibus eorum, ex falsa prophetia, ex hypocrisi eorum, ex pravis dogmatibus, ex blasphemia ipsorum cognoscetis eos. *Non potest* enim *arbor mala fructus bonos facere* (*Id*.

7. 18). Omnis quippe arbor ex fructu suo cognoscitur. Sic et vos ex fructibus ipsorum cognoscetis eos: et cum cognoveritis eos, ne recipiatis illos domi, ne flectamini, neque dignemini loqui cum illis: ne projiciatis margaritas vestras ante illos, sed cavete a fermento eorum, hoc est, ab hæresi eorum. Nemo vestrum deficiat, vel perfunctorie audiat: Deus enim est qui loquitur. Audite, pastores, vocem Principis pastorum: audite, quomodo occultos lupos detegat, de ipsisque triumphet: audite et cavete vobis, et universo gregi. *Videte canes* (*Philip.* 3. 2), videte fures. Nam *Qui non ingreditur per ostium in ovile ovium, sed aliunde ascendit, fur est et latro* (*Joan.* 10. 1). Rursusque de illis ait: *Qui non est mecum, contra me est* (*Matth.* 12. 30). Iterumque sic illos alloquitur: *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* 8. 44). *Væ vobis, quia clauditis regnum cœlorum! ipsi enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare* (*Matth.* 23. 13). Et alibi rursum: *Vos non estis ex ovibus meis* (*Joan.* 10. 26). Viden' quo pacto Dominus impios ubique traducat, deque ipsis triumphet, ne nos seducamur? O ineffabilem indulgentiam! o inæstimabilem benignitatem! Quid retribuemus Domino pro his omnibus? quomodo nos purgabimus Principi pastorum? O pastores, et compastores! En pauca ex multis. Quomodo nos undique muniens Dominus per immaculata clamat Evangelia: Videte, vigilate, cavete, attendite, decertate? Nec modo per Evangelia clamat, sed etiam per deiferos prophetas, et per theologos discipulos similia dicit: in omnibus quippe illis ut vult loquitur; testisque est mihi Paulus, dicens: *Qui in me loquitur Christi* (2. *Cor.* 13. 3). Age ergo theologos in medium producamus, et ab iis audiamus quid nobis circa hæreticos præcipiant. Dic, beate Petre, quem beatum prædicavit Dominus Deus noster Jesus Christus (*Matth.* 16. 17): loquere nobis de seductoribus, qui gregem Christi seducturi sunt, quem tibi tradidit et credidit Princeps pastorum, et Episcopus animarum nostrarum: dic ea, quæ tibi Spiritus sanctus largitus est, et confirma gregem tuum: ostende nobis occultos lupos, ut fecit et Doctor tuus Christus Dominus. Petrus dixit: *Hoc primum scitote, quod venient in novissimis diebus illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes* (2. *Pet.* 3. 3). Rursumque ait: *Et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant. Et multi sequentur eorum luxurias; quibus judicium non cessat, et perditio eorum non dormitat* (*Ibid.* 2. 1-3); *maledictionis filii, derelinquentes rectam viam* (*Ibid.* v. 14. 15). Hæc Petrus loquutus est; Petrus vere beatus, Petrus fidei petra, super quam ædificavit Christus Ecclesiam, Petrus qui claves regni cœlorum tenet, Petrus qui supra fluctus ambulavit (*Matth.* 16. 18. 19), fervens amator Domini Christi, qui Simonem magum Romæ prostravit, ut coryphæus et primus defensor, primum latronem et in hæresibus diaboli discipulum dejecit. Joannes dixit: *Manifesti sunt filii diaboli* (1. *Joan.* 3. 10). Viden' quomodo in omnibus illis Christus loquatur? Nam in Evangeliis similia dicit illis: *Vos ex patre vestro diabolo estis* (*Ibid.* 8. 44). Scio multos objicere, ipsos quoque a Deo efformatos esse (nam sine Deo, aiunt, factum est nihil), non intelligentes nec quæ dicunt, nec de quibus affirmant. Nam quod me Deus creaverit, ego quoque concedo; sed creavit ad opera bona, ut in ipsis perseveremus, et per rectam fidem filii Dei efficiamur.

4. Sed ad propositum revertamur. Joannes dicit: *Et nunc Antichristi multi facti sunt* (1. *Joan.* 2. 18); ac rursum: *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis: quoniam multi seductores exierunt in mundum* (2. *Joan.* 8. 7). *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt: quia multi pseudoprophetæ in mundum intraverunt* (1. *Joan.* 4. 1). Ac rursum dicit: *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi, ave, communicat operibus illius malignis* (2. *Joan.* 10. 11); et rursum: *Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet* (2. *Joan.* 9). His Joannes nos hortatur, Joannes filius tonitrui, qui plus quam omnes sancti dilectus fuit, qui firmavit Ecclesiam a terminis usque ad terminos orbis, qui theologia sua hæreticorum ora obstruxit. Jacobus dixit: *Si quis videatur amicus eorum esse, inimicus Dei constituitur* (*Jac.* 4. 4). Audite omnes, qui cum hæreticis comeditis, amaram sententiam: quod Christi inimici sitis. Neque enim is, qui cum regis inimicis amicitiam init, potest esse regis amicus; imo neque vita dignus habetur; sed cum inimicis peribit, et deteriora patietur. Judas Jacobi dixit: *Subintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc judicium, impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum Jesum Christum negantes* (*Judæ* 4). Rursumque dicit: *In novissimo tempore erunt quidam illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus* (*Ibid.* v. 18). *Hi sunt, qui sine timore semetipsos pascunt, nubes sine aqua, quæ omni vento circumferuntur, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum* (*Ibid.* v. 12. 13). Hæc et plurima nos admonet præclarus ille Judas. Huc demum accede, Paule, vas electionis; dic et ipse nobis secundum gratiam, quæ data est tibi a Deo; dic nobis de instante sæculo malo: occultos lupos detege, de raptoribus sacri gregis Dei triumpha. Paulus dixit: *Scio quia intrabunt post discessionem meam lupi graves in vos non parcentes gregi* (*Act.* 20. 29). Viden' ubique theologos cum Magistro concordes circa impios hæreticos, quos canes atque lupos vocant? ut etiam alibi ait Paulus: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem* (*Philipp.* 3. 2). *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et vanam fallaciam* (*Col.* 2. 8). *Videte quomodo caute ambuletis: quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* 5. 15. 16). Quis poterit de negligentia excusari, cum tot tantaque monita audiat? Et alibi rursum: *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita* (*Tit.* 3. 10); et rursus: *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci* (*Hebr.* 13. 9); et iterum: *Hæretici homines proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes* (2. *Tim.* 3. 13); et alibi: *Coinquinatis et infidelibus nihil est mundum* (*Tit.* 1. 15). Audite rursum, qui agapas cum illis facitis (*a*): quomodo effugietis iram vos invadentem, qui cum his in cibo et potu commaculamini? quomodo audetis accedere ad divina et tremenda Christi mysteria? nonne audistis beatum Paulum clamantem: *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum: non potestis participare mensæ Domini, et mensæ dæmoniorum* (1. *Cor.* 10. 20. 21). Exite de medio ipsorum, et immundum ne tangatis. Num vobis persuadebimus? num frustra laboramus, et in aerem verba fundimus? Attamen eorum gratia, qui volunt et dant operam ut audiant et faciant, non segnis ero, neque a verbis Pauli discedemus, sed rursum hæc dicam: Audite: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim societas luci ad tenebras* (2. *Cor.* 6. 14)? Ubinam sunt audaces illi, qui negant hæc dici in divinis Scripturis: *Quorum deus venter est, et gloria in confusione, qui terrena sapiunt* (*Philipp.* 3. 19). Hæc admonet Paulus, hæc docet et prædicat: Paulus vas electionis, Ecclesiæ sepes, certator ille strenuus; Paulus lyra Deum resonans, Christi præco, dogmatum scriptor, tuba Verbi, orator pietatis, gentium sagena. Et quidem beati illi theologi hæc et plura de impiis et infidelibus dixerunt: prophetæ vero prius et jam olim similia loquuti sunt: necessarium enim est hos quoque in medium adducere. Dixit David propheta: *Non est in ore eorum veritas* (*Psal.* 5. 10); et rursum: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi*

(*a*) Agapæ, ut nemo nescit, erant convivia fraterna inter Christianos instituta; atque etiam pro alimento pauperibus suppeditato accipiebantur.

(*Psal.* 138. 20. 21). Salomon quoque dicit : Impii simulant pietatem. Iterumque dicit : *Fili, ne te seducant viri impii, neque ambules in via cum eis* (*Prov.* 1. 10. 15). Isaias vero propheta, imo Dominus per prophetam dicit : *Filios genui et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Ibid.* 1. 2); et rursum : *Non est gaudendum impiis. dicit Dominus* (*Isai* 48. 22).

5. Num hæc satis sunt? an omnes prophetas in medium proferam? Verum hæc sufficiunt iis, qui audire volunt. Nam qui dictis non attendit, neque pluribus persuadebitur. Sed adhuc aliquantulum Davidis dicta versemus; et videamus quomodo traducat occultum illorum dolum ac de illo triumphet, dicatque : *Non est in ore eorum veritas : cor eorum vanum est* (*Psal.* 5. 10); etc. Vide autem prophetæ prudentiam, quomodo traducit ac detegit triumphantis more heterodoxos, ne nos seducamur. Audite, orthodoxi, et cum hæreticis ne consentiatis. Audite, pastores, exhorrescite, et ne sileatis, sed prædicate verbum; ne detis locum diabolo, ne lupis prædam. Imitamini beatum Petrum apostolum, qui exsecrando Simone Romæ blasphemante ac dicente, se esse Virtutem Dei, ne vel una hora tacuit, aut distulit; sed postquam illum confutasset, mendacem ostendisset, furem et Deo adversarium, perniciei illum tradidit. Similiterque illius, imo potius diaboli filium Montanum, exsecrandum illum, impurum et impium, cum duabus meretricibus, magna cura et studio convictum, ac Dei hostem, pseudochristum et pseudoprophetam demonstratum apostolus (*a*) compressit, et os ejus impurum in nomine Christi obstruxit, ac sine ulla mora vel dilatione blasphemiam ejus prostravit. Sic et vos, pastores, facite, et nolite communicare impuris tenebrarum operibus; sed potius confutate illos, ut fecerunt apostoli et Dei pater David, qui multos hujuscemodi suscepit labores, multa certamina, confutavitque ipsos, corripuit, traduxit, Deum adversus illos precatus est dicens : *Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur? Disperge illos in virtute tua. Da illis, Domine, secundum opera eorum : quoniam non intellexerunt opera tua, Domine* (*Psal.* 93. 3. *et* 58. 12. *et* 27. 4. 5). *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges* (*Ibid.* 72. 20). Rursus David has preces Domino emittit, ut ipse descendens petitionem suam impleat clamans et dicens : *Domine, inclina cælos, et descende, Domine, ne moreris. Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, Domine* (*Ibid.* 143. 6. *et* 69. 6. *et* 78. 8). Quid vero benignissimus Deus, qui vult omnes homines salvos esse, et ad agnitionem veritatis venire, quia prope est omnibus invocantibus eum in veritate? Non sprevit neque despexit deprecationem sanctorum, sed *Inclinavit cælos, et descendit* (*Psal.* 17. 10), et omnia ad salutem generis nostri dispensavit, omniaque monstravit opere et doctrina. Deinde, ut ostenderet quo pacto ii, qui futuri erant Ecclesiarum præfecti hæreticos profligaturi essent, flagellum fecit ex funiculis, et ingressus omnes ejecit de templo, et expulit persequutusque est, dicens : *Domus mea, domus orationis est : vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Matth.* 21. 13). Audite, Ecclesiarum præsides. Vobis enim id quod rectum erat ostendit, ut sequeremini vestigia ejus, intenti undique, ut lupos pellatis, gregemque custodiatis. Deinde omnibus foras ejectis, iis nempe qui contraria sentiebant, eorum desolationem et exterminationem per generationes futuram prædixit dicens : *Ecce relinquetur domus vestra deserta* (*Ibid.* 23. 38). Vide quomodo sermones completi sunt. Nam Ecclesiæ inimici et insidiatores, hæretici nempe, per singulas generationes perniciei traduntur, secundum sermonem Domini qui dixit : *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur* (*Matth.* 15. 13). Id quod etiam factum est. Ipse namque primus hoc fecit et monstravit : post ejus autem in cælos assumptionem, beati apostoli aciem instruxerunt adversus eos. Post illos, divina illorum dogmata Ecclesiæ doctores synodi suis temporibus collectæ, hos in hæresi pertinaces, eradicatos perniciei tradiderunt secundum illud : *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium* (*Psal.* 5. 7) Itaque omnes defecerunt et perierunt propter iniquitatem suam. Ubi namque sunt, qui Ecclesiam olim oppugnarunt, reges, principes et sapientes? nonne dissipati sunt et perierunt, atque ad nihilum redacti sunt?

6. Ubi enim superbia et ferocia Judæorum? ubi Simon magus, in hæresi primus discipulus et præcursor Antichristi? ubi mala illius proles, ac furoris lasciviæque ejus successor Montanus, malorum antesignanus, cum duabus meretricibus, ipsorumque mysteriis ut vocabant, quæ alto sunt silentio digna, abominanda et impura : de quibus apostolus dicebat : *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere* (*Eph.* 5. 12). Ubi Marcion, ubi Valens, ubi Manes, ubi Basilides, ubi Nero, ubi Julianus, ubi Arius, ubi Nestorius, ubi omnes veritatis adversarii, de quibus clamabat Ecclesia : *Circumdederunt me canes multi* (*Psal.* 21. 17). Nonne omnes perierunt? Dissipati namque sunt propter blasphemiam suam, et expulsi sunt quasi lupi. Invenerunt enim antagonistas, strenuos bellatores, verosque pastores, qui tum Ecclesiis præerant, beatos viros. Cæterum magnum perspicio inter illos olim et hodiernos pastores discrimen. Illi bellatores, hi transfugæ : illi librorum et dogmatum cultores, hi vestium atque mercium. Illi utpote mercenarii oves relinquunt et fugiunt; illi animam suam pro ovibus posuerunt, bonum imitati Pastorem. O beatos viros, quorum nomina sunt in libro vitæ; quos horruerunt dæmones, formidarunt hæretici; *Et obstructum est os loquentium iniqua* (*Ibid.* 62. 12). Loquar igitur ego similia iis, quæ David cum luctu dicebat : *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine* (*Psal.* 88. 50)? Dicam et ego cum lacrymis : Ubi est beatus ille chorus episcoporum et doctorum, qui instar luminarium in mundo fulserunt verbo vitæ instructi? Quid autem vetat quominus illos in medium adducam, saltem et multis paucos? nam vel ipsos commemorare sanctitatem affert animæ. Ubi est Evodius, bonus odor Ecclesiæ, atque apostolorum successor et imitator? ubi Ignatius Dei habitaculum? ubi Dionysius volucris cæli? ubi Hippolytus dulcissimus et benignissimus? ubi Basilius magnus, et pene par apostolis? ubi Athanasius ille sanctus, et virtutibus opulentus? ubi Gregorius alter theologus (*a*), invictus Christi miles, ejusque cognominis? ubi Ephræm ille ingens, afflictorum consolatio, juvenum pedagogus, pœnitentium ductor, contra hæreticos gladius, Spiritus receptaculum, vas virtutum? Viden' quantum sit intervallum, quanta differentia inter beatos sanctosque viros illos, et eos qui nunc in vivis sunt? Novi et alios quoque divinos doctores; sed hi jam satis sint. Illi animam suam, ut diximus, posuerunt pro ovibus; hi vero dimissis ovibus fugerunt : illi potentes et in opere et in sermone; hi potentes opibus et possessionibus equorum et mulorum, agrorum, gregum, coquorum et splendidæ mensæ. Horum illi nocte dieque magnam curam gerunt; rationabilis autem gregis nullam habent rationem : de qua tamen ratio exigetur in magno judicii die. Deinde si quis de libris illos interroget, respondent : Pauper sum, nec possum libros emere. Deinde prodeunt, non ut pauperes, sed cum splendidis vestibus, plenis marsupiis, colla

(*a*) Longe errat hic quisquis sit Græculus, qui Montanum ab Apostolo, sive de Petro sive de Paulo hæc vox intelligatur, confutatum et prostratum dicit. Nam integro pene sæculo post Petri et Pauli martyrium Montanus hæresim prædicare cœpit, anno 19 Antonini Pii, inquit Epiphanius. p. 402. Duæ autem illæ, quas μαιγαλίδας seu meretrices appellant, erant Priscilla et Maximilla, de quibus pluribus agit Epiphanius ibidem.

(*a*) Primus Theologus Græcis est Joannes Apostolus, secundus Theologus est Gregorius Nazianzenus.

habentes taurorum pinguium, caterva stipati discipulorum, imo potius coquorum; quodque dictu turpe fuerit, ex opum affluentia subintroductas (a) habent ancillarum nomine. O ingentem turpitudinem! o malam opulentiam! o acerbam avaritiam! o ventrem insatiabilem! Hinc deinum scandala, murmurationes, opprobria, convicia, tumultus. Si incusentur, respondent: Neminem lædo, libere pecuniis utor meis. Deinde si quis ex impiis hæreticis cum contemptu et perversa loquatur, nemo est qui contradicat, nemo qui repugnet: omnes tunc inopes sunt, omnes taciturni, omnes refugiunt. O insaniam! o malam omnium malorum radicem avaritiam! Per divitias salutem consequi vultis? Sed *Facilius est camelum per foramen acus intrare, quam divitem in regnum Dei* (*Matth.* 19. 24). Deliciis, ebrietate et superbia vultis hæreses superare? Sed væ vobis, qui in deliciis versamini, qui stultum sapitis, qui auro et pretiosis vestibus conspicui estis: quomodo aliis exhibebitis pulchram illam Christi paupertatem, qui propter nos inops factus est, qui discipulos jubet pecuniam non habere in zonis (*Ibid.* 10. 9)? Vere erratis, non intelligentes Scripturas. Non auditis Dominum dicentem: *Beati pauperes* (*Ibid.* 5. 3); et rursum, *Væ vobis divitibus* (*Luc.* 6. 24); et, *Nolite thesaurizare super terram* (*Matth.* 6. 19)? Divitiæ vestræ creverunt, et sermo vester defecit: vestimenta vestra a vermibus corrosa sunt: quibus de rebus Principi pastorum Christo rationem dabitis. Non enim ignoratis quemque nostrum rationem Deo redditurum esse; vos autem et pro vobis et pro ovibus, episcopi nempe, sacerdotes et diaconi, singuli pro iis, quæ sibi commissæ sunt. Sed cavete ne talentorum obliviscamini. *Attendite vobis et universo gregi* (*Act.* 20. 28): videte ne qua ovis ex grege pereat. Hoc enim scitote, si vel una ovis per negligentiam vestram a feris capta desit, totam vitam vestram esse subvertendam: Judex enim sanguinem ejus de manibus vestris requiret.

7. Respicite igitur, prædicate verbum, abjicite omnem sæcularem curam, videte accurate quomodo ambuletis: *Videte canes* (*Philipp.* 3. 2). Rursum dico. Videte, nec finem dicendi faciam. Videte fures, videte multos deceptores in mundum effusos. Vigilate et attendite, quibus Domini gratia concredita est, atque horam tremendi Domini adventus observate, quando veniet positurus rationem vobiscum, quibus talenta commisit. Hæc itaque cogitantes, dilecti, *Pascite gregem Dei, qui apud vos est*, ut dicit apostolus; *non coacte, sed spontanee; non turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in clerum, sed forma facti gregis. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam* (1. *Petr.* 5. 2-4). Hæc rursus dicam. Audite, sacerdotes Domini, *Reges terræ, et omnes populi, principes et omnes judices terræ: juvenes et virgines, senes cum junioribus* (*Psal.* 148. 11. 12). *Auribus percipite omnes qui habitatis orbem* (*Ibid.* 48. 2. 3): parvi et magni, sive masculus sive femina, *Simul in unum dives et pauper*: dictis attendite, quæso: volo vobis ostendere, vosque ex sacris Scripturis certiores facere, non omnes qui Christiani appellantur, esse Christianos; sed solo nomine Christianos nuda appellatione decipi. Nomine Christiani multi sunt, moribus pauci; habitu quasi Christiani et Christi discipuli, moribus proditores; verbo pii ac misericordes, moribus impii et immisericordes; appellatione Christiani, operibus ethnici, ut prædixit propheta David: *Commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum* (*Psal.* 105. 35). Vere apud nos impleta est hæc prophetia. Quot Christiani Judæorum gentiliumque fabulis incumbunt, genealogiis, vaticiniis, auguriis, veneficiis, phylacteriis. Hinc observationes dierum et annorum, auspicia, somnia, avium voces. In fontibus lucernas appendunt quidam et se abluunt, et occursus observant, idolis immolata comedunt, et sanguinem suffocatorum, necnon ea, quæ ab avibus lacerata sunt, multaque alia his similia. Quomodo Christiani existimentur qui talia agunt? qua fiducia se Christianos appellare audebunt? quomodo autem ad divina mysteria accedere, qui pejores sunt gentilibus? Rursum audite: quot Christiani gentilium modos imitantur, facies suas exterminantes, acclamationes, saltationes, plausus manuum adhibentes, viri muliebrem induentes vestem? Talia agentes nihil juvat Christianos vocari. Quemadmodum enim puella virgo donec servat virginitatem, jure ac merito virgo vocatur, et est; postquam autem ab aliquo decepta et violata est, virginitatemque perdidit, non amplius virgo est: sic et qui vocatur Christianus, si pacta sua violaverit, si promissa conculcaverit, evangelii verba despexerit, gentiliumque opera fecerit, non ultra debet vocari Christianus, ut jam diximus. Intelligite igitur omnes, carissimi, paucis illis verbis nos cunctis illis abrenuntiasse, cum diximus: Abrenuntio satanæ, et omnibus operibus ejus. Cogita quid dixeris: Omnibus operibus ejus: vide cum quo pacta inieris: non cum angelo, non cum rege terreno, non cum principe sæculi hujus; sed cum Rege regum, et cum Principe principum. Cum illo pactus es, et spopondisti, et fœdere junctus es coram multis testibus: jam in manu ejus es et tu et verba tua. Jam reliquum est ut exspectes illum venturum de cælis, et afferentem rationum tuarum schedulam et verba oris tui, coram angelis et hominibus recitanda. Vide, frater, et cave deinceps ab operibus gentilium. Audite apostolum dicentem: *Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et cæteræ gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum* (*Ephes.* 4. 17. 18). *Vos autem non ita didicistis Christum* (*Ibid.* 20). Dictis attendite, dilecti, et ne commisceamini cum iis, qui talia operantur. Multi sunt enim perniciei discipuli, et adhuc multiplicabuntur. Considerate, dies esse malos, et tempus proprios sibi ministros exhibere.

8. Nec mireris si pastores lupi efficiuntur. Nam episcopos et presbyteros alloquens Paulus apostolus ait: *Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa* (*Act.* 20. 30). Itaque nemo vos seducat, exterius habitum angelicum, interius diabolicum habens. Ideo Jesus dicebat: *Videte, ne quis vos seducat* (*Matth.* 24. 4). Et ego quoque similia dicam: Videte, ne quis vos seducat, vel ab exterioribus, vel ab interioribus: non episcopus, non presbyter, non diaconus, non lector, non quisquis tandem sit is qui loquitur perversa: *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (*Ibid.* 7. 15): qui habent pietatis speciem, dum pietatis virtutem negant. Vos autem, dilecti, ne seducamini, sed ut accepistis Dominum nostrum Jesum Christum, in ipso ambulate; et Deus pacis erit vobiscum. Et de his quidem omnibus hic sermonem claudam; paucis vero additis de consummatione, dicendi finem faciam. In exordio autem sermonis de consummatione horror quidam me invadit, et obstupesco. Omnia quidem Domini miracula magna sunt, terribilia et gloriosa: finis autem consummationis, et secundi illius adventus mysterium, omnem sermonem, mentem et intelligentiam superat, et auditum omnem terrore percellit. Magnum certe discipulorum certamen fuit, cum a Doctore suo audierunt signa in consummatione futura. Ut enim sæpe audistis ex Evangelio, *Sedente Jesu in monte Olivarum, accesserunt ad eum discipuli ejus secreto, dicentes: Dic nobis, quod signum adventus tui, et consummationis sæculi* (*Matth.* 24. 3). Perpende sapientiam prudentiamque discipulorum. Cum de re magna quadam interrogare vellent, non omnes simul illum adibant, sed seorsim, dicebantque: Dic nobis, Domine; dic nobis, benigne; dic, cordium cognitor; dic nobis, qui nosti novissima et vetera; dic nobis, qui nosti omnia antequam fiant; dic nobis, Opifex sæculorum; dic nobis, pater futuri sæculi; dic nobis, *Quod signum*

(a) Vide Tomo primo hujus editionis, Sermonem de Subintroductis.

adventus tui, et consummationis sæculi, quando venturus es judicare vivos et mortuos totius orbis : quando destrues omnem principatum, omnem potestatem et virtutem : quando flectetur tibi omne genu cælestium, terrestrium et infernorum : *Dic nobis quod signum adventus tui*; ut nos doceamus omnes gentes stupendum adventum tuum. Dicit illis Dominus : *Videte, ne seducamini : multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus. Videte ne quis vos seducat, quia tempus prope est* (*Luc.* 21 8. *et Matth.* 24. 4). Quæ nunc nostris oculis videmus, tunc dixit prope esse; nunc vero tempus adest, omnesque illa videmus. Viden', quanta sit Domini cura, ut nobis falsos doctores et hæreticos detegat, nobisque ostendat dolum in ipsis absconditum? Ideo ante signa post discipulorum interrogationem, illos præmisit ut lupos gregem invadentes, et Antichristi præcursores : deinde ea, quæ sequutura sunt, prædicit, bella et seditiones gentis contra gentem et regni adversus regnum. Quæ nunc videntes, non intelligimus : videntes bella in diversis locis, famem, terricula, signa de cælo, et cætera quæ dixit quamplurima videntes, non animadvertimus. *Tunc*, inquit, *scandalizabuntur multi, et invicem tradent* (*Ibid. v.* 10). Et ubi jam non est proditio? nonne omnes fere contra alios insurgunt, et se mutuo oderunt? Hoc quoque impletum est, ut videmus. Nonne omnes sese mutuo impugnant? gens contra gentem insurgit, regnum adversus regnum, principes contra principes, episcopi contra episcopos, presbyteri contra presbyteros, diaconi contra diaconos, lectores contra lectores, laici contra laicos? Nam *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum* (*Ibid. v.* 12). Ideo prædixit Dominus : *Scrutamini Scripturas* (*Joan.* 5. 39); et, *Ne seducamini* (*Luc.* 21. 8). Aliud rursus signum præmisit dicens : *Prædicabitur hoc evangelium in universo mundo in testimonium omnibus gentibus* (*Matth.* 24. 14). Et tunc exspecta finem : exspecta, te visurum esse abominationem desolationis, filium perditionis, propter quem fiet tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi. Rursumque dixit : *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem inducant, si fieri possit etiam electos* (*Ibid. v.* 24). Vide quomodo sæpe memoret pseudoprophetas, falsos doctores, et falsos apostolos Antichristi filii perditionis; qui per immundos spiritus impulsi, et ab illis producti, præcursores fiunt Antichristi et adversarii; et per propria dogmata seducent, et præparabunt populum peculiarem ad suscipiendum filium perditionis.

9. Idcirco, fratres, divina Scriptura sæpe clamat, multos seductores exivisse in mundum. Ideo Dominus sic intulit : *Ecce prædixi vobis*. Perpendamus oportet singularum dictionum sensum. *Ecce prædixi vobis* (*Ibid. v.* 25); id est, Jam obtentum non habetis. *Ecce prædixi vobis* : si quempiam ex vobis seducant, non erit ille venia dignus. *Ecce prædixi vobis* : nulli suppetit excusatio legitima. *Ecce prædixi vobis omnia : Videte, ne seducamini*. Videte, ne pro me vero Christo, alium Antichristum recipiatis. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, et multos seducent* (*Matth.* 24. 5); et, *Tempus prope est* (*Ibid.* 26. 18). Ne ergo post illos eatis. Videte quanta his de rebus in sacris Scripturis dicantur. Ideo sæpe vos admonui circa impios hæreticos, et nunc rogo, nulla in re cum illis consentiatis vel conveniatis, non in cibo et potu, non in amicitia vel affectu, non in agape et in pace. Nam qui in his deceptus cum illis consentit, alienum se constituit ab Ecclesia Catholica. Verus autem et sincerus Dei discipulus cum fiducia clamat : *Si quis vos evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* 1. 9); et cum Davide psallit : *Domine, nonne eos, qui oderunt te, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos* (*Psal.* 138. 20. 21). Exhorrescite et contremiscite, qui agapas cum illis facitis, et resipiscite, ne in eorum impietatibus pereatis. Hic quoque apposite repetitur illud : *Ecce prædixi vobis*. Sed ad rem propositam redeamus, ut de consummatione sermonem compleamus. Et ut compendio dicam, prædicta signa completa sunt : jam quisque debet paratus et expeditus esse, nec plura, quam scripta sint, curiosius exquirere. Multi ignari nec firmi fuerunt, qui divinas Scripturas contorsere : cave tu, ne credas illis. Multa malitia, multa nequitia effusa est super terram, multa offendicula : tu vero cave, ne seducaris; ne declines ad dexteram vel ad sinistram, sed in via regia incede. Multos habes fideles, carissime; si non in terra, saltem in cælo, quibuscum festines velim ut semper vivas. Habes illic celebritates angelorum, patriarchas, prophetas, apostolos, evangelistas; habes martyres, sanctos confessores, et eos qui in monastica vita floruerunt, multitudinem magnam quorum nomina sunt in libro vitæ. Hos desidera, hos imitare, ab his non recedas : horum memoriam in corde tuo habeas nocte dieque : eorum libros semper præ manibus habeas legasque, ut multam invenias utilitatem. Esto negotiator[1] verbi justitiæ, ut possis contradicentes confutare, fabulatores corripere, hæreticis os obstruere, lapsos monere et convertere. Scrutare divinas Scripturas, ut cum videris seditionem et perturbationem, non labaris, sed ad divinam Scripturam confugias. Cave autem, ne mollior evadas, neque vacilles in mente tua. Cum multos videris imprudentes, ne obstupescas : oportet enim hæc fieri. Cum multos videris pseudoprophetas, recordare Domini dicentis : *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ* (*Matth.* 24. 24). Cum deceptores videris, recordare prophetæ dicentis : *Væ iis, qui scribunt nequitiam* (*Isai.* 10. 1). Cum videris pios, fideles et sapientes despici; sceleratos autem, arrogantes, proditores celebrari; recordare apostoli dicentis : *Mali homines et incantatores proficient in pejus, in errorem mittentes et errantes* (2. *Tim.* 3. 13). Cum videris sacram Scripturam in exsecrationem haberi ab iis, qui videntur esse Christiani, et eos, qui loquuntur verbum Dei odio haberi, recordare Domini dicentis : *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si me persequuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* 15. 18. 20). Cum videris populos simul accurrentes ad fabulatores, et quædam scripta custodientes, ad genealogias, vaticinationes, doctrinas dæmonum, et interrogationes spirituum immundorum, ne turberis, ne concidas. Et si quosdam videris ex iis, qui videntur esse pastores, talia facientes, ne animum despondeas, sed lacrymans recordare apostoli dicentis : *In novissimis diebus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum immundorum* (1. *Tim.* 4. 1). Rursumque dixit : *Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundum propria desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus : et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (2. *Tim.* 4. 3. 4).

10. Cum videris lauta prandia, cœnas, delicias, fraudem, tumultum, inconditas voces, recordare Domini dicentis : *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis : væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis* (*Luc.* 6. 25). Cum videris choreas agentes, ludentes, et dæmonum cantica recitantes, ingemisce, et cum lacrymis recordare Davidis dicentis : *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant* (*Psal.* 81. 5); et Isaiæ prophetæ sic loquentis : Væ qui surgunt mane, et siceram sequuntur : qui exspectant vesperam, cum citharis, et psalteriis, et tympanis, et fistulis, bibentes vinum; opera autem Dei non vident, et opera manuum ejus non considerant (*Isai.* 5. 11. 12). In summa quando scandalum quodlibet videris, memento Domini dicentis : *Væ mundo a scandalis : impossibile autem est ut non veniant scandala; væ autem illi, per quem scandala venient* (*Matth.* 18. 7. *Luc.* 17. 1). Sed quid ad hæc dicunt homines gravi corde, qui quærunt mendacium? Non est malum, inquiunt, ani-

[1] Alias legitur, *ardens*, pro, *negotiator*.

mum relaxare: quid enim damni affert cithara, quid reliqua instrumenta? O summam stultitiam! o malam diaboli cogitationem! Generatio mala et adultera, hoccine Domino retribuitis? Immaculatus Dominus ubique præcipit, ne Christianus unquam his se dedat ludicris; et tu dicis, Quid hæc afferunt damni? *Væ qui dicunt amarum dulce: væ qui ponunt tenebras lucem* (*Isai.* 5. 20). Dicant vero nobis immorigeri illi, ex quanam Scriptura ostendere possint Christiano licere hanc sectari formam? quis sanctorum liber, quæ Evangelia docuere Christianos ita turpiter agere? Ecce Catholica et Apostolica Ecclesia, ab oriente usque ad occidentem, a terminis orbis terrarum clamat, docet, hortatur per legem, per prophetas, per apostolos, perque ipsum Dominum; et nusquam reperies Christiano licere talibus operam dare nugis. Quot sunt reges et principes, sapientes, nobiles, illustres, legisperiti, servi et liberi, pauperes et divites, senes et juvenes? ecquis illorum omnium possit probare et ostendere, quod Christianis liceat cithara ludere, aut tripudiare, aut simile quidpiam facere? Nullus certe id ostendere possit. Nemo vos seducat: hæc non sunt Christianorum: hæc aliena sunt a Catholica Ecclesia: hæc omnia gentiles faciunt. Nemo, fratres mei, vos seducat: quotquot in his versamini, a gratia excidistis: Christus nihil vobis proderit. Redeamus iterum ad primam et pulchram confessionem, ad quam vocati sumus in conspectu multorum testium, angelorum, hominum, et Creatoris universorum. Ipse namque schedulam confessionis nostræ retinet in cælo, ut reddat unicuique secundum opera sua, et prout confessionem servavit. Uniuscujusque enim nostrum scripta sunt et pacta, et abrenuntiatio diabolo, et fœdus cum Christo initum, nostra quoque opera et gesta, verba, cogitationes, ludi, cachinni: omnia descripta habens venturus est Christus. Quid denique vis? mentiri illi? Id fieri nequit: in manu quippe ejus et tu et verba tua sunt. Sed vis occultari? Verum non potes, quia in manu ejus sunt fines terræ: *Neque est creatura invisibilis in conspectu ejus; sed omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* 4. 13); neque occultari poteris a facie ejus. Si ascenderis in cælum, illic ipse est; si descenderis in abyssum, illic adest (*Psal.* 138. 8). Scriptum est enim: *Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Ibid.* 134. 6). Quid ergo faciemus, fratres? Angustiæ nos tenent undique: *Ipse enim novit abscondita cordis* (*Ibid.* 43. 22) et renes. Fugere non licet: neque enim est, qui nos eruat de manibus ejus (*Isai.* 43. 13). Abscondi nemo potest; gyrum enim terræ, et omnes habitantes in illa quasi locustas tenet (*Ibid.* 40. 22). Resistere non possumus, sicut scriptum est: *Tu terribilis es, et quis resistet tibi* (*Psal.* 75. 8)? Ipse namque dominatur cælestibus, terrestribus et infernis, qui debet destruere omnem principatum et potestatem et virtutem. Excusatio nulla est, nec obtentus, neque consilium. Ideo a finibus usque ad fines terræ divina Scriptura clamat, hortatur, arguit, monet, testificatur, comminatur. Quapropter Dominus noster ait: *Qui despicit me, et non accipit verba mea*, ego non judico illum: *sed sermo, quem loquutus sum, judicabit illum in novissimo die* (*Joan.* 12. 48). Rursumque dicit: *Si non venissem et loquutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (*Ibid.* 15. 22). Audistis quod nemo excusationem habeat. Profecto, fratres, angustiæ nobis sunt undique.

11. Sed respondebit quispiam: Satis nos sermone tuo tetigisti, tristia exhibuisti, supplicia commemorasti, cruciatus descripsisti, et supra modum perculisti ac terruisti. Scio utique rem ita se habere: novi unumquemque nostrum Deo rationem esse redditurum, mensurumque quod seminavit, ac proprium onus portaturum esse. Verum ut hæc denuntiasti, et in medium adduxisti, nosque perculisti ac terruisti, salutis quoque modum nobis ostende; vulneri medelam adhibe: ut terribilia dixisti, sic gratiosa enarra. Ecce salutem consequi volo, quid faciam ut consequar? quo utar modo? ad quem confugiam? Multa namque peccavi, operibus et dictis, volens et imprudens, nocte et die, et in quacumque hora. Quid ergo faciam? quomodo salutem consequar? ad quem confugiam? Ego tibi ad quem confugias dicam. Beatus David ostendit ad quem confugiendum sit, his verbis: *Deus noster refugium et virtus* (*Psal.* 45. 2). Id ostendit et Joannes, major omnibus prophetis, dicens, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* 1. 29). Hoc annuntiavit et angelus, dicens: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* 1. 21); ac rursum propheta David dicit: *Domine, ad te confugi* (*Psal.* 142. 9). Ad illum et tu confuge, qui dixit: *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* 9. 13); qui dixit: *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent* (*Luc.* 5. 31); qui dixit: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum* (*Matth.* 3. 2); qui ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Ibid.* 11. 28); qui dicit: *Potestatem habet Filius hominis super terram dimittendi peccata* (*Matth.* 9. 6); qui dicit: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras* (*Joan.* 6. 37); qui per prophetam dixit: *Vivo ego, quia nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat* (*Ezech.* 33. 11); qui dixit: *Faciet vindictam clamantium ad se die ac nocte* (*Luc.* 18. 7); qui dixit: *Gaudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Ibid.* 15. 7). Ad hunc confugito, pœnitentiam agens et lacrymans. Pœnitentiam age, et ne differas: pœnitentiam age, et ne animo deficias neque desperes, cum salutis pharmaca habeas. In cælo gaudium est te pœnitente, et tu torpescis? angeli exsultant, et tu dormitas? propter te Medicus animarum advenit, et tu vulnus occultas? ipse clamat: Convertimini ad me, filii hominum, venite ad me; et tu non festinas? ipse clamat: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Matth.* 9. 13). O benignitatem Domini inæstimabilem! *Non veni vocare justos*, inquit, *sed peccatores*. Confide ergo, o peccator, et ne desperes. Te namque bonus Pastor vocatum venit; propter te inclinavit cælos, et descendit, dicens: *Venite ad me omnes qui onerati estis: Non enim veni vocare justos, sed peccatores* (*Id.* 11. 28). Vide autem, ne segnior evadas ex hoc sermone, audiens ejus ineffabilem clementiam: neque enim simplicem vocationem dixit, sed addidit, *Ad pœnitentiam. Non enim*, inquit, *veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*: non ad risum, sed ad lacrymas; non ad turpia verba, sed ad Deum glorificandum; non ad prandia et cœnas et ebrietatem, sed ad jejunium, vigilias et lacrymas; non ad choreas saltantium et citharas et cantilenas, sed ad luctum, tribulationem et angustias, dicens: *Beati qui lugent* et flent (*Id.* 5. 5), scilicet peccata sua. Incipe ergo pœnitentiam agere: pone principium tantum, et Deus pœnitentium tecum operabitur, te roborabit, et gratiam multam invenies, eritque in te super mel et favum. Multæ viæ vitæ, sicut scriptum est, et multi modi salutis: quo volueris modo, salutem consequere. Si possis, da eleemosynam; si non possis, id Deus non requirit. Non habes panem, non habes vestimentum? Genua flecte, pectus tunde, funde lacrymas, ingemisce, luge, extende manus tuas ad cælum, oculos ad Dominum attolle, jejuna, vigila. Hæc omnes possunt homines, nec negare valent: hæc studeas semper Deo offerre. Verum hæc cum discretione fiant oportet, ne inutiliter curras, et in vanum defatigeris.

12. Has itaque virtutes exercens, et Deo pœnitentiam offerens, observa diligenter et scrutare, num inimicitiam adversus aliquem habeas, ne studium tuum in vanum abeat; sed, ut dixit apostolus Paulus, *Cum timore et tremore salutem* nostram *operantes* (*Philipp.* 2. 12); et Christi præceptum servantes, qui dicit: *Si dimiseritis hominibus peccata sua, dimittet et Pater vester cælestis peccata vestra* (*Matth.* 6. 14). Si ergo Deum toto corde precaris, nec risui et fastui deditus es, hoc ejus præceptum servato, et si

adventus tui, et consummationis sæculi, quando venturus es judicare vivos et mortuos totius orbis : quando destrues omnem principatum, omnem potestatem et virtutem : quando flectetur tibi omne genu cælestium, terrestrium et infernorum : *Dic nobis quod signum adventus tui;* ut nos doceamus omnes gentes stupendum adventum tuum. Dicit illis Dominus : *Videte, ne seducamini : multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus. Videte ne quis vos seducat, quia tempus prope est* (*Luc.* 21 8. *et Matth.* 24. 4). Quæ nunc nostris oculis videmus, tunc dixit prope esse; nunc vero tempus adest, omnesque illa videmus. Viden', quanta sit Domini cura, ut nobis falsos doctores et hæreticos detegat, nobisque ostendat dolum in ipsis absconditum? Ideo ante signa post discipulorum interrogationem, illos præmisit ut lupos gregem invadentes, et Antichristi præcursores : deinde ea, quæ sequutura sunt, prædicit, bella et seditiones gentis contra gentem et regni adversus regnum. Quæ nunc videntes, non intelligimus : videntes bella in diversis locis, famem, terricula, signa de cælo, et cætera quæ dixit quamplurima videntes, non animadvertimus. *Tunc*, inquit, *scandalizabuntur multi, et invicem tradent* (*Ibid. v.* 10). Et ubi jam non est proditio? nonne omnes fere contra alios insurgunt, et se mutuo oderunt? Hoc quoque impletum est, ut videmus. Nonne omnes sese mutuo impugnant? gens contra gentem insurgit, regnum adversus regnum, principes contra principes, episcopi contra episcopos, presbyteri contra presbyteros, diaconi contra diaconos, lectores contra lectores, laici contra laicos? Nam *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum* (*Ibid. v.* 12). Ideo prædixit Dominus : *Scrutamini Scripturas* (*Joan.* 5. 39); et, *Ne seducamini* (*Luc.* 21. 8). Aliud rursus signum præmisit dicens : *Prædicabitur hoc evangelium in universo mundo in testimonium omnibus gentibus* (*Matth.* 24. 14). Et tunc exspecta finem : exspecta, te visurum esse abominationem desolationis, filium perditionis, propter quem fiet tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi. Rursumque dixit : *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem inducant, si fieri possit etiam electos* (*Ibid. v.* 24). Vide quomodo sæpe memoret pseudoprophetas, falsos doctores, et falsos apostolos Antichristi filii perditionis; qui per immundos spiritus impulsi, et ab illis producti, præcursores fiunt Antichristi et adversarii; et per propria dogmata seducent, et præparabunt populum peculiarem ad suscipiendum filium perditionis.

9. Idcirco, fratres, divina Scriptura sæpe clamat, multos seductores exivisse in mundum. Ideo Dominus sic intulit : *Ecce prædixi vobis*. Perpendamus oportet singularum dictionum sensum. *Ecce prædixi vobis* (*Ibid. v.* 25); id est, Jam obtentum non habetis. *Ecce prædixi vobis :* si quempiam ex vobis seducant, non erit ille venia dignus. *Ecce prædixi vobis :* nulli suppetit excusatio legitima. *Ecce prædixi vobis omnia: Videte, ne seducamini.* Videte, ne pro me vero Christo, alium Antichristum recipiatis. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, et multos seducent* (*Matth.* 24. 5); et, *Tempus prope est* (*Ibid.* 26. 18). Ne ergo post illos eatis. Videte quanta his de rebus in sacris Scripturis dicantur. Ideo sæpe vos admonui circa impios hæreticos, et nunc rogo, nulla in re cum illis consentiatis vel conveniatis, non in cibo et potu, non in amicitia vel affectu, non in agape et in pace. Nam qui in his deceptus cum illis consentit, alienum se constituit ab Ecclesia Catholica. Verus autem et sincerus Dei discipulus cum fiducia clamat : *Si quis vos evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* 1. 9); et cum Davide psallit : *Domine, nonne eos, qui oderunt te, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos* (*Psal.* 138. 20. 21). Exhorrescite et contremiscite, qui agapas cum illis facitis, et resipiscite, ne in eorum impietatibus pereatis. Hic quoque apposite repetitur illud : *Ecce prædixi vobis*. Sed ad rem propositam redeamus, ut de consummatione sermonem compleamus. Et ut compendio dicam, prædicta signa completa sunt : jam quisque debet paratus et expeditus esse, nec plura, quam scripta sint, curiosius exquirere. Multi ignari nec firmi fuerunt, qui divinas Scripturas contorsere : cave tu, ne credas illis. Multa malitia, multa nequitia effusa est super terram, multa offendicula : tu vero cave, ne seducaris; ne declines ad dexteram vel ad sinistram, sed in via regia incede. Multos habes fideles, carissime; si non in terra, saltem in cælo, quibuscum festines velim ut semper vivas. Habes illic celebritates angelorum, patriarchas, prophetas, apostolos, evangelistas; habes martyres, sanctos confessores, et eos qui in monastica vita floruerunt, multitudinem magnam quorum nomina sunt in libro vitæ. Hos desidera, hos imitare, ab his non recedas : horum memoriam in corde tuo habeas nocte dieque : eorum libros semper præ manibus habeas legasque, ut multam invenias utilitatem. Esto negotiator[1] verbi justitiæ, ut possis contradicentes confutare, fabulatores corripere, hæreticis os obstruere, lapsos monere et convertere. Scrutare divinas Scripturas, ut cum videris seditionem et perturbationem, non labaris, sed ad divinam Scripturam confugias. Cave autem, ne mollior evadas, neque vacilles in mente tua. Cum multos videris imprudentes, ne obstupescas : oportet enim hæc fieri. Cum multos videris pseudoprophetas, recordare Domini dicentis : *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ* (*Matth.* 24. 24). Cum deceptores videris, recordare prophetæ dicentis : *Væ iis, qui scribunt nequitiam* (*Isai.* 10. 1). Cum videris pios, fideles et sapientes despici; sceleratos autem, arrogantes, proditores celebrari; recordare apostoli dicentis : *Mali homines et incantatores proficient in pejus, in errorem mittentes et errantes* (2. *Tim.* 3. 13). Cum videris sacram Scripturam in exsecrationem haberi ab iis, qui videntur esse Christiani, et eos, qui loquuntur verbum Dei odio haberi, recordare Domini dicentis : *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si me persequuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* 15. 18. 20). Cum videris populos simul accurrentes ad fabulatores, et quædam scripta custodientes, ad genealogias, vaticinationes, doctrinas dæmonum, et interrogationes spirituum immundorum, ne turberis, ne concidas. Et si quosdam videris ex iis, qui videntur esse pastores, talia facientes, ne animum despondeas, sed lacrymans recordare apostoli dicentis : *In novissimis diebus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum immundorum* (1. *Tim.* 4. 1). Rursumque dixit : *Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundum propria desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus : et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (2. *Tim.* 4. 3. 4).

10. Cum videris lauta prandia, cœnas, delicias, fraudem, tumultum, inconditas voces, recordare Domini dicentis : *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis : væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis* (*Luc.* 6. 25). Cum videris choreas agentes, ludentes, et dæmonum cantica recitantes, ingemisce, et cum lacrymis recordare Davidis dicentis : *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant* (*Psal.* 81. 5); et Isaiæ prophetæ sic loquentis : Væ qui surgunt mane, et siceram sequuntur : qui exspectant vesperam, cum citharis, et psalteriis, et tympanis, et fistulis, bibentes vinum; opera autem Dei non vident, et opera manuum ejus non considerant (*Isai.* 5. 11. 12). In summa quando scandalum quodlibet videris, memento Domini dicentis : *Væ mundo a scandalis : impossibile autem est ut non veniant scandala; væ autem illi, per quem scandala veniunt* (*Matth.* 18. 7. *Luc.* 17. 1). Sed quid ad hæc dicunt homines gravi corde, qui quærunt mendacium? Non est malum, inquiunt, ani-

[1] Alias legitur, *ardens*, pro, *negotiator*.

mum relaxare: quid enim damni affert cithara, quid reliqua instrumenta? O summam stultitiam! o malam diaboli cogitationem! Generatio mala et adultera, hoccine Domino retribuitis? Immaculatus Dominus ubique præcipit, ne Christianus unquam his se dedat ludicris; et tu dicis, Quid hæc afferunt damni? *Væ qui dicunt amarum dulce: væ qui ponunt tenebras lucem* (*Isai.* 5. 20). Dicant vero nobis immorigeri illi, ex quanam Scriptura ostendere possint Christiano licere hanc sectari formam? quis sanctorum liber, quæ Evangelia docuere Christianos ita turpiter agere? Ecce Catholica et Apostolica Ecclesia, ab oriente usque ad occidentem, a terminis orbis terrarum clamat, docet, hortatur per legem, per prophetas, per apostolos, perque ipsum Dominum; et nusquam reperies Christiano licere talibus operam dare nugis. Quot sunt reges et principes, sapientes, nobiles, illustres, legisperiti, servi et liberi, pauperes et divites, senes et juvenes? ecquis illorum omnium possit probare et ostendere, quod Christianis liceat cithara ludere, aut tripudiare, aut simile quidpiam facere? Nullus certe id ostendere possit. Nemo vos seducat: hæc non sunt Christianorum: hæc aliena sunt a Catholica Ecclesia: hæc omnia gentiles faciunt. Nemo, fratres mei, vos seducat: quotquot in his versamini, a gratia excidistis: Christus nihil vobis proderit. Redeamus iterum ad primam et pulchram confessionem, ad quam vocati sumus in conspectu multorum testium, angelorum, hominum, et Creatoris universorum. Ipse namque schedulam confessionis nostræ retinet in cælo, ut reddat unicuique secundum opera sua, et prout confessionem servavit. Uniuscujusque enim nostrum scripta sunt et pacta, et abrenuntiatio diabolo, et fœdus cum Christo initum, nostra quoque opera et gesta, verba, cogitationes, ludi, cachinni: omnia descripta habens venturus est Christus. Quid denique vis? mentiri illi? Id fieri nequit: in manu quippe ejus et tu et verba tua sunt. Sed vis occultari? Verum non potes, quia in manu ejus sunt fines terræ: *Neque est creatura invisibilis in conspectu ejus; sed omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* 4. 13); neque occultari poteris a facie ejus. Si ascenderis in cælum, illic ipse est; si descenderis in abyssum, illic adest (*Psal.* 138. 8). Scriptum est enim: *Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Ibid.* 134. 6). Quid ergo faciemus, fratres? Angustiæ nos tenent undique: *Ipse enim novit abscondita cordis* (*Ibid.* 43. 22) et renes. Fugere non licet: neque enim est, qui nos eruat de manibus ejus (*Isai.* 43. 13). Abscondi nemo potest; gyrum enim terræ, et omnes habitantes in illa quasi locustas tenet (*Ibid.* 40. 22). Resistere non possumus, sicut scriptum est: *Tu terribilis es, et quis resistet tibi* (*Psal.* 75. 8)? Ipse namque dominatur cælestibus, terrestribus et infernis, qui debet destruere omnem principatum et potestatem et virtutem. Excusatio nulla est, nec obtentus, neque consilium. Ideo a finibus usque ad fines terræ divina Scriptura clamat, hortatur, arguit, monet, testificatur, comminatur. Quapropter Dominus noster ait: *Qui despicit me, et non accipit verba mea*, ego non judico illum: *sed sermo, quem loquutus sum, judicabit illum in novissimo die* (*Joan.* 12. 48). Rursumque dicit: *Si non venissem et loquutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (*Ibid.* 15. 22). Audistis quod nemo excusationem habeat. Profecto, fratres, angustiæ nobis sunt undique.

11. Sed respondebit quispiam: Satis nos sermone tuo tetigisti, tristia exhibuisti, supplicia commemorasti, cruciatus descripsisti, et supra modum perculisti ac terruisti. Scio utique rem ita se habere: novi unumquemque nostrum Deo rationem esse redditurum, messurumque quod seminavit, ac proprium onus portaturum esse. Verum ut hæc denuntiasti, et in medium adduxisti, nosque perculisti ac terruisti, salutis quoque modum nobis ostende; vulneri medelam adhibe: ut terribilia dixisti, sic gratiosa enarra. Ecce salutem consequi volo, quid faciam ut consequar? quo utar modo? ad quem confugiam? Multa namque peccavi, operibus et dictis, volens et imprudens, nocte et die, et in quacumque hora. Quid ergo faciam? quomodo salutem consequar? ad quem confugiam? Ego tibi ad quem confugias dicam. Beatus David ostendit ad quem confugiendum sit, his verbis: *Deus noster refugium et virtus* (*Psal.* 45. 2). Id ostendit et Joannes, major omnibus prophetis, dicens, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* 1. 29). Hoc annuntiavit et angelus, dicens: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* 1. 21); ac rursum propheta David dicit: *Domine, ad te confugi* (*Psal.* 142. 9). Ad illum et tu confuge, qui dixit: *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* 9. 13); qui dixit: *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent* (*Luc.* 5. 31); qui dixit: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum* (*Matth.* 3. 2); qui ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Ibid.* 11. 28); qui dicit: *Potestatem habet Filius hominis super terram dimittendi peccata* (*Matth.* 9. 6); qui dicit: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras* (*Joan.* 6. 37); qui per prophetam dixit: *Vivo ego, quia nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat* (*Ezech.* 33. 11); qui dixit: *Faciet vindictam clamantium ad se die ac nocte* (*Luc.* 18. 7); qui dixit: *Gaudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Ibid.* 15. 7). Ad hunc confugito, pœnitentiam agens et lacrymans. Pœnitentiam age, et ne differas: pœnitentiam age, et ne animo delicias neque desperes, cum salutis pharmaca habeas. In cælo gaudium est te pœnitente, et tu torpescis? angeli exsultant, et tu dormitas? propter te Medicus animarum advenit, et tu vulnus occultas? ipse clamat: Convertimini ad me, filii hominum, venite ad me; et tu non festinas? ipse clamat: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Matth.* 9. 13). O benignitatem Domini inæstimabilem! *Non veni vocare justos*, inquit, *sed peccatores*. Confide ergo, o peccator, et ne desperes. Te namque bonus Pastor vocatum venit; propter te inclinavit cælos, et descendit, dicens: *Venite ad me omnes qui onerati estis: Non enim veni vocare justos, sed peccatores* (*Id.* 11. 28). Vide autem, ne segnior evadas ex hoc sermone, audiens ejus ineffabilem clementiam: neque enim simplicem vocationem dixit, sed addidit, *Ad pœnitentiam. Non enim*, inquit, *veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*: non ad risum, sed ad lacrymas; non ad turpia verba, sed ad Deum glorificandum; non ad prandia et cœnas et ebrietatem, sed ad jejunium, vigilias et lacrymas; non ad choreas saltantium et citharas et cantilenas, sed ad luctum, tribulationem et angustias, dicens: *Beati qui lugent* et flent (*Id.* 5. 5), scilicet peccata sua. Incipe ergo pœnitentiam agere: pone principium tantum, et Deus pœnitentiam tecum operabitur, te roborabit, et gratiam multam invenies, eritque in te super mel et favum. Multæ viæ vitæ, sicut scriptum est, et multi modi salutis: quo volueris modo, salutem consequere. Si possis, da eleemosynam; si non possis, id Deus non requirit. Non habes panem, non habes vestimentum? Genua flecte, pectus tunde, funde lacrymas, ingemisce, luge, extende manus tuas ad cælum, oculos ad Dominum attolle, jejuna, vigila. Hæc omnes possunt homines, nec negare valent: hæc studeas semper Deo offerre. Verum hæc cum discretione fiant oportet, ne inutiliter curras, et in vanum defatigeris.

12. Has itaque virtutes exercens, et Deo pœnitentiam offerens, observa diligenter et scrutare, num inimicitiam adversus aliquem habeas, ne studium tuum in vanum abeat; sed, ut dixit apostolus Paulus, *Cum timore et tremore salutem* nostram *operantes* (*Philipp.* 2. 12); et Christi præceptum servantes, qui dicit: *Si dimiseritis hominibus peccata sua, dimittet et Pater vester cælestis peccata vestra* (*Matth.* 6. 14). Si ergo Deum toto corde precaris, nec risui et fastui deditus es, hoc ejus præceptum servato, et si

quid contra quempiam habeas, dimitte illi. Vis dimitti tibi peccata? Dimitte tu proximo. Si tu non dimittas fratri tuo peccata, neque tua tibi Dominus dimittet; dixit enim: *Nisi remiseritis hominibus peccata sua, neque Pater vester cœlestis remittet vestra* (*Matth.* 6. 15). Novimusque omnes ipsum non mentiri: verax enim est et fidelis in omnibus verbis suis. Paratus igitur esto, exspectans quotidie eum, qui repetet animam tuam. Ne hodie pœnitentiam agas, et cras agere obliviscaris: ne hodie fleas, et cras choreas agas: ne hodie jejunes, et cras ebrius a multis exporteris: ne hodie vigiles, et cras concidas; sed salutem cura tuam, ut coroneris. Ne virtutem adulteres, ne laborem refugias, ne coronis priveris. Omne gaudium hujus sæculi odio habeas, necnon gloriam ejus; et dic cum Davide: *Iniquitatem odio habui et abominatus sum, legem autem tuam dilexi. Ab omni via mala prohibui pedes meos. Juravi et statui, ut custodiam mandata tua* (*Psal.* 118. 163. 101. 106). Cura semper ut paratus sis, ut cum venerit is qui repetet animam tuam, te in pœnitentia paratum inveniat: et ego promitto tibi, quod te ab iis qui salutem nacturi sunt, non te segregaturus sit. Serva semper Domini mandatum illud: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (*Matth.* 26. 41). Rursumque ait: *Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet* (*Id.* 24. 44). Audi quoque apostolum dicentem: *Sine intermissione orate* (1. *Thess.* 5. 17). Cogitate quid sit illud, *Sine intermissione;* id est, semper, in omni tempore, nocte et die, vespere, mane et meridie, atque omni hora; sive opereris sive iter agas, sive gregem cures sive terram sulces, sive decumbas sive e lecto surgas. Ne exspectes Dominicam, vel festum, aut loci differentiam. Deus enim non loco circumscribitur: nam *In manu ejus sunt fines terræ* (*Psal.* 94. 4). Ideo propheta David per singulos dies et noctes orans, non exspectabat diem, nec loci discrimen, sed lacrymans dicebat, suam hortans animam: *In omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Dominum* (*Psal.* 102. 22). Et tu, carissime, ne exspectes horam, aut diem, aut loci discrimen; sed, ut supra dictum est, in omni loco, et in domo tua precare: in ecclesia quoque precare, et quocumque in loco sis precare, in omni loco dominationis Dei. *Auribus percipite omnes qui habitatis orbem, simul in unum dives et pauper* (*Psal.* 48. 2. 3), sive mas, sive femina, sive turba, juvenes et virgines, senes cum junioribus, reges terræ et omnes judices terræ, audite id quod scriptum est: *Tempus breve est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint* (1. *Cor.* 7. 29). Abnegemus *impietatem et sæcularia desideria; sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo*, in futuro *exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi* (*Tit.* 2. 12. 13). Mementote mei semper, fratres, et servate traditiones quas accepistis a beatis viris, a prophetis, ab apostolis, et a Domino universorum. In exemplum afflictionis et perseverantiæ habeatis prophetas; patientiæ, Jobum; castitatis, Josephum; discretionis, Danielem; caritatis, Dominum nostrum Jesum Christum, qui dedit semetipsum pro nobis; pœnitentiæ, Dei patrem Davidem. Hic enim nobis pœnitentiæ exemplar fuit, admonens et exhortans nos his verbis: *Venite, filii, audite me* (*Psal.* 33 12): et ego vobis pœnitentiæ modum ostendam: quoniam ego aliquando lapsus sum, sed per pœnitentiam surrexi: et agnosco Domini benignitatem; novi ipsum eos, qui sincere pœnitentiam agunt, supinis manibus excipere: non potest enim Dominus mentiri. Audivi enim illum dicentem: *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita* (*Ibid.* 88. 35). *Nam cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* 24. 35). *Semel juravi in sancto meo* (*Psal.* 88. 36): *Vivo ego, qui nolo mortem peccatoris* (*Ezech.* 33. 11). Audistis quod per semetipsum juraverit ille amator hominum. Ideo hortor omnes: *Venite, filii, audite me:* et dum tempus est nobis, festinemus, antequam veniat dies Domini magnus: *Præoccupemus faciem ejus in confessione. Venite, adoremus et procidamus ante Dominum, qui fecit nos* (*Psal.* 94. 2. 6). Quoniam ipse fecit nos, ipse *Misereatur nostri; et benedicat nobis; illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri* (*Psal.* 66. 2). Ipse namque est Deus pœnitentium, ipse nos pœnitentes recipit, ipse pascit: ipsi gloria et imperium et omnis gratiarum actio, Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN ORATIONEM DE CIRCO.

Ineptum nugacissimi Græculi opusculum, non sine nausea ad fidem duorum Codicum mss. emendatum hic tandem proferimus: indignum, Tillemontii judicio, p. 393, quod legatur, vel intelligatur. Erat certe, infacundus et linguæ Græcæ imperitissimus, qui talem opellam emisit, et Chrysostomo adscribere ausus est. Et tamen illam commentariis et notis illustrare conati sunt viri inter literatos principes, Julius Cæsar Bulengerus et Claudius Salmasius; quia in comparatione illa inepta de circo visibili, quem ipse *sensibilem* vocat, cum circo intelligibili, sive *spirituali* multas adhibet voces ad ludos circenses et ad circum pertinentes; euripum nempe memorat, albam lineam, ex qua cursus incipiebatur et sphendonem, quo desinebat cursus. Deinde voces χομβινεύειν et χομβινεύματα affert, quæ parium circensium equorum junctionem significant. Quæ fere omnes voces apud scriptores historiæ Byzantinæ occurrunt. Hæc una causa fuit cur tam insulsum opusculum tot notis illustratum fuerit. Bulengerus commentarium in hanc Orationem edidit in libro suo de Circo, quod longius esset hic referre. Eamdemque ipsam orationem Græce cum Latina sua interpretatione edidit.

ORATIO DE CIRCO (a).

Stadium nobis hodie spirituale et cursus cælestis apertus est iis, qui ad spiritus spectaculum parati sunt; non secundum hominem de terra terrenum, sed secundum hominem spiritualem et cælestem: ubi currendum quidem est in terra, sed spectandum est cælum. Hoc tractandum suscepi, ut spectaculorum amantes redarguerem, qui spirituale salutis spectaculum despiciunt, et corporalem [1] nequitiæ hippodromum, seu potius satanodromum ipsi anteponunt. Tu vero, dilecte, diligenter potius tranquillum illum Ecclesiæ hippodromum intuere, ubi Paulus decertat, non euripi et camporum orbes decurrens, sed a Jerosolyma usque ad Illyricum circumquaque evangelium pleno cursu prædicans (*Rom.* 15. 19): ubi Elias currum illum ducit, de quo dictum est: Currus,

(a) Collata cum Codice Regio bombycino num. 2353, et cum altero exemplari Ms. recentiore, quod penes nos est.

[1] Duo Mss. legunt, *spiritualem;* minus recte.

currus, auriga Israel, et eques ejus (4. *Reg.* 2. 12): non a linea alba ad sphendonem (a) milliare decurrens, sed a terra ad cælum in curru igneo attingere tentans: ubi cælestis populus ad spectaculum adest, et Judex spiritualis sedet, Rexque contemplatur, ac victoriæ præmium cæleste positum est, flagellaque tremendi judicii prostant. Vult Deus ut propter ipsum decertes. Ideo dedit tibi Evangeliorum quatuor animalibus junctum currum [1]: cui currui equi candidi juncti sunt, secundum Zachariam (*Cap.* 6). Jugales sunt, lux et immortalitas: extremi, justitia et veritas: quæ eunt post currum pergentem in terram aquilonis; de quo dicit Sapientia: *Ventus asper est boreas* (*Prov.* 27. 16): asper enim spiritus atque malignus, diabolus est. In curru ejus equi atri: subjugales sunt, infernus et mors; extremi, tenebræ et pernicies: quos oportet opponi currui Christi. *Currus Dei*, inquit, *decem millibus multiplex*, *millia lætantium* (*Psal.* 67. 18): qui opponendi sunt hujus vitæ procellis ceu marinis tempestatibus. Deduxit enim in mare equos suos, turbantes aquas multas (*Habac.* 3. 15), et submergentes currus spiritualis Pharaonis, omnesque copias ejus in mari Rubro. Habet autem equis vicinum angelum persequentem et tenebris obvolventem equos inimici tui. Nam ait: *Fiat via illorum tenebræ et lubricum, et angelus Domini persequens eos* (*Psal.* 34. 6). Habes ex adverso Chananæos, Pharisæos, Sadducæos, diaboli dona nuntiantes: tu quoque habes Moysen, Samuelem et Davidem, qui prænuntiarunt justi adventum. Habet ille quos in medium immittat dæmones, Bel, Dagon, Baal et Chamos, qui Israelem supplantarunt, et membra ejus in deserto disjecerunt: habes tu quoque qui januam aperiant, Paulum, Silvanum, et Timotheum, ut ipsi dicunt: *Ostium nobis apertum est magnum et evidens, et adversarii multi* (1. *Cor.* 15. 9): qui petierunt ut daretur sibi verbum in apertione oris sui (*Ephes.* 6. 19). Habet ille Philetum, Judam, Demam, Hermogenem, Hymenæum et Alexandrum ærarium, hypocrisi plenos: habes tu spectatores angelorum populum, justorum ordines superne intuentes, quomodo multi currant, et unus accipiat bravium (1. *Cor.* 9. 24). Unus revera Christi populus, unus in Christo baptizatus, unus qui Christum induit: neque ultra est Judæus, neque Græcus, non masculus, non femina, non est servus, nec liber, non est Scytha, non Arius, Eunomius, Marathonius (*b*); sed unus in Christo. Digne Deo curre, et vitam institue, popule Dei, in spectaculo sancti Spiritus. Ne te delectet prælusio paribus equis, ne te ante judicium pericula invadant. Si vis paribus equis currere, et in hoc ordine poni; hoc magis potes facere in spectaculo spirituali. Junge contra libidine furentes diaboli equos pias tuas cogitationes: oppone fortioribus patientiam; *Melior* enim, inquit, *est patiens viro forti* (*Prov.* 16. 32). contra Judaismum, Christianismum; contra gentilium cultum, veram religionem; contra fornicationem, castitatem; contra avaritiam, eleemosynam; contra mendacium, veritatem; contra iram, mansuetudinem et modestiam. Rursum contra acriores impetus junge ea quæ opposita illis sunt; contra iram et dolorem junge lenitatem (nam ait ille: *Lenis vir*, *cordis est medicus* [*Prov.* 14. 30]); contra acriores impetus, mansuetudinem; contra inimicitias, amicitiam; contra odium, caritatem; contra afflictionem, gratiarum actionem; contra superbiam, humilitatem; contra nequitiam, benignitatem; et ut uno verbo dicam, contra res omnes ad ersas, orthodoxam et salutarem fidem habeas. Oportet autem te aurigam spiritus temperantiam habere, ne in nauseam incidens, a labore deterrearis. Nam *Qui in agone contendit*, inquit, *ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam* (1. *Cor.* 9. 25). Accipe et galeam salutis, et flagellum in manu tua; quod cum Dominus noster Jesus ex sparto fecisset, diaboli negotiatores ex templo ejecit. Sta firmiter supra vas electionis: ascende in currum eunuchi, o Philippe, ab omni immunditia liberati: inscende currum: sine animi electione specta eum, qui in lectione Evangelii mappam ministrat. Ne quis putet me ridendi causa hæc dicere: non mentior. Ut enim in circo omnium oculi in mappam, signo affixo, feruntur, dum exspectant ex consilii voluntate aperiendos ludos esse: eodem modo cum ad ecclesiasticum spectaculum convenimus, cum diaconus Evangelii fores quatuor aperturus est, omnes ipsum cum quiete multa respicimus; cum autem cursum lectionis incepit, statim erigimur vociferantes: Gloria tibi, Domine. Currum conscende, venare, excurrito, contrahe, ejice, averte, comprehende, et ore pulchram confessionem emitte: curre contra adversarium: nam *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter* (*Prov.* 10. 9). Comprime ipsum, ut David Goliathum: ejice illum, ut Elisæus Giezi; comprehende illum, ut Elias Achabum in vinea Nabuthæ; averte illum in tenebras exteriores, ubi fletus et stridor dentium (*Matth.* 8. 12); attende tibi. Etenim ait ille: *Attendite vobis, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* 21. 34). Omnia sustine: *Alter alterius*, inquit, *onera portate* (*Gal.* 6. 2). In invia incedens cave, *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* (*Psal* 90. 12). Ne retro avertaris, memor uxoris Loti. Mediam justitiæ viam teneas, ne declines ad dexteram vel sinistram. Interius quære de paradiso: interius quære. *Ex corde enim exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, furta, falsa testimonia*, oblocutiones, *blasphemiæ* (*Matth.* 15. 19), quæ coinquinant hominem. Ne cum diabolo ascendas, quemadmodum nec Deus cum Israele, quia duræ cervicis erat: ne cum illo ascendas: ad peccatum te vocat. Ipse te flectet. Ipsum præveni, ac dic illi: *Vade retro, satana, quia, non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum* (*Marc.* 8 33). Extra mane, ut Elias fugiens Jezabelem: curre ad bravium supernæ vocationis. Non te comprehendet, ut neque pueri Absalonis Jonatham, et Achimaam sacerdotes Domini fugientes comprehenderunt. Non te comprehendet, ut neque pueri regis Jericho exploratores ceperunt; sed si fieri possit, decipe illum, ut Rahab meretrix perquirentes decepit. Ne te subjiciat, ut neque Pharao Moysem et Aaronem, sed circumvenito illum, ut magi Herodem. Ne in agone deficias: habes enim præceptorem Deum, medicum Christum. Ne deterrearis: habes enim unctorem Spiritum sanctum, qui ex cornu Samuelis te mystico unguento unget. Neque sitim metuas: habes enim in te aquam quietis baptismi nempe per cucurbitam, ut præveniens scilicet per prædicationem Jonæ, te recipiat. Everte currum tyrannidis ejus: conjice illum in foveam, quam fecit, conjice illum in profundum. Ex Psalmo clama: *De profundis clamavi ad te: Domine, Domine exaudi vocem meam* (*Psal.* 129. 1. 2). Dejice eum in profundum, deflectens solus ex ejus exitio. Extolle in altum sanctas manus ad Regem, accipiens bravium palmarum, ut olim pueri: et quatiens adorato eum, quia cecidit Bel, contritus est Dagon (*Isai.* 46 1). *Gratia autem Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum* (1. *Cor.* 15. 57). Hac victoria paradisum quasi lavacrum publicum aperire poteris, ubi quatuor flumina, aqua multa, ut in lavacro, in loco pascuæ, ut et tu opportune dicas: *In loco pascuæ ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me* (*Psal.* 22. 2): et super hæc omnia exsultans dicas: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ* (2. *Tim.* 4. 7. 8), in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii legendum putant, *Evangeliorum quadrigam*; recte.
(a) Sphendon est locus circa metam. Vide Bulengerum.
(b) De Marathonio vide quid dicat Socrates, l. 2, c. 45.

MONITUM
IN SEQUENTEM SERMONEM.

Hunc sermonem non esse Chrysostomi omnes dijudicant, etsi sagaci viro non sit indignus. Quod vero dixit nescio quis, sed ex conjectura tantum, Severiani esse, id certe cum recta ratione pugnare videtur; neque enim minus a Severiani stylo differt oratio, quam a Chrysostomi dicendi genere. Severianus enim totus strigosus est, perplexus, figuris redundans: uno verbo, stylo ferreo utens, ut ait Savilius; hic vero scriptor simplex est, ac sine salebris fluit.

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

IN ILLUM LOCUM, ATTENDITE NE ELEEMOSYNAM VESTRAM FACIATIS CORAM HOMINIBUS (*Matth.* 6. 13).

1. Sapientes ac periti agriculturæ artifices, ubi cum omni cura et sollicitudine terræ stirpes plantaverint, prius ipsas plantas in altitudinem erigunt, deinde superfluos et importunos stolones artificiose resecant. Idem et legislator Moses fecit: primum enim unius imperium in hominum mente plantavit, ac deinde multorum imperium ex hominum mente amputavit. Quo tandem pacto unius imperium plantarit, audi ipsum dicentem: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies:* et rursus, *Audi Israel: Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* 6. 13. *et* 10. 20. *et* 6. 4). Quomodo autem superfluos et importunos surculos imperii multorum amputavit, e lisce: *Non facies*, inquit, *deos conflatiles, neque adorabis deos alienos: ego enim, ego Dominus Deus tuus* (*Exod.* 34. 17. *Levit.* 19. 4). Hoc vero etiam hodierno die Deus idem et Salvator noster agit. Nam postquam nuper in animis nostris pulchram eleemosynæ olivam plantavit, ejusque fructum, hoc est, misericordes coronavit, et beatos prædicavit dicens, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur:* merito nimirum hodie pullulantes molestas eleemosynæ superfluitates amputat ac repurgat. Enimvero nuper omnes simul cum ad eleemosynam excitaret, pauperem quidem pauperculæ viduæ, quæ in Sarephtha Sidoniæ habitabat, exemplo edocuit, ne inhumanitati paupertatem prætexat: mendicum autem viduæ illius mendicæ exemplo, quæ in Evangelio minuta duo in gazophylacium misisse memoratur, incitavit, ut mendicas eleemosynæ opes prompto animo conferat: mercatorem porro consideratis maris procellis refrænavit, ut pauperibus potius quam mari sua communicet: at eum, qui negotiationem terrestri itinere exercet, coercuit, ut animo necessitatem prævertat, et ante necessitatem latroni Deum anteponat. Postquam igitur omnibus ad eleemosynam instructis, unumquemque ex eo, quod laudes excepturus sit, promptum esse, tamquam virentem quamdam plantam ad eleemosynam inclinatam, vidit: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei* (*Psal.* 51. 10): propterea simul pullulantes eleemosynæ simulationes exscindit. Quid dicens? *Attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis:* non quasi nos lectionem hanc de industria commode nunc proponamus: sed quasi ex ipsa serie eorum quæ jam lecta sunt ista transmittantur. *Attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis;* sin secus, nullam certe mercedem habebitis: hæc enim ostentatio mercedem tollit illorum: talis largitio futuram illis eripit felicitatem. Etenim nullus est animæ adeo noxius affectus, atque hæc inanis gloriæ cupiditas. Cum enim ex iis quæ mandata sunt, multa præclare perfecerimus, tunc ipsius inanis gloriæ cupiditatis adnascitur ægritudo. Verum illam a nobis radicitus exstirpavit Salvator, dum nos docuit, ut clam eleemosynas conferamus. Sed utique dices: Quid ergo? non possumus id facere: non enim fieri potest, quin is, qui pauperibus quidpiam dat, vel sacerdotibus offert, aut in gazophylacium mittit, videatur. Tum tu igitur nos in posterum ad impertiendam eleemosynam negligentiores reddidisti. Nunc itaque præstante Domino Deoque nostro ac Salvatore Jesu Christo, de amicorum ac fratrum meorum animabus bene mereri volo, easque omni ægritudine liberare, et actionis istius modum corrigere. Voluntatem enim examinat et consilium ejus, qui eleemosynam impertit. Propterea recte adjecit dicens: *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt* (*Matth.* 6. 2): non quod tubas haberent illi, sed quod larva esset ac species eleemosynæ; animus autem hominibus militaret, et ab eorum aspectu illi penderent. Non enim propter Deum eleemosynam conferebant, sperantes ab eo se misericordiam consequuturos, et promissam mercedem centuplam accepturos; sed, ut momentaneam reciperent ab hominibus gloriam, largiebantur. Non igitur differebant ab illis, qui populariter in theatris suas facultates profundunt, et ut inanem gloriam aucupentur, opes suas dilapidant, non ad aliquem utilem animæ fructum, sed ad futilem hominum laudem: Convertitur enim sæpe laus illa in contumeliam, et cum multos sumptus fecerint, multis opprobriis onerantur. Vide quam multas pecunias in circensibus ludis expendant; et postquam multa expenderint, tum a vilissimis et abjectissimis hominibus pluribus probris lacerantur. Nam equorum infirmitatem hominibus vitio vertunt: et equus quidem collabitur, ambitiosus autem editor contumeliis vexatur: et ipse quidem rationis expers equus cecidit, homo vero ratione præditus excidit et explosus est: ac sæpenumero dixit ingemiscens: Quid frustra meas facultates perdo? quid tantos labores sustinui, totque damna, meque omnibus bonis everti, ut a despectissimis hominibus ad extremum contumeliis onerarer? O quam multos pauperes istæ pecuniæ frustra insumptæ ditare potuissent! quam multos erigere, qui exciderunt! Atque effunduntur quidem velut ex fonte quodam ad vanam laudem captandam populares istæ largitiones; contumeliæ vero stolidorum hominum tamquam ex flumine quodam excitantur. Alii vero suas animas nihili faciunt; et alii rursus ob equorum contentiones proprias ædes evertunt.

2. At illos quidem sumptus facere, et probris lacerari, vanisque largitionibus opes profundere sinamus: quo vero pacto pecuniæ pie sint expendendæ discamus, et quo modo vita religiose traducenda sit, ac cælestia pro terrenis exspectanda. Non enim prohibet ne des eleemosynam Christus, sed qua ratione facere eleemosynam oporteat, docet: *Ne sciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Hoc vero loco rursus non manus significat, sed hyperbolice dictum est illud, quasi diceret: Ne sciat perversa cogitatio tua, quid recta mens tua faciat, ne te avertat a bono. Incumbit enim, ut inquit Deus, mens hominum diligenter ad mala. Propterea, inquit, Studiose tibi, ut tu ipse quoque ignores, expetendum existimato. Quid ita? Ut Pater tuus, qui videt in abscondito hilarem tuam promptamque largitionem, te diligat, et in manifesto reddat tibi. Magnum et illustre iis, qui eleemosynas

largiuntur, erexit theatrum; et quod expetunt misericordes, id illis cumulate concessit. Itaque licet multa vos hominum millia eleemosynam largientes contemplentur, vos tamen nolite illis attendere, neque momentaneam ab illis gloriam expetatis: sed, si vestrarum actionum nancisci spectatores velitis, accipite, inquit, angelos et archangelos, et omnium Conditorem ac Dominum. Sin autem homines eorum, quæ a vobis geruntur, habere spectatores optetis, et eleemosynas facere, ut vos apud eos venditetis, centum aut mille habebitis spectatores a quibus laudemini. Quod si eos, qui in hac vita vos laudant, latere studueritis, atque ita latere, ut licet vos nonnulli laudibus prosequantur, libenter eas non admittatis, neque vos efferatis; quin potius tales aversemini ac repellatis; ita fiet ut, cum formidabilis illa dies illuxerit, gloriæ coronas toto terrarum orbe spectante recipiatis. Si propter Deum, et eas quas ille tibi reservaturus est illic opes, eleemosynam tribuas, non propter gloriam temporariam; tunc velut in sinum suum receptis vestris eleemosynæ recte factis, Deus præsentibus omnibus, qui ab Adamo exstiterint usque ad sæculi consummationem, hominibus, tunc omnibus angelis archangelisque præsentibus, dum millia infinita angelorum astabunt, tunc suis vos propriis immaculatis manibus advocabit dicens: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* 25. 34). Venite, ego vestros labores excepi: ego pecuniarum vestrarum nummularius sum factus. Quando tu mendico manus extendisti, ego meum sinum aperiebam: quando tu panem tuum pauperi dabas, ego per illius ventrem saturabar. *Esurivi enim et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere* (*Ibid.* v. 35). Ejusmodi ergo gaudio perfundemini misericordes. Sin autem ad ostentationem eleemosynas largiamini mercedem ab hominibus recipietis. Etenim si ostentare se oportet, ante omnia Deo nos ostentassè par est, qui nos coronandi et ad angelorum theatrum deducendi potestate pollet maxime. Ecquis ergo adeo miser fuerit, ut ad spectanda præclara ipsius facinora Rege venire cupiente, illo neglecto, apud infimæ conditionis homines theatrum sibi collocet, et ab illis mercedem præstoletur? At enim inter Christianos nullus est ejusmodi; absit. Quicquid agimus Christiani, Christum præ oculis habentes, ejusque nomen usurpantes id facimus. Ipse namque per evangelium suum viam salutis nobis dedit, ut omnem eleemosynam facientes, et omnem virtutem exercentes, illum spectantes ejusque dona recipientes, faciamus. Sive enim martyres sua corpora tradiderunt iniquis, propter illum tradiderunt, qui dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Id.* 10. 28): sive ergo ecclesias sive xenodochia aperuerunt aliqui in toto orbe terrarum, propter eum id egerunt, qui dixit: *Hospes eram, et collegistis me* (*Id.* 25. 35): sive humilitatem exercemus, propter illum exercemus, qui dixit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* 5. 3): sive præterea pauperibus panes porrigimus, propter illum damus, qui dixit: *Qui dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam* (*Id.* 10. 42); sive carceres visitamus, propter illum visitamus, qui dixit: *In carcere eram, et venistis ad me* (*Id.* 25. 36): sive viduas et orphanos vestimus, qui dixit: *Nudus eram, et operuistis me*: sive in universum quippiam pauperibus distribuimus, propter illum qui dixit: *Quantum fecistis uni ex his minimis, mihi fecistis* (*Ibid.* v. 40): sive opprobria sustinemus ab impiis gentilibus, ut qui eum adoremus, qui a Judæis crucifixus est, et humano generi vitam restituit; propter illum, qui dixit: *Beati estis, cum maledixerint, vobis et persequuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes; gaudete, et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis* (*Ibid.* v. 5. 11. 12). Nullus ergo Christianum unquam ad hominum ostentationem, ut ab illis mercedem recipiat, arbitretur eleemosynam impertiri: absit. Semel enim evangelicis admonitionibus eruditi sumus, et ad fidem edocti credidimus, et cum credidissemus, salvi facti sumus. Idcirco enim lectis Evangeliis prædicamus. Sed et dum sancta leguntur Evangelia, non temere neque perfunctoriè auscultamus; sed stantes et attenti, magno cum timore mandata excipientes, non animo concidentes, non corporibus sedentes, non proximi narrationibus operam dantes, ea prætermittere audemus: non dives, non pauper, non servus, non liber, non viri, non feminæ, non principes, non subditi: quin etiam ille ipse qui regio diademate redimitus est, cum primum leguntur Evangelia, stat summo cum timore summoque studio, ac ne diademate quidem redimitum esse caput suum permittit, sed Deum in Evangeliis loquentem inflexa cervice veneratur. Quid dicens? Nota est mihi dignitas ejus, qui hanc mihi contulit dignitatem: adoro regnum ejus, qui mihi tribuit regnum, et dum ejus sancta leguntur oracula, sto cum timore: quandoquidem, inquit, ipse principibus dedit, ut starent, quando legitur regium victoriæ monumentum. Ac ne forte nobis exprobret hæreticus, ac dicat, reges ad perexiguum modo tempus simulate Christo hunc honorem deferre, audi prophetam dicentem (jam enim ante multa sæcula imaginem eorum, quæ nunc geruntur, descripsit): *Reges videbunt te, et consurgent principes et exsurgent, et adorabunt eum omnes reges terræ* (*Isai.* 49. 7). Disce igitur et crede, o hæretice, Christi Dei nostri regnum in infinita sæcula permanere, simulque gratiam ejus quæ Christianos coronat, et in regnum cælorum quasi manuducit. Atque ita Christiani omnes illum spectantes omnia faciunt; et obedivimus, dicente illo: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui est in cælis* (*Matth.* 5. 16). Ipsi gloria et imperium et potestas et adoratio cum unigenito ejus Filio, ac sancto et bono et vivifico et omnipotenti Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD SEQUENTEM HOMILIAM.

De indictione quæ in titulo fertur, ne verbum quidem est in hac homilia, quæ fere tota mulierem sanguinis fluxum patientem respicit. In anni principio dictam profitetur is qui scripsit. Hanc quoque Severiano Gabalorum episcopo adscribit idem nuperus: et certe a Severiani stylo non abhorret hic quisquis est Græculus; imo Severianum nugacitate superat, figuris et tropis ubique redundat, apostrophas passim usurpat; ita ut ipsum sanguinis fluxum, quo mulier illa laborabat, loquentem, nec pauca dicentem inducat. Cum porro multos hujuscemodi Græculos scriptores frequenter reperiamus, quis ausit dicere hunc, quia hoc vitio laborat, Severianum esse?

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

IN PRINCIPIUM INDICTIONIS NOVI ANNI, ET IN MARTYRES, ATQUE IN MULIEREM QUÆ SANGUINIS FLUXUM PATIEBATUR (*a*).

1. Alternum est quoddam continuumque miraculum, a Christo Domino bonorum imber effusus, et aliæ aliis succedunt opes. Ecce nos etiam hodie victores martyres epulo excipiunt, et sua nobis certamina tamquam lætitiæ commune convivium apponunt. Oportebat enim, oportebat ut martyres semper gratia juvenescentes, etiam sub novi anni ingressum occasionem convivii piis afferrent : oportebat ut temporum mutationis exordia tanta nos cum benedictione susciperemus : oportebat ut diei hujus celebritatem choro sanctorum exornatam exciperemus : oportebat anni ut circulus corona martyrum decoraretur : oportebat ut tali sub adventantis anni initium jucunditate frueremur, eamque martyrum honore cumularemus. Hi sunt enim illi omnes justitiæ generi humano auctores generosi milites Christi, ejusque virtutis post mortem etiam præcones; qui deceptorem serpentem sapientiæ pedibus conculcarunt, et tyrannico sensu tumidum leonem, amoris in Deum manibus suffocarunt, ac veritatem propalarunt; qui præsentem vitam ut vanam oderunt, et cælorum regnum, ut filii matrem, adamarunt, qui per mortem januas immortalitatis reserarunt, mortisque genitorem morte propria enecarunt; qui in corpore incorporeos dæmones superarunt, non corporis robore, sed animæ fide : per fidem enim omnia, quæ mundi sunt, subegerunt : qua nihil optabilius est Christianis. Fide siquidem sibi in auxilium adscita, verba operibus confirmarunt. Enimvero magnum est prorsus officium justitiæ; illustris est et virtus temperantiæ; utilis pariter et amoris in pauperes sollicitudo; præclara et pulchra simul cum istis est exercitatio continentiæ; sed præ omnibus his potentis fidei prærogativæ palma defertur. Hæc in Abrahamo quondam sterilem uterum Sarræ post multum tempus fertilem agrum reddidit : hac Moyses mare quod navibus trajiciebatur, ut perambularetur, effecit : per hanc Helias cælo imperavit, et auditus est : hæc sexcenta morborum genera tempore Salvatoris fugavit : per hanc leprosus ægritudinis suæ squamas excussit : per illam cæcus oculos, quos non tulerat natura, recepit : hujus præsidio septa Chananæa, cum prolis suæ causa vim pateretur, filiam suam invasori dæmoni extorsit. Fides etiam dum lateret, sanguinis fluxum exsiccavit : atque in cæteris quidem, cum petitio præcessisset, donum sequebatur; hic vero silens a silente, ut putabat, gratiam furabatur. O mulierem miseram simul et beatam! miseram propter nuperum statum, beatam propter hunc sequentem : Ecce enim, inquit, *Mulier in fluxu sanguinis sui annis duodecim* (*Luc.* 8. 43). Si tantus fuisset dierum numerus, quot jam annorum tempus elapsum erat, ipsam conficere potuisset, nedum anni duodecim. In naturam opinor morbus evaserat : quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, ad corporis tabem pecuniarum jacturam adjunxit : nec potuit ab ullo sanari (*Ibid.*). Item, non potuit! Indomitum habuit mulier adversarium morbum illum : venter nimirum mulieris fontis in modum scaturiebat; fons ille perpetuo fluebat; nec rivo fœtoris fecunditatem tam longi temporis diuturnitas absumebat. Doloribus præterea mens ejus vexabatur et curis, quo pacto vincula gravis infirmitatis abrumperet, quo pacto duodecim annorum morbum excuteret, quo pacto continuos dolores solveret, quo pacto effrenata illa fluenta sisteret, quomodo insaniam venarum sedaret : ad omnium medicorum fores noctu profecta et distracta contabescebat : lucem enim declinabat, ne forte labentes sanguinis guttæ signata semita latentem incedentis ignominiam propalarent. In eos, qui sanare ipsam vellent, mercedis loco suas omnes facultates effudit, ad dandum necessitate compulsa; sanitatis quippe desiderium ut pecuniis minime parcatur suadet. Atque ita medici omnes morbum oppugnantes torpebant : variæ medicamentorum inventiones non poterant morbi sævitiam mitigare; tamquam enim surda quædam bellua incantationum artem non audiens permanebat, atque iis, a quibus urgebatur, talia quædam dicendo refragari videbatur : Quid frustra cum bellua valentiore pugnatis? tantum me tempus corporis possessione non spoliavit : medentium peritiæ minime cedo : nemo pecuniis redimet virtutem meam; nemo ex iis qui in terris versantur, meam fecunditatem exhauriet : unus me solus medicus ex Virgine natus fugabit; ejus gloriæ ego quoque reservor : ut cum cæteris ejus sim testis virtutis, custodior. Quid ergo incassum tot labores suscipitis, et Domino victoriam præripere servi conamini? Non parcam creaturæ, donec conspexero Creatorem. O quam multa mulierem divexabant! temporis diuturnitas, continui dolores, inutiles bonorum publicationes, molestia corporis tabescentis, cogitationes vana spe absumptæ. Veruntamen tot adversarii, fidei ejus quæ in periculo versabatur, arma non eripuerunt : tam multi tentationum insultus patientem feminam non dejecerunt : tot adversarum rerum decumanis fluctibus obruta naufragium femina passa non est. Vidit, inquit, Jesum. Vidit, ea quæ perierat, Servatorem; vidit captiva redemptorem; vidit anchoram mundi, ea quæ tempestate jactabatur; vidit ægritudinum regem, qui a sedibus supernis advenerat; vidit spem gaudii inexspectatam, vidit insuperabilem medicinæ virtutem, vidit fontem sanitatum, gratis fluenta dividentem, vidit inter mortuos enectos vitam diversantem; vidit, et talia quædam læto animi sensu versare cœpit : Reperi, inquit, sufficientem jam medicum; nec auri mercedem hic medicus reposcet : unam opinor mercedem, sinceram mentem, exiget; unum ex me fidei donum requiret. Ego vero illud habeo : nam me hoc solo morbus minime spoliavit. Verum anxietate cogitationum in contrarium distrahor. Quid enim? accurrens contingam? Periculum, quod a turba imminet, reformido. An meum hunc statum voce declarabo? Me ut immundam ablegabunt. Occultabo miseriam? At dolorem non fero. An tanquam ad medicum naturæ accurram? Atqui ut regem pertimesco. Me ut supplicantem suscipiet? Nisi refugiat tamquam inquinantem. Miserebitur morbi? Nisi condemnet in me dium prodeuntem.

2. Quid igitur faciam? quod consilium sequar? num audacter prodibo? Vereor ne rursus maneam incurata. Non reformidabo turbam, metum omnem abjiciam, spectaculum fiam, exteriorem risum effugiam; interius bellum malumque sanabo. Lex ut inquinatam odit; legislator ut ægrotantis miseretur. Cupiditas ac metus mulieris animum distrahebant : veruntamen aggressionis conciliatricem fidem invenit. Cum accessisset a tergo Je u, *Tetigit fimbriam vestimenti ejus* (*Matth.* 9. 20. 21). *Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, salva ero* (*Luc.* 8. 43). O furtum, quod parentem nactum est fidem! o furtum, quod ipse laudavit, a quo furta puniuntur! o furtum, quod eum delectat, qui furtum est passus? o prædationem a judice coronatam? Ac miraculum vide : cum furata sit lucrum, quasi sit largita, laudatur. *Dicebat enim intra se.* Deus, inquit, Dominus est, qui nihil ignorat; Dominus, qui corporeis oculis nequaquam indiget; medicus est, qui animabus medetur; oculus est cogitationes perlustrans;

(*a*) Collata cum Codice Regio 2545.

etiam latentem me videt, audit etiam me non loquentem, tangit, quamvis loco sim dissita; novit, me ut indignam aspectum non tulisse. Quid ergo? occulta accessione facta, et mente venerans, non aspectu offendens, veniens retro vestem attingam: sufficit hoc unum mihi, si consequar, ad obtinendam sanitatem: nam et ipsa procul dubio gestantis efficacitate redundat. Non enim potest vitæ vestimentum non et ipsum radios salutis emittere. Magnus erat inter prophetas Moyses, et morosi pervicacis populi moderator; sed tamen homo: hic illius dominus est benignus. Si igitur virga servi mare Rubrum divisit, et ex aquis conflatum murum duxit, quomodo non Domini ejus fimbria, fluxus ut sanguinis lapidis in modum rigesceat, efficit? Zelator erat ac fervidus Dei minister Elias; sed et ipse unus erat ex iis, quibus hæc est natura communis: verumtamen ovillam habuit pellem miraculorum effectricem Rursus Elisæus cum magistri gratiæ cum accessione factus esset heres, ovilla pelle Jordanis fluenta frenabat. Si ergo tanta exstitit apud prophetas gratia, quanta ejus erit, quem ipsi prophetiis annuntiabant potentia? Quin vero paucis ista complector? Umbra ipsa Petri sanat; et Christi vestis non medebitur? Intelligo quanti mihi sit vel consilium inisse tantum, currentem morbum frenavit. O fidem, quæ morbo dilationem non concessit! Credidit enim tantum, et malum, quod infestabat, aufugit: credidit, et contentiosa bellua non contradixit: credidit, et exsiccatus est sanguinis fons perennis, non aliter ac si invisibili quodam cauterio esset arefactus. Verum hæc quidem vestem attigit, et exterioribus pedibus appropinquavit; ille vero interiores cogitationes agnovit. Illa quidem occulte corpore sanitatem hausit; Salvator autem ejus animæ pulchritudinem divulgavit: non enim talem passus est decorem non celebratum et ignotum latere: non permisit justitiæ scintillam oblivionis tenebris obrui. Unius mulieris fidem, quæ Deo bona non dubitanti mente subripuerat, mundo evangelica communicavit historia. Quænam hæc est, quæ ob furtum non aliter atque ob fidem honorata est? Latronem mulieris fides prævenit: ante linguam illius hujus manus commendatur: antequam ille paradisum voce prædetur, hæc ipsum regni largitorem silentio compilavit. *Cognoscens* enim, inquit, Jesus *virtutem, quæ exierat de illo*, interrogabat discipulos? Quis me tetigit (*Marc.* 5. 30)? quomodo furtum non animadvertistis? quomodo latrocinium vos latuit? quis me tetigit? quis ex meis thesauris morbi se sanatione ditavit? quis me tetigit? Quid ais, Domine? tu dedisti, et eam quæ accepit, non nosti? fidem advertisti, et eam quæ credidit, non agnovisti? mentem latentem percepisti, et apparentem faciem non es conspicatus? Quis me tetigit? Quis te tetigit? cui medicamentum operationis miraculorum applicasti? cui sanationem impertiisti? Morbum exegisti, et eam quæ salva facta est, non novisti? Quis me tetigit? quis me prius mente quam manibus contrectavit? quænam meam divinitatem cogitatio apprehendit? quis ille justus meæ miraculorum virtutis prædo? quis exstinctæ salutis suæ lucernam ex mea lampade furtim accendit? Quis me tetigit? Aut discam ex vobis, aut docebo. Vellem equidem ad finem usque argumenti hujus decurrere; sed jam tempus nos admonet, ut deinceps huic miraculo alterum ad docendum diem reservemus. Nam si illa duodecim annorum spatio morbo conflictata, de sua patientia nihil remisit, nos alterum diem longis mulieris certaminibus non immorabimur? cujus fidem martyrum quoque cœtus æmulatus est, non Domini fimbriam tangentes, sed ipsum etiam corpus Christi gratia exuentes. Et nos igitur, dilectissimi, ad similis fidei imitationem mentes nostras excitemus: ne muliere una gentili deteriores simus: quandoquidem majora nobis quam illi sunt objecta spectacula, quibus ad pietatem accendamur. Satis hoc illi tantum fuit, quod vestimentum semel contigerit: nos vero quotidie, ut scitis, Salvatoris corpus contrectantes, saltem ut qui Domini membris alamur, gratiarum actionem offeramus: ipsum enim decet gloria in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN HOMILIAM SEQUENTEM.

Hæc homilia eruditorum fere omnium judicio spuria est, et falso Chrysostomi nomen præ se fert, in multis Codicibus mss., in Regiis 1820, 2052, et 2553, itemque in Codice Coisliniano 349, in quibus non tam insignia observantur lectionum discrimina. Verum in Codice Coisliniano 77, quæ numero 41 ibi numeratur, eodem gaudet titulo, quo hæc homilia, ut videre est in indice homiliarum, qui initio Codicis eodem quo Codex ipse tempore descriptus fuit, appositis singularum homiliarum titulis. In serie autem homiliarum hæc plusquam dimidia sui parte a principio mutila est. Ac quæ pauca supersunt, toto cœlo differunt ab iis, quæ in hac, quam edimus, homilia feruntur. In Florilegiis Theodori Magistri, quæ sub hæc edentur, tria ex hac oratione excerpta loca habes; ut in aliquo ex sequentibus Tomis observare poteris, ubi *florilegia* illa dabuntur.

Homilia vero post Synodum Ephesinam dicta fuisse videtur, quandoquidem numero tertio in confessione fidei, quam ibidem propositam habes, dicitur: *Duarum naturarum discrimen agnosco.* Antiochiæ autem habitam fuisse suadere potest id quod numero secundo dicitur: *Voca Barlaamum, cui propter vineæ custodiam exusta est dextera:* quam historiam pluribus habes enarratam in Homilia Chrysostomi de Barlaamo, Tomo 2. Antiochiæ vero S. Barlaami dies festus magna celebritate colebatur, ut in nostro ad illam homiliam Monito ibidem deprehendas.

Habita fuit ad illuminandos, sive ad eos, qui baptismum suscepturi erant, in quorum numero aliquos peregrinos esse dicit in ipso principio: *Video permixtas piorum gregi oves peregrinas*, sive *insolitas*, ut vertit Fronto Ducæus. Cum porro *illuminatis* seu baptismus, circa tempus Paschatis conferri solebat, hinc inferri posse videtur illud circiter tempus habitam homiliam fuisse.

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

ORATIO CATECHETICA IN DICTUM EVANGELII: SIMILE EST REGNUM CÆLORUM HOMINI PATRIFAMILIAS, QUI EXIIT PRIMO MANE CONDUCERE OPERARIOS IN VINEAM SUAM (*Matth.* 20. 1); ET QUÆ SEQUUNTUR (a).

1. Video permixtas piorum gregi oves insolitas, recens Pastoris cælestis signum in frontibus ferentes: et doctrinæ virentes herbas nancisci volo, quæ conveniant cum illis, qui gratiam jam gustaverunt, tum iis, qui spiritus gramen decerpturi sunt: ut ejusdem catechesis et institutionis pastus eis quidem, qui ha-

(a) Collata cum quatuor Mss.

ptizati sunt et illuminati, donorum Dei memoriam refricet; eos vero, qui illuminandi sunt, ad baptismum acrius cohortetur. Sic enim oportet, ut ad utrosque habitus sermo sit mixtus: quandoquidem turba Dei cultorum ex viris, qui mysteriis initiati sunt, et ex iis, qui initiantur, est mixta. Nactus sum igitur unde et vos [1] omnes veteres Christi vernas epulo excipiam, et quo pacto nostros nuper emptos servos ad vocationis libertatem cohortabor: enarrabo fratribus meis dicta dominica, quæ possunt et eos, qui olim regiam vineam occuparunt, promptiores efficere, et eos, qui non ita pridem ad eam inspiciendam incubuerunt, ad similem zelum accendere. *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Patremfamilias, seu dominum domus. Dominus seipsum appellat: operarios vero circa tertiam et sextam et nonam et undecimam vocatos nuncupat omnes pios, qui baptismum in diversis ætatibus susceperunt: vineam salutaria dicit mandata, quibus parum laboris inest, at multum lucri. *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta cum illis*, hoc est, cum operariis, *ex denario diurno*, *misit eos in vineam suam* (*Matth.* 20. 2). Paterfamilias ego sum. Quemadmodum enim dominus domus, prout libet, domos ædificat [2]: sic ego mundum universum, ut volo, dispono. Ego sol justitiæ, nube humanitatis indutus, ad humanitatem me dejeci, et operarios ad vineam meam colendam quærens circumeo. Non hominibus indigeo vinitoribus: habeo siquidem angelos et archangelos, qui ea, quæ volo, perficiunt; verum terrenos servos meos in meis villis stationem habentes cernere concupisco. Ego circumeo, et quoquoversum circumspicio, quos inveniam, quos conducam; non ut laboribus alienis ditescam, sed ut eos, qui mihi paruerint, opulentos reddam. Habeo Petrum et Joannem, aliosque discipulos, orbis terrarum impigros plantarum cultores, congregavi: conventionem cum illis ex denario diurno feci: vitam ipsorum omnem conduxi, proque omni opere quod mihi facient, daturum me illis mercedis loco cælorum regnum promisi: sed ad exemplum animum meum hi soli non sufficiunt. Non possum agricolas numero exiguos arvum meum colentes intueri: in angustum deduci videntur oculi mei, dum tot cerno tantummodo: adhuc alios aratores expeto, adhuc etiam alios mercenarios exopto, adhuc etiam alios mystas quæro. Spatiosus est et ingens mandatorum meorum paradisus: omnes qui mihi crediderint, capit: omnes virtutis amatores cum receperit, adhuc fit latior. Quid igitur faciam? unde mea septa complebo? unde plures accensos invitabo? Exibo rursus in trivia ipsorum? exibo ad eos, qui spontaneo errant errore? exibo ad negligentes? exibo ad inopes opulentus, ut inopes reddam opulentos? exibo rursus ad operarios colligendos? Ego quod debetur præstabo: advocabo rursus etiam pauperes. Meum est cohortari, illorum parere: meum est dare velle mercedem, illorum est velle accipere: si mihi paruerint, et mihi et sibi ipsis gratificabuntur: quod si mihi non obediant, semetipsos damno afficient: nam mihi nequaquam deerunt agricolæ, qui circumfodere et scrobibus cingere possint, et palmites putare: inculta vinea mea vel sterilis permanere non potest. *Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis: Ite et vos in vineam meam* (*Ibid.* v. 3. et 4). Ubi, quæso, mane fuistis? ubi superioribus diebus fuistis? cur non me quæsivistis, qui ad vos quærendos exieram? cur non ad utilitatem vestram mane surrexistis? Adeone pietatis radios ignoratis, ut diem esse noctem arbitremini? et affulgente lumine veritatis, vos quare caligatis et dormitatis? Nunc saltem expergiscimini, nunc saltem evigilate, nunc saltem convertimini, nunc saltem sobrii estote. *Ite et vos in vineam meam.* Videte, quantum vos diligam: matutino tempore prædicationem evangelii non circumscripsi, secundis aditum non obstruxi, conversionem vestram prima vocatione non circumclusi: quamvis horam ad pœnitentiam vobis indulsi; quamvis ætatem obviis ulnis excipio. Licet infantes mihi offerantur, lætus admitto: nam ego infantium creator sum, et pater et mater, et altor et alimentum: sive pueri ad me balbutientes confugiant, illis delector: sive juniores accedant, majori voluptate perfundor: sive perfecti viri accurrant, suscipio: omnes cum fide accurrentes tamquam fratres meos complector. Præteritarum horarum damni rationem non habeo, si studium et alacritatem animi videam, ignaviæ præponderantem: si eos, qui vos anteverterunt, assequi studueritis, de diurna mercede quidquam non detraho. Deserite vineam Judæorum ingratam, immemorem beneficii, quæ solum acetum novit excolere: derelinquite vineam de Ægypto translatam, et idololatriæ Ægyptiacæ acerbitatem secum circumferentem, quæ botrum amaritudinis vinitori didicit germinare, atque ad vineam meam transite; *Et quod justum fuerit, dabo vobis.* Non sum injustus, natura sum justus: non sum avarus, qui adversus avaritiam leges tuli: non sum ingratus erga gratos servos, non sum parcus aut pusillanimis erga eos, qui in me magnanimi fuere: mercedem vestris laboribus majorem persolvam; dona quæ sudores vestros vincant, impertiar. *Iterum exiit circa sextam et nonam horam, et fecit similiter.* (*Matth.* 20. 5). Nullum tempus omitto: omnes volentes sagena irretio, neque in iis qui in peccatis defatigati sunt, ad justitiam vocandis defatigor. Semel egressus sum, et venatus redii: iterum sum egressus, et auctus præda reverti: egressus sum tertio, et ditatus reveni: quarto circa horam nonam exivi, et nonnullis captis advenio. Quanto frequentius ad cursum me confero, tanto ardentiori desiderio inflammor: quo plures adduco, eo plures alios exopto: et illos nactus, alios rursum requiro: omnes enim homines volo salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.

2. *Circa undecimam autem horam exiit, et invenit alios stantes otiosos* (*Ibid.* v. 6). Non cesso diabolum spoliare, quamdiu vita ista superfuerit: non cessabo mortem deprædari, sævum generis humani furem: non possum non eos, qui proprio arbitratu mortales sunt facti, ad immortalitatem traducere, usquedum extremum suum spiritum exhalarint. Propterea ne undecimam quidem horam contemno: propterea foribus inferorum assideo, ut aliquos ante mortem ad vitam possim transferre. *Circa undecimam autem horam exiit, et invenit alios stantes otiosos, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?* An ecclesias non habetis? prophetas non habetis? apostolos non habetis? martyres non habetis? Scripturas divinas non habetis? spirituale nullum opus? *Quid* ergo *statis hic tota die otiosi?* Non solem videtis statum suum cursum peragentem? non lunam videtis Creatori ancillantem? non creaturam videtis Conditori servientem? non elementum unumquodque suum opus exsequi videtis, cujus causa in lucem est editum? Cur igitur soli naturam inertia deturpatis? cur columnas cipposque mortuos imitamini? Non oculos habetis, ut pulchritudinem mundi videntes, Opificem mundi celebretis? non os habetis, ut linguas vestras ad concinendos hymnos moveatis? non manus habetis, ut eleemosynam impertiatis? non pedes habetis, ut cursus animis utiles decurratis? *Quid hic statis tota die otiosi? Quousque* imperium meum evertetis? *Quid hic statis tota die otiosi?* Illi autem dicunt ei, *Nemo nos conduxit* (*Ibid.* v. 7). Ejusmodi sunt ii, qui excusant excusationes in peccatis: qui præsens differunt in futurum: qui dicunt, Sine modo, et cum jusserit mihi Deus, tunc baptizabor: hoc mihi Pascha remitte, et in futuro illuminabor. Ejusmodi sunt

[1] Tres Mss. habent, *vos*; Editi ferunt, *nos*.

[2] Fronto Ducæus legendum putat, *domum administrat*, loco, *domos ædificat*. Quam lectionem sequeremur si vel unus codex sic haberet.

qui dicunt, *Nemo nos conduxit*. Quid vero ipsis respondit is, qui procrastinationes eorum, qui differunt gratiam, superat benignitate? *Ite et vos in vineam*. Non eorum mendacia verba redarguit; non dissimulatos erroneorum morum sermones infamavit, neque negligentes his compellavit: Quid dicitis, *Quia nemo nos conduxit?* cur negligentiæ mendacium quoque assuitis? nemo vos conduxit? non vos invitarunt prophetæ? non vos cohortati sunt apostoli? nonne ad vos ego per meipsum adveni? nonne sæpenumero vocavi, vos autem non obedistis? nonne me amicos vestros conducentem vidistis et paciscentem cum illis? cur non igitur imitari voluistis eos qui mihi parebant, sed ad senectutem usque spectatores mansistis? Nihil horum dixit Salvator, sed, *Ite et vos in vineam meam*. Admitto et senes, qui opus facere cupiunt: admitto et tremula membra fide roborata: lubenter video senes scipiones simul et cruces tenentes. *Ite et vos in vineam meam*. Diabolo juventutem obtulistis, mihi saltem senectutem commodate: inimico robur corporis largiti estis, mihi saltem inutilem ætatem concedite: sub tyranno toto tempore vitæ, prout illi placuit, stipendia meruistis, mihi legitimo Regi, quod reliquum est temporis, operam date. Efficiamini fideles, antequam mortui efficiamini: immortalitatis stolam ante mortem accipite: vosmetipsos ante obitum immortalibus illis exequiis gratiæ sepelite: currite, festinate ante vesperam intra vineam reperiri: contendite, ut derelinquat vos intus sol occidens. Si ante solis occasum in amatorum meorum numerum vos retuleritis, divinitatis meæ gloriam ut lucis amatores videbitis: si cum illis, qui vocati sunt, e vinea egressi fueritis, tametsi non laboraveritis, quasi laborassetis, remunerabor: si vos extra diversorium stantes mortis nox comprehenderit, non jam amplius vos habere amicorum loco possum: mortuus namque non credit, mortuus non confitetur, mortuus non operatur, neque creditur illi mysterium; mortuus temperantiam non operatur, mortuus reposcere mercedem non potest, mortuus non signatus, vel etiam ante judicium condemnatus est: vivus et sanus laudabit Dominum: ejusmodi mortuus post mortem etiam vivit, ejusmodi mortuus post sepulturam iterum floret. *Ite et vos in vineam*. Dum exiguum adhuc vitæ spatium restat, negotiamini: ne exspectetis, ut morbi necessitas arbitrii vestri coronam accipiat. Nolite sub tempus mortis viaticum vobis immortalitatis mercari: in vita vitam negotiamini: dum sani estis, et sobrii, talentum suscipite, ut et quæstum ac lucrum colligatis, *Ite et vos in vineam; et quod justum fuerit, accipietis*. Et supra id, quod justum est, accipietis, tantum pœnitentiam agite, tantum accedite, tantum mecum versamini. Ne cohortationem meam contemnite: nullus enim qui mihi crediderit, non beneficio auctus est: neque qui mihi ministraverit, adhuc ullus egenus relictus est. Ita paterfamilias domus istius vineam istam explevit. *Cum sero autem factum esset* (*Matth*. 20. 8). Cum jam vita præsens tamquam dies sensim effluxisset, cum jam longa nox mortis advenisset, cum jam mortuorum resurrectio tamquam diluculum, cui vespera minime succedit, exorta esset, dicit dominus vineæ procuratori suo, *Voca operarios*. Voca omnes qui ex Adamo prognati sunt: voca Abel, qui propter sacrificium est mactatus: voca Enoch, qui placuit, et translatus est: voca Noë, naufragium passæ naturæ gubernatorem egregium: voca fidelissimum Abraham, Dei amatorem magis, quam liberorum amatorem; qui visceribus suis bellum intulit, qui fidem servavit: voca Joseph operarium continentiæ: voca patriarchas omnes, voca prophetas: voca Eliam, qui recte currum moderatus est, et auriga curruum ignearum est factus: voca apostolos, Novi Testamenti lumina: voca martyres, eosque qui mortem meam, quam ipsorum causa pertuli, sunt imitati: voca Stephanum, qui propter me lapidatus est: voca Barlaam, cui propter vineæ custodiam exusta est dextera: voca omnes, qui egregie laborarunt: voca eos, qui mea prædia strenue coluerunt, *Et redde illis mercedem*. Aperi meos thesauros, aperi mea promptuaria, aperi splendida regni mei palatia: profer regales coronas, profer divina bravia: nulli gazæ ex cimeliis meis parcas: non enim isti suis animabus propter me pepercerunt. Corona capita eorum, qui, uti volui, decertarunt: projice præmia in manus qui laborarunt. Nullus hinc non coronatus excedat, nullus non donatus revertatur, nullus mercede privetur: omnes ditentur, omnes exsultent: videant omnes, quibus pretiis sint a me conducti; videant, qualia bona, qui mihi crediderint, consequantur; videant, qualibus donis seipsos privent, qui vocantur, nec volunt venire. *Redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos*, novissimos primos donis exhilarans; hi enim bonitate mea indigent maxime. Illi quidem, qui a mane statim cum die, cum prima luce labores inchoarunt, diem ipsum et horas et virtutes et certamina et pacta conventa patronos habent; hi vero novissimi, omnibus istis destituti, oculos suos ad solam meam benignitatem convertunt. His ergo novissimis primis præmia largieris. *Et cum venissent qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios* (*Matth*. 20. 9). Et hos summa cum lætitia in manibus suis versantes dicebant: Parum abfuit, quin de bonis diffideremus: noverant enim se eo quod acceperant nihil operis dignum fecisse. Cum autem oculis donum intuerentur, manibusque munus tractarent, exsultabant: gaudio triumphabant, quod bona sibi præter spem obvenissent. *Venientes autem primi arbitrati sunt, quod plus essent accepturi; acceperunt autem et ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias dicentes: Hi novissimi* (*Ibid*. 10-12). Dominus narrationi adjecit, non quo illis, qui honoribus affecti erant, inviderent (gaudent enim, non indignantur sancti, si omnes salventur), sed ut talem esse benignitatem suam demonstret, ut etiam expertes invidiæ, si fieri posset, ad invidiam impellat.

3. *Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, dicentes: Hi novissimi*: hi senio confecti, hi qui vixdum tuum agnovere dominatum, qui vixdum genua coram tua majestate flexerunt, qui vixdum tremulis digitis suis salutaris crucis tuæ signum frontibus impresserunt, qui tentationum cophinos non gestarunt, qui calamitatum ligones non tenuerunt: *Hi novissimi una hora fecerunt*. Vineam tuam tantum oculis usurparunt: nobis solo visu suo consortes exstiterunt: operationis suæ ostenderunt, non perfecerunt actiones aliquas: testes laborum, non participes fuerunt: *Et pares nobis illos fecisti, qui portavimus pondus diei et æstum?* Nos libidinibus incensi fuimus, sed virtutibus non sumus exstincti; nos propter te passi persequutionem sumus, nos sexcentos labores tua causa exantlavimus, ut tuam substantiam amplificaremus: et acceptis præmiis similibus iis, qui non laborarunt, hinc discedimus: labor dissimilis est, et consimile lucrum: inæqualis molestia, et gloria æqualis. *Hi novissimi una hora fecerunt*. Ut una hora prope te mulier meretrix ploret, et capillos resolvat, quos antea male concinnabat, et immaculatos pedes tuos castis labris osculetur, ac tibi cælesti offerat unguentum terrestre, filiæ ac virginis illi honorarium detulisti. Ut una hora cruci affixus latro a cruce ad te confugiat, et clamet, *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum* (*Luc*. 23. 42): unius hujus vocis gratia paradisum illi reserasti. Ut una hora pœnitentiam agat Paulus persequutor, hostis, evangelista creatus est. *Hi novissimi una hora fecerunt; et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstum*. Quid igitur ad eos sic affectos benignus Dominus? *Respondens uni eorum dixit: Amice, non facio tibi injuriam* (*Matth*. 20. 13). O præstantissimam benignitatem! Dominus pro servis cum servo litigat, Judex pro reis apud accusatorem defensionem suscipit. *Amice, non facio tibi injuriam*. Cum ratione mecum judicio contende, amice, et ne injuste contristeris: disputa mecum

legitime, et ne illegitime indigneris : dic, qua in re injuria affectus es ipse, dum conservus tuus honore cumulatus est? dic, qua in re læsus es ipse, dum frater etiam tuus in regni tecum societatem est ascitus? nonne id accepisti cujus gratia labores suscepisti? nonne diei totius integram mercedem recepisti? nonne quod optabas, retulisti? quid igitur amplius quæris? *Nonne ex denario convenisti mecum?* Revoca tibi in memoriam promissa mea, quibus te a principio conduxi. Si quid præter conventa commisi, merito indignaris : sin autem pacta complevi, frustra inculpatum arguis. *Nonne ex denario convenisti mecum?* Num quippiam ex donis tuis imminui? num res tuas arreptas, aliis erogavi? num tuam gloriam cæteris impertivi? nonne facultates meas, quibus placuit, divisi? quid ergo murmuras tamquam servus læsus, qui honore tamquam liber affectus es? quid ergo murmuras tanto beneficio cumulatus? quid fratribus tuis invides, cum ab invidia dominium habeas alienum? *Tolle quod tuum est, et vade* (*Matth.* 20.14). Præsentibus contentus esto : noli solus regnare, qui cum multis vocatus es : regnum cælorum et tibi et omnibus qui eo digni sunt, sufficit, *Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi.* Voluntati meæ quis resistet? *Deus est qui justificat, quis est qui condemnet* (*Rom.* 8. 33. 34.)? Deus est qui largitur, quis est qui rationem reposcat? Deus est qui ditat, quis est qui spoliare possit? judex patronus est, quis accusator erit? disceptator advocatus est, quis adversarius reperietur? *Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi.* Non possum mea simulacra gloria destituta derelinquere : non possum meam imaginem despicere indigentem, mendicantem : non patior non illos quoque mecum regnare, quorum causa de cælo descendi. *Volo dare huic novissimo sicut et tibi.* Novissime venit : hoc ego quoque probe novi; sed mihi fidem obtulit, quæ præcedentem tarditatem excusat : novissime venit, sed amorem ostendit qualem amo : erravit tempore elapso sicut ovis, sed Pastorem ovis agnovit (*Psal.* 118. 176). Meus erat hic etiam quando vagabatur. Novissime venit, at per meum lavacrum transivit sicut et tu : novissime venit, at mensæ meæ sicut et tu factus est particeps : novissime venit, at omnem vineæ meæ decorem conspexit : ligni vitæ plantam conspexit : exosculatus est spinas, quibus fui propter ipsum coronatus : amplexatus est crucem, quam propter ipsum sustinui. Non possum eum, qui me tantopere adamavit, qui ita credidit, non omni studio, omni honore decorare. Sicut credidisti, credidit : sicut abundasti, abundavit : sicut adorasti, adoravit : sicut regnasti, regnavit : sicut laborasti, non laboravit; verum ego gratia defectum supplevi. *Aut non licet mihi facere quæ volo* (*Matth.* 20. 15), in iis quæ mea sunt? num enim res tuas expendo? Res meas dilargior. Num tuis sumptibus munificentiam meam exerceo? De rebus meis pro mea auctoritate statuo. Num te voluntatis meæ curatorem constitui? Mercenarium te assumpsi a principio. Num enim te meæ potestatis dominum designavi? Ut benignus participem rerum mearum te feci. Si oculus tuus nequam est, videre nequit ea, quæ oculus non vidit, neque auris audivit (1. *Cor.* 2. 9). Aspectu minime inquinato est opus ad hæc mysteria contuenda : anima pura est opus ad intelligenda, quæ pura sunt. Vidistis quo pacto bonus sit Dominus noster : vidistis quo pacto eos, qui diversis temporibus accesserunt, unam autem fidem et animi studium et conversationem ostenderunt, paribus honoribus muneribusque dignatus sit : vidistis quo pacto novissimos etiam æquales fecerit primis propter abyssum miserationum suarum. Adducti estis ad ita benignum Dominum : ipse nunc etiam vos conduxit : ipse vobis etiam dicit : *Ite et vos in vineam.* Deus est qui conducit, merces cælestis, opus salutare, vinea speciosa; vineæ janua, lavacri piscina constituta est. Divina gratia pro foribus astans piscinæ tamquam elegans ostiaria, ad omnes, qui per eam ingrediuntur, clamat : Hæc porta Domini, recens illuminati intrabunt per eam. Nos vobis nequaquam invidemus, ut qui postremo veneritis, et quibus tamen eadem gloria nobiscum obvenerit; sed cum ejus consortibus tamquam cum fratribus exsultamus, atque gratulamur, et salutem vestram, nostram gloriam arbitramur. Itaque eum, qui vocavit vos, adamate : accipite facilis in vineam ingressus certum et erroris nescium ducem, fidem : fides enim ad baptismi piscinam quasi optimus ductor viam monstrat; fides, naturæ anchora tempestate jactatæ : fides, humani generis tranquillus portus; fides, eorum quæ sub oculos minime cadunt, splendidum speculum; fides, consubstantialis Trinitatis doctor exactus; fides, ut illa salutaria verba proferremus, effecit : Credo in unum Deum Patrem omnipotentem. Credo, non scrutor : credo, non prosequor id quod comprehendi non potest : credo, non metior id quod immensum est. Si credam, mente illuminor; si curiose inquiram, tenebras rationi meæ offundo : si recte credam, in cælum attollor; si curiose quæram, præcipitor in profundum. Credo in unum ac solum verum et Deum et Patrem omnipotentem. Deos a paganis per errorem confictos abnego : non enim cælum incolit multitudo deorum. Unum solum Deum celebro : Arianismum odi : non dico, Erat tempus, cum non erat Pater; sed Deum, semper Deum, semper Patrem eumdem prædico : qui sic est Pater, ut novit ipse. Credo in Dominum nostrum Jesum Christum, Filium ejus unigenitum, ex ipso genitum ante omnia sæcula, ut solus ipse, qui est genitus, novit : genitum non factum, genitum non creatum, genitum non conditum, eum qui sine tempore e substantia paterna resplenduit, non exterius advenientem alicunde, non supposititium, aut spurium Filium, sed genuinum splendorem genuini Patris, invisibilis formæ per omnia similem figuram. Christum novi Filium Dei et Patris ut Deum; Christum novi filium ancillæ suæ ac matris, ut hominem, apparentem; Christum novi hominibus consubstantialem, ut hominem ex homine; Christum novi cælestem et terrenum : novi Christum invisibilem et visum; novi Christum non contrectabilem, et a Thoma contrectatum : Christum novi millia multa verbo nutrivisse, per fluctus iter fecisse, dæmonibus imperasse, mortuos suscitasse, atque miracula infinita virtute propriæ divinitatis edidisse : Christum novi esuriisse, sitivisse, defatigatum fuisse, et angore correptum, ac sudasse humanitatis natura; Christum novi ut Deum passionis expertem; Christum novi mortuum esse ac passionem carne subiisse; Christum novi secundum eum, qui quantum fieri potuit, mortem sustinuit; Christum novi, qui sui corporis templum excitavit : duarum ejus naturarum discrimen intelligo : unum Filium in filios duos non divido. Credo et in Spiritum sanctum, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, Trinitatis complementum : ab hoc me sanctitatem adepturum confido, ab hoc spero futuram mortuorum resurrectionem.

4. Hæc animo perpetuo linguaque meditamini; hæc affectu et ore continuo vociferamini. Habetis apostolicam fidei ac religiosæ conversationis regulam; sine fide namque mortua sunt opera. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ : *Sicut enim exhibuistis membra vestra arma iniquitatis peccato : ita exhibete membra vestra arma justitiæ Deo* (*Rom.* 6. 19). Fornicator, temperans fiat; injustus, fiat justus; raptor, liberalis : avarus, pauperum amator; inhumanus et auri cupidus olim, nunc Christi studiosus appareat; blasphemus, cantor hymnorum; qui ad theatra currebat, deinceps ad atria Dei currat; qui decursionum equestrium amore insaniebat, apostolis operam det, quorum cursus est imitatoribus salutaris. Ut qui futuri sponsæ Christi sitis, ita vestras animas et corpora exornate. Oculi vestri sint ejus quæ est in anima tranquillitatis imagines : vultus, interioris pietatis sint effigies eminentes : ora vestra psalmorum suaves odores atque hymnorum emittant : sint composita et modesta, convenientia virgini mox nupturæ : sint animæ puræ, candidæ, ut genuino regiæ purpuræ colore

tingantur. Postquam autem ad thalamum Spiritus perveneritis; postquam in sponsale gratiæ conclave irrepseritis; postquam prope tremendam simul et expetendam baptismi piscinam constiteritis, velut captivi coram rege procideritis, omnes simul in genua vos projicite, ac manibus in cælum sublatis, ubi regio more considet Rex omnium nostrum, oculisque in insomnem illum oculum directis, hujusmodi verbis apud Dominum benignum utimini: Aperi nobis veniam tuam, Domine, tametsi nos circa undecimam horam advenimus: ne succenseas nobis, ut qui tardi fuerimus, Domine, neque ad conspectum nostrum, humanitatis tuæ januas claudas: præcedentem nostram negligentiam damnamus, præteriti temporis pigritiam damnamus: quod non paruerimus, læsi sumus; quod dormierimus, damnum fecimus: dum oblectamur, naufragium sumus passi; spoliati sumus, dum ludimus ac deludimur; periimus, dum rebus vanis animum recreamus. Vix tandem evigilavimus, vix torporem excussimus, vix quod expediebat invenimus, vix bellum effugimus: renuntiavimus penitus maligno, renuntiavimus perniciosis malis et otiosis deliciis: Salvatori deinceps nos adjungimus, soli Deo. Excipe confessionis nostræ libellum, ut præfinitam mulctam reformidantes, ea quæ pacti sumus observemus; excipe tecum initorum pactorum pignus ac tesseram, ut pudore cogente, mores constantes et immutabiles instituamus. Miserere servorum tuorum captivorum, et nudorum, et mortuorum; pristinam illam cognationem nobis restitue; quos denudavit diabolus, vesti; oleo nos unctionis tuæ sanctæ inunge, ne a serpente lædamur. Volumus tua mandata peragere, volumus intra vineam reperiri, volumus ut appropinquantes tibi degere operarii: toto vitæ nostræ tempore male viximus: volumus quod reliquum est bene vivendo traducere. Placeat tibi tamquam fornicatoribus ignoscere. Ignosce. Placeat tamquam publicanos servare; placeat tamquam latrones benigne tractare; placeat tamquam persequutores salvare; salva, ut placet; miserere pœnitentium, quos patienter tulisti peccantes; miserere ad genua procumbentium, quos etiam recalcitrantes miseratus es; miserere supplicantium, quos contumeliam inferentes tolerasti. Aperi nobis tempestate jactatis sacri portum lavacri; aperi nobis vulneratis dolores abigentem medici officinam; aperi inveteratis expertem molestiæ conflatoriam fornacem; aperi mortis reis periculo vacans sepulcrum; aperi nobis vitam afferentem triduanæ tuæ necis effigiem; aperi nobis regenerationis virginem ventrem; aperi nobis adoptionis matrem incorruptam; aperi nobis immortalitatis januam; aperi nobis cælorum portam, quandoquidem tu dixisti: *Pulsate, et aperietur vobis* (*Matth.* 7. 7). Quæ dixisti, veritate adimple; quæ loquutus es, ut qui mentiri non potes, perfice. Credimus omnia te facere posse; credimus posse te peccatorum nostrorum cœnum abluere; credimus posse te eos, qui in peccatis consenuerint, per Spiritum et aquam regenerare; credimus te mirabile illud puerperium posse perficere; credimus posse te mulieres et infantes et juvenes et viros et senes ex aquis recens formatos, quasi modo genitos infantes educere; credimus posse te peccata nostra aquis suffocare, quemadmodum Pharaonem totumque ipsius exercitum submersisti; credimus posse te viam salutis adinvenire, quemadmodum Israelitis quondam in maris medio viam stravisti; credimus tam multa te posse, quam multa vis. His ita Dominum compellantes perseverate, ut vos etiam Salvator sic alloquatur: Creditis quia hoc possum facere? *Secundum fidem vestram fiat vobis* (*Id.* 9. 29). Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD HOMILIAM DE FICU AREFACTA.

Hanc quoque homiliam putavit idem ipse qui supra, esse Severiani Gabalorum episcopi; et fortasse non injuria. Est quippe stylus Severiani homiliis admodum affinis: eloquentia omnino ferrea, ut de Severiano loquens ait Savilius. Omnia salebrosa, sive inventionem spectes, sive figuras et tropos. Attamen Severiani esse affirmare non ausim. Hoc unum fidenter dicam, esse hanc eloquentiam Chrysostomi eloquentiæ ex diametro oppositam.

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi, quam quibusdam in locis emendavimus.

IN PARABOLAM DE FICU, HOMILIA (a)

1. Cum vel floridam arborem, vel fontem aquis scaturientem cernit oculus, ipso aspectu pellicitur, et illuc animi sensum convertit. Pari quoque ratione is, qui facta et historias verbis expositas audit, ad eas mentem intendit: sic ut talis sit corpore quidem hoc in loco, mente vero illo in loco ad quem historiæ narratio rem traducit. Tale mihi quiddam evenit, dilectissimi. Dum enim res eas, quæ in Bethania circa ficum acciderunt, audio evangelistam narrantem, hic quidem sum corpore, mente vero meipsum imaginor illic esse: meque nunc arbitror Dominum Jesum sequi, ac ficum videre, ante jussum quidem Domini, floridam atque frondentem, post jussum autem ejus, horribilem et arentem. *Mane* siquidem, inquit, *revertens Jesus in civitatem, esuriit. Et videns ficum, venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum; et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum; et subito arefacta est* (*Matth.* 21. 18. 19). Hoc enim paulo ante nobis [1] recitatum est. Obstupefacit me miraculum: varias in partes mens mea distrahitur. Cum enim historiæ factum narrare instituo, continuo cum historia miracula ad se trahunt. Et quemadmodum cum urnam auream pretiosos continentem lapillos quis conspexerit, in quibus arcana depicta fuerint, cernere quidem urnam desiderat propter formæ splendorem, sed ab iis qui sunt intus lapillis in diversum trahitur, et lapillorum pulchritudinem et arcana depicta in ea spectare festinat: pari ratione videns ego quoque splendidam quidem ac perelegantem historiæ literam esse, illic mente detineor; sed in diversum rursus trahor a spiritus intelligentia, quæ historia majora se mihi ostensuram miracula pollicetur. *Mane* siquidem, inquit, *revertens Jesus in civitatem, esuriit*. O mysterium ineffabile atque inenarrabile! Esuriit ille, qui universum orbem terrarum alit: esuriit ille, qui ex quinque panibus quinque hominum millia ad satietatem enutrivit: esuriit ille, qui viventes oculos e luto fabricatus est: esuriit ille, qui in fluctibus maris inambulavit, nec in aquam pedes immersit: esuriit ille, qui solo mentis jussu aquam in vinum convertit: esuriit ille, qui e corporibus animas extraxit, et rur-

[1] Savil. legit, *vobis*.
(a) Collata cum tribus Codicibus.

sus eas in suas ædes verbo introduxit. Et quomodo, inquit Isaias, *Deus æternus non esuriet, neque laborabit* (*Isai.* 40. 28)? Christum autem Deum esse cuivis utique manifestum est, qui Scripturæ credit dicenti : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* 1. 1): Quomodo igitur esuriit Deus? Esuriit forma servi ; quinque autem millia, quæ in ipso erat Domini voluntas enutrivit. Venit ad ficum homo qui cernebatur; at erat ubique ea, quæ in ipso divinitas intelligebatur. Vidit infructuosam ficum ut homo, verbo illam arefecit ut Deus. Dixit : *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum* ; et factum consequutum est dictum, statimque ficus arefacta est. Dictum erat humanum, factum autem divinum. Sed multa nobis disquisitione opus est, dilectissimi, ad spiritualem ficus intelligentiam eruendam, quæ apud multos quidem exposita est, ut mihi quidem videtur, minus accurate : verumtamen eorum qui præcesserunt lucubrationes vobis dicam, tum quæ a nobis strenue elaborata sunt proferemus. Est enim captu difficilis quæ in historia literæ est sita sententia, atque in recessu abditum continet mysterii fulgorem. Quid enim necessarium erat verbo ficum arefieri, ac non verbo potius frugiferam fieri? Quando is, qui eam dicto arefecit, potuit etiam fecundam dicto reddere. Quid vero etiam peccavit ficus, dicet aliquis, cum tempus ejus non esset, dicente Marco evangelista (*Cap.* 11. 13), tum temporis hyemem fuisse? Quod si non aliquod sit in ipsa mysterium supra hominem adimpletum, uno modo laudandus, altero vero reprehendendus Dominus reperietur; laudandus quidem quod eam verbo arefecerit, reprehendendus autem quod immerito illi maledixerit. Verumtamen deinceps intelligendum est, dilectissimi, cujusnam imaginem gereret ficus : neque enim fuit quidquam eorum quæ a Christo gerebantur[1], quod mysterio vacaret. In universum, nullum ab ipso patratum est opus quod non admodum fructuosum esset : nihil quod veritatem non clamaret : nihil quod ad cælestium rerum susceptionem animum non excitaret. Multi ex interpretibus ficum istam Judæorum synagogæ assimilatam esse dixerunt, ad quam venit Dominus, inquiunt, fructum in ea fidei quærens : neque invenit nisi prophetarum ac legis sermonibus quasi foliis comantem : quapropter et arefecit, dicens : *Numquam ex te fructus nascatur in æternum.* Ego vero huic expositioni contradicere conabor, dilecti : non enim ea est vera et exacta significatio. Quomodo namque maledixisset Dominus, qui dicit : *Benedicite, et nolite maledicere* (*Rom.* 12. 14)? quomodo autem synagogæ maledixisset et eam arefecisset, qui dicit : *Non venit Filius hominis perdere, sed quærere et salvum facere quod perierat* (*Luc.* 9. 56. *et* 19. 10)? Quod si quis adhuc contradicat et contendat, Judæorum synagogæ assimilatam esse ficum, respondeat quo pacto ab radice arefacta synagoga talem fructuosum ramum suavissimum Paulum germinarit. Multos vero etiam alios ex synagoga Judæorum conversos novimus : nam et Stephanus, qui lapidatus est a Judæis, ex illa erat synagoga, et Aquila et Priscilla, multique alii, quorum enumerationem nominum propter dictionum multitudinem commemorare jam nolumus. Porro non prorsus Deum repulisse populum Judæorum testetur mihi Paulus dicens : *Dico ergo : Numquid Deus prorsus repulit populum suum? Absit : nam et ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam* (*Rom.* 11. 1. 2). Sed et populo illi salutem in novissimis diebus pollicetur, dum ait : *Cum autem plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet* (*Ibid. v.* 25. 26). Si enim inimici Dei facti sunt Judæi, propter nos facti sunt, ut nos propter incredulitatem illorum misericordiam consequamur, ut testatur Paulus, cum ait : *Secundum evangelium quidem, inimici propter nos; secundum electionem autem carissimi, propter patres : sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio sancta*[1] (*Rom.* 11. 28. 29). Quærendum est ergo, dilecti, cujusnam rei figuram et imaginem præ se ferrent ea, quæ de ficu narrata sunt. Verumenimvero si recordatus fueris tu, Adam, quo tempore in paradiso denudatus es, cujusnam arboris sumptis frondibus et consutis amictum tibi contexueris, videbis quo pacto jure folia arefecerit. Num enim, quæso, sumptis foliis ficus tuam ignominiam occultabas? Venit igitur Christus, et florentem in te ficum ignominiæ velamen verbo arefecit : sustulit paupertatem tuam, et tibi divitias est largitus : sustulit ignominiæ tuæ velamina, et tibi niveo colore splendentem stolam ex aqua et Spiritu contextam largitus est : arefecit ficulneæ folia, et restituit tibi animæ spolia. Quænam spolia? Quibus te serpens in paradiso spoliavit, æqualem angelis vitam, paradisi delicias, stolam immortalitatis.

2. Verum ad parabolæ caput revertamur. *Mane* siquidem, inquit, *revertens Jesus in civitatem, esuriit. Mane*, postquam erroris nox præterierat, et diluculum Christus mundo lumine resurrectionis illuxerat : diluculum enim est Christus, prout ait propheta : *Quasi diluculum paratum invenimus eum* (*Osee* 6. 3). *Mane revertens Jesus.* Mane, cum mortem tenebras invehentem Christus luce gloriæ delevisset, et radiis aureis sol justitiæ in obtenebratis hominum cordibus refulsisset : mane, cum calentes divinitatis radios diffudisset, et enectas animas a diabolo calefecisset : *Non est enim qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* 18. 7). Frigidissimo namque peccato diabolus hominum corda enecavit. Quamobrem precatur propheta, dicens : *Ure renes meos, et cor meum* (*Psal.* 25. 2). Siquidem frigore impietatis humana natura omnis constricta erat. Ideoque prophetæ omnes uno animo Deum obsecrabant, dicentes : *Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro* (*Psal.* 125. 4), hoc est, Quemadmodum calidus auster ubi congelatas aquas perflaverit, ad priorem aquæ naturam eas reducit : pari modo nos quoque diaboli peccato enectos, tamquam auster calidus perflans in antiquam immortalitatis naturam restituit. Hanc calidam austri respirationem sponsa Ecclesia in Canticis Canticorum advocat, dicens : *Exsurge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluant aromata* (*Cant.* 4. 16). *Mane*, inquit, *revertens.* Recte illud scripsit, *Revertens*, ut significet, cum Adamus e paradiso excidisset, rursum venisse Christum Dominum nostrum, ut in eumdem locum ipsum reduceret. *Mane revertens Jesus in civitatem, esuriit.* Cum civitatem nunc audieris, noli inferius circumspicere, sed ad Jerusalem quæ sursum est respice, ad sedem cælestem : etenim *Conversatio nostra in cælis est. Mane revertens Jesus in civitatem, esuriit* (*Philipp.* 3. 20), non cibum expetens hominum; sed vitam hominum: *Meus quippe cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* 4. 34), ut credant in eum quem illi misit; *Qui enim credit in* eum, sicut dixit ipse, *non morietur in æternum* (*Joan.* 11. 26). *Mane Jesus revertens in civitatem, esuriit; et videns ficum, venit ad eam.* Si enim ficum præteriisset, immortalem in ficu nidum suum serpens habuisset; sed venit ad ficum, et illam arefecit. Sub tali ficu Nathanael cum esset, a Domino visus est : *Prius enim quam te Philippus vocaret cum esses sub ficu, vidi te* (*Joan.* 1. 48). Hanc ficum prævidens infructuosam redditum iri, propheta dicebat : *Ascendam ad populum peregrinationis meæ : quoniam ficus non afferet fructum* (*Habac.* 3. 16. 17). Talem in ficum Zacchæus ascendit, ut Jesum videret : cui dixit, *Festinans descende* (*Luc.* 19. 5). Illic serpens tortuosus circumvolvitur, illic nidum construxit; illic se occultavit. *Festinans descende.* Lepide autem evangelista sycomorum dixit, de Zacchæo loquens, ut latam spatiosamque viam indicaret cum stultitia esse copulatam, unde pessimum exitium nascitur. Venit ad ficum Dominus. Hæc ficus latæ ac spatiosæ viæ imaginem præ se ferebat : est

[1] In Savil. legitur..... gerebatur hominum gratia.

[1] Savil. in marg. et Bibl. habent *Dei*, pro, *sancta*.

enim ficus planta latis frondibus, et peccatum etiam pruritum excitat, per latam et spatiosam viam ad perditionem deducens. Suavissimus est ficus fructus; suavis est voluptas, quæ in lapsum peccati dejicit eos qui ad ipsam accedunt. Fuge gustum ejus, carissime: dulcis enim est in gustu, sed amara post actum. *Mel enim distillat a labiis mulieris meretricis, et ad tempus impinguat fauces: postea vero amarius felle invenies, et acutum magis quam gladium utrinque acutum* (*Prov.* 5. 3. 4). Meretrix est voluptas, quæ dulcia tecum principio loquitur, clam inter colloquendum amaritiem mortis interserens. Talis erat et serpens; dulcis in verbo, et amarus in dolo: dulcis quidem in esu, sed amarus in casu. Fuge igitur, carissime, meretricem, quæ dulcis est in colloquio et acerba vulnera infligit: fuge voluptatem, ut Elias Jezabelem. Venit igitur Dominus e cælis: esuriit vitam hominum invenire: invenit latæ ac spatiosæ vitæ hujus viæ insistentem: venit ad eam, et invenit eam foliis comantem, hoc est, documentis peccati florentem, sed ipsam tamen fructum mortis non habentem. Quid ita? Quoniam tempus non erat: hoc enim adjunxit evangelista: *Non habuit*, inquit, *fructum: non enim erat tempus.* Quomodo enim adhuc fructificare mortem poterat, cum advenisset Jesus, et mundo resurrectionem prædicaret? Non erat ultra ejus tempus, ut mortem fructificaret: *Regnavit* quippe *mors ab Adam usque ad Moysem* (*Rom.* 5. 14), hoc est, legem. Solet enim, inquit, Scriptura Moysem legem appellare, ut in Evangelio: *Habent Moysem et prophetas* (*Luc.* 16. 29). Dixit illi Dominus: Ne ultra et *Ne amplius ex te fructus nascatur in sempiternum;* hoc est, Ante adventum meum fructificasti mortem; ecce adveni, hæc est resurrectio. Cum ego advenerim, nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. *Et arefacta est continuo ficulnea:* et impletum est quod scriptum est: *Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, stimulus tuus? ubi est tua, inferne, victoria* (1. *Cor.* 15. 54. 55)? Cum enim dixit evangelista, tum temporis hiemem fuisse, cum luxuriabat foliis ficus, tum luxuriasse peccatum indicavit, quod toti hominum generi diabolus insidens hiems esset. Etenim antequam princeps pacis Christus adveniret, mortalium genus diversis spiritibus ad idolorum cultus et sanguinis effusiones, comessationes et luxuriam concitabatur: postquam autem Dominus noster Jesus Christus pax mundi venit, adversariorum spirituum scopulos suppressit, a quibus perturbationum vitæ hujus mare salsuginosum turbabatur, et spumantes voluptatum fluctus sustulit. Cumque ficum arefecisset, crucis fidem plantavit, quæ floruit et vita omnibus coruscavit: cujus crucis radices quidem in terram defixæ sunt, at in cælos protensi sunt rami; cujus folia sunt senectutis expertia, et flos immarcescibilis, et fructus immortalis; cujus ligni meminit et David, dicens: *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo: et folium ejus non defluet* (*Psal.* 1. 3). Hujus ligni meminit Sapientia, dum ait: *Lignum vitæ est omnibus qui complectuntur eam* (*Prov.* 3. 18). Hoc lignum cum oculo prophetico Jeremias conspexisset, a Judæis adversus Christum fabricandum, in os Judæorum proloquutus est, dicens ipsis: *Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium* (*Jer.* 11. 19). Lignum est crux, panis corpus Christi. Dominus enim accepto pane dicit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum* (1. *Cor.* 11. 24). In hanc tabulam crucis erectam cum Dominus noster Jesus Christus ascendisset, et suas manus expandisset, ac volantes in aere virtutes expulisset, expeditam nobis in cælum viam munivit, et scalam nobis fidem a terra sursum tendentem; quodque admiratione dignum est, si attenderitis, dilectissimi, stetit crucis arbor, expansa est in illo vitis vera, quæ dicit: *Ego sum vitis vera* (*Joan.* 15. 1): et facta est diabolo quidem letifer palmes, nobis autem vitam afferens palmes, peccatorum nostrorum æstum reprimens, et refrigerii nobis umbram impertiens. Sub ejus umbra qui considet, illud dicit, quod a Salomone prolatum est: *In umbra ejus concupivi, et sedi, et dulcis ejus fructus faucibus meis* (*Cant.* 2. 3). In hac umbra confidens beatus David dicebat: *Et in umbra alarum tuarum sperabo.* Quousque tandem? *Donec transeat iniquitas mea* (*Psal.* 56. 2). O rem mirabilem, novumque mysterium! Fons in arbore positus erat, et ab eo crux irrigabatur: lancea namque vulneratus in latere, sanguinem et aquam emisit: sanguine quidem crucem purpurans, aqua vero radices ejus irrigans, ut immortales fructus credentibus in perpetuum germinet. O beatissimam arborem, quam reges colunt et præsides venerantur, virique ac mulieres, et omnis natura creaturaque hominum munimentum ac præsidium possident: dæmones horrent, et diabolus tremit; angeli collaudant, et cæli benedicunt; Ecclesiæ vero Christum, qui in ea crucifixus est, honoribus prosequuntur: cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD SEQUENTEM HOMILIAM.

Hanc quoque Severiano adscribit is ipse, qui præcedentes homilias eidem tribuerat. Verum non ita perplexus intricatusque est hic quisquis sit scriptor, ut ille Gabalorum episcopus, etsi a Chrysostomi eloquentia et inventione longe sit alienus.

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

DE PHARISÆO HOMILIA.

Quemadmodum pater liberorum amans, quem ad colloquia cum carissimis suis pignoribus miscenda proprii amoris vis pellicit, cum propter infantiam verba perfecta minime capiant, immutata nonnihil voce, atque expeditæ linguæ volubilitate semota, balbutire cum ipsis incipit; atque ita dum loquitur, audítque dilectos liberos, ad verba melius percipienda sensim provehit: eodem etiam pacto Dominus noster præ nimia in figmentum suum caritate, cum sit Deus Verbum, humanis verbis assumptis ad nos venit: ut, cum ex suo colloquio atque convictu cælestem nobis revelationem manifestasset, nobis ad scalam cælestem, spei nimirum, gradum sterneret. Ad prandium igitur a Pharisæo vocatur, ut ex Evangelii præconio paulo ante audivimus; neque vocantem aversatur. Non enim venit ut suæ divinitatis ostenderet dignitatem, sed ut collapsam vindicaret ab inferis humanam naturam. Ad prandium a Pharisæo vocatur, nec recusat (*Luc.* 11. 37): ut et divites instruat pauperum mensas non despicere, et justos doceat a peccatorum mensa non abhorrere. Multi enim qui sibi esse justi videntur, a peccatorum, et divites a pauperum men-

sis abhorrent. Volens namque Dominus, ut omnes benevoli maxime ac fratrum amatores, caritate pleni, et humiles simus, primus opus aggreditur, ut factis suis nos doceat. Idcirco ait : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* 11. 29). Tu ergo, qui in religione exerceris, siquando a quopiam peccatore vocaris, non recusaveris : licet unus aliquis exprobret tibi, ac dicat, Quid ita cum peccatoribus manducas, et bibis? vicissim in hæc verba responde : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus* (*Id.* 9. 12). Justus enim sum, non ut justos salvem, sed ut peccatores convertam. Vocatur ad prandium Dominus, nec recusat, qui ex quinque panibus quinque millia ad satietatem in deserto nutrivit : qui mare impervium arefecit, et quasi per campum herbis virentem per mare Israelem traduxit : qui pluit illis manna de cælo, et toto die ex splendore mannæ nives. Vocatur ad prandium Dominus, nec recusat, in prandiis eos optimis erudiens disciplinis, a quibus vocatur. Ad prandium enim pergit, non ut epulis Pharisæi saturetur, sed ut Pharisæus Domini documentis expleatur. Vocatur ad prandium, et in ædes Pharisæi venit, ac divinitatem humanitate occultat : ne si forte derepente fulgurantem divinitatis splendorem intuitus esset, ex ædibus fugeret is qui Dominum invitarat. Ingreditur domum Pharisæi, Rex cælestis ad captivum, et pellea carnis lorica regiam obtegit majestatem : ne si Regem cælestem captivus conspexerit, contremiscat, terræque recessibus sese abdat. Ingreditur domum Pharisæi Sol justitiæ, radiorum scintillas auri in modum fulgentes nube corporis obvelans : ne, si eum intuitus fuerit homo, visum amittat. Ingreditur domum Pharisæi Pastor cælestis; nonaginta novem ovibus in montibus derelictis, ingreditur ad eam, quæ perierat (*Matth.* 18. 12) : in ovile suum ingreditur, pastorem suo corporis agno abscondens. Non baculum gestat, non virgam ob errorem priorem minantem : ne perterrefacta et expavescens ovis rursus ab ovili suo resiliat : verum ingreditur domum Pharisæi, non ut Deus, non ut Rex, non ut Sol justitiæ, sed ut homo ad hominem, ut agnus ad agnum. Simul cum illo vescitur, simul pascitur, simul sedet, ingreditur simul, recumbit cum eo, qui jam ceciderat in peccatum : ut, dum cum illo recumbit, eum qui jam ceciderat, simul erigat. Et cum ingressus esset, non est baptizatus secundum consuetudinem Pharisæorum. Hoc autem duas ob causas faciebat : ut ovi pastorem alloquendi occasionem præberet, itemque ut Judaicam doctrinam everteret, ac spiritualem stabiliret. Vidit enim, inquit, Pharisæus, et miratus est, quare prius baptizatus non esset; non laudans Magistrum, sed illud ignorans quod factum erat : non laudans, sed judicans. Ac videre erat, dilectissimi, Creatorem animantium a creatura judicatum, et figulum a luto correctum. Hoc accidebat Pharisæo, quod oculis cordis occultis non intueretur eum, qui interius angelicorum ordinum princeps erat. Si enim eum conspexisset, illi ad genua provolutus esset, ejusque pedes lacrymis proluisset, ac dixisset : *Propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* 18. 13). Sic enim eum affatus esset : Tu omnia, cum ante non essent, ut essent effecisti : tuo verbo cæli firmati sunt, et spiritu tuo virtutes eorum constiterunt Tu congregas sicut in utrem aquas maris, ponens in thesauris abyssos (*Psal.* 32. 6-8) : coram te totus orbis terrarum pertimescit ac fugit. Verum cum nihil horum aut cogitasset, aut dixisset, Dominum judicabat. Illi vero cum Dominus occasionem præbuisset, sicut Samaritanæ, ex eo quod aquam ab illa postulavit, cælestem ab ipso aquam petendi ansam dedit (*Joan.* 4. 9). Incipit itaque Dominus ovem sensim convertere, atque ab errore ad veritatem ipsam manu ducere. *Nunc enim vos, Pharisæi, quod deforis est calicis et catini, mundatis; quod autem intus est, plenum est rapina* (*Luc.* 11. 39) et dolo : hoc est, Vos quidem nunc corpus exornatis, animas autem deformatis. Quo autem pacto te delectabit, etsi aureum fuerit poculum, cum letiferam in se contineat potionem? Nonne tales sunt meretrices, quæ facies suas floridis coloribus pingunt, animas vero perdunt? annon enim, dum purpurisso vultus suos rubefaciunt, imaginem quamdam ejus, quæ exceptura est illas, flammæ digitis suis fabricantur? cum eas potius oporteret corda sua Jesu sanguine aspergere, vel roseo potius colore tingere, ac spiritu sua corda dealbare : ut florida species animæ refulgens tamquam rosa permixta liliis appareret. Jam vero facies suas inflammant, ut juvenum animos ad insaniam accendant. *Nunc vos, Pharisæi, quod deforis est calicis et catini mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate* : quasi diceret : Quare corpus quidem aqua abluitis, delicta vero per spiritum non deluitis? Ausim enim dicere, dilectisssimi, nihil illud homini proderit, etsi corpus mundet, nisi spiritum cooperatorem et eleemosynam comitem habeat. Ut enim poculum licet exterius interiusque mundatum, si potionem non contineat, sitientis non potest cupiditatem explere; pari quoque ratione catinus : sic et homo licet interius sit exteriusque mundatus, Domino non placebit, nisi conservum suum paverit. Quapropter addit Dominus, et ait : *Verumtamen quod superest*, inquit, *date eleemosynam; et ecce omnia munda erunt vobis* (*Ibid.* v. 41). *Quod superest*, inquit : non enim adeo donariis opulentorum, ac sincera minimeque ficta oblatione simplicium delectatur. Ne lugeas tu pauper, quoniam aurum non habes, aut tot onerarias argenti naves : projice in gazophylacium id quod habes : etiam duo minuta justificant. Recordare viduæ illius, quod præ opulentis justificata sit. Deus siquidem non pecunias ponderare novit, sed conscientiam probat. Eleemosyna maculas animarum abstergit, et bonorum præmia thesaurizat : eleemosyna vitalis animæ commeatus, eleemosyna dealbat animas, eleemosyna fiducia animæ, militia præclara. Projicite aurum, et accipite Dominum : date argentum, et accipite id quod sanctum est : æra spargite, simulque cum illis peccati rubigo abscedet : irrorate fornacem, et date vestimenta, ut accipiatis sanationes in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO

IN SEQUENTEM HOMILIAM.

Hanc quoque Chrysostomi non esse fatentur quotquot in sancti doctoris scriptis non sunt hospites. Severiano autem adscribit is ipse qui tam multa liberaliter episcopo Gabalorum attribuit. Verum hic quisquis sit scriptor, non ita salebris plenus est ut Severianus, etsi de cætero non magni sit pretii.

DE LAZARO ET DIVITE, HOMILIA SEXTA (a).

1. Maxima quædam est schola stadium Ecclesiæ, divitum ludus literarius, ac perfugium egenorum. Age ergo, dilectissimi, quandoquidem in arenam doctrinæ descendimus, præcedentis Evangelii documenta per-

(a) Collata cum quinque Codicibus Mss.

sequentes, iis quæ paulo ante dicta sunt in manus sumptis, vobis omnibus debitas a nobis orationis stillas, quasi roris guttas aspergamus. Porro divitis nobis et pauperis conversationem lectio narrabat : divitis quidem vitam deliciis immersam; pauperis autem vitam paupertate maceratam. *Homo quidam erat dives, et induebatur bysso et purpura, qui epulabatur quotidie splendide* (*Luc.* 16. 19). *Erat autem quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam divitis, ulceribus plenus, et cupiens particeps fieri micarum, quæ cadebant de mensa divitis : et nemo illi dabat; sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus* (*Ibid. v.* 20). Operæ pretium est itaque, dilectissimi, sigillatim hæc exponere, ut quemadmodum illi, qui navigant, ex eorum qui navigatione ante perfuncti sunt, malis edocti, nos quoque naufraga sub mari latentia saxa vitemus : ut divites quidem ex præcedentis divitis supplicio seipsos corrigant; pauperes vero, dum præfulgentes in Lazaro spes suas intuentur, alacriter cursum afflictionis decurrant. *Homo quidam erat dives.* Non dignatus est eum nominis sui appellatione decorare, quemadmodum Job justum : *Homo quidam erat in regione Ausitide, cui nomen Job* (*Job* 1. 1). Sed hujus nomen silentio est suppressum. Qui enim est infructuosus, etiam nomine privatur. Nam justorum etiam nomina sunt in libro vitæ, peccatorum vero nomina delebuntur. Tantum habet naturæ commune nomen, homo : hoc enim omnium est commune nomen : propriam autem nequitiæ suæ crudelitatem. *Homo quidam erat dives.* Cognatus quidem pauperis Lazari, si naturam corporis spectes; peregrinus autem et alienus ab hæreditate Christi propter voluntatis improbitatem. *Homo quidam erat.* Homo quidam corporis specie, animi vero sensu bellua, quæ sola pascatur. *Homo quidam erat dives.* Dives possessionibus, dives criminibus, dives ære multo, dives ærugine peccati : argento circumfulgens, sed obtenebratus peccatis : dives in auro, sed egenus in Christo : cui multa quidem vestis erat, sed animam nudam habebat : qui pretiosas vestes servabat, ac tineas multas alebat. *Homo quidam erat dives.* Divitiis luxurians, florem justitiæ non habens, arbor autumnalis, infructuosa, bis mortua. *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso.* Purpura quidem illi vestimentum erat, sed a regno Dei rejectus erat : purpuram habebat, non sanguine Christi aspersam, sed marini conchylii sanguine tinctam, quæ non regnum illi cælorum spondebat, sed formidabilem gehennæ flammam suo splendore prænuntiabat. *Homo quidam erat dives, et induebatur bysso et purpura, qui epulabatur quotidie splendide.* Epulabatur et delectabatur, non ut justi in Domino : justorum quippe delectatio est Dei recordatio, cujus mihi rei testis est David dicens, *Memor fui Dei, et delectatus sum* (*Psal.* 76. 4) : sed delectabatur et gaudebat in ebrietatibus, in luxuriosis commessationibus, in helluationibus, in tumultu, nihil dissimilis porcis, qui in luto volutantur. *Erat autem quidam mendicus Lazarus.* Nomen pauperis dixit, ac mendicum honore, nomine ipsius expresso, affecit. *Erat autem mendicus quidam Lazarus, qui jacebat ad januam ejus*, mendicitatis procella vehementer jactatus : at enim post non multum tempus ad tranquillum Abrahæ sinum stipantibus ejus latus angelis est provectus. *Erat autem quidam mendicus Lazarus, qui ad januam divitis jacebat ulceribus plenus.* O quantis erat malis mendicus obsessus ! a gravissima paupertate, tamquam a violenta grandine diverberabatur : ab ebullientibus pustulis, tamquam carbonibus scintillas emittentibus, corrodebatur : undique in eum torrentes afflictionum irruebant, quibus et corpus conficiebatur et cor exedebatur : nullam tranquillitatis quietem poterat obtinere. *Foris pugnæ, intus timores* (2. *Cor.* 7. 5). Exterius siquidem corpus a pustulis vexabatur, et interius cor incurabilibus curis exedebatur. Non illi segetum ferax ager panis semen proferebat : non illi dulcibus turgidum acinis racemum vitis producebat : non dulcissimos illi fructus autumnales arbor suppeditabat : non aliud quidpiam ex terræ frugibus ad egestatis solatium suppetebat. Quomodo habuisset, cum illi ne spithama quidem amabilis terræ locus esset, neque unius cubiti solum ad habitandum, verum in fimo subdio jaceret? Fimus illi noctu atque interdiu amictus erat, a quo hiemis quidem tempore paululum fovebatur, æstate vero graviter urebatur. Corpus illi erat vulneribus variegatum et cumpunctum, ad agros colendos imbecillum, ad iter conficiendum inutile, ad alios vitæ usus et ad commoda ineptum. Undique illi difficultates, undique angustiæ : gemitus illi ante lacrymas tribulorum in modum in corde pullulabant : lacrymarum rivi per genas illi ferebantur, easque præ nimia assiduitate rivis quibusdam sulcabant : mortem in somnis meditabatur, mortem post somnum circumspiciebat, nec uspiam inveniebat. Laborum enim longarumque curarum remedium mortem exquirebat, nihil dissimilis Jobo multis ærumnis exercito. Nam et ille pecuniis amissis, armentis, prædiis, ad extremum corpore vermibus resperso in fimo jacebat, ac mortem optabat. Quid enim dicebat? *Ut quid data est eis, qui in amaritudine sunt, lux, et vita animabus, quæ sunt in doloribus? Qui desiderant mortem, et non contingit illis, effodientes eam quasi thesaurum; læti autem fiunt, si fuerint consequuti : mors enim viro requies. Sed et cupiebat*, inquit, *saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis : et nemo illi dabat* (*Job* 3. 20 - 23). O vitæ rationem inauditam! dives quidem opibus circumfluens, deliciis sese ingurgitabat et helluabatur; pauper autem cui ne gutta quidem opum suppetebat, paupertatis æstu torridus contabescebat. Quare vero non illis moderata cum prosperitate obtigit vitæ cursus cum mutuo inter se commercio transactus? Ut nimirum illustrem patientiæ coronam pauper acciperet; dives autem efferatæ animæ suæ acerbas uvas suis dentibus manderet. *Sed et canes venientes lingebant ulcera ejus.* Generosiores divite canes, ejus inhumanitate meliores. Illo ne guttam quidem olei pauperi a porgente, canes dentium cuspidem humanitate mollientes, eum tenera lingua curabant : ut sordes omnes atque vulnerum ejus omnem saniem abstergentes, et acerba ejus ulcera lævitate linguæ mitigantes, ejus vulnerum dolores subtraherent. At ille dives ne aspectu quidem placido pauperem umquam dignabatur, neque verbo quantumvis inutili : non illi vestem laceram projiciebat, non reliquias tinearum, non consumptum rubigine obolum unum, non panem, non exesum mucore panis frustum, sed omnia in ventrem suum tamquam in cauponam per gutturis infundibulum demittebat.

2. Quid vero tandem? Qualia cujusque obsonia, tales et retributiones. *Factum est autem ut moreretur pauper, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.* Vix aliquando tandem ab hac procellosa paupertate liberatus, in tranquillum Abrahæ portum pauper invectus est. *Factum est* enim, inquit, *ut moreretur Lazarus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ* (*Luc.* 16. 22). Vides ut post discessum ex hac vita, paupertas angelos habeat stipatores? *Accidit autem, ut et dives moreretur et sepeliretur.* Statim de divite sepulturam commemoravit; secundum id quod dictum est a Davide : *Et sepulcra eorum domus illorum in æternum.* Propterea dicitur tibi : Mendice, *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo. Quoniam, cum interierit, non sumet omnia : neque descendet cum eo gloria ejus* (*Psal.* 48. 12. 17. 18). Hic enim omnia derelinquit, servos, satellites, ministros, parasitos, adulatores, currus, equos aureis frenis ornatos, balnea, prædia, domos aureis laquearibus splendidas, distincta lapillis ac tesserulis pavimenta, regnum, potentiam, dominatum, omnia hic derelinquit, et nudus abscedit. Et cum esset in inferno, *Elevans oculos suos* (*Luc.* 16. 23). Cogita in quanta profunditate versaretur dives, in quanta vero altitudine pauper. *Et elevans*, inquit, *oculos suos dives, vidit Abraham, et Lazarum in sinu ejus.* Cur non Lazarus divitem vidit? Quoniam is qui in luce versatur, eum qui in tenebris est, non videt :

ut is qui in tenebris est, eum videt qui in luce versatur. Et dixit, *Pater Abraham, miserere mei* (*Luc.* 16. 24). Jam dicis, *Miserere mei*, quando misericordiæ tempus non est. Non illum audisti qui dicit: *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam* (*Jac.* 2. 13)? Nunc pœnitentiam agis, cum non est confessio. Non audisti Davidem dicentem: *In inferno autem quis confitebitur tibi? Miserere mei, et mitte Lazarum* (*Psal.* 6. 6). Nunc Lazarum nosti? jam agnoscis eum qui in limo jacebat, quem olim pari honore quo canes afficere recusabas? Tua, dum inter opes vitam degeres, viscera illi clausisti; jam ego quoque sinum refrigerii hoc supplicii claudo tempore. Non Deum audisti per omnes tibi prophetas proclamantem et dicentem: *Misericordiam et judicium custodi, et appropinqua Deo tuo* (*Osee* 12. 6): *quia misericordiam volo super sacrificium* (*Id.* 6. 6); et, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* 5. 7); et rursus, *Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis* (*Prov.* 19. 17). Ubi seminasti, ibi metere contende: ubi fœnerasti, ibi colligere contende. Tu vero semen eleemosynæ nequaquam ullo tempore jecisti, neque per misericordiam in pauperes Deo fœnerasti, sed tuo ventri omnes thesauros condidisti. Ubi thesaurum tuum habes, ibi et cor tuum habeto. *Miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia graviter crucior in hac flamma.* In lingua plectitur, cujus ministerio cibis vescebatur: aquæ guttam quærebat, quia ne calicem quidem aquæ frigidæ in nomine discipuli sitientis umquam impertierat. Si tibi dum viveres consortem bonorum Lazarum asscivisses, nunc cum illo regni particeps esses: si super pauperem intellexisses, nunc a malo judicio liberatus esses. *Beatus* enim *qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus* (*Psal.* 40. 2). Ardentissimum illud chaos copiosa pecuniarum in pauperes distributione complana: asperge nunc misericordiam, et caminum exstinxisti: orphanos ale, et irrequietos vermes necasti: siste lacrymas viduæ, et ex anima tua luctum peccatorum abstersisti. Idcirco namque lecta sunt hæc tibi, ne si eisdem immisericordis divitis insistas vestigiis, in idem gehennæ supplicium prolabaris. Tu vero pauper ne mente concidas, neve animum despondeas, dum procella mendicitatis jactaris. Lazarum illum clarissimum respice: ibi sint oculi tui nocte dieque defixi: ut vitam tuam patientiæ clavo gubernans, ad eumdem quietis portum proveharis, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SERMONEM DE PUBLICANO ET PHARISÆO.

Licet omnium eruditorum consensu hic sermo Chrysostomo abjudicetur, tum ob styli diversitatem, tum ob quarumdam vocum usum, quæ a Chrysostomo nusquam usurpantur; est tamen paulo melioris notæ, quam præcedentes. In illo affertur locus ex Oratione Manassis regis, quæ inter apocrypha semper locum habuit. Quæ nota, etsi non aliæ subessent, vel una satis esset, ut eam ex numero *authenticorum* exigeremus. Hanc etiam homiliam ut et alios bene multas quidam nuperus scriptor Severiano Gabalorum episcopo adscribendam opinatur, una styli similitudine ductus. Verum hoc criterii genus non caret errandi periculo, nisi illa styli affinitas sese suis notis indiciisque prodat. Hujus certe stylus melior mihi quam Severiani videtur; ita nempe variant opiniones; dictio quoque clarior, feliciorque inventio. Demum oratio non indigna est quæ legatur.

Interpretationem Latinam adornavit Fronto Ducæus.

IN PUBLICANUM ET PHARISÆUM SERMO.

1. Qui e longinquo prata fuerint contemplati, variam illi quidem florum conspiciunt jucunditatem: tum vero pulchritudinem eorum cognoscunt, cum, ubi prope accesserint, flores propriis manibus contrectarint. Talem, dilecte, esse velim cogites Ecclesiæ statum: quandoquidem tamquam immarcescibiles quidam flores volentibus sese offerunt inspiratarum divinitus Scripturarum lectiones. Cuilibet enim videre licet, in spiritualibus paradisis atque viridariis choreas ducentes prophetas, ordines ducentes apostolos, martyres legatione fungentes, angelos auxiliantes, doctores pro religione pugnantes, gratiam Spiritus redundantem, ratione præditos greges Dominico sanguine obsignatos, et quod iis, quæ commemorata sunt, majus est, bonorum culmen, spei nostræ firmamentum, caput deliciarum, gaudii consummationem: Evangelia nimirum Christi dico, in quibus vitæ nostræ perfectio est recondita. Age ergo Christum Dominum servos suos omni voluptate perfundentem spectemus: in quibus cernimus fugatos morbos, mare perterrefactum, sedatos ventos, mortem increpitam, spoliatum infernum, pulsos dæmones et in exsilium actos, peccatores ad Dominum suum conversos. Ista siquidem Christus in divinis Evangeliis dona spectanda proposuit, in quibus justos ostendit solis in modum fulgentes, corroborata membra languidorum, lectorum gerulos paralyticos currentes, ad evangelistarum dignitatem ascendentes publicanos, lepram excussam quasi pulverem sola voluntate, febrem Domini voce in fugam actam, mortuos vitam nullo negotio recipientes, sepulcra quos detinebant, eos ad vitam relaxantia, humiliatam altitudinem Pharisæi, exaltatam humilitatem publicani. Etenim tantis exsatiatos bonis facile fuerit micarum convivio excepisse. Ego vero sic existimo, vos bona cum venia de more rursus etiam nostram hanc orationem audituros, qui bonorum ante prædicatorum copia vestrorum animorum promptuaria complevistis. Quando igitur et vos, Deo benevolente, paupere mensa contenti estis, et ego vestræ caritatis studiis obsequutus doctrinæ, tradendæ jugo animæ cervices subjeci: age proponatur vobis a me id quod paulo ante recitatum est; vobis enim omnibus opulentis ad hoc orationis convivium apparandum egenus mensæ structor adveni. *Duo homines*, inquit, *ascenderunt in templum, ut orarent, unus Pharisæus, et alter publicanus* (*Luc.* 18. 10). Pharisæus justitiæ jactabundus operarius, Pharisæus qui nondum maturam segetem recte factorum demessuit, ille ditior arrogantia, quam pecuniis, qui vano flatu virtutum fructum decussit, superbiæ possessor, naturæ totius accusator, inhumanus criminator, immisericors exprobrator, orationis publicani tempestas ac turbo. Neque mihi quisquam hæc contumeliæ causa jactata censeat; sed auditis ipsis Pharisæi verbis, vera esse quæ sunt dicta cognoscat. *Deus*, inquit, *gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum.* Tunc ergo tuo

judicio justior es omnibus? *Non sum sicut cæteri hominum.* Quid agis, Pharisæe? Noli nomen naturæ commune spectare: immutabilis enim ille atque hominum amator factus est homo: saltem ubi illud tecum reputaveris, arrogantia ista dicta ne proferas. Dic potius, Ut nonnulli hominum, non autem, *Ut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri.* Omnesne raptores, præter te unum, Pharisæe? omnes injusti, tu vero solus es justus? omnes adulteri, tu vero solus actiones temperantiæ laude dignas edis? *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic publicanus.* Jam ecce mens hominis producere pennas incepit: jam in cælum animæ alas quatit. Quid tu ipsum deorsum pertrahis gravitate verborum? et confessionem ad illum hominum amatorem vetas evolare? quid insultas jacenti? quid in illius ignem ligna struis (*Eccli.* 8. 4)? quid accusas illum sine remissione conscientiam verberantem? *Velut etiam hic publicanus.* Quid vero facientem, mi homo, publicanum vidisti? num latrocinantem, alienos labores compilantem, aliena deprædantem? metentem, ubi non seminavit, et congregantem, ubi non sparsit? expandentem rete viatoribus? Nihil tale vidisti, Pharisæe; sed intueris speciem miserabilem, commiseratione ac subsidio dignam. Jacet enim vultu in terram prostrato, pectus ut malorum officinam torquet, oculos tollere in cælum non audet, fortasse ab ipsis etiam astris accusari se putat; vel delictorum potius multitudinem esse scriptam existimat in firmamento: longe seipsum a templo, quasi judicatum removit: Miserere, clamavit, ut jam condemnatus. Non legisti, quod scriptum est, *Non exasperes virum in inopia sua* (*Eccli* 4. 23)? Inops enim est, atque omni ex parte in angustias redactus: circumdederunt eum cogitationes instar multitudinis accusatorum: dexteram ad pectus verberandum conscientia commodato accepit: sui ipsius carnificem seipsum reddidit. Non te ille inflectit contremiscens? non te ad commiserationem provocat vultu sic ad terram demisso? non inhumanam emollit mentem tuam, dum suspicere cælum non audet? Enimvero tum quidem, cum publicani munus obibat, ejusmodi te in illum jactare voces oportebat: tum enim ipsum decebat non a te modo probris, sed a quovis incessi. Jam vero cum sua mala damnavit, cum animadversis animæ suæ vulneribus ad medicum gratis sanantem cucurrit, cum delictorum recordatus ad Dominum immemorem malorum confugit, tunc ipsi supervacanee insultas, Pharisæe? *Neque velut hic publicanus.* Annon sunt alii publicani, qui nondum dulcem pœnitentiæ luctum amplexi sunt? Si te tanta cupiditas tenet insectandi peccatores, linguam in illos converte, qui rapacitatis adhuc sunt retibus implicati. Adversus hunc quidem supervacanea est hæc hostilitas tua. Non enim tantum homini nocere non poteris, sed et Dominum ad promptiorem in illum demonstrandam indulgentiam provocabis.

2. *Publicanus autem a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare* (*Luc.* 18. 13). Omnino Manasse vocem et ipse mittebat: *Non sum dignus intueri et aspicere altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum* (*a*). Multa siquidem erant in anima publicani mala congregata, cupiditas pecuniarum inexplebilis, injuriarum desiderium nullis terminis circumscriptum, rapacitas nullo fine conclusa; naturæ humanæ malum commune publicanus, legitimus injustus, raptor qui accusari non potest, fur impavidus, latro extra omnem aleam positus criminationum, noxa pene inevitabilis, ratione præditarum ovium lupus, humanam habens formam bellua. Cum tantis ascendit in templum malis publicanus. Nam cum hæc omnia perpetrasset facinora, gravemque sibi ac laboriosam effecisset oneris illius excussionem, agili tamen acrique mente pollebat, et invenit speciem libertatis: recordatus enim est illius Domini vocis ita peccatoribus proclamantis: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* 11. 28). Hujus vocis recordatus, cum onere malorum in Dei templum se contulit: cum vero obtorpuisset deinceps, neque sustinere amplius posset, in faciem continuo cecidit, et illis vocibus Dominum compellavit: *Propitius esto mihi peccatori.* Omni opere bono sum prorsus destitutus, malis meis conturbor, super numerum arenæ maris factæ sunt iniquitates meæ, multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. Jam tuum video tribunal, eorum qui a me sunt injuriis affecti clamoribus personare: ante thronos tuos, Domine, fore ut aperti libri ponantur, audivi, in quibus haud dubium, quin et viatorum gemitus sint conscripti. Nullum est genus injustitiæ, quod tuam cognitionem nulla largitione corruptam effugerit: jam mihi tempus defensionis non superest, fugæ nullus relictus est locus. Suspicere cælum non audeo; ipsam etiam terram pertimesco, velut testem et arbitrum actionum mearum. Magnum enim peccatorem res etiam ipsæ anima carentes accusant. Quamobrem ad te omnium Dominum recurrens, hanc unam auxiliatricem reperi supplicationem: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Multa quidem est malorum meorum summa, sed quid hoc ad pelagus tuæ bonitatis? Ut salvus fiam, apud homines est impossibile; verum apud te omnia possibilia sunt, Domine. Enimvero si propter justos in terram venisti, frustra telonium detestatus, ad tuum templum accurri: sin autem etiam peccatorum rationem aliquam habens, quin eorum potius causa inter creaturas peregrinatus es, ne sinas ut ea quæ in te posita sit spes, infringatur et evanescat; sed contritum sana cor meum, et me peccatis enecatum ad vitam revoca. Contigit olim te meretrix, et malorum sordes abstersit: fidei muliercıılæ fimbriam commodasti, et sanguinis stagnum exsiccasti: ad jacentem paralyticum accessisti, et lecti vectorem reddidisti: cæcum prætεriens vidisti, et pristinum visus decus restituisti: etenim corporis quidem defectum luto inunxisti, qui vas illud e luto reparasti; lumini autem aditum reserasti, simulque homini rerum creatarum pulchritudinem ostendisti. Tu mulierem collacrymantem vidisti, atque ante tempus resurrectionis infernum flagellasti, dum inde Lazarum eduxisti, dum tamquam ex leonis faucibus a morte raptum hominem revexisti. Tu cum hominem tibi procidentem ad pedes conspicatus esses duræ liberorum orbitatis naufragio pene absorptum, continuo precibus inflexus es, ac puellulam vocasti; quam ubi primum inclamasti, surrexit quidem puella, mors autem aufugit. Clamavit et post te mulier Chananæa, cum a dæmone suam filiolam discerpi videret, et cum magna voce, *Miserere* (*Matth.* 15. 22), dixisset, spe sua non excidit: fidem enim ejus amplexus, lupum ab ove repulisti, ac rabiosum inquilinum exegisti: cumque puellula tuo munere ad sanam mentem rediisset, luctum parentis sedasti. Pauculis panibus in deserto multitudinem nutriisti. Esurio et ego justitiæ esurie; perexiguam micam tuæ benignitatis exposco; mei quoque ut unius ex illis commemoratis miserere. Animam habeo maculis notisque compunctam, non secus ac meretrix, prius quam pœnitentia duceretur: omnibus sum detestabilis, non secus ac mulier sanguinis fluxu laborans, quæ antequam sanaretur, reputabatur immunda: majore paralysi laborat anima mea, quam paralytici corpus: excæcatos animæ oculos habeo, sicut corporis a nativitate cæcus: peccatis enecatus sum, animam habens corporis membris conclusam, non secus ac Lazarum sepulcrum habebat; omnibus pene videor malis onustus. Verum qui omnium misereris, mei quoque te misereat. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Quid ergo contra Judex benignus? quid munificus Agonotheta cursorum, qui in stadio pœnitentiæ currunt? Et Pharisæo se jactante sustinuit, et publicano pœnitente delectatus est: postquam autem hic quidem verbis

(*a*) Hæc habentur in Oratione Manasse, quæ in fine Bibliorum posita, inter apocrypha censetur.

quasi vehementibus ventis animæ fructum decussit, ille vero seipsum affligens alium accusatorem non exspectavit, unicuique pro dignitate distribuit. Nam publicanum quidem qui suiipsius accusator factus erat, liberum ab omni damnatione dimisit; Pharisæum vero qui sua recte facta in medium protulerat, publicano ipso pauperiorem pronuntiavit. Utrique mores sui et animi status, huic quidem ex paupertate occasionem divitiarum, illi vero ex divitiis lapsum in mendicitatem attulerunt. Quid enim ait Dominus? Amen *Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo* (*Luc.* 18. 14). O quantum malum est arrogantiæ morbus! Bene comatus ascendit Pharisæus, quasi floribus, recte factis coronatus; itineris socius ei fuit publicanus omni defensione destitutus; sed cum hic seipse opportune humiliasset, exaltatus est; ille vero cum ad immodicam sese altitudinem extulisset, ad ignominiosam reductus est nuditatem. Nonne satius fuit remissis et humilibus uti vocibus? nonne melius propheticam vocem audire, quæ sic ait: *Humiliamini in conspectu Domini : et exaltabit vos* (*Jacobi* 4. 10)? nonne utilius fuit linguam comprimere, ac divitias custodire, quas multis sibi laboribus compararat? Quas longo tempore congregarat virtutes, eas perbrevi momento voce dispersit. Non audierat forte Pharisæus quod scriptum est : *Immundus apud Deum omnis sublimis corde* (*Prov.* 16. 5)? non illud egregie dictum didicerat, *Quod facit dextera tua, nesciat sinistra tua* (*Matth.* 6. 3)? Imo fortasse utrumque noverat, sed vis cupiditatis inanis gloriæ vicit. Nos igitur publicani humilitatem nobis comparemus, et peccatorum pondus abjiciamus : superbiam autem odio habeamus, cujus opera virtutum opes publicanus perdidit : *Superbis enim Dominus resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* 4. 6. 1. *Petr.* 5. 5). Ipsi gloria et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD HOMILIAM DE CÆCO ET ZACCHÆO.

Hanc homiliam jure inter spuria ablegatam fuisse res ipsa per se clamat; etsi non inepti scriptoris sit, et quædam non spernenda complectatur. Stylus est humilis et abjectus, atque ab illa sponte profluente Chrysostomi eloquentia mirum quantum alienus.

Interpretationem Latinam Frontonis Ducæi aliquot in locis emendavimus.

IN CÆCUM A CHRISTO SANATUM, ET IN ZACCHÆUM, DEQUE JUDICIO ATQUE ELEEMOSYNA, HOMILIA (a).

1. Multæ ac variæ sunt Scripturarum doctrinæ, una quæ omnibus affulget gratia, et fons unus est doctrinæ Spiritus veritatis. Et quæcumque lex edicit, et quæcumque docent prophetæ, quæcumque prædicant apostoli, quæcumque subjicit Evangelium pietatis, a Spiritu sancto tamquam ab uno quodam uberi fecundoque fonte promanant : neque licet aut dicere quid præclarum, aut excogitare quid sapiens, aut agere quidquam admirabile, nisi quæ dicuntur, quæque cogitantur et quæ aguntur, a Spiritu sancto confirmentur. Quantumvis enim quis humana sapientia floreat, humanisque ratiocinationibus animam habeat instructam ac munitam, Dei verbum autem aversetur ac repellat, in nihilum est, et in nihilum reputabitur. Propterea inquit propheta, *Verbum Domini repudiarunt : sapientia quæ est in eis* (b) (*Jerem.* 8. 9)? Nobis itaque flores veritatis sunt Scripturæ pietatis ; ac multi quidem sunt flores, unum autem pratum, quod flores educat : multæ doctrinæ sunt lucernæ, unum autem verum luminare : multæ sunt stellæ, unum autem cælum, a quo stellæ feruntur : multi rami, una vero radix : multi digiti, sed manus una, quæ digitorum opera scribit : multæ chordæ, una cithara Spiritus : multæ doctrinæ, unus fons pietatis. Verum illud mihi sane mirum videtur, quo pacto hic cæcus, qui legem non legerat, non prophetas percurrerat, non Evangelia pervolutarat, non ab apostolis confirmatus erat, ita Salvatorem orbis terrarum invocaret, dicens : *Jesu, fili David, miserere mei* (*Luc.* 18. 38). Unde sic appellare didicisti, qui quod invoces, non didicisti? Non libros legisti, oculorum usu privatus : non incubuisti disciplinis, cum non aliter quam victum petendo, vel potius ostiatim emendicando, vitam sustentes. Unde igitur hoc mundi luminare didicisti, quod neque in cælis conspexisti, neque in terris, oculorum lumine orbatus? At enim vere in hoc implebatur quod dictum est a Davide : *Dominus sapientes facit cæcos* (*Psal.* 145. 8). Multa circa Jesum turba erat, et cæcus veritatis luminare non videbat, efficacitatem vero sentiebat : rapuit affectu quod visus non comprehenderat. Quid, inquit, sibi vult hæc turba? Dicunt illi, Jesum Nazarenum transire. O rem mirabilem! Alia dicetur et alia prædicat : audit Jesum Nazarenum, ipsum vero Jesum Nazarenum non appellat, sed Jesum filium David. Qui videbant, quæ ex suspicione noverant, dicebant; cæcus autem, quæ ex veritate prædicabat. *Jesu, fili David, miserere mei.* Nunc itaque vocem hanc sibi quisque propriam reddens, in talem ex corde confessionem prorumpat, et quisque hanc vocem pro se proferat, *Fili David, miserere mei.* Non aliter, fratres, quam cum multi ad funebrem luctum se contulerint, et cadaver positum viderint defuncti, qui defletur a propinquis, omnes lacrymas fundunt, alii quidem quod pari affectu cum lugentibus commoveantur, alii vero quod res suas revolvant : et frequenter mulier deflet ac luget, alia scilicet, non eum qui ibi positus est (alienus enim est), sed virum suum jam defunctum; fitque aliena occasio, propriorum malorum commonefactio : ita quisque vestrum, fratres, cum ea, quæ a sanctis prædicantur, didicerit, sermonem sibi accommodet, proque suis vulneribus dicat, *Fili David, miserere mei :* et dicat nunc etiam unusquisque a propriis malis excitatus, hic quidem, se mente cæcum esse; ille vero, se surdam habere animam; alius, sibi claudam esse rationem; alter, leprosum sibi esse judicium. Nam quos in corporibus morbos sanavit Christus, hi etiam in animabus exsistunt, et supernam opem requirunt. Cæca est anima, quæ indiget restitutione usus oculorum; cæca est anima, quæ mirabilia legis non cernit; cæca est anima, quæ sæculum futurum non respicit; cæca est anima, quæ Christi quidem corpus contuetur, divinitatem autem ejus non agnoscit. Jam vero cæcam esse animam illam, quæ res divinas ignorat, testis est Isaias dicens : *Et excæcati sunt servi Dei.* Quomodo excæcati sunt? *Vidistis enim*, inquit, *sæpe, et non custodistis : apertæ sunt aures, et non audistis. Et quis est cæcus, nisi pueri mei? et quis surdus, nisi qui dominantur eorum* (*Isai.* 42. 19. 20)? Et

(a) Collata cum tribus Codicibus Mss., uno Regio et duobus Colbertinis.

(b) Errarunt Benedictini et Fratres Gaume, notantes *hanc clausulam in Bibliis non reperiri*, cum in loco Jeremiæ citato ipsissima jaceat.

Salvator mentis cæcitatem volens indicare, Pharisæos circa veritatem cæcutientes arguit, dicens : *Sinite illos; cæci sunt duces cæcorum; cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent* (*Matth.* 15. 14). Surda vero est anima, quæ legem Dei non auscultat, quæ Dominicam vocem contemnit, surda non a natura, sed ex proposito. Propterea dicebat Salvator, *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* 11. 15) : non quod aliqui ex iis qui aderant, aures non haberent, (quomodo enim operam doctrinæ darent, si auditus organum non haberent?) verum aperte declarat, aurem quidem quæ apparet, ad audiendum conditam esse, animi vero sensum ad divinæ legis auditum non applicari. Nihil ergo prodest externus auditus, si mens interior et affectus surdus fuerit. Leprosus quidam est anima, non cui corpus offuscatum est, sed cujus anima tenebris est offusa. Quid enim lepra est in corpore, nisi duplex color? Quid est lepra in anima? Duplex sententia. *Væ peccatori ingredienti duabus viis* (*Eccli.* 2. 14). Cum quis nunc quidem credit, nunc vero est incredulus ; et nunc ad misericordiam inclinat, nunc ad inhumanitatem : leprosus est anima, cui color sanus non est, sed mente divisus est. Et quemadmodum dividit lepra corpus, ita prava cogitatio mentem dividit. Unusquisque igitur pro vulneribus suis clamet, et medicum animarum invocet corporumque, Jesum, prout inclamabat cæcus : *Fili David, miserere mei* (*Luc.* 18. 38). Atque ii quidem qui præibant, increpabant; sed ejus in loquendo fiducia illorum prohibitione minime impeditur. Novit adversus omnia depugnare fides, et omnia vincere. Increpabant homines, et fidelis nihil studium suum remittit, sed Dominum sequitur, ut qui probe sciat honestam esse in causa pietatis impudentiam.

2. Si enim ubi de pecuniis agitur, impudentes sunt multi; ubi de salute animæ agitur, nonne honestissimum est honestam quamdam impudentiam induisse? Jubet illum Jesus adduci. Effecit ut staret Dominus Jesus, vox illius qui cum fide implorabat : jussit illum adduci ad se, qui prius fide appropinquarat ipsi, et corpore prope se sistere. *Jussit illum adduci ad se, et ait, Quid tibi vis faciam* (*Luc.* 18. 40. 41)? Non otiose interrogat : poterat enim etiam sedenti sanitatem impertiri; verum Judæi, qui veritatem calumniantur, dicere potuissent, ut de cæco a nativitate, non esse hunc, sed similem ei (*Joan.* 9. 9). In medium ergo iniquorum theatrum beneficio afficiendum advocat, ut primum naturæ defectum suppleat, ac deinde gratiæ potestatem ostendat. *Quid tibi vis faciam?* Illum interrogat, præsentes docet. At illi dicit : *Domine, ut videam.* Vide quanta pignora accipiat ab eo, qui sanitatem recipit, ut calumniis improborum viam obstruat. Ait ergo : *Vade, fides tua te salvum fecit* (*Luc.* 18. 42). Vides ut, quod a nobis ante dictum est hesterno die, ab ipsis operibus comprobetur; utque beneficia venalia non sint, solaque fide venumdentur? Non dat pro pecunia beneficia Jesus, sed ea fide vendit. Nisi fidem numeraveris, beneficium non accipies : expansa est gratia, fides autem præcedit. Et quemadmodum fons est unus, hauriunt autem ex fonte, hic quidem parvis, ille vero majoribus vasis; atque hic quidem paulum aquæ, ille vero multum haurit, non quod ita mensuras fons dividat, sed quod quisque pro vasis sui capacitate aquam hauriat : ita gratia est exposita quasi fons quidam, propositum autem ejus qui accedit, vas et urceus fit gratiæ. Si ergo fidem exiguam applicueris tamquam vas parvum, parvam gratiam hauris : si vero magnum applicueris animum, magnum hauris beneficium. Propterea Salvator dicit : *Credis, quia ego possum hoc facere?* ille vero, *Utique Domine :* tum Salvator, *Secundum fidem tuam fiat tibi.* Idcirco apostolus Corinthios adhortatur dicens : *Dilatamini et vos* (2. *Cor.* 6. 13), ut ostendat in animum dilatatum latiorem amplioremque gratiam introire ; et propheta, *Aperi os tuum, et implebo illud.* Ab ipso nullus beneficio, sed a nostra negligentia obex opponetur. Luminare justitiæ Jesus exortus est, diffusi sunt omnem in partem spiritalis solis radii, atque unus quidem minorem percipit gratiam, alter vero majorem ; non quod gratia ita se dividat, sed quod animus mensuram subjiciat. Ut enim sol unus est, qui universam terram illustrat, et radius unus, ac splendor unus; nec tamen æqualiter mundus totus illustratus est; atque hic quidem amplum ac splendidum lumen habet, ille vero minus; atque hic quidem angustum, ille autem latius, non quod ita sol huic domui majus et illi minus distribuat, sed quod pro amplitudine fenestrarum quas illi aperuerunt, qui domos exædificarunt, radius locum occupaverit, itaque sese infuderit : sic quoniam animæ nostræ fenestræ sunt cogitationes et consilia, quando latiores aperueris cogitationes, latius accipis amplinsque beneficium; cum angustiorem mentem reddideris, angustiorem quoque gratiam efficis. Aperi et revela tuam cogitationem ac mentem, ut splendorem possis admittere. Propterea Paulus de seipso dicit : *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculamur, transformati a claritate in claritatem* (2. *Cor.* 3. 18). Unus cæcus sanatus est per historiam, et multorum oculi aperiuntur per doctrinam. Secundum fidem tuam fiat tibi (*Matth.* 9. 29). Cæcus autem, inquit, *Sequebatur magnificans Deum* (*Luc.* 18. 43); neque prohibet Jesus. Hoc loco operæ pretium fuerit considerare, quo pacto, cum illum, qui a dæmonio vexabatur, sanavit; cum ab eo, quem beneficio affecerat, rogaretur, ut Jesum sequeretur; volebat enim, inquit, sequi; ille contra non permittat et dicat, *Vade in domum tuam, et annuntia quanta tibi fecerit Deus* (*Marc.* 5. 19). Qua de causa hunc quidem, qui sequi voluit, prohibet, illum vero non prohibet? cur isti ut se sequatur permittit, illi autem non permittit? Et illi utiliter, et huic fructuose. Huic quidem, ut se sequeretur, non concedebat aliam ob causam, propterea quod a dæmone correptus fuerat : porro a dæmonio correpti et dictio et lingua perversa fuerat atque distorta. Mittit igitur illum præconem, ut ex bono statu suo benefactorem prædicet. Spectaculum quippe fuit illud admirabile, cernere eum, qui antea compos mentis non erat, sana verba profari atque prædicare. Ipsum itaque membrum, in quod beneficium collatum erat, Servatoris præconem reddit. Ac vide rem mirabilem ; vide Salvatoris humilitatem; vide a dæmonio vexati gratum animum. Salvator quidem, *Vade*, inquit, *et annuntia quanta tibi fecerit Deus.* Non dicit, Quanta tibi fecerim ego; sed humilitatem præ se ferens, Dei nomini illud adscribit. Qui vero a dæmone correptus fuerat, circuibat prædicans quanta sibi fecisset Deus Jesus. Hunc itaque mittit, ut prædicet, quo ex ipsa sua in pristinam sanitatem restitutione beneficii magnitudinem ostendat : cæcum autem sequi permittit. Quid ita? Propterea quod Jerosolymam ascendebat, magnum illud mysterium consummaturus, et illam pro mundo dispensationem suscepturus; ac futurum erat, ut crux sequeretur, et contumelia, et omnia quæ ab impiis Deique adversariis inusitata nequitia patrata sunt : propterea vult sequatur cæcus, ut recentem habeant miraculi memoriam : ut sanationis memoria mentem eorum, qui lapsuri erant, confirmet ac stabiliat. Curat ut sequatur cæcus, ut ne quis miraculum editum neget : quandoquidem tamquam tempestate jactanda erat mens apostolorum, et intuentium status et constantia percellenda, dum in cruce Unigenitum Dei cernerent. Ne igitur passionem spectantes succumberent, cæco permittit ut sequatur, ut recentem beneficii memoriam conservantes, inconcussam habeant cogitationem ad sensum veritatis.

3. Multa siquidem talia perficit Christus, quandoquidem ad subeundam hanc pro hominibus dispensationem advenit. Ac ne quis eum ex infirmitate pati arbitretur, non ex benignitate sua atque ex amore in homines tolerare, antequam ingrediatur Jerosolymam, ficum videt. Et abiit, inquit, quærens ex ea fructum, et non invenit (*Marc.* 11. 13); ut autem

non invenit, increpavit, dicens : *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum* (*Matth.* 21. 19). Quid peccavit ficus? num enim facultate ratione prædita fructuum ubertatem habet? annon, quando vult, Creator ad fructuum ubertatem efficacitatem largitur? Deinde neque tempus illud fuit ficuum : hoc enim Evangelium attestatur. Quis autem communium hominum, nedum Deus, tempore intempestivo fructum requirit? nonne tu, Conditor, tempora constituisti? nonne tu ad fructus ferendos anni tempestates ac tempora dedisti? Quid igitur præter tempus quod assignasti, reposcis? Enimvero si tempus ficuum fuisset, fructum autem ficus non tulisset, fuisset culpa naturæ? num profert cum libet? an vero cum imperatur, fructus edit? Quamnam igitur ob causam ficum increpat? Quoniam passionem subiturus erat, ne eum propter infirmitatem pati existimarent, in re inanimata potentiam ostendit; ut se omnes qui contradicebant, arefacere potuisse, omnes Dei hostes delere, demonstret. Sed quoniam non venit, ut judicet mundum, sed ut salvet (*Joan.* 12. 47), ut ipse dixit, potentiam quidem in re anima carente ostendit, benignitatem autem hominibus reservat. Ita et hic cæco ut sequeretur concedebat, ut recens memoria scandalum tolleret, ut miraculum coruscans haberent. Sed successit miraculum alterum : nam ubi cæcus visum recepit, alius anima cæcus visum recepit. Quis ille? Princeps publicanorum, qui in pecuniis cæcutiebat (*Luc.* 19. 2), qui excæcatam avaritia animam habebat. Nihil enim sic animam excæcat ut pecuniæ. Propterea Moyses ait: *Dona enim excæcant oculos hominum, et verba justa pervertunt* (*Exod.* 23. 8. *Deut.* 16. 19). Venit princeps publicanorum, et præteribat Jesus, qui tollit omne peccatum, qui vitium omne delet, qui tenebras convertit in lucem, et tortuosa ad rectitudinem redigit. Zacchæus brevis erat statura, desiderio extentus ac procerus; brevis corpore, magnus affectu : quærebat enim videre Jesum, et non poterat ob brevitatem staturæ, et præoccupans machina quadam sibi comparat quod staturæ deerat : in arborem enim sycomorum ascendit, et prætereuntem Jesum videbat. At Dominus noster Jesus Christus, de quo dicit Paulus, *Qui novit facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus* (*Ephes.* 3. 20), non illi tantum concessit, quantum desiderabat, sed plus quam exspectabat. Ille enim videre tantum desiderabat, ipse vero dignatus est apud eum divertere; quique mentem ejus intuitus erat, ait ad illum (prius enim quam in ficum ascenderet, animum ejus animadverterat) : *Zacchæe, festinans descende.* Bonus auceps Salvator, qui ab arbore animam dejicit. *Zacchæe, festinans descende.* Calamum illi verbi extendit, viscum et glutinum caritatis circumposuit, cepit eum pennis intellectus, eumque in cœtum Ecclesiæ suæ intulit. Ac vide quid faciat. Ut scilicet non existimes dictum illud ei vim attulisse, sed Dei verbum esse id quod aucupatur et capit, ait beatus Zacharias (*Amos* 8. 1. *non Zacharias*) : Et ostendit mihi Dominus vas aucupis, et dixit mihi, non præteribo populum meum, quousque, inquit, visco eum cepero Ita veritas contestata est verbum Dei esse viscum, quod tamquam visco caritate animas implicet et irretiat et ut glutinum illud non potest deinceps quod tenetur, ab eo divellere quod tenet; ita et animæ Salvatori unitæ quasi glutino quodam aucupis agglutinantur. Idcirco captus ille præclarus pullus David dicebat. *Agglutinata anima mea post te* (*Psal.* 62. 9); et rursus apostolus, *Qui agglutinatus est Domino, unus spiritus est* (1. *Cor.* 6. 17). Capit Zacchæum, et ab arbore dejicit, seque in tabernaculum ejus immittit, quod ipse quondam peccatis quidem suis inobscurarat, hodie vero pietatis luminare collustravit. Ut igitur ingressus est Salvator, gaudens illum publicanus excepit. O eximiam Domini bonitatem! Qui peccare non potest, cum peccatoribus versatur : fons justitiæ cum materia et fomite injustitiæ; fomes quippe injustitiæ est avaritia. Ingressus est in ædes publicani, non ut tenebris avaritiæ læderetur, sed ut justitiæ splendore avaritiam deleret. Ac vide rem mirabilem: Continuo Zacchæus stans ante vestibulum dicit : *Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus* (*Luc.* 19. 8). Nondum edoctus es, et obedis? nondum didicisti, et custodisti? Nihil dixit Salvator, nihil docuit : non de eleemosyna præcepta dederat, non ad pauperum amorem cohortatus erat tum temporis; sed tacebat, et sensim irradiabat; et solis in morem, qui infusus per radios in ædes, non verbo illustrat, sed ipsa sua efficacitate illuminat : ita et Salvator ingressus, justitiæ radiis injustitiæ cursum ejecit : *Lux* enim *in tenebris lucet*, ut inquit evangelista (*Joan.* 1. 5). *Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Recte dividit avaritiam, scindit injustitiam. *Dimidium bonorum meorum.* Omne quod integrum est, robustum est et potens, discissum autem imbecillum. *Dimidium bonorum meorum.* O vocem præclaram, quæ vincit naturam, vel potius, quæ consuetudinem vincit; altera siquidem natura consuetudo. Inexplebilem cupiditatem ejecit, veritatem agnovit : *Dimidium bonorum meorum do pauperibus : et si quid aliquem defraudavi*, si quid per calumniam extorsi, *reddo quadruplum.* Hic diligenter animadvertendum est non ex injustitia solum, sed ex paternis facultatibus Zacchæi opes constitisse, ac partas fuisse : si enim ex injustitia fuissent, quomodo quadrupla restituere potuisset ea quæ ceperat? Cur enim ait, *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum?* Etsi enim in scelerum impunitate vitam traduxerat, tamen legem noverat : jubet enim lex furem in quadruplum furtum restituere. *Si quis*, inquit, *furatus fuerit ovem*, et innotuerit, *reddat quatuor oves* (*Exod.* 22. 1). Quadruplicat pœnam Deus, vel potius mulctam, ut si minus lex timorem incutiat, mulcta pudore afficiat : sæpenumero namque multi, qui legem non reverentur, mulctam reverentur. Seipsum ergo condemnat, neque sententiam legis exspectat, sed ipse fit lex in seipsum : *Justo enim lex non est posita* (1. *Tim.* 1. 9). Salvator itaque hanc vocem excipiens, ait : *Hodie salus domui huic facta est* (*Luc.* 19. 9). Ipse seipsum justificavit, non propterea quod Christum simpliciter vidit, sed quia Christi legibus obedivit. *Hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahæ.* Antequam opera faciat Abrahæ, non filium Abrahæ, sed Zacchæum simplici nomine appellat : ubi vero patriarchæ opera implevit, fide data se pauperum amatorem fore, omnique iniquitati nuntium remissurum, tunc temporis ait, Et iste filius est Abrahæ.

4. Et nos igitur, fratres, etsi Christiani sumus et dicimur, nihil ita nos Christianos demonstrat atque opera veritatis. Ne ergo nostris operibus nomen nostrum ignominiæ nota inuramus, sed condecoremus operibus fidem. Filii Abrahæ propter fidem vocati sumus; vocemur et propter opera bona filii Abrahæ. Quod enim dicere jam cœperam, non corporis nobilitas quæritur, sed morum congruentia. Propterea Abraham et Isaac et Jacob et patriarchæ omnes synagogam abnegarunt, quia patrum fidei hæredes successoresque non fuerant : abnegavit suos Abraham, quoniam fidem ejus sectati non sunt; abnegavit eos et Isaac et Jacob et patriarchæ omnes : qui enim Deum abnegavit, eum abnegat et natura. Sed quis tandem locus testimonio suo probabit Abraham abnegasse Judæos, ne videamur tamquam in hostes audacter ista jactare, sed tamquam peccati reos convincere? Beatus Jeremias (*Isai.* 63. 16. *et* 64. 11. *non Jeremias*) ex populi persona sic ait : Domine, miserere nostri : mons et civitas quam benedixerunt patres nostri, facta est igni combusta : tu, Domine, miserere nostri. *Quia Abraham non cognovit nos, et Israel non agnovit nos :* tu, Domine, parce nobis. Quando quidem, inquit, ii quibus gloriamur, a nobis alienati sunt, et nostrum genus abnegarunt : tu nostri miserere, qui omnes superas benignitate. *Miserere nostri, quia Abraham non cognovit nos.* Si enim res nostras suas duceret, nonne pro filiis suis deprecator et intercessor fuisset? Pro Sodomitis deprecatus est et au-

ditus est: pro filiis suis deprecans auditus non esset? *Abraham non cognovit nos.* Abnegat Abraham alienos moribus, suos autem ducit, ut dixi, eos qui alieni quidem sunt generis, sed domestici religionis. Idcirco volens ostendere Scriptura Judæis, quorum quis mores imitando sectetur, eorum et appellationem sortiri, sic ait: *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Chettæa, soror tua Sodomitis* (*Ezech.* 16. 3. 45. 46). Vide quo pacto cognationem ex moribus ipsis constituat. Quandoquidem eadem sapiebat quæ Sodomitæ, soror Sodomorum audivit, filia Chananæorum audivit: atque ita demonstrabat, non ut genus justificaret, sed ut mores honore afficeret. Ego vero sic existimo, Chananæum etiam et Amorrhæum cognationem istam abnegare; cumque viderit impios Dei hostes et a pietate alienos sibi accedentes, abnegat, neque dignatur Chananæus impiorum pater appellari. Quare abnegat? Si hoc imposueris Chananæo, et dixeris, Pater tuus Chananæus, et ipse dicet: Hiccine filius meus, qui patrum fidem abnegavit? Ego non sum infidelis, tametsi Chananæus: meæ quippe fidei testimonium dicet Chananæa, quæ clamat: *Fili David, miserere mei* (*Luc.* 18. 39). Ne vocentur ergo filii Chananæorum; non enim fidem Chananææ servarunt: vocentur filii lapidum atque lignorum, qui dicunt *lapidi, Pater meus es tu; et ligno, Tu me genuisti* (*Jer.* 2. 27). Imo ego lapides etiam arbitror abnegare, ac ligna cognationem infidelium repudiare. Potest et lapis negare ac dicere, Non est filius meus, filius impietatis: non est filius meus, filius iniquitatis: ego enim tametsi lapis sum, Scripturam audivi dicentem: *Potest Deus et de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* 3. 9). Deinde vero, Itane, inquit, ex persona lapidis orationem effingis, et loquitur lapis? Audi prophetam dicentem: *Lapis de pariete loquetur ea, et scarabæus de ligno effabitur* (*Habac.* 2. 11). Etsi vos tacueritis, lapides clamabunt (*Luc.* 19. 40). Quid ergo appellabitur infidelium genus, si neque filii Abrahæ, neque Chananæi propter Chananæam (ipsorum enim inobscuravit infidelitatem splendor, fidei Chananææ); neque lapidum filii? nam et lapides illorum repudiant propinquitatem: quod nomen erit incredulis? Quod illis imposuit nomen Jeremias: *Argentum reprobum vocate eos: quia reprobavit eos Dominus* (*Jer.* 6. 30). Timeamus itaque nos, fratres. Exornat te Christi nobilitas[1]? Timorem incutiat tibi justum judicium Christi. De eleemosyna heri prædicabatur, omnia esse eleemosynæ posthabenda; omnibus animam esse præferendam. Admiratus sum et alteram indignitatem: quo nimirum pacto ii, quibus non sunt filii, adoptivos sibi filios quærant: atque hic quidem fit pater, ille autem frater efficitur. Alienum tibi adoptas in filium, et Dominum fugis? Adopta tibi eum, qui reddat tibi mercedem: fiat tibi filius Christus. Tremendum, inquit, dictum hoc. Vide quid dicas, ne occasione orationis hujus excidas a ratione, atque in rationis inopiam devolvaris. Filium hominis appellas Christum? Ego vero non filium modo, sed et fratrem appello, non a meipso, sed dicta ipsius sequutus. Dixerunt illi aliquando, *Mater tua et fratres tui quærunt te.* Ait Salvator, *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater et soror et mater est* (*Matth.* 12. 47-50). Si vero mater ejus est, utique filius matris est, qui hac appellatione justitiam exornavit. Fiat igitur omnis anima Christi mater secundum affectum. Quomodo mater Christi? Omnis anima in seipsa Christum parturit: nisi vero pietate fuerit transformata, mater Christi non potest vocari. Cum exceperis verbum Christi, et illud in tua mente formaris, ac tamquam in utero ratiocinatione transformaris, ipsius mater appellaris. Atque ut intelligas in unoquoque formari Christum, et matrem Christi, verbi inquam nimirum Christi, animam cujusque nostrum fieri; sic ait Paulus: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* 4. 19). Operatus es justitiam? In anima Christum formasti. Eleemosynam impertiisti? Figuram veritatis formasti: non quod in singulis Christus formetur; Christum enim verbum pietatis appellat, cujus opera figuram recipimus veritatis. Eleemosynam erogasti? Christum efformasti. Justitiam exercuisti? Efformata est in te figura veritatis. Illud ergo perpendendum est qua ratione Christum nos reddere fratrem nostrum oporteat. Rerum ipsum tuarum consortem assume. Non vis illi cuncta largiri? Saltem illi da dimidium, ut Zacchæus: ipsi enim, inquit, dedit Zacchæus, non pauperibus. Verum audi illud, *Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo* (*Prov.* 19. 17). Si pauperibus dederis, Christo dedisti. Nescis, cum quæ data sunt, in se recipere? nescis quomodo terribile tibi tribunal proposuerit, dicens: *Cum venerit Filius hominis* in regeneratione, *statuet oves quidem a dextris, hædos autem a sinistris: et dicet iis qui a dextris erunt, Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum: quoniam esurivi, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* 25. 31. 33. 34).

5. Vide ut ille cui per pauperes fœneratum est, debitum fateatur. *Sitivi, et dedistis mihi bibere; nudus eram, et operuistis me.* Itaque si speciem quidem apparentem species, nudum induis; re autem vera Christum operis. Indue Christum, ut in judicii die te induat: tege illum, ut in die iræ te protegat: audi Davidem dicentem: *Protexit me in abscondito tabernaculi sui* (*Psal.* 26. 5). Protectione opus est; invadit ignis ille formidabilis, gehenna inevitabilis; ac nisi Christi manus protexerit, ignis alienum agnoscet. Novit enim apprehendere alienos, novit honorare sanctos; pietatem reveretur, impietatem invadit. Illic non opes, non pecuniæ persuadent, non potestas, non principatus: omnia æqualiter ante tribunal Christi astant. Etsi enim apud homines sint discrimina, tamen apud Dominum æquali in honore sunt omnia, etsi multum inter se sint diversa. Angeli et hominis quanta diversitas? Magna plane atque non vulgaris. Solis et lunæ atque stellarum quantum discrimen? Atqui ad eamdem adorationis legem simul vocantur. Quantum discrimen herbæ, angelorum et animalium? Hæc quidem immortalia sunt, illa vero mortalia; at horum unumquodque sub jugo servitutis dominatum agnoscit. Propterea David etiam ea, quæ conditione distincta sunt, connectit concentu atque concordia, dicens: *Laudate Dominum de cœlis; laudate eum in excelsis; laudate eum omnes angeli ejus omnes virtutes ejus, sol et luna* (*Psal.* 148. 1-3). Etsi enim subjecta et inferiora sunt conditione atque ordine, servitute tamen unita sunt. Non aliter atque, fratres, in mundo dignitates sunt illæ quidem inter se distinctæ, uno autem jugo servitutis unitæ sunt (omnes enim capita regi submittunt, omnes metuunt potestatem; atque inter dignitates discrimen est, apud servos autem concordia): sic et illic homines omnes æquales, soli vero inæquales, qui antecellunt, qui pietate collucent. Quocirca recte dixit Daniel: *Aspiciebam in visione noctis, et* ecce velut *antiquus dierum sedebat* (*Daniel.* 7. 9). Hic attende, quæso, diligenter quo pacto tamquam incorporea imagine ac specie Judicem veritatis describat et narret. Nam quoniam incorporeus est naturaliter Deus, tamquam in imagine per res sensibiles, spiritales describit. Ait igitur, Velut *Antiquus dierum*, non tempore inveteratus, sed antiquitate honoratus: *Vestimentum ejus candidum quasi nix, capillus capitis ejus quasi lana munda: thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis ardens. Fluvius ignis trahebatur in conspectu ejus; mille millia astiterunt ei, et dena millia denum millium ministrant ei* (*Ibid.* v. 10). O tremendum tribunal! o narrationem, quæ vel stolidis terrorem possit incutere! Si adeo terribilia sunt, dum audiuntur, quanto terribiliora erunt, dum spectabuntur? *Et aspiciebam in visione noctis, et ecce libri aperti sunt, et throni positi sunt* (*Ibid*).[1] Throni;

[1] Codex unus habet, *cognatio*, pro, *nobilitas*; non male.

[1] In Savilio sic effertur totus hic locus: *Throni? cuinam? Hic attentione opus est. Si judex veritatis in throno*

quibusnam, nisi sanctis apostolis, ad quos dicebat Salvator : *Cum venerit Filius hominis in gloria sua, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* 19. 28. *et* 25. 31)? *Libri aperti sunt* : libri; in quibus scripta sunt mala, in quibus scripta sunt bona, in quibus scripta est cujusque vita. Librum autem vocat, non quod pellis ac membrana sit apud Deum et literæ, sed quoniam apud te liber memoriæ est instrumentum, Dei memoriam tamquam in libro positam narrat : libro siquidem Deus non indiget : liber enim Deo est memoria. Non, quia nos homines cum prophetas, apostolos, evangelia legimus, in corde memoriam non circumferimus sine libris, Deus libro eget : libro non indiget fons memoriæ. Ibi scribuntur virtutis opera, ibi prava scribuntur. Ne tibi timeas inde præjudicium; licet perversa tua perscripta sint opera, bonis operibus possunt deleri : uti rursus si cujus inibi nomen pietatis ergo perscriptum sit, moribus autem abnegarit, nullum ex eo fit præjudicium quod scriptum sit, sed deletur. Ut autem intelligas deleri eum, qui propter pietatem inscriptus sit, et propter socordiam ejectus, de Judæis dicit David, qui scripti olim fuerunt, ac deinde deleti : *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur* (*Psal.* 68. 29). Quemadmodum infideles delentur, ita scribuntur fideles. Audi Paulum dicentem : Salutate dilectos nobis fratres, et comparem *Cum Clemente et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ* (*Philipp.* 4. 3). Timeamus librum illum : time ne tua perscribantur peccata; cogita, quo pacto afficiaris coram judice, si adversum te aperiantur peccata; cogita, quo pacto afficiaris coram judice, si contra te commentarii, quibus iniquitas tua contineatur, coram magistratu aperiantur, quibus tua dementia publicetur; cogita, quantus timor, quantus tremor invadat te, quomodo membra contremiscant, quomodo interiora omnia concutiantur, homine judicante. Quod si homine judicante tantus est timor, quis illum timorem queat enarrare, qui tum ingruet, cum universum orbem terrarum Dominus omnium judicabit? Hæc a nobis dicuntur, non ut terrorem incutiamus, sed ut ad meliorem mentem traducamus. Ne præferantur Christo pecuniæ; ne Deo injustitia et avaritia præferatur. Audisti quæ jam ante dicta sunt, usque ad sepulcrum bene agendum esse? De his hesterno die sermonem instituimus. Quid exspectas sepulcrum, ut tibi fiat tuæ vitæ finis? Exspecta sepulcrum, finem vitæ, ut per præsentem ad futuram transveharis : dilige justitiæ opera : sepulcrum est, in quo dissolvimur; sepulcrum in quo vas terrenum deletur. Fugiamus illud judicium futurum, obsecro, fratres. Hæc patientes dicere, patientes audire oportet : justitiæ desiderium recipiamus. Vide, ut clamet propheta : *Hei mei in diem Domini, quia prope est dies Domini* (*Joel.* 1. 15). Si propheta, dum diei recordatur, tremit : nos qui sexcentorum sumus peccatorum rei, sine tremore recordabimur? Placemus judicem pœnitentia; peccata nostra deleamus; terribilem illam vocem reformidemus dicentem, *Qui negaverit me coram hominibus* (neque vero is qui verbo negat, sed qui moribus negat), *negabo et eum coram Patre meo. Qui me confessus fuerit, confitebor et eum ego coram Patre meo* (*Matth.* 10. 33. 32). Si verba dum expenduntur, terribilia sunt, nonne res ipsæ multo terribiliores erunt dum cernentur? Pone tibi ante oculos, mi frater, orbis terrarum Judicem considentem, astantes angelos, apparitorum vices obeuntes archangelos, Cherubim collaudantes, virtutes illas mundo superiores, exercitus illos supercælestes, atque in his omnibus patriarchas, prophetas, apostolos, evangelistas, martyres et hujus mundi reges, magistratus, judices, principes, divites, pauperes, idiotas, sapientes, omnes istos ante tribunal stantes, et in tot testium cælestium terrestriumque conspectu dicentem Judicem, et apud Patrem alienos abnegantem : *Negabo* enim *eum*, inquit, *qui me negaverit, coram Patre meo* (*Matth.* 10. 33).

6. Intuere illum animo, dicentem : Pater mi, hic meam fidem neglexit, hic meos servos persequutus est, hic meam Ecclesiam injuriis affecit, hic meos ignominiose traduxit, hic sermonem meum respuit, hic mei verbi prædicationem conculcavit. Hæc autem dicit, non ut ignorantem doceat Patrem, sed ut adversarium accusatione traducat. Cogita, quo pacto dicat judex, cum advocarit nobiles terræ compedibus alligatos : *Ad alligandos*, inquit, *principes eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis* (*Psal.* 149. 8); ut adstent cum timore principes judicandi, et Salvator dicat : Isti verbum meum veritatis repudiarunt, isti meam legem respuerunt, isti mandatum meum irritum reddiderunt, isti apostolos suppliciis affecerunt, isti matyres tormentis vexarunt. Hæc sunt quæ dicit. Interea vero, dum Rex loquitur, cogita quo pacto angeli adstantes terrorem aspectu, horrorem minis incutiant, vel solis oculis peccatorem necantes : cogita, ut angeli indignentur, commoveantur archangeli, concutiantur virtutes, Pater indignetur, Spiritus sanctus excandescat; ille vero ingenti cum ignominia ejiciatur, neque tantum a salute excidat, sed in damnationem trudatur. Enimvero tremendum est non modo non salvari, neque regnare, sed et ignibus tradi. *Qui vero confessus in me fuerit, confitebor in eo* (*Matth.* 10. 32. *Luc.* 12. 9). Cogita, quanta gloria, quantus honor, quanta corona illa futura sit, cum judex dicet : Hic verbum meum servavit, hic fidem meam prædicavit, hic sermonem meum confirmavit, hic pauperem meum non despexit, hic avaritiam conculcavit, et justitiam illi prætulit; hic mundum quasi non esset, derisit, et futurum mundum adamavit; hic regnum meum divulgavit, hic verbum meum honore affecit : affice illum honore, mi Pater. Verum hæc nos cum dicimus, et oratione affectus exprimimus, non dividimus dignitatem divinitatis, neque partimur potestatem; sed hac specie accusationis indignatio judicis demonstratur : atque hæc omnia ad salutem quidem eorum qui confitentur, ad condemnationem vero eorum qui non credunt, referuntur. Illud porro est omnium formidolosissimum, cum tibi in mentem venerit stare Michaelem et Gabrielem omnesque angelicos exercitus, sedere autem filios Zebedæi, sedere Paulum et Petrum, qui sunt ex hominibus : angelos vero cum metu adstare, et homines cum fiducia considere. Cogita adstantes angelos et piscatores et publicanos sedentes, et dicamus nos quoque cum illis : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine* (*Psal.* 30. 20)! Sedet Zacchæus, sedet Paulus et Petrus, et Michael adstat. Non peregrina nomina commemoramus, sed eorum quæ scripta sunt, vestigiis insistimus : non enim angelorum nomina didicimus, sed ea quæ scripta sunt, sequimur. Nulla est invidia, nulla æmulatio : non enim res sunt terrenæ : non ægre ferunt angeli quod ita stent quidem ipsi, homines vero consideant : sanctorum quippe gloriæ sunt consortes. Audi Dominum dicentem : *Amen dico vobis, gaudium erit coram angelis super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* 15. 10). Diligamus igitur gloriam Christi, eam vero quæ ut somnium præterit, aspernemur. Dictum enim vobis est heri, quo pacto gloriam mundi propheta somnium appellarit. *Erunt*, inquit, *opes impiorum, ut somnium* (*Isai.* 29. 7). Nihil enim a phantasmatibus præsens rerum status differt. Qui hesterno die prospera valetudine fruebatur, hodie morbo conflictatur : qui hesterno die potestate pollebat, hodie ad humilitatem dejectus est; qui heri divitiis abundat, hodie premitur egestate : qui heri superbe efferebatur, hodie contemptus jacet. Omnia concutiuntur, omnia commutantur, neque res humana tantum dico; sed et *Cœlum*, inquit, *et terra transibunt, verba autem mea non transibun* (*Matth.* 24. 35). Idcirco beati christiani, qui etiam in dignitate positi

sedeat, et thronus ejus sit flamma ignis, de quibus ergo thronis loquitur Daniel? « Aspiciebam, et ecce throni positi sunt et libri aperti sunt. » Quibusnam positi sunt throni nisi sanctis apostolis

humiles sunt. Humilis fuisti in dignitate? Nihil tibi damni infert humilitas: talem enim te reperit, qualis esse debes. Si antevertens, teipsum ante humiliationem humiliaveris, nihil inusitati ac novi perficiet adversum te humiliatio, sed mente paratum ad prælium disponet. Recte igitur dicebat David: *Paratus sum, et non sum turbatus* (*Psal.* 118. 60). Fugiamus itaque arrogantiam, fugiamus inanem gloriam: diligamus Christum, et pauperes propter Christum, ut omnes qui ditat, qui omnium miseretur, multitudinem Ecclesiæ largiatur, ut abundet pietate, ut justitiæ cultorem obtineat, qui hesterno die dispensationis alterius causa abfuit a nobis, nobiscum autem est propter sollicitudinem spiritualem. Non enim Judaicus ille erat populus, ut dicam fuisse populum tamquam oves non habentes pastorem (2. *Paral.* 18. 16), sed apostolicus erat, evangelicum habens pastorem qui dicebat: *Etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens, et videns firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ* (*Col.* 2. 5); cui gloria et potestas, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO

IN SERMONEM SEQUENTEM.

Hujus nullum Codicem manuscriptum vidi. Edidit Fronto Ducæus, sed, ni fallor, initio mutilum. Savilius autem cum hanc orationem ex Mss. Orientalibus descriptam haberet, indignam luce putavit, ejusque solum titulum et prima sermonis verba protulit hoc pacto T. 8, p. 857: Εἰς τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν θεολόγον, *In sanctum Joannem theologum*. Init. Ἰωάννης σήμερον ὁ εὐαγγελιστής, *Joannes hodie evangelista*. Hoc autem vere initium esse arbitror, quod in hac quam edimus desideratur: hoc quippe præmisso, sequentia quadrabunt; hoc dempto, mancum est initium. Sed sine auctoritate illa addere non ausi sumus. Jure porro hanc orationem prætermisit Savilius, utpote indignam quæ legatur: nam est otiosi cujusdam Græculi, ut nemo non videt.

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

EJUSDEM SERMO DE SANCTO JOANNE THEOLOGO.

1. Joannes in Asiæ urbe Epheso, Joannes Asiæ decus, vel potius orbis terrarum columna, Joannes dilectus Christi discipulus, et Dei Verbi tuba, Ephesiorum gloria, et extremorum orbis finium præco, theologiæ cithara, Theologus merito appellatus: Cherubicum os, et Seraphicum mysteriorum oraculum, vel etiam his majus dicere non dubitabo. Quem enim supernæ angelorum virtutes tremore glorificant, Joannes magna voce cum fiducia prædicavit: *In principio erat Verbum* (*Joan.* 1. 1). Beata es, civitas Ephesiorum, quod in te primum a Deo prolatum ejusmodi tonitru insonuerit: beata es civitas Ephesiorum, quod in te tale volumen sit compositum: beata es, quod talis in te Joannes sit inventus. Atque alii quidem Joannes in toto orbe terrarum, et in te fuerunt; sed nullus talis Joannes, neque in te, neque in toto orbe terrarum. Quamobrem is, cui mentes hominum sunt perspectæ, qui cordis novit occulta, cum talem eum offendisset, sanctum et impollutum, ratione vitæ sublimem, corde purum, castitate decoratum, in caritate perfectum, huic tamquam inter omnes fideli credidit matrem suam, tradiditque columbam immaculatam, agnam impollutam, vitulam incorruptam, eam quæ inter homines incomparabilis, quæ omnibus est excelsior Dei creaturis: quod alii nulli sanctorum est creditum. Beata es, civitas Ephesiorum, quam talis viri pedes calcarunt, cujus puram conversationem ac vestigia ipsi angeli suspexerunt: beata es, civitas Ephesiorum, quæ propter Joannem dilectum prima quavis urbe sublimior es reddita: beata es, quod omnes orbis terrarum Ecclesiæ tuæ sint discipulæ, utpote quæ theologiam istam ex te didicerint. *In principio erat Verbum*. Nam quemadmodum, si quopiam in loco lucerna fuerit, atque ad eam omnes accurrant, inde quisque sua face accensa discedit securus, ac deinceps absque ulla offensione vel errore incedit: sic et Ephesi accidit. Prima tu lucernam theologiæ accendisti, tum omnes orbis terræ finium Ecclesiæ cum ad te accurrissent, singulæ suam theologiæ lampadem accenderunt, et gaudentes reversæ sunt. *In principio erat Verbum*. Et Epheso tamen proprium theologiæ lumen imminutum non est, et orbis terrarum æqualia rétinens lumina prædicat: *In principio erat Verbum*. Porro illius etiam certamen et labores operæ pretium fuerit in medium afferre, quantum in nobis situm fuerit, pauca de multis: nam ad omnia ejus recte facta commemoranda nullum nobis tempus sufficeret. Ac plurima quidem ex libro Actorum audivimus, quæ dum versaretur cum apostolis, præclare decertans præstitit; deinde vero a Domitiano Romanorum Imperatore pulsus in exsilium, in insulam, quam Patmon appellant, venit propter verbum Dei, et prædicationem pietatis, Ecclesiamque conscribit, quam ostendit illi Deus, et Apocalypsin arcanorum terribiliumque mysteriorum, ac deinde tres sanctas suas Epistolas. Tu vero mihi ineffabilem Dei bonitatem perpende, qui ubique terrarum cum iis, qui ipsum diligunt, peregrinatur, sive in carcere detineantur, sive in exsiliis versentur, sive in profundo maris, sive in lacu sint inclusi, sive quemcumque sint in locum detrusi, separari ab illis nequit, sed in pugna succurrit, eosque corroborat, ac laboribus levat. Postea vero quam ab exsilio reversus est, pervenit Ephesum, ibique commorans Evangelium conscribit, cum esset annorum centum, et usque ad totos centum viginti vitam propagavit (*a*). Ibi cum versaretur, Theologiam conscribit, vel potius in cælis unde illam accepit: talium enim conversatio est in cælis. Dum Ephesi degeret, in carne, theologiæ sagenam in ultimas orbis terrarum oras expandit dicens: *In principio erat Verbum*. Vere *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus* (*Psal.* 146. 5): qui dixit apostolis, *Ego dabo vobis os et sapientiam* (*Luc* 21. 15). Quam multi reges, et principes, et sapientes vociferati sunt sæpenumero magna virtute, sed eorum vox ne ad mœnia quidem urbis pervenit? At pauper et piscator hic Ephesi proloquutus est, *In principio erat Verbum*, et totam terram vox ista operuit. Vidisti os voce quavis sublimius? vidisti linguam quovis fulgure celeriorem? vidisti vocem quovis tonitru clariorem? vidisti talem virtutem? doctorem qui ab Epheso gentes omnes erudit, et theologiam docet: *In principio erat Verbum*. Hæc nimirum vox orbem terrarum piscata est, eumque concussum stabilivit: hæc vox mundum illuminavit, et contra adversarium corroboravit: hæc vox est plerorumque resurrectio et salutis conciliatrix, quorumdam vero ruina et eversio

(*a*) Nonaginta quatuor ætatis annos Joanni tribuit Epiphanius, l. 1, 12. Qui vero centum viginti annos emensum dixerit, neminem vidi præter hunc anonymum.

propter signum cui contradicitur: eorum quidem qui credunt, eum in principio fuisse, resurrectio; eorum vero qui dicunt, eum fuisse creatum ex nihilo, ruina et silentium. Magna enim tunc hæreticorum multitudo insurrexerat, qui Ecclesiam perturbabant, et iniquitatem adversus Excelsum loquebantur, dicebantque fuisse tempus cum non esset, et antequam fieret eum non fuisse, et ex non exstantibus eum factum esse. O improba ora, et linguæ detestandæ, ac labia aspidum veneno repleta! Quid hac blasphemia pejus? quid hac impietate ignominiosius? Quapropter apostolus Joannes cum istorum improbas voces patienter audire non posset, Evangelium componit, et ingentem thesaurum Ecclesiæ commendat, quartum nempe fluvium et pretiosam margaritam. Cum enim ab exsilio, ut dictum est, Ephesum reversus esset, ac deinceps animadvertisset, reliquorum evangelistarum libros absolutos esse, et omnem fere a Deo inspiratam Scripturam ad ædificationem Ecclesiæ, deesse vero quartum orbis terrarum fundamentum, et neque fieri posse ut absque illo terrarum orbis subsistat, sic apud se cogitabat dicens: Quid differo? quid cunctor amplius? cur non illud absconditum a sæculis mysterium in medium profero? cur in meipso sapientiam illam æternam occulto, quam recumbens ex immortali fonte hausi? cur non divulgo, quem angeli ignorant? cur non ultimis terrarum oris eum revelo, quem nemo novit, nisi Pater? cur non scribo quod Matthæus et Marcus et Lucas ex laudabili quodam metu silentio præterierunt, cum ea quæ sibi mandata fuerant, perfecissent? Quamobrem loquar ego quoque juxta concessum mihi desuper donum. Matthæus quidem quantum licebat secundum propriam virtutem scripsit; Marcus autem et Lucas similiter secundum Spiritus sancti largitionem libros suos pro Dei dignitate conscripserunt. Scribam ego quoque ac prioribus quartum vitæ fontem adjiciam. Deest quippe ad id, ut vocem habeamus ad numen commendandum idoneam, sermo de theologia; et mundus ab hac parte periculo non caret. Librum itaque scribam, per quem obstruetur os omne quod loquitur adversus Deum iniquitatem: scribam librum, qui omnem quæ in mundo est sapientiam obscuret: scribam librum, qui non de homine narrationem instituat. Neque enim Ecclesiæ desunt, quæ scripsit de his Moyses, de cælo, et de terra, et mari et volucribus et piscibus, et quadrupedibus et serpentibus et plantis, et seminibus et luminaribus, et cibis et cæteris creaturis: ego vero omnibus, quæ a tempore et in tempore facta sunt, prætermissis, de eo loquar, qui sine tempore est et increatus, qui ante omnia sæcula ineffabiliter ex Patre genitus est Deus Verbum, de quo Moyses iste verba facere minime potuit: at ego *Omnia possum in eo qui me confortat* (*Philipp.* 4. 13), nempe Christo. Hæc apud se considerans Joannes apostolus, et scriptorium calamum manu tenens, ac mente volvens unde initium duceret de divinitate verba faciendi, anima quidem gaudens, sed manu tremens in sublime tollitur, et corpore cum esset Ephesi, corde puro ac spiritu raptus in altum erat. Derelicta igitur universa terra, fusum in medio aerem penetravit, stellarum ordines præteriivit, angelorum exercitus prætervectus est, archangelorum choros omnesque spirituales virtutes, Cherubim et Seraphim agmina et omnia quæcumque producta sunt ex nihilo, dereliquit, omnesque cælos transcendit, et quæcumque non erant prætergressus est. Appropinquavit limitibus eorum quæ nemo assequi potest, nec ullus obstitit nec impedivit ejus ascensum. Nam quicumque corpore est immaculatus et corde purus et anima innocens et humilis spiritu, neque ab aeris spiritibus impeditur, neque a cælestibus potestatibus in supernam ascendere Jerusalem prohibetur, ubi cuncti beati congregantur, sicut hic beatus apostolus minor Joannes, et magno sancto Joanne major. Per omnes ergo pertransiit, nec ullus se illi opposuit. Angeli quippe cernentes hominem de terra progressum, angelis gloriosiorem, nihil habentes quod dicerent, conticescebant: angelorum vero chori alterum de terra angelum, virginitate illustrem, sanctitate repletum, corde purum, suavi odore redundantem retinere non ausi sunt. Cælorum portæ rursus insuetatum vultum videntes glorificatum, qui sacros radios solaribus splendidiores emittebat, et eum esse suspicantes, quem diligebat Jesus, qui supra pectus ejus multa cum puritate recubuerat, unde tanta illum gloria circumfudit, subito reseratæ ingressum permiserunt. Tum ad ea deinceps pervenit quæ inaccessa erant; supremum profundum attigit. Quid igitur ad hæc dicemus? Vera est illa vox divina prophetæ ore prolata. *Sed ego eos, qui me glorificant, glorificabo* (1. *Reg.* 2. 30); quemadmodum et de hoc Dei pater David prophetavit: *Dei fortes terræ vehementer elevati sunt* (*Psal.* 46. 10): et rursus, *Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificavit Dominus omnes voluntates suas in eis* (*Psal.* 15. 3). Quod enim majus est hoc miraculum, in tantam evehi sublimitatem terrenum hominem? Cum multa fiducia, et quantum spectari possibile est, spectavit, et ad ulteriora contendere si voluisse." *Quem nullus hominum vidit, sed neque videre potest* (1. *Tim.* 6. 16), ut Paulus apostolus scribit: quemadmodum et Joannes ipse similia: *Deum nemo vidit umquam* (*Joan.* 1. 18). Quid igitur ad hæc dicemus? Paulum quidem recte scripsisse, cum dixit: *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* In hac enim vita non licet secundum hominum facultatem, neque secundum naturam, sed supra naturam, neque servitutis hoc est, sed filiorum adoptionis et amicitiæ (*Vos enim amici mei estis, non jam vocabo vos servos* [*Joan.* 15. 14. 15]); neque non pura, sed pura, et ablata, prout ad illos ait vox divina: *Vos mundi estis* (*Ibid.* 13. 10): at qui corde sunt mundi, Deum videbunt (*Matth.* 5. 8). Hæc ergo maxima et divina dona præ se ferens Joannes, et confidenter ad excelsa progrediens, ad immensum pelagus illud pervenit, et impollutis sui cordis oculis contemplans in sinu Patris initio carentis Verbum, et ipsum initio carens, quod ante sæcula ex Patre ineffabiliter natum est, nec jam valens in seipso gaudium illud inenarrabile continere, sanctum et seraphicum os suum aperuit, et magna voce proclamavit, dicens: *In principio erat Verbum.* Vide, quæso, prudentiam piscatoris, considera hominis illiterati sapientiam. Vidistin' doctoris inexplicabilem sublimitatem? Ephesi residebat, et quæ supra cælos sunt, contemplabatur? Spiritu ad supernum illud profundum commigravit, et cum e paterno sinu theologiam expiscatus esset, corpore in terris scripsit: *In principio erat Verbum.* Audite, fideles, et confirmamini: *In principio erat Verbum*; audite, lingua petulantes adversarii, et erubescite: *In principio erat Verbum*: nolite amplius confidenter loqui, blasphemi, nolite amplius Ecclesiam oppugnare, Antichristi, non amplius inique agite, non amplius exaltate cornu, *Neque extollite in altum cornu vestrum, neque loquimini adversus Deum iniquitatem* (*Psal.* 74. 5. 6), dicentes: Fuit tempus, cum non erat, et antequam fieret, non erat, et ex non exstantibus factus est. *Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* (*Psal.* 33. 14). Ipse enim erat, et ante erat, et semper erat, neque initium habens, neque esse desinens, neque in tempore est qui expers est temporis, neque creatura, vel figmentum: ipse quippe Creator est et Conditor universorum, cum eorum quæ aspectabilia sunt, cum eorum quæ aspectabilia non sunt. *Omnia enim per ipsum facta sunt* (*Joan.* 1. 3). Vere nunc tempus est, ut propheticum illud dictum usurpemus: *Hic est Deus noster; non æstimabitur alius ad eum* (*Baruch.* 3. 36). *Adinvenit omnem viam scientiæ, et dedit eam* Joanni *dilecto suo*. Vide enim, quæso, quo pacto per unam vocem universum *Orbem terræ correxit, qui non commovebitur* (*Psal.* 95. 10): intuere mihi unum hominem Ephesi sedentem, et mundum universum theologiam docentem: considera quam multæ in Oriente civitates, quam multæ

regiones, quam multæ sint Ecclesiæ : quam multæ rursus ad solis occasum, et magnam Romam similiter, et ad latera partesque australes, et regionem Cappadocum, et quæ interjecta sunt omnia, insulas, deserta, et fines terræ. Cogita rursus Ecclesiarum multitudines, clerum, et turbas populi, virorum, mulierum, si forte dinumerare istos possis. Verum arenam maris dinumerare facilius fuerit, quam tot turbas. Et hi omnes discipuli sunt Joannis, de divinitate verba facere ab illo edocti : *In principio erat Verbum:* et in foro hoc decantant, *In principio erat Verbum;* et viatores, et qui navigant, et qui nauticam artem exercent, hoc concinunt, *In principio erat Verbum;* et in desertis, in montibus, tam imperiti quam sapientes, et parvi et magni, et quicumque hæc intelligit, de divinitate loquens ait, *In principio erat Verbum:* ac deinceps dum ubique numerus auctus est eorum qui indefesso ore clamant, Erat et erat; defecerunt qui dicunt, Non erat. Qui de divinitate loquuntur, multiplicati sunt; et qui vana loquuntur, defecerunt; pii profecerunt, et impii offenderunt; fideles exhilarati sunt, et infideles labefacti sunt. *Arcus potentium infirmatus est, et infirmi accincti sunt robore* (1. *Reg.* 2. 4). Quæ stulta sunt mundi, redarguta sunt, et sapientes mundi destructi. Verum quousque tandem de illis verba facere non cesso? Licet enim diutius sermoni huic immorer, sublimitatem gloriæ istorum assequi minime potero. Quam a Patre gloriam præceptor accepit, eam illis tradidit. Cur ergo diutius insistam enarrandis iis, quæ nequeunt oratione describi? Nam et hæc ipsa quæ dicere ausi sumus, non pro dignitate propositi chori sanctorum discipulorum prolata sunt, sed quantum in nostra potestate situm fuit: siquidem dignis eos celebrare præconiis nullus omnino mortalium potest. Quamobrem ego cum timore loquor, ea quæ de illis loquor, ne forte propter imbecillitatem meam, ac sermonis jejunitatem et egestatem, eorum laudes imminuam, et illorum indignationem in meipsum commoveam. Verum ut misericordes sunt erga omnes, nunc quoque nostræ ignoscent imbecillitati (1. *Cor.* 12). Si enim conviciis affecti benedicunt, persequutionem passi sustinent, et opprobriis onerati obsecrant, multo magis a nobis pro viribus laudati minime indignabuntur, cum illis naturæ imbecillitas sit explorata; licet jam Dei beneficio, qui dilexit eos, supra naturam sint evecti : et deinceps qui quondam pauperes erant, evaserint divites, et obscuri sint illustres, et illiterati sapientes, piscatores piscium, mox hominum piscatores : et ita cursu consummato ad vitam nullo fine terminatam commigrarint ad Doctorem suum et Dominum Jesum Christum : ipsi gloria. Amen.

2. Qui suis successoribus sagenas et retia tradiderunt, et potestatem quam acceperant ab eo, qui potestatem habet omnem in cælo et in terra. *Ecce* enim, inquit, *do vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem potestatem inimici, et nihil vobis nocebit* (*Luc.* 10. 19). His igitur in potestate et principatu et zelo succedunt, ut ante dictum est, venerandi doctores, sacrorum antistites, et Christi gregis pastores, vestigiis apostolorum insistentes, generosi Trinitatis propugnatores, qui prætermisso legis statu et vivifico Spiritu accepto, ad modum aratri sulcant, profunde excavant, et scrutantur, sensumque Scripturæ sacræ omnibus aperte declarant; qui fidem illustrant, et prava dogmata exterminant, qui rectæ doctrinæ defensores sacris dogmatibus firmant, et doctrina minime sana infectos jaculis divinis confodiunt; qui cum vinum compunctionis mixtum invenissent, sitientem gregem potarunt, et assumpta tibia pastorali, divinis cantibus eum oblectarunt: ministri et custodes, et operarii vineæ, sacrorum dogmatum prædicatores, et gladii adversus hæreticos, qui positi sunt a Spiritu sancto episcopi, ut ait sanctus Paulus : *Pascite Ecclesiam Dei* (*Act.* 20. 28): qui ingruentes tribulationes non refugerunt, qui promissam coronam vitæ reportarunt, qui juveniles cupiditates evitarunt, et beatam spem hæreditate possederunt : magni Regis militiæ principes, Dei verbo divites, et spiritu pauperes; imitatores apostolorum, et formæ fidelium; civitatum rectores, et orbis terrarum præcones; qui animas suas pro grege posuerunt, et pro fide sanguinem suum fuderunt; qui veterem illum Abrahamum imitati sunt, et in ejus sinu requiem invenerunt; eodem modo et isti defensores Domini sententiam excipientes de abominandis et nefariis hostibus fidei, qui Scripturas torquentes ac depravantes, veritatem obscurant, atque a recta via deflectentes captivas abducunt animas, et in æternas hæresis tenebras pertrahunt, congregati omnes unanimiter fideles Davidicum zelum præ se ferentes, et tamquam lapides de torrente, hoc est, ex Evangelio, sacra eloquia, simulque inviolatam sanctæ Trinitatis fidem sumentes adversus innumeros et impios hæreticos unanimes bellum indixerunt, unaque conspirantes cum apostolo dixerunt : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium* (*Ephes.* 4. 5. 6); unus Spiritus sanctus, illuminatio cunctorum, una divinitas, unus Deus : ipsi gloria et imperium omni tempore, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN HOMILIAM DE NEGATIONE PETRI.

Ad unius Ms. fidem edita fuit hæc homilia : indeque est quod non pauca sint loca, ubi oratio vel deficit, vel lacera est, vel verbis constat dubiis, et ut credere est, labefactatis : illud tamen sine magno reipublicæ literariæ dispendio. Est quippe longe humiliore stylo descripta, figuris, exclamationibusque ad nauseam usque redundans. Quamobrem a criticis omnibus inter spuria opera censetur. Hinc tamen excipienda moralis exhortatio illa pulcherrima, qua homilia concluditur, quæque ex Chrysostomi Homilia tertia in illud, *Habentes eumdem Spiritum*, Tomo 3, col. 299, excerpta fuit : et temere assuta huic opusculo, vel primo conspectu comprobat, quanta sit inter illum nescio quem Græculum et tantum doctorem differentia.

Interpretatio Latina est Frontonis Ducæi.

DE NEGATIONE PETRI, ET DE CRUCE, ET QUO PACTO JOSEPH FUERIT FIGURA CHRISTI, HOMILIA.

1. Necessarium est hoc tempore, ut et Joseph debitum persolvamus, et crucis gloriam demonstremus. Hodie et Joseph coronatur, et crux plantatur : hodie et Petrus negat, et latro lætatur : hodie et lex adimpletur, et prænuntiatus a prophetis Christus collaudatur, ac proprie dictum illud impletur, quod de Dominica morte inquit : *In laqueo suo comprehensus est* peccator (*Psal.* 9. 16). Et quisnam est iste

peccator? Peccati inventor diabolus. Et quisnam laqueus ab ipso paratus? Crux, et nihil aliud : ipse siquidem Judæos ad fabricandam crucem incitavit, ratus se dolis capturum eum, qui dolis capi non potest, et morte circumventurum eum, qui inter mortuos est liber : non intelligens alienus ille crucem stimulum peccati obtundere, ac fore, ut ea caput ejus insolentiæ confringat, os ejus blasphemiæ obturet, pennas incursionis ejus evellat, ac desertum et egenum desertis ostendat. Hodie quoque prophetæ Davidis impletur oraculum, *Testimonium in Joseph* (*Psal.* 80. 6) : hoc est, Dominus in Joseph multo ante depingebatur ac præfigurabatur, in iis quæ in novissimis diebus erant eventura. Multa namque similia in Joseph et in Domino reperiuntur; exempli causa : Joseph a propriis consanguineis suis appetebatur insidiis (*a*)... Joseph tunica varia est exutus; quam habuit Dominus desuper contextam milites distribuunt. *Partiti sunt* enim, inquit, *vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem* (*Joan* 19. 24. *Psal.* 21. 19). Joseph apud patrem accusatus est : pari ratione Dominum quoque apud Patrem calumniati sunt, Judæi quidem, dum fabri filium ipsum dixerunt : rursus autem parasiti Judæorum hæretici, dum alterius eum esse substantiæ suis astruunt documentis. Joseph Ismaelitis est venditus; Dominus a Juda Pharisæis : Joseph in vacuam cisternam injectus, ascendit illæsus; Dominus in monumento novo sepultus, tertio die resurrexit. Sed quid pluribus opus est? Joseph Ægyptiam infamavit, Dominus synagogam dehonestavit : Joseph a fratribus agnitus est; Dominus post resurrectionem discipulis est manifestatus : Joseph in carcere cum duobus eunuchis inclusus, illis somnia declaravit : unus quidem ex ipsis a volucribus devoratus est, alter vero in patriam suam restituitur : Dominus cum duobus latronibus crucifixus, incredulum quidem in escam gehennæ transmisit, fidelem autem paradisi principem civem constituit (*b*).... ; Dominus autem Patri quadrijugem evangelistarum currum exhibuit : Joseph a bestiis devoratus nuntiatus est, et tamquam rex præconis voce renuntiatus; Dominus tamquam homo crucifixus est, et tamquam Deus glorificatus. Audi vero aliam etiam prophetiam ad crucem pertinentem : *Ascendens in altum, captivam duxisti captivitatem; et dedisti dona hominibus.* Quodnam illud est altum? quis ille ascendens? quænam captivitas? quænam sunt dona hominibus? Altum est crux pretiosa, propter incomprehensibile mysterium : ascendens, Christus Dominus; *Qui* enim *descendit ipse est et qui ascendit.* Quid porro est, *Captivam duxisti captivitatem* (*Ephes.* 4. 10)? Hoc est, Eos, qui antea detinebantur a peccato, veniens Dominus per gratiam reformavit, dans dona hominibus. Quænam dona? Peccatorum remissionem, adoptionis munus, regni hæreditatem, immortalitatis specimen, et pignus ad dexteram sessionis. Quis vero testis huic rei? Dominus ipse, qui dixit : *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum* (*Joan.* 12. 32); hoc est, Cum fuero crucifixus, tunc in me omnes credent. Audivisti paulo ante aliud ad crucem spectans testimonium evidentius Isaiæ prophetæ clamantis ac dicentis : *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sine voce* (*Isai.* 53. 7). Quæ tandem est ovis? quis agnus? quæ occisio? quæ tonsura? quinam sunt mactatores et tonsores? Ovis et agnus Christus est Dominus per figuram : ovis propter baptismatis vellus; agnus, propter sacrificium in carne : occisio illa est lateris, qua latus sanatur. Quinam sunt mactatores et tonsores? Sadducæi atque Pharisæi : primum enim blasphemia male totonderunt, ac deinde invidia occiderunt. Ut enim in nostra hac vita qui tondetur homo, et nullo dolore afficitur, et forma speciosus apparet : ita quando vulnus Christus accipiens quasi tonsuram sustinuit, nec dolorem ullum perpessus est, et resurrectionis pulchritudinem indicavit. De illo scriptum est, *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* 44. 3). Isaiæ quoque verbis consona proloquutus est Jeremias dicens : *Ego quasi agnus* innocens veni (*Jer.* 11. 19), ut immolarer. Apposite agnus appellatus est, ut qui in passione non contenderit, ut qui in occisione non calcitrarit. Verumenimvero licet Judæi occiderint, nos tamen obsonati sumus : atque illorum quidem crimen est, nostrum autem recte factum : illorum alapa, nostra libertas : illorum pœna, et benedictio nostra. Lux advenit, Christus celebratur. Hodie impletur et propheticum Davidis oraculum, quod ad hoc crucis mysterium pertinet maxime : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* 68. 22). Memoria itaque tene, dilectissime, quo pacto Dominus in cruce suspensus clamavit dicens, *Sitio* (*Joan.* 19. 28) : et continuo currens unus, ac spongiam implens aceto et felle, obtulit Domino. Sed qua tandem de causa Dominus sitim præ se ferebat, qui effecit, ut prædura petra in stagnum abiret? Quia nimirum, quod scriptum erat, oportebat impleri : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Talia sunt Judaicæ vineæ torcularia. *Etenim ex vinea Sodomorum vinea eorum : et palmes eorum ex Gomorrha* (*Deut.* 32. 32). Illorum siquidem torcularia, acetum et amaritudo; nostra autem vindemia, dulcedo et immortalitas. Propterea et cohortans dicebat propheta : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* 33. 9).

2. Quid igitur restat quærendum? Dominus autem advocans discipulos suos, dixit illis in faciem : *In ista nocte scandalum patiemini in me. Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Matth.* 26. 31). Vides, ut omnia sint testata? ut omnia rata? ut nihil otiosum? ut nihil irritum? *Omnes scandalum patiemini in me. Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* O exactam Spiritus sancti diligentiam! Licet enim hoc pronuntiarit propheta, Spiritus tamen rem suggessit. Non dixit, Percutiam pastorem, et peribunt oves; sed dixit, *Et dispergentur;* hoc est, Ad exiguum tempus scandalum patientur : paulo post autem fidem retinebunt, Pastorem Dominum appellantes : quandoquidem ipse est pastor bonus qui oves nonaginta novem dimisit, et ad eam venit, quæ erraverat (*Id.* 18. 12), hoc est, qui cælestes virtutes dimisit, et ad Adam qui erraverat, venit. Oves porro nuncupati sunt etiam apostoli, ut qui Salvatoris pedo obtemperent, ac Dominico corpore pascantur, et in campis regni cælorum stabulentur. Quemadmodum enim hoc tempore si venerit lupus in ovile, atque ovem rapuerit, reliquæ oves disperguntur, se proripiunt et aufugiunt : quod si tantum sibilantem pastorem audierint, rursus accurrunt, et simul congregantur : sic et discipuli Domini, cum tamquam lupum crucem aspexissent, aufugerunt, celeriter abscesserunt; ubi vero Domini resurrectionem tantum audierunt, statim accurrerunt, eumque agnoverunt, nec a cælesti caula segregati fuerunt. Hæc igitur Domino discipulis suis dicente, *Omnes scandalum patiemini nocte ista in me*, Petrus alium in sensum accipiens, cum seipsum commendare vellet, ac reliquis discipulis Domini studiosior et amantior inveniri, vel potius, ut dicam quod res est, negationem suam divulgare, sic Dominum alloquutus est : Quid ais, Domine? omnes scandalum propter te patiemur? et cum omnibus me quoque annumerasti? siccine meæ constantiæ confidis? etiamne ego te negabo, qui in mari inambulavi? qui in monte transfiguratione dignus sum habitus? qui dæmonum gregem fugavi, qui morbum omnem sanavi (*Matth.* 14. 29. *et* 17. 1, *sqq.*)? nonne ego te omnium primus agnovi et exclamavi : *Tu es Christus, Filius Dei vivi* (*Ibid.* 16. 16.)? Quamobrem, et meo testi-

(*a*) Hic alterum membrum deest, quo comparatur Josepho Christus a congeneribus suis insidiis impetitus.

(*b*) Hic prius membrum desideratur, quod sic ex conjectura supplet Savilius : *Joseph currus misit Patri.*

monio commendato beatum me prædicasti, ac petram Ecclesiæ nuncupasti dicens : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* 16. 18). Egone igitur te negabo, princeps apostolorum, columna Ecclesiæ? Quamobrem et mihi fidens vociferor : *Etsi omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor* (*Id.* 26. 33) Tum ad illum Christus : Quid dicis et contradicis, Petre? verbis Deo resistis? mendacemne me deprehendisti? non obsecras, ut confirmeris; sed promittis fore, ut non concutiaris? nonne hic ipse fervor tuus multo te deteriorem effecit? tuam istam temeritatem in mari etiam incedens ostendisses, nisi ego manum citius extendissem. Nonne in monte quoque transfigurationis in me peccasti, cum tria velles tabernacula fabricari, et in eodem ordine cum amicis [1] me Dominum collocares (*Id.* 17. 4)? nonne ut Jerosolymam non ascenderem orabas, quod Judæorum minas non ferres (*Id.* 16. 22)? Equidem publicare te nolebam, Petre, at tu præscium divinitatis meæ oculum rejecisti. Ecce quæ perpetraturus es, tibi dico, ut qui sis, ex rebus tuis cognoscas. *Amen, amen dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis* (*Id.* 26. 35). Petrus autem rursus mente deceptus, et humanæ conditionis mutabilitatem ignorans, Domino in hæc verba respondit : Quid me terres? scio mortem contemnere, neque te abnegabo. Dominus autem ad Petrum : Recte tu quidem apud te decrevisti : verum haud multo post cognosces : tempus enim est in januis, ut manifestetur et tuum propositum, et mea prænotio. Sed quis tandem finis sermonis? imminet quippe jam vespera. Comprehenso namque Domino, atque in atrium principis sacerdotum deducto, omnibusque dispersis discipulis, solus Petrus sequebatur in atrium principis sacerdotum ut ea nimirum exsequuturus quæ decreta erant. Cum autem Christus interius vinctus teneretur, Petrus in exteriori atrio fidenter sedebat immotus, ut qui jam nempe victoriam retulisset. Quid igitur? Cum aliquandiu consedisset ille, neque gladium videret exacui, neque propositas cotes, non proscriptionem denuntiatam, non exsilium irrogatum; sed exigua ancilla pretio empta, vilis, accedens Petro inquit : Quid hic agis, o homo? ubi est virtus Magistri tui? ecce conclusus est intus : ecce crucis supplicio mox addicetur. Tum Petrus cum omnem confidentiam ac dicendi libertatem ex memoria ejecisset, respondens ait : Quid mihi obstrepis, puella? non novi hominem. O rem mirabilem! Qui dicebat, *Etiamsi oportuerit me mori tecum* (*Ibid. v.* 35), jam negat. Postquam igitur accidit hæc prima negatio, perturbatus Petrus, ab atrio tamquam ab igne prosiliit extra vestibulum currens. Quid deinde? Rursus altera ancilla occurrit illi. O res mirabiles! Nusquam miles, nusquam gladius, sed vilis puella Petro occurrit. Illum agressa est sic dicens: Quid tumultuaris o homo? quo properas? quid æstuas? nonne te semper cum Galilæo incedentem videbam? quomodo igitur egressus vestibulo curris? Petrus autem non jam simpliciter respondit, sed cum juramento inquit, *Non novi hunc hominem* (*Ibid. v.* 72). Vidisti Dei prædictionem, et hominis lapsum? Deinde secunda negatione completa, tertia negatio advenit. *Post pusillum cum accessissent, qui astabant, Petro dicebant : Vere et tu ex illis es : nam et loquela tua manifestum te facit. Petrus autem cœpit anathematizare et jurare, quia non novi hominem* (*Ibid. v.* 73. 74). Ubi providum Petri promissum? qui antea dixisti, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, hic dicis, *Non novi hominem istum?* Fortasse Petrus imprudens, dum hanc vocem protulit, evigilavit, nec absurde loquutus est : non dixit, Non novi Deum Verbum, sed dixit, *Non novi hominem istum.* Offendit in eo quod cernebatur, non in eo quod intelligebatur. Quapropter et prævidens Dominus dicebat, *Quicumque dixerit blasphemiam in Filium hominis, remittetur ei*, Quid ergo Petrus? *Non novi hominem istum : et continuo gallus cantavit :* ille invictus Petri accusator, prævius sententiæ Dominicæ præco ac patronus, negationis proclamator, prænotionis index, ac pœnitentiæ lacrymarum admonitor.

3. Atque hæc quidem hactenus dicta sufficiant : jam vero de eleemosyna sermonem instituamus, ut vestram cohortemur caritatem, quod in Evangelio dictum est usurpantes : *Facite vobis amicos de mamona iniquitatis : ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* 16. 9). Recte dixit, *Æterna.* Nam hic quidem etsi splendidam domum possideas, omnino temporis intervallo corrupta periit : imo vero antequam etiam temporis successu pereat, mors ingruens ex his splendidis ædibus te exturbat; sæpe vero et ante mortem rerum quarumpiam difficultates et calumniatorum incursiones atque insidiæ efficient, ut illis excidas. At illic nihil horum reformidare licet : non corruptionem, non mortem, non lapsum, non calumniatorum insultum, non aliud quidquam; sed immobile est et immortale domicilium. Propterea æterna illa nuncupavit. *Facite vobis amicos de mamona iniquitatis* (*Luc.* 16. 19). Vides, quanta sit humanitas Domini? quanta benignitas, et clementia? Non enim temere hoc additamentum adjunctum est; sed quoniam multorum divitum opes ex rapina et injusto quæstu collectæ sunt, Malis artibus, inquit, non oportebat ita pecunias colligere; sed quando jam collegisti, desiste a rapina et injusto quæstu, atque ad id, quod oportet, pecuniis utere. Non dico, ut rapiens misericorditer largiaris, sed ut abstinens ab injusto quæstu et rapina ad eleemosynam et benignitatem divitiis utaris. Si enim quis a rapina non cesset, nec eleemosynam largitur : quin licet innumeras pecunias in pauperum manus projiciat, dum res alienas rapit, et malis artibus ditatur, eodem, quo homicidæ, apud Deum numero locoque ducetur. Quamobrem ut ab injustis quæstibus et rapinis prius abstineamus oportet, atque deinde in egenos eleemosynam erogemus. Magna quippe virtus est eleemosynæ. Verum nemo assiduitatem admonitionis nostræ accusationem auditorum interpretetur. Nam et in certaminibus eos cursores excitant spectatores, quos ad præmium viderint proxime accedere, magnamque victoriæ spem habere. Sic ego quoque magna vos cum animi alacritate habitos de eleemosyna sermones excipere videns, et ipse frequentius nihilominus hisce de rebus instituo cohortationem. Medici sunt animarum nostrarum pauperes, benefactores ac patroni : non enim tantum das, quantum accipis. Das pecuniam, et accipis regnum cælorum : paupertatem discutis, et Dominum reconcilias tibi ipsi. Vides disparem esse remunerationem! Hæc in terris sunt, illa in cælis : hæc pereunt, illa permanent, hæc intereunt, illa omni sunt interitu superiora. Propterea quoque majores nostri pro templorum foribus pauperes statuerunt, ut vel stupidissimum quemvis et immanissimum hic pauperum aspectus ad memoriam excitet eleemosynæ. Cum enim steterit turba senum incurvorum, pannis amictorum, squalentium, sordidatorum, scipiones tenentium; quique vix possint consistere; sæpe vero effossis etiam oculis et corpore ipso mutilorum, quis adeo saxeus, quis adeo adamas, qui cum illum ætas, infirmitas, mutilatio, paupertas, vilitas, omnia denique ad commiserationem inflectant, resistat, ac nihilo omnibus istis commotus rigidusque permaneat? Idcirco pro foribus nostris stant, et ipso aspectu vehementius quam ulla oratione fieri posset, ad humanitatem introeuntes impellunt. Nam quemadmodum in more positum est, ut in atriis templorum sint fontes : ut qui preces ad Deum fusuri sunt, ubi prius manus abluerint, sic deinde ad preces illas extendant : ita et pauperes fontium ac puteorum loco, pro foribus patres statuerunt : ut quemadmodum aqua manus abluimus, sic humanitate prius animas abstergentes, deinde precemur.

[1] Hic legendum putant, *servis*, pro, *amicis*, sed vox, *amicis*, etiam quadrare potest.

Non enim ita labes corporis abluit aquæ natura, ut animæ sordes eleemosynæ virtus abstergit. Ut igitur illotis manibus ingressus, non audes preces fundere, licet minus illud sit crimen : sic nec absque eleemosyna tibi unquam ad orationem accedendum est. Tametsi puras sæpenumero manus habentes, nisi prius illas abluerimus, ad orationem eas non attollimus : tantum valet consuetudo. Hoc igitur et in eleemosyna faciamus : tametsi nullius magni peccati nobis conscii simus, tamen eleemosyna collata conscientiam abstergamus. Multa ex foro mala contraxisti : inimicus irritavit, judex agere quispiam eorum, quæ non conveniebant, coegit; verba tibi absurda sæpius exciderunt, amicus ut aliquid patrares cum peccato conjunctum suasit; alia tibi multa adhæserunt qualia verisimile est tibi, cum homo sis, dum in foro versaris, adhærere : dum tribunalibus assides, dum negotia urbis conficis, pro his omnibus veniam a Deo postulaturus ac defensionem oblaturus ingrederis. Projice itaque pecunias in pauperum manus, et maculas illas absterge, ut ita cum fiducia eum invoces, qui hæc tibi peccata potest dimittere. Quod si teipsum assuefeceris, numquam sacra hæc vestibula ingredi absque eleemosyna, nullo tempore nec prudens nec imprudens a bono opere isto cessabis : ea enim est vis consuetudinis. Et quemadmodum, quidquid tandem accidat, illotis manibus orare non audes, quando id semel tibi in consuetudinem vertit : sic et in eleemosyna, si hanc tibi legem imposueris, cum sciens prudensque tum imprudens singulis eam diebus a consuetudine impulsus observabis. Ignis est oratio, præcipue cum a vigilanti attentaque anima offertur : at enim oleo etiam indiget ignis iste, ut ad cælestes fornices ipsos perveniat : oleum autem ignis hujus nihil aliud est, quam eleemosyna. Liberaliter igitur oleum infunde, ut lætitiam ex recte facto percipiens, majori cum fiducia et ardentiori animi studio preces peragas. Nam quemadmodum qui nullius boni sibi sunt conscii, ne preces quidem fundere cum fiducia possunt : ita qui præclarum aliquod facinus ediderint, et post justitiam illam ad orationem se converterint, præclari facinoris recordatione exhilarati majori animi studio preces offerunt. Ut igitur hac ratione validior oratio nostra reddatur, excitata et expergefacta in supplicationibus ex bonorum operum recordatione mente nostra, cum eleemosyna ad preces accedamus, et omnium eorum quæ dicta sunt, diligenter recordemur : ac præ cæteris quidem omnibus similitudinem illam perpetua memoria custodite, qua pauperes dixi pro foribus templorum stantes, eum nobis ad animæ cultum, quem fons ad corporis usum præbere. Si enim hujus rei memores perpetuo fuerimus, assidue mentem nostram abluentes, cum puras offerre preces poterimus, tum magnam apud Deum nobis fiduciam et gratiam conciliare, ac regnum cælorum adipisci, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unaque sancto Spiritui, nunc et semper, et in secula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD HOMILIAM IN SECUNDUM ADVENTUM CHRISTI.

Hanc homiliam pro germano Chrysostomi fetu primum habuerat Fronto Ducæus, sed postea centonem esse animadvertit, qua de re audiendus ipse.

« Non codicibus tantum Mss. Regiis, Mediceis credidimus hunc tractatum Chrysostomo asserentibus, sed et quibusdam Italicis, qui tomum complectuntur titulo Τῆς βίβλου τῶν μαργαριτῶν, *libri margaritarum*, insignitum : nam inter illas homilias quadragesima quarta numeratur, *In illud, Omnes stabimus ante tribunal Christi*. Verumtamen excuso jam tractatu, dum has notas pertexímus, fucum nobis factum a librario deprehendimus, dum exordium novum assuit morali exhortationi Homiliæ vicesimæ quintæ in Epist. ad Romanos, et tricesimæ primæ, tamquam uni capiti duobus subjunctis corporibus . quod ipsum multis imposuit, qui plerasque ad populum Antiochenum homilias separatim habitas putant, nec animadvertunt nihil aliud quam centones eas esse, consutos ex moralibus exhortationibus aliorum Sermonum vel Commentariorum in Evangelia, vel in Epistolas Apostolorum, ut singillatim, si Deus dederit, ostendemus : sed in illis tamen nullum diversum exordium præmittitur, ut hoc loco, neque tanta textus diversitas apparet. Certe in Florilegiis, quæ a Theodoro Magistro conflata creduntur, proferuntur sententiæ ex hac homilia decerptæ p. 909 (id est, Hom. 25), quas reperies p. 656, et 657 (num. 3). Quamobrem sive quod non semel pronuntiata fuerint hæc ab auctore, sive quod a librario ita copulata, in unum hunc tractatum coaluerint : cum ex collatione hujus textus cum illo vigesimæ quintæ homiliæ non pauca restitui loca possint, nequaquam hujus nos pœnituit editionis : sed et varias lectiones his insertas notis tamquam hujus operæ pretium lectori communicandas censuimus, eodemque candore, si quid minus recte ab interprete illius homiliæ, quam a nobis, Latino sit conversum, aut a nobis contra minus quam ab illo feliciter, indicandum fuit. »

Esse itaque centonem nihil dubitandum. Frontonis interpretationem Latinam edimus, aliquot in locis emendatam : necnon ex notis ejus illas, quæ ad textum vel emendandum vel illustrandum pertinent.

IN SECUNDUM ADVENTUM DOMINI JESU CHRISTI, ET IN ILLUD, OMNES STABIMUS ANTE TRIBUNAL CHRISTI, ET UNUSQUISQUE PRO SE RATIONEM REDDET DEO (*Rom.* 14. 10. 12) (*a*).

1. *Ratio reddenda Christo, ab unoquoque nostrum. De scandalo.* — Magna quædam et mirifica hesterno die dixisse me vobis arbitrabar : etenim magna erant natura sua, omnemque facultatem orationis excedebant : verumtamen quæ lecta sunt hodie, tantum illa superant, quantum ab illis nostra superantur. Tametsi non existimabam quidquam ipsis antecellere, verumtamen cum accessissent ea, quæ lecta sunt hodie, multo illis splendidiora sunt visa. Quænam vero lecta sunt hodie ? *Omnes stabimus ante tribunal Christi :* scriptum est enim, *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo* (*Isai.* 45. 24). Itaque unusquisque nostrum de seipso rationem reddet Deo. Vide, non dixit simpliciter, Adorabit unusquisque, sed et *Confitebitur* unusquisque, hoc est, eorum quæ fecit, rationes reposcetur. Semper igitur sollicitus esto, mi homo, pro tribunali sedentem communem Dominum cer-

(*a*) Collata cum tribus Mss. Regiis.

nens, nec scinde aut divide Ecclesiam a gratia separatus : siquidem et a te Christus, et ab omni genere humano rationem exiget. Sed ne ista dicere videatur, ut data opera nobis terrorem incutiat, ex ipsa serie contextuque sermonis rursus in eodem versatur argumento, dicens : *Non ergo amplius invicem judicemus, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum* (*Rom.* 14. 13). Hoc vero nihilo magis ad illum quam ad hunc pertinet. Quamobrem utrique potest convenire : dum et perfectus ciborum observatione scandalizatur, et vehementiori objurgatione imperfectus offenditur. Tu vero mihi considera, dilectissime, quantas daturi simus pœnas, qui temere scandalizamus. Si enim ubi res erat iniqua quæ gerebatur, quod importune reprehensio adhiberetur, hoc fieri vetuit, ne scandalizaretur frater et offenderetur : cum ne corrigendo quidem quempiam scandalizamus, quid merebimur? Si enim crimen est non salvum facere (idque ex eo constat, qui talentum defodit), ipsum scandalizasse, quid non præstabit? Quid si suapte culpa scandalizetur, cum sit infirmus, dicet aliquis? Propter hoc ipsum æquum fuerit, ut omnia feras. Si enim validus esset, nequaquam tali cura indigeret : jam vero, quoniam imperfectior est, idcirco multum in eum studii conferendum est. Hoc igitur ei concedamus, eumque omni ex parte supportemus. Non enim nostrorum tantum malorum rationem reddemus, sed eorum etiam, quibus alios scandalizamus. Quod si ipsa per se molesta est exactio rationum, cum adjecta fuerint etiam scandala, quomodo salutem consequemur? Ne putemus enim, si peccatorum consortes reperimus, nos excusationem habituros : hoc nobis pœnas accumulabit. Nam gravius quam mulier punitus est serpens ; quemadmodum et mulier gravius quam vir, et Jezabel acerbiores pœnas quam Achab dedit, qui vineam eripuerat (4. *Reg.* 9). Tu quoque si cæteris perditionis causa fueris, acerbiora patieris quam illi, qui a te fuerint supplantati. Non enim tantam nobis id perniciem creat quod peccemus, quam quod alios ad id agendum impellamus : quamobrem ait, *Non solum id faciunt, sed etiam consentiunt facientibus* (*Rom.* 1. 32). Cum igitur peccantes quosdam viderimus, non modo non eos impellamus, sed etiam ex improbitatis fovea extrahamus, ne perditionis aliorum a nobis pœnæ repetantur. Verum ad rem propositam revertamur. *Omnes* enim, inquit, *stabimus ante tribunal Christi* (*Rom.* 14. 10), et rationem Deo reddemus. Quid igitur faciemus? quod solatium, quam consolationem obtinebimus? quomodo Judicem tremendum placabimus? quanto pudore confundemur, cum nostræ nobis impietates ob oculos versabuntur? Verumtamen si jam erigere animos ad ea consectanda voluerimus, quæ Deo sunt accepta, cum omnia poterimus abstergere a nobis commissa peccata, tum illa tremenda tribunalia devitare. Id vero fiet, si corporis nostri ex hac vita discessus perpetuo recordemur : *Memorare* namque *novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* 7. 40) : deinde tremendum Christi tribunal mente versemus, in quo nuda sunt omnia et aperta oculis ejus, quæ verbo, quæ opere, quæ cogitatione commiserimus ; deinde fluvium igneum, vincula indissoluta, tenebras lucis expertes, stridorem dentium, vermem venenatum, diem illum luctuosum quidem peccatoribus, hilarem autem ac jucundum illis, qui justitiæ opera perfecerint.

2. *Contra eos qui putabant Deum non ulcisci crimina.* — Sed homines sunt quidam tanta dementia præditi, ut mendaces arbitrentur Scripturas divinitus inspiratas ; quique jus divinum per allegoriam interpretantur; Audivi enim quosdam peccatis deditos, et amore summo voluptatis irretitos, hujusmodi verbis utentes : Deus, inquiunt, ad timorem hominibus incutiendum hæc minatus est : absit enim, ut qui misericors est, quemquam puniat ex illis præsertim qui eum agnoverunt. Audite igitur, homines corde destituti, qui probitatis hostis interitu vestro gaudentis suasioni paretis. Ne enim timore perculsi nos ad meliorem vitam convertamus, et tormenta pœnarum evitemus, idcirco nobis hanc securitatem invexit, ut hic omni cura vacui nos præcipites in ipsum inferni fundum agamus. Dicite igitur mihi, qui mendacem Deum asseritis, qui verba tantum nuda Scripturas sacras, non veritatem reputatis, quid censetis, o stulti? nonne dives ille punitur, qui Lazarum contempserat (*Luc.* 16. 20)? nonne fatuæ virgines e sponsi thalamo ejiciuntur? nonne qui Christum non paverunt, in ignem discedunt, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* 25. 12. 41)? nonne qui sordidis fuit indumentis vestitus, ligatis manibus ac pedibus in ignem ejicitur? nonne qui centum denarios repetierat, tortoribus est traditus (*Id.* 22. 11. *et* 18. 34)? nonne quod dictum est de adulteris, verum est, quia *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isai.* 66. 24)? an minæ tantum sunt ista? Etiam, inquiunt. Unde vero, quæso, fit, o miseri, ut rem talem asserere audeatis, idque quod injustam sponte sententiam feratis? Ego vero cum ex iis quæ dixit, tum ex iis quæ fecit Christus, contrarium conabor ostendere. Si enim de futuris pœnis non credimus, saltem ob ea quæ jam evenerunt, credamus : non enim ea quæ jam evenerunt, et in opus exierunt, minæ sunt ac verba tantum. Quis ergo Noe tempore totum terrarum orbem undis obruit, triste naufragium illud invexit, universumque genus humanum omnino delevit? quis rursus postea fulmina illa et turbines igneos in Sodomorum terram misit? quis Ægyptum omnem submersit? quis sexcenta millia in deserto prostravit? quis congregationem Abiron incendit? quis, Core et Dathan ut aperto ore deglutiret, terræ mandavit (*Psal.* 105. 17)? quis ætate Davidis uno temporis momento millia septuaginta perdidit (2. *Reg.* 24. 15)? quis centum octoginta quinque millia una nocte, cum prophetaret Isaias, interemit (*Isai.* 37. 36)? Dicam et eos qui privatim puniti sunt, addictum perpetuo supplicio Cain, lapidatum cum omni genere suo Charmin (*a*) (*Jos.* 7. 1), eum qui quod in sabbato ligna collegisset, idem passus est (*Num.* 15. 32)? quadraginta duos pueros quos Elisæi tempore devorarunt feræ, neque propter ætatem veniam impetrarunt (4. *Reg.* 2. 24)? Quod si post legem gratiæ cernere id cupis, cogita quanta sint passi Judæi : quo pacto liberos matres ipsorum comederint, hæ assatos, illæ alia ratione consumptos : quomodo fame vexati sint intolerabili, bellisque variis ac molestis, sic ut omnes priorum temporum tragicos casus calamitatum suarum acerbitate superarint. Ut enim scias hæc in eos Christum immisisse, prædicentem hæc ; illud audi tum per parabolas, tum clare et aperte : per parabolas quidem, ut cum ait, *Eos autem, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc et interficite* (*Luc.* 19. 27) ; itemque per vineam et per nuptias : clare vero ac dilucide, veluti cum minans ait : *Et cadent in ore gladii, et erit in terris pressura gentium* (*Id.* 21. 24. 25), in anxietate resonante mari et salo, exanimatis hominibus præ timore, et *Erit tribulatio talis qualis non fuit umquam, neque fiet* (*Matth.* 24. 21). Ananias etiam et Sapphira quas ob paucorum argenteorum furtum pœnas dederint, nostis omnes (*Act.* 5. 1). Quotidianas autem calamitates quot feramus, qui peccata committimus, nonne cernitis? an vero hæc ipsa non evenerunt? Nonne videtis eos qui nunc etiam fame contabescunt, qui elephantiasi et vitio corporis detinentur, qui perpetua degunt in egestate, qui mille gravissimis et intolerandis malis affliguntur? Quonam igitur pacto æquum fuerit quosdam puniri, quosdam vero non puniri? Nam si injustus non est Deus, ut profecto injustus non est, omnino tu quoque pœnas dabis, si peccaveris : sin autem, quia benignus est Deus, non punit, ne hos quidem puniri oportebat. Jam vero

(*a*) Qui *Charmin* dicitur, est Achar filius Charmi, qui Josue 7, 1, commemoratur.

propter hæc inepta vestra verba multos hic etiam punit Deus, ut cum minarum verbis non credatis, saltem rebus ipsis pœnarum credatis : et quoniam non ita vobis antiqua timorem incutiunt, iis quæ singulis generationibus accidunt, illos qui iisdem temporibus vivunt, segniter se gerentes, corrigere solet.

3. *Cur Deus non hic omnes puniat.* — Quare vero non omnes hic punit, dicet aliquis? Ut aliis spatium det pœnitentiæ. Cur autem non illic omnes castigat? Ne multi ejus providentiam non credant. Quam multi latrones, alii quidem damnati sunt, alii vero non affecti supplicio abierunt? ubi ergo Dei benignitas et justum judicium? meum enim est te interrogare. Nam si nullus prorsus puniretur, possent ad hoc quidem confugere : cum vero alii quidem pœnas dent, alii vero non dent, tametsi pejora peccata committant, quomodo justum esset, ut cum non eadem essent delicta, pœnæ tamen eædem luerentur? nonne illis injuria fieri videretur, qui punirentur? Cur igitur, inquit, omnes hic plectuntur? Audi Dominum ipsum hac de re sic tibi satisfacientem. Nam quia mortem obierant turri cadente quidam, illis, qui super his dubitationem afferebant, dicebat : *Putatis, quia hi soli peccatores præter omnes sint? Non, dico vobis; sed si pœnitentiam non egeritis, omnes ut ipsi peribitis* (*Luc.* 13. 3) : admonens nos ac docens, ne nimium confidamus, cum, aliis dantibus pœnas, ipsi multis commissis delictis non damus : nisi enim pœnitentiam agamus, omnino dabimus. Verum qui fit, ut in æternum puniamur, dicet aliquis, cum hic brevi tempore peccaverimus? Ut nimirum hic etiam vir aliquis brevi momento temporis una cæde patrata ad perpetuas metallorum miserias damnatur. At enim ita non agit Deus, inquit. Quomodo igitur annos triginta octo paralyticum in tali supplicio detinuit? Etenim ob peccata punitum illum ab eo fuisse ut noverimus, audi quid dicat : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (*Joan.* 5. 14). Verumtamen finem accepit, inquit. At non talia sunt, quæ illic fiunt. Ut enim scias illa numquam finem acceptura, ipsum dicentem audi : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isai.* 66. 24); et, *Ibunt hi in vitam æternam, et illi in supplicium æternum* (*Marc.* 9. 44. *Matth.* 25. 46). Si ergo vita est æterna, et supplicium æternum. Non vides quanta Judæis minatus sit? Num ea, quæ minatus fuerat, evenerunt, an vero fuerunt verba quæ dixerat? Et rursus : *Non remanebit lapis super lapidem.* Num remansit? Quid vero, quod dixit, *Erit tribulatio, qualis numquam fuit* (*Ibid.* 24. 2. *et* 21)? Numquid igitur non fuit? Lege historiam Josephi, et ne respirare quidem poteris, dum quanta illi reipsa passi fuerint, audies. Ait enim tragicos omnes casus illa mala superasse, nec ullum umquam tale bellum nationem ullam invasisse (*a*). Hæc a me dicuntur, non ut dolorem vobis inuram, sed ut tutos vos reddam, et non superflue blandiens efficiam, ut multo graviora patiamini. Cur enim, quæso, dignum esse non judicas ut, cum pecces, puniaris? nonne tibi cuncta prædixit? nonne minatus est? nonne exterruit? nonne tuæ salutis causa innumera præstitit? nonne lavacrum regenerationis largitus est, et omnia priora dimisit? nonne post hanc remissionem, et lavacrum et auxilium ex pœnitentia rursus peccanti concessit? nonne facilem etiam postea reddidit viam remissionis peccatorum? Audi ergo qualia etiam præceperit. Si dimiseris proximo, tibi ego quoque dimitto (*Matth.* 6. 14), inquit. Quam habet hoc difficultatem? *Judicate pupillum, et justificate viduam; venite, et disputemus*, inquit, *et si fuerint peccata vestra quasi phœniceum, sicut nivem dealbabo* (*Isai.* 1. 17. 18). Quid in hoc est laboris? *Dic tu*, inquit, *peccata tua primus, ut justificeris* (*Id.* 43. 26). Quid in hoc est difficultatis? *Peccata tua eleemosynis redime* (*Dan.* 4. 24). Quis hoc grave censeat? Publicanus dixit, *Propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* 18. 13), et descendit justificatus. Quis labor publicanum imitari? At neque post tot tantasque demonstrationes, supplicium et pœnam esse vis credere? Nec igitur diabolum puniri dicere potes. *Discedite* namque, inquit, *in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* 25. 41). Si enim gehenna non est, nec ille punitur : si vero ille punitur, nos quoque puniri liquet, qui perficimus opera ejus : nam et nos minime obtemperavimus, tametsi non eisdem in factis. Qui fit autem ut non timeas, o homo, dum sit audacter loqueris, cum dicis : Benignus est, et non punit? Quod si puniat, secundum te non jam amplius benignus esse reperitur. Vides ad quænam verba diabolus vos impellat?

Monachorum aspera vita. — Quid vero monachi illi, qui montes occuparunt, qui millies se religiosæ vitæ laboribus exercuerunt in montibus, in speluncis et cavernis terræ, num corona non donati abibunt? Nam si mali non puniuntur, neque rei ullius est retributio, dicet rursus aliquis, neque boni coronantur. Nequaquam, inquit : sed hoc Deo conveniens est, ut apud eum sit regnum solum, et non gehenna. Itaque fornicator et adulter et qui sexcenta scelera patravit, iisdem rebus perfruetur atque is qui temperantiam, sanctitatem, continentiam, et omnem angelicam conversationem exhibuit? Quod si non sit gehenna, resurrectio vero plane futura est; mali quoque bona eadem quæ justi consequentur. Quis hoc dicere audeat vel etiam ex iis, quibus mens est penitus de sanitate deturbata? imo vero quis umquam dæmon hoc dixerit? Certe ipsi etiam dæmones gehennam esse confitentur; ideo clamabant, dicentes : *Venisti huc ante tempus torquere nos* (*Ibid.* 8. 29)? Quomodo igitur non vereris et perhorrescis, o homo, negare, dum dæmones confitentur? quomodo pravorum hujusmodi dogmatum magistrum non animadvertis? Qui enim principem generis nostri hominem decepit, et majori spe proposita bonis eum ejecit, quæ in manibus erant, hic est, qui nunc ista suggerit dicenda vel cogitanda; et idcirco persuadet, ut suspicentur quidam non esse gehennam, ut injiciat in gehennam. Deus enim ex adverso gehennam minatur, et gehennam paravit, ut cum nos id noverimus, ita pie vivamus, ut in gehennam non incidamus. Quamquam si cum sit gehenna, hæc diabolus tibi persuadet, quomodo dæmones eam confessi essent, si non esset, quibus id est maxime curæ, ut nos nihil tale suspicemur, quo securitate negligentiores effecti cum ipsis in ignem illum incidamus? Qui factum est autem, dicet aliquis, ut tum dæmones faterentur? Quippe qui necessitatem ipsis incumbentem minime ferrent. Quæ quidem omnia mente versantes desinant et seipsos et alios fallere, qui hæc dicunt. *Deus* enim, inquit propheta, *manifeste veniet, Deus noster, et non silebit* (*Psal.* 49. 3). *Ignis in conspectu ejus exardescet : et in circuitu ejus tempestas valida. Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus* (*Ibid.* 96. 3). Quinam porro sunt inimici Dei, nisi fornicatores, adulteri, masculorum concubitores, molles, idololatræ, avari, ebriosi, perjuri, murmuratores, iracundi, memores injuriarum, superbi, elati, parentibus non obedientes, immisericordes? His omnibus in tremenda communis resurrectionis die Judex imperat, dicens : *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis suis* (*Matth.* 25. 41).

4. Quod si propter ea quæ dicta sunt, pœnas dabimus, multo magis ob ista verba coram illo formidabili tribunali plectentur, qui tremenda venerandaque Christi mandata derident, ac multorum studium et

(*a*) Putat Fronto Ducæus hæc alludere ad illa Josephi verba initio lib. primi de bello Judaico : *Bellum acerbissimum inter omnia bella quæ exarsisse sciamus, sive nostris sive antiquis temporibus, inter civitates aut inter gentes in se invicem corruentes.* Et rursus : *Mihi certe videntur infortunia omnium in tota retro antiquitate populorum, minima esse, si ad Judæorum infortunia conferantur.* Calamitates autem Judæorum, quales vix umquam auditæ fuerint per totum opus de bello Judaico describuntur.

contentionem infringunt, qui serio rem agere statuerunt, neque barbaros Ninivitas imitantur. Illi enim licet horum omnium essent ignari, cum eversum iri civitatem audiissent, non modo credere non recusarunt, sed et ingemuerunt, et sacco amicti sunt et perturbati sunt, neque prius omnem lapidem movere destiterunt, quam tandem iram et indignationem Dei mitigarent. At tu qui Christianus es, tot rerum atque verborum edoctus experientia, quæ dicta sunt a Christo nihili facis? Nimirum ergo tibi contraria contingent. Nam quemadmodum Ninivitæ cum verbis territi essent, rerum ipsarum eventum passi non sunt: sic et tu eum minas verbis intentatas contemnas, illatum reipsa supplicium sustinebis. Non vides quid hic quoque fecerit Christus? quomodo cum duos latrones accepisset, non eodem illos modo tractaverit, sed hunc quidem in regnum introduxerit, illum autem in gehennam miserit? Quid dico latronem et homicidam? Neque enim discipulo suo pepercit, cum traditor factus esset; sed et cum ad laqueum properantem eum videret, et suspensum mediumque disruptum (siquidem *Crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus* [*Act.* 1. 18]): verumtamen hæc illum omnia pati permisit, ut ex istius vitæ rebus de his quæ ad alteram pertinent omnibus te doceret. Nolite igitur vobis ipsis, o homines, fucum facere, diabolo obtemperantes: hæc enim sunt illius consilia. Quod si judices, domini, ac magistri, cum mansueti [1] tum barbari, bonos honoribus prosequuntur, malos puniunt: qui potest rationi consentaneum videri, ut apud Deum contraria fiant iisdemque rebus cum boni tum mali digni censeantur? Quando vero mali ab improbitate revocabuntur? Cum enim nunc supplicium exspectent, atque interea tanto judicium legumque timore percellantur, nec tamen ab improbitate discedant: cum illuc profecti, metum etiam istum abjecerint, et non solum in gehennam non inciderint, sed etiam regnum fuerint assequuti, qua tandem ratione poterunt ab improbitate revocari? An hoc igitur benignitatis est, dic, quæso, malitiam augere, ac vitiis præmium proponere? iisdem rebus dignum censere temperantem et libidinosum, fidelem et impium, misericordem et inhumanum (*a*)? Nam si quidem nihil Deo curæ sunt, neque qui peccant, neque qui recte agunt, consentaneum fortasse rationi videtur dicere supplicium non esse: sin autem tantum adhibet studium Deus, ut nos minime peccemus, ac tantum elaborat, ut nos mandata servemus, hoc quoque manifestum est, eum et peccantes punire, et recte agentes coronare. Tu vero plerorumque inconstantiam mihi considera. Hic enim cum Deo expostulant quod sæpe patienter toleret, et negligat multos sceleslos, protervos, avaros qui non puniuntur: illic rursus si castigaturum se illos minetur, acres sunt in accusando et importuni: quamquam si hoc molestum est, illud certe probandum erat atque laudandum. At, o stultitiam! o ineptam et impudentem mentem! o animam peccatis addictam, voluptatibus obnoxiam, et ad vitia proclivem! ex nimio quippe voluptatum amore cuncta hæc dogmata oriuntur: ita ut, si illi qui talia dicunt, virtutem amplecti vellent, cito de gehenna persuaderentur, neque dubitarent. Ubinam autem, inquiunt, et quo tandem in loco gehenna hæc erit? Quid tu hac de re sollicitus es? Hoc est quod quæritur, ut eam esse demonstretur; ubinam autem reservetur, et in quo loco, noli quærere. Quidam enim fabulas narrantes, dicunt, in valle Josaphat gehennam esse, quod de bello quodam dictum est jam elapso: siquidem in valle Josaphat justo judicio puniens adversarios funditus perdidit, quorum ad septem annorum spatium arma suffecerunt habitantibus Jerusalem ad ignem succedendum (*Joel.* 3. 2. *Ezech.* 39. 9). Et nunc ad gehennam hoc trahunt: at hoc non dicit Scriptura. Quonam autem in loco erit? inquiunt. Alicubi extra totum hunc mundum, ut mea quidem fert opinio. Nam quemadmodum regum carceres et metalla longe distant, sic alicubi extra hunc orbem terrarum est gehenna. Ne quæramus ergo ubinam sit, sed quo tandem pacto illam effugiamus: nec quoniam non omnes hic punit Deus, idcirco futura credere recusemus: benignus enim est, patienter tolerat; atque idcirco interim comminatur, neque derepente castigat: *Non enim volo mortem peccatoris*, inquit, *sicut eum converti ac vivere* (*Ezech.* 18. 23. *et* 33. 11). Quod si mors non sit peccatoris, supervacaneum est quod dictum est.

5. Ac scio equidem nihil verbis istis injucundius vobis esse: mihi vero nihil est his jucundius. Utinam enim semper et continuo de gehenna verba faceremus nos, dum prandium sumimus, dum cœnamus, dum lavamur; nihil ob ea mala, quæ nobis hic accidunt, contristaremur; nihil ob bona, quibus fruimur, gauderemus. Quod enim, quæso, malum dicere potes? paupertatem, morbum, captivitatem, corporis mutilationem? At hæc omnia risus sunt, si cum alterius vitæ supplicio comparentur. Licet eos qui perpetuo fame cruciantur, proferas; licet eos qui a prima jam ætate mutilati sunt, et stipem petunt: deliciæ sunt ista cum illis malis collata. Frequenter igitur, dilectissimi, de rebus istis sermonem habeamus, easque mente linguaque versemus: non enim incidere nos in gehennam sinit gehennæ memoria. Non audis Paulum dicentem: *Qui pœnas dabunt æternas a facie Domini* (2. *Thess.* 1. 9)? non audis qualis fuerit Nero, quem etiam Antichristi mysterium Paulus appellat? *Nam mysterium*, inquit, *jam operatur iniquitatis* (*Id.* 2. 7). Quid igitur? nihilne patietur Nero, qui supplicio Petrum et Paulum affecit? nihil patietur Antichristus? nihil diabolus? Itaque nec Antichristus, nec diabolus unquam ab improbitate discedent, cum non puniantur. Imo, inquit; sed gehennam quidem esse cuivis compertum est; at infideles tantum in eam incident. Quam ob causam? dic, quæso. Quoniam fideles, inquit, Dominum suum agnoverunt. Quid tum? quando etiam impura fuerit vita, majores hac de causa quam infideles pœnas dabunt; siquidem *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege quoque peribunt: et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur* (*Rom.* 2. 12); et, *Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit, vapulabit multis* (*Luc.* 12. 47). Quod si nullæ transactæ vitæ dandæ sunt pœnæ, sed hæc temere dicta sunt, neque diabolus punietur. Nam et Deum novit, atque adeo multo melius quam homines; et vero dæmones omnes et sciunt eum, et contremiscunt, eumque judicem confitentur (*Jac.* 2. 19). Si ergo vitæ ratio reddenda non est, neque pravarum actionum, isti etiam evadent. Hoc non ita se habet, non ita, inquam, se habet: nolite vos fallere, dilectissimi. Nam si non est gehenna, quomodo duodecim tribus Israel judicant apostoli? quomodo inquit Paulus: *Nescitis, quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia* (1. *Cor.* 6. 3)? quomodo autem rursus dicebat Christus: *Viri Ninivitæ surgent in judicio, et condemnabunt generationem istam* (*Matth.* 12. 41), et, *Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæ in die judicii* (*Id.* 10. 15)? Cur igitur ludis in rebus minime ludicris? cur teipsum fallis, ac decipis animam tuam, mi homo? cur autem Dei quoque benignitati repugnas? Propterea namque gehennam paravit, et minatus est, ne in eam incidamus, timore effecti meliores. Itaque is, qui de rebus istis sermonem e medio tollit, nihil aliud imprudens agit, nisi seipsum hac fraude in gehennam impellit ac projicit. Noli ergo manus eorum dissolvere, qui ob virtutem laborant, neque socordiam augeas eorum qui dormiunt. Si enim plerisque persuasum fuerit gehennam non esse, quando tandem ab improbitate discedent? ubi vero justitia apparebit? Non dico de peccatoribus et justis, sed de peccatoribus et peccatoribus. Hac de

[1] Unus legit, *nostri*, loco, *mansueti*.
(*a*) Quæ sequuntur usque in finem habentur in Homil. 31 in Epist. ad Romanos, unde excerpta fuisse videntur.

causa ille quidem punitus hic est, ille vero non est punitus, licet eadem peccata vel etiam multo graviora commisisset. Nam si non est gehenna, nihil defensionis afferre poterit apud eos qui accusabunt. Quamobrem omnes vos hortor, ut ab hoc satanico risu abstinentes, eorum obturetis ora, qui circa hæc vobis contradicunt. Nam et eorum quæ minima sunt, cum in peccatis, tum in recte factis exacta erit disquisitio: siquidem et lascivorum oculorum rationem reddemus, et verbi otiosi, et risus immoderati, et temerariæ contumeliæ, et pravæ cogitationis, et ebrietatis a nobis rationes reposcentur; ut rursus in bonis et calicis frigidi mercedem recipiemus, et boni sermonis, et solius gemitus. *Da* enim, inquit, *signum in faciem gementium et dolentium* (*Ezech.* 9. 4). Quomodo ergo dicere audes, Deum tanta cum diligentia in res nostras inquirentem, temere et inconsulto gehennam minatum esse? Ne, oro obtestorque vos, ne vana ejusmodi spe deceptos vos eosque, qui vobis credunt, perditum eatis. Si enim verbis nostris fidem non habetis, interrogate Judæos, gentiles, hæreticos omnes, et omnes tamquam uno ore respondebunt, judicium esse futurum ac retributionem. At non sufficiunt homines? Ex dæmonibus ipsis quære, ac dicentes eos audies, *Cur venisti huc ante tempus torquere nos* (*Matth.* 8. 29)? Et omnibus hisce collectis, persuadete vobisipsis, ut non temere loquamini, ne gehennam experimento noscatis, sed hinc sapientiores effecti tormenta illa possitis effugere, bonisque futuris potiri, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, cum Patre et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SEQUENTEM SERMONEM.

Ineptum opusculum post Savilium damus, qui illud ex Ms. quodam Cæsareo desumpsit; ac consulto fecisset, si illud cum aliis multis ejusdem farinæ in tenebris latere sivisset.

INTERPRETATIO ORATIONIS, PATER NOSTER (*Matth.* 6. *et sqq.*).

Pater noster qui es in cœlis. Patremne, o homo, dicis Deum? Recte dicis. Est quippe omnium Pater. Sed ad opera Patri tuo placita te confer. Sin mala edis opera, palam est te diabolum advocare patrem: ille quippe inspector malorum est. Ideo hunc effugere, et bono Patri creatori tuo placere studeas. *Sanctificetur nomen tuum.* Quid ergo? non est sanctus Deus? Utique sanctus; sed hoc dicis: In me sanctificetur nomen tuum, ut videant homines opera mea bona, et glorificent Patrem et Factorem meum. *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* 5. 16). Quid ergo? annon rex est Deus, ut ipsi regnum adventurum sit? Etiam rex est omnium: sed quemadmodum urbs ab hostibus obsessa petit regis potestatem accedere, ut se liberet: sic et nos ab adversariis potestatibus obsessi, necnon a peccatis et pravis cogitationibus nostris, petimus advenire regnum Dei, qui nos eruat. Alio quoque modo: quoniam propheta dicit: *Regnavit Deus super gentes*, præterito tempore ut futuro utens, clamamus: *Adveniat regnum tuum*, Domine, id est, Veniant super nos misericordiæ tuæ. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra.* Sic enim loquitur: Domine, sicut voluntas tua in cælo facta est, omnesque angeli in pace degunt, nec est apud illos qui pellat vel pellatur, qui percutiat vel percutiatur, sed omnes in alta pace degunt: sic et in nobis terrenis hominibus fiat voluntas tua, ut omnes gentes uno ore, uno corde gloriam referamus Creatori et Servatori nostro. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Supersubstantialem panem accipere postulamus. Panis autem animæ est verbum Dei, ut dixit sanctorum quispiam: *Aperi, fili, os tuum verbo Dei* (*Prov.* 31. 9). Ideoque bonum esset recordari Dei frequentius, quam respirare. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Ita loquitur: Dimitte nobis debita nostra, id est, peccata et delicta nostra; sicut et nos dimittimus fratribus nostris, qui contra nos lapsi sunt et peccaverunt, tum liberis, tum servis, omnibusque subditis nostris. Hæc cum dicis, o homo, nisi ita facias, cogita quam terribile sit incidere in manus Dei viventis, et resipiscens convertere ad Creatorem et Dominum. *Sed libera nos a malo* (*Luc.* 22. 31). Si quærat satanas nos cribrare sicut triticum, ut et apostolos: ac re infecta, ut par erat, abiit; verum ne des illi potestatem adversum nos, ut neque olim contra Jobum dedisti; imo si improbus homo nos tentare vel lædere velit, ne nos tradas ejus voluntati, sed sub umbra alarum tuarum protege nos. *Quia tuum est regnum et potentia.* Domine, quia tuum est regnum, ne sinas nos aliud regnum timere, neque aliam dominationem; etiamsi ob peccata nostra supplicio digni simus. Tu nos quomodo volueris castiges, nec tradas nos in manus hominum; sed in manus tuas incidamus, quia par magnificentiæ tuæ est misericordia tua, Pater omnipotens, in sæcula. Amen.

MONITUM

AD HOMILIAM DE FILIO PRODIGO.

Hanc de filio prodigo homiliam nemo non statim advertat longe esse Chrysostomi dicendi genere alienam. Series perturbata et incondita est. Transit hic scriptor ab alio ad aliud argumentum quasi ex abrupto. Interdum *loquacitat*, aliquando meliora quædam admiscet. Stylus certe est totus ferreus. Oratio plena salebris, inculta, jejuna. Hic aliquando confutantur Manichæi, qui per sæcula multa in Oriente grassati sunt.

IN FILIUM PRODIGUM, AC DE POENITENTIA, ET IN LIGNUM SCIENTIÆ BONI ET MALI, ET IN LATRONEM.

1. Nuper nobis magnus et Deo dignus Servatoris adventus, lauta apposita mensa, et infuso cratere divinæ philosophiæ, totum populum, imo potius totum, ut ita dicam, orbem inebriavit; nam *Inebria-*

buntur, inquit propheta, *ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* 35. 9). Cum porro divina Scriptura ebrietatem dicit, non vinum inebrians intelligit, sed verbum sapientia imbuens. Adventum autem Servatoris sequutus est pœnitentiæ fructus; illius quippe fulgidam præsentiam pœnitentiæ fructus necessario sequuntur. Ideo hac de re hesterna die sermonem habuimus: non quidem pro argumenti dignitate, sed pro viribus tamen verba fecimus de pœnitentia, quæ est pharmacum salutis, medicusque prædicatur animarum et corporum, non qui vere per medicinam curet, sed qui benignitatis spiritu salutem afferat. Quia vero mentem nostram hinc et inde distractam evangelica lectio non affecit, necessarium est hodie paucis de re eadem repetitis, finem dicendi facere. Servator verbis, parabolis: ænigmatibus, variisque docendi modis pietatem in mentes fidelium inducens, parabolam dixit, quæ vivam pœnitentiæ ferret imaginem. *Homo quidam*, inquit, *habebat duos filios* (*Luc.* 15. 11), quorum adolescentior accedens, patrem rogavit ut divideret ipsis substantiam. Optatum consequutus est, et acceptam paternam substantiam dilapidavit. Argumentum nostis, explicatio jam afferenda est. Etiamsi enim a multis varie intelligi possit, veritas certe probis per seipsam manifesta evadit. Quid igitur hic suggerit fons ille sapientiæ? Primum ordinem justorum, et secundum ordinem eorum qui per pœnitentiam justificantur: eorum qui ab initio justitiam servarunt, et eorum qui per pœnitentiam ad justitiam reducuntur. *Homo quidam habuit duos filios.* Etiamsi vero propositum a pio impium disjunxit, at veritas ambos unum esse novit Creatoris opificium: omnes filii Dei sunt, etiamsi a dignitate per malam mentem excidant. Quamobrem Deus, etiamsi nos per malas cupiditates a pietate discedamus, non se patrem negat, sed ad rebelles paternam vocem emittit: *Convertimini ad me*, filii rebelles, *et convertar ad vos* (*Zach.* 1. 3). Viden', etiamsi aversus sit peccatoris animus, Deum non dedignari filios vocare eos, qui se averterunt? Suum quippe novit opificium, nec abnegat beneficium suum. Cur adolescentior bonis prave usus est? Ænigma est res proposita: et quomodo, audi. Initio justitia erat, apparebat, fulgebat; peccatum vero, ceu junior quidam, inductum est in mundum. Ideoque prior filius non locum obtinet ejus, qui male bona expendit. Prima enim illa creatio perfectum habuit decorem: cum novus esset mundus, nova gratia, novo decore fulgebat. Creatarum rerum pulchritudinem Moyses testificatur, dicens: *Et erant omnia bona*, nec solum bona, sed etiam *Valde bona* (*Gen.* 1. 31). Itaque prior fuit justitia, et bonum antiquissimum; peccatum vero recentius fuit: nam in justitiam ingressum est, et ejus decorem deturpavit. Divisit ergo illis æqualiter facultates suas. Cur æqualiter? Nihil enim amplius habent justi in hac vita: quandoquidem *Solem suum oriri facit super justos et injustos, et pluit super bonos et malos* (*Matth.* 5. 45). Verum qui in loco justorum adscriptus erat, noluit paternam sortem dividere, sed sub patris auctoritate mansit. Justus enim semper Deum sequitur, et in suam potestatem nihil redigit. Vis discere, justum nihil a Deo accipere velle, sed in sola patris sui providentia incedere? Id clamat David de justorum ordine: *Quid enim mihi est in cælo? et a te quid volui super terram* (*Psal.* 72. 25). Viden' justorum ordinem nolle in se creaturarum potestatem attrahere, sed sub Patris providentia earum dispensationem esse velle? Junior autem accepta paterna substantia abiit in regionem longinquam, non loco dissitam, sed moribus. Qui peccat enim, procul est a Deo, fratres, non loco, sed moribus, secundum illud: *Ecce qui elongant se a te, peribunt* (*Ibid. v.* 27). Acceptam vero paternam substantiam dissipavit: luxuriose vivens cum sorte quam acceperat, creaturam peccato fœdavit: acceperat solem ut eo frueretur, et donum ut deum adoravit: acceperat fontes ad delicias, et donum deum esse putavit: ignoravit donantem, et dona affecit honore; quod ægre ferens clamat Paulus: *Et servierunt creaturæ potius, quam Creatori* (*Rom.* 1. 25). Ipsa creatura est, ipsa paterna substantia: et alius bene, alius male illa est usus. Ordo hic est, ordo ille est; hic bene, ille contra. Pius videt cæli pulchritudinem, et ex pulchritudine Opificem cogitat: nam ait ille: *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum* (*Psal.* 8. 4). Vidit pulchritudinem, et gratias egit tantæ pulchritudinis Opifici: vidit mundum, et laudavit eum qui mundum ornavit. Nam pius creaturam laudat, Creatorem vero adorat: pii quando a creaturarum adoratione refugiunt, non creaturam contumelia afficiunt, sed Domino tribuunt honorem. Non odit fidelis solem, quia non colit lucem cum impiis; sed honori modum imponit: atque visibilia in pretio habet et amat ut Dei dona. Vis videre quomodo justus respiciat et miretur pulchritudinem, et adorationem Conditori reservet? Ait sapiens quidam, secundum pietatem, inquam, sapiens: *Sol lucens in excelsis Domini, vas mirabile, opus forte, radios ignitos emittens, illuminans cœlum.* Et quid statim? *Magnus Dominus qui fecit illum* (*Eccli.* 26. 18. *in Græco*). Et pulchritudinem prædicavit, et Creatorem non occultavit. Impius autem male vidit cælos enarrantes gloriam Dei, non verbis, sed opificii pulchritudine (*Psal.* 18. 1): neque enim cælum umquam vocem emisit, sed voce clarius testimonium effert ob decorem suum. Num silens cælum enarrat gloriam Dei? Sane quidem. Literæ tuæ tacentes loquuntur, et elementa Dei tacentia non loquentur? Accepisti gustum pietatis; ex gustu totam accipe veritatem. Impii portionem scrutare: quomodo ex iisdem ipsis impingat, ex quibus pius justificatur. Videt lunam et adorat illam, videt stellas et colit illas, videt mare et deum esse putat. Qui in fornacem Babylonicam immissi fuerant, salutari et pulchra confessione sua Deum per opera celebrabant, dicentes: *Benedicite omnia opera Domini Domino* (*Dan.* 3. 57). Hac emissa voce hymnus claudendus est. Neque enim laudum longitudo, sed laudantium propositum Deum delectat. Cum dicit ergo, *Omnia opera*, universa complectitur, nec opus est additamento. Sed quia non sibi ipsis prædicabant, sed Deum celebrabant, et per hymnum adstantes Chaldæos instituebant, necessario hymnus omnes creaturas prosequebatur, ut errantes Chaldæi discerent quid laudaretur, et quænam essent ea quæ laudarent.

Verum quia in multam speculationem nos sermo deduxit, illa dimissa, ad propositum revertamur. Profectus est ille adolescentior filius in regionem longinquam, et male dissipavit substantiam suam, et cœpit egere. Nam *Divites eguerunt et esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono* (*Psal.* 33. 11). Dominus enim *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia* (*Psal.* 82. 13). Cœpit egere. *Et accessit ad unum ex principibus regionis illius, qui misit illum ut pasceret porcos* (*Luc.* 15. 15). Videte, quanta sublimitas priscæ nobilitatis; quanta abjectio ejus qui a pietate descivit. Missus est ut pasceret porcos; id est, ut voluptatibus et peccatis repleretur: quod enim est cœnum porcis, idipsum est peccatum iis qui sic fœdantur. Ideo Servator illos subindicans, qui in immunditia vivunt, et qui in peccatis ut in luto volutantur, dicebat: *Nolite dare sancta canibus, neque margaritas vestras projiciatis ante porcos* (*Matth.* 7. 6). Pascebat porcos. *Desiderabat autem saturari de siliquis, quas comedebant porci: et nemo illi dabat* (*Luc.* 15. 16). Hic diligenter attende. Qui a pietate descivit, ne ipsis quidem voluptatibus fruitur, sed indigentiæ subjicitur, et ad paupertatem condemnatur; ita ut ne malorum quidem, quæ elegit, copiam habeat. Nam *Stultus*, ait ille, *in indigentia morietur* (*Prov.* 10. 22). Sæculares ergo voluptates siliquis comparat; siliqua enim multam habet asperitatem, modicam suavitatem: ac quæ in mundo læta et desiderabilia videntur, multum habent laboris, tantillum voluptatis. Vita quippe nostra majori labori, quam

lætitiæ addicta est. *Dies* enim *annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni, et amplius eorum, labor et dolor* (*Psal.* 89. 10). Demum penuria ipsum erudivit, ærumnæ ipsum converterunt. Nam *Erudiet te defectio tua, et nequitia tua arguet te* (*Jer.* 2. 19). *In seipsum autem reversus* (*Luc.* 15. 17). Pulchre dicitur, *In seipsum.* Nam cum peccamus, extra nos sumus, insanimus, extra proprias cogitationes deferimur: cum vero juste procedimus, in nos ipsos revertimur. *In seipsum reversus,* dixit. Hic animadverte, quam id vere dicatur. Medici enim remedia adhibent peregrina et aliena, pharmaca autem vitæ nostræ ex nobis ipsis habemus. *In se reversus.* Non alieno usus est pharmaco, sed suo, nempe ex naturæ penu; illo usus est ad salutem, et ait: *Quot mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem fame pereo?* Filios vocat divina Scriptura eos, qui prorsus justitiæ et pietati dediti sunt; mercenarios autem eos, qui non omnimodum affectum erga illam habent, neque in exercitiis vitæ penitus, ea quæ Dei sunt, curant; sed bonum quidem intelligunt, et verbum amant, at totum animum ipsi non applicant. Et his quidem, qui omnino fervent amore, quique pietate imbuti sunt, secundum propositi rationem Deus mercedem tribuit. Jure ergo dicebat ille: *Quot mercenarii patris mei abundant panibus: ego autem fame pereo?* Revertar ad patrem meum: revertar, sicut dixit ille: *Convertere, anima mea, in requiem tuam* (*Psal.* 114. 7). *Et dicam, Pater, peccavi in cœlum et coram te* (*Luc.* 15. 18. 19), *et jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* Alia sunt verba pœnitentis, et alia dona pœnitentiam recipientis. Qui peccator ad pœnitentiam venit, non regnum cælorum in imaginatione versat, non vita æterna se dignum judicat, sed solum precatur, ut gehenna liberetur. Ille igitur modica exspectat, Deus vero magna divitiarum beneficia ipsi largitur. Sed, o miraculum! ille solum pœnitentiam cogitabat; et pater statim benignitate sua prævenit eum: non exspectavit donec confessionis verba exciperet; sed petitionem prævertit, secundum dictum illud: Priusquam invocaveris me, dicam, *Ecce adsum* (*Isai.* 58). Vidit filium procul venientem, et occurrit ipsi. Viden' quomodo clementia pœnitentiam præveniat? Ideo David cum morbum peccati pœnitentiæ pharmaco depulisset, sciens quod Deus peccatorem præveniat, ipsum rogat, dicens: *Exsurge in occursum meum, et vide* (*Psal.* 58. 6), quod sincere ad te veniam, vere pœnitentiam amplectar. Excepit pater filium: ille vero patri dixit: *Peccavi; jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* Hic illum pater non alloquitur, nec respondet ipsi, sed servis suis dicit: *Proferte ipsi stolam primam* (*Luc.* 17. 22). Quid sibi vult illud ænigma? Multis precatur pœnitens, responsionem non obtinet, sed opere clementiam videt. Hinc perspicimus, pœnitentiam nostram verbis, Dei benignitatem operibus exprimi. *Proferte illi stolam primam*, quam per transgressionem perdidit: *Date quoque ipsi calceamenta.* Quare? Quia serpens peccantes oppugnat, secundum illud: *Ipse observabit caput meum, et tu insidiaberis calcaneo ejus* (*Gen.* 3. 15). Ne perniciosus serpens ad nudum pedem accedat, neve rursum venenum peccati effundat adversus eum, qui a peccato liberatus est, calceamenta ipsi apponit ad tutelam. Nisi enim calceamenta acceperit, non potest calcare supra serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici (*Luc.* 10. 19). Ideo adversus serpentis morsus muniens Paulus, modo clamabat: *Timeo ne, sicut serpens Evam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate, quæ est in Christo* (2. *Cor.* 11. 3). Verum hic exsurgit ceu novum quoddam spectaculum, quæstio nempe illa celebris: multi enim creationem redarguunt. Cur, inquiunt, serpens in paradiso? cur lignum tantam malorum materiam tulit? cur Creator lignum tale plantavit? quomodo non absurdum fuerit, cum hortulanus homo curet contraria semina et alienas herbas a propriis seminibus eliminare, et a noxiis terram suam custodire; Deum qui talem et tantum constituit paradisum, arborem paravisse unde tanta malorum materia emanatura erat? Ad hoc nos argumentum ducit divinus Paulus, cum ait: *Timeo ne, sicut serpens Evam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate in Christo.* Quid ergo, fratres? Ex iis quæ sigillatim excutiuntur multa et superflua mittentes, ad compendium veniamus. Deus omnia fecit bona, nec simpliciter bona, sed et *Valde bona* (*Gen.* 1. 31). Hoc enim additamentum bonitatem summam opificiorum omnium declarat. Dat igitur Deus Adamo copiam rerum, usum, potestatem, ut fruatur paradiso, et visibilibus imperet. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram: et dominentur piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis et jumentis, et universæ terræ* (*Ibid.* v. 26). Hic dedit paradisi potestatem, dedit delicias et usum fructuum. Erat ergo rex constitutus, habens visibilium potestatem, et paradisi usum. Opus ergo erat, ut præceptum daretur Adamo, quod animam ejus ad obedientiam exerceret. Multi vero dicunt: An nesciebat Deus Adamum esse transgressurum? cur ergo legem dedit ei, qui transgressurus erat? Rogo caritatem vestram ut mecum concertet, cum ad hoc confutandum multo sit labore opus: hic enim divinam formationem creationemque defendimus. Fecit hominem: omnium dat illi usum, præcipit illi ut ab omnibus comedat. Si angustum præceptum esset, si pauca comedere permitteret et a pluribus abstinere juberet, excusari posset transgressio, quod tam angustus rerum usus occasionem voluntati daret prævaricandi. Sin magna rerum copia erat, et paucissima prohibita fuere, cur benefactorem per obedientiam non honoravit? Verum objici posset, rerum quidem copiam dedisse, sed non tantam aliarum arborum fuisse pulchritudinem. Erat enim *Pulchrum aspectu, et gustu bonum* (*Id.* 3. 6). Ut igitur hanc quoque speciosam excusationem præscinderet Deus, quam dedit huic ligno pulchritudinem, eamdem quoque cæteris omnibus indidit. Dicit enim Moyses: *Produxitque Deus omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave* (*Id.* 2. 9). Cur ergo præceptum datum est? Ut disceret se et legi et Domino subditum esse. Cur hoc præceptum, non aliud dedit? Non erat aliud obedientiæ exercitium. Quid enim oportuit Adamo dicere Deum? an non furaberis? Cujusnam bona furatus esset? Quam legem dare oportuit? non occides? Quem occidisset? Non mœchaberis? Cum cujus uxore? Non concupisces? Cujus facultates? Nulla erat præcepti materia; nondum erat mundus, nondum illa, quæ nunc est, mundi confusio. An dicendum erat, Non calumniaberis? Quod tunc forum judiciale erat? qui accusatores, qui accusati? Dat ergo præceptum ratione præsentis usus fructus: ut rerum omnium copiam homo haberet, ab hac solum abstineret; ut dum omnibus frueretur, propositam sibi haberet potestatem usum ligni illius prohibentem; non quod arbor illa mala esset, sed transgressio improba erat. Quemadmodum enim lex naturæ virginem vult connubio legitimo jungi; si qua autem virgo, aut patris voluntatem, aut connubii tempus præveniens, luxuriæ se dederit, inevitabili plectitur pœna; non quod aliud fecerit, quam cæteræ virgines faciunt, sed quod contra legem et patris placitum se ad peccatum dediderit; plectiturque non ob rei naturam, sed ob transgressionis modum: sic et Adam fit supplicio obnoxius, non quod quidpiam ex natura sua vetitum acceperit, sed quod rem præcepto prohibitam sumpserit.

2. Lege commentaria. Cur de rebus tibi ignotis contendis? Quando vis veterum rerum historiam aut jura scrutari, annon commentaria vetera accipis, et verba discis, tum quæ ad accusationem, tum quæ ad defensionem excusationemque pertinent, quænam a judice et calculum ferente dicantur; et sic ea quæ oblivione deleta erant, in memoria repetere curas? Lege itaque commentaria veteris historiæ. Cum sede-

ret Judex veritatis; imo potius cum delictorum nostrorum medicus ad sontem cum amici habitu accessit, quid ait illi? *Adam, ubi es?* Quid respondit Adam? *Vocem tuam audivi, et me occultavi, quia nudus sum* (*Gen.* 3. 9. *et* 10). Quid ergo ille qui omnia novit? Ignorantiam simulat et dicit : *Et quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo solo præceperam tibi ne comederes, comedisti* (*Ibid. v.* 11)? Ostendit illum omnium fere copiam accepisse, neque ex angustia rerum fruendarum ad prævaricationem venisse. Quid ad hæc reus? *Mulier quam dedisti mihi, ipsa mihi dedit* (*Ibid. v.* 12). Adam mulieri peccatum adscribit, et tu arbori adscribis? Qui accusabatur, mentiri non potuit; non invenit aliud perfugium extra veritatem, non Creatori causam imputavit, sed uxorem accusavit; et tu res accusas, quarum vim ignoras? Ecquid Evæ dixit Deus? *Cur hoc fecisti* (*Ibid. v.* 13)? Illa vero interrogata causam affert : *Serpens decepit me.* Num creationem perstrinxit? num Creatorem incusavit? num dixit, Cur nos fecisti? cur ligni fructum prohibuisti? Quæ accusationibus impetitur, non invenit quo pacto mentiatur. Solent enim accusati ea quæ non sunt comminisci, ut crimen effugiant. Accusata ergo illa non invenit aliud perfugium; et tu ea, quæ illi culpæ obnoxii non attulerunt, ad Deum accusandum profers? Sed rursus ad propositum revertar. *Adam, ubi es?* Cum vidit ora peccantium obstructa, nec ullam peccanti inesse fiduciam, interrogantis more viam ipsi excusationis aperit. Prævaricatus me occultavi; audita tua, Domine, benignitate, ad me excusandum accessi. Et vide justum Judicem. Non statim examinat eam quæ peccarat, sed eum qui deceptus fuerat : et merito quidem; nam gravius fuisset judicium, si a noxia muliere cœpisset. Verum incipit ab eo qui poterat parvam saltem invenire excusationem, quia ab alia persona deceptus fuerat. A viro itaque ad mulierem procedit, et dicit : *Cur hoc fecisti?* Respondet illa Domino : *Serpens decepit me.* Serpens decepit? Fallacia in excusationem admissa fuisset, nisi prævium præceptum errandi viam clausisset; nisi dixissem, *In quacumque die comederitis de ligno, morte moriemini*, locum fallacia habuisset. Cur non Dei verbum, sed fallacia admissa fuit? Sic Creator inculpatus fuit, prævaricator autem culpæ obnoxius. Sed ad propositum revertamur. Perquisitio criminis a decepto ad decipientem progressa est, sententia vero in malorum auctorem prolata fuit. Primo Dei vindicta contra illum fert calculum, neque statim contra virum vel contra mulierem pronuntiat, sed contra serpentem. Et vide Judicis consideratam tarditatem. Non serpentem ad examen vocat Deus; non enim in alium vult culpam referre, neque aliud perfugium reperire. Quid igitur ait illi? *Maledictus es inter omnia animantia terræ* (*Ibid. v.* 14). Serpens instrumentum apparens est, diabolus vero est qui invisibiliter per serpentem decipit. Cur contra instrumentum pœna profertur, et non contra facinoris auctorem divina vindicta exercetur? Et contra peccatum profertur, et contra instrumentum peccati. Nosti quod tauro ratione destituto, si cornibus impetat, pœnam mortis Deus statuat, et illum impetum puniat. Sic igitur hic contra serpentem fert sententiam, ostendens, si instrumentum peccati ita supplicio afficit, multo magis auctorem se plexurum esse. Ideo beatus Isaias comminationem illam contra serpentem pulchre accipiens ait; Et erit in novissimis diebus, *Inducet Deus gladium sanctum, grandem et fortem super draconem, serpentem fugientem, super draconem, serpentem tortuosum, et occidet draconem in die illa* (*Isai.* 27. 1). Draconem vocat diabolum, et serpentem tortuosum, ipsum dæmonum principem. Sic et Salvator ait : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones* (*Luc.* 10. 19). Et ne putes agi de rebus sub sensum cadentibus, addit, *Et supra omnem virtutem inimici.* Sed cum audieris draconem et serpentem, ne radicem malitiæ suspiceris esse, ut aiunt Manichæi. Non enim fuit radix mali, neque natura nequitiæ, sed propensio ad iniquitatem. Vides, inquit, quomodo Scriptura vocet illum serpentem et draconem, et quasi quamdam extraneam naturæ malitiam inductam? Verum hæc sunt impiorum verba vana, inania et ratione destituta. Nam cum Dominus dicit hominibus, *Serpentes, genimina viperarum* (*Matth.* 23. 33), non naturam accusat, sed propositum. Sic non oportet dictionibus hærere, sed a sententiis institui.

3. Sed rursus digladiantur, et aliam proferunt quæstionem. Cur lignum vocavit scientiæ boni et mali, nisi Scriptura sacra vellet ligni aliquam hujusmodi naturam indicare? Ne veritatem temere calumnieris, mi homo. Lignum enim, boni et mali non naturam genuit, sed occasionem tulit : atque ita vocabatur, non quod talem naturam haberet, sed quod secundum prolatam sententiam id efficeret. Quid Adamum docuit gustatio? Bonum esse Deo obedire, malum ei non obsequi : et hæc est scientia boni et mali, nihilque aliud omnino. Quam enim statim habuerit scientiam bonorum, ubi aperti sunt ejus oculi? quod aliud bonum vidisset? eleemosynam? Sed qui pauperes illic erant? Quid vidit? bonam esse humanitatem? Sed quam invenit humanitatis occasionem? Quid ergo vidit? Bonum esse obedire, malum non obsequi Benefactori. Quis hæc declarat? Scriptura quæ dicit : *Si renuntietur tibi, o homo, quid sit bonum, aut quid Dominus requirat a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum* (*Mich.* 6. 8. *et Deut.* 10. 12). Viden' bonum esse timorem Domini, et malum esse non obsequi Deo? Inhorruit, inquit, cælum, et stupefacta est terra : *Duo enim mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* (*Jer.* 2. 12. 13), etc. Cur ergo dixit, inquies : Ne tetigeris lignum, de quo si comedas, per transgressionem cogniturus es bonum et malum? quare? Ego tibi paucis declarabo. Solet divina Scriptura talia rebus nomina dare, qualia ex occasione quapiam sortiuntur : verbi gratia, Isaac puteum fodit, et Philistæi venientes de puteo concertabant, et sibi illum attribuerunt, alienis fruentes laboribus. Quid ergo Isaac? Vocavit nomen putei, Inimicitiam. Non puteus inimicitiam fecit, sed occasio rei circa ipsum actæ; ideoque Puteus inimicitiæ factus est. Fecit et alium puteum, qui sublatus ipsi fuit : et vocavit illum, Puteum injustitiæ; non quod ipse puteus injustitiæ esset, sed quia circa puteum materia injustitiæ fuit. Similiterque ministri Joabi et Abenneri circa fontem, ut sciunt Scripturæ periti, sibi mutuo insidiabantur, et vocatus est locus, Portio insidiatorum (2. *Reg.* 2. 13. 16). Rursum hic non locus insidias peperit, sed occasio nomen loco indidit. Ita et in Adamo factum est. Quia ab ortu experimentum habiturus erat, bonum esse obedire, malum non obsequi; ideo arbor ex occasione nomen accepit. Verum hæc hactenus. Utinam vero nos a ligno illo fugiamus, et ad lignum vitæ accurramus, ad lignum crucis, quod fructus justitiæ tulit, quod virginitatem germinavit, et sanctimoniam protulit, fructusque varios persolvit, multis diversisque muneribus comantes; cum videlicet in ipsa sensibili defixione crucis magna singularisque salus parta est; non illam dico, quam Servator mystice dispensavit, sed illam, quam latro ille palam abripuit. Quia enim Adam per lignum ex paradiso ejectus est (*Justus es, Domine, et recta judicia tua* [*Psal.* 118. 137]); quia per peccatum unum Adam ejicitur, per unam fidelem confessionem latro introducitur in paradisum. Crucifigeris cum iniquis, et iniquis salutem paris. Dicit ei latro : *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* 23. 42). Latro certe iste non finem fecit latrocinandi, donec cum aliis etiam regnum cælorum abripuit. Alius vero latro Domino conviciatur : *Si Filius Dei es, salva temetipsum et nos* (*Ibid. v.* 39). Verba latronis affinia sunt verbis Judæorum : nam et illi dicebant : *Si Filius Dei es, descende de cruce* (*Matth.* 27. 40), et credemus tibi. Viden' quam concordem habeant filii diaboli impietatis disciplinam? *Salvum fac*, inquit, *temetipsum et nos*

(*Marc.* 15. 32). Quid ergo beatus latro? Dominum defendit; et qui damnatus est, personam judicis assumit, et incipit judicare in veritate : *Neque tu times Deum, quia in eadem damnatione sumus. Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus; hic autem quid fecit* (*Luc.* 23. 40. 41)? Dic mihi, o latro, cur non coram Pilato breviter confessus es? cur post mille tormenta, non tunc dixisti, quid feceras? Aliud erat homo judex, aliud Deus judex. Illi occultare studebam, qui non noverat quæ in corde erant; huic non occulto, qui in corda penetrat. Cur Pilato non breviter confessus es? Quia ibi confessionem sequebatur supplicium : hic vero confessionem sequitur salus : nam, *Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris* (*Isai.* 43. 26). Videre igitur erat Servatorem in medio latronum, jugum justitiæ : videre erat librantem fidem et infidelitatem, justitiam et injustitiam. Traxit medium justitiæ tribunal; et qui infidelitatis pondere pressus erat, trahebatur, qui vero fide sublimis erat, attollebatur. *Nos quidem*, inquit, *digna factis recipimus; hic autem quid?* Et nunc video, ait, injustitiam ipsamque stupendam; justum cum injustis crucifixum, et æquitatem cum iniquitate plexam. *Nos quidem digna factis recipimus; hic autem quid fecit?* Nos cædes patravimus, vivos occidimus : hic mortuos ad vitam reduxit, et mortis vim solvit : nos aliena rapuimus; hic sua quemque dare jubet : nos eos, qui nihil nos læserant, occidimus; hic inimicos diligere docuit. Injustum est judicium. Num hujus opera supplicio, nostra remissione digno sunt? Judicate secundum veritatem. Nequitia fugiat, justitia honoretur. Verum hæc ex Judæorum nequitia facta sunt, impletumque est mysterium propheticum, clare de Salvatore dicens : *Et cum iniquis reputatus est* (*Id.* 53. 12. *Marc.* 15. 28) justus. Sed beatus quidem latro ita philosophabatur; sic præsentes erudiebat, dum alteri exprobraret. Ut autem mortuum vidit præsentium auditum, vertitur demum ad eum, qui novit interiora cordis, et dicit Domino : *Domine, memento mei in regno tuo.* Crucifixum vides, et Dominum confiteris : damnati formam vides, et Regis dignitatem prædicas? Ecquid miramur, fratres, si Paulus post tantam mysteriorum disciplinam, post tantam miraculorum experientiam dicat : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (1. *Cor.* 2. 8)? Hoc Paulus prædicat post tanta cognita mysteria, post miracula et signa, post mille operationes, post resurrectionem, post assumptionem. Latro autem, visa tanta contumelia, cruce defixa, Dominum vocat eum, qui crucifixus est, et dicit ei : *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Quid dignum memoria fecisti? quid non dignum supplicio fecisti? annon occidisti? annon furatus es? annon latrocinatus es? Sexcentis fœdatus malis rogas illum justitiæ fontem, ut iniquitatis tuæ meminerit? Etiam, *Domine, justus es, et recta judicia tua* (*Psal.* 118. 137). Redde mihi secundum justitiam tuam. Ego vidi apertam contumeliam tuam, crucem, et opprobrium ab iniquis illatum : nec jam video apertam illam contumeliam, sed occultum regnum. Ego quæ video, despicio; tu non despicis aperta mea delicta, et mentis fidem admittis? *Memento mei, Domine.* O justum judicium! Memento mei in regno tuo. Non esset justum, Domine, dum diabolus unum ex discipulis proditorem facit, te unum ex discipulis diaboli non mutare in evangelistam. Discipulum veritatis rapuit injustitia, et discipulum injustitiæ non mutabit veritas? Nonne tu es, Domine, qui mutas tenebras in lucem, et tortuosa in rectam viam? Muta quoque latronem in evangelistam, vince bonitate nequitiam, exstingue justitia iniquitatem, et da gloriam benignitati tuæ, quam decet gloria et adoratio in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN HOMILIAM

IN MULIERES UNGUENTA FERENTES.

De hac seu homilia seu dissertatione hoc tulit judicium Savilius Tom. 8, col. 746 : *Homilia erudite quidem illa et acute contexta, sed nullo modo Joannis nostri, aut in dubiis saltem, aut in controversis, relinquenda. Adde quod quibusdam in locis sibi ipsa pugnare videtur, in aliis veritati.* Secum pugnat homiliæ auctor, cum post allatum Joannis locum (*Et vidit et credidit. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos*) adjicit ipse, *Nihil de resurrectione credentes* : cum ipse Joannes de se loquens dicat, ipso referente, *Et vidit et credidit* : nempe, ut vidit monumentum vacuum, resurrectionem credidit. Nam quod adjicit, *Nondum enim sciebant Scripturam*, etc., ad tempus præcedens, ut liquet, referendum est.

Contra veritatem porro et verisimilitudinem pugnat per totam fere homiliam : ut cum affirmat Mariam Jacobi esse B. Virginem Deiparam, venisseque primam ad monumentum cum Maria Magdalena, incipiente hora septima noctis, quæ inter Sabbatum et Dominicam intercedit : tenuisseque ambas Christi pedes, illumque adoravisse. Neque tamen, inquit, crediderunt apostoli Mariæ Virgini et Magdalenæ id narrantibus; imo, pergit ille, Magdalena apostolos videns dictis non credere, ipsa quoque putavit se non vidisse id quod viderat, et imaginariam fuisse visionem. Cætera non persequor, quæ ille contra omnium opinionem asserere nititur : supponit tamen ille, ut et alii plurimi, Mariam Magdalenam aliam esse a Maria sorore Lazari. Stylus est totus perplexus, spinosus, incultus, et a grammaticæ legibus plerumque aberrat.

IN MULIERES QUÆ UNGUENTA ATTULERUNT : ET QUOD NULLA DIVERSITAS VEL PUGNA REPERIATUR INTER EVANGELISTAS CIRCA RESURRECTIONEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

1. Age de evangelistarum historia circa sanctam Christi resurrectionem pauca vestræ caritati disseramus, ostendamusque nullam ea de re apud evangelistas discordiam vel pugnam repiriri. Quia enim hac de re vario modo loquuti sunt quatuor illi, visum est quibusdam insipientibus, in hac recensione pugnam, imo mendacium deprehendi. Sancti vero Patres nostri paucis illorum stultitiam confutarunt dicentes, singulos evangelistas singulas profectiones mulierum et apostolorum ad divinum sepulcrum narravisse, quæ diversis fuere temporibus; nullumque eorum meminisse quæ in alterius narratione ferebantur, sanctissimo Spiritu, qui per ipsos loquebatur, ita dispensante, ut nihil tunc gestorum prætermitteretur, et cum omnes diversi temporis historiam persequerentur, omnis suspicionis materiam effugerent. Ve-

rum quia, etsi diversa distinguamus tempora et diversas mulierum ad sepulcrum profectiones, quas Patres invenerunt, quidam tamen, inspirante dæmone, non consona nec congruentia in Scriptura a mulieribus dici jactitant; age, afflante sancto Spiritu, illa pro viribus explicemus. Novi enim nos, Deo juvante, quod diversa tempora cum (diverso) personarum adventu congruant, circa Scripturæ verba non prolapsuros esse. Jam vero de Dominica passione paucis agamus. Dicebamus traditum fuisse Dominum Pilato : deindeque crucifixum et mortuum fuisse ut hominem. Sepultus quoque fuit, et lapis magnus sepulcro impositus est, qui obsignatus fuit a Judæis, et custoditus a militibus. Hæc quandonam? Vespera Parasceves : nam sabbatum illucescebat (*Luc.* 23. 54). Multæ namque probæ optimæque mulieres, quæ cum illo ascenderant ex Galilæa, viderunt ea quæ facta sunt, et sepulcrum, et corporis situm (*Marc.* 15. 47). Et sabbato quidem, ut scriptum est, quieverunt ut præceptum erat, emeruntque aromata et unguenta, ut venientes ungerent Jesum (*Luc.* 23. 56). Hinc animadverte, dilecte, rei concentum. Unguenta sabbato paravere Maria Magdalena, Joanna, Salome et reliquæ mulieres, ut postea venientes una sabbatorum, id est, Dominica, ungerent eum. Sed Maria Jacobi, quæ erat Deipara (ita enim tunc vocabatur, ut noverca Jacobi, qui appellabatur frater Domini), præ dolore non potuit per totam noctem sabbatum insequentem differre, sed vespere sabbatorum statim venit, hoc est, tarde post sabbatum. Sane quidam evangelistarum Vespere sabbatorum habent, ut solemus dicere, Tarde post horam, tarde post tempus (*Matth.* 28. 1. *in Græco*). Neque enim statim in vespera sabbati venit, sed vespere, id est, sero sabbatorum. Significat autem mediam noctem, vel paulo postea. Undenam id liquet? Ex eo quod secundum promissionem suam resurrecturus esset tertia die, sive in sancta Dominica. Ipsa enim tertia dies erat a Parasceve, in qua crucifixus fuerat. Dominica vero a septima noctis hora incipit (*a*), desinitque in sextam horam sequentis noctis. Et sic totam diem numerans non impinges in mundi creatione, ubi dicitur : *Et factum est vespere, et factum est mane, dies unus* (*Gen.* 1. 5). Postquam enim media nox præterivit, sol terram prætercurrens, partes orientales statim illuminat, etsi illud minime nobis appareat, atque matutinum illis gentibus efficit. Ita enim matutinum nobis aliis aliisque horis secundum solis accessum exhibetur : neque matutinum simile est apud omnes eodem tempore. Post mediam igitur noctem, illucescente Dominica, resurrexit Christus ex mortuis, id est, tertia die secundum Scripturas. Sancta itaque Virgo et Deipara Maria, quæ plus quam omnes dolerel, cum sollicitudinis sociam invenisset Mariam Magdalenam (hæc enim diligentissima mulier erat; ideo a quatuor evangelistis [*Matth.* 28. 1. *Marc.* 16. 1. *Luc.* 24. 10. *Joan.* 20. 1] memoratur), venit statim post mediam noctem, nimirum vespere sabbatorum ad sepulcrum : non cum aromatibus (neque enim id ferebat tempus), sed tantum ut videret sepulcrum. Hæc prima profectio fuit venerandarum sanctarumque mulierum, quam narrat Matthæus evangelista (*Matth.* 28. 1). Deinde illis in monumentum ingressis, accidit repente terræ motus; angelus revolvit lapidem ex monumento, et sedit super eum. Dominus autem resurrexerat. Neque enim dixit evangelista, jam revoluto lapide, tunc Dominum exivisse de sepulcro; sed angelum revolvisse lapidem, et sedisse super eum. Nam Dominus, cum utpote Deus corpus suum incorruptione decorasset, etiamsi lapis monumento impositus esset, exivit inde : quemadmodum et vespera ipsius Dominicæ januis clausis ingressus est ad discipulos suos (*Joan.* 20. 19). Hæ autem duæ mulieres, nempe sancta Virgo Deipara et Maria Magdalena, cum timore et gaudio magno regressæ, ut apostolis annuntiarent resurrexisse Dominum, sicut dixerat ipsis angelus, et ut irent in Galilæam, ubi illum visuri erant, ipsi incarnato Verbo Deo obviam ierunt. Et cum dixisset illis, Gaudete, procumbentes, pedes ejus tenuerunt, et adoraverunt eum. Dominus vero non increpavit illas, quod ipsum tetigissent (in primis enim viderunt illum); imo potius consolatus est illas, dicens: *Nolite timere vos, sed ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, et ibi me videbunt.* (*Matth.* 28. 10).

2. Hactenus Matthæus circa mulieres. Profectæ autem illæ ad discipulos, nuntiarunt ipsis et omnibus qui cum illis erant, verba angeli et verba Domini, et quomodo illum vidissent; neque hoc tantum, sed etiam quod pedes ejus tenuissent. Discipuli vero Domini ex magno et inenarrabili dolore, quem de cruce conceperant, ne audire quidem illas potuerunt (*Marc.* 16. 11). Et de Magdalena quidem nec verbum, puto, fecerunt; de Matre vero Domini, quam honorabant et reverebantur, in semetipsis dixerunt, doloris vim ipsius mentem, visum, auditum, tactum turbasse et decepisse. Illa vero pura et splendida Virginis anima ex iis, quæ viderat et tetigerat, firmiter persuasa, hic subsistit, nec amplius cum discipulis contendit : neque ulterius ad monumentum profecta est, quod iis, quæ viderat, sine ulla dubitatione crederet. Maria vero Magdalene primo apostolis cessit, se quasi vilem et abjectam reputans, neque primæ visioni credidit; sed imaginariam tantum esse putans, secum assumit Joannam quampiam, alteram Mariam, aliasque mulieres cum aromatibus (*Luc.* 24. 10), ac pergit rursum noctu. Valde diluculo, id est, antequam multa lux effulgeret, cum diluculum seu crepusculum vix appareret, ingreditur cum cæteris ad monumentum : jam enim lapis revolutus erat (*Ibid. v.* 2). Corpus autem Domini non invenerunt, (quomodo enim invenissent?) dum autem apud se dubitarent, ecce adstiterunt illis viri duo (erant fortasse sancti angeli) in vestibus fulgidis. Illis vero timentibus, non modo quia metum intenderant angeli, sed quia increpantium speciem habebant, dixerunt illis : *Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit* (*Ibid. v.* 5. 6). Animadverte, dilecte, quo pacto comprobetur hanc non esse primam mulierum ad sepulcrum profectionem : nam, si mulieres nihil vidissent vel audissent circa Domini resurrectionem, absurde increpassent illas his verbis : *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Sed, ut palam est, cum jam audissent omnes a mulieribus, quæ Dominum viderant, et ab ipso audierant ipsius ad discipulos responsionem, neque credidissent; ideo nunc increpant illos angeli : erant enim quidam viri cum prædictis mulieribus. Quis hæc ait? Lucas evangelista. *Una*, inquit, *sabbatorum valde diluculo venerunt mulieres ad monumentum, ferentes aromata quæ præparaverant; et quidam erant cum illis* (*Ibid. v.* 1). Deinde non modo increparunt illos angeli, sed etiam exprobrarunt illis dicentes : *Recordamini quomodo loquutus sit vobis, cum adhuc esset in Galilæa, dicens : Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et tertia die resurgere. Et recordatæ sunt*, inquit, *verborum illius* (*Ibid. v.* 6-8). Deinde rursus abscedentes hi tum viri tum mulieres cum Maria Magdalene, hæc renuntiarunt discipulis, cum Maria Magdalene bis sepulcrum vidisset, alii vero semel. *Visa sunt autem*, inquit, *discipulis quasi deliramenta verba eorum, nec credebant ipsis.* (*Ibid. v.* 11). Si quis autem quærat, cur evangelista viros illos non nominavit, qui in secunda profectione cum mulieribus abierunt; suspicor ego non fuisse de numero insignium, sed vel servos mulierum, vel qui sub earum manu essent. Certe cum Petrus excitatus, quod bis et a pluribus audisset resurrexisse Dominum, solusque statim ad monumentum abiisset, ipsius nomen evangelista

(*a*) Dies incipiebant a media nocte, more Romano, non Judaico.

diserte posuit, dicens : *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, et inclinato capite videt linteamina posita sola, et abiit secum mirans quod factum fuerat* (*Luc.* 24. 12). Observes velim, carissime, ipsum, cum jam primo solus venisset, ad monumentum intrare non ausum fuisse, sed inclinato tantum capite respexisse, et vidisse linteamina posita; quia locum totum nondum accurate viderat: qua de re jam speciatim acturus sum.

3. Hæc Lucas evangelista de secunda mulierum profectione narrat. Quid vero deinde? Ardebat animo Maria Magdalena, quod ne nunc quidem discipuli crederent, non sibi, non comitibus suis; sed verba sua quasi deliramenta haberent. Surgensque sola mane, id est, illucescente die, cum jam crepusculum præteriisset, sed adhuc tenebræ essent, in monumentum jam tertio venit : *Et vidit lapidem sublatum ab ostio monumenti* (*Joan.* 20. 1). *Currit ergo, et venit ad Simonem Petrum et Joannem* (*Ibid. v.* 2). Et vide prudentiam mulieris. Animo torquebatur, quod primo profecta cum Deipara, cum discipulis nuntiasset resurrectionem Christi, non ei creditum fuisset : ac rursus valde diluculo cum aliis mulieribus et viris profecta, quasi deliramenta dixisse visa fuisset. Torquebatur vero, non tantum quod sibi non crederetur, sed quod nullus eorum profectus esset ad monumentum, ut id videret; sed sive præ metu Judæorum, sive præ mœrore ingenti, omnes pene sederent quasi mortui, vixque Petrus solus excitaretur cum id secundo mulieres nuntiarent, ac profectus caput tantum inclinasset ad monumentum, quod non auderet eo ingredi, ut diximus. Ideo Magdalena Spiritu fervens ac divino sensu plena, rursus abiit, ut dictum est; idque mane sola et tertia vice : et cum invenisset lapidem sublatum e monumento, reversa ad discipulos, hæc apud se deliberabat : Si id omnibus dixero, rursus clamorem excitabo, et me insanientem arbitrabuntur. Nam si, cum hæc ego et alii comites nuntiaremus, non creditum est, quomodo soli credetur? Insigniores ergo et ferventiores alloquar, Petrum et Joannem. Verum hi quoque jam prius audierunt resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, ac præ summa incredulitate ob stupendum rei miraculum ita sunt affecti ac si nihil audissent. Quomodo ergo excitabo illos, ut tandem in monumentum se conferant, et quod factum est videant? Quid sit faciendum jam adinveni. Non dicam eis, Dominum resurrexisse, ne eodem recidam ; sed rem probabiliorem et credibiliorem illis nuntiabo. Venit ergo Maria Magdalena, ut dictum est, ad Petrum et Joannem, et ait illis : *Tulerunt Dominum meum de monumento, et nescio ubi posuerunt eum* (*Joan.* 20. 2); ac si diceret : Audite me, servi Dei ; an resurrexerit Dominus, necne, nescio quid vobis dicam : unum vobis affirmare possum, corpus ejus non esse in monumento : diligentia ergo vobis opus est, ut sciamus quis abstulit, et ubi posuit eum. Vides sapientiam mulieris. Nisi enim dicamus illam ita deliberavisse, in absurda incidemus. Quomodo enim illa, quæ pedes ejus cum sancta Deipara Maria tetigerat, et quæ denuo ab angelis audierat ipsum resurrexisse, jam quasi de mortuo loqueretur : *Tulerunt Dominum meum de monumento, et nescio ubi posuerunt eum?* Sed palam est eam arte et sapientia quadam hæc loquutam esse. Et statim illis persuasit. Neque enim magnum quidpiam erat corpus de monumento sublatum fuisse. Statim ergo festinaverunt ambo ad monumentum: sequutaque est illos admiranda mulier. Deinde intraverunt duo discipuli in monumentum : *Et viderunt linteamina sola posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum* (*Ibid. v.* 5 - 7) : corpus vero non aderat. Tunc ergo, inquit, viderunt et crediderunt sublatum fuisse Dominum de monumento. Nam antea illo abierat solus Petrus; propter metum autem, et quod adhuc tenebræ essent, locum clare non viderat, ut nunc vidit cum matutina esset hora. Tunc ergo ambo viderunt, quod corpus Domini sublatum fuisset, ut dixerat Magdalena. Neque enim adhuc crediderunt illum resurrexisse. Unde id probas? Illud infert evangelista, postquam ingressus est Petrus in monumentum ; de semetipso autem dicit : *Et vidit, et credidit. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos* (*Joan.*20.8-10), nihil de resurrectione credentes. Atque illam tantam mulierem Mariam, etsi tam multa viderat et audierat, in dubitationem conjecerunt; ex summa scilicet erga illos reverentia hæc reputantem : Quia hactenus videbar aliquid tuto sentire, cum apostoli nondum monumentum vidissent, nec resurrectionem crederent; postquam vero videntes corpus ibi non esse, in eadem sententia perseverarunt, manifestum est me mulierem hæc imaginari, ac nihil certum vel audire, vel videre : at illi a Deo illuminati, erroris expertes manent, neque facile, ut nos mulieres, decipiuntur. Hac cogitatione exagitata Maria Magdalena flens mansit ad monumentum. Ac postquam Petrus et Joannes recesserant, iterum caput inclinat ad monumentum : *Et vidit duos angelos in albis sedentes :* et ab illis interrogata, *Mulier, quid ploras? quem quæris* (*Ibid. v.* 11-15)? respondit mulier : *Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.* Deinde conversa, quia angeli surrexerunt, adveniente illuc Domino, videns illum, non cognovit. Quare? Quia incorruptibili corpore indutus Dominus post resurrectionem, non noscebatur nisi a quibus volebat, et cum volebat. Ab ipso postea interrogata, *Mulier, quid ploras? quem quæris?* similia respondit iis, quæ angelis dixerat. Existimans enim illum esse præfectum horti, in quo erat monumentum, dicit ei : *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum ; et ego eum tollam.* Hanc responsionem, ut et superiorem quam angelis fecerat, non meditate, non simulate fecit Maria Magdalena, secus quam illam, qua discipulis respondit : his enim responderat ut ignorantibus, quo illos excitaret ad veniendum in monumentum. Ubi autem venerunt viderantque non illic esse corpus, neque tamen resurrectioni crediderunt; demum illa quoque sententiam mutavit, quod ipsos admodum revereretur, et illorum opinionem sua certiorem esse existimaret. Ad angelos denique et ad Dominum conversa, certoque putans corpus a quibusdam sublatum fuisse, ita respondit. Utique Jesus, cum cor ejus, utpote Deus, videret, increpantis more clamavit, *Maria.* Illa autem, ejus cognita voce (nam bis illum viderat), procidit, ut prima vice, ad pedes ejus. Ille vero non placide ipsam admisit, ut antea ; sed repulit illam, dicens, *Noli me tangere* (*Ibid. v.* 16. 17). Atqui antea duæ illæ mulieres pro lubito ejus venerandos et immaculatos pedes osculatæ sunt, nec quidpiam simile dicentem audierunt. Viden' Servatorem illam ut incredulam repulisse dixisseque, *Noli me tangere?* In priori namque occursu et visione permisit illis Dominus, ut pedes suos pro lubito tangerent et oscularentur, quo non ex visu et auditu tantum, sed etiam ex tactu inducerentur ad credendum eum, qui crucifixus et sepultus fuerat resurrexisse. Ideo enim jam Magdalena ab eo repellitur : utpote quæ post tot credendi argumenta mutata fuisset, audit illa : *Noli me tangere ; nondum enim ascendi ad Patrem meum.* His verbis increpat illam quod non crediderit, illiusque mentem excitat, cælestem Patrem commemorans, et suadens illi, ne putaret se illud tantum esse quod oculis percipiebatur, nempe hominem ex mortuis suscitatum ; sed vere Deum, et Filium Dei verum, qui propter nos homo factus erat. Nam, *Dic*, inquit, *fratribus meis, Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* His auditis et visis Magdalena discipulos adit omnes: neque ultra dicit, *Tulerunt Dominum meum de monumento;* sed cum multa fiducia et loquendi libertate venit dicens, se vidisse Dominum. Et hæc illa dixit (*Ibid. v.* 18).

4. Hactenus hic evangelista tertiam ad monumentum profectionem enarravit, quæ contigit mane cum adhuc tenebræ essent. Hic porro Joannes est Theologus, quem diligebat Jesus multis de causis et ex justo judicio, ut Deum decebat. Restat demum quarta ad monumentum profectio mulierum, quam Spiritu sancto dispensante descripsit Marcus evangelista. Et unde constat profectionem a Marco enarratam esse quartam? Tempus ipsum id declarat. Solus enim Marcus scribit mulieres venisse orto jam sole. Quid enim dicit? *Maria Magdalena* (nam quatuor evangelistæ illam memorarunt, ut supra dictum est), venit cum aliis mulieribus, quæ habebant unguenta parata (*Marc.* 16. 1). Itaque *Cum transisset sabbatum, mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole* Interim exploremus, cur Magdalena post tres visiones rursum abit ad monumentum cum ipsis, imo et unguenta aromataque ferentibus, ac putantibus se corpus in sepulcro reperturas esse. Audi, carissime, et prudenter considera. Cum ex triplici jam et divina visione certo sciret et crederet Maria Magdalena resurrexisse Dominum, atque discipulis clare testificata esset se Dominum vidisse, post hæc, ut diximus, non ultra dubitavit. Sed quia vidit Mariam Jacobi minoris et Josæ matrem, et Salomen aliasque mulieres euntes in monumentum, habentes aromata, velleque illas orto jam sole illo pergere, cum illis profecta est, non ut dubitans, sed ut viæ dux gaudens ex exsultans, quod sæpe sepulcrum vacuum videret, et infernum spoliatum. Reliquæ vero mulieres vel non audierant, vel leviter audierant id quod dictum fuerat, compertumque est eas nihil accurate scivisse. Et certe *Loquebantur*, inquit, *ad invicem;* non enim ad Mariam Magdalenam, sed ad invicem: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem: erat quippe magnus valde*(*Ibid. v.* 3. 4). Viden', eas de lapide nondum accurate scivisse, quod et illæ, quæ a Matthæo et Luca memorantur, necnon apostoli Petrus et Joannes ipsis oculis viderant. Deinde *Introeuntes*, inquit, *in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt* (*Ibid. v.* 5). Ille vero non increpavit eas, ut ipse Dominus increpavit eas, quæ a Luca et Joanne memorantur: sciebat enim illas tum primo venisse. Sed neque Magdalenam increpavit: a lætitia enim vultus ejus noverat illam non dubitantem de resurrectione Servatoris venisse ad monumentum, sed de re gesta gaudere et exsultare. Unde non solum non increpavit, ut dixi, sed etiam a timore recreavit illas, quemadmodum et primus angelus apud Matthæum. Quid dixit? *Nolite expavescere. Jesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic: ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis* (*Ibid. v.* 6. 7). Bene additur hic, *Et Petro.* Nisi enim diserte dictum fuisset ut cum aliis discipulis abiret in Galilæam, non puto crediturum fuisse Dominum sibi reconciliatum esse circa negationem. Mulieres ergo statim *Exeuntes, fugerunt de monumento: invaserat enim eas tremor et pavor, et nemini quidquam dixerunt: timebant enim.* Hinc certo, quod nemini quidquam dixerint, probatur has mulieres diversas esse a prioribus, una excepta Magdalena; et hanc ad monumentum profectionem aliam esse a tribus prædictis: neque ut dicunt impii, ac multis diis servientes, tyranni et prævaricatores, una sola fuit mulierum ad monumentum profectio, neque in hac historia evangelistæ sibi mutuo dissentiunt. Palam enim est et ex temporibus et ex personis, et ex modo factæ discipulis promissionis, itemque ex silentio, diversas fuisse et mulieres, et profectiones ad monumentum. Quamobrem, ut compendio dicam, apud Matthæum Magdalena, et ea quæ dicitur Jacobi mater, quæ est Deipara, venerunt solæ ad monumentum vespere sabbatorum, illucescente Dominica, id est, tarde in sabbatis, ut diximus: apud Lucam vero rursum Maria Magdalena et Joanna et Maria Jacobi et aliæ quædam. Hanc Mariam Jacobi non dico esse Deiparam; etiamsi hæc apud Matthæum ita vocata sit: cum enim illa admodum apud omnes honoraretur, non illam hic tertiam nominasset evangelista, post Mariam nempe Magdalenam, et Joannam quampiam; sed vel alterius Jacobi erat mater, vel Jacobi minoris et Josæ: ita enim illam Marcus memoravit. Hæ igitur quæ apud Lucam feruntur mulieres, non vespere sabbatorum, sed valde diluculo venerunt ad monumentum. Apud Joannem vero sola Magdalena profecta scribitur; non ultra vespere sabbatorum, nec valde diluculo, sed quandonam? Mane, sed cum adhuc tenebræ essent: quidam enim id ita intellexerunt. Et cum illa statim postea apostoli Petrus et Joannes, cum per incredulitatem suam id effecerunt, ut ipsa quoque non crederet. Apud Marcum vero rursum Maria Magdalena, illa quadruplicis certaminis et virilis mulier, et Maria Jacobi minoris et Josæ mater. Jacobi minoris; id observa, dilecte. Nam Deipara Jacobi majoris mater appellabatur, nempe noverca ejus. Erat autem cum illis in hac quarta profectione Salome, et aliæ quædam. Hæ vero perrexerunt in monumentum, non vespere sabbatorum, non valde diluculo, non mane cum adhuc tenebræ essent; sed mane orto jam sole, ut dixit evangelista. Unde arguitur, id quod dicitur mane proximum esse ortui solis, non item primum diliculum. Hoc autem dixi, carissimi, quia quidam majorum nostrorum dixerunt secundam profectionem fuisse eam, quæ a Joanne evangelista narratur, quæ dicitur contigisse mane cum adhuc tenebræ essent; et tertiam quæ a Luca describitur, valde diluculo, quasi primo mane, quod cum crepusculo incipiat: id quod vel primo intuitu mihi absurdum videtur; tum etiam quod Marcus evangelista dicat, mane una sabbatorum venisse mulieres ad monumentum orto jam sole. Si autem diluculum erat post illud, *mane*, palam est ortum solis, diluculo, non matutino officere debuisse. Daniel certe de Dario loquens, sic ait: *Tunc rex surrexit mane in luce, et festinus ad lacum perrexit* (*Dan.* 6. 15). Alioquin si profectio illa, quæ apud Joannem, esset secunda, et quæ apud Lucam, tertia, multa alia in hac historia probarentur absurda; verbi gratia isthæc: Quomodo poterant Petrus et Joannes, qui illo perrexerant, intraverant, viderantque omnia quæ erant intra monumentum, ut ipse Joannes dicit, mulieribus referentibus angelorum verba, ut Lucas ait, illa habere ut deliramenta? aut quomodo Petrus solus perrexisset ad monumentum, nec ausus fuisset intrare, sed a foris inclinasset caput, quasi perculsus et formidolosus; si jam antea illo profectus cum Joanne, ingressus fuisset, et accurate explorasset? Absurdum ergo est, ut puto, dicere, profectionem quæ apud Joannem est, eam quæ a Luca narratur præcessisse. Reliquum est ut jam dicamus, quot sunt illæ Mariæ, quas evangelistæ commemorant: multi enim circa illas disputarunt. Existimo itaque illas fuisse quinque. Sed attendite mihi cum omni studio. Est itaque Maria Magdalene, a qua Christus ejecerat quinque dæmonia: unde virtutis studiosa mulier fuit, ut tanti beneficii vicem rependeret. Maria Jacobi, sic vocatur Deipara, ut diximus. Quia enim, quod vix credibile et magnum esset miraculum, non poterat partus sine semine veritas tunc declarari (alioquin periculum fuisset ne virgo lapidaretur, si vel rumor sparsus fuisset Christum non esse Josephi filium): hujus rei gratia apud omnes uxor Josephi appellabatur, eratque quasi noverca Jacobi filii Josephi. Quod si quis contra dixerit, Cur illa non Josephi ut viri, sed Jacobi ut noverca ejus dicitur? facilis est solutio. Maximum quippe Jacobi nomen erat apud omnes, utpote qui religiosus esset, temperans, justus: et sane Jacobus justus apud omnes vocabatur. Alioquin vero suspicor mortuum fuisse Josephum, cum Jesus triginta annorum esset, et prædicaret evangelium. Nam cum infans Dominus, atque etiam cum duodecim annorum esset, Joseph memoratur in Evangeliis; tempore autem mi-

raculorum et venerandæ passionis nusquam vivus memoratur. Utique ipsi Jesu aliquando dicebatur : *Mater tua et fratres tui stant foris, et quærunt te* (*Matth.* 12. 46) : neque ulla Josephi mentio; ita ut palam sit illum tunc mortuum fuisse, ut dixi. Quapropter cruci adstans Virgo Joanni commendatur a Domino. Ideo illa, ut dictum est, Deipara Maria Jacobi vocabatur, non autem Josephi. Tertia vero Maria Jacobi minoris et Josæ mater, quam memorat Marcus, alia est. Illam autem esse puto, quæ apud Lucam Maria Jacobi scribitur, non vero Deiparam, illa de causa, quam superius dixi. Nam Marcus evangelista, cum superius illam memorasset ac dixisset, *Maria Magdalene et Maria Jacobi minoris et Josæ mater et Salome* (*Marc.* 15. 40) : infra rursum hanc ipsam Mariam Jacobi tantum vocat his verbis : *Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum* (*Id.* 16. 1). Etiamsi vero alius esset mater, ac neque Jacobi minoris, neque ejus qui frater Domini vocabatur, palam tamen est illam aliam esse a tribus memoratis (*Joan.* 19. 25). Est quoque Maria Cleophæ, soror Deiparæ, quam memorat Joannes Theologus cum de crucifixo Jesu agitur (*Id.* 11. 2). Est item alia Maria soror Marthæ et Lazari. Hæc igitur omnia cum sciatis, carissimi, et diligenter teneatis, ne detis locum iis qui volunt Scripturam divinam traducere. Omnis quippe sinceritas et veritas in ipsa est, utpote quæ fuerit a Spiritu sancto dictata. Sed humanarum mentium infirmitas, quam ex vana gloria nolunt homines confiteri, Scripturarum proprietatem et incomprehensibilitatem, discrepantiam vocavit. Vos vero, utpote venerandum et sanctum Christi ovile, animarum nostrarum pascua, nempe divinam Scripturam, veram et reprehensione liberam esse agnoscitis. Veritas quippe vos alit, quia veritas, resurrectio et vita, Christus Deus noster est. Et si quid in illa, ut par est, non capiamus, patientiam habeamus usque ad futurum sæculum, quando facie ad faciem Deum videre dignabimur, et illustrabimur rerum omnium cognitione : cum Deum cognoscemus, non ex parte, sed sicut cogniti sumus ab ipso (1. *Cor.* 13. 12) : quæ est omnis rationabilis creaturæ ultima beatitudo, quæ a caritate dirigitur, et permanet semper in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium cum Patre ipsius principii experte, et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SEQUENTEM SERMONEM.

Huic seu homiliæ seu orationi præmittenda est nota Savilii, quæ sic habet : *Oratio*, inquit, *misere corrupta, in quibus* (l. in qua) *loca plurima deplorata plane, satis habeat lector, si indicemus tantum, et iis relinquamus, qui aliquid possunt amplius, aut ingenio, aut Codicibus.* Certe in Savilii Edito mendis scatet hæc homilia, ita ut multis in locis nulla arte possit intelligi. Ad hæc, versus finem maxime, multa sunt loca mutila et lacera. Verum hos nævos ope Ms. Regii sustulimus. Illam inter dubia locavit Savilius. Ego vero affirmare ausim inter spurias nullam esse, quæ magis conspicua præ se ferat *spuritatis* signa, quæ magis abhorreat a stylo, inventione et elegantia Chrysostomi. Est sane hujus scriptoris oratio aspera, horrida, verbis plerumque ineptis redundans, phrasis ubique contorta et injucunda; ordo nullus, omnia plena salebris sunt. Orator autem ex iis, quæ in fine dicuntur, videtur presbyter fuisse, qui coram episcopo concionatus est.

IN ILLUD EVANGELII, QUOD DICEBANT JUDÆI DE SERVATORE : QUOMODO SCIT LITERAS, CUM NON DIDICERIT (*Joan.* 7. 15)? ET IN DICTUM ILLUD SERVATORIS : NEMO NOVIT DIEM ILLAM (*Matth.* 24. 36) (a).

1. Age rursum ab evangelicis fluentis ordiamur : age, ex limpido et puro alveo una vobiscum hauriamus, prophetæ obtemperantes dicenti : *Haurite aquas cum lætitia de fontibus salutaris illius* (*Isai.* 12. 3). Multi sunt fontes, sed unum salutare : fons est unus omnium bonorum Dominus noster Jesus Christus, qui omnem stillat scientiam, omnem sapientiam. Miror certe Judæos stupefactos esse, quod sciat literas, cum non didicerit : illud enim nobis modo lectum fuit; nempe cum Servator divinam proferret doctrinam, miratos esse Judæos. *Quomodo hic*, inquiunt, *scit literas, cum non didicerit?* Literas quærunt a fonte verbi, imo a Deo Verbo : literas requirunt a Christo, a quo lex manavit, qui prophetiam protulit; ex quo oritur omnis scientia, verbum, lex, voluntas, consideratio : *Omnis* quippe *sapientia a Domino* (*Eccli.* 1. 1). Literas quærunt a Verbo [1], a quo omnes prophetæ hauserunt, omnes theologi in vasis animæ suæ doctrinam susceperunt. Hoc verbum excepit Moyses : ex hoc fonte hauserunt prophetæ, ex hoc fonte omnes apostoli acceperunt. Id testificatur Joannes, dicens : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus* (*Joan.* 1. 16). Literas a Deo requiris, ac si literæ verbum fecerint, ac si verbum sive ratio literarum artem invenerit? Num literæ verbum fecerunt? Verbum seu ratio literarum naturam invenit. Ac quemadmodum non artes materiam genuerunt, sed materia artibus occasionem dedit : sic non literæ verbum fecerunt, sed verbum seu ratio literarum scientiam invenit. Non priores sunt literæ, et posterius verbum; sed prius est verbum, et ab illo literæ. Præcedunt omnia quæ a Deo facta sunt, et post sequuta sunt ea, quæ a scientia parantur. Non oculus illa, quæ videntur, effecit, sed oculus visibilium naturam dijudicavit : non artes manus dederunt, sed manus artes : non cursus pedes effecit, sed pedes cursus naturam docuerunt. Sic non literæ verbum docuere, sed verbum literarum scientiam invenit. Cur ergo exquiris secunda a priorum fonte? *Literas scit, cum non didicerit.* Non miraris quod mortuos suscitet, et obstupescis quod sciat literas, cum non didicerit, quæ res ex natura fieri potest? Nam qui primi literas invenerunt non ab aliis didicere? et literarum inventores erant homines : mortuos autem suscitare, id certe hominum naturam superat. Magna negligis, et minima curiose inquiris? Fons igitur omnis scientiæ et cognitionis est Christus : nihil ipsi est occultum. Omnium quippe inventor est : inventorem dico, non quod alius fecerit, et hic excogitarit; sed quod ipse et sapientiæ auctor sit, et inventor eorum quæ in sapientia speculamur. Nihil eum fugit præteritorum, præsentium et futurorum : nam fons est omnium.

[1] Reg. habet, *a fonte verbi.*
(a) Collata et emendata ad fidem Ms. Regii 2027.

2. Si ergo, inquit hæreticus (zizania enim se in frumentum ingerunt), si ergo fons sapientiæ et scientiæ est, quomodo de die illa, nempe consummationis, in qua resurrectio mortuorum, et adventus Servatoris, dicit : *Nemo novit, neque angeli*, neque Filius, *nisi Pater* (*Matth.* 24. 36)? Quomodo igitur fons sapientiæ est, si futurum ignorat? Ego sane vellem te non cum improba arte sermonem vertere, neque verborum circuitiones revolvere, sed dogmatum sinceritatem afferre. Cur dicis : Si fons et thesaurus sapientiæ est, quomodo ignorat? Scio profundam esse sententiam : verum compendio studebimus. Oportet enim non vim sermonis, sed auditorum captum perpendere. Ait enim apostolus : Ducimur *In agnitionem mysteriorum Dei Patris et Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Col.* 2. 2. 3). Si omnia in ipso, nihil ipsi occultum est. Quid ergo dicis, inquies, ad responsionem Servatoris, *Nemo novit*, neque Filius, *nisi Pater?* Interrogetur hæreticus : Quis major, dies, an Pater? an qui novit Patrem, non novit diem? *Nemo novit Patrem, nisi Filius* (*Matth.* 11. 27). Patrem ergo novit, fontem cognitionis novit, et diem non novit? At, inquies, fieri potest ut Pater cognoscatur, et quæ in Patre sunt non cognoscantur. Si quid sit in Patre occultum Filio, aliquid est in Filio ignotum Patri. Unde hoc? Ipse Dominus omnium illud definivit : *Sicut cognoscit me Pater, et ego cognosco Patrem* (*Joan.* 10. 15). Cum autem de hominibus loquitur, ait : *Cognosco meas, et cognoscunt me meæ* (*Ibid. v.* 14). Neque enim est inæqualitas cognitionis. Ubi inæqualis est natura, ibi inæqualis est cognitio. Potest homo Deum cognoscere, sed non ea quæ in Deo sunt. Omnes Patrem cognoscimus, sed non sicut Filius. *Ut cognoscant te solum verum Deum* (*Ibid.* 17. 3). Omnes cognoscimus, sed non ut ille. Alio enim modo fructus radicem notam facit, alio fructus radicis dat notitiam, alio radix fructum notum reddit, alio qui fructum demetunt, cognitionis sunt consortes. Hic autem claram nec confusam cognitionis dat paritatem : *Sicut cognoscit me Pater, cognosco Patrem*. Si quid sit in Filio occultum Patri, est aliquid in Patre occultum Filio. Deinde non te pudet illius vocis, o hæretice, qua Filium cognitione privas? Alia vero ratione Spiritum sanctum, quem negas, Filio majorem secundum cognitionem tuam efficis. Dicit enim Paulus de Spiritu sancto : *Spiritus sanctus omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (1. *Cor.* 2. 10). Spiritus sanctus novit profunda, et Filius ignorat diem? Si novit, inquit, cur dixit : Non novi? Ex ratiocinii consequentia et ex testimonio Scripturarum demonstratum est, ipsum esse fontem cognitionis et sapientiæ. Cur autem ea, quæ habet, se habere negat, et cognitionem, cujus ipse fons est, hanc se non habere dicit? Dixit enim, Nemo novit diem (*Matth.* 24. 36). Oportet autem, fratres, Servatoris scopum scrutari, et explorare, quid dicat, de quo, quibus, et quando. Neque enim oportet simpliciter verba examinare, voculas explorare, sed vim sententiæ rimari. Neque enim omnia quæ Servator loquitur, sunt suæ dignitati congruentia, sed infirmitati nostræ accommodata. Alio modo fidelibus, alio infidelibus, loquitur. Scio me hanc interpretationem jam vobis dedisse, sed nihil impedit quominus hic eam iterum persequamur, et veram esse ex rebus sumptam demonstrationem ostendamus. Ad Judæos sermonem habebat, ad Judæos qui tantum distabant a deitatis sublimitate, quantum distat a cælo terra, ut dicebat Deus : *Quantum distat cœlum a terra, tantum distant viæ meæ a viis vestris, et consilia mea a consiliis vestris* (*Isai.* 55. 9). Infidelibus ergo loquebatur : et quia illum putabant esse Deo adversarium, divinæ cognitioni repugnantem, et legi Moysis contrarium; ideo ubique dignitatem suam occultans, ad Patris dignitatem omnia refert, ut ostenderet Judæos non sibi contradicere, sed contra Patrem pugnare. Judæorum ergo præjudicatis opinionibus verba plerumque adaptat; non quod divinum verbum secundum mores nostros mutetur, sed quia ut medicus remedia vulneribus congruentia apponit; apud Judæos enim versabatur, qui non modo ejus deitatem, sed etiam humanitatem negabant. Perpende enim quantum aberat, ut putarent esse Filium Dei, qui ne hominem quidem esse Dominum suspicabantur. Dicebant enim, *Dæmonium habet* (*Joan.* 10. 20), et dæmoniacum esse arbitrabantur Filium Dei. Quia igitur videbat Judæos contradicentes, discipulosque suos, utpote homines, futura curiose inquirentes; solent quippe semper homines futura appetere et eorum præscientiam perquirere; certe in communi rerum vicissitudine, si quis ea quæ omnes postridie sciturì sunt, uno prius die didicerit, gaudet ac si magnum quid repererit, et ut si quis omnium notitiam assequeretur. Amant itaque homines futura perquirere. Videbat itaque Servator apostolos futura prænoscendi desiderio teneri; et quæ habet se habere negat, ut importunum desiderium castiget. Quando *Restitues regnum Israel* (*Act.* 1. 6)? Deinde hominum futura nosse et quæ Dei sunt inquirere appetentium petulantiam refrenans, dicit : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta* (*Ibid. v.* 7) : hujus cognitionis modus humanam excedit naturam. Ne curiose inquiras futura ante rerum eventum; sed exspecta solum, et futuris crede : præpara teipsum ad futurum Judicis adventum : id cura, non quando veniet dies, sed qualis ventura sit dies. Idcirco propheta illos, qui de die illa curiose inquirunt et dicunt, Quando veniet judicium, quando resurrectio? reprehendit et refrenat his verbis : *Væ iis, qui quærunt diem Domini. Ut quid illa vobis dies Domini* (*Amos* 5. 18)? Ac si diceret : Quare optatis videre diem Domini? *Dies Domini acerba et dura constituta est : potens est illa dies calamitatis et necessitatis* (*Sophon.* 1. 14. 15). Metum incussit, ut petulantiam illam castigaret. Quia igitur optabant videre futura, quæ hominum captum superabant, dicebat Servator : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta* (*Matth* 24. 36). Sed ne videretur ex invidia ab hac cognitione arcere, se cum ignorantibus annumerat, ut homines de tali ignorantia consolaretur. Nec angeli cognoscunt, ait. Quid vero ultra angelos cogitatis? Ne Filius quidem novit. Quid ultra me imaginaris? Cum Filium audis, rem mente distingue : filius enim in communi dicitur de divinitate et de humanitate. Ut vero discas Filium in Scriptura vocari Servatorem incarnatum, dicit alibi : *Et sanguis Jesu Filii ejus emundabit nos ab omni peccato* (1. *Joan.* 1. 7). Sanguis non divinitatem, sed humanitatem spectat : sic et ipsam humanam naturam Filium nominat. Et cum dicimus, Filius Dei passus est, quid passibile, quid impassibile sit, confitemur. Cum dicimus, Filius Dei unigenitus crucifixus est, distinguamus inter impassibile et passibile. Nam apud nos homines hæc verba in usu sunt, quæ in tota humana persona reperiuntur, sed mente et ratiocinio distinguuntur. Si dicamus, Ille talis mortuus est, intelligimus quid mortuum sit, nempe corpus; et quid sit immortale, nempe animam : neque quia mortis nomen toti homini applicari videtur, totum hominem periisse dicimus. Neque enim necesse est dicere, Corpus hujusce mortuum est : commune nomen mortis vocem admittit, cogitatio autem nomen distinguit, quid nempe mortuum, quid non mortuum sit. Quandoquidem Servator de sanctis loquens, communem illam mortem exprimit dicens : *Tradent vos in conciliis, et ad duces et reges ducemini propter me* (*Matth.* 10. 17. 18), et occident vos. Hæc in communi protulit; sed id propria sua doctrina distinguit. *Nolite timere*, inquit, *ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Ibid. v.* 28). Hoc et alibi facit Servator. Sicut enim hic, licet omnium cognitionem habeat, dicit, Nemo novit diem, neque Filius; ac si diceret, Neque ego secundum visibilem formam. Neque enim id ignorat Filius, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scien-

tiæ absconditi, non ignorat is, qui cognoscit Patrem ut a Patre cognoscitur. Habes ergo solutionem, quod nempe Filii nomen accipiatur et secundum dignitatem deitatis, et secundum formam incarnationis. Ignorat igitur secundum formam humanæ naturæ, qui secundum vim deitatis omnia novit.

3. Ipse de se dixit: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum* (*Joan.* 5. 31); ejusdem hæc est doctrina: *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est* (*Ibid.* 8. 14). Si verum, quomodo non verum? si non verum, quomodo verum? Verba pugnant, sed sententia concors est. Ascendit Jesus in templum, et docebat: ascendit in templum templi Conditor, cultus Dominus: loquebatur in templo, ut impleretur prophetia hæc: *Et statim veniet in templum suum Dominus, quem vos quæritis, et angelus testamenti, quem vos vultis* (*Malach.* 3. 1). Et Dominum vocat et angelum. O divina mysteria! o divinum et propheticum arcanum! *Statim veniet in templum suum:* Dei templum. Dicit ejus esse templum, ne putetur alterum esse Patris dominium, alterum Filii regnum. Templum Patris, quod Deo dicavit Salomon, Servatoris templum vocat propheta: *Statim veniet ad templum suum Dominus.* Cum ergo templum Patris sit, templum Filii est; cum templum Filii sit, templum Patris est. Ideo et ipse Servator, cum flagello ex funiculis parato Judæos ejicit, ait: *Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis* (*Joan.* 2. 16); idemque rursus: Auferte ista hinc: *Nam domus mea, domus orationis vocabitur* (*Luc.* 19. 46). Domus Patris mei, et domus mea. Et alibi dicit evangelista: *In propria venit, et sui eum non receperunt* (*Joan.* 1. 11). De Judæis loquitur; Judæi namque illi erant, quia ille per legem ipsos illuminavit, et per prophetas deduxit · erantque apud Judæos *Propria* Servatoris. Nam cum Mater circumeundo quæreret ipsum, et diceret, *Fili, quid fecisti nobis?* circuimus quærentes te; respondit ille: *Nesciebatis, quia in iis quæ Patris mei sunt oportet me esse* (*Luc.* 2. 48. 49)? Ascendit ergo in templum, et docebat, implebaturque alia prophetia, *Ego qui loquor, adsum* (*Isai.* 52. 6). Docebat, non ita ut doctrina contumeliam inferret dignitati; sed ex benignitate doctor erat. Cum audieris ipsum docuisse, ne putes fuisse ex cæterorum numero doctorum. Quod si te illud, *Docebat*, offendit, si audieris dicentem: *Benedictus es, Domine: doce me justificationes tuas* (*Psal.* 118. 12); ignoras dignitatem, et non miraris doctrinam. *Ascendit Jesus in templum.* Nusquam reperis descendentem. Ascendit a Jericho Jerosolymam, ascendit in montem. Ubi namque Deus, ibi et ascensus. *Beatus vir, cui est auxilium abs te, Domine: ascensiones tuæ in corde ejus* (*Psal.* 83. 6). Ubi virtus, ibi ascensus; ubi nequitia, ibi descensus. *Erue me a descendentibus in lacum* (*Psal.* 29. 4). *Mirabantur Judæi, quomodo hic scit literas, cum non didicit* (*Joan.* 7. 15)? Illud, *Hic*, vox est superbiæ et contemptus, nequitiæ modus. *Quomodo hic?* Tu contumeliose dicis, o Judæe, *Quomodo hic?* ego vero in gloriam ejus accipio. Illud enim, *hic*, potest et contumeliose, et ad gloriam dici. Tu dicis ad contumeliam, *Quomodo hic scit?* ego cum Moyse dico: *Hic Deus meus, et glorificabo eum* (*Exod.* 15. 2). Judæorum incredulitatem redarguit, populi pervicaciam traducit: sese ostendit fontem sapientiæ, fontem omnis scientiæ, et dicit: *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me Patris* (*Joan.* 7. 16): ubique ostendens, cum eo, quem in confesso erat esse Deum, pugnare eos, qui eum, de quo dubitabant, non recipiebant. Quia Deo ipsi credebant, de Jesu vero dubitabant, suam occultat dignitatem, et Patris profert auctoritatem, ostendens eum qui cum Christo pugnat, cum Deo pugnare. At existimas, rem esse ironiam et verborum apparatum, non demonstrationem? Ex rebus ipsis confutaberis. Ex iis quæ dicis, o Judæe, qui Christum contemnis et despicis ea quæ ad Servatorem pertinent, hic neque secundum Deum est, neque secundum legem incedit, sed ut dicunt impii, contra pietatem pugnat: tu vero et pro lege pugnas, et divinum verbum defendis, et secundum scopum tuum Deum vindicas, et te pie agere putas, dum Christi gloriam oppugnas, et legis regnum custodis. Ex rebus ergo ipsis videamus, quid Deus statuat inter tuam et nostram sententiam. Dicis, te Deum defendere, et Dei adversarium quemdam oppugnare, qui non secundum legem incedit, sed Dei dogmata solvit. Videamus, quomodo Deus prospiciat iis qui legem defendunt, et iis qui legis transgressorem sequuntur. A vulgaribus rebus sermonem instituo. Si qua urbs tyrannum recipiat, ea periclitatur, etiamsi non cum illo consentiat; sed quia recepit eum, in periculis versatur. Si qua vero urbs tyranno portas claudat, ea laudatur, et a rege mercedem accipit, quia periculoso tempore tropæa erexit, firmam sententiam: non tyranno, sed regi adhæsit. Hoc fecisti, Judæe, ut tu dicis: venientem tyrannum, ut impie jactitas, qui legi Moysis adversabatur, non recepisti; sed repulisti, Deoque regnum integrum reservasti: Ecclesia Servatoris ipsi portas aperuit, qui, ut dicis, tyrannus erat, sed, ut illa profitetur, Rex gloriæ est. Videamus quid ille verus statuit circa eos, qui regem non receperunt. Urbs una illum non recepit, et solo æquata fuit, nempe Jerosolyma; hæc una civitas Regi gloriæ portas occlusit, et quæ tyrannum non recepit, solo æquata fuit: Ecclesiæ Dei ubique terrarum, quæ Salvatorem recepere, florent, et honore plusquam humano decorantur. Ex adverso rursus rem considera: donec vivit tyrannus, florent amici ejus, qui fideles ipsi eo tempore fuerunt, inimici vero ejus in periculo versantur; mortuo autem tyranno, amici in periculis, inimici in libertate degunt. Videamus ergo, quid evenerit post Servatoris mortem, post ejus ascensum ex hoc sæculo ad Patrem, post illam quam tu mortem existimas, et ego resurrectionem credo. Si florent regis inimici, magis quam hujusce tyranni adversarii, vere tyrannus erat: si vero hujus inimici in infamia et in exsilio versantur, amici vero in libertate et gloria; si verbis non fidem habes, res ipsas reverearis: quomodo nempe Deus Christi regnum exaltaverit, illud repudiantes prostraverit. Poterat illos Deus delere, qui Filium negarent; poterat regis inimicos occidere, qui Regem gloriæ putabant esse tyrannum: verum non occidit eos, sed dissipavit. Si occidisset, potuissent illi sese purgare: si nos sivisset in terra manere, ex rebus ipsis in pudorem acti fuissemus: si vidissemus orbem credentem, cum toto orbe conversi fuissemus. Potuissent inimici dicere: Vidimus eum cum duodecim illis, et ut vilem despeximus; si vidissemus eum a regibus adoratum, procul dubio sub jugum pietatis nos demisissemus. Cur præoccupans pœnitentiam nobis ademisti? cur supplicio emendationem antevertisti? Idcirco, ne quis diceret, Crucifixum novimus, adoratum non vidimus; non occidit, sed dispergit eos. Hoc enim jam olim David illorum propheta Deo suadebat, dicens: *Ne occidas eos: nequando obliviscantur legis tuæ: disperge illos in virtute tua* (*Psal.* 58. 12). Vide illos ante Christi januas, vendentes sudaria et semicinctia (*a*). Ad januas illos constituit, ut fierent adorantium testes. Vide illos stantes ad ostia ecclesiæ, ut Josephi fratres. Cogita, quod sicut Josephi fratres, videntes fratris sui dignitatem, non audebant adire ut fratrem, sed dignitatem formidabant: sic nunc vide illos trementes Ecclesiæ dignitatem, quam a Deo, quam a Domino et Servatore omnium accepit: vide illos viles et dejectos, Crucifixum videntes in gloria. Cogita passionem, cogita gloriam. Horæ crucis tres sunt, a sexta ad nonam; gloriæ tempus sunt sæcula sæculorum, nec consumuntur. Vide, quomodo contumelia sicut umbra prætererit; vide quomodo floreat gloriæ veritas: a sexta ad nonam contume-

(*a*) Judæi ante portas ecclesiæ sudaria et semicinctia vendebant

lia, a sæculo usque in sæcula gloria, et laus Christi non consumitur, non desinit ejus glorificatio. Universi voces effundunt, prophetæ, evangelistæ, pastores, episcopi, doctores, et a pelago deitatis non absorbentur : ac quemadmodum mare fluvios excipiens, non a fluviis occultatur, sed defluxus aquarum operit; sic omnes quotquot de gloria Christi loquuntur, a gloria teguntur, et gloriam non tegunt. Tremenda est inimicorum Dei audacia, sed splendidus est honor ejus, qui propter œconomiam contumeliis est affectus, et propter divinam dignitatem gloria afficitur. Cogita, quod sicut contumeliæ tres horæ fuere, sic sæcula sæculorum Dei gloriam non implent. Cogita et crucis locum. Num spithames unius circuitum habuit ligni locus? Num pedis mensuram habuit crucis fixio? Cogita contumeliæ mensuram, et postea climata orbis terrarum, quia repleta est universa terra cognitione Domini, ut aquam multam operiat maris. Circum crucem stabant Judæi passionem irridentes, imo passione ipsa illos irridente : videbant crucifixum, et gloriosum ignorabant. Ideo dicebat Zacharias propheta : Tunc veniet Dominus Deus : *Et erit planctus magnus in Jerusalem* (*Zach.* 12. 11. 10). *Videbunt enim in quem transfixerunt* (*Joan.* 19. 37), scilicet quem clavis confixerunt. Non dixit, Videbunt quem transfixerunt; sed, *In quem transfixerunt.* Quid est, *In quem?* Crux erat in quam transfixerunt. Ante adventum autem Servatoris, regium insigne, quod vulgari usu dicitur signum, præcurrit adventum Christi, et ab angelis celebratur. Apparebit crux in terra, obtegens solem, obscurans lunam, ut dicebat Servator : *Tunc apparebit signum Filii Dei in cælo* (*Matth.* 24. 30). Et ut impleretur verbum Zachariæ, dictum ipsum assumens Servator in veritatem deduxit : *Et tunc videbunt in quem transfixerunt.* Videbitur signum Filii Dei in cælo, et plangent tribus : *Tribus domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum; tribus domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum* (*Zach.* 12. 12. 13). Cur nomen tribus non adduxit, sed nomen regni? cur plangit tribus David, quæ non vocabatur tribus David, sed tribus Juda [1]? Quia ejus, qui ex Davide secundum carnem erat, quidam secundum carnem cognati, dignitatem deitatis ignoraverunt. Attingit ergo primum calamitas eos, qui cum genere affines essent, vita segregati et divisi erant. *Tribus domus Nathan* (2. *Reg.* 5. 14). Quis Nathan? Fuit propheta, fuit et alius filius David. Alius enim erat Nathan propheta, qui Davidem arguit de peccato; alius Nathan filius ejus. Lege historias filiorum Davidis, inveniesque unum ex filiis ejus Nathan dictum. Lucas certe evangelista (*Cap.* 3. 31), missa Mariæ genealogia, Josephum ex Nathane ortum dicit. Hic altus est sermo, et pervigili mente est opus. Lege Evangelia; uti dicit Servator, *Scrutamini Scripturas* (*Joan.* 5. 39). Non dixit, Legite, sed, *Scrutamini :* non enim sola lectio notitiam affert, sed accuratum examen quæsitam rem patefacit.

4. *Videbitur* ergo *signum Filii Dei in cælo.* Videbitur ligni ferens imaginem, sed lucis radiis fulgens. Cum autem crux apparebit, sol obtegetur, non sublatus, sed gloriæ magnitudine obtectus; occultabitur luna, abscondentur stellæ, imo cadent, ut scriptum est : *Sol,* inquit, *obscurabitur, et luna non dabit lucem suam, stellæ cadent de cælo* (*Matth.* 24. 29); et tunc ostendetur illud tremendum gloriosumque signum Judæis illis videntibus, qui blasphemabant, circumsistentibus et gloriam referentibus aliis. Tunc justi singuli respondebunt iniquis; tunc dicet nobis Isaias : *Ecce Deus noster, in quem speravimus, exsultavimus* (*Isai.* 25. 9); tunc crux apparens illorum audaciam arguet, et Ecclesiam confirmabit; tunc contradicentes secernentur, et obsequentibus gloria referetur; tunc omnis creatura adorabit Filium Dei, tam ordo incredulorum, quam ordo credentium; sed hic cum fiducia, ille cum pudore. Sicut enim in imperatoriis imaginibus depingitur tam gloriosum satellitum agmen, quam genus barbarorum, qui Imperatori subacti sunt (*a*) : et procumbit infra barbarus, procumbit etiam civis; sed hic cum fiducia stat, regem suum adorans; ille vero necessitate compeditus sub pedibus jacet, et Imperatorem adorat, sed sine ulla adorationis mercede, quia non sponte id facit, sed necessitate cogitur : ac supernus quidem ordo adorantium, infernus vero cadentium est; nam aliud est adorare, aliud cadere : sic in adventu magni illius Imperatoris, in imagine gloriæ apparebit ordo credentium, qui fiducia instructi cum angelico ordine hymnos canet et gloriam Deo referet : apparebit quoque ordo incredulorum, substratus sub pedibus magni Imperatoris; et illi quidem fiducia soluti, hi vero necessitate vincti erunt. Quia enim fideles jam antea amore vincti erant, non opus est vinculis; nam vinculum est illis amor : illos vero quos non vinxit amor, vincit plerumque necessitas : ac fideles quidem sistuntur Regi gloriæ fiducia repleti; illi vero inglorii, qui contradixerunt verbo veritatis, accedent vincti compedibus ferreis : et illi quidem erunt in ordine adorantium in alto; hi vero in ordine cadentium in profundum. Sicut enim in imaginibus superior est circulus adorantium, inferior vero circulus barbarorum : sic et in regno Christi superior apparebit ordo credentium, inferior vero et humi repens ordo cadentium. Ideo Psalmus adorantes a cadentibus distinguens ait : *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ : et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium, quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium* (*Psal.* 21. 28. 29); quando adorantium ordinem ostendit; quando de cadentibus adjecit : *In conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram* (*Ibid. v.* 30); Quomodo autem superior est ordo fidelium? Quia non in terra fideles, sed in aere stabunt, maximum illud tribunal quasi satellites circumsistentes. Thronus quippe Dei non in terra figitur, sed terra est scabellum pedum ejus (*Isai.* 66. 1); ita ut omnes de quibus judicium statuitur infra sint, superne vero Judex sedeat cum amicis suis. Ideo apostolus, ut ostendat fideles non in terra, sed in aere sublimes futuros esse, ait : *Nos autem rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera, et sic semper cum Domino erimus.* (1 *Thess.* 4. 16).

5. Hæc mihi in memoriam revocavit occasio audaciæ Dei hostium, qui dicere ausi erant, *Dæmonium habet* (*Joan.* 10.20). Dicamus cum Davide, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine* (*Psal.* 30. 20)! Qualia (*b*) dicentem servum toleras, qualia loquentem linguam sustines, qualia audentes contra te inimicos non plectis? non solo nutu consumis, non solo jussu perdis, non potes comminari? non est apud te ille prophetæ sermo, *Comminans mari, et exsiccans illud* (*Nahum.* 1. 4)? Tot pugnis, tot blasphemiis Deum impetunt. Sed respondet Salvator : *Non veni ut judicem mundum, sed ut salvum faciam mundum* (*Joan.* 12. 47). Idcirco David vocans illum, non ad judicium, ut in secundo adventu, sed ad salutem parandam, dicebat : *Qui sedes super Cherubim, appare. Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos* (*Psal.* 79. 2. 3); non ut judices. Primus adventus salutis, secundus judicii est. Si velis, nosti illum Servatorem; si non obtemperes, nosti illum Judicem. Te prius Regis amicum facito. A vulgaribus rebus edoceamur. Non nosti quosdam exsultantes et lætantes, quando vident aliquos ex amicis ad dignitates provehi? annon singuli gaudetis, cum videtis aliquem vobis familiarem ad principatum evehi? annon speratis vos fructum amicitiæ accepturos esse? Verum homines persæpe fallunt, et amicitias commutant, et post adeptum principatum non ultra amici sunt : Christus vero non occultat veritatem. Esto illi amicus, et eris

[1] Ita Reg. Hæc verba, *sed tribus Juda*, desunt in Savil.

(*a*) Hic magnus hiatus est in Savil.
(*b*) Sequentia manca et turbata in Savilii Edito sunt.

ei semper amicus. Sæpe namque, fratres, dignitas hominem inflavit, ejus animum mutavit, affectum transtulit; alius pro alio esse videtur. Nam de Saüle dicit Deus, videns illum ex dignitate mutari: Unxi te dominum, et requirent, et dabunt tibi principatum, et ab illis accipies: *Et cum hæc signa super te venerint, mutaberis in alium virum* (1. *Reg.* 10. 1. 7. 6). Mutabit enim te potentia et dignitas, non quod omnes mutet; fidelem enim non mutat, sed improbum superat et manifestum reddit. Quapropter fideli dicit: Si princeps sis constitutus, esto tu quasi unus ex subditis. Itaque si hic amicitia sæpe fallit, sæpe etiam vera manet; Christi vero amicitia cadere nequit: cum vides illum in gloria, non negat te, qui illum in terra adoras; sed ac si te hodie in amicitiam recepisset, te advocat, et amicitiam tibi exhibet: *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* 25. 34). Hic sæpe si gratiam alicui præbeas, is adeptus principatum, illam non fatetur; sed, etiamsi gratiam reddat, primum beneficium occultat: non enim vult videri benefico inferior; sed amicitiæ quidem tuæ vicem reddit, beneficium autem occultat. Servator autem amicitiam profitetur et beneficium non occultat. *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare* (*Ibid.* *v.* 35), etc. Amicitia itaque splendet Salvator, splendet et beneficio: non negat pristinam amicitiam, affectum tuum confitetur, amorem prædicat, propositum coronat. Illum ergo beneficum habeamus, non judicem. Judex quidem est, et judex veritatis; sed tu præveni eum, et amicum redde, non judicem; placa illum. Non vides externos principes, quomodo circumcurrant, et quomodo familiares suos alloquantur? Verum hic de modis agitur, illic de intercessione. Prius alloquere martyres, dic apostolis: Obsecro vos, præparate mihi Judicem: sit mihi propitius in tempore judicii, cum examinabuntur opera mea; suadete illi: ipsum placare potestis. Scio, ipsum vobis exorabilem esse; ego fiduciam non habeo, vos Regem alloquimini. Sed respondebunt tibi apostoli et martyres: Non nosti Deum nostrum, qui gratis misericordiam impertit, sed a nobis vult accipere? Da pauperibus, et ille pro ipsis tibi gratiam profitebitur; largire in manus pauperum, et quasi in manus fidelis deponens, retributionem accipies: da Christo, qui non ob cupiditatem habendi accipit, sed ob humanitatem pauperibus largitur. Deinde accipit Deus pecunias, non in seipsum, sed per pauperes in seipsum; non justitiam vendens, sed pœnitentia lapsus nostros emendans. Non pecunias accipit, ut tibi justitiam vendat, et alium injuste condemnet; sed ut te damnationi obnoxium per donum liberet, ut dicebat Daniel: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas miserationibus pauperum* (*Dan.* 4. 24). Offer pecunias pro anima; redemptio namque viri sunt propriæ divitiæ. Hæc dico pro dignitate magni Judicis et Domini, quem suscipit totus orbis, quo nunc dignatur Ecclesia, quo privatur sola synagoga: dissipata namque est. Inane nomen est: alia quippe concisio est: conciditur enim ob incredulitatem. Concisionem vocat synagogam Paulus dicens, *Videte concisionem* (*Philipp.* 3. 2). Nos quippe sumus circumcisio. Ideo qui Servatorem dæmoniacum vocarunt, exscinduntur a gloria; qui Regem confessi sunt, gloria sunt repleti. Unoque allato veteris historiæ spectaculo, finem dicendi faciam. Gedeon quidam olim vir justus, Scripturarum testimonio celebratus, quem Paulus (*Hebr.* 11. 32) in justorum ordine recensuit, loquens de Gedeone, Samsone et Jephthe: hic omni justitia conspicuus, qui vitam suam virtutibus decoravit, belli et angustiæ tempore, spicas alicunde acceptas in torculari trituravit, ut in necessitate, alimenti solatium sibi pararet. Angelus autem adstans dixit: Confortare et esto robustus, *Dominus tecum est* (*Jud.* 6. 11. 12). Neque enim fames justitiam hebetat; sed virtutem exercitatam splendidiorem reddit. *Dominus tecum, pax tibi.* Respondet Gedeon: *Si Dominus in nobis est, unde nos hæc mala invaserunt* (*Jud.* 6. 13)? Non Deo contradicens, sed Deo se indignum putans, ita loquitur. Si Deo, inquit, digni essemus, non nos hæc invasissent. Sæpe increduli, qui se quidem credere profitentur, sed animo repugnant, dicunt: Ubi est Deus Christianorum? cur non audit monachos? undenam bella? unde perturbationes? Hic non ita loquutus est; sed, Si Dominus esset in nobis, unde nos hæc mala invasissent? Non est igitur in nobis: non enim sumus illo digni. Reponit (angelus): Dominus tecum; in manum tuam Deus victoriam deposuit: exi ad bellum. Respondet Gedeon: In hoc cognoscam quod Dominus sit mecum, si det mihi signum verum. Ecce, inquit, pono vellus lanæ, et si pluerit Deus super hoc vellus, et super totam terram non pluerit, novi quod Deus sit mecum. Vide signum, et petitionem inauditi doni: posuit vellus. Deus noctu, divino jussu et ratione quæ comprehendi nequit, immittit imbrem in solum vellus, et tota terra erat arida. Et accipiens, inquit, Gedeon, mane diluculo vellus expressit, et inventa est concha aqua plena. Rursusque Gedeon: In hoc cognoscam quod Dominus mecum sit, si fecerit signum quod volo. Hoc vellus pono: et si in totam terram pluvia venerit, in hoc vellus non venerit, tunc cognoscam quod Dominus mecum sit. Non sufficit tibi primum signum, sed petis secundum? non legisti illud, *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* 6. 16)? Non duo petii signa, inquit ille, unum petii: duo illa unum signum sunt. Ideo dixit, Si dederit mihi Dominus signum verum, pro futuræ veritatis probatione. Deinde secundo posuit vellus: et decidit imber per totam terram, mansitque siccum vellus. Post hoc experimentum, bellum audacter aggreditur, et inimicos debellat. Pluviæ ænigma paucis explicandum est. Hoc vellus primum et secundum Domini adventum significat: quoniam primus solam Jerosolymam comprehendit, ipsum vero universa terra non accepit. Sicut enim vellus universæ terræ comparatum nihil erat; sic nihil erat Jerosolyma cum omnibus gentibus comparata, resque miserabilis. Ideo dicebat: *Non veni nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* 15. 24), ad unam solum gentem. Cum vero postea gratia Domini progressa est, quando synagoga et populus ille negaturus, et universa terra acceptura erat, præcessit figura in secundo: nam sicut olim vellere solum pluvia imbuto, terra erat arida, et sub hæc irrigata terra, vellus siccum remansit; sic ille olim populus primus irrigatus piam religionem in gentes omnes non infudit: cum autem gentes omnes beneficium acceperunt, Israel siccus remansit. Verum ne humanis ratiociniis et complicatis cogitationibus hæc speculatio procedere videatur, huic speculationi propheticum addere testimonium operæ pretium fuerit. De Servatore prophetice dicit David: *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis: judicabit populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio* (*Psal.* 71. 1); et paulum progressus dicit: *Ante solem permanet nomen ejus, et ante lunam generationis generationum* (*Ibid.* *v.* 5). Deinde adventum ejus significans dicit, *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidium stillans super terram* (*Ibid.* *v.* 6); et statim: *Et dominabitur a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad terminos orbis terrarum* (*Ibid* *v.* 8). Utinam igitur nos cum universa terra irrigati, fructus afferamus, precibus et intercessione patris et doctoris nostri, qui potest et nostrum sermonem et vestrum desiderium obsignare in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM
IN SERMONEM SEQUENTEM.

« Hanc orationem, *inquit Savilius*, ex fide Codicis Ms. in Bibliotheca Collegii novi Oxoniensis damus, neque aliud præterea suppetebat exemplar; quo fit ut plura supersint emendanda. Et dogmata et doctrinam agnosco hic Chrysostomica; sed in stylo magna est disparitas. Itaque inter dubia relinquo. Oratio, inquit Halesius meus, perelegans certe, et quæ disparitatem styli, ingenii et doctrinæ paritate compenset. » Male certe perelegantem dicit orationem, quæ, præcipue a medio ad finem, est tota contorta et salebris plena; loquacitate vero et repetitionibus ad nauseam usque occurrentibus redundat. A stylo Chrysostomi prorsus abhorret, ita ut nec inter dubia accenseri mereatur, ut existimabit haud dubie quisquis Chrysostomi orationes vel primoribus labris attigerit: ac vel ex ipso ordiendi modo alium deprehendet oratorem. Cæterum non indoctus est scriptor iste, et licet innumeris repetitionibus nauseam pariat, recte probat ex his Apostoli verbis: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, non sequi hominem qui peccat, culpa liberum esse; sed ex voluntatis suæ proposito, sibi perniciem et interitum parere, quod ex aliis Scripturæ dictis et exemplis confirmat; ac syllogistico more plerumque procedit.

IN CHANANÆAM ET IN PHARAONEM, ET QUOD NON VOLENTIS NEQUE CURRENTIS, SED MISERENTIS SIT DEI (*Matth.* 15. *Rom.* 9, 16).

1. Etiamsi nos vespertinus ille tumultus perturbavit, at exhilaravit universorum studium. Non enim turbarum confusionem, sed auditorum fervorem respiciebam: spectatorque eram forensis et popularis tumultus, simulque divini atque probi studii, ita ut dicerem: *Manus quidem sunt manus Esaü, vox autem vox est Jacobi* (*Gen.* 27. 22). Popularis erat tumultus, sed divinum studium. Oportet autem non distrahi ex clamore tumultuantium, sed respicere studium auditorum. Nam Chananæa post Servatorem clamabat; verum ille non ad clamorem attendit, sed ad animi affectum. Clamabat ergo, ut modo audistis, Dominica sequens vestigia: *Fili David, miserere mei* (*Matth.* 15. 22). O gentium fidem! o Judæorum ingratum animum! Ab Israelitico genere aliena, nec in lege educata, nec in prophetis versata, veritatem prædicat, dicens, *Fili David, miserere mei;* qui vero in lege educati fuerant, qui prophetas audierant, mendacium tuentur dicentes, Non novimus eum; Samaritanus est, et dæmonium habet. O fidem gentium! o Israelitarum ingratum animum! Vide Deum et Servatorem omnium, quantum genus illud honoret. *Non est bonum accipere panem filiorum, et projicere canibus* (*Ibid. v.* 26). Gentes vocat canes, et Israelitas filios: transmutatur honor a populo; et qui honorantur, ipsum dehonestant; qui despiciuntur, adorant: qui filii vocantur, beneficium non recipiunt; Chananæa vero canis appellata, a benefico non recedit. Ideo namque Servator canem vocavit mulierem, non ut contumelia afficeret, sed ut ejus affectum patefaceret, ostenderetque gentes probro affectas a benefico non absistere, Israelem vero beneficio affectum Servatorem negare. *Fili David, miserere mei.* Et qui omnes exaudit, tacet, non ut precantem respuat, sed ut ejus fidem splendidiorem reddat: Chananæa genere, Abrahamitica fide. *Fili David, miserere mei.* Et qui vel ante oris clamorem animi supplicationes exaudit, tacet et differt: visusque est apostolis inhumanus esse, quod supplicationem tantam respueret. Dicuntque ei discipuli: *Dimitte illam quia clamat post nos* (*Ibid. v.* 23). Num tu, Petre, num tu, Andrea, vel Philippe, Servatore humaniores estis? num vos flexit precatio, et Servatorem non affecit supplicatio? Certe vos secundum rei faciem judicatis, ego secundum animi affectum sententiam fero; gratiam differo, ut splendidam fidem expromam. *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Ibid. v.* 24). Num pastor est Israelitarum? annon totius orbis Dominus, pastor, administrator et provisor? Non dixit, Non sum pastor aliorum; sed, Non sum ad hoc missus; non secundum rei veritatem loquens, sed simulans, ut fidem patefaciat. Si non alio missus es, sed tantum ad oves domus Israel, cur apostolos ad fines orbis mittis, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes* (*Matth.* 28. 19)? Si non ad alias, quam Israelis, oves missus es, cur dicebas apostolis: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me congregare, ut fiat unum ovile, et unus pastor* (*Joan.* 10. 16)? Quare non accurate et secundum exactam rei veritatem loquitur, sed ad animæ probationem, *Non sum missus.* Rem negat, et mulier deprecans non fugit: ejus supplicationem depellit, et adorationem non respuit. Vere Ecclesiæ imago est Chananæa, quæ periculis probatur, et Dominum non negat; quæ sexcentas sustinet procellas, et ad fidei portum oculis tendit: quæ mille fluctibus ab hæreticis exagitatur, et ob fidei firmitatem non nutat. Confer fidem ecclesiasticam cum ingrato Judæorum animo. Judæi manna comedentes murmurant; Ecclesia jejunans Domino gratias agit: illi honore affecti, ingrati sunt; Christiani in persequutionibus gratias agunt. Quem diligis servum, si dominus sis? ex duobus servis quem accipis? eumne qui post beneficia ingratus est, an eum qui castigatus gratiam habet? Ecclesiæ igitur imago est Chananæa, quæ depulsa Dominum non negat. Adorat illum dicens, *Domine, adjuva me.* Cum prius dixisset, *Fili David, miserere mei* (*Matth.* 15. 25), putans se minorem, quam par erat, emisisse deprecationem, priorem revocat vocem, et secunda probi animi significatione, priorem tegit. Non enim ultra vocat illum filium David, sed Dominum dicens: *Domine, adjuva me.* Neque tamen ille respondet, sed audita voce concitant illum apostoli dicentes: *Clamat post nos.* Deus tamen differt, fidem illam spectans, et dicit ei: *Non est bonum accipere panem filiorum, et projicere canibus.* Filios vocat Israelitas, non tam honorans, quam arguens ingratum illorum animum. Nam quam hodie filios vocat Israelitas, filius est ejus qui dicit: *Filios genui et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isai.* 1. 2). Chananæa canis vocatur, et cum gratia fert contumeliam. Cæterum puto et credo, Christum in hac contumelia benevolentiæ imaginem posuisse, nempe canem, animalis hujusce benevolentiam exprimens. Canis millia passus, ab heri sui ædibus non abscedit; canis cum herum gradientem videt, tacet, cum domesticos servos videt, quiescit; cum extraneos videt, exagitatur, latrat, non quiescit, nullum alienum respicit. Judæi vero quomodo sexcentas contra Deum emitti blasphemias vident, nec moventur? Vide Christianum audientem hæreticam blasphemiam aut alium errorem, statimque turbatum, latrantem, contra adversarios clamantem. Non fert Christianus alienam videre fa-

ciem; sed veluti canis ad ostium Domini latrat. Etiam philosophi a fide alieni, canum nomen sumpsere, ob benevolum canis animum, nec puduit nominis, quod naturæ benevolentiam spectarent. Quod vero Deus latrantem pro pietate acceptum habeat, ac silentem nec latrantem pro veritate reprehendat, de Israelitis loquens ipse testatur: *Omnes canes muti, qui non possunt latrare* (*Isai.* 56. 10). Canis vocatur anima Domino benevola, et pro illo latrans, neque illud probro datur. Canis furens hoc solum habet furoris signum, quod domino dentes opponat: canis quippe dum sæpit, numquam contra herum insanit. Nihil aliud Judæorum furorem arguit, quam quod contra Servatorem latraverint, quia Deum, quem Dominum agnoscere par erat, ut alienum rejecerunt. Quamobrem accusat illos dicens: *Circumdederunt me canes multi.* Et qui canes? *Synagoga malignantium obsedit me* (*Psal.* 21. 17). Non respuit ergo Chananæa contumeliam, sed cum gratiarum actione recipit. *Non est bonum accipere panem filiorum, et projicere canibus.* Illa vero ex contumelia benignitatem sibi parans, dicit: *Etiam, Domine; nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum* (*Matth.* 15. 27). Ne mei miserearis ut filiæ, sed miserere ut catellæ: contumeliam admitto, Domine. Nam abs te prolata contumelia est omni honore præstantior, omni gloria superior. Ut ergo tandem ostenderet Servator, se non conviciando vocasse illam canem, cum ejus gratum animum exhibuit, respondet: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis* (*Ibid. v.* 18). Nescio quomodo laudem fidem illam quam Servator magnam vocavit. Quam enim excogitare possim laudem majorem ea quam Servator protulit? Sinamus vocem intactam, ne nostris laudibus eam dehonestemus, ne faciamus exiguum id quod magnum est: humana laus res minuit; Dei vox rebus testimonium perhibet. *Quorum laus*, inquit, *non ex hominibus, sed ex Deo* (*Rom.* 2. 29). Cur autem dæmoniaci Servatorem in auxilium vocabant: *Fili David, miserere mei?* num Davidis cognatio contra dæmonas potestatem habet? unde prophetanti clamor ille, *Fili David, miserere mei?* unde venit ut Chananæa pro filia dæmoniaca clamans dicat: *Fili David, miserere mei?* In historia traditur, Davidem lyram pulsantem dæmonem a Saüle abegisse. Quia igitur David ex vi musica dæmonas pellebat: musica, inquam, non humana, sed divina, et ex Spiritu sancto pulsans; a cognatione laudem mutuantes dicunt: *Fili David, miserere mei?* Verum non est in illa voce insistendum, sed ab illa ad digniorem oportet deduci. *Sanata est filia ejus ab illa hora* (*Matth.* 15. 28). Dei quippe vox prolata puellam sanavit: vox Servatoris dæmonas ejicit; quidquid est adversarium depellit.

2. Verum hæc in evangelii gratiam, non quantum par fuit, sed pro virili nostra diximus. Licet vero quantum debemus, non possimus, ad promissa exsequenda veniamus, ne procrastinantes auditorum desiderium hebetius reddamus. Tempus ergo est, ut promissa reddere aggrediar, vobisque audientibus debitum persolvam. De Pharaone agere orsi sumus, quomodo nempe Deus cor ejus obduraverit, necnon de dicto illo: *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Dices itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit* (*Rom.* 9. 18. 19)? Oportet autem et eos qui divinas sententias explicare aggrediuntur et eos qui audiunt, non statim ad interpretationem venire, ne videantur sententiæ vim inferre; sed altius evangelicæ gratiæ argumentum repetere, et sic ex consequentia claram nec confusam tradere rei speculationem. Ut igitur paucis exordiar. In Epistola ad Romanos hoc dictum habetur. Romanis vero scribens Paulus, cum multa alia monita habet, tum præcipue rem emendare studet, quæ multam perturbationem ac dissensionem pareret; quomodo autem, aurem præbe. Romæ multi erant Judæi, multi quoque gentiles, qui in Servatorem crediderant: pugnaque inter illos erat et tumultus, non ex pietatis studio, sed ex primatus contentione. Volebant qui ex gentibus accesserant, primas partes tenere; idipsum Judæi sibi vindicabant. Hi obtendebant paternam nobilitatem, dicebantque gentilibus: Præstantiores vobis sumus: nam antiquior apud nos est pia religio; patriarchæ nostri sunt Abraham, Isaac et Jacob; patriarchæ scilicet omnes et prophetæ: nos priscam habemus nobilitatem; vos recens beneficium accepistis. Gentiles qui crediderant, contra dicebant: Non possunt primas tenere qui Christum abnegarunt, nec primas occupare partes qui crucem fixerunt et contra Deum pugnavere: vos rejecti fuistis, et omnes gentes vocatæ sunt. Nos beneficium rapuimus, vos beneficium contumelia affecistis. Tum apostolus multam videns perturbationem, tumultumque magnum Romæ excitatum, cogitansque, ingens malum in magna urbe exortum, posse per totum orbem effundi, contentionem, quasi ex radice reprimit, ne hinc dissensio per universam terram grassaretur; seseque medium interponens, se non ut judicem, sed ut pacificatorem gerit, gnarus contentionem non piam religionem constituere, sed piam religionem omnem solvere contentionem. Ac quemadmodum qui pugnam et tumultum sedare volunt, non alteram partem increpant, ne alteram magis irritent; sed utramque reprimunt, ut ex tali correptione faciliorem consilii sui exitum pariant: sic divinus apostolus sese medium inter pugnantes constituens, et Judæorum et gentilium rumorem comprimit; primoque impudentiorem perstringit partem, nempe Judæorum. Omnes enim erant canes impudentes, qui non poterant latrare. Impudens certe genus est; non ex genere dico, sed ex moribus. Non ignobilitas est impudens, sed mores sunt ignobiles. Hanc itaque partem carpit, imo priorem illam aggreditur ut impudentem, cui dicit Isaias: *Collum tuum ferreum, frons tua ænea* (*Isai.* 48. 4); tam impudentem esse sciebat; et Jeremias propheta dicens: *Frons meretricis fuit tibi, Israel, quia impudens fuisti adversus omnes* (*Jer.* 3. 3). Hanc itaque impudentem partem priorem aggreditur divinus apostolus, nempe Judaicam; et quia antiquitatem proferebant majorum suorum Abraham, Isaac et Jacob, ostendit illis non oportere de genere gloriari, sed de moribus. Quare hunc orsus sermonem dicit: *Non omnes qui ex Israel, sunt Israel* (*Rom.* 9. 6). Quia genus profers, nec mores exhibes, *Non omnes qui ex Israel, sunt Israel.* Hæc ad Judæos, sed *Neque quia sunt semen Abrahæ, omnes sunt filii;* scriptum est enim: *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Ibid. v.* 7). Si genus pietatem facit, nihil vetabat quominus Ismael anteponeretur Isaaco: filius enim erat Abrahæ, et ortu prior. *Non omnes* itaque *qui ex Israel sunt Israel: neque quia sunt semen Abrahæ, omnes filii Abrahæ sunt: sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Interpretationem vero sic addit Paulus: *Non filii carnis* æstimantur in fidem; *sed filii promissionis, hi filii Dei sunt* (*Ibid. v.* 8). Sed quia dicto obsistunt Judæi, et aliam addunt impudentiam contra divinam prædicationem, dicuntque Ismaelem reprobatum fuisse, quod ex ancilla ortus esset; Israelem vero præpositum fuisse, quod ex libera ortus et nobilis esset, demum Ismaelis imaginem inducit et ait: *Non solum* Isaac, *sed et Rebecca ex uno patre nostro concubitum habens. Cum enim nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret; non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei: Major serviet minori* (*Ibid. v.* 10 - 13). Quia ignobilitatem generis profers ad contentionem, ostendo tibi ex una radice duos divisos emitti ramos; ostendo tibi eum qui non crediderat admitti, eum vero qui crediderat minime. Non enim lædit natura eum, quem non lædit propositum, ut discas dictum esse: *Major serviet minori, ut scriptum est: Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Hæc ex divina voce profert Paulus. Dicit quippe Deus per prophetam: *Nonne frater erat Esaü Jacobi? Jacob dilexi, Esaü autem odio habui* (*Malach.* 1. 2. 3). Quia genus affers, inquit, quid profuit Esaü genus? Quia patrum nobilitas honori habetur, quid amplius retulit

Esaŭ ex patris nobilitate? annon erat Abrahæ nepos? annon Isaaci filius? annon ex eadem matre? annon ex eadem libera? num profuit illi genus, quando mores ipsum ejecerunt? Statim subjungit: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum* (*Rom.* 9. 14)? Absit. Historiam hucusque deduxit; deinceps vero contra insurgentem contradictionem se comparat. Quia enim multi, dum alia quæstio examinatur, quæ interseruntur ad calumniam detorquent, non respexit tantum apostolus ad contentionem tunc litigantium, sed etiam ad lites quæ postea movendæ erant, aut a Manichæis, aut ab hæreticis, vel a gentilibus, qui contra hoc dictum pugnaturi erant; et tela parare præoccupat, ut tibi deposita essent arma ad bellum instruendum. Deus enim non solum præsentia respicit, sed multo magis futura prævidet. Ideo verbum Dei vocatur telum et gladius. Dicit Isaias: *Posuit me ut gladium acutum, et manu abscondit: posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me* (*Isai.* 49. 2). Cur gladium et sagittam? Gladius comminus stantes impetit, sagitta ad eminus positos emittitur. Cum igitur verbum Dei et illas tum exortas contentiones tollat, et eas quæ insurrecturæ erant litigationes exscindat, vocatur gladius cujus ope cominus pugnatur, et sagitta adversus hostes eminus stantes emissa. Verum ne argumenti seriem interrumpamus, illa primum dicamus, ut ad hæc veniamus. Postquam Judæos repressit, ne de genere altum saperent, statim aggreditur eos, qui ex gentilibus accesserant, aitque illis: *Noli gloriari adversus radicem. Tu cum oleaster esses* (*Rom.* 11. 18. 17), exsectus es ex eo, qui natura oleaster erat, et insertus es in bonam olivam. Qui enim Epistolam diligenter legit, veram solutionem reperit: nos autem brevitati studeamus. Israeliticum genus vocat bonam olivam, gentiles autem exsectos ex oleastro, et insertos in bonam olivam reprimit. Genus Abrahæ vocat bonam olivam, et eos qui ex gentilibus venerunt, et ex dulcedine Abrahæ et prophetarum degustarunt, reprimit, ne altum sapiant. Num Israel, inquit, in te insertus est? an tu Israelem recepisti? nonne ipse te recepit? apostoli an ex te prodierunt? an Christus ex Judæis, an ex gentilibus? Ex Judæis certe. Cur ergo bonorum radicem ignoras et gloriaris? An nescis te, cum oleaster esses, insertum fuisse in bonam olivam? At dices mihi: Pugnam suscipis pro adversario; hi per incredulitatem exsecti sunt, ego per fidem insertus sum. Recte. *Noli altum sapere, sed time: ne Deus, qui naturalibus ramis non pepercit, nec tibi forte parcat* (*Ibid.* *v.* 20. 21). Vide apostolicam vocem, vide apostolicum nervum; vide quomodo contentionem radicitus exscindat, et illos refrenans, et hos pudore afficiens. Ne extollaris. *Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te* (*Ibid.* *v.* 18). Quia gentiles adversum Judæos extollebantur, quod illi ut Christi inimici exsecti essent, dum isti per cognitionem ejus vocati fuerant, illis ita ferocientibus dicit: *Non tu radicem portas, sed radix te. Sed dices: Fracti sunt rami, ut ego inserar* (*Ibid.* *v.* 19). Benigne assentior tibi, probam tuam responsionem accipio, Bene. Sed *Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Eum qui ex natura nobilis erat, propter incredulitatem ejecit; et te superbientem propter hanc improbitatem ejiciet. Et vide quomodo ex timore contentionem eliminet. *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei* (*Ibid.* *v.* 22); severitatem in eos qui lapsi sunt, bonitatem in te, si manseris in bonitate: nam tu quoque exscinderis. Vide quomodo timore contentionem exscindat, et fidelem disponat, non ut litiget, sed ut concertet. Cur alienum genus curiose perquiris? Pro vita tua decerta: cura quomodo Benefactori placeas, ne nobilitatem tuam moribus ementiaris. Deinde eos, qui ex gentilibus erant, alloquitur. Nam hoc illi jactitabant: Paulus nobis missus est, non vobis Judæis, sed præco gentibus. Huic voci Paulus pietatis pharmacum salutare admovet, et ait: Num de me gloriamini? Etiam, doctor sum vester, non Judæorum. Sed disce rem accurate: Nolo enim vos ignorare, fratres, quod, *Quamdiu sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo* (*Rom.* 11. 13). Quid est, *Honorificabo?* Confirmabo ministerium meum, confirmando gentes. Cur confirmat? *Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, salvos faciam aliquos ex illis* (*Ibid.* *v.* 14). Vos laudo, ut illos ad zelum accendam. His utens verbis Paulus ardentem illorum contentionem reprimit, et splendidam veritatem inducit, exscindit contentionem, et consensum adducit. Sed ad propositum revertamur.

3. *Quid dicemus? num iniquitas est apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cujus miserebor, et misericordiam præstabo ei cujus miserebor* (*Ibid.* *v.* 14. 15). Hanc vocem Paulus non ex persona sua profert: nam est antitheseos consequentia. Antithesin ergo Paulus efformat ex persona litigantium. *Quid dicemus? num iniquitas est apud Deum (Absit)* cum dicit, *Miserebor cujus miserebor, et misericordiam præstabo ei cujus miserebor?* antithesis illa non totam consequentiam accepit: illud autem, *Absit*, parenthesis est. Antequam enim contentionem solveret, statim compressit blasphemiam. Ne quis, dum sententiam examinaret, intercipiens, Deum condemnaret, ut sapiens medicus, illud, *Absit*, inserit; ut dum blasphemiam abjicit, veritatem statuat, contra quam blasphematur. Adversarius dicit: De Jacobo ait: *Jacob dilexi, Esaŭ autem odio habui; et Moysi dixit, Miserebor cujus miserebor, et misericordiam præstabo ei cujus miserebor* (*Ibid.* 9. 13. 15). Si enim quem vult miseretur, et quem vult obdurat, *Quid adhuc queritur* (*Ibid.* *v.* 19)? Nam si illud ipse operatur, et hoc efficit; cur a me rationem repetit eorum quæ ipse facit? Hæc est tota vis objectionis. Etenim *Moysi dicit: Miserebor cujus miserebor, et misericordiam præstabo ei cujus miserebor.* Ergo quasi alio contradicente, et syllogismum obtendente, addidit: *Jacob dilexi, Esaŭ autem odio habui.* Aliud quoque adjecit: *Cujus vult miseretur, quem vult indurat.* Cui adversarius, quasi alium syllogismum objiciens: Ergo *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Ibid.* *v.* 18. *et* 16). Si ergo cujus vult miseretur, quem vult indurat; si quem vult diligit, et quem vult odio habet, cur me accusas? Frustra ergo pietatem sector, frustra ad veritatem curro: *Non enim currentis, neque volentis, sed miserentis est Dei.* Hæc omnia ex persona adversarii. Neque refugit deinceps apostolus ipsi fortiter contradicere, nolens ejus objectionem confirmare; sed omnem volens gentilium suspicionem tollere. Ergo *Cujus vult miseretur, quem vult indurat. Dicet igitur mihi, Quid ergo reprehendit? nam voluntati ejus quis resistit?* Tandem responsionem sic orditur Paulus: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo* (*Ibid.* *v.* 20)? Hæc non est objectionis solutio, sed primum indignatio adversus eos, qui audent cum Deo quæstiones movere. Nam contradicentem reprimere, id non erat solvere quæstionem, sed dubitationem augere. Si me justa dicentem increpes, tacebo, et auctoritatem feram. Cur ergo accusas, et non persuades? Verum primo refrenat audaciam humanæ petulantiæ, quæ audeat a Deo factorum rationem studiose repetere: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Et vulgari utens exemplo (oportet enim a vulgari usu sententias confirmare) ac si quis videns herum, qui servum suum verberaret, accedens diceret, Cur verberas? ille vero, herilem obtendens auctoritatem, diceret: Quid hoc ad te? annon in servum meum potestatem habeo? annon meus est? annon meæ subjicitur potestati? (hæc sunt potestatem ostendentis, non consequentiam probantis): et contradicenti quidem statim indignatus dicit, Quid hoc ad te? postquam autem iram indignationemque sedaverit, in mansuetudinem versus, incusanti sese purgat: Ut ne me condemnes, o homo, quod sine causa verberem, disce quid facere ausus sit: idipsum apostolus facit. Cum ab eo rationes repeterentur a contradicentibus hoc pacto: Si *Cujus vult miseretur, quem vult indurat*, cur reprehendit? *voluntati enim ejus quis resistit?* quia vidit vocem esse perfunctorie usurpatam, ait: *O ho-*

mo, tu quis es, qui respondeas Deo? An lutum legem dat figulo? an opificium de opifice curiose inquirit? an servus rationem ab hero repetit? Annon ex vulgari rerum usu edoceris? Nam servus qui pro libertate decertat, postquam in servitutem redactus est, non audet ipse obsistere, sed alium assumit qui se defendat, ne personam servi heri sui conspectui opponat: et tu, mortalis homo, in immortalis illius conspectum quasi par te sistis? *Quis es qui respondeas Deo?* Temporaneus Æternum curiose perquiris? mortalis Immortalem? qui in sepulcro corrumperis eum qui in cælo habitat? qui a terra alimentum accipis et in terram reverteris, ab eo qui omni tempore vivit rationem exposcis? *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Annon habet potestatem figulus ex eodem luto aliud vas in honorem, aliud in contumeliam facere* (*Ibid. v.* 21)? Etiam, inquiet, bene refrenas, sed quæstionem non solvis. Dum refrenas enim, accusationem auges. Dixit enim: *Annon habet potestatem figulus facere vas aliud in honorem, aliud vero in contumeliam?* Igitur ille ignominiosos facit. Cur ergo me reprehendis? Hanc vocem non sustineo: dum enim accusationem non solvis, auges dubitationem. Idcirco apostolus cum ut petulantes repressit, tunc ut errantes emendat, atque indignatus quidem dicit: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Annon potest figulus ex eodem luto facere vasa, alia in honorem, alia in contumeliam?* Ut autem animadvertit se, dum reprimit, quæstionem magis augere, statim subjungit: *Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia* (*Ibid. v.* 22). Singillatim examinentur verba: non potest ex simplicibus vocibus veritas percipi. Ostendit quidem et docuit non oportere a Deo rationem exigere; ususque est Paulus voce Dei per Isaiam loquentis. Dicit enim Deus veteri populo: *Num dicet lutum figulo, Cur me fecisti* (*Isai.* 45. 9)? Num dicet lutum figulo, Quid facis? num dicit opificium opifici, Cur me fecisti? Vos circa opera mea et filios mandata mihi datis. Vocem Isaiæ refrenantem Paulus usurpans, erroneas sententias emendat. Jam emendatio præcessit, solutio sequatur: ut discas, dilecte, Paulum non ad accuratam quæsitorum solutionem protulisse illud, *Tu quis es, qui respondeas Deo?* sed ex indignatione. Hic enim opifici omnia adscribit, et dicit: *Non habet potestatem figulus ex eodem luto facere vasa, alia in honorem, alia in contumeliam?* Hic ad rei institutum loquitur, non ad accuratum dogma. Alibi vero ut ostendat vas in honorem, et vas in contumeliam non a Deo effici, sed ab operantium proposito, quod vel ad mala declinat, vel ad virtutem respicit, Timotheo dicit: *Hæc ad te scribo, ut scias quomodo oporteat in domo Dei conversari* (1. *Tim.* 3. 14. 15). *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia* (2. *Tim.* 2. 20). Hæc ipse Paulus. Non enim aliunde testimonium proferam, ne dicas: Cum non inveniat in apostolo solutionem, ad aliam Scripturam transilivit. Ipse Paulus qui illis indignatus est, quando sine indignatione loquitur, accurate verba facit. Dicit ergo Paulus: *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et alia in honorem, alia in contumeliam* (*Ibid. v.* 21). Et quid adjicit? *Si quis ergo emendaverit se, erit vas in honorem sanctificatum.* Qui illic figulo vas in honorem et vas in contumeliam adscripsit, alio in loco voluntati totum attribuit: *Si quis emendaverit se, erit vas in honorem, sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Animadverte illum alio modo loqui cum increpat, alio cum docet: et secundum præmissum domini exemplum fieri, qui servum suum verberat, ad alienum statim acerbe loquutus est, sed ut ad hanc veritatem traheret: sic et hoc loco ostendit vas in honorem et vas in contumeliam non a Deo effici; sed Deum communem naturam condere, voluntatem vero ipsam discindere. Ut vero accuratius discas, nos non ex natura factos esse vasa honoris et vasa contumeliæ, id Scriptura docet. Si factum esset vas ignominiæ, cur Scriptura me doceret esse bonum? Quod enim factus sum secundum naturam, mutari non potest. Cur docet hunc esse bonum, qui natura sua malus est? cur autem bonum statuit dicens, *Qui stat, videat ne cadat* (1. *Cor.* 10. 12)? Si natura bonus, cur confirmas eum, qui firmus est? Hinc continenter ad illud, *Non est volentis, neque currentis;* si nihil in me volente situm est, cur prædicas? si nihil penes currentem est, cur defatigaris? si nihil in volente, cur Deus dixit: *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis* (*Isai.* 1. 19)? si nihil est in volente, cur Servator dicebat: *Quoties volui congregare filios tuos, et noluistis* (*Matth.* 23. 37)? *Non est volentis, neque currentis.* Si nihil est in currente, cur Galatis dicebat: *Currebatis bene; quis vos impedivit* (*Gal.* 5. 7)? si non est volentis, neque currentis, cur Paulus ait: *Sic curro, non quasi in incertum* (1. *Cor.* 9. 26)? *Eorum quæ retro sunt obliviscor, et ad anteriora tendo, scopum persequor* (*Philipp.* 3. 13. 14). Quid laboras, aut quid curris? Tu dixisti, *Non est volentis, neque currentis.* Sed Scriptura dubitationem solvit. Non est volentis Isaaci (volebat enim benedicere primogenito), neque currentis Esaü in campum; sed Dei qui miserebatur Jacobi. Non volentis Esaü, neque currentis Isaaci; sed Dei qui miserebatur Jacobi. Verum sic solutum est illud, *Non est volentis.* Sed cur tandem miserentis est Dei? Manet enim adhuc quæstio, *Cujus vult miseretur, quem vult indurat.* Attende studiose, frater. Deus prænoscit omnia; prænoscit autem, non quasi futura formans, sed futura prævidens. Alia quippe sunt ea, quæ secundum œconomiam propriam prædeterminat, et alia quæ ex actibus nostris prænoscit: aliud est prædeterminare, et aliud prænoscere. Si prænoscam futurum malum, non prævisio mea malum illud efficit. Exempli causa, si sæpe videro juvenem a patre relictum hæredem et opulentum; ipsumque conspexero disciplinæ impatientem, in deliciis viventem, spectaculorum amantem, equorum decursionibus deditum; statim prævidens dico: Hic brevi facultates suas dissipabit, hic paternam hæreditatem pessumdabit; non quia prævidens id affirmavi, sed ex moribus ejus conjecturam duxi. Eventus vero causa est, non prædictio prævidentis, sed institutum vitæ male versantis. Sæpe itaque, frater, in rebus aliis ita loquimur: videmus quempiam in via lubrica sine baculo incedentem, et statim dicimus: Hic cadet; ignorat locorum naturam, ruet in arduis. Num quia id prædicis, lapsus causa es?

4. Non quod mea prævisio divinæ sit similis ita loquor; sed ex iis quæ tua sunt, ea quæ super te sunt, te doceo. Animum diligenter adhibe. Id namque adversarii objiciunt: Ut discas, inquiunt, Deum esse qui justos facit et improbos, ipse Jeremiæ dixit: *Antequam te formarem in utero novi te; et antequam exires de vulva sanctificavi te* (*Jer.* 1. 5). Ipse dicit: *Alienati sunt peccatores a vulva,* priusquam egrederentur *erraverunt ab utero: loquuti sunt falsa* (*Psal.* 57. 4). Viden' a vulva hunc justum, illum improbum prædictum fuisse? viden' id ex natura fuisse? Bene Servator Judæis dicebat: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei* (*Matth.* 22, 29). Recte lege, et ne perverse loquaris. *Antequam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te.* Non primo sanctificavi te; sed primo novi te, et tunc sanctificavi te. Hic præscientiam ostendit, et post præscientiam tunc determinat. Et *Antequam te formarem novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te.* Quia novi te, sanctificavi te. Ideo dicit apostolus: *Quos præscivit, et prædestinavit* (*Rom.* 8. 29). Non dixit, primo, Prædestinavit, sed, Præscivit, et tunc, Prædestinavit. Rogo, concertate mecum, sermone ob animi fervorem jam fatiscente. Non ut plaudatis hæc dico; non hoc quærimus, ut testis mihi est Deus; sed communem quærimus utilitatem. Mentis auditum mihi aperi. Illud, *Antequam exires de vulva sanctificavi te,* inferiori tempore dictum arguitur ex apostolo. Nonne enim apostolus de Jeremia dicit, *Quos præscivit, et præelegit*

nos a constitutione mundi (*Rom.* 8. 29. *et Ephes.* 1. 4)? Jeremiam ab utero novit, apostolos ante mundi creationem præscivit, nec modo præscivit, sed etiam præelegit. Videamus ergo an præscientia naturam fecerit. Si electio apostolorum ante constitutionem mundi, justitiæ naturam effecit, non autem propositi virtus; cur ii, qui publicani futuri præsciebantur, vocati sunt? cur Paulus persequitur? cur meretrices ad regnum festinant? Si enim præscitum fuit meretricem regno dignam fore, cur meretrix fuit? si præscivit Paulum Deus, cur præscientia naturam non operata est? cur is, qui præscitus fuerat ante mundi constitutionem, blasphemus fuit, persequutor, contumeliosus? Viden' præscientiam non naturam facere, sed voluntatis proposita prævidere? Si præscientia fecit apostolum, cur Matthæus publicanum agit? Publicanum agere, est idololatram esse: dicit enim Servator: *Erit tibi ut publicanus, aut ut ethnicus* (*Matth.* 18. 17). Sic parem idololatriæ publicani operam definivit. Si ergo præscitus fuit Matthæus, cur præscientia non fecit illum apostolum, sed voluntas ad obedientiam inclinavit? Rahab servata et cum fidelibus annumerata est. Sine dubio illam quoque præsciebat Deus. Cur cum præsciretur, tamen fornicata est? cur ea quæ præscita fuit margarita, in luto erat? Hæc ubique vides, mediam naturam, voluntatem vero Deo præscitam, et in vitæ decursu apparentem. Prævidit Deus quod futurum erat, et fructus vitæ instituti notus fuit. A voce Pauli solutionem accipe: *Quos præscivit, et prædestinavit; quos prædestinavit, etiam vocavit; quos autem vocavit, hos et justificavit* (*Rom.* 8. 29. 30). Cur Judas vocatus, non justificatus est? *Quos præscivit et prædestinavit, hos etiam vocavit.* Non est ergo prophetæ prærogativa, quod ab utero notus fuerit, quando eos, qui ante sæcula electi sunt, non natura sequuta est, sed voluntas præscientiam testificata est. Ostensum igitur est, non naturam præscientiam facere; nisi quis omnino contentiosus sit, et contra veritatem impudenter insurgat. Cur autem in Pharaonem sermonem convertit? Quia dictum fuerat Pharaoni: *In hoc ipsum suscitavi te, ut ostenderem in te virtutem meam, et annuntiaretur nomen meum in universa terra* (*Rom.* 9. 17). Ut tuam ostendas virtutem, hominem castigas? ut exhibeas potentiam tuam, insontem de medio tollis? Si noxius sit, reprehende illum; sin insons, ne accuses. Quid sibi vult illud, *Ut ostendam in te virtutem meam?* Mihi animum adhibe: utar exemplo et veteri et vero. Ars medica cum ab initio vellet et naturam et viscera hominis explorare, sectionibus est usa, et viventes homines dissecuit, ut aliis medicinam præberet. At illud certe iniquum erat, ad aliorum salutem alios viventes mactare. Quid ergo fecerunt veteres? Morti destinatum ob furtum, aut adulterium, aut veneficium, vivum dissecuerunt, et sine injustitia erga eum, qui supplicio afficiebatur, humanæ naturæ opem ferebant. Eum enim, qui scelerum causa supplicio afficiebatur, vivum dissecabant: ut visceribus etiamnum agitatis eorum naturam ediscerent. Deus itaque ut sapientissimus medicus (medicus namque est is qui dicit: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*; et, *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus* [*Matth.* 9. 13. 12]) accipit Pharaonem, jam mille suppliciis dignum ob scelera sua: multis enim obnoxius erat flagitiis. Primum scelus erat blasphemia, quod dixisset, *Non novi Dominum.* Blasphemia erat principium malorum. Secundum, immanitas erga populum, quod liberum genus servituti et lateritio operi tradidisset (*Exod.* 5. 2). Tertium, quod innocentes pueros in flumine suffocaret. Quartum, quod prædicatum Dominum non revereretur. Quintum, quod miracula videns, contra pietatem impudenter ageret. Multis obnoxium flagitiis assumens Deus, ut optimus medicus, miraculis dissecuit; non semel plectens, ut occideret; non enim qui dissecant confestim occidunt, sed dum membra secant, lente agunt, ut undique vim naturæ exploratam habeant. Subjicit illum ranis, armat contra illum extraneas legiones, legiones ranarum, locustarum, ut ingentem potentiam suam ostendat. Non misit angelum de cælo, non ordines Cherubinorum, non mittit Seraphinos contra rebelles; sed ostendens potentiam suam, apparat legiones ranarum: aderant exercitus locustarum, nullo duce; sed Dei jussu ducebantur. Exibant ex flumine ranæ contra Dei adversarium pugnaturæ: veniebant locustæ, ratiocinii judicio non instructæ, sed Dominicum implentes præceptum. Insurgebant sciniphes et cynomyiæ: ac multa nova contra ipsum edit miracula Deus, ejus animam dissecans et probans: ejus mentem variis modis impie agentem, variis puniens modis. Et ut discas quod Deus ideo illum per partes dissecet, et non confestim puniat, ut per ipsum virtutem suam ostendat; dicit omni virtute plenus Sapientiæ liber: *Non enim carebat potentia omnipotens manus tua, et quæ mundum creaverat*, atque investigabilis sapientia, *ut injiceret in eos feroces leones, aut recens creatas furore plenas ignotas feras* (*Sap.* 11. 18. 19). Sed omnia fecit ostendens patientiam suam. Ideo dicit Deus: *Ut enarretis filiis filiorum vestrorum, quæcumque illusi Ægyptiis* (*Exod.* 10. 2). Pharaonem ergo mille suppliciis dignum punit Deus, et dicit illi: *In hoc ipsum suscitavi te, ut ostenderem in te potentiam meam, et annuntiaretur nomen meum in universa terra* (*Rom.* 9. 17): ut per te alios lucrifaciam, ut per te alios ad sanam mentem revocem, ut per te alios castigem. Et ut discas, quantum aliis profuerit ejus dissectio, vim Scripturæ accipe. Rapta aliquando fuit Dei arca ab alienigenis, et venerunt vates omnes ac falsi prophetæ, dicebantque regibus alienigenarum: *Emittamus arcam Dei Israel a nobis, quæ est manus ejus fortis* (1. *Reg.* 5. 7. *et* 8. *et* 6. 6). Nescitis quanta fecerit Dominus Ægyptiis? Cur induramus corda nostra, ut induravit Pharao? O probam gentilium mentem! Reverere tu, qui contradicis, alienigenarum voces. Ne induremus, dicebant alienigenæ, corda nostra, ut induravit Deus cor Pharaonis. Ipsi Pharaoni stupiditatem suam adscribebant. Cur induremus corda nostra, sicut induravit Pharao? annon cum illudebant eis, tunc populum dimiserunt? Et nunc Deum nobis propitium reddamus. In alia quoque castrametatione, ubi viderunt arcam alienigenæ, dixerunt: *Væ nobis!* hic est Deus ille acerbus, qui percussit Ægyptum (*Ibid.* 4. 8). Væ nobis! erue nos, Domine. Videte, quomodo vel ante experimentum Pharao, ut saperent effecit. Hæc clamant alienigenæ. Alia quoque mulier alienigena, Rahab olim meretrix, nunc temperans, illa celebris exploratoribus dicit: Scimus quæ fecerit Dominus Deus Ægyptiis, *Et audivimus, et humiliatum est cor nostrum, et non relictus est in nobis spiritus, quia Deus vester magnus ipse in cœlo sursum, et in terra deorsum* (*Jos.* 2. 10. 11). Viden' non mentiri Deum, cum dicit: *In hoc suscitavi te, ut ostenderem in te potentiam meam, et annuntiaretur nomen meum in universa terra?* Finis autem apostolicæ doctrinæ, finis sit sermonum nostrorum. Dicit Paulus: *Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit iram in vasa iræ in multa patientia* (*Rom.* 9. 22). Non simpliciter dixit, Induxit iram, sed, In illum qui ira dignus erat. Quid enim dixit? *Sustinuit in multa patientia iram in vasa iræ.* Nam ut tu nosti, vere dicit apostolus: *De cætero, fratres, confortamini, corroboramini, perfecti estote* (*Ephes.* 6. 10. *et* 2. *Cor.* 13. 11). Si autem ex natura perfecti sumus, cur dicis mihi, *Perfecti estote?* Certe perfectum esse, id est, ex moribus se dignum reddere. Ipsam rerum naturam testem accipe. Lanam fert natura, mulieres illam perficiunt. Sane perfectionem vocant ipsam texturam, ipsum opus. Sicut ergo natura lanam producit, ars vero rem a natura productam perfecit: ita Deus qui naturam efformavit, illam voluntati tradidit. Lana est natura nostra: in te est ex ea efficere aut vas honoris, aut vas contumeliæ. Tinctor es, accepisti a natura lanam, accepisti propositum quasi tincturam quamdam. Vis tingere

mo, tu quis es, qui respondeas Deo? An lutum legem dat figulo? an opificium de opifice curiose inquirit? an servus rationem ab hero repetit? Annon ex vulgari rerum usu edoceris? Nam servus qui pro libertate decertat, postquam in servitutem redactus est, non audet ipse obsistere, sed alium assumit qui se defendat, ne personam servi heri sui conspectui opponat: et tu, mortalis homo, in immortalis illius conspectum quasi par te sistis? *Quis es qui respondeas Deo?* Temporaneus Æternum curiose perquiris? mortalis Immortalem? qui in sepulcro corrumperis eum qui in cælo habitat? qui a terra alimentum accipis et in terram reverteris, ab eo qui omni tempore vivit rationem exposcis? *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Annon habet potestatem figulus ex eodem luto aliud vas in honorem, aliud in contumeliam facere* (*Ibid. v.* 21)? Etiam, inquiet, bene refrenas, sed quæstionem non solvis. Dum refrenas enim, accusationem auges. Dixit enim: *Annon habet potestatem figulus facere vas aliud in honorem, aliud vero in contumeliam?* Igitur ille ignominiosos facit. Cur ergo me reprehendis? Hanc vocem non sustineo: dum enim accusationem non solvis, auges dubitationem. Idcirco apostolus cum ut petulantes repressit, tunc ut errantes emendat, atque indignatus quidem dicit: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Annon potest figulus ex eodem luto facere vasa, alia in honorem, alia in contumeliam?* Ut autem animadvertit se, dum reprimit, quæstionem magis augere, statim subjungit: *Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia* (*Ibid. v.* 22). Singillatim examinentur verba: non potest ex simplicibus vocibus veritas percipi. Ostendit quidem et docuit non oportere a Deo rationem exigere; ususque est Paulus voce Dei per Isaiam loquentis. Dicit enim Deus veteri populo: *Num dicet lutum figulo, Cur me fecisti* (*Isai.* 45. 9)? Num dicet lutum figulo, Quid facis? num dicit opificium opifici, Cur me fecisti? Vos circa opera mea et filios mandata mihi datis. Vocem Isaiæ refrenantem Paulus usurpans, erroneas sententias emendat. Jam emendatio præcessit, solutio sequatur: ut discas, dilecte, Paulum non ad accuratam quæsitorum solutionem protulisse illud, *Tu quis es, qui respondeas Deo?* sed ex indignatione. Hic enim opifici omnia adscribit, et dicit: *Non habet potestatem figulus ex eodem luto facere vasa, alia in honorem, alia in contumeliam?* Hic ad rei institutum loquitur, non ad accuratum dogma. Alibi vero ut ostendat vas in honorem, et vas in contumeliam non a Deo effici, sed ab operantium proposito, quod vel ad mala declinat, vel ad virtutem respicit, Timotheo dicit: *Hæc ad te scribo, ut scias quomodo oporteat in domo Dei conversari* (1. *Tim.* 3. 14. 15). *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia* (2. *Tim.* 2. 20). Hæc ipse Paulus. Non enim aliunde testimonium proferam, ne dicas: Cum non inveniat in apostolo solutionem, ad aliam Scripturam transilivit. Ipse Paulus qui illis indignatus est, quando sine indignatione loquitur, accurate verba facit. Dicit ergo Paulus: *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et alia in honorem, alia in contumeliam* (*Ibid. v.* 21). Et quid adjicit? *Si quis ergo emendaverit se, erit vas in honorem sanctificatum.* Qui illic figulo vas in honorem et vas in contumeliam adscripsit, alio in loco voluntati totum attribuit: *Si quis emendaverit se, erit vas in honorem, sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Animadverte illum alio modo loqui cum increpat, alio cum docet: et secundum præmissum domini exemplum fieri, qui servum suum verberat, ad alienum statim acerbe loquutus est, sed ut ad hanc veritatem traheret: sic et hoc loco ostendit vas in honorem et vas in contumeliam non a Deo effici; sed Deum communem naturam condere, voluntatem vero ipsam discindere. Ut vero accuratius discas, nos non ex natura factos esse vasa honoris et vasa contumeliæ, id Scriptura docet. Si factum esset vas ignominiæ, cur Scriptura me doceret esse bonum? Quod enim factus sum secundum naturam, mutari non potest. Cur docet hunc esse bonum, qui natura sua malus est? cur autem bonum statuit dicens, *Qui stat, videat ne cadat* (1. *Cor.* 10. 12)? Si natura bonus, cur confirmas eum, qui firmus est? Hinc continenter ad illud, *Non est volentis, neque currentis;* si nihil in me volente situm est, cur prædicas? si nihil penes currentem est, cur defatigaris? si nihil in volente, cur Deus dixit: *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis* (*Isai.* 1. 19)? si nihil est in volente, cur Servator dicebat: *Quoties volui congregare filios tuos, et noluistis* (*Matth.* 23. 37)? *Non est volentis, neque currentis.* Si nihil est in currente, cur Galatis dicebat: *Currebatis bene; quis vos impedivit* (*Gal.* 5. 7)? si non est volentis, neque currentis, cur Paulus ait: *Sic curro, non quasi in incertum* (1. *Cor.* 9. 26)? *Eorum quæ retro sunt obliviscor, et ad anteriora tendo, scopum persequor* (*Philipp.* 3. 13. 14). Quid laboras, aut quid curris? Tu dixisti, *Non est volentis, neque currentis.* Sed Scriptura dubitationem solvit. Non est volentis Isaaci (volebat enim benedicere primogenito), neque currentis Esaü in campum; sed Dei qui miserebatur Jacobi. Non volentis Esaü, neque currentis Isaaci; sed Dei qui miserebatur Jacobi. Verum sic solutum est illud, *Non est volentis.* Sed cur tandem miserentis est Dei? Manet enim adhuc quæstio, *Cujus vult miseretur, quem vult indurat.* Attende studiose, frater. Deus prænoscit omnia; prænoscit autem, non quasi futura formans, sed futura prævidens. Alia quippe sunt ea, quæ secundum œconomiam propriam prædeterminat, et alia quæ ex actibus nostris prænoscit: aliud est prædeterminare, et aliud prænoscere. Si prænoscam futurum malum, non prævisio mea malum illud efficit. Exempli causa, si sæpe videro juvenem a patre relictum hæredem et opulentum; ipsumque conspexero disciplinæ impatientem, in deliciis viventem, spectaculorum amantem, equorum decursionibus deditum; statim prævidens dico: Hic brevi facultates suas dissipabit, hic paternam hæreditatem pessumdabit; non quia prævidens id affirmavi, sed ex moribus ejus conjecturam duxi. Eventus vero causa est, non prædictio prævidentis, sed institutum vitæ male versantis. Sæpe itaque, frater, in rebus aliis ita loquimur: videmus quempiam in via lubrica sine baculo incedentem, et statim dicimus: Hic cadet; ignorat locorum naturam, ruet in arduis. Num quia id prædicis, lapsus causa es?

4. Non quod mea prævisio divinæ sit similis ita loquor; sed ex iis quæ tua sunt, ea quæ super te sunt, te doceo. Animum diligenter adhibe. Id namque adversarii objiciunt: Ut discas, inquiunt, Deum esse qui justos facit et improbos, ipse Jeremiæ dixit: *Antequam te formarem in utero novi te; et antequam exires de vulva sanctificavi te* (*Jer.* 1. 5). Ipse dicit: *Alienati sunt peccatores a vulva,* priusquam egrederentur *erraverunt ab utero: loquuti sunt falsa* (*Psal.* 57. 4). Viden' a vulva hunc justum, illum improbum prædictum fuisse? viden' id ex natura fuisse? Bene Servator Judæis dicebat: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei* (*Matth.* 22, 29). Recte lege, et ne perverse loquaris. *Antequam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te.* Non primo sanctificavi te; sed primo novi te, et tunc sanctificavi te. Hic præscientiam ostendit, et post præscientiam tunc determinat. Et *Antequam te formarem novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te.* Quia novi te, sanctificavi te. Ideo dicit apostolus: *Quos præscivit, et prædestinavit* (*Rom.* 8. 29). Non dixit, primo, Prædestinavit, sed, Præscivit, et tunc, Prædestinavit. Rogo, concertate mecum, sermone ob animi fervorem jam fatiscente. Non ut plaudatis hæc dico; non hoc quærimus, ut testis mihi est Deus; sed communem quærimus utilitatem. Mentis auditum mihi aperi. Illud, *Antequam exires de vulva sanctificavi te,* inferiori tempore dictum arguitur ex apostolo. Nonne enim apostolus de Jeremia dicit, *Quos præscivit, et præelegit*

nos a constitutione mundi (*Rom.* 8. 29. *et Ephes.* 1. 4)? Jeremiam ab utero novit, apostolos ante mundi creationem præscivit, nec modo præscivit, sed etiam præelegit. Videamus ergo an præscientia naturam fecerit. Si electio apostolorum ante constitutionem mundi, justitiæ naturam effecit, non autem propositi virtus; cur ii, qui publicani futuri præsciebantur, vocati sunt? cur Paulus persequitur? cur meretrices ad regnum festinant? Si enim præscitum fuit meretricem regno dignam fore, cur meretrix fuit? si præscivit Paulum Deus, cur præscientia naturam non operata est? cur is, qui præscitus fuerat ante mundi constitutionem, blasphemus fuit, persequutor, contumeliosus? Viden' præscientiam non naturam facere, sed voluntatis proposita prævidere? Si præscientia fecit apostolum, cur Matthæus publicanum agit? Publicanum agere, est idololatram esse: dicit enim Servator: *Erit tibi ut publicanus, aut ut ethnicus* (*Matth.* 18. 17). Sic parem idololatriæ publicani operam definivit. Si ergo præscitus fuit Matthæus, cur præscientia non fecit illum apostolum, sed voluntas ad obedientiam inclinavit? Rahab servata et cum fidelibus annumerata est. Sine dubio illam quoque præsciebat Deus. Cur cum præsciretur, tamen fornicata est? cur ea quæ præscita fuit margarita, in luto erat? Hæc ubique vides, mediam naturam, voluntatem vero Deo præscitam, et in vitæ decursu apparentem. Prævidit Deus quod futurum erat, et fructus vitæ instituti notus fuit. A voce Pauli solutionem accipe: *Quos præscivit, et prædestinavit; quos prædestinavit, etiam vocavit; quos autem vocavit, hos et justificavit* (*Rom.* 8. 29. 30). Cur Judas vocatus, non justificatus est? *Quos præscivit et prædestinavit, hos etiam vocavit.* Non est ergo prophetæ prærogativa, quod ab utero notus fuerit, quando eos, qui ante sæcula electi sunt, non natura sequuta est, sed voluntas præscientiam testificata est. Ostensum igitur est, non naturam præscientiam facere; nisi quis omnino contentiosus sit, et contra veritatem impudenter insurgat. Cur autem in Pharaonem sermonem convertit? Quia dictum fuerat Pharaoni: *In hoc ipsum suscitavi te, ut ostenderem in te virtutem meam, et annuntiaretur nomen meum in universa terra* (*Rom.* 9. 17). Ut tuam ostendas virtutem, hominem castigas? ut exhibeas potentiam tuam, insontem de medio tollis? Si noxius sit, reprehende illum; sin insons, ne accuses. Quid sibi vult illud, *Ut ostendam in te virtutem meam?* Mihi animum adhibe: utar exemplo et veteri et vero. Ars medica cum ab initio vellet et naturam et viscera hominis explorare, sectionibus est usa, et viventes homines dissecuit, ut aliis medicinam præberet. At illud certe iniquum erat, ad aliorum salutem alios viventes mactare. Quid ergo fecerunt veteres? Morti destinatum ob furtum, aut adulterium, aut veneficium, vivum dissecuerunt, et sine injustitia erga eum, qui supplicio afficiebatur, humanæ naturæ opem ferebant. Eum enim, qui scelerum causa supplicio afficiebatur, vivum dissecabant: ut visceribus etiamnum agitatis eorum naturam ediscerent. Deus itaque ut sapientissimus medicus (medicus namque est is qui dicit: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*; et, *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus* [*Matth.* 9. 13. 12]) accipit Pharaonem, jam mille suppliciis dignum ob scelera sua: multis enim obnoxius erat flagitiis. Primum scelus erat blasphemia, quod dixisset, *Non novi Dominum.* Blasphemia erat principium malorum. Secundum, immanitas erga populum, quod liberum genus servituti et lateritio operi tradidisset (*Exod.* 5. 2). Tertium, quod innocentes pueros in flumine suffocaret. Quartum, quod prædicatum Dominum non revereretur. Quintum, quod miracula videns, contra pietatem impudenter ageret. Multis obnoxium flagitiis assumens Deus, ut optimus medicus, miraculis dissecuit: non semel plectens, ut occideret; non enim qui dissecant confestim occidunt, sed dum membra secant, lente agunt, ut undique vim naturæ exploratam habeant. Subjicit illum ranis, armat contra illum extraneas legiones, legiones ranarum, locustarum, ut ingentem potentiam suam ostendat. Non misit angelum de cælo, non ordines Cherubinorum, non mittit Seraphinos contra rebelles; sed ostendens potentiam suam, apparat legiones ranarum: aderant exercitus locustarum, nullo duce; sed Dei jussu ducebantur. Exibant ex flumine ranæ contra Dei adversarium pugnaturæ: veniebant locustæ, ratiocinii judicio non instructæ, sed Dominicum implentes præceptum. Insurgebant sciniphes et cynomyiæ: ac multa nova contra ipsum edit miracula Deus, ejus animam dissecans et probans: ejus mentem variis modis impie agentem, variis puniens modis. Et ut discas quod Deus ideo illum per partes dissecet, et non confestim puniat, ut per ipsum virtutem suam ostendat; dicit omni virtute plenus Sapientiæ liber: *Non enim carebat potentia omnipotens manus tua, et quæ mundum creaverat*, atque investigabilis sapientia, *ut injiceret in eos feroces leones, aut recens creatas furore plenas ignotas feras* (*Sap.* 11. 18. 19). Sed omnia fecit ostendens patientiam suam. Ideo dicit Deus: *Ut enarretis filiis filiorum vestrorum, quæcumque illusi Ægyptiis* (*Exod.* 10. 2). Pharaonem ergo mille suppliciis dignum punit Deus, et dicit illi: *In hoc ipsum suscitavi te, ut ostenderem in te potentiam meam, et annuntiaretur nomen meum in universa terra* (*Rom.* 9. 17): ut per te alios lucrifaciam, ut per te alios ad sanam mentem revocem, ut per te alios castigem. Et ut discas, quantum aliis profuerit ejus dissectio, vim Scripturæ accipe. Rapta aliquando fuit Dei arca ab alienigenis, et venerunt vates omnes ac falsi prophetæ, dicebantque regibus alienigenarum: *Emittamus arcam Dei Israel a nobis, quæ est manus ejus fortis* (1. *Reg.* 5. 7. *et* 8. *et* 6. 6). Nescitis quanta fecerit Dominus Ægyptiis? Cur induramus corda nostra, ut induravit Pharao? O probam gentilium mentem! Reverere tu, qui contradicis, alienigenarum voces. Ne induremus, dicebant alienigenæ, corda nostra, ut induravit Deus cor Pharaonis. Ipsi Pharaoni stupiditatem suam adscribebant. Cur induremus corda nostra, sicut induravit Pharao? annon cum illudebant eis, tunc populum dimiserunt? Et nunc Deum nobis propitium reddamus. In alia quoque castrametatione, ubi viderunt arcam alienigenæ, dixerunt: *Væ nobis!* hic est Deus ille acerbus, qui percussit Ægyptum (*Ibid.* 4. 8). Væ nobis! erue nos, Domine. Videte, quomodo vel ante experimentum Pharao, ut saperent effecit. Hæc clamant alienigenæ. Alia quoque mulier alienigena, Rahab olim meretrix, nunc temperans, illa celebris exploratoribus dicit: Scimus quæ fecerit Dominus Deus Ægyptiis, *Et audivimus, et humiliatum est cor nostrum, et non relictus est in nobis spiritus, quia Deus vester magnus ipse in cælo sursum, et in terra deorsum* (*Jos.* 2. 10. 11). Viden' non mentiri Deum, cum dicit: *In hoc suscitavi te, ut ostenderem in te potentiam meam, et annuntiaretur nomen meum in universa terra?* Finis autem apostolicæ doctrinæ, finis sit sermonum nostrorum. Dicit Paulus: *Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit iram in vasa iræ in multa patientia* (*Rom.* 9. 22). Non simpliciter dixit, Induxit iram, sed, In illum qui ira dignus erat. Quid enim dixit? *Sustinuit in multa patientia iram in vasa iræ.* Nam ut tu nosti, vere dicit apostolus: *De cætero, fratres, confortamini, corroboramini, perfecti estote* (*Ephes.* 6. 10. *et* 2. *Cor.* 13. 11). Si autem ex natura perfecti sumus, cur dicis mihi, *Perfecti estote?* Certe perfectum esse, id est, ex moribus se dignum reddere. Ipsam rerum naturam testem accipe. Lanam fert natura, mulieres illam perficiunt. Sane perfectionem vocant ipsam texturam, ipsum opus. Sicut ergo natura lanam producit, ars vero rem a natura productam perficit: ita Deus qui naturam efformavit, illam voluntati tradidit. Lana est natura nostra: in te est ex ea efficere aut vas honoris, aut vas contumeliæ. Tinctor es, accepisti a natura lanam, accepisti propositum quasi tincturam quamdam. Vis tingere

lanam in purpuram regiam? Esto filius Regis. Tinxisti eam operibus tenebrosis? Esto filius tenebrarum et noctis; non natura id efficiente, sed voluntatis proposito differentiam inducente. Nihil igitur ex necessitate, quantumvis digladientur contentiosi. Nam per Dei gratiam, quantum per vires licuit, solutionem dedimus. Itaque deponantur quæstiones in sententiis. Attende diligenter. Si quis contra insurgat, sic illi obsiste, ut ipsum propriis armis dejicias. Nec quia vasa plurima domi servantur, indiscriminatim omnibus utaris; sed scis quodnam vas vinum excipiat, quodnam acetum. Sic Deus novit, quæ anima sit ad misericordiam consequendam apta, quæ supplicio digna; non quia sic facta est, sed quia sic per vitam suam se apparavit. Idcirco, frater, vasa vocat et eos qui supplicio, et eos qui misericordia afficiuntur (*Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia iram in vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias misericordiæ suæ in vasa misericordiæ*); et illum effecit vas iræ, qui iram recepit; illum vas misericordiæ, qui benignitatem recepit; ut ostendat unumquemque in se advocare vel iram vel misericordiam. Sed fortasse quis hanc vocem, sive hoc dictum redarguet, *In vasa iræ apta in interitum.* Ita, inquit, non ex instituto vitæ apta est ira, sed illam sic aptam fecit. Sciendum autem est, non ex natura sic effici, sed ex voluntatis proposito. Hujus testimonium accipe, nempe aptum effici, id esse ex proposito se vel supplicio vel clementia dignum reddere. Dicit enim: Etiam, non accurate scio Scripturas. Verum quod quæritur est, ut tu salutem reciperes. Nam qui curatur a medico, remediorum naturam non explorat, sed id expetit ut sanetur. Si percontetur ille, qui contradicit, Quomodo didicisti? quomodo edoctus es? responde, Quomodo didicerim novi, quomodo id explicem nescio? Non enim curavi, sed curatus sum ita, ut firmam animam obtineam. Si videas illum adhuc obsistentem, dic: Ego non sum medicus, neque artem medicinæ calleo; adi medicos, et pharmacorum opem te docebunt. Utinam vero nos, qui per medicinam sanati sumus, gloriam referamus soli medico et sapienti Deo: ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO

IN ORATIONEM SEQUENTEM.

Allegoriis plenior oratio, inquit Savilius, *quam pro more Auriflui nostri. Cæterum aut ipsius esse judico, aut alicujus ex antiquis Patribus. Loca aliquot ut in unico exemplari mendosa vel de mendo suspecta subjecimus, ut studiosi ea facilius ex aliis Codicibus corrigant.* Sic inter *dubia* hanc orationem locat Savilius, quam ita spuriam existimo, ut nullam reperiam, quæ a Chrysostomi stylo magis abhorreat. Hic omnia peregrina sunt; dicendi ratio, allegoriarum usus frequens ad nauseam, imo ad *loquacitatem* usque. Quamobrem incunctanter illam inter spuria locavimus.

IN DICTUM APOSTOLI: NON QUOD VOLO FACIO, SED QUOD NOLO, HOC AGO (*Rom.* 7. 19): ET QUOMODO JACOB TYPUS CHRISTI FUERIT. IN EXORDIO AUTEM CONCIONIS, CONTRA THEATRORUM SPECTATORES.

1. Vestrum quidem laudo desiderium, studium miror, et pulchrum hoc certamen approbo. Nulla enim jam perturbatio est quæ tumultum pariat, sed animi mœror, qui justitiæ coronam nectit. Beatum certe prædico studium vestrum, quo moti omnem laborem sustinuistis, divino præsidio addicti. Sed ut hoc admiror studium, ita vestrum circa inania laborem aversor. Heri namque hic sacer cœtus nobis abreptus fuit, et loco hujus divini beatique studii hippodromus populum excepit: miratusque sum quod dimisso divini verbi certamine, equorum certamen quæsieritis. Illic enim videre erat equorum cursum; hic currum Dei millibus multiplicem, in quo millia lætantium (*Psal.* 67. 18): illic videre erat certamen, cursum et contentionem; hic desiderium, studium et alacritatem. Currus unus mille currus dejicit. Unus quippe currus Dei est, multi improborum currus. Sed hic currus cursum pietatis recte peragit, illi vero a curru divino subvertuntur. Nam ait: *Hi in curribus et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur: ipsi compediti sunt et ceciderunt; nos autem surreximus et erecti sumus* (*Psal.* 19. 8. 9). Hic currus non equos dejicit, non homines subvertit; sed dæmones dissipat, et diaboli tyrannidem solo æquat. Est Deo currus non quatuor equis, sed mille animabus junctus. Nam currus Dei, inquit, multiplex, in quo millia lætantium (*Psal.* 67. 18). Equi Dei sunt sanctæ animæ, equi Dei sunt animæ apostolorum, quæ totam terram peragrant, et salutem mundo afferunt. Apostolorum enim equitatus salus est orbis. Ideo prædixit propheta dicens: *Induxisti in mare equos tuos, et equitatus tuus salus* (*Habac.* 3. 15). Nam hi equi fidelibus salutem attulerunt, et inimicos Ecclesiæ turbaverunt. *Induxisti*, inquit, *in mare equos tuos, turbantes aquas multas* (*Habac.* 3. 7). Prædicatio apostolorum, gentium cœtus turbavit: multi reges turbati sunt, tyranni multi confusi sunt, apostolicæ gratiæ cursum non ferentes. Quapropter ii, qui de cursu apostolorum turbabantur, dicebant: *Qui orbem turbaverunt, hic adsunt* (*Act.* 17. 6). Vide currum Dei, vide equos qui frenum pietatis acceperunt. Ne obsistas verbo veritatis, neque imiteris brutorum impetus, calcitrans contra divinam legem; ne tibi quoque divinitus dicatur: *Quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare* (*Act.* 9. 4. 5). Frenum pietatis accipiamus, et oculos transferentes ad probum spectaculum, videamus aurigas pietatis, prophetas et apostolos. Prophetæ sunt aurigæ veritatis, et bene ordinati cursus gubernatores. Talis erat Elias, ad quem clamabat Elisæus: *Pater, pater, auriga Israel, et eques ejus* (4. *Reg.* 2. 12). Omnibus autem anteponenda est pietas. Ne, cum audis verbum Dei, postquam doctrinam libens excipis, inde egressus, brutis similis sis. Et mente et oculis intentus, Dei verbum dilige. Ne dividas obtutum tuum, inter turpe spectaculum et divinum studium: oculum tuum assuefacito, ut nihil aliud respiciat nisi cœlestem pulchritudinem, ut dicas: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo* (*Psal.* 122. 1). Aures tuas assuefacito, non ad clamores et tumultus, sed ad divinam legem, dicens: *Inclinabo in parabolam aurem meam*; et, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* 48. 5. *et* 84. 9). Non oportet adulatoria verba dicere: sed quæ prosint ad institutionem docere. Adulationis enim lucrum nullum, disciplinæ magna utilitas est. Ne animo capiaris ad absurda spectacula, neque extraneis cantilenis animum adhibeas. Potes enim animo tuo imperare,

licet illum a consuetudine abduci videas. Non es servus, sed liber; non invitus captivus effici potes, sed teipsum sponte peccato vendis. Ne assumas apostolicam vocem : cum redargueris ita ut arcana cordis tangantur, ne dicas : Num ergo fortior sum Paulo dicente, *Non quod volo facio, sed quod odio habeo, hoc facio* (*Rom.* 7. 15. 19)? Ne consuetudini serviens, divina verba calumnieris : ne tuam implens cupiditatem, apostolicam calumnieris sententiam. Multi enim sæpe obtendunt excusationes in peccatis, et apostolicum nobis dictum opponunt, quod modo legebamus. Dixit, inquiunt, Paulus, vas electionis, qui a Spiritu sancto semper regebatur, *Non quod volo facio, sed quod odio habeo, hoc facio. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem : video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati* (*Ibid. v.* 22. 23). Amat quisquis peccato addictus est, fide dignum quempiam reperire, qui peccato suo patrocinetur : et libenter recurrit ad apostolos, non ut illis convicietur, sed ut sibi defensionem paret. Dicit, inquit, Paulus : *Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum* (*Ibid. v.* 18). Si ergo in Paulo bonum non habitat, quomodo in me habitare potest? quomodo possum bonum tenere, et boni radicem in me habere? Si tantum virum invenimus peccati captivum, ut ipse declaravit, quid de me dixeritis misero et in peccati servitutem redacto? Ne igitur duo hinc mala oriantur, ne scilicet apostolicum verbum calumnia impetatur, et nos hinc peccandi licentiam mutuemur, necesse est apostolicam mentem totam explicare. Omnium igitur quæ in Scripturis occurrunt difficultatum solutio, est argumenti ratio. Cum enim quis dicentis scopum novit, de quibus nempe sit sermo, quibus dirigatur, facilem nec obscuram profert dictorum interpretationem.

2. Apostolus, ut paucis et clare loquar, imaginem universorum hominum depingit, ejus qui ab initio formatus est, ejus qui in lege fuit institutus, ejus qui in gratia libertatem adeptus est; ipsosque quasi in imagine verbo depingit. Quis ergo Adam erat ante præceptum? et quis post præceptum? quem habuit statum in lege, et quod nomen accepit in gratia? Ac quemadmodum si hodie dixero, Deus fecit nos ad imaginem et similitudinem suam, sed quia præceptum transgressi sumus, ejecti fuimus ex paradiso, non mihi sermonem refero, sed veterem historiam mihi repeto (neque enim paradisum vidi, neque ex paradiso ejectus sum, sed patris ærumnam et priscam calamitatem depingo, sic dico, Formatus sum, transgressus sum, ejectus sum, castigatus et revocatus sum) : sic Paulus de Adamo narrat, quis nempe esset ante legis præceptum (de lege loquor in paradiso data), dicitque ex persona Adami : *Ego autem vivebam sine lege aliquando.* (*Rom.* 7. 9). Num Paulus erat lege antiquior? Paulus post omnes qui in lege educati fuerant floruit, post Christi adventum. Si ergo post legem est, quomodo se lege antiquiorem dicit? Ex iis enim quæ dicit, se lege antiquiorem declarat : *Ego autem vivebam sine lege aliquando : veniente autem præcepto, peccatum revixit.* Num post Paulum venit præceptum? Et ne quis putet legem quidem fuisse ante Paulum, ipsum vero aliquando vixisse sine lege, gentilium more, postea vero in lege institutum fuisse, historia rei veritatem tradit. Paulus enim nunquam sine lege vixit. Quomodo enim sic vixisset, qui dicit : *Hebræus ex Hebræis, circumcisus octavo die, ex genere Israelitico* (*Philipp.* 3. 5)? Quandonam igitur sine lege vixit? *Ego autem sine lege vivebam : sed cum venisset mandatum.* Quodnam? Illud, *Ex omni ligno quod est in paradiso comedes. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus sum* (*Gen.* 2. 17). Vide quomodo quasi in statera ponat peccatum et justitiam : quia tunc moritur peccatum, cum præceptum servatur; tunc moritur homo, cum viget peccatum. Nam illud, *Cum venisset mandatum, peccatum revixit*, declarat quod ante transgressionem peccatum mortuum fuerit. Peccatum autem vocat, non peccati actum, sed diabolum. Cur autem diabolum peccatum vocat? Quia illi doctor peccati fuit. Nisi enim quis Scripturæ proprium dicendi modum attendat, a veritatis scopo multum aberrabit. Peccatum solet Scriptura vocare diabolum. Quare? Quia fuit doctor, institutor, et conciliator peccati. Similiterque Servatorem Dominum nostrum Jesum Christum vocat Scriptura Justitiam, non quasi actum justitiæ, sed quasi Doctorem justitiæ. Quamobrem de illo dicit Paulus : *Qui factus est nobis a Deo sapientia et justitia, et sanctificatio et redemptio* (1. *Cor.* 1. 30). Quemadmodum ergo Christus justitia vocatus est, utpote fons justitiæ; sic et diabolus peccati institutor factus et doctor, peccati nomen accepit. *Peccatum revixit, ego autem mortuus sum : et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem* (*Rom.*7. 10.) Dedit enim Deus Adamo mandatum, non ut moreretur, sed ut viveret. Mandatum igitur, inquit, quod datum est mihi ad vitam, inventum est ad mortem : non quod ipsum mutatum sit, sed quod ego per transgressionem vivificam virtutem ejus subverterim. Accurate sunt explorandæ omnes quæ moventur quæstiones. Nam statim Scripturarum inimicus, qui non educatus est in verbo veritatis, non alio spectat, quam ut dicat : Non præscivit, Deus, Adamum peccaturum esse? non præscivit, ipsum transgressurum esse mandatum? non præscivit, fore ut a serpente deciperetur? cur ergo mandatum dedit ei, qui ipsum non servaturus erat? Sciendum autem est, Deum omnia quidem præscire, leges vero dare, non quod ad transgressores solum respiciat, sed etiam ad eos, qui probe sunt acturi. Cur vero ut inimicus præscientiam partim tantum examinas? cur dicis, Annon præsciebat Deus quod Adam peccaturus esset? cur vero ea, quæ ex eodem ratiocinio consequuntur, taces? Tu taces improbo animo; ego utpote fidelis id prædicabo : sicut præsciebat Deus Adamum esse transgressurum, sic sciebat Abelem justum fore, præsciebat Enochum transferendum esse, præsciebat justorum chorum fore, præsciebat Noe universalem perniciem enataturum esse, præsciebat fore ut Abraham radix fidei floreret, patriarchæ splenderent, prophetæ clarerent, apostoli conspicui essent, et ex ipsa massa ejus qui transgressurus erat, illa celeberrima et pulcherrima Servatoris œconomia oriretur. Præsciebat apostolorum cursum, martyrum instituta, confessorum certamina, monachorum agmina, flores Ecclesiarum, sacerdotum chorum; præsciebat omnes qui in veritate ante altare adfuturi erant. Quid ergo? an oportebat ob præscientiam transgressoris a creatione absistere, an vero ob præscientiam tot bonorum opificium producere? *Nam peccatum occasione accepta, per mandatum seduxit me, et per illud occidit*(*Rom.* 7. 11). Peccatum, id est, diabolus. *Occasione accepta.* Qua? Quia dixit Deus : *Ex omni ligno quod est in paradiso comedes; de ligno autem scientiæ boni et mali non comedes : in quacumque enim die comederis, morte morieris* (*Gen.* 2. 17); diabolus, occasione accepta per mandatum, calumniam parat, aitque illi : *Scit enim Deus quod quacumque die comederitis, eritis sicut dii* (*Gen.*3. 5), et id vobis prohibuit. Deum calumniatur ob invidiam, et in Deum invehitur ut invidum. Eo quod vobis invideret Deus, ne essetis Deo æquales, vetuit ne comederetis ex ligno, unde æqualitas illa vobis accedet. *Occasione* igitur *accepta, peccatum per mandatum seduxit.* Recte dixit illud, *Seduxit.* Non enim vera promisit, sed seduxit, et per illud occidit. Nam seductio mortem peperit : non enim opificium mortale erat. Multi certe putarunt Deum mortale opificium creavisse; sed mortale non erat. Etiamsi enim ex terra erat, ad immortale creatum fuerat. Nam si

non immortale creatum fuisset, sed mortale, cur quod ex natura habebat, per sententiam accepit? Si mortale erat illud opificium, cur Deus ipsi in transgressionis pœnam mortem indicit? *In quacumque die comederis, morte morieris.* Ergo antequam comederet, immortale erat opificium. Quod si antequam comederet, mortale erat, fallax et ridicula fuisset interminatio, non veritas : comminatus enim fuisset, me futurum id quod jam eram. Nemo autem cuiquam interminatur somnum, quem ex natura habet; nemo cibum, quem ex natura capit : sed interminatur Deus mortem. Quod opificium non ex creatione subibat, propter peccatum subiit. Nam si Adam præceptum divinum et legem servare perseverasset, mors locum non habuisset. Id testificatur sapiens illud oraculum: *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viventium : invidia autem diaboli mors intravit in mundum* (*Sap.* 1. 13. *et* 2. 24). Quamobrem, ut vere loquamur, præter naturam nobis accidit quod mortales simus; resurrectio autem quod ex natura inerat, nobis restituit. Ideo resurrectio dicitur, quia corruptum opificium et per peccatum lapsum, per justitiam erigitur. Si perseverasset Adam in mandato, vivus mansisset. Et quis sponsor est, ut ne videatur id ex conjectura dictum esse? Ut ergo, fratres, non conjecturis divina tractemus, sed rerum consequentia usi claram rerum veritatem assequamur, opificii immortalitatem testificantur ea quæ sequuntur. Si natura mortale erat opificium, si morti addictum est non per peccatum, sed per naturam ipsam, quomodo naturam vicerunt Elias et Enoch? quomodo Elias assumptus est, nec mortem gustavit? quomodo Enoch translatus est, mortem non expertus? Vide pignora priscæ creationis. Itaque poterat homo perpetuo vivere, si divinam servasset legem. Idcirco Deus assumptas nostri generis primitias transtulit in immortalitatem. Et vide sapientem œconomiam. Assumit Enochum ante multas generationes; rapit Eliam post multas generationes, idque utiliter. Quia enim in duabus gentibus pia religio versatura erat, in populo præputium habenti, et in populo circumcisionem profitenti; non solum Eliam assumit, ne Judæus glorietur hisce primitiis honoratus; sed priorem assumit Enochum, qui non secundum legem vixerat, sed ecclesiasticum ornatum servarat. Omnia enim, quæ ante legem fuere, figura erant Ecclesiæ. Interroga justos usque ad Abraham et usque ad legem, quinam ipsi essent. In tribus nominibus omnia versantur : in gentilitate incredula; in judaismo, qui secundum legem incedebant, et in christianismo, qui secundum evangelicam gratiam ducebatur. Interrogentur adversarii de Adamo, Abele, Enocho, Seth et Noe, et quotquot usque ad Abraham probe vixerunt, quinam essent. An gentiles? Verum id fides non permittit. Gentiles non erant ; non enim in incredulitate vixerunt, dæmonibus non servierunt, sculptilibus non subjecti fuerunt, dæmonum errori obstiterunt. Non possunt ergo gentiles vocari. Sed quid erant? an Judæi? Sed non acceperunt legem, non custodierunt sabbata, ciborum discrimina non observarunt, circumcisionem non habuere. Si ergo prisci illi nec gentiles, nec Judæi fuere, inveniatur aliud nomen quod possit illis competere. Si neque Judæi, neque gentiles fuere, qui ante legem vixerunt, quod detur illis nomen? quodnam relinquitur, nisi Christiani, non quidem nomine, sed virtute. Ideo omnes Ecclesiæ typi præfulserunt. Incircumcisus erat Enoch, ut et Ecclesia : non servivit legi, ut nec Christi populus : non novit ciborum differentias, ut Ecclesia quæ in divina lege versatur. Antiquissima omnium est Ecclesia quæ in typo piæ religionis incedebat : et fides Abrahæ imago erat, non Judæorum, sed Ecclesiæ. Ideo apostolus sermonem de fide explorat, et ut ostendat Abrahamum esse Ecclesiæ, non Judæorum imaginem, ait : *Fratres, scriptum est : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Quando ergo reputatum est, in circumcisione an in præputio* (*Rom.* 4. 3. 10)? Hæc Paulus, qui ex Judæis erat, qui legem noverat, et legalia explicabat. *Non in circumcisione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionem, signaculum justitiæ in præputio* (*Rom.* 4. 11). Vide complicatam sententiarum speculationem; vide quomodo apostolus segreget ab Abrahamo Israelem, non habentem fidei proprietatem; conjungat autem ipsi gentes, ut habentes characterem piæ religionis. *Et signum accepit circumcisionem, signaculum justitiæ, ut sit Pater omnium credentium per præputium.* Viden' quomodo figura Ecclesiæ in Abrahamo esset? Servator autem ut ostendat evangelicum statum ad priscam illam institutionem reduci, cum dicerent Judæi : Moyses scripsit, Si quis voluerit repudiare uxorem suam, det illi libellum repudii (*Matth.* 19. 7); Servator contra missis legalibus, non quasi solvat illa, sed ut veram doctrinam declaret, dicit : *Moyses ad duritiam cordis vestri loquutus est : ab initio autem non fuit sic* (*Ibid.* 8. 8). Vide quomodo ad prisca nos reducat.

3. Dictum repeto; sed rogo, per silentium mihi faveatis, ne tumultus oppositus sententiam dissolvat. Volens Servator ostendere, evangelicam doctrinam ad priscum reducere statum, cum dicerent discipuli, imo potius Pharisæi : *Cur Moyses præcipit, Si quis dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii* (*Deut.* 24. 1)? Servator non legem reprehendit, sed illam defendit : *Moyses hæc dixit ob duritiam cordis vestri : ab initio autem non fuit sic* (vide quomodo ad prisca nos remittat); sed *Qui fecit hominem, masculum et feminam fecit eos. Quæ ergo Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* 19. 4. 6). Atque in multis deprehendo Servatorem ad priscum et bonum statum Ecclesiam reducere. Figura igitur Ecclesiæ viguit ante circumcisionem. Attendite diligenter. Quia ab initio figura Ecclesiæ viguit, ac postmodum rursus ipsa Ecclesiæ regula statuta est, lex vero media interposita fuit; ut ostendat apostolus ecclesiasticum bonum statum in serie temporum sequi et currere, legem vero interpositam esse, ait : *Lex autem subintravit* (*Rom.* 5. 20). Non dixit, Lex intravit, sed, *Subintravit*. Alia enim lex est quæ intrat, alia quæ subintrat. Intravit ab initio lex evangelica, non dies observans, non ciborum differentiam agnoscens, non circumcisionem accipiens. Hæc lex ab initio a priscis illis servabatur, et ad postremos pervenit; intermedia vero lex intravit, imo potius subintravit : apostolumque audire est clare dicentem, ut nos diximus, *Lex subintravit*. Vis discere quo subintravit? Historiam audi. Ut Jacob propter Rachelem Labano servivit, at tempore nuptiarum illa non intravit : scopus tamen patriarchæ erat Rachelem ducere, sed fraus soceri aliam pro alia induxit, et inducta deprehensa fuit illa, quæ non quærebatur : ita Dei scopus erat semper ut Ecclesiam statueret; subinduxit vero synagogam, non per vim et fraudem illam assumens, sed ad figuram veteris historiæ res coaptans. Ac quemadmodum Jacob, accepta Lia, in scopo semper Rachelem habuit, sed vim fraude illatam tulit : sic et Deus quo tempore synagogam habuit, hanc oderat, illam diligebat. Et quis nobis hoc testificatur? quis historiæ sic consideratæ sponsor est? Sæpe Deus cum synagoga legem servante versans, dicebat : *Festa vestra et neomenias vestras odit anima mea* (*Isai.* 1. 13. 14). Ac quemadmodum Jacob Rachelis faciem amabat, et lippitudinem oculorum Liæ aversabatur (*Erat* enim, inquit, *Lia infirma oculis* [*Gen.* 29. 17]) : sic Deus aversabatur synagogam, non corpore corruptam, sed anima cæcam. Ideo dicebat propheta : *Et quis cæcus, nisi filii mei? et quis surdus, nisi qui dominantur eis* (*Isai.* 42. 19)? *Et cæci facti sunt servi Dei.* Ac sicut illic ob oculorum infirmitatem, ita hic ob cæcitatem animæ synagogam oderat. Idcirco cæcitatem illorum Servator subindicans, dicebat : *Dimittite illos, duces sunt cæcorum : cæcus autem si cæcum ducat, ambo in foveam cadent* (*Matth.* 15. 14). Quod vero toto tempore, quo synagoga secundum legem vixit, Deus voluerit populum illum ob ingratum animum repudiare, testificatur propheta dicens :

Ex qua die reduxi patres vestros de terra Ægypti, et usque hodie, præ oculis habebam ut ejiciam civitatem hanc. Quod vero rursum toto tempore, quo synagoga in lege versabatur, Deus Ecclesiam in scopo habuerit, ideo dicit Moysi : *Sine me, et delebo illos, et faciam te in gentem magnam* (*Exod.* 32. 10), et multo majorem. Si in te fixum habes, Ecclesiam esse imaginem veteris historiæ, quomodo subintravit lex? Ut Lia in locum Rachelis. Quod vero, fratres, hæc non mera speculatio sit, nec allegoria violenter inducta, sed vera Jacobi imago; et quod Jacob Dei figuram impleverit, qui aliquando synagogam, nunc Ecclesiam habuerit, ipse Deus per prophetam clamat : *Ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetæ assimilatus sum. Et servivit Jacob in muliere, et in muliere servavit me* (*Osee* 12. 10. 12). Cur servavit, et quomodo servavit? Invenies, frater, secundum aliam speculationem, alio modo Jacobum uxorem duxisse, alio Isaacum patrem Jacobi. Isaac cum uxorem duxit, non ipse venit in Mesopotamiam ut acciperet, sed misit servum suum, et desponsavit; Jacob vero non per servum contrahit, sed per seipsum. Erat enim hæc etiam figura veteris et novæ legis. Nam cum veterem synagogam desponsat Deus, per servum Moysem id agit. Isaac uxorem ducens per servum desponsat, et ejus ministerio nuptias contrahit. Jacob vero non mittit servum, etsi servos haberet, sed ipse venit in Mesopotamiam. Solus venit, qui multos servos habuit; solus venit qui multa subjugalia habebat. Nam Deus benedixit domum Domini Abraham, in pecoribus, argento, auro, servis, equis, aliisque. Qui tot opes habebat Jacob, cum sola virga venit, aitque : *Cum virga mea transivi Jordanem hunc* (*Gen.* 32. 10); ac si diceret, Cum sola virga solus egressus sum, qui multorum dominus eram. Egressus est Jacob solus, venit in Bethel, et recubuit vespere, lapidemque capiti supposuit: non domum, non diversorium reperit. Imago quippe erat dicentis, *Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Matth.* 8. 20). Deinde, fratres, dormiens vidit cælum apertum. Quemadmodum enim Christus non habebat ubi caput reclinaret in terra, sed cælum ipsi et cælestia aperta erant : sic dormit Jacob, domum non habens, et cælum videns apertum, scalamque a terra usque in cælum firmatam. Alia vero ratione figura erat eorum, qui persequutionem patiuntur. Quia enim ab Esaü fugiens venit in Mesopotamiam; ut ostenderet Deus omni persequutionem patienti cælum apertum esse, videt cælum apertum, et scalam firmatam a terra usque ad cælum, et angelos Dei ascendentes et descendentes per scalam. Et Dominus, inquit, firmabatur in illa (*Gen.* 28. 13). Non dixit simpliciter, Sedebat; sed, Firmabatur in scala. Quæ scala? Imago crucis : per illam enim in cælum ascenditur. Et alii per illam in cælum ascendebant, alii per illam descendebant. Judæi per crucem de cælo delapsi sunt, et gentes per crucem in cælum adducuntur.

4. Verum quia ubique vitanda est allegoria violenter inducta, et quæ dicuntur Scripturarum testimoniis sunt obsignanda; ut ostenderet Servator in Evangeliis, angelos illos qui ascendebant et descendebant, evangelicæ gratiæ figuram implevisse, dicit Nathanael : *Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credidisti; majora his videbis. Amen dico vobis, jam videbitis cælum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis* (*Joan.* 1. 50. 51). Venit in Mesopotamiam, et ut visionem habuit, dixit : *Non est hoc aliud, nisi domus Dei* (*Gen.* 20. 17). Atqui non vidisti domorum structuram, sed scalam; verum quia sciebat scalam esse figuram Ecclesiæ, dicit : Hæc est domus Dei, hæc est Ecclesia. Et undenam domus Dei Ecclesia est? Id dicit Paulus, hæc Timotheo scribens : *Spero me ad te venire cito. Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi* (1. *Tim.* 3. 14. 15). Deinde implens in omnibus imaginem Christi inopis, divitiarum osoris, mundanum omnem fastum abjicientis, dicit : *Si fuerit Dominus Deus mecum, et dederit mihi panem ad manducandum, et vestimentum quo operiar* (*Gen.* 28. 20). Vide, quomodo philosophi anima ea, quæ satis sint, non excedat. *Si fuerit Dominus meus mecum, et duxerit me in via, et dederit mihi panem ad manducandum, et vestimentum quo operiar.* Ante evangelium apostolica loquetur : *Si dederit mihi panem ad manducandum, et vestimentum quo operiar.* Paulus per Jacobum loquitur : *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti erimus* (1. *Tim.* 6. 8). *Erit mihi locus hic, domus Dei* (*Gen.* 28. 22). Sic enim interpretantur Bethel. Nam *Beth* est domus, *Hel* vero Dei. Abiit in Mesopotamiam : ac primo illi puteus occurrit. Venit ad puteum qui tectus erat, et invenit ibi pastores. In omnibus imago Christi. Primus adventus Christi est ad baptismum, ad puteum, puteum aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* 4. 14). Invenit puteum tectum : nam gratia ante adventum ejus abscondita erat. Dicit Jacob pastoribus : Quid statis adhuc? Multum diei superest, potum date pecoribus, et abducite illa. Respondent illi, Nisi venerint omnes pastores, non possumus revolvere lapidem. Ecquid tum Jacob? Quod a multis et ab omnibus faciendum erat, solus fecit : nam arreptum lapidem revolvit. Quomodo potuit solus facere quod multi vix faciebant? Sed quia imago Christi erat, virtutem quoque Domini Scriptura declaravit, nempe quod multi facere non potuerant, evangelica gratia perfecit. Illic occurrit venienti Racheli : nam plerique prisci justi a puteis sponsalia accipiebant. Moyses a puteo accepit uxorem filiam Jothoris, Jacob a puteo; servus Abrahami a puteo accepit Rebeccam. Ubique sponsalia veterum a puteo : quoniam Christus non aliunde desponsat Ecclesiam, quam ab aquis. Et ut paucis dicam, intravit, petivit Rachelem, subintravit Lia. Instituto vero hærere, et ad institutum reverti, operæ pretium fuerit. Lex ergo subintravit, non intravit, quandoquidem neque Lia intravit, sed subintravit. Intrare namque est palam et fidenter ingredi; subintrare, cum alio furtim se immittere. Subintravit ergo etiam peccatum, subintravit per legem diabolus. *Nam peccatum, occasione accepta, per mandatum seduxit me, et per illud occidit* (*Rom.* 7. 11). Ne quis ergo putet mandatum inferre mortem, addit : *Itaque lex quidem sancta, et mandatum justum et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit; sed ut peccatum appareat, per bonum operatum est mihi mortem* (*Ibid. v.* 12. 13). Ubique peccatorem vocat peccatum, id est, diabolum. Ut, inquit, diabolus supra modum peccator appareat, dum per mandatum operatur mortem. *Scimus quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum* (*Ibid. v.* 14). Tu, Paule, carnalis, qui a Spiritu sancto gubernaris, qui loquentem in te habes Christum? Si tu carnalis, cur discipulos tuos decepisti, dicens : *Vos non estis in carne, sed in spiritu* (*Ibid.* 8. 9)? Discipuli tui non sunt in carne, et tu carnalis es? *Ego autem carnalis sum. Ego.* Quis? Qui ante legem et in lege conversatus sum, *Venditus sub peccato.* Non dixit, Venditus a peccato; sed, Venditus peccato. Non enim alius homo vendidit, sed se ipse vendidit. Quemadmodum enim apud nos homines sunt aliqui, qui per vim venduntur, alii autem liberi, qui vel ut ancillas ducant uxores, vel ob aliam quamdam necessitatem servituti se dedunt : sic et homo natura liber, et liberam naturam nactus, sponte seipsum vendidit. Vis videre hominem seipsum vendentem? Perpende quid dicat Achabo Elias, cum misit illum Deus, ut ipsum redargueret circa vineam, quam abstulerat a Nabuthe. Dicit ei Achab : *Invenisti me inimicus meus? Dixit illi Elias : Inveni te, quia venditus es ut faceres malum coram Domino* (3. *Reg.* 21. 20). Venditio enim nostra fit per opera nequitiæ. *Ego autem carnalis sum, venditus sub peccato.* Qui enim mala consuetudine captus est, neque si voluerit, sese facile ex servitute expedit. Nam consuetudo est secunda natura : ipsaque natura contra homines pugnat. Ideo intulit : *Non*

enim quod volo facio (*Rom.* 7. 15), ut semel venditus, neque quod volo operor. Hæc verba servum decent. Sicut enim ille non quæ vult facit, sed quæ jubetur : sic homo non habebat potestatem faciendi ea quæ vellet, sed a peccato jubebatur. Jam enim regnabat peccatum : Regi vero contradici non poterat. Venditus ergo erat homo, non Paulus, sed imago hominis, figmentum libertatis. Ut paucis absolvam, cum servitutis per vim inductæ multa indicia dedisset, subjunxit : *Miser ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus* (*Ibid. v.* 24)? Viden' quomodo induxit hominem, quasi acerba servitute et tyrannide exagitatum, qui servitutem excutere optaret, libertatem quæreret, et beneficium postularet? *Miser ego homo, quis me liberabit?* Quis veniet? *Gratias ago Deo per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Ibid. v.* 25). Ut ostendat tibi, quod venditum peccato dicat eum, qui aliquando sub lege erat? liberos autem a venditione eos, qui per evangelicam gratiam redempti fuerant, dicit : *Miser ego homo, quis me liberabit? Gratias ago Deo per Dominum nostrum Jesum Christum.* Liberavit me a lege peccati. *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me* (*Ibid.* 3. 1). Viden' quomodo hominem et liberatum et servientem induxit? Neque de se tantum loquitur, sed de omni humana natura simul. *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Et quomodo liberatus es? *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem* (*Ibid. v.* 3). Quia lex præcipiebat bonum, caro autem non obediebat, utpote peccato vendita; quæ non potuit lex efficere propter infirmitatem carnis, effecit per virtutem carnis Christi. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur, propter infirmitatem carnis* (non enim per seipsam lex infirmabatur, sed per carnem); *Deus mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati, condemnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, non secundum carnem ambulantibus, sed secundum spiritum* (*Ibid. v.* 4). Dei igitur gratiæ tribuitur quæstionum solutio; quia Paulus hæc non de se loquitur, neque suam calumniatur libertatem, non seipsum sub peccatum ponit, neque se spiritualem et carnalem inducit; sed verbo exhibuit ceu in imagine hominem ut ante legem erat, ut in lege, ut post gratiam. Deinde in notitiam induxit, quis esset homo ante legem, quis in lege, quis post libertatem in Christo acquisitam? *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati.*

5. Hic solvitur alia quæstio. Dicunt enim non Apollinaristæ tantum, sed etiam Ariani et Eunomiani, Servatorem carnem tantum assumpsisse, non animam (*a*). Et alii quidem argutius dixerunt, assumpsisse animam sine mente, alii carnem tantum. Demonstratum autem a nobis fuit in priori concione solere Scripturam hominem ita commemorare, ut hominem vocet illius partem. Aliquando enim ex carne totum hominem vocat : *Ad te omnis caro veniet* (*Psal.* 64. 3); id est, omnis homo; aliquando ex anima, ut cum dicit : *In septuaginta quinque animabus descendit Jacob in Ægyptum* (*Act.* 7. 14. 15); aliquando a spiritu : sic, *Omnis spiritus laudet Dominum* (*Psal.* 150. 6). Ostende igitur, ubinam carnem vocet Scriptura eam, quæ inanimata est : nam cum obiit homo, non jam caro dicitur, sed corpus mortuum. Nemo umquam mortuum carnem vocavit, sed corpus mortuum. Quamdiu enim vivificam vim habet et vivit, caro vocatur; mortua autem, caro non appellatur, sed corpus dicitur. Corpus autem est, inanimatum omne : lapis corpus est, itemque lignum; et spiritus anima carens, corpus dicitur. Dic vero mihi, cur non acceperit animam? Venit, inquis, ipse per semetipsum ut salutem pariat, neque anima nostra opus habuit. Cur ergo carnem assumpsit? Quia non poterat ut Deus apparere, carnem assumpsit, ut nobiscum versaretur. Ergo caro non habebat animam? Quomodo igitur esurivit et sitivit? quomodo fatigata est? Nam si abjecta anima Deum inducis, et famem et sitim illi tribuis. Alioquin, fratres, nisi esset et Deus Verbum et animatus homo vas humanitatis ipsi unitum, sed sola esset divinitas in carne, de qua anima Servator dixisset : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* 23. 46)? Si sola deitas erat, non autem anima, quis commendans, quid commendatum fuit? *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, id est, animam. Si solam inducis deitatem in carnem, et animam abjicis, quis commendans, quid commendatum erit? Verum manifestus est hæreticorum scopus. Ideo namque dicunt, Dominum non assumpsisse animam, ut omnia humilia verba in deitatem pertrahant, ut cum legerint, *Ego a me ipso non loquor, quia Pater meus mandatum mihi dedit, quid dicam, aut quid loquar* (*Joan.* 12. 49)? non humanitati, sed deitati hæc adscribant. Viden', in quantum impietatis profundum veniant? Quinam sit spiritus qui dicit, *In manus tuas commendo*, quantumcumque quærant, non inveniunt. Ex aliis enim locis res solvitur et probatur, Scripturam spiritum animam vocavisse. Audi Stephanum dicentem, cum martyrium obiret : *Domine Jesu, accipe spiritum meum* (*Act.* 7. 59). Quod spiritus sit anima, Stephanus testificatur. Quis ergo est, qui commendat spiritum, et cui commendatur spiritus? de qua loquitur substantia? De illa, ad quam apostoli prophetiam pertrahunt : *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Non derelinques animam meam in inferno* (*Psal.* 15. 10). Num de Deo sermo erat? Deus non derelinquitur in inferno. Num infernus Deum detinuit? num vivificam virtutem corruptio detinuit? non audisti Paulum dicentem, non potuisse vitam a corruptione detineri? Vitam dicit corpus. Si corpus est vita, detenta est a morte vita. *Non derelinques animam meam in inferno* (*Rom.* 7. 6). Totam collapsam humanitatem suscitavit, totum collapsum hominem renovavit. Sed si dixeris, inquiunt, quod ipse perfectum hominem renovaverit, quam differentiam ponis inter illum et apostolos? Nam in ipsis quoque fuit Deus. Verum aliud est inhabitare, aliud assumere et uniri. De nobis dictum est, *Inhabitabo in illis, et inambulabo* (2. *Cor.* 6. 16. *Levit.* 26. 12). Animæ simplicitatem dicit : animæ virtutem supponit, in qua requiescit Deus et inambulat. Quia vero ipsum Christi corpus ex utero unitum templum ejus effectum est, non per profectum in virtute Deum accepit inhabitantem; sed simul templum paratum est, simul Deus in illo habitavit. Templum ergo Christi uniti erat corpus. Ideo ait : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* 2. 19). O absurditatem eorum, qui omnia sine metu audent! Verum hæc ad hæreticos, qui animam et corpus et spiritum memorant, et vim inferunt apostolico verbo dicenti : Deus custodiet corpus vestrum, et animam, et spiritum (1. *Thess.* 5. 23). Illud porro necesse est dicere, spiritum putant esse mentem. Si ergo spiritus mens est, cur apostolus dicit : *Psallam spiritu meo, psallam et mente* (1 .*Cor.* 14.15)? Si spiritus mens est, cur distinguit Paulus dicens, *Psallam spiritu, psallam et mente?* Si spiritus est mens, cur spiritum alium dicit a mente? Sed quia, inquiunt, hoc non admittis, explica quid sentias. Quid est illud quod dicit Paulus : Deus custodiet animam vestram et spiritum. Spiritum solet vocare Scriptura gratiam sancti Spiritus. Rogo, mecum certate et laborate. Non enim modica res est, hæreticam spinam exscindere. Mos est Scripturæ spiritum vocare gratiam Spiritus; exempli causa, si quis accipiat spiritum sapientiæ et spiritum scientiæ; ipsum Spiritus donum vocatur spiritus. Dicit Paulus : *Quoniam æmulatores estis spirituum*

(*a*) Apollinaristæ quidem dicebant Verbum assumpsisse carnem tantum humanam, non autem animam. Quod vero Ariani et Eunomiani idipsum dixerint, non memini me legere. Sed fortassis inter multos Arianos et Eunomianos, quidam erant qui illam etiam hæresim amplecterentur, quos carpit hic Anonymus.

(1. *Cor*. 14. 12), id est, charismatum spiritualium: neque enim multi sunt spiritus. *Quoniam æmulatores estis spirituum, adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Ostendo, inquit, vobis quæ charismata quærere oporteat. Spiritus ergo vocatur Spiritus gratia: non vero ipsa Spiritus substantia, sed operatio Spiritus. *Hæc autem omnia operatur unus et idem Spiritus* (1. *Cor*. 12. 11). Spiritus operatio est spiritus, id est, gratia, non autem ipsa Spiritus substantia. Tu vocaris spiritualis, et gratia quæ apud te est, spiritus vocatur. Dicit ergo apostolus: Deus custodiet corpus vestrum, et animam, et gratiam quam accepistis a Spiritu. Rursus spiritum vocat gratiam. Gratia vero per studium augetur, et per negligentiam perit. Dicit apostolus: *Spiritum non exstinguite* (1. *Thess*. 5. 19). Non potest autem substantia Spiritus exstingui, neque mens naturalis: sed quia gratiam studio augemus, negligentia exstinguimus, dicit: Gratiam, quam accepistis, non exstinguite. Spiritum ergo vocat Spiritus operationem, quam utinam omnes assequamur in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SEQUENS OPUSCULUM.

Principium Indictionis, inquit Savilius, *sive anni novi a mense Septembri jam inde a temporibus Constantini sumebant Græci, idque eo fortasse magis, quia ab eodem fere tempore initium ceperat annus Ægyptiorum, seu potius Alexandrinus, qui nomina habet communia cum anno Ægyptio, et intercalarem diem cum anno Romano, ut ex Theonis Commentariis in* προχείρους κανόνας *Ptolemæi constat. Orationes plenæ mendis et plane spuriæ.* Hæc certe prior est nugacissimi Græculi et infacundi, indigna quæ legatur. In solo titulo indictio memoratur; nam in oratiuncula de indictione nihil.

IN PRINCIPIUM INDICTIONIS.

Mirabiles sunt orthodoxorum celebritates, lætæ martyrum memoriæ, nulli pudori obnoxia piorum convivia. Non celebramus tempus rerum multa vicissitudine se moventium: non celebramus annum, qui mundi vitam consumat: non colimus agonem, qui nos ad corruptionem trahat: non adoramus creaturam; omnes quippe res creatæ conservæ sunt: non colimus materiam, quæ ex nihilo facta est; hæc quippe sicut ortus initium habent, ita corruptionis fini subjicientur: non colimus cælum; nam sicut fumus firmatum fuit: non colimus firmamentum, quod crystalli more fixum est: non colimus lucem, quæ verbo facta est; non lunam, quæ figura quadam ornatur; non terram, quæ ex aqua extracta fuit; non ignem, materiale quippe est elementum; non aquam, fluxam naturam: non tempus, quod non stat, sed abscedit: non colimus diem, quæ ordinationi servit; omnia quippe tempore senescunt, et post omnia tempus ipsum senescit; Deus autem unus senio superior est: idque demonstrat dies consummationis. Gentiles certe et Judæi iniquitate fratres sunt, diaboli manubiæ, peccati proles, erroris alumni, impietatis cæcitas, nautæ duces ad gehennam, serpentes impietatis, filii maledictionis. Hi festa impie celebrent, quia improbe sentiunt: hi errorem honorent, illi legem conculcent, et utrique res nefarias discant; nam mutuo consentiunt. Judæi a gentilibus idololatriam, gentiles a Judæis prophetarum cædes didicerunt: nam Judæi in lege omnem gentilium errorem exhibuere. Verum indignaris, o Judæe, dum hæc audis? Cogita actiones tuas, et reprehensiones ne ægre feras. Ubinam, quæso, idola non coluisti? In deserto vitulum conflasti, post tropæum Beelphegori initiatus es, in Moabitide Thamatzum adorasti, in Palæstina Dagoni sacrificia obtulisti, in Phœnicia Astarten coluisti, in captivitate Chamozum adorasti. Defecit locus, sed non defecit detestandus cultus. Ideo festa vestra odit Dominus. Audi enim prophetam dicentem: Odi, rejeci festa vestra, et non delector in festivitatibus vestris (*Isai*. 1. 14). Omne quippe festum Judæorum cædes inducit. Dum jejunares, Nabuthem lapidasti; dum festa celebrares, Isaiam serra secuisti; dum celebritatem ageres, Jeremiam in lacum conjecisti. Ad judicia et pugnas improbe jejunasti: in crapula versans arcam Heli tempore prodidisti, et Joannem capite truncasti. Si tali modo festa celebras, par est te lugere. Nos res divinas et mirabiles celebramus, martyrum certamina, sepultorum victorias, eorum qui non amplius videntur retia, dissolutorum medicinam: in primis Christi et Dei miracula, quæ propter salutem meam homo factus edidit: deinde vero servorum ejus ærumnas; Stephani lapidibus ornatam coronam, gloriosi Laurentii tropæa contra mortem erecta, Annæ virginitatem nullum passam naufragium. O Trinitatem Trinitatis præconem! o reliquias dolentium medicinam! o cinerem fontem medicamentorum! o domum cæli pulchritudinem imitantem. Sed et ipsum inanimatum elementum mare sine loquela clamat ad vos. Postquam conservos redargui, ego quoque prædicabo Dominum. Non me premunt Opificis vestigia, me pedes Christi sanctificant. Moyses me discidit, hic vero sanctificavit: Jonam absorbui, hunc perhorresco: illum Noe fluctibus exagitavi, sed ne respicere quidem audeo eum, qui manu sua hominem formavit. Pedibus mare sanctificavit, cælum throno suo gloria affecit, terram præsepio decoravit, infernum per sepulturam suam illuminavit. Non sum ingratum etiamsi inanimatum sim: ut elementum agnosco Conditorem: non dico cum Judæis, *Hic homo non est a Deo* (*Joan*. 9. 16); sed pie clamo, *Hic Deus meus, et glorificabo eum* (*Exod*. 15. 2). Ostendam naturæ meæ proprietates, redarguam homicidarum animos, ejus qui supra me ambulavit imperium publicabo. Hi conservi, ille Dominus, cujus metu hos perturbo. Dominus supra mare non madefactus ambulabat, illi vero navigantes turbabantur: timor periclitantes ad clamandum impulit, benignus autem illi fidere jussit dicens, *Confidite, ego sum, ne timeatis* (*Marc*. 6. 50). Confidite fidei ancoram habentes: non enim vos idololatriæ scopulus absorbuit: confidite, non vos Judaicus turbo absorbuit; confidite, non vos hæretica procella demergit. Ego Patris Verbum, sine principio ut Pater, increati principii ramus, mundani peccati Agnus, urbium naufragii gubernator, orthodoxæ fidei thesaurus, martyrii certaminum remunerator. *Ego sum, nolite timere.* Ubi enim Deus adest, periculum depulsum est per gratiam Dei: ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen

ADMONITIO

AD SERMONEM IN VENERANDAM CRUCEM.

Putat Savilius hunc sermonem alicujus recentioris esse fetum, qui post secundum Concilium Nicænum scripserit. Idque prorsus suadent ea quæ in concionis fine de restituto sanctarum imaginum cultu leguntur. At hæc extrema pars homiliæ cum præcedentibus non cohæret, ita ut videatur ad aliam concionem pertinere, ut ibidem monemus. Oratio vero tota præcedens oratoris est qui elegantiæ studere videtur, et epithetorum ubertate nimia seriem totam obruit; ita ut eloquentiam vere ferream dixeris. Cæterum ea, quæ de frugalitate, deque jejunii utilitate dicit, non inepta sunt. Hujus ætate scriptoris quinque jejunii dies circa festum sanctæ Crucis servabantur.

IN VENERANDAM CRUCEM.

1. Adest hodie crucis solemnitas, chorus angelorum exsultet: crucis spectaculum accedit, mortalium populus adoret: divinum crucis imperium exaltatur, fugiant dæmonum catervæ. Sed, o divina crux, angelorum ineffabile spectaculum, mortalium gloria, sceptrum regium! te quippe tamquam animatam alloquar, quæ gaudium et victoriam salutis nostræ gestas; per te clausæ paradisi portæ rursus aperiuntur; per te imperium mortis fractum est; per te infernus spoliatus est; per te mortui vita dignantur; per te latro in paradiso choreas agit et exsultat; per te copulantur cœlestia terrenis; per te accedit veritatis cognitio; per te sacrum baptisma regenerationis datum est; per te remissio peccatorum hominibus concessa; per te donum Spiritus sancti obsignatum est; per te Ecclesiæ signatæ domus Dei vocantur; per te corpore et sanguine Christi fruimur; per te filii Dei et hæredes regni cælorum effici dignamur; per te celebritates et festa exhilarantur et fulgent. Ecqua possit lingua recensere quot et quanta Christus Deus humano generi per te largitus sit? Quia vero hæc, o plebs sancta et celebritatis amans, nobis cognita sunt, candido corde et puro ore venerandum et vivificum lignum amplectamur, in quo confixus est Christus Deus noster, et manus divinæ clavis transfixæ sunt, in quo lancea latus perforarunt homicidæ, et acetum felle mixtum ipsi propinarunt; prætereuntes autem movebant capita sua ridentes ac dicentes: Vah, *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, et credimus ei* (*Matth.* 27. 42). Hæc Hebræorum cœtus, ingratus et cæcus, qui divina prodigia beneficio acceperat. Nos autem vivificas Christi passiones adoremus, crucis supplicium, sepulturam, triduanam resurrectionem a mortuis; ut una resuscitemus et glorificemur, si quidem compatimur, ut præsignificavit vas electionis divinus Paulus (*Rom.* 8. 17). Ad hæc nos hodie convocat sanctissima crux, quam celebramus, et hos incorruptibiles semperque vivificos cibos omnibus pariter offert domibus, foris, noctibus, diebus, urbibus, solitudinibus. Eam ergo, quæ tot nobis bona largitur, læti suscipiamus, secundum Domini verbum; non tristes sicut hypocritæ (*Matth.* 6. 16), sed hilaritatem animi sine fuco exhibentes. Non mihi tantum laborandum putatis, ut jejunium vobis suadeam, quantum ut vos hodie a vitio ebrietatis avertam: jejunium enim et ex consuetudine, et ex mutuo pudore multi servant: timeo autem ebrietatem, quam ceu sortem quamdam paternam vini amatores sibi propriam ducunt. Quemadmodum enim ii, qui ad longam peregrinationem se comparant; ita quidam insani hodie ad quinque jejunii dies vinum potant. Quis ita amens est, ut antequam bibere incipiat, ebriorum instar insaniat? an ignoras quod venter depositum non servet? Venter in mutuo est infidelissimus, penus non tuta cum multa deposita accipit: damnum retinens, deposita non servans. Cave, ne tibi crastina die ab ebrietate reverso, ea quæ nunc lecta sunt, dicantur: *Non hoc jejunium elegi, dicit Dominus* (*Isai.* 58. 5). Cur misces ea, quæ non miscenda sunt? quod consortium jejunii cum ebrietate? quæ communicatio temulentiæ cum temperantia? *Quis consensus templi Dei cum idolis* (2. *Cor.* 6. 16)? Templum quippe Dei sunt, in quibus Spiritus Dei habitat: templum autem idolorum sunt, qui ob ebrietatis sordes intemperantiæ satietatem admittunt. Hodierna dies vestibulum est jejuniorum: qui in vestibulo profanatus est, non est dignus qui in sancta intret. Nullus servus qui herum suum placare velit, inimico ejus patrono aut conciliatore utitur. Ebrietas inimicitia est in Deum: jejunium vero, initium pœnitentiæ. Si vis ergo per confessionem ad Deum revertere, fuge ebrietatem, ne tibi graviorem paret alienationem. Nec sufficit sola per se ciborum abstinentia ad laudatum jejunium, sed jejunemus jejunio acceptabili, Deo placenti. Verum jejunium est abstinentia a vitiis, temperantia linguæ, abstinentia ab ira, separatio a cupiditatibus, a maledictis, a mendacio, a perjurio: abstinentia a rebus hujusmodi verum est jejunium. In his jejunium est bonum. Domino cum deliciis fruamur in meditatione eloquiorum Spiritus, et in assumptione legalium salutarium, atque in omnibus quæ animam nostram dirigunt dogmatibus. A jejunio clam peracto fugiamus: quod deprecans propheta dicit: *Non fame occidet Dominus animam justi* (*Prov.* 10. 3); et, *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem* (*Psal.* 36. 25). Neque enim de sensili pane loquitur, qui sciebat filios Jacobi patriarchæ panis quærendi causa in Ægyptum descendisse, sed de spirituali cibo verba facit, quo perficitur interior homo. Ne nobis jejunium illud eveniat, quod Judæis comminatur Deus: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et inducam famem super terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbi Domini* (*Amos* 8. 11). Quam ideo induxit justus Judex, quia videbat eorum mentem in veritatis dogmatibus penuria premi, dum exterior homo pinguis secundum carnem esset. Spiritus ergo sanctus vos insequenti tempore matutinis et vespertinis cibis laute reficiet. Nemo a spirituali convivio sponte absit: omnes participes simus jejunii, quo a coctis cibis abstinetur. Quiescat tandem domus a mille tumultibus, a fumo et nidore, ab iis qui circumquaque discurrunt, et ventri quasi inevitabili domino serviunt. Exactores certe subditis suis aliquid libertatis interdum indulgent. Det venter quasdam ferias ori: det, et quinque dierum inducias nobiscum paciscatur, qui semper appetit, et numquam cessat; qui hodie accipit, et cras accepti obliviscitur. Cum plenus est, de temperantia philosophatur; cum vacuus, doctrinæ obliviscitur. Jejunium fœnoris naturam non novit, usuram non olet mensa jejunantis, pupillum non opprimunt jejunantis filii, nec sicut serpentes illum circumplicant.

Alioqnin autem lætitiæ occasio est jejunium. Ut enim sitis suavem parat potum, et prævia fames dulcem parat mensam, sic jejunium ciborum usum lætum reddit. In medium namque se interponens, et continuam voluptatem frangens, desiderabilem tibi ciborum usum reddit quasi peregrinum.

2. Quamobrem si volueris desiderabilem tibi mensam parare, hanc ex jejunio mutationem accipe. Tu quod deliciis ciborum nimis hæreas, ignoras te tibi delicias hebetiores reddere, et voluptatis amore voluptatem exstinguere. Nihil enim ita optabile est, ut ne ex voluptatis nimia frequentia, ea tandem despiciatur : quorum autem possessio infrequens est, eorum usus optatur. Sic Creator ex vicissitudine vitæ permanentem nobis donorum gratiam providit. Non vides solem decursa nocte lætiorem esse, et vigilias post somnum dulciores, necnon valetudinem optabiliorem post contrariorum experimentum. Mensa itaque gratior post jejunium, tam divitibus et laute convivantibus, quam pauperibus et frugalibus. Exemplum divitis illius pertimesce : illum deliciæ hujus vitæ in ignem conjecerunt. Non de injustitia, sed de mensæ luxu accusatus in camino ignis torrebatur. Ut ergo ignem illum exstinguamus, aqua est opus. Neque solum ad futuram vitam utile est jejunium, sed etiam ipsi carni utilissimum est : nam pinguedo nimia mutationi et infirmitati obnoxia est, dum natura aggravatur, nec tantum pondus ferre valet. Cave igitur, ne qui aquam nunc respuis, stillam deinceps concupiscas, ut dives ille. Nemo ex aqua in crapulam deflexit; nullius caput aqua gravatum ægrotavit; nemo aquam potans alienis opus habuit pedibus; nullius pedes, nullius manus, aqua irrigante, vel colligati vel debilitati sunt. Nam comessatores necessario in ciborum decoctione laborant : hoc violentos corporibus morbos parit. Jejuni color honestus est, non rubore nimio, sed pallore temperato ornatus : oculus ejus mitis, incessus gravis, vultus modestus, incomposito risu non dehonestatus, sermo compositus, cor purum. Recordare sanctorum qui a sæculo fuere, *Quibus dignus non erat mundus*, qui *circuibant in melotis et in pellibus caprinis, angustiati, afflicti* (*Hebr.* 11. 37) : illorum æmulare vitam, si sortem illam requiris. Quid Lazarum effecit in sinu Abrahæ quiescere? annon jejunium? Joannis vero vita tota jejunium erat : qui non lectum habuit, non mensam, non terram arabilem, non bovem subjugalem, non frumentum, non pastorem, non aliud quidpiam ad vitæ usum. Ideo inter natos mulierum non fuit major Joanne Baptista (*Matth.* 11. 11). Paulum vero jejunium, quod inter alias ærumnas numerabat, ad tertium cælum deduxit. Et quod ad supra dicta caput additur, Dominus noster carnem, quam pro nobis assumpserat, jejunio firmans, in illa diaboli impetus excepit, ut nos doceret, quomodo per jejunium ungi et exerceri opus esset, ad tentationum certamina subeunda : atque adversario per cibi penuriam aggrediendi velut occasionem dedit. Nam ob deitatis sublimitatem inaccessus ipsi erat, nisi ob penuriam ad humanam naturam deflexisset. Ad cælum etiam reversurus cibum attigit, ut naturam suscitati corporis credibilem redderet. Tu vero te impinguare et carnem obesam reddere non cessas, mentemque penuria salutarium et vivificorum dogmatum extenuas, nihilque curas. An ignoras, sicut in acie pugnæ socius adversarium opprimit, sic eum, qui carni sociatur, spiritum opprimere, et eum, qui mutans aciem spiritui jungitur, carnem subjugare? Hæc enim sibi mutuo adversantur. Quare si volueris mentem fortiorem reddere, carnem per jejunium doma. Id enim dicit apostolus : *Quantum is, qui foris est homo, corrumpitur, tantum is, qui intus est homo, renovatur* (2. *Cor.* 4. 16); et, *Cum infirmor, tunc potens sum* (*Ibid.* 12. 10). Annon corruptos cibos despicies? annon regiæ mensæ desiderium assumes, quam utique hic susceptum jejunium nobis præparabit? An ignoras te immoderata satietate gravem tibi parare tortorem vermem? Quis enim ex lauto cibo et deliciis perpetuis quamdam spiritualis charismatis communicationem percepit? Moyses cum secundam legem accepit, secundo jejunio opus habuit : Ninivitæ, nisi etiam bruta animalia ad jejunandum secum compulissent, minas excidii non effugissent. Quorum membra in deserto exciderunt? annon eorum, qui carnium esum desiderabant? Illi quamdiu manna contenti fuere, et aqua de petra fluente, Ægyptios vincebant, per mare transibant, non erat in tribubus eorum infirmus : quia vero recordati sunt carnium et ollarum, atque in Ægyptum redire concupierunt, non viderunt terram promissionis. Non times exemplum? non formidas, ne ingluvies te a speratis bonis excludat? Sed sapiens Daniel non visiones vidisset, nisi jejunium ejus animam ad id præparasset. Nam ex crassiore cibo fumosi vapores densæ nubis instar emissi, illustrationes a Spiritu sancto in mentem immissas impediunt. Quod si angelorum quoque sit cibus quispiam, panis est (ut ait propheta, *Panem angelorum manducavit homo* [*Psal.* 77. 25]), non carnes sunt, non vinum, non quæ ventris servi curant. Jejunium telum est contra dæmonum aciem : *Hoc enim genus non exit, nisi in oratione et jejunio* (*Matth.* 17. 20). Et hæc quidem sunt jejunii bona. Satietas vero est contumeliæ principium. Statim quippe cum delicatis cibis, cum vino, aliisque gulæ oblectamentis, accedit omne genus brutæ lubricitatis. Inde equi ad feminas furentes fiunt homines, ob œstrum a cibis et ebrietate in animam immissum : hinc naturæ commutationes, queis in masculino femineus, in femineo masculinus sexus quæritur. Jejunium vero connubialium operum modum novit, et immodicum usum rerum, quas lex permittit, resecat. Tu hominem quæris, qui coram rege cum alio disceptaturus sit, nec invenire potes. Multos enim perdidit qui alios injuste lædere vellent. Ideo benignus Deus non despexit lacrymas et gemitus sacerdotum et sanctorum suorum, qui pro ea re ipsum precabantur, qui dixit per prophetam Isaiam : *Judicate pupillo, defendite viduam, et venite, et disceptemus* (*Isai.* 1. 17. 18). Sed eorum exauditis precibus, et illius scelera, quæ hominem superabant, condonavit, et Ecclesiæ suum ornatum, et sanctarum venerandarumque imaginum decorem restituit, nobisque qui illas sincere colimus et amplectimur, illiusque divina præcepta servamus, firmam pacem et remissionem peccatorum quotidie concedit : quia ipsi gloria et imperium, honor et adoratio, in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM
IN SEQUENTEM SERMONEM.

Perquam minimi pretii opusculum typis dare ne cogitassemus quidem, nisi Savilius prior edidisset, qui tamen ut multa alia ejusdem farinæ, primis solis allatis singulorum verbis, prætermiserat, hoc etiam in tenebris relinquere debuit, ut existimabit haud dubie quisquis mente et judicio valebit.

IN EXALTATIONEM VENERANDÆ CRUCIS.

Omnis mutatio a pejoribus ad meliora magnam lætitiam et gaudium affert generi humano. Solet enim humana natura semper ad meliora adipiscenda ferri. Sic læta navigantibus est a tempestate ad serenum et tranquillum cælum mutatio; lætus viatoribus a defatigatione ad quietem transitus; suavis mœrentibus, a tristitia in gaudium conversio; suavior ægris sanitatis ac valetudinis reditus; dulcis bellantibus pacis et amicitiæ conciliatio et confirmatio; dulcior autem a tenebris et nocte ad diem accessus. Omnisque actus, ut ita dicam, suavior est, cum utilitate conjunctus. Sic itaque videmus fructum nobis a Deo concessum, ex mutatione lætitiam parere. Frumentum quippe dulce est, sed cum labore injectum in terram, multiplicatum dulcius apparet, ubi cum gaudio uberius ad alimentum adhibetur. Unum quippe granum est, quod in incertum jacitur. Sic et vitis suaviorem nobis præbet recreationem ex fructus mutatione, dum ex ligno potum affert: palmites quippe et folia acerrima vi sunt prædita, ita ut ne degustari quidem possint; uva autem quæ ex eodem ligno cum palmitibus et foliis prodit, tantam affert palato suavitatem, ut acerba et tristia sedet, atque ex potu lætitiam pariat. Ita oleæ planta semper viridia exhibet folia, arbor hæc semper nova conspicitur; fructus vero prodit suo tempore, non more cæterarum arborum, sed peculiari modo. Flos namque primum, ut pulvis tenuissimus est, in medio autem quasi milium habetur: et botrui similis, innumerabilia profert grana; dum crescit autem, non ita frequentem exhibet multitudinem; et usque in finem acerbus gustui, excerptus ne degustari quidem potest: ita vero pinguedinem servat suam, ac mutata demum amaritudine, tantam gustui suavitatem affert, ut omnium deliciarum condimentum sit, et cibos omnes ad vitam hominum attemperet. Sic omnes arbores omniaque semina, ex fructuum mutatione, lætitiam omnibus pariunt. Quoniam igitur mutatio illa ex acerbis in meliora tantæ suavitatis causa est; age ad pretiosiora transeuntes, videamus quot quantorumque donorum nobis causa fuerit Crux Christi, quæ virtute sua tantam in meliora mutationem nobis peperit. Nam etsi crux auditu tristis et ingrata sit, ac lætitiam et jucunditatem affert, neque mœroris, sed gaudii causa est. Etsi namque nomen ejus Judæis scandalum sit, et gentibus stultitia, sed nobis credentibus salus esse memoratur: quamquam dum crux in Ecclesia legitur, et passio per crucem memoratur, populus qui cruci credit indignatur, miserabilem vocem nec sine murmuratione emittens, non contra crucem, sed contra crucifigentes et incredulos. Crux enim salus est Ecclesiæ, crux gloriatio eorum, qui in ipsam crediderunt. Crux nos liberat a præcedentibus malis, hæ sunt primitiæ bonorum, crux inimicorum, reconciliatio cum Deo, et peccatorum conversio ad Christum. Per crucem enim ab inimicitia liberati, per crucem amicitia cum Deo juncti sumus, per crucem a diaboli tyrannide liberamur, per crucem a morte et pernicie eruimur. Ideo populus, ubi primum crucem audivit, obmurmuravit, sed audita resurrectione murmur in gaudium mutavit, pura voce gloriam celebrans. Crux humanam naturam in angelicum ordinem mutavit: illamque ab omni corrupto opere liberam ostendens, incorruptæ vitæ participem efficere dignata est. Non enim jam homines, sed deos appellat dicens: *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes* (*Psal.* 81. 6). Non ultra servos, sed amicos et fratres vocavit, *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* 21. 31), inquiens. Viden' quantam mutationem crux effecerit? Ut vero clarius crucis virtutem ediscas, cogita, quid ante crucem, qui post crucem fuerit, et crucis vim intelliges. Ante crucem Filius non notus erat; hodie dum crux prædicatur, Filius ille vocatur et Pater per Filium cognoscitur: ante crucem diabolus adorabatur; nunc post crucis prædicationem diabolus cecidit, et dæmones fugantur: ante crucem fornicationi et lasciviæ operam dabamus; nunc cum crux prædicatur, non modo a fornicatione abstinemus, sed etiam nuptias despicimus, virginitatem vero, quam non noveramus, amplectentes, quasi nobis propriam servamus. Cum crux nondum prædicaretur, diabolus Judæos contra Christum collegit; hodie crux prædicatur, et apostoli Judæos per fidem reducunt. Cum crux nondum prædicaretur, a morte detinebamur; nunc crux prædicatur, et mortem quasi non esset despicimus, æternamque vitam desideramus. Cum crux nondum prædicaretur, a paradiso alieni eramus; apparente cruce statim latro paradiso dignatus est. O magnam vim crucis! quantam mutationem in genus humanum invexit! A tantis tenebris in lucem immensam transtulit, a morte in vitam sempiternam revocavit, a corruptione in incorruptionem transtulit. Non ultra enim cordis oculi ignorantiæ tenebris offuscantur, sed per crucem luce cognitionis illustrantur: non ultra surdorum aures incredulitate clauduntur; surdi namque audierunt verbum Domini, et cæci visum receperunt, ut viderent gloriam Dei. Hæc sunt crucis opera, hæc nobis per crucem collata sunt dona. Quid enim boni non a cruce nobis datum est? quid boni non a cruce nobis perfectum est? Per crucem pie agere didicimus, et divinæ naturæ potentiam agnovimus: per crucem justitiam Dei docemur, et temperantiæ virtutem sequimur: per crucem nos mutuo novimus, et qui procul sumus, Christo conjungimur, atque gratia sancti Spiritus dignamur: per crucem vim caritatis novimus, et pro aliis mori non recusamus: per crucem quæ in mundo sunt omnia contemnimus et pro nihilo habemus, dum ad futura bona tendimus, et invisibilia quasi visibilia adipiscimur. Crux prædicatur, et fides in Deum in confesso habetur, ac veritas in toto orbe admittitur: crux prædicatur, et martyres exhibentur, ac confessio Christi roboratur: crux prædicatur, et resurrectio ostenditur, ac vita manifestatur, regnumque cælorum creditur: qui increduli erant cruci credunt, et ii qui contra vitam crucem excogitarunt, salutem consequuntur. Crux hæc omnia nobis conciliavit, ac per crucem cantum didicimus. Quid ergo cruce pretiosius, quid animabus nostris utilius? Ne ergo erubescamus crucem nominare; sed cum omni fiducia illam confiteamur, per quam ad salutem vocati sumus, et ad æternam vitam transmittimur. Viden' quantæ œconomiæ crux mundo causa fuerit? Mutavit ejus iniqua opera, impiaque dogmata. Non ultra diabolicis legibus utimur, non in mortiferis decretis versamur. Deus enim apud nos venit, et passionum œstrum excidit. proprias leges tulit, et utilia nobisque congruentia docuit. Dogmata continentiæ dedit, et voluptatem amputavit: sanctitatis decreta posuit, et legem castitatis concinnavit, atque iniquam fornicationem profligavit: temperantiæ regulam posuit, et voluptatum imperium subvertit: divino decreto concupiscentiarum organa evulsit, et omne peccatum per voluptatem inductum imminuit. Quia enim initium fornicationis est excogitatio idolorum, inventio autem illorum est corruptio vitæ, ideo iniquitatis radicem succidit, ut omnes impietatis fluxus reprimeret. Et removit quidem exsecrandos idololatriæ cultus, nefariaque studia delevit: bacchicæ iniquitatis dissensiones inutiles reddidit, ac figmenta ornamentaque impietatis obscuravit: fallaciæ injustitiam succidit, perniciei rivos obstruxit, animas quæ spinas impietatis evellebant emundavit; illæque semina piæ religionis quasi granum frumenti tulerunt, ut exhiberent animas fructum justitiæ ferentes: cataractas aperuit spiritua-

lis annonæ, et rationabilia horrea divinis cælestis sapientiæ fructibus replevit; credentes spiritus sanctitate cumulavit, et singuli facti sunt divinæ sanctitatis receptaculum, diviniique decoris flumen. Horum omnium possessionem crux subministravit, tantisque bonis per crucem fruimur : horum omnium notitiam per crucem accepimus, hæc omnia per ipsam didicimus. Ut autem discas crucis potentiam et efficaciam, consideres velim ea, quæ crux operata est, et invenies divinæ potestatis gesta per illam consummata. Crux contra vitam figitur, et vita mundo per crucem datur : crux ad mortem excogitatur, et mors per illam mortua exhibetur : crux contra veritatem erigitur, et per crucem mundus vita repletur : crux extensa fuit contra Dominum, et Dominus per eam expansis manibus omnia complexus est. Christus in cruce pendet, et diabolus occiditur : Christus in cruce extenditur, et signum salutis mundo datur : Christus in cruce clavis affigitur, et omnis anima a vinculis redimitur : Christus cruci affigitur, et omnis creatura a servitutis corruptione liberatur : Christus in cruce quiescit, et prodigium novum mundo ostenditur : nam lux solis obtenebratur : quod incredulis symbolum est, fore ut in die judicii tenebræ ipsis reserventur; credentibus vero lux diei ex tenebris emergat. Hoc autem clamat propheticum eloquium his verbis : *Et erit in illa die, dicit Dominus, occidet sol in meridie, et obtenebrabitur in die lux : et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum* (*Amos* 8. 9. 10). Viden', dilecte, quantum mysterium complectatur divinum oraculum? Hic enim amborum opera subindicantur; Judæorum nempe, qui sub lege erant, et gentium, quæ extra legem iniquitatem exercebant. Nam qui secundum legem festivitates celebrabant, illis absolutis lugebant, et loco canticorum, planctum edent super Jerosolymam. Non enim ultra Jerusalem cultum suum exercebit, neque ulla ibi festivitas celebrabitur; quia post Christi adventum, passionem et œconomiam omnia finem acceperunt. Ideo igitur inquit, *Convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum;* eo quod ipsi legalibus illis privati, in servitutem omnibus gentibus traditi sint, quia non crediderunt divinæ et stupendæ crucis prædicationi. Lugebunt etiam gentes ob peccata sua, luctu qui beatitudinem pariat : nam ait : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* 5. 4). Lugebunt itaque ob vanas suas festivitates, et nefaria cantica, quæ impuris dæmonibus persolvebant. Perpende autem hodie quomodo gentilis pœnitentiam agens, qui prius idolis festa celebrabat, festum in luctum convertat, male factorum pœnitens, et cum luctu propheticum illud dictum proferens : *Erravimus in turpitudine nostra, et operuerunt nos peccata nostra, quia repleti sumus impietate nostra* (*Jer.* 3. 25) : *Novimus iniquitates patrum nostrorum* (*Ibid.* 14. 20). Sic et nos probe lugentes et plorantes de malis supra descriptis, crucem complectamur, in cruce spem habentes, ut per crucem eruditi, in cælum animo tendentes, et ad Christum Servatorem accedentes, juxta Deum in regno cælorum locari mereamur, in ipso Christo Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SERMONEM DE SANCTO THOMA.

Hic nimiæ loquacitatis Græculus statim se prodit a Chrysostomi elegantia, inventione, salibus longe alienum. Illiusque sermonem typis dare ne cogitassemus quidem, nisi jam inter spuria publicasset Henricus Savilius. Hæc porro oratio subinde a Græculis nugacibus aucta et retractata fuit. Indeque accidit ut manuscripti Codices inter se differant, aliis breviorem, aliis longiorem homiliam referentibus. Illam ut Savilius dedit edimus, aliquot in locis ad fidem Manuscripti Regii castigatam.

IN SANCTUM APOSTOLUM THOMAM.

1. Venio [1] debitum vobis redditurus, carissimi : debitum quod et me reddentem ditabit, et vobis recipientibus utile erit. Adsum rursus Thomam celebraturus, initio quidem non credentem Christi resurrectionem; deinde vero postquam vidit et tetigit, Christo credentem, ac Dominum ipsum et Deum vocantem. Animum ergo adhibete mihi, rogo. Precamini Thomam, ut sanctam dexteram suam quæ latus Domini tetigit, labiis meis imponens, vim linguæ meæ conferat ad illa enarranda quæ vos desideratis : viliaque verba mea tranquillo animo ferte, ut modicam inde utilitatem decerpatis. Cum servator noster inferni ventrem omnia devorantem dissecuisset, ac primogenitus mortuorum effectus esset, perque clausas januas ingressus esset ad discipulos suos, *Thomas, qui dicitur Didymus, non erat cum eis.* (*Joan.* 20. 24). Papæ, quantum miraculum! Desideratus adfuit, et qui desiderabat non aderat : bonus pastor gregem adiit, et ovis extra gregem, imo extra caulam errabat : Rex cælorum præsens advenit, et miles procul a divino exercitu versabatur. Erat vero forte illud divinæ dispensationis mysterium, quod tunc non adesset Thomas. Nam si præsens fuisset, non dubitasset; si non dubitasset, non tetigisset; si non tetigisset, non ita credidisset; si non ita credidisset, non nos ita credere docuisset. Itaque discipuli incredulitas, fidei nostræ mater effecta est. Ideo namque nos Christum, quem non videmus, adoramus, quia ille vidit et adoravit : ideo licet non tangamus eum, qui tangi non potest, hymnis celebramus, quia ille propriis manibus attrectans Dominum celebravit dicens : *Dominus meus, et Deus meus* (*Joan.* 20. 28. 25). Dicebant ergo alii discipuli Thomæ, qui postremo venerat : *Vidimus Dominum;* vidimus eum qui dixit : *Post triduum resurgam* (*Matth.* 27. 63); et ex re ipsa veritatem dicti deprehendimus; vidimus eum qui dixit : *Ego sum resurrectio et veritas et vita* (*Joan.* 11. 25); ac resurrectionem et veritatem et vitam ex vita accepimus; vidimus eum qui dixit : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Ibid.* 10. 18) : et re potentiam ejus experti sumus. Nam repente Servator adstitit nobis, domunculæ januas non discindens : nos vero inexspectato adventu, ut par erat, perculsi, novam ingressus rationem mirati sumus. Audivimus eum dicentem, *Pax vobis* (*Ibid.* 20. 21), et mœroris procellam in lætitiæ tranquillitatem vertimus. Vidimus ejus manus, in quibus acutos clavos receperat, et hominum peccata deleverat : vidimus ejus manus, quibus mortem contrivit, et resurrectionem omnibus hominibus peperit : vidimus ejus sacrum latus pro nobis confossum, quod et sanguinem et aquam emisit, duos salutis nostræ fontes. Insuffla-

[1] Sic Mss. pene omnes. Savil. sic incipit, *Benedictus sit Deus! Venio.*

tionem quoque divinam ex ore ejus accepimus, insufflationem spiritualem, quæ gratiam omnem ministrabat. A Domino ordinati sumus, ut potestatem habeamus dimittendi peccata; et judicandi peccata facultatem accepimus, hoc dicto nos ad id constituente: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Talibus Servatoris dictis cum gaudio acceptis, talia nacti sumus dona: non enim poteramus a tali Domino frui, sine divitiarum accessione, a tali Domino collata; tu vero solus pauper mansisti, qui non aderas. Statimque Thomas respondit illis: Vos soli Dominum vidistis; egone solus indignus sum ejus conspectu? Nonne ut vocati estis, et ego vocatus sum? et ut honorati estis, ego honoratus sum ab illo? nonne ut vos vidistis illum crucifixum, ego quoque vidi? Vobiscum tristia vidi, volo etiam læta discere. Ut vidi mortem Christi, volo quoque resurrectionem ejus conspicere. *Nisi enim videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam* (*Joan.* 20. 25). Certe vos non credidissetis, nisi vidissetis: sic et ego nisi videro, non credam. Persevera, Thoma, persevera in hac pulchra incredulitate tua; studiose persevera, donec teneas fidei anchoram; vehementius persevera in hoc tuo desiderio, donec videas eum quem desideras. Amo cogitationum tuarum dubitationem, quæ omnem dubitationem resecet: laudo modum illum contentiosum et Christi amantem, ut qui omnem hæreticorum contentionem auferat. Ne credas, jam magis fidem neges, ut ego firmiter credam. Quære Dominum, et voca præsentem, ut te quærente ac vocante, ego Redemptorem meum amplectar. Persevera illum quærere qui dixit: *Quærite, et invenietis* (*Matth.* 7. 7). Ne prætereas simpliciter explorans, si non reperias thesaurum quem inquiris. Persevera pulsans januam cognitionis, quæ nulli sit contradictioni obnoxia, donec illam aperiat qui dixit: *Pulsate, et aperietur vobis.* Libenter audio te sæpe dicentem: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, non credam.* Te quippe non credente, ego credere disco: te ligone linguæ tuæ arva divini corporis fodiente, ego fructum sine labore decerpo et mihi accumulo. Nisi videro his meis oculis sulcos in sanctis manibus ejus, quos sulcarunt impii, numquam vestris obtemperabo verbis: nisi hunc meum digitum mittam in foramina clavorum, hunc vestrum bonum nuntium non accipiam: nisi tangam hac manu mea latus illud, non suspectum resurrectionis testem, non credam testimonio vestro.

2. Videbo oculis meis ea, quæ vos prædicatis (nam aure certiores sunt testes oculi); et tunc vestrum recipiam dictum. Omne quippe verbum a rebus ipsis confirmatum, validum et firmum est; sin rerum ipsarum confirmatione privetur, inaniter a labiis in aerem diffunditur. Doctoris nostri miracula hominibus prædicaturus sum: quomodo igitur ea quæ non oculis percepi, verbis proferam? quomodo incredulis ea credere suadebo, quibus ipse non adfui? quomodo Judæis ac gentilibus dicam: Crucifixum Dominum meum vidi, resuscitatum non vidi, sed ab aliis audivi? Ecquis hæc dicentem non irridebit? quis prædicationem non respuet? Aliud est audivisse, aliud vidisse: aliud verba percipere, aliud videre et experiri. Hæc et similia cum coapostolis diceret Thomas, ingressus est rursum Jesus ad discipulos januis clausis. Ingressa est Janua vitæ per clausas januas: eo modo ingressus est, quo novit ipsum solum Dei Verbum. Sicut enim cum natus est, virginitatis januas non læsit, sic etiam intra domum repertus est, et claustra non fregit. Ac rursus, ut exiit ex sepulcro clauso et obsignato, sic ingressus est januis clausis. Ingressus eo est carne, ubi erat divinitate, et januas non aperuit. Voluit enim, et nihil impedivit: voluit, et omnia concurrerunt: voluit, et creatura ipsi obsequuta est: voluntati ejus omnia concurrerunt, quod vere Deus esset. Sic et generatio ejus omnem sermonem superat, et exitus ex monumento mentem omnem transcendit, ingressusque ejus ad discipulos ineffabilis inenarrabilisque est. Quod quidem ingressus sit ad discipulos, hoc quidem edoctus sum: quomodo ingressus sit, nondum didici. Quod non ipse percepi, nec dicere audeo. Eum qui ingressus est celebro, ingressus modum non curiose inquiro: prædico mysterium, nec explico quod explicari nequit: signum editum admiror, quomodo factum sit non quæro: iis quæ scripta sunt credo, nec curiose exploro, et salutem consequor. Auditor quippe sum miraculorum Domini, non autem in divinis illis operationibus versatus sum. Et si quis Judæorum dixerit mihi: Res prorsus incredibiles prædicas et impossibiles; quomodo potuit corporis moles januis clausis intrare? dicam et ego illi: Quomodo potuit Habacucum angelus deducere in lacum leonum, et rursum inde reducere, et apposita signacula salva et integra relinquere (*Dan.* 4. 32)? Servus quod voluit effecit, et Dominus non potuit, ut sibi placuit? Quemadmodum ergo illud volente Deo factum est, ita et hoc volente Deo Verbo, qui homo factus est, perfectum fuit. Ingressus est ergo ad discipulos suos Servator, ut sibi placuit, et stetit in medio, ut omnibus pari modo appareret, et dixit eis: *Pax vobis* (*Joan.* 20. 26). Pax enim sum, et pacem do vobis. Quod sum, id do. Pax hæc omnes inimicos subjiciet sub pedibus vestris: pax hæc omnes principatus et potestates subditas vobis faciet: pax hæc contra totum orbem tropæum eriget. Gavisi sunt ergo discipuli, cum Domini sui forma et voce iterum fruerentur, et Thomam cubitis pulsabant; ipsi oculis annuebant, ac propemodum superciliorum nutu dicebant illi: Annon diximus tibi nuper, *Vidimus Dominum*, et non credidisti nobis? Ecce adest ipse desideratus, ipso fruere ut vis, delectare ut desideras: accede ad eum, qui propter salutem tuam ad nos ingressus est, et accipe quæstionum solutionem. Ipse vero Thomas stabat oculis circumspiciens omnia Servatoris membra, et singula curiose explorans, an vere qui mortuus erat, resuscitatus adesset. Quid ergo dixit ei ille solus bonus, solus misericors et benignus, *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (1. *Tim.* 2. 4)? *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas.* O benignitatis culmen immensum! o indulgentiæ interminatum pelagus! Non exspectavit aditum discipuli, non exspectavit donec supplex accederet, ac peteret ut optatum assequeretur, neque vel ad breve tempus distulit; sed ipse præsens amatorem ad desideratum vi compulit, ipse voce sua digitum desiderantis ad se traxit, ipse Dominica lingua servilem manum ad se pertraxit, dicens illi: *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas.* Propter te enim te adii, propter te rursum huc accessi, unde numquam secundum divinitatem abfueram: propter te manus hasce clavis configendas porrexi, ut tibi sine periculo tuo salutem pårerem. Accede ad me corpore, spiritu, fide, et clare disce quæ discere cupiebas: pro lubito tuo scrutare, disce, tange: quasi infans in manibus meis scripta lege voluntariæ passionis meæ vulnera. Omnia tibi membra ad scrutandum offero: non erubesco corporis livores, nec carnis vulnera, quæ propter vulnera vestra excepi: non abscondo gloriæ victoriæque meæ tropæa: palam prodeo, et omni creaturæ illa palam facio. Vidit illa sol; ideo secessit et diem in noctem mutavit: vidit terra; ideo fugæ locum quæsivit: hæc sciunt petræ; ideoque scissæ sunt, et scissione passionem meam luxerunt: hæc sciunt mortui; nam propterea ex sepulcris prodiere currentes: hæc novit velum templi; ideoque discissum Judæorum perniciem luxit. *Vide manus meas*, ut voluisti: digitum tuum immitte in profunda plagarum mearum. Vis quoque latus meum considerare: ecce illud expando tibi. Infer manum tuam illam curiosam, et mitte in latus meum: tange corpus meum, quod sine semine virili constitutum est: tange corpus meum conceptum ex Maria Virgine, et

virgine manente : tange corpus meum, quod ejusdem tecum generis est : tange corpus meum, quod passum est secundum meum propositum et voluntatem : tange corpus meum, quod mortuum est pro vobis, sed non absorptum est a mortis corruptione : tange corpus meum, quod tremendum est incorporeis potestatibus : tange corpus meum, quod formidandum est Cherubinis, et venerandum Seraphinis; et experientia disce quid in me sit palpabile, quid non palpabile, quid passibile, quid impassibile, quid mortale, quid immortale, quid mortuum pro te sit, quid interitus expers manserit, quid sub digitos cadat tuos, quid non cadat sub manum tuam : *Et noli esse incredulus, sed fidelis.*

3. Audivi, Thoma, non præsens ut homo, sed præsens ut Deus, quæ fratribus tuis dixeris : deitate vobis aderam, a vobis separatus humanitate. Vis in memoriam revocem tibi verba quæ nuper protulisti? Annon dixisti, *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam?* Annon hæc verba pepererunt cogitationes tuæ? annon hæc verba manarunt ex labiis tuis? Propter hæc rursum veni, quia dubitas : secundo accessi, quia id desiderabas. Ne te pudeat ea discere, quæ desideras; ne verearis ea, quæ cupis curiose inquirere, ne recuses digitum tuum inferre in manus meas. Digitum curiosum feram, ut clavos toleravi : amantis curiositatem sustinebo, ut sustinui odientium me injuriam crucifixus. Non indignatus sum, cum inimici in me debaccharentur, et amanter a te rogatus non feram? Infer digitum tuum huc, et vide manus meas vulneratas pro vobis, ut animarum vestrarum livores curentur : vide manus meas, et tecum reputa, num ille ipse sim, qui volens crucifixus sum, an alius : vide manus meas, quas permisi Judaici furoris symbola ferre : ut quando Judæi pro more suo impudenter se gerent in die judicii ac dicent mihi : Nos non cruci affiximus te, Domine; inimicis manus ostendam hac forma, et in pudorem conjiciam synagogam illam Dei inimicam, ut videant Judæi *In quem transfixerunt* (*Joan.* 19. 37), et gementes adorent. Ut tetigit ergo Thomas Domini manus et divinum latus, timore simul et gaudio affectus, ex rei quam desiderabat spectaculo, ad Dominum celebrandum statim linguam movet clamans, *Dominus meus, et Deus meus.* Tu es Dominus et Deus, ut homo et hominum amans : tu es novus et stupendus naturæ medicus : in morbis non ferro uteris ad secandum, non ignem vulneribus admoves, non herbis uteris ad medicinam, non ligaminibus sub aspectum cadentibus infirma membra alligas. Ligamina misericordiæ habes invisibilia, queis ea quæ dissoluta sunt constringis : medendi rationem habes ferro acutiorem, verbum habes igne efficacius, nutum habes pharmaco efficaciorem. Ut Creator sine labore opificium tuum sanctificas, ut figulus sine ulla defatigatione figmenta tua transformas. *Dominus meus, et Deus meus.* Tu lepram pro voluntate tua curasti, tu claudos currentes exhibuisti, tu paralyticos lectos portare suos effecisti, tu cæcos ab ortu caliginem deponere jussisti, tu dæmones ab opificiis tuis expulisti, tu ab inimicis tuis volens captus es, tu a Judæis sponte omnia propter me passus es. *Dominus meus, et Deus meus.* Tu es Deus et Dominus meus, tu et ante sæcula et recens es, tu cælestis et terrenus, tu visibilis et invisibilis, tu sine specie et mea specie præditus, tu sine forma et in hac forma, tu vere Deus et vere homo; tu in utero Virginis, et in sinu Patris; tu in cælo cum Patre, et in cruce propter nos; tu in regio throno ante sæcula, tu ligno et clavis affixus secundum carnem; tu secundum spiritum impassibilis, et secundum carnem passibilis; tu immortalis ut consubstantialis Patri, et mortalis ut consubstantialis nobis; tu in sepulcro et simul supra Cherubinos; tu in morte ut fons vitæ, et simul cum mortuis mortuorum liberator; tu mortuus triduanus, et Genitori tuo coæternus : tu corporis tui templum resuscitasti; tu per propriam virtutem resurrexisti utpote Deus; tu nobiscum in carne, qui ante omnia sæcula cum Patre fuisti : tu in cælis sursum, et in terra deorsum, ipse omnem creaturam conspiciens Deus : tu ubique es, tu omnia imples : tu a me teneris, qui omnia pugillo tenes. Te corporeis oculis video : te fidei oculis conspicio : in te cognosco id, quod mei simile est : in te novi ineffabilem Patris divinitatem : unum te Dominum et Deum confiteor : te aliud et aliud esse didici, non autem alium et alium. Non divido te indivisibilem, non separo te inseparabilem, non seco te qui secari non potes. Quod video, quod teneo, quod intelligo, per unam vocem exprimo : *Dominus meus, et Deus meus.* Tu enim ex indulgentia tua animam eduxisti meam ex profundo incredulitatis, tu captivos homines liberasti, tu peccatum in carne tua impeccabili damnasti, tu diabolum cum voluisti conculcasti, ignita ejus confregisti tela omnia; tu mortem in morte tua occidisti, tu per incorruptionem tuam corruptionem eliminasti, tu per resurrectionem tuam resurrectionem nobis renovasti, tu triduanum tuum sepulcrum resurrectionis a mortuis sponsorem in terra reliquisti, tu homines cælestes effecisti, tu terram cælo jucundiorem reddidisti, tu tandem omnia meliora fecisti, tu Deus cum esses, homo factus es, ut hominem faceres Deum, *Dominus meus et Deus meus.* Dicit illi Dominus, *Quia vidisti me, credidisti* (*Joan.* 20. 13). Cave ne me rursum in carne eo ascendente, unde sine carne descenderam, incredulitatis verbis utaris, et dicas : Nisi rursum videro in manibus ejus fixuram clavorum, non credam. Semel credere recusasti, semel tetigisti, semel credidisti; prædica demum quod accepisti. Beati enim qui me viderunt, et crediderunt; ter beati qui non me viderunt, et crediderunt. Hæc beatitudo, fratres, in nos transit, qui non vidimus eum, et credidimus in ipsum. Beati namque sunt, qui fide vident invisibilem : beati vos, qui in celebritatibus singulis videtis eum, qui oculis offertis, ore complectimini, dentibus editis, nec consumitis. O stupenda mysteria! o tremenda mysteria! Qui sedet ad dexteram Patris, in peccatorum dextera invenitur; et qui ab angelis celebratur, a sordidis manibus tenetur, et id tolerat; patitur ut indigni servi se ferant. Non fugit nostrum peccatorum manus, non fugit damnatos digitos, figlinos non conterit Opifex, sed ipse hortatur et dicit : *Accipite, comedite : accipite, bibite* (*Matth.* 26. 26). Inferte manus vestras, et mittite in latus meum, et membris omnes meis fruimini. Quodcumque membrum acceperitis, in eo sum totus, qui a Thoma tactus fui. Accedamus igitur omnes pure ad purum : et cum Dominum nostrum acceperimus, ne subito contemptim illum adeamus, sed seorsim recedentes, soli solum Redemptorem sic alloquamur : Domine, non sumus digni, ut intres sub tectum animarum nostrarum (*Matth.* 8. 8). Sed quia tu vis a nobis teneri, et utpote benignus in nobis habitare, cum fiducia accedimus dicentes : Si quid jusseris, Domine, oris nostri januas aperiemus, quas tu creasti. Intras enim cum benignitate, uti soles; intras et solvis iniquitatum vincula; intras et illuminas tenebrosas cogitationes nostras. Credimus, Domine, te id facturum esse. Neque enim meretricem cum lacrymis accedentem aversatus es, nec publicanum pœnitentem repulisti, nec latronem regnum tuum agnoscentem abjecisti, nec persequutorum pœnitentem in pristino statu reliquisti; sed hos omnes per pœnitentiam te convenientes, in amicorum tuorum choro constituisti. Cum tali precatione et puro animo cælestia sumamus mysteria, et nos temperata vita muniamus, neque prodeat sermo turpis per viam qua intrat Christus Dominus et Deus noster. Hoc vitæ institutum et vos ineatis, qui recens illuminati estis : reveremini doloris expertes piscinæ partus, neque violetis divinos ejus fetus, ne contra vos hæc proferat : *Filios genui et exaltavi; ipsi autem spreverunt me* (*Isai.* 1. 2). Nomina vestra scripta sunt in cælis; ne iterum vos in voluptatum cœno volutetis, ne apostolus Domini Paulus vobis exprobret clamans : *Currebatis bene; quis vos impedivit non obedire veritati* (*Gal.* 5. 7)? Exuistis can-

didas stolas, **sed ne simul exuatis** candorem animarum vestrarum. Hanc stolam si non exueritis, nemo jam vos exuere poterit. Manete igitur semper recens illuminati, ut beatam illam vocem audire mereamini: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* 25. 34): quod nos omnes assequi contingat, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, imperium, honor et adoratio, cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD HOMILIAM SEQUENTEM.

Hanc homiliam veteris esse scriptoris et ad Chrysostomi ævum accedentis suadere videntur tum alia quædam quæ hinc et inde occurrunt, tum illa quæ dicuntur de Psathyrianis hæreticis, quorum mentio est apud Socratem, Sozomenum, aliosque scriptores, ut infra videbitur. Hujus orationis loca quædam afferuntur a Photio, quæ vide sis in editione Rothomagensi anno 1653, p. 1542 et sequentibus, quæ loca nos contulimus, ut videas in decursu. Sed ille pro lubito alia affert, alia prætermittit, ut videre est et istic et aliis in locis.

Esse vero Chrysostomi opus nemo sanus dixerit: nam stylus, dictio, inventio, ordo, cæteraque omnia, mirum quantum abhorrent a Chrysostomi dicendi genere. Est prorsus inelegans scriptor, qui si qua bona afferat, ea ipsa nimia loquacitate labefactat. Tum implicatas proponit quæstiones, ab altero ad alterum argumentum subito transit, et quasi farraginem quamdam consarcinat, longissimamque omnium homiliam sic emittit. Loca quædam obscurissima sunt, quæ certis in locis quasi divinando interpretati sumus.

IN INCARNATIONEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ET QUOD SINGULIS CLIMATIBUS ANGELI PRÆSINT.

1. Vere apparuit nobis gratia Christi, et una illuxit nobis piæ religionis virtus: vere ortus est nobis Sol justitiæ, idque testificantur orbis fines illuminati. Apparuit enim cælorum Dominus, et totam terram, ut voluit, in cælum transtulit, sicut prædictum fuit: cælestis ille, qui apud vos est, vos cælestes efficit, et cælestia cælestibus elargitur: a fideli fidelibus fidelia, a sancto sanctis sancta, a vivente viventibus viventia prodeunt. Hæc enim vobis in sacris et regiis apostolorum aulis tradidimus, cum propheticas sententias attigimus, cum cælum et terra propheticas voces inter se dividebant; terra quidem vocem Joannis habens dicentis, *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (*Matth.* 3. 3); cælum vero Patris vocem habens ipsis rebus firmatam, *Vox Domini super aquas* (*Psal.* 28. 3). Hæc vobis tradidimus: hæc studiosis sufficiunt ad admonitionem, et fidelibus ad confirmationem. Sciendum autem est bonorum repetitionem firmiores animas reddere. Quemadmodum enim terram tunc optime cultam videmus, cum iisdem sulcatur aratris, et cum primus conspectus fecundis curis exornatur: sic et culta divino verbo anima, si jam dictorum repetitione renovetur, fecundior ad virtutis fructum emittendum efficitur. Tempus autem est ut ad debitum solvendum accedamus: ad debitum, quod et nos solvere promisimus, et vos in mente versatis. Omnes porro Christi amantes rogo, ut et aures et mentem præbeant; ut et aures assidue dicta excipiant, et mens accurate sententias exploret: de Christo enim agitur; quidquid autem de Christo dicitur, non est simplex prædicatio, sed pietatis mysterium. Omnis Christi œconomia mysterium dicitur: mysterium vero non in scripto apparet, sed in re ipsa prædicatur. Ideo Scriptura totam Christi œconomiam mysterium vocat, ut cum dicit Paulus: *Mysterium hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* 5. 32); et rursum, *Manifeste magnum est pietatis mysterium, quod manifestatum est in carne* (1. *Tim.* 3. 16); et iterum, *Secundum revelationem notum mihi factum est mysterium, sicut potestis legentes comprehendere intelligentiam meam in mysterio Christi* (*Ephes.* 3. 3. 4); et alibi, *Mihi omnium minimo sanctorum data est gratia hæc, evangelizare vobis investigabiles divitias Christi, et illuminare omnia* (*Ibid.* v. 8. 9): quæ est *Dispensatio mysterii, quod absconditum fuit a sæculis et a generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus, quibus voluit Deus notum facere quæ sint divitiæ gloriæ mysterii ejus in gentibus, quod est Christus, spes gloriæ* (*Col.* 1. 25-27). Ergo falluntur hæretici, qui mysterium Dei humanis ratiociniis subjiciunt; dicit enim: *Mysterium meum mihi et meis* (*Isai.* 24. 16). Quinam vero Christi sunt, nisi fideles? Cum volueris quidpiam de Christo discere vel audire, ne consultas ratiocinium, ne explores sapientem quemvis; sed interroga prophetam, interroga apostolum, examina angelum: si hæreant illi, ad patrem confugito. Si interroges prophetas et dicas: Quis est hic Christus? respondet tibi propheticus chorus: *Hic Deus noster: non reputabitur alius præter eum. Invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob filio suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch* 3. 36-38). Si autem interrogaveris, Quis est hic Christus, et quomodo natus est, divinosque natales curiose scrutatus fueris, audaciam tuam refrenabunt prophetæ, et dicent: Tunc capis ea, quæ cogitatio nostra capere nequit? Si velis discere, illum Deum esse disce: si quomodo genitus sit curiose inquiras, disce a nobis, *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* 53. 8)? Si interrogaveris apostolum, sive apostolicum chorum, dicent tibi, Christus est Deus, in principio Deus, Deus apud Deum, et semper Deus: dicent tibi, *Splendor gloriæ et figura substantiæ, imago Dei invisibilis, portans omnia verbo virtutis suæ* (*Hebr.* 1. 3). Si interroges, quomodo is qui erat, natus sit, dicent tibi: Audivimus illud, *Erat*, et quod esset didicimus; quomodo autem is qui est, ab Existente sit, fide percepimus, non comprehensione. Rursus si illos interroges: Si ergo nescitis, quomodo genitus sit, quomodo scitis illum esse Dei Filium? dicent tibi: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* 1. 14). Rursum si relictis apostolis et prophetis, curras ad angelos, dicasque illis: Quis est hic Christus qui prædicatur? dicent tibi illi, qui pastoribus bona annuntiarunt: Nos gloriam celebrare didicimus, non curiose inquirere: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus beneplacitum* (*Luc.* 2. 14). Nos illum ita prædicamus: *Annuntiamus vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui*

est Christus Dominus, in civitate David (*Luc.* 2. *v.* 10. 11). Quod sit Christus et Salvator et Dominus, hoc scimus. Si autem dixeris illis : Dicite nobis quæ sit ejus natura vel quomodo natus sit, ac quomodo sit ipsi cum Patre indivisibilis potestas ; dicent tibi, Non audisti prophetam dicentem : *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis ; laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus* (*Psal.* 148. 1. 2), ministri ejus facientes voluntatem illius? Nos voluntatem ejus facere jussi sumus, non naturam explorare. At num angeli silent, prophetæ non annuntiant, apostoli arcanum retinent, Pater vero qui genuit quomodo genuerit prædicat? Neque ipse annuntiat, non quod ignoret, sed quod non proferat. Quod genuerit dicit, *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* 109. 3). Quod genuerit dicit, ne occultat immortalem illam genituram, quæ ex æterna radice prodiit, ut testificatur de Filio Pater : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* 3. 17). Ipsi dicit : *Ex utero ante luciferum genui te ;* mundo dicit, Genui, et naturam quidem annuntiat, sed modum non explicat. Quia igitur proposita nobis est de Christo necessaria quæstio, ab apostolicis et propheticis fontibus ne excedamus ; sed ex perennibus illis fluentis et immortalibus fluminibus hauriamus divinos divinæ doctrinæ rivos. Cum enim ea quæ Dei sunt quispiam loquitur, ex Deo, quasi ex fonte vivente, viva haurit fluenta, secundum illud : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* (*Jer.* 2. 13) ; et rursum, *Bibe aquas ex fontibus salutaris illius* (*Isai.* 12. 3). Si ergo, Scripturis relictis, humanorum ratiociniorum concupiscentiis serviamus, illa cogitantes quæ succurrunt menti, aquæ doctrinæ nostræ, aquæ deserti esse inveniuntur, non viventis fluminis, sed deserti, ut Jerosolymæ dicebat beatus Jeremias : *Dilatavit vias suas ad aquas deserti ;* et ut dictum suum interpretetur, adjicit : *In concupiscentiis animæ suæ spiritu ferebatur* (*Jer.* 2. 24) ; id est, Ea loquebatur quæ anima sua concupiscebat, non quæ volebat Deus. Ita et nunc qui concupiscentiam ratiociniorum suorum implet, nec quærit ea quæ Dei sunt, per aquas deserti errat. Nihil ita Ecclesiæ decorem aufert, ut ii qui concupiscentiam humanorum ratiociniorum confirmant. Ideo Paulus de hæreticis dicebat : *Secundum desideria sua coacervant sibi magistros* (2. *Tim.* 4. 3). Veniamus ergo ad debitum. Hæc vestræ caritati necessario in mentem præmisimus, ut dicta omnia accurate exploremus, non ex nobis vel ex ratiociniis nostris, sed ex divinis Scripturis. Propositum nobis erat ostendere quomodo Christus mundum renovet, quomodo per incarnationem suam renovet hominem inveteratum in paradiso propter peccatum suum.

2. Hoc polliciti sumus in sacris apostolorum aulis, remque distulimus, eo quod non omnes adessent. Exordium vero ducamus orationi accommodatum, nempe creationem. *Fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* 1. 1). Principium dicendorum idoneum est, prima basis mundi, primum creationis fundamentum. *Fecit Deus cœlum et terram et mare, et omnia quæ in eis sunt* (*Psal.* 145. 6). Ut paucis dicam, alia quidem omnia verbo produxit, quod ejus nutui nihil obsistat, nec ea in re laboravit vel sudavit, quod dictum ipsius rerum natura sequeretur. Fecit res omnes creatas, et in fine hominem opificii decorem. Sicut enim totum corpus nostrum præter vultum, mortuum videtur : sic omnis creatura visibilis sine homine mortua est : quomodo autem, audi. Splendidus est sol, sed seipsum describere nequit : splendida est luna, sed conversiones suas non ipsa docuit, sed verbum illas explicavit : splendidus stellarum ordo, sed concinnam illarum rationem doctrina tradidit : magnum est mare, sed illius sinus humana lingua enarravit. Nihilque est in rerum natura quod humana voce non egeat interprete. Hoc facit, ut quod absonum est, vere malum ostendatur, et quod bonum est, vere bonum probetur. Nam aspectus sæpe fallit, mentemque in errorem deducit ; sed verbum accedens naturam exhibet, virtutem subjicit, doctrinam interpretatur. Animum ergo adhibe. Fecit Deus totum opificium, et in fine creationis hominem, secundum imaginem et similitudinem suam ; imaginemque ipsi dedit, non corporis figuram, sed præcipuam dignitatem, discernendi vim, et per virtutes similitudinem cum Opifice. Factus est igitur homo ad imaginem et similitudinem Dei, similitudinemque sine modo extendit. Ne putes autem, hæc esse ab argumento nostro aliena. Nam ea, quæ nunc disserimus, radix sunt eorum, quæ dicturi sumus. Fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam. Voluit eum cursu tendere ad Domini sui dignitatem ; sed cum quadam mensura, serie et ordine. Exempli causa (nam a vulgaribus exemplis hæc statuenda sunt) : si quis apud nos herus servum habeat, videritque eum imitari prudentiam suam, ipsum amat et honorat ; si imitari clementiam suam advertat, perinde famulum, diligit ; si viderit ecclesiam frequentare, pie agere, jejunare, eleemosynas erogare, hanc probam sui imitationem herus approbat. Verum si servus ille imitationem illam ultra modum extendat, si auctoritatem heri sui imitetur, conservis imperans ut herus, facultates ut herus dissipans, non ultra laudabilis imitatio est, sed vituperabilis. Oportet enim servum imitari heri sui æquitatem, temperantiam, pietatem, justitiam, non auctoritatem, et dominationem. Jussus ergo homo Dei bonitatem imitari, imitationem ultra modum extendit ; voluitque demum Dei æmulator esse, non secundum virtutem, sed secundum auctoritatem. Nam hac in re illum serpens decepit, dicens : *In quacumque die comederitis, eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* 3. 5). Laudat autem Deus imitationem, quando modum servat ; sin modum excedat, imitator reprehenditur. Unde hoc? Dicit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Ibid.* 1. 26). Dei similes facti sunt apostoli, nec objurgati sunt ; Dei similes facti sunt prophetæ, nec reprehensi sunt. Imitati sunt ejus clementiam, misericordiam, justitiam, pietatem. Similem se Deo quispiam exhibuit secundum divinam auctoritatem, et statim plexus est. Dicit Isaias cuidam tyranno in Babylone, se parem Deo furentis more exhibenti : *Tu dixisti in mente tua : In cœlum ascendam, et sedebo in montibus excelsis, qui sunt ad aquilonem, supra nubes conscendam, et supra stellas ponam thronum meum, et ero similis Altissimo : nunc autem ad infernum descendes, et ad fundamenta terræ* (*Isai* 14. 13-15). Viden' quomodo eum, qui superbia efferatur, puniat? Quænam invidia fuisset opificium simile esse Creatori, si secundum imaginem et similitudinem ejus factum esset? Verum immoderata ejus audacia modum non servavit. Nam virtutis similitudinem reliquit, et ad eam festinavit similitudinem quæ secundum auctoritatem erat. Ita de Davide dicitur : *Inveni David filium Jessæ, virum secundum cor meum* (*Act.* 13. 22). Ecce similitudinem secundum imaginem. Quia Davidis cogitatio ad Deum respiciebat, quod esset plenus modestia, humilitate, justitiæ cultor et humanitatis : *Inveni David filium Jessæ, virum secundum cor meum.* Eum quidem, qui cor Dei recte imitatus erat, laudavit ; illum vero tyrannum, qui cor Dei imitatus erat, non secundum virtutem, sed secundum dominationem, vituperavit, imo punivit. Dicitque Deus per Ezechielem : *Et tu, fili hominis, dic principi Tyri : Quia exaltatum est cor tuum, et dixisti, Deus sum ego ; tu vero homo es, et non deus : et dedisti cor tuum, ut cor dei : ideo ecce ego inducam super te alienam famem a gentibus, et evaginabunt gladios suos contra te, et contra pulchritudinem scientiæ tuæ* (*Ezech.* 28. 2. 7) ; utque compendio dicam, adjicit : *Et morieris morte ex vulneribus in corde maris. Numquid dices, Deus sum ego, coram interficientibus te* (*Ibid. v.* 8. 9)? Viden', quomodo illa ultra modum imitatio puniatur? Homo itaque perversus, in illam ultra modum imitationem delapsus, ab iis quæ habebat nudatus inventus est. Omnis quippe

mortalis natura, quæ vires suas excedunt concupiscens præter Dei voluntatem, non modo nihil accipit, sed quæ habebat amittit. Ac sicut oculus moderato solis radio fruens, gaudet et illuminatur; sin voluerit ipsius orbem respicere, non modo non lucem accipit, sed quam habet amittit : sic mortalis natura quæ vires exsuperant cupiens præter Dei voluntatem, mente obscuratur. Lapsus est itaque homo, et lapsum multa sequuta sunt vulnera, idololatria, fornicatio, adulterium, avaritia, et iis similia. Lapsus ergo est homo lapsu magno, et divinæ faciei characterem per incuriam perdidit : *Comparatus est* enim *jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* 48. 13). Creatura quoque divisa fuit; pars frenum excussit; pars in servitute mansit, ut in præcedenti doctrina dixi. Leones imagini insidiati sunt, serpentes mordebant, omnis brutorum natura contra dominum suum furebat. Quia videbat creatura ipsum legem Dei violasse, volebat et ipsa ejus imperium excutere. Voluit sol non oriri transgressori, voluit luna radios suos obscurare, voluere stellæ opificio non lucere, voluere fontes rivulos suos negare, fluvii alveos, prata flores, paradisi voluptatem : omnia volebant hominem negare, quia ille suum negaverat Dominum. Scio, profundum et adumbratum esse sermonem, sed propter fideles et commensales Ecclesiæ divinæ Scripturæ sensa sunt exploranda. (*a*) Servivit creatura homini, non quasi digno, sed Deo id jubente, ut non vituperetur imago, etiamsi transgressa sit. Omni itaque creatura rebellante, jussit Deus ne frenum solveret, sed sol radios suos emitteret, terra fructus, mare pisces et merces, stellæ splendorem. Hanc ergo sententiam apostolus explicans dicit : *Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* 8. 19-21). Id est : Ut vidit Deus hominem lapsum, et creaturam abnuentem servire ingrato illi, ipsam vel invitam refrenavit, jussitque solem oriri, terram ferre fructus suos, nec abnegare transgressorem licet ingratum, sed ostendere communis Domini immensum beneficium, pollicitus creaturæ, se cum homine corrupto renovatum iri : ac si diceret Deus creaturæ : Quia cecidit imago, et per transgressionem lapsa est, ac per inobedientiam corrumpitur, corrupti corruptioni servire patere; ut cum renovabo imaginem meam, hominem corruptum, cum ipso et te creaturam renovem, et ejus te gloriæ participem efficiam. In ejus miseriam detracta es, cum ejus gloria resurge. Quid est autem, frater, creaturam hominis dominum effugere? Dicit enim : *Vanitati creatura subjecta est* (*Psal.* 38. 6). Cui vanitati? Ex quo homo aversus est a Deo, id vanitas dicitur, ut ait David : *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.* Omnis homo vanus ille est, qui Deo relicto, vana persequitur.

3. (*b*) Erant itaque angeli in toto orbe, qui præfecti gentibus erant, ut testificatur Moyes dicens : *Quando dividebat Altissimus gentes, ut dispersit filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum angelorum Dei* (*Deut.* 32. 8) : id est, distribuit Deus climata orbis singulis angelis; verbi gratia, hanc commisit præfecturam uni angelo, aliam alteri; ut inanimatam naturam solis, lunæ, stellarum, terræ, marium refrenarent ad commodum mortalis hominis. Angeli porro affligebantur, quod hominibus indignis ministrarent, dolebant videntes Domini dignitatem prodi, et idola adorari : dissecabantur angeli cogitantes alium esse subministratorem, et alios quibus gratiæ agerentur. Ferebat terra vinum, et aræ libamina accipiebant : ferebat terra fructuum ubertatem, et hæc idolis offerebantur. Hæc non ferebant angeli, videntes ea, quæ non exsistebant, loco illius, qui vere est, coli. Hinc solvitur alia quæstio, quæ in propheta movetur. Venit ad illum, inquit, angelus Gabriel, *Et dicit illi : Daniel*, serve Dei, *ex qua die proposuisti affligere animam tuam coram Domino, exaudita est deprecatio tua*, et missus sum annuntiare tibi verba hæc; *sed princeps regni Persarum restitit mihi, sed Michael princeps gentis vestræ venit in auxilium* (*Dan.* 10. 12). Quis est ergo angelus, qui restitit Gabrieli, et cur ipsi restitit? Dictum vobis nuper est, fratres, Deum angelis singula climata distribuisse ad custodiam totius orbis. Sancto igitur Gabrieli misso de cælo, resistit angelus, qui præfectus fuerat regno Persarum, id est, Persidi. Quæritur autem, si ille a Deo missus est, et si Gabriel quoque a Deo missus est, cur hic illi resistit? Nam si alter missus angelus alterius dominii esset, jure illi resistebat : sin idem Deus qui ipsum ingentem illam constituerat, hunc ad prophetam misit, cur illi resistit? Diligenter attende. Erat mundus totus idololatria plenus : angeli vero qui gentibus præfecti fuerant, indignabantur et dolebant, videntes Deum despici, et idola adorari. Cum porro descendit populus captivus in Babylonem, visus est Daniel Deum prædicans, visi sunt tres pueri Deum celebrantes, quando flamma calcabatur, et impietas solvebatur : quando leones frenabantur, et infideles reprimebantur. Angelus ergo princeps regni Persarum gaudebat et exsultabat, quod in suis partibus Deus prædicaretur. Videbat angelus Chaldæos, qui aliquando ignem adorabant, et idola colebant, Deum ob patrata miracula celebrare : et gaudebat videns regionem suam, olim impietate insignem, jam ad pietatem conversam. Videbat angelus Nabuchodonosorem regem dicentem, *Sedrach, Misach, Abdenago, servi Dei altissimi* (*Dan.* 3. 93), et exsultabat. Quoniam igitur beatus Daniel Deum precabatur, ut jam impletis illis determinatis septuaginta annis, populus a captivitate revocaretur; Gabrielque missus erat declaraturus ipsi, jam populum reducendum esse a captivitate, et in terram suam, sive in Jerusalem reversurum esse : resistit Gabrieli Persici imperii angelus, dolens, quod sibi commissa terra, pietate relicta, ad impietatem reversura esset : dolebat, quod terra sua priscam idololatriam repetitura esset; et resistebat ipsi, non pugnando, sed rationem contra afferendo. Quid tantum curatis, inquiebat, populum revocare? quid enim damni passus est in captivitate? Quando in regione sua erant, idola adorabant; et postquam huc venerunt, Deum glorificant, et inde ipsi utilitatem acceperunt, et his utiles fuerunt. Quid impedit quominus in medio illorum consistant? in quo læsus est populus, ut studeatis illum a captivitate reducere? Vides Deum adoratum, gentes illuminatas, et tantum beneficium tollere contendis? Cur missus es? Missus sum, inquit, ut reducam populum in patriam suam. Quam, inquit, patriam, quam illi profanarunt cædibus, cum essent Jerosolymæ? Nonne sic illos accusabat Jeremias dicens, *Secundum numerum urbium tuarum erant dii tui, Juda, et per vicos Jerusalem immolabas Baali* (*Jer.* 2. 28. *et* 11. 13). Sexcentis tunc a Deo afficiebantur bonis, et a nequitia non recedebant; nunc sexcentis afficiuntur malis, et a Deo non recedunt. Erat ergo disceptatio, non mali cujuspiam adversus bonum; non enim dicit, Pugnabat, sed, Resistebat. Nam sæpe disceptatio est inter justum et probum. Resistit aliquando humanitas legi, et lex humanitati : lex peccantem punit, humanitas regis sæpe parcit peccanti. Hic pugna est, non adversarii in adversarium, sed affinis in affinem. Neque enim justitia extra benignitatem est, neque benignitas extra justitiam. Sed hæc carptim dicta sint; jam ad institutum revertamur. Cum ergo creatura hoc in statu esset, et indignaretur adversus transgressorem; cum angeli moleste ferrent ingratum post beneficia populum; cum totus orbis esset de tanta iniquitate afflictus (quod enim patitur arbor vel alia materia, hoc patitur terra, secundum id quod dictum est : *Et*

(*a*) Quod sequitur affert Photius, p. 1542.
(*b*) Quæ sequuntur apud Photium habes, p. 1542, sed paulum mutata.

vidit Deus terram, et erat corrupta omnis; quia corruperat omnis caro viam suam (*Gen.* 6. 12). Vidit terram, et erat corrupta): sic prophetæ mundo annuntiabant sæculum futurum erecturum esse lapsum orbem, et renovaturum esse corruptam imaginem. Ne vero quis suspicetur multos esse verborum circuitus, et sententias ultro citroque ferri: hæc quippe omnia in unam vim reducuntur. Nisi prius ostendamus, quomodo mundus corruptus fuerit, non possumus ostendere, quomodo fuerit renovatus. Erat igitur omnis terra corrupta, cœlum obscuratum, omnis creatura fœdata. Non erat creatura, qualem illam Deus fecerat ab initio; cœlum non stellis fulgebat, terra non fructibus abundabat, nec mare mercibus. Etenim transgressor intravit, qui fœdavit terram, cœlum polluit, et aerem, mare, fontes, flumina, omnia blasphemiis suis contaminavit: cœlum blasphemia, aerem fœdis vocibus, terram illicitis cædibus, mare piratis et prædonibus, fontes et fluvios nefaria idololatria. Nam fontes, fluvii, horti, arbores, et omnes creaturæ in deos conversæ fuerant: nihil autem ita creaturam fœdat, ut cum illa quasi deus colitur. Erat ergo omnis creatura fœdata. Ingreditur Servator mundi, imo potius prædicatur ab apostolis, quod venturus sit, et renovaturus omnia. Non solum autem apostoli, sed etiam prophetæ prædicebant venturum esse Christum. Quare? Ne quis putaret Deum, quasi hominem, quando de primi auxilii exitu dubitat, secundum excogitare, et quando hoc frustra cessit, tertium aggredi, hocque non operante ad quartum venire. Ne ergo quis id suspicaretur, prædixerunt prophetæ illum, qui venturus erat, ut comprobarent Deum non cogitabundum id, quod expedit, invenire, sed ab initio omnia prævidere. Nos homines deliberamus et cum in primo conatu non assequimur, ad alterum venimus. At contra Deus, dedit legem, prophetas, et postea evangelium, non tempore discens quid expediat, sed gnarus ab initio, non potuisse creaturam stare, nisi Christus adveniret. Et nos quidem homines, cum morbos videmus, tunc de remediis cogitamus: Deus autem ante vulnera naturæ nostræ, pharmacum salutis noverat (*a*). Multi dicunt, Non præsciebat Deus Adamum peccaturum esse? Dico ego, Non solum hoc sciebat, sed etiam ante transgressionem noverat Christum per incarnationem illum erecturum esse. Nec prius lapsum vidisset, nisi præscivisset resurrectionem, sed resurrectionis pharmacum præposuit, et tunc permisit hominem experiri mortem; ut disceret quibusnam per se fruatur, et quid per Deum consequatur. Ac sicut in Ægypto prius posuit annos ubertatis, ut hos ubertatis annos præmitteret in remedium famis, tunc vero famis annos induxit, et vulneri præmissum fuit medicinæ auxilium: sic priusquam Adam efformaretur, priusquam iniqui ex illo orirentur et apparerent, antequam justi ex illo nascerentur, necnon prophetæ, præsciebat Deus non posse hanc imaginem stare, nisi renovaretur a Christo. In Adamo videbat Deus Paulum, videbat Petrum. Non respiciebat Adamum in paradiso versantem, et postea expellendum; sed respiciebat in illo Paulum piam religionem prædicantem, et raptum in paradisum, et Petrum cui concreditæ sunt claves cælorum, et omnia in primo homine videbat. In radice quippe fructus erant.

4 Concedite mihi, ut paululum alloquentem Deum inducam, apostrophe utentem, et cum Filio suo colloquentem. Nec quis putet, violentiam inferri sermoni. Ut enim Deus hominem formans, consilio et cooperante usus est Unigenito (nam ait, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [*Gen.* 1. 26]); par erat ut Filius Patri diceret, Exspecta finem. Ne dicas, Hic contra Deum vaticinatur, cum non sis ibi præsens: quomodo hæc noverit? Si finis non secundum sententiam evenerit, me sycophantam judica. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Ut Creator illa loquutus est, ut qui præsciret hic respondit: Si ergo peccet Adam, et certe peccabit, an creatio nostra vituperatur? Hæc cogita vel Patrem Filio dicentem, vel Filium Patri. Eorum enim consultatio sine disceptatione est; quorum indivisibilis est substantia. Sed peccat Adam, prævaricatur, moritur, ac per illum omnes homines pereunt, nostrumque opificium ut male creatum calumniis impetitur. Rursus consilium: sed oportet ante omnia medelam definire. Oportet enim te, o mi Unigenite, o Fili Verbum, o splendor meæ gloriæ, oportet te, si tamen opificio prospicis, quod una operantes formavimus, oportet te corruptum hominem induere, oportet te apostolos assumere; ut quemadmodum diabolus serpente ministro et telo est usus ad fallaciam, sic et tu ministro opificio tuo utaris ad beneficium, et lapsum renoves. Sed multi erunt, inquit, impiorum dogmatum inventores. Exsurget enim atheus Epicureorum error: exsurget hæresis quæ dicit, vitam sine providentia duci; exsurget alia hæresis quæ dicit deum esse corpus: multi erunt erroris doctores: quis ergo hæc improba solvet? Hæc in figura dixi, ut in fine apostolica voce sententiam obsignem. Quid ergo? num hoc indumentum, quod Deus Verbum assumit? quod terminos orbis percurrere debet, et omnes illuminare? Nequaquam, inquit; sed tu mihi divinam œconomiam implebis; apostolos autem habebis divini verbi præcones; habebis Paulum prædicantem, habebis Petrum Romam occupantem, habebis apostolos œconomiæ nostræ consortes. Hæc dicebantur antequam Adam formaretur. Primo statuta fuit Christi incarnatio, et quæ ad apostolos pertinebant, et tunc formatus est Adam. Unde hoc? Audi Paulum dicentem: *Mysterium absconditum a sæculis et generationibus* (*Col.* 1. 26); et, *Benedictus Deus, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus: quemadmodum elegit nos in Christo ante constitutionem mundi, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum* (*Ephes.* 1. 3. 4). Et alibi de seipso et de sui similibus dicit: *Quos præscivit conformes fieri imagini Filii sui* (*Rom.* 8. 29). Non solum autem prædestinatus et electus est; sed et gratiam, quam accepit Paulus, post multas generationes sic enumerat, ac si accepisset illam ante sæcula. Unde hoc? Timotheo dicit: Fili Timothee, *Collabora evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit et vocavit vocatione sancta: non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia* (2. *Tim.* 1. 8. 9). Elegit ante constitutionem mundi, prædestinavit ante sæcula, gratiam dedit nobis ante sæcula. Et hæc omnia consonant et probant, ante hominis formationem, prævisam et prædeterminatam fuisse Salvatoris œconomiam. Sed scio me et pietatis amicos alloqui, interdum etiam exploratores, qui non ad prædicationis utilitatem respiciunt, sed id solum sibi proponunt, quomodo prædicantem redarguant; quorum mores non odi, sed potius misereor ipsorum. Attamen secundum apostolum, *Propter subintroductos falsos fratres, qui intrant explorantes libertatem nostram* (*Gal.* 2. 4), sententiam examinemus. Potest enim inimicus hinc egressus dicere: Magna theologia! induxit Deum deliberantem et dicentem, Cum igitur multi sint erroris doctores, quid erit? et Patrem inducit loquentem Filio, ac si hic dubitet, ille hæc doceat. Scripturæ quando nos in iis, quæ Dei sunt, instituunt, numquam verbis divinæ virtuti congruentibus utuntur, sed infirmitati nostræ aptatis. Num quando Deus humanum tribunal constituit, et dicit: *Et nunc tu homo Juda, et qui habitatis in Jerusalem, judicate inter me, et inter vineam meam, quid oportebat me facere, et non feci* (*Isai.* 5. 3. 4)? Hæc simpliciter loquentis, an consultantis sunt? Num quando dicit Isaiæ: *Quem mittam, et quis ibit ad populum hunc* (*Isai.* 6. 8)? dubitans loquitur, aut ministrum ignorans? Quæcumque dicuntur de Deo, ex ecclesiastica doctrina commetiri oportet, non cum virtute prædicantis, sed cum infirmitate audientium. Nobis autem

(*a*) Sequentia item apud Photium, p. 1546.

in scopo est, ea ostendere quæ de Christo ante Adamum decreta fuere, prælectos apostolos, et gratiam evangelii ante sæcula æterna præstitutam. Diligenter attende. Potest enim vel unum verbum neglectum sycophantiam dictis attrahere. Non modo vidit Deus in paradiso transgredientem Adamum; sed etiam Salvatorem Dominum in carne apparentem, ac virtuti viam parantem, et omnes ad obedientiam trahentem. Videbat Deus costam Adami in mulierem transformatam, et prævidebat Christi latus dona mystica nobis prolaturum esse, aquam et sanguinem: quorum illud quidem est lavacri symbolum; hoc vero, mysteriorum pignus. Nec ita miseram hanc plagam duxit, ut pharmacum cogitans beatum existimavit. Illic mulier ex viro ad iniquitatem: hic vir ex muliere ad salutem: illic latus mortis causam parit; hic latus pignus incorruptionis affert: illic serpens in ligno; hic Christus in cruce: illic cibus qui mortem advocat; hic cibus qui mortem delet. Nosti ea, quæ ad fideles pertinent; jam nosce mysteria. Illic male respexerunt, et viderunt se nudos esse: nos nunc pie respicimus, et videmus nos esse indutos: illic aspectus et nuditas, hic indumentum et illuminatio: illic pelliceæ tunicæ turpitudinem operientes; hic tunica gloriæ infirmitatem nostram obtegens, Christi corpus ipsius regis indumentum: nam *Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* 3. 27). Illic, *Terra es, et in terram reverteris* (*Gen.* 3. 19); hic renovata terra, facit hominem cælestem, non terram promittens, sed regnum. Illic gladius flammeus Adamum arcens; hic linguæ igneæ de cælo Adamum illustrantes: illic ejicitur ex paradiso; hic illi claves cælorum concreduntur. Prævidit Deus futura antequam præsentia. Ac quemadmodum hodie antequam hauriamus aquam, haustrum apparatur, et prius quam aquæ fluant, fluentum dicitur, non quod aquæ fluant, sed quod fluxuræ sint: sic Deus prædeterminavit ea, quæ in Christo formanda erant, sciebatque in Christo renovatum iri omnia. Et diu ante incipit, cælo vehitur, secundum illud: *Inclina, Domine, cælos, et descende* (*Psal.* 143. 5). Penetravit cælos, quos sanctificavit; dissecuit aerem, ut illum obscœnis cantibus fœdatum sanctificaret; calcat terram, ut illam cædibus pollutam sanctificet; calcat maris fluctus, ut pollutas sanctificet aquas; baptizatur in Jordane, ut fluviorum naturam sanctam faciat; invenit Adamum jacentem in sepulcro, et ejus imaginem subit, fitque Christus et post Adamum, et renovatio Adami: quomodo autem, audi. Assumit formam quam fecerat in paradiso; illam contrariis omnibus exornavit, dans illi viatica salutis, contraria vitæ quam duxerat in paradiso. In paradiso propter voluptatem deceptus est Adamus; caro Christi in jejunio coronatur: in paradiso primum certamen, in deserto secunda pugna cum diabolo committitur. Venit ergo Christus renovaturus hoc opificium, virtutibus omnimodis ipsum coronans, et ingreditur medius inter Deum et hominem: venit nuntiaturus mundo lapsam imaginem renovari, resurgere, servari. Non potuit hæc annuntiare, nisi ipse mediator esset. Quemadmodum enim ab eo, qui personam subit fide dignam, et quidpiam promittit, non audet subditus promissum repetere, nisi mediatorem habeat; quia invisibilis erat Deus, et mundus visibilis, dedit Deus Mediatorem fide dignum. Nam *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (1. *Tim.* 2. 5). Mediator nisi cognationem habeat inter ea, quæ medium quidpiam requirunt, non potest mediator esse. Quoniam igitur Mediator Dei et hominum est Christus, oportuit eum Deo et hominibus cognatum deprehendi, ita ut quasi quædam œconomia media appareret, Deo juncta per divinitatem, et hominibus unita per humanitatem. Ecquid facit? Quia primo docet, deinde renovat, et Mediator et Sponsor efficitur; insonat ea quæ Dei sunt hominibus, et quæ hominum sunt Deo. Quia enim inimicum Deo erat genus hominum propter transgressionem; neque homo Deo, neque Deus homini credebat circa lapsi reconciliationem, ac si diceret hominibus: Ne credere renuatis esse resurrectionem: ego hujusce rei sponsor vestram carnem assumo, illamque morti trado: nisi resuscitem illam, ne credite mihi. Sponsor est hominibus circa Deum; ac si diceret: In me hominem habes; ego renovo illum, ego id efficiam ut abneget errorem, et agnoscat veritatem: accipe me pro hominibus sponsorem, ut et ipsi me tuæ potestatis sponsorem accipiant.

5. Quod ergo mediator sit Christus, Scriptura declaravit: quod sponsor et susceptor, ubi reperimus, ne videamur ex nobis ipsis in Ecclesia loqui? Si mea loquor, qua de causa loquor? Si ea quæ Dei sunt prædico, ea quæ Spiritus sunt interpretor, doctrinam accipe meam. Quod Jesus sit sponsor, id dicit Paulus: *Nunc autem melius sortiti sumus ministerium, quanto melioris testamenti sponsor est Jesus* (*Hebr.* 8. 6. *et* 7. 22). Ecce sponsor est Dei hominibus, et hominum Deo. Dixit, se nos suscitaturum esse, et suscitat: dixit, se nos immortalitate honoraturum esse, et honorat. Cum formavit Adamum, sponsiones nullas dedit, sine sponsionibus dedit illi cælum et terram: non promisit terram, non pollicitus est paradisum, alia omnia, quæ non promiserat, dedit: et ea, quæ cum sponsione promisit, non dabit? Evangelium vocat aliquando Scriptura Testamentum Novum, aliquando melius Testamentum, aliquando secundum, nonnumquam æternum. Quia nomen unum totam vim declarare nequit, diversis nominibus Evangelii virtutem declarat. Maxime vero Paulus, qui in se loquentem habebat Christum, Evangelium vocat Novum Testamentum, utpote quod Vetus illud renovet. Illud enim novum insolitam et inaccessam naturam significat: novum dicitur ad differentiam senioris; melius dicitur ad differentiam minoris; secundum, ad discrimen primi; æternum, ad differentiam temporanei. Novum vocatur Testamentum secundum beatum Jeremiam dicentem: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, disponam vobis testamentum novum* (*Jer.* 31. 31); et Servator mysterium tradens, ait: *Hic est sanguis meus novi testamenti* (*Matth.* 26. 28). Ecce novum testamentum. Et alibi novum vocat, ob novam et vigentem prædicationem. Dicitque Paulus: *Accessimus ad montem Sion, et multa millia angelorum, et ecclesiam primogenitorum, et ad Mediatorem novi testamenti Jesum* (*Hebr.* 12. 22-24). *Cum dicit novum, veteravit prius* (*Hebr.* 8. 13). Alibi vocat ipsum melius testamentum his verbis: *Nunc autem melius sortiti sumus ministerium, quanto et melioris est testamenti Mediator. Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur* (*Ibid.* v. 6. 7). Ecce primum et secundum: ubi est æternum? Audi Paulum dicentem: *Deus autem pacis, qui eduxit de terra Pastorem ovium magnum, et in sanguine testamenti æterni* (*Hebr.* 13. 20). Quia primum testamentum temporaneum erat, hoc est æternum. Et alibi dicit: *Disponam vobis testamentum novum æternum, sancta David fidelia* (*Isai.* 55. 3). Novum testamentum, recens, primum, secundum, melius, æternum. Horum testamentorum sponsor est Jesus. Cum igitur homo renovandus est, cælum fit novum, non sublatum, sed nova creatura renovatum; sol novus, luna nova, stellæ novæ, quæ additamentum et augmentum accipiunt. Dicit enim propheta: *Erit cælum novum et terra nova* (*Ibid.* 65. 17). Ecce renovatur creatura, nec mentitur is qui promisit. Quantum accipit augmentum homo, tantum accipiunt elementa. Unde hoc? Dicit Isaias: *Erit enim lux solis septuplex, et lux lunæ ut sol* (*Ibid.* 30. 26). Vidisti, quomodo Deus promissa non negaverit, sed creaturam renovaverit? Princeps autem renovationis est Christus. Hanc intuentes sententiam hæretici, objiciunt illud: *Primogenitus omnis creaturæ* (*Col.* 1. 15); non intelligentes, hic non de creatura facta sermonem haberi, sed de creatura renovata. Quænam est illa creatura renovata (*a*)? Audi Paulum dicentem: Si

(*a*) Quod sequitur apud Photium reperitur, p. 1549.

qua in Christo nova creatura (2. *Cor.* 5. 17). Et ut ostendat, ipsum primogenitum dici creaturæ renovatæ, subjungit : *Primogenitus ex mortuis ; ut sit in omnibus primatum tenens* (*Col.* 1. 18), eorum qui renovantur, qui in incorruptionem vocantur, qui a mortuis suscitantur. *Ut sit in omnibus primatum tenens;* non secundum deitatem (contumelia enim esset Deo vocari primus ; contumelia id esset, quod habetur honori. Nam in divina et increata natura non est primum aut secundum, sed omnia principium habent vivens, principium sine principio, principium æternum, incomprehensibile, ineffabile : in iis vero, quæ ad nos spectant, si in comparatione Pauli vel Petri primas tenet Christus, vana est spes nostra, inanis fides nostra, si in divinitate primas tenet apud illos) ; sed primas tenet in humanitate, utpote qui Adamum renovaverit, utpote qui orbem vivificaverit. Ideo dicit, *Primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus primatum tenens.* Et quomodo sit primogenitus ex mortuis, quæso, inquiramus. Nam si rem sine examine prætermittam, animus hæc studiose explorans sua opponit, quæ prævalida esse putat. Quomodo primogenitus mortuorum est Christus, inquit, cum ante adventum ejus Elias filium viduæ suscitaverit (3. *Reg.* 17. 21), Elisæus filium Sunamitidis (4. *Reg.* 4. 34) ; ipseque Servator suscitaverit Lazarum, Jairi filiam, viduæ filium (*Joan.* 11. 39. *Marc.* 5. 22. *Luc.* 7. 12)? Si ergo et in vetere et in nova lege mortui suscitati sunt, quomodo Christus est primogenitus mortuorum? Quid igitur? Illi etsi ante Christum suscitati sint, at rursus omnes mortui sunt, postquam quasi gustum resurrectionis dedissent : sed Christus postquam surrexit, non ultra in mortem incidit ; et ideo princeps, quia resurrexit non ultra moriturus, dicitque Paulus : *Christus* enim *resurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* 6. 9). Viden' eum, qui in omnibus primatum habet? viden' eum, qui per œconomiam suam genus nostrum renovavit? Sic in fine abstractum hominem in cælum adduxit, et locavit sedentem a dextris Dei. O improbum et stultum cor nostrum! Venit Christus ad nos, dedit nobis spiritum suum, et corpus nostrum assumpsit, commutatio facta est, ingratusque animus beneficium contumelia repensat? Assumpsit formam nostram, et locavit sedentem a dextris Dei : nos accepimus ejus spiritum, et contumelia affecimus eum, in creaturæ et servitutis ordinem ipsum deducentes? O miser et miserabilis, si tibi dixerit Christus in illa die : Ego corpus tuum immortalitate honoravi, et tu spiritum meum in creaturæ naturam detraxisti? Vidisti mortuum suscitatum, vidisti eum ejusdem throni consortem, vidisti supra omnem principatum et potestatem atque dominationem, nec te pudet? Nostra Deus honorat, et quæ ipsius sunt nos non honoramus?

6. Sed scio, hæreticam pravitatem contra veritatem pugnare ; scio, inquit, corpus illud assumptum fuisse in cælos ; sed non tantum ut honoretur, verum ut sursum advocatum habeamus, qui Deum precetur pro nobis. Ideo impudentes linguæ, et ignorantes animi in foro dicebant, sancta traducentes, Nescio quomodo. Dictum enim blasphemum non refero, sed sensum referam. Tu, inquit, Christe, precare Deum pro nobis, pro nobis supplica ; et dictum ab apostolo mutuantur, cujus sensum non didicerunt. Annon dixit, inquiunt, apostolus, *Christus qui mortuus est, imo qui surrexit, qui est in dextera Dei, qui interpellat pro nobis* (*Rom.* 8. 34) ? Num finximus, inquiunt, num calumnia adversus divina usi sumus? Paulus dixit, Christum interpellare pro nobis. Quid sit interpellatio non attenditur : multum enim discriminis est supplicationem inter et interpellationem. Si idipsum esset interpellare et supplicare, non dixisset Paulus : *Volo vos facere precationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones* (1. *Tim.* 2. 1). (*a*) Supplicatio dicitur, cum quis Deum rogat aliquid ; oratio dicitur, cum quis [illegible] actio, cum quis [illegible] tio, quando quis [illegible] advocat ad [illegible] sit supplicare, sed [illegible] testificatur Vetus T[illegible] Deus ad Eliam prophetam [illegible] 19. 13. 14)? Interrog.: [illegible] propheta : *Zelo zelatus sum* [illegible] *dereliquerunt te filii Israel :* [illegible] *prophetas tuos occiderunt gladio,* [illegible] *solus, et quærunt animam meam.* [illegible] catio, non oratio ; sed [illegible] facta est interpellatio. Quomodo autem, [illegible] dicentem : *Annon legistis in Elia propheta quid dicat Scriptura, quomodo interpellat Deum adversus Israel* (*Rom.* 11. 2) ? Interpellatio itaque non est supplicatio ; sed ira violenta prophetæ, qui [illegible] annuntiat. Quoniam igitur apostoli apud gentes [illegible] clitabantur a principibus et præfectis rapti, a [illegible] dæis insidiis impetiti, illos apostolus hortatur ad omnia despicienda, persequutiones, ærumnas, mortem ipsam, ac quasi consolans illos dicit : Etiamsi vos nihil dixeritis adversus eos, qui vos injuste lædunt, est qui pro vobis interpellet, ille nempe qui vestram accepit formam. *Quis accusabit electos Dei ? Deus qui justificat ; quis est qui condemnet ? Christus qui mortuus est, imo qui resurrexit, qui est a dextris Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (*Rom.* 8. 33. 34). Si interpellat, quomodo sedet? annon is qui interpellat, stans interpellat? vidistine quempiam serviliter interpellantem, et ad dexteram principis sedentem? Verum ideo dignitatem ejus præmittit dicens, *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis ;* ac si diceret : Num opus est ut solliciti sitis circa rem istam? Tu virtutis prædicationi animum adhibe : ne te alio avertas, neve dicas : Domine, quanta patimur! pellimur, persequutionem patimur : illic adest qui loquatur, qui interpellet. Interpellat vero Patrem Filius, non quod ordine sit inferior, sed ut Filius Patri res proponens : Qui credunt in nos, injuria afficiuntur, persequutionem patiuntur, pelluntur. Ut fide dignam accusationem parêt, inducit Filium interpellantem. Sic et Servator dicit : *An putatis quia ego accusaturus sum vos ? Est qui accusat vos Moyses, in quem vos speratis* (*Joan.* 5. 45). Minor est secundum te Filius, utpote qui Patrem interpellet? Si ergo videris Deum, qui hominem interpellet contra infideles, quid facies? Audi Dominum Jeremiæ dicentem : *Vidisti quid fecerit mihi insipiens filia Juda* (*Jer.* 3. 6)? Dereliquit me et ivit post deos. Esto : homo interpellet Deum ; cur Deus hominem? Et alibi : *Et nunc, tu homo Juda, et habitantes Jerusalem, judicate inter me, et inter vineam meam : quid oportebat me facere, et non feci* (*Isai.* 5. 3. 4)? Sic Christus donec in carne œconomiam implebat, et sacerdos erat, et precationes offerebat, orabatque Patrem secundum carnalem œconomiam : ex quo autem in cælos ascendit, sedet tantum in gloria, non supplicans, non interpellans ; sed si interpellat, certe ut patrem filius, quandoquidem et Deus prophetam interpellat. Ideo Paulus, ut ostendat Christum non ut Sacerdotem stare sursum offerentem pro se et pro populo, sed sedere, dicit : *Talem enim nos decebat habere Sacerdotem, qui sedet in dextera magnitudinis in excelsis supra omnem principatum et potestatem, qui non habet necessitatem quotidie sicut sacerdos offerre pro suis et populi ignorantiis : hoc enim fecit semel semetipsum offerendo* (*Hebr.* 7. 26. 27. *et* 8. 1). Cur ergo contra pietatem insaniunt, si non habuit necessitatem? Tu necessitati subjicis omni necessitate superiorem? Rursum addit Paulus : *Non enim in manufacta sancta intravit Christus, exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, ut appareat vultui Dei pro nobis* (*Hebr.* 9. 24). Non dixit, Ut omnino appareat : semel enim apparuit, non pluries. Et rursum : *Neque ut sæpe offerat semetipsum, ut sacerdos qui semel in anno intrat in sancta sanctorum.* *nunc vero*

(*a*) Sequentia leguntur apud Photium, p. 1452.

Christus ad destitutionem peccati semel per sacrificium suum apparuit (*Hebr.* 9. 25. 26). Et alii quidem sacerdotes quotidie stant ministrantes, et eadem sacrificia offerentes : Christus autem uno pro peccatis oblato sacrificio, in perpetuum sedet, exspectans donec ponantur inimici sub pedibus ejus. Num interpellat demum ? Sedet : cur beneficium contumelia afficis ?

7. Sed video me longius processisse. Verum ignoscite mihi in profundum ingresso, qui Spiritus sancti virtute potui sanctarum Scripturarum pelagus transnatare, non pro rei dignitate, sed quantum vires tulerunt. Illud vero præ omnibus oro et precor, ac precandi finem non faciam : Scripturas scrutare, veritatem quære, a Christo quæ Christi sunt edisce : ne te tradas hæreticæ improbitati. Multos habet hodie diabolus serpentes loco illius antiqui serpentis : zizania peccati seminat, ut impietatis corruptionem demetat. Ne, quæso, audiamus : avertamus aures ab hæretica improbitate. Hæc me jam vobis dixisse scio, sed iterum dico. Cujusvis hæresis noti sunt principes : ab Ario Ariani, a Macedonio Macedoniani, ab Eunomio Eunomiani, a Marcione Marcionistæ, a Sabellio Sabelliani, a Manete Manichæi, a Montano Montanistæ, et sic reliquæ hæreses. Si fides Ecclesiæ sit hæretica, dicant hæretici, quis ejus princeps fuit ; dicant, Ab hoc homine incepit hæresis vestra : dicant, si noverint. Vide namque Dei bonitatem : non permisit apostolorum doctrinæ hominis nomen imponi : non vocamur Macedoniani ; sed etiamsi nos dicant homousiastas, non cujuspiam nomen proferunt, sed fidei consensum ostendunt, si ergo interrogaveris illos, Quis primus dixit, ὁμοούσιον, sive consubstantialem ; non possunt dicere, Hic vel ille ; sed trecenti octodecim Patres, in concordem unam vocem erumpentes, in pia confessione consenserunt. Animadverte, quomodo hæc virtutis confessio splendeat. Vocem ὁμοούσιου non cœpit unus, vel alter proferre, sed tota synodus Orientis, Occidentis, Meridiei et Septentrionis. Ubi namque veritas sese prodit, omnia consentiunt. Interroga hæreticum circa ea quæ dicturus sum. Si interroges orthodoxum, sive idiotam, sive imperitum, hæc dicit : Confiteor Patrem, Filium et Spiritum sanctum, unum regnum, unam potentiam. Dic hæreticis duobus vel tribus, Quid sentitis ? Si easdem proferant voces, vera dicunt. Alius increatum dicit, alius genitum, alius immortalem, hic æternum. Si resurgat alius, dicit : Ego novi Patrem fecisse Filium, Filium vero cætera. Hinc alius hunc emendat dicens : non ita res est, sed Pater fecit Filium ; per Filium vero omnia condidit. Ubi namque non est veritas, sed corruptum vestimentum, scinditur : ac quemadmodum, fratres, indumentum vetus si trahas, scinditur ; et si per vestem quempiam traxeris ad colloquium, corrupta vestis deprehenditur, et quavis occasione scinditur : hujusmodi sunt hæreses ; alius hoc, alius illud confitetur. Hæreses extraneæ, nomina extranea, et hæc probrosa, cauponum nomina. Id accidit hæreticis, quod accidit olim Judæis. Lucerna sancta sub lege erat intra sancta sanctorum, ubi erant velum, ubi mensa, ubi lex, ubi tabulæ : ex quo a veritate exciderunt, ubi statuitur lucerna ? In vestibulis cauponum. Ubi cornu prophetarum ? In tabernis. Et hæc faciunt, non ex amore, sed ad quæstum : non ut ostendant lucernam honoratam ; sed ut prætereuntes advocent, ut monstrent esse Judaicum vinum. Sicut igitur illic ex sanctitate in tantam delapsa sunt vilitatem sancta illa ab indignis possessa : sic etiam hic a Paulo et Petro, ab illo culmine (me pudet dicere, vereor turpitudinis nomen, licet verum sit, dicere erubesco, et tamen proferre cogor) post vocem illam, *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* 16. 18) ; postquam dixit Paulus : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christi* (2. *Cor.* 13. 3) ? a Petro et Paulo, ab evangelistis, præconibus et confessoribus, Psathyriani alii quidam vocantur (*a*). Quando in habitu manserunt ; quando non discerptum est inveteratum illorum vestimentum ? Sed cum dixero circa illos prophetæ verba, finem loquendi faciam. *Dissecti sunt, nec compuncti* (*Psal.* 34. 16). Hic vero tunica Ecclesiæ contexta per totum, nec consuta. Quid est, contexta ? Quia multa sunt quæ conglutinantur ; hæc vero tunica non conglutinata erat a ratiociniis, sed desuper est contexta per totum, nec consuta : non ratiocinia humana fidem nostram consuerunt, sed sanam habemus tunicam. Promissum complevimus, magnum certe, perplexum, et speculatione subtile. Agnoscat autem auditor simplicia sensa simplicibus verbis expediri, profunda autem multa opus habere varietate. Cum videris adumbratum dictum, mentem erige ; cum videris cogitatum subtile, mentem ad varietatem compone. Multa Dei sensa brevia sunt ; ut, *Non occides, non mœchaberis, non furaberis, non falsum testimonium dices* (*Exod.* 20. 13-16). Cum ergo dicit, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* 1. 14) ; et postea, *In terra visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* 3. 38) ; varium est vestimentum, secundum dictum illud, *Multiformis sapientia Dei* (*Ephes.* 3. 10). In his omnibus glorificemus eum, qui apparuit, adoremus eum, qui venit, hymnis celebremus eum, qui renovavit et vivificavit, eum, qui suscitavit, qui munivit, qui illuminavit, qui nobis omnium bonorum copiam largitus est Jesum Christum, cui gloria et imperium una cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) De Psathyrianis vide Scriptores Ecclesiasticos, Socratem, Sozomenum et Theodoretum. Quinam hi essent pluribus explicat Socrates lib. 5, cap. 23. Orto, inquit, illo inter Arianos dissidio : aliis dicentibus, Patrem etiam antequam Filium generaret, Patrem fuisse ; aliis contra pugnantibus ; hi postremi Psathyriani vocati sunt, quia quidam Theoctistus Syrus psathyropola, id est, placentarum venditor, hujusce dogmatis acerrimus propugnator erat. Hinc est quod anonymus hic supra dixerit illos e caupona nomen accepisse.

ADMONITIO

AD SEQUENTEM ORATIONEM.

Hunc brevissimum sermonem inter spuria edidit Savilius, et jure quidem ; nam hic orator sese prodit ab illa sancti doctoris elegantia longe alienum. Ornamenta quædam sectatur, sed, ut mihi quidem videtur, nonnumquam puerilia, ut cum initio et fine ludit in nomine *Stephanus*, id est corona ; qui ludi in tam brevi concione ineptiores videantur.

IN S. STEPHANUM PRIMUM MARTYREM.

Omnes quidem martyrum agones gloriosi sunt, et ubique celebrantur justorum certamina ; sed ubi conspicuum illud Stephani primi martyris stadium in medium agitur, ibi vel muta lingua ad laudes excita-

tur. Quem enim ad laudes prædicandas non evocet beatus ille Stephanus, cujus solum nomen *corona* dignitatem significat, ac qui vel ipso nomine victoriæ honorem prius adeptus erat? Itaque vel ipsum nomen pugnam, victoriam honoremque martyris prædicat. Stephanus in certamine prior, in laudibus prior, in laudibus præcellit qui Domini vestigia sequutus est, et certantium primus fuit. Hunc enim priorem Servator, agricola salutaris, martyrem paravit : hunc mors Christi statim vel ad mortem ipsam despiciendam induxit : huic Domini latus id conciliavit, ut proprium sanguinem effunderet. Nam quæ sciebat Dominum pro servis esse passum, ea ille pro Domino passus est : nullum exspectavit tempus, nullum præeuntem vidit, nullum certamen conspexerat. Quia enim institutum suum esse ostendit, ut Dominum sequeretur, et cum ipso certaret, et simili obire modo constituit, ut discipulus magistri ordinem servans. Et vide mihi beatum illum operibus et verbis Magistrum imitantem. Servatorem gloria affecit vis signorum : in hoc quoque laudatur martyris gratia. Nam, inquit, *Stephanus plenus gratia et virtute, faciebat prodigia et signa in populo* (*Act.* 6. 8). Dominus docens admirationi habetur, martyr concionans laudatur. Orsus enim a visione Abrahæ, et cum ordine cætera præcurrens, et personas et res insigniores commemorat, inducitque prophetiam de Christo, ac Judæos exhibet semper Deum ad iram concitantes. Sed quemadmodum Christus Pharisæos semper contradicentes habuit, sic et martyr ex synagoga coactos adversarios : *Surrexerunt* enim, inquit, *quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum et Cyrenensium et Alexandrinorum, et eorum qui erant ex Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiæ et spiritui, quo loquebatur* (*Ibid. v.* 9. 10). Accusabatur circa templum Dominus : hac quoque de re calumniis impetitur martyr. Nam aiunt : *Hic homo non cessat loqui verba contra hunc sanctum locum et contra legem* (*Ibid. v.* 13). Extra urbem crucifigitur Dominus ; extra urbem martyr lapidatur. *Ejicientes* enim *eum extra civitatem lapidabant* (*Ibid. v.* 7. 59). Judæi Christum crucifigunt, Judæi Stephanum lapidant. Veniam concedit Dominus crucifixus : *Pater*, inquit, *dimitte illis hoc peccatum : non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* 23. 34). Similiter pro illis rogat martyr. *Positis* enim, inquit, *genibus, oravit, dicens : Domine Jesu Christe, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* 7. 59). Neque verbis neque operibus Dominum sequi martyr cessavit, sed et injuriarum tolerantiam et patientiæ virtutem exhibuit : quapropter hac divina visione oignatur. *Respiciens* enim, inquit, *in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Patris* (*Act.* 7. 55). Magnum est hoc certaminum stadium. Nam athleta in terra pugnat, et agonotheta de cœlis respicit : hic decertat et hic pugnat, ille desuper pugnanti stans auxiliatur. Non enim sedentem, sed stantem videt Servatorem. O quanta dignationis gratia ! Stat Dominus pugnante martyre. Agonothetæ forma et situs, agonum magnitudinem significat. Tunc enim agonothetæ e solio surgunt, cum ardentius decertatur : tunc athletarum virtus dignoscitur, cum debitus honor redditur. Hic vero a Servatore exhibitus honor est, ita ut præ angelis martyr honoretur. *Respiciens*, inquit, *in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei.* Vidit invisibilem non modo locum et gloriam, sed etiam ipsum desideratum, ubi non audet angelorum exercitus intueri. Ibi oculis martyr perspicit, ubi Cherubini illas puras facies obtegunt, et Seraphini non audent illam immensam celsitudinem obtueri. In hac ergo re angelis superior visus est, potestatibus excelsior, thronis et dominationibus superior. Illum enim attraxit vox Domini, quæ prius dixerat : *Ubi sum ego, illic et minister meus erit* (*Joan.* 12. 26). Primus ergo fuit Servatoris diaconus, ut primus in certamine martyr. Quodque hac in re singulare est, non igne, non ferro, non bestiis, non aliis cruciatibus justus hic martyrium subiit ; sed solo lapidum jactu. Oportebat lapidibus tantum ornari Stephanum, seu coronam, et ex lapidum accessione veritatis gratiam accipere. Nam velut in aureum corpus injecti sunt lapides, maxime vero in caput, quod undique sanguine circumfluebat. Hoc ergo videntes multi, martyres effecti sunt. Desiderabilis ergo certantibus Stephanus, seu corona, quæ et honorem affert et certandi modum docet : nam in propriis certaminibus dux est, et nomine suo adhortatur. Quare vel ex ipsis rebus ante Paulum clamat : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (1. *Cor.* 11. 1). Et verbo, inquit, et vita, et morte omnium Dominum sequutus sum. Venite vos, hæc singula mecum imitamini, præclare mecum agentes : res fieri potest, et est volentibus utilis. Testis ego sum, qui primus post Dominum decertavi, et primus in cœlo occulta vidi. Vidi enim ad dexteram Patris Jesum stantem ; illudque reipsa conspexi : *Dixit Dominus Domino meo. Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* 109. 1. 2) : ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN HOMILIAM SEQUENTEM.

Puerilis eloquentiæ specimen exhibet hic quisquis sit orator, atque in brevissimo opusculo mirum quantum verba inutiliter multiplicat.

IN MEDIAM HEBDOMADAM JEJUNIORUM.

Benedictus Deus, qui nobis pugnantibus hanc gratiam dedit, ut videremus dimidium jejunii et certaminis ad temperantiam instituti. Ecce enim ad januas stamus medii jejuniorum agonis : ecce adest dimidium jejuniorum. Age ergo, agonothetæ Christo fidentes, secunda jejunii certamina aggrediamur. Jam per Domini gratiam ad dimidium scalæ ad cælos ducentis pervenimus : absumamus etiam peccata, non dimidia solum, sed omnia. Jam propius accessimus ad præmia : maneamus ergo in stadio. Jam fulgent certaminis ad temperantiam suscepti mercedes, splendent athleticorum sudorum coronæ, cælitus prostant agonum præmia, quæ agonotheta Christus daturus est certantibus, si victores sint. Ille nos de cælo roborat ad perseverandum in jejunio, et de cælo promittit se jejunii athletis charismata daturum. Ne itaque segnes simus ad certamina, ut perveniamus ad illam pro jejunio coronatorum civitatem. Cælum namque circumeunt jejunii alumni ; angelorum imitatores cælum suscipit ; jejunantium enim vita cælestis est. Jejunium namque homines a terra in cælum transfert, in angelorumque ordinem adducit, facilem a terra in cælum transitum reddit, et ante cælestem Regem sistit, immortaliumque bonorum usumfructum suppeditat. Stupendum enim est, fratres, certaminis nostri miraculum. Pueri enim cum viris unguntur ad pu-

gnam, mulieres cum viris concertant, infirma feminea natura in pugna viriliter agit. Liberum est volentibus jejunii stadium. Christus enim copiosus præmiorum largitor sedet. Festinemus ad medium jejunii certamen: nemo hoc spirituale certamen deturpet, nemo ordinem deserat in spiritualibus hisce certaminibus. Inimicus enim ferociam demisit, magna pars certaminis sublata est, ex Dei judicio devictus est inimicus, in servitutem redactus est, depulsus est per jejunium, a ridentibus puerulis humi dejectus est, epitaphioque turpi in opprobrium ab ipsis donatus. Nemo igitur titubet, dilecti, in medium jejuniorum progressus; nemo segniter agat in mediis certaminibus: nostra enim generositas illius excidium est. Si quis ignave pugnet, illi vires addit: si quis remisse decertet, illum roborat. Strenue itaque stemus in certamine, ut inimicus gravius cadat. Ciborum desiderium fugiamus, paululum perseveremus, ut immortalem gratiam accipiamus. Comedit Adam, et morte damnatus est: jejunavit Elias, et illi cæli claves concreditæ sunt: bibit Noe, et mente mutatus est: temperanter egit Enoch, et ab angelis translatus est: satiatus est Pharao, et in mari cum curribus demersus est: jejunavit Moyses, et mare trajecit, novosque muros ex fluida aquarum natura construxit, et per novam terram populum deducens, sicco pede per mare transmisit. Illicitum cibum Eva comedit, et omnes ex illa oriundi morti traduntur: qui autem ex Maria natus est Dominus a cibo etiam legitimo abstinuit, et omnes a mortis damnatione liberavit. Paradisi lignum gustus et alimentum mortis erat. *In quacumque die* dicit Deus, *comederitis ex eo, morte moriemini* (*Gen.* 2. 17). Fuga mortis erat crucis lignum; inde namque scaturivit immortalis vita. A cruce in paradisum latro pertransivit, mortemque cum vita commutavit. Fructus invidiæ fuit comestio illa de ligno in paradiso posito, et invidiam sustulit fructus crucis communicatio. Si jejunasset Adam, non morte damnatus fuisset, non ab omni labore vacua voluptate ejectus, non corruptioni subjectus fuisset: ait quippe divina Scriptura: *Deus hominem creavit ad incorruptionem; invidia autem diaboli mors intravit in mundum* (*Sap.* 2. 23. 24). Sed venit Christus, *Pax nostra, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitiam in carne sua* (*Ephes.* 2. 14), *rescriptum peccati cruci affixit, abrogans chirographum mortis contra nos scriptum* (*Col.* 2. 14). Clamat vero Paulus: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* (*Gal.* 3. 13). Pro viribus ergo Benefactori vicem reddamus, dilecti; exiguis obolis colamus eum, qui dives est in misericordia. Dominus noster pro nobis crucifixus est; nos vero pauperem alamus, qui ad ejus imaginem creatus est: ille in morte versatus est, ut nos a morte liberaret; nos propter ipsum exiguis obolis ab exitiosa fame congeneres nostros eruamus. Ipse namque, ipse est, qui per pauperes id quod erogatur, accipit. Ne prætercurras, o homo, cum manum extendit pauper, respiciens ad Dominum, quem per ipsum excipis; sed sit tibi manus pauperis, thuribulum in foro positum. Loco enim ignis carbones famis habet se consumentes. Incensi itaque loco injiciamus obolos duos, et bono odore cælum repleamus, ut de cælis audiamus Christum clamantem: *In quantum fecistis uni ex his minimis, mihi fecisti* (*Matth.* 25. 40): ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum.

ADMONITIO

IN ORATIONEM SEQUENTEM.

Græculi cujuspiam est hic sermo, qui Joannis Chrysostomi nomen ipsi præposuit ut merces suas venditaret. Tam inficetum opusculum edere ne cogitassemus quidem, nisi Savilius prior edidisset.

IN RAMOS PALMARUM.

1. Ex miraculis in miracula Domini gradiamur, fratres, et eamus quasi de virtute in virtutem. Sicut enim in catena aurea annulis alio alii insertis constante, unus alii copulatur, et singuli inseruntur alter in alterum successive: sic sanctorum Evangeliorum miracula mutuo et successive copulata, Ecclesiam Dei celebritatis amantem deducunt et lætificant, non cibo qui perit, sed cibo manenti in vitam æternam. Age ergo, et nos, dilecti, in præparatione cordis et attentis auribus audiamus quid loquatur nobis Dominus Deus in prophetis et evangeliis de hac divinissima festivitate. *Loquetur* sane *pacem super populum suum, et super sanctos suos, et in eos, qui cor suum convertunt ad ipsum* (*Psal.* 84. 9). Hodie propheticæ tubæ orbem excitarunt, et Ecclesias Domini ubique lætas reddiderunt et coronarunt, atque dum ex stadio sacrorum jejuniorum, exque illa palæstra adversus vitia fideles excipiunt, triumphale canticum novumque pacis spectaculum victori Christo canere docuerunt. Venite ergo omnes, exsultemus Domino: venite omnes gentes, plaudamus manibus, jubilemus Deo Servatori nostro in voce exsultationis. Nemo sit gaudio vacuus, nemo vocatione privetur; quia semen inobsequentium in perniciem ivit: nemo ingratus sit circa Regis occursum, ne thalamo excludatur: nemo apud nos sit tristis vel mœstus in illo excipiendo, ne cum improbis civibus damnetur. Cives autem illos dico, qui nolunt dominum Regem in se recipere. Omnes læti una curramus, omnes alacriter excipiamus, et ornatissime festum celebremus. Pro vestimentis corda nostra expandamus ante illum; in psalmis et hymnis et gratiarum actionibus ad ipsum contendamus; et illud, *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* 21. 9. *Luc.* 19. 38), indesinenter clamemus. Nam qui benedicunt ipsi, benedicti sunt; et qui maledicunt, maledicti. Rursum dico, nec finem faciam adhortandi ad bonum: benedictum benedicamus, ut ab illo benedicamur. Omnis ætas et dignitas ad Domini laudes invitatur; *Reges terræ, et omnes populi, principes et omnes judices terræ, juvenes et virgines* (*Psal.* 148. 11). Et quod est in hoc miraculo novum, teneræ et nequitiæ experti infantium et lactentium ætati primas dedit, ut incipiant Domino in confessione, illud a Deo datum canticum canere, ut olim Moyses populo egresso ex Ægypto: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hodie admodum gaudet beatus David, quod infantes citharam ipsi subripuerint; cum quibus spiritu choreas et convivia agens, ut olim ante arcam Dei, cum illis placide modulatur, et balbutit, illud proferens, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Cui dicemus: Tu nobis propheta dicito, Quis est hic, qui venit in nomine Domini? Non mea, inquiet, est doctrina: nam id hodie infantibus deputatum est ab eo, qui ex ore infantium et lactentium perfecit laudem, ut destruat inimicum et ultorem; *Ut per hoc miraculum convertantur corda patrum in filios, et incredulorum ad prudentiam justorum* (*Luc.* 1. 17). Dicite, o pueri, unde vobis hodie hoc pul-

ebrum et gratiosum certamen et canticum? quis vos doctor instituit? quis vos congregavit? ubi sunt tabulæ? qui pædagogi? Nos et convivii et modulationis consortes efficite; et ea discetis, quæ Moyses et reliqui prophetæ concupiscebant. Quia igitur invitati sumus, et infantes nobiscum dexteras junxerunt; huc accedite, carissimi, et nos cum studio hanc divinam choream adeamus, et cum apostolis illum comitemur in via, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem, et qui, ut ipse voluit, subjugali vehitur in terra. Cum infantibus ramos tollamus, et ramis plaudamus, ut et nos Spiritus sanctus inspiret, et cum debito ordine divinum illud emittamus canticum: *Benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna in excelsis.* Hodie patriarcha Jacob in spiritu festum celebrat, videns prophetiam suam ad opus deductam, et eum, qui ligat ad vitem pullum suum, pullo vectum (*Gen.* 49. 11): ac cum fidelibus in spiritu adorat. Hodie pullus præparatur, id est, irrationabiles gentiles olim exemplar irrationabile; ut ostendatur obedientia novi populi ex gentibus conversi; infantesque significant horum in Dei cognitione infantiam. Hodie Rex gloriæ in terra prophetice glorificatur, et cælestis convivii consortes terrigenas exhibet, ut ostendat se esse utriusque, et cæli et terræ Dominum, utpote qui in utroque cum Patre et Spiritu sancto concordissime celebretur. Ideo superni illi salutem in terra partam significantes psallebant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth: plena est omnis terra gloria ejus* (*Isai.* 6. 3); qui vero in terra erant cum cælesti lætitia simul festum agentes, clamant, *Hosanna in excelsis, hosanna filio David* (*Matth.* 21. 9). Et alii glorificabant, *Benedicta gloria Domini de loco suo* (*Ezech.* 3. 12); alii vero theologice dicebant, *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

2. Dum hæc ita fierent, et discipuli choreas agerent circa omnes quas viderant virtutes, et dicerent, *Benedictus qui venit in nomine Domini; in excelsis gloria, et in terra pax* (*Luc.* 2. 14); civitas commovebatur dicens: *Quis est hic* (*Matth.* 21. 10)? ut ex cæcitate invidiam contra Domini gloriam concitaret. Civitatem cum audis, veterem illam synagogæ inconditam turbam intellige. Ingrati illi interrogant, *Quis est hic?* ac si nondum vidissent Benefactorem divinis miraculis celebrem. Non enim comprehendebant tenebræ lucem in adyto fulgentem. Quamobrem directe ad illos jam olim exclamaverat Isaias, dicens: *Audite surdi, et cæci visum recipite. Et quis cæcus, nisi filii mei? et qui surdi, nisi qui dominantur eorum? et occæcati sunt servi Dei. Vidistis sæpe, et non observastis: apertis auribus non audistis* (*Isai.* 42. 18 - 20). Videtis, fratres, verborum accurationem? quomodo perspicax ille divinus Spiritus per sanctos suos sicut præsentia futura prædicat? Videbant enim ingrati, et per signa miraculorum patratorem Deum quasi manibus tangebant, et in incredulitate manserunt: viderant cæcum natum, visum recepisse et Dominum prædicavisse: viderant paralyticum, qui in hac infirmitate vitam contriverat solo jussu a morbo sanatum: viderant Lazarum a morte effugisse: audierant deambulationem supra mare, vinum datum sine vitis cultu, panes sine labore suppeditatos, dæmonas pulsos, ægros sanatos: ipsorum plateæ virtutes ejus prædicabant, viæ curationes viatoribus nuntiabant: tota Judæa beneficiis repleta erat, et nunc interrogant, *Quis est hic* (*Matth.* 21. 11)? O insaniam eorum qui falso doctores appellantur! o pervicaces patres! o stulti seniores! o semen Chanaanis impudentis, non autem Judæ pii! Pueri Creatorem agnoverunt, et pervicaces patres dicebant, *Quis est hic?* Juvenilis ætas Deum celebravit, et inveterati dierum malorum interrogabant, *Quis est hic?* Lactentes theologice loquuntur, et seniores blasphemant? pueri pie laudibus sacra peragunt, et exsecrandi sacerdotes impie indignantur? O increduli in prudentia justorum: convertite corda vestra ad filios vestros, discite Dei mysteria. Idipsum quod perficitur, testificatur Deum esse illum, qui a non edoctis linguis ita celebratur. *Scrutamini Scripturas* (*Joan.* 5. 39), ut audistis a Domino, quia ipsæ sunt quæ testificantur de illo, nec ignoratis miraculum. Audite, ingrati, quid annuntiet vobis Zacharias propheta; ait enim: *Gaude multum, filia Sion: ecce Rex tuus venit tibi justus et insidens super pullum asinæ* (*Zach.* 9. 9). Cur gaudium excutitis? cur fulgente sole, tenebras diligitis? cur contra inexpugnabilem pacem bellum meditamini? Si itaque filii Sion estis, cum filiis vestris choreas agite: gaudii occasio sit vobis filiorum pietas. Ab illo discite, quis docuit, quis collegit, a quo doctrina prodeat, quæ sit nova theologia, et vetus prophetia. Quod si nullus homo eorum quidpiam docuit, sed ex se et sponte sua laudem modulantur, agnoscite Dei opus esse, ut in lege scriptum est: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Psal.* 8. 3). Duplicate ergo gaudium, quia talium estis patres filiorum, qui a Deo docti ea celebrarunt, quæ a senioribus ignorabantur. Convertite ergo corda vestra ad filios vestros, et ne claudatis oculos vestros ad veritatem. Quod si vos estis, qui audientes non auditis, et videntes non videtis (*Matth.* 13. 13), et frustra disputatis cum infantibus, ipsi judices vestri erunt, secundum Servatoris dictum (*Id.* 12. 27). Ere igitur et hoc cum aliis de vobis prædixit Isaias propheta, dicens: *Non nunc pudore afficietur Jacob, neque nunc vultum mutabit: sed cum viderint filii ipsorum opera mea, per me sanctificabunt sanctum Jacob, et Deum Israel timebunt: et cognoscent ii, qui spiritu errant, intelligentiam, et qui murmurant, discent obedire, et linguæ balbutientes discent loqui pacem* (*Isai.* 29. 22 - 24). Vides, insane Judæe, quomodo a sermonis exordio pudorem vobis annuntiet Propheta, ob incredulitatem vestram? Saltem ab ipso discite, quomodo filiorum vestrorum canticum a Deo traditum prædicet; sicut beatus David prænuntiavit, dicens: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.* Aut igitur filiorum vestrorum sanctitatem, ut par est, assumite, aut pie nobis filios vestros concedite. Nos cum ipsis choreas agamus, et festum celebremus, atque nova lingua a Deo traditum canticum una psallamus. Etenim aliquando Symeon senex Servatori occurrit, et sæculorum Dominum quasi infantem in ulnas suscepit, ac Dominum et Deum prædicavit; nunc autem ingratorum senum loco pueri Servatori occurrerunt ut Symeon, et ramos pro ulnis substraverunt, ac Dominum et Deum benedixerunt, qui super pullum quasi super Cherubim insidebat: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* 21. 9). Quibuscum et nos clamemus, Benedictus Deus de Deo, Rex gloriæ, qui propter nos apud suos mendicus fuit sine mendicitate, ut nos sua bonitate divites redderet: benedictus qui venit in humilitate, et rursus veniet in gloria: primo, super pullum mansuetus et ab infantibus benedictus, ut impleretur quod scriptum est: *Visi sunt gressus tui, Deus, gressus Dei mei Regis, qui est in sancto* (*Psal.* 67. 25); secundo, terribilis supra nubes, et ab angelis et potestatibus stipatus. O mellitam puerorum linguam! o sinceram disciplinam Deo placentium! David prophetans sub litera sensum adumbravit; pueri, aperto thesauro, lingua sua divitias attulerunt, et gratia pleno sermone omnes clare ad fruendum illo convocarunt. Hauriamus itaque et nos cum ipsis divitias quæ abripi nequeunt, pleno sinu, plenis penuariis munera deponamus: clamemus perpetuo: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: Deus verus, omnipotens ex omnipotente, Filius in nomine Patris, Rex verus ex vero Rege, qui cum illo æternum et ante sæcula regnum habet, ut et ille qui genuit eum. Nam commune regnum habet; neque extrinsecus acceptum honorem Verbum Filio tradit;

non incepit, neque accessit, neque imminutus est honor, absit : sed naturalis est et vere proprius. Unum namque regnum est Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut una substantia et una dominatio. Quamobrem una adoratione colamus unam trium hypostasium divinitatem, sine principio, increatam, interminatam, sine successione. Neque enim Pater umquam cessabit esse Pater, neque Filius esse Filius et Rex, neque Spiritus sanctus cessabit esse id, quod est hypostasi. Nihil enim in Trinitate minuetur; non finis erit æternitatis, aut communionis, aut regni. Neque enim Filius Dei, quia propter nos factus est homo, et adversarium nostrum tyrannum devicit, atque in carne tantam de inimico ejus reportavit victoriam; ideo Rex vocatus est; sed quia Deus est semper et Dominus, ideo et Rex est, ut et Genitor ejus : nunc vero Rex est, cum id prius habuisset, et in perpetuum. Ne blasphemes contra Christi regnum, o hæretice, ut ne Genitorem etiam inhonores. Si fidelis es, fideliter accede ad Christum verum Deum nostrum, et non quasi velamentum nequitiæ habens libertatem. Si servus es, cum tremore Domino subditus esto : nam disceptator non bene affectus, sed palam inimicus est. Scriptum est enim : *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui misit eum* (*Joan.* 5. 23).

3. Nos autem, dilecti, eo revertamur unde digressi sumus, clamantes, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, pastor ille bonus, ut poneret animam suam pro ovibus suis; ut sicut ii, qui lupos ovina carne vescentes venantur, ipsos ove oblata capiunt : sic spiritualibus animarum interfectoribus lupis, sese ut hominem offerens Princeps pastorum, venabulum objiceret, iis qui jam olim Adamum venabantur. *Benedictus qui venit in nomine Domini*, Deus contra diabolum, non aperte per invisibilem potestatem, sed per infirmitatem carnis, ut alligaret eum, qui contra nos fortis erat. *Benedictus qui venit in nomine Domini*, Rex contra tyrannum, non per omnipotentem potestatem et sapientiam, sed per crucis, ut putabatur, stultitiam, ut prudentis in nequitia serpentis spolia diriperet. *Benedictus qui venit in nomine Domini*, verax contra mendacem, Servator contra perniciosum, Princeps pacis contra pugnacem, hominum amator contra hominum osorem. *Benedictus qui venit in nomine Domini*, penes cujus arbitrium est servare errantem hominem, errorem solvere, eos, qui in tenebris erant, luce perfundere, idolorum fallaciam delere, salutarem Dei cognitionem introducere, mundum sanctificare, exsecrandum et inanem cultum eliminare. *Benedictus qui venit in nomine Domini*, unus pro multis, ut eruat genus humanum de manu fortiorum illo, egenum et pauperem a diripientibus eum. *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ut infundat vinum et oleum in eum, qui incidit in latrones, et qui despectus fuit. *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ut servet nos per seipsum, sicut ait Propheta, *Non legatus, non angelus, sed ipse Dominus salvavit eos* (*Isai.* 63. 9). Ideo et nos benedicimus te, Domine, qui cum Patre et Spiritu sancto ante sæcula et in sæcula sæculorum benedictus es : ante sæcula et usque ad hoc tempus incorporeus; nunc autem et in sæcula, cum divina, immutabili et indivisibili incarnatione tua. Reliqua videamus. Quid dicit divinus evangelista? *Cum intrasset Dominus in templum, accesserunt ad eum cæci et claudi, et curavit eos. Videntes autem principes sacerdotum et Pharisæi miracula quæ faciebat, et pueros clamantes et dicentes, Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* 21. 14. 15), ejus honorem non tulerunt. Quare accedentes ad eum dicebant, *Non audis quid hi dicant* (*Ibid. v.* 16)? Non ægre fers quod gloria afficiaris ut Deus? non indigne fers, cum audis ab his innocentibus ea quæ solum Deum decent? annon Deus jam olim per prophetam declaravit, *Gloriam meum alteri non dabo* (*Isai.* 42. 8)? et, *Quomodo tu homo cum sis, facis teipsum Deum* (*Joan.* 10. 33)? Sed quid ad hæc longanimis ille, multus in misericordia, et tardus ad iram? Furentes tolerat, iram sedat excusando se, Scripturas vicissim opponit, testimonia profert opportuna, neque desinit interrogare, ideoque ait : Numquam et vos audistis me per prophetam dicentem : Tunc cognoscetis quia ego præsens loquor? nec rursum, *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem* (*Joan.* 8. 28)? Tales estis vos, qui legem attenditis, et prophetas legitis, et me in lege prædicatum despicitis. Videmini namque pietatis obtentu Dei gloriam vindicare; non intelligentes eum, qui me despicit, Patrem etiam despicere. Ego enim a Deo exivi, et veni in mundum : et gloria mea est gloria Patris mei. Sic confutati a Servatore nostro Deo insani illi, contradicere quidem cessarunt, a veritate refrenati; sed insanum alium inducentes cogitatum, consilium inierunt adversus eum. Nos vero psallamus : *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ illius non est numerus* (*Psal.* 146. 5). Hæc quippe omnia facta sunt, ut qui tollit peccatum mundi Agnus et Filius Dei voluntarie pro nobis ad salutarem passionem veniret, et in prætorio agnosceretur, et ut qui despiciebant eum, qui vivifico sanguine suo mundum redemit, consentirent circa triginta argenteos, et pascha pro nobis immolaretur Christus : ut qui pretioso ejus sanguine aspersi sunt, quorum labia instar liminum sunt obsignata, perniciosi illius tela effugiant; et sic qui carne passus est Christus et triduanus resurrexit, cum Patre et Spiritu sancto pari cum honore et gloria ab omni creatura honoretur; quia ipsi flectetur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum, gloriam ipsi referentium in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO
IN SEQUENTES
DE BEATA VIRGINE MARIA ORATIONES.

Ejusdem farinæ sunt sequentes de B. V. Maria sermones, qui jure in tenebris latuissent, nisi illos Savilius publicasset. Fortassis vero ex eodem fonte eodemque auctore prodeunt.

IN S. VIRGINEM ET DEIPARAM MARIAM.

Omnes quidem memorabiles celebritates admirandæ sunt, et stellarum splendori comparabiles. Nam sicut stellæ positione sua in cœlo fixæ sunt, et ex posito inter singulas intervallo spectabiliores, totumque terræ orbem illustrant; atque eadem stella apud Indos videtur, et Scythis non occultatur; in continente splendet et mare illuminat, et navigantes gubernat; harumque stellarum nomina ob multitu-

dinem ignoramus, sed eas tamen ob splendoris pulchritudinem admiramur: sic sunt etiam sanctorum singuli. Etsi enim ipsorum reliquiæ inclusæ sint in sepulcris, earum tamen virtus non orbis terræ limitibus circumscribitur. Et hoc verum esse ex rebus ipsis discere potes. Palæstina Abrahæ reliquias habet, et tugurium ejus cum paradiso contendit: nam Deus qui illic contra Adamum sententiam tulit, hic a patriarcha hospitio receptus est. Josephi ossa unum complectitur sepulcrum, et ejus contra Ægyptiam certamen orbis termini cum stupore mirantur. Moysis ne sepulcrum quidem reperitur, et ille post mortem prædicat eum, qui virga mare Rubrum discidit. Isaias ubi sepultus sit ignoramus; et omnis Ecclesia per prophetiam ejus clamat: *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium* (*Isai.* 7. 14). Daniel in Babylone sepultus est, et ille per totam terram clamat: *Ecce in nubibus cœli, quasi Filius hominis venit* (*Dan.* 7. 13). Ananias et socii pueri in Babylone mortui sunt: ac per illos totus orbis quotidie clamat: *Benedicite omnia opera Domini Domino* (*Dan.* 3. 57). Ezechiel apud Persas tumulatus est, et cum Cherubinis exclamat: *Benedicta gloria Domini de loco suo* (*Ezech.* 3. 12). Ita nihil profuit diabolo, quod in paradiso Adamum morti tradiderit: Deus enim per mortem justis januam aperuit ad fiduciam. Sed omnes quidem sanctorum memoriæ mirabiles sunt; verum nihil ita gloriosum, ut hæc solemnitas. Abel ob sacrificium memoratur, Enoch quod Deo placuerit celebratur, Melchisedec ut imago Dei prædicatur, Abraham propter fidem laudatur, Isaac quod figura sit extollitur, Jacob ob luctam beatus prædicatur, Joseph ob castitatem honoratur, Job patientiæ laudem habet, Moyses ut legislator benedicitur, Jesus filius Nave ut belli dux celebratur, Samson ex colloquio cum Deo beatus dicitur, Helias zeli testimonium habet, Isaias theologus esse scribitur, Daniel ut prudens prædicatur, Ezechiel ut arcanorum spectator admirationi habetur, David ut pater mysterii secundum carnem celebratur, Salomon ut sapiens suspicitur; sed nihil exæquandum Deiparæ Mariæ. Nam quem illi omnes in ænigmate viderunt, ipsa in utero incarnatum gestavit, ac nihil impedivit ineffabilem œconomiam Verbi Dei. Tumorne? At materialis est passio: at tumore et passione vacuum est Verbum. Tantæ demissionis magnitudo? Sed divinitas non circumscribitur. Piaculum? Sed eam efformans non fœdavit, et in illa incarnatus, et ex illa genitus, non pollutus est; imo gloriam Regi affert benignitas. Partus? Sed non minuit partus eum, qui sine principio est. Partui juncta incarnatio? Sed mutationem divina natura non passa est. Matrem habet secundum carnem, sed non amisit quod esset sine matre secundum divinitatem. Præsepe? Sed Patris sinum non nudavit. Spelunca? Sed Trinitas numquam thronum reliquit. Nihil ergo in hominum vita simile Virgini Mariæ. Mente itaque, o homo, totam creaturam percurrito, et vide num quid aut æquale sit Deiparæ Virgini, aut majus illa: terram circuini, mare perlustra, aerem scrutare, cælos mente perpende, invisibiles potestates cogita, et vide num in tota natura sit aliud tale spectaculum. Nam cæli enarrant gloriam Dei, angeli cum timore ministrant, archangeli adorant cum tremore, Cherubim non ferentes exhorrescunt, Seraphim non accedunt, sed circumvolantes cum tremore clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth: plenum est cælum et terra laudis ejus* (*Isai.* 6. 3). Lacus sonum non tulit, nubes assumptioni cum tremore vehentes ministrarunt, sol contumeliam non ferens inhorruit, infernus mortuos cum timore evomuit. Ostiarii te videntes exhorruere, mons ascensum excipiens fumigavit, rubus visionem non ferens exarsit, Jordanis præ horrore conversus est retrorsum, mare virgam metuens dissectum est per Dominicam figuram mansuefactum, virga Aaronis propter imaginem præter naturam floruit, ignis in Babylone Trinitatis numerum reveritus est. Stupenda illa enumera, et Virginis victoriam mirare: quia quem omnis creatura cum timore et tremore hymnis celebravit, eum illa sola modo inexplicabili in thalamo recepit. Beatæ propter illam omnes mulieres: non ultra femineum genus in maledictione est. Sexum habuit, quo angelos gloria superabit. Curata fuit Eva, silentio missa est Ægyptia, sepulta fuit Dalila, oblivioni data est Jezabel, deleta est memoria Herodiadis: et nunc mulierum catalogus in admiratione habetur. Laudatur Sarra ut arvum populorum ferax; honoratur Rebecca ut callida benedictionum procuratrix; admirationi habetur Lia, ut mater progenitoris secundum carnem; celebratur Debora, ut quæ supra naturam exercitus dux fuerit; beata prædicatur Elisabet, ut quæ Prodromi gratiæ exsultationem disposuerit; adoratur et Maria, quia fuit mater, et ancilla, et nubes, et thalamus, et arca Domini. Mater; peperit enim eum qui nasci voluit: ancilla; naturam quippe confiteor, et prædico gratiam: nubes; nam ex Spiritu sancto concepit eum, quem sine passione peperit: thalamus; in illa enim quasi in nuptiali thalamo Deus Verbum habitavit: arca; non legem portans, sed Legislatorem utero gestans. Quamobrem dicamus illi, *Benedicta tu in mulieribus*. Tu in mulieribus sola es, quæ Evæ mœrorem curasti, quæ sola plangentis lacrymas abstersisti, quæ sola redemptionis mundi pretium tulisti, cui soli margaritæ thesaurus concreditus est, quæ sola sine voluptate prægnans fuisti, et sine dolore peperisti, quæ sola Emmanuelem ut ipse volebat genuisti. *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus* (*Luc.* 1. 28), non semen; flos, non passio; splendor, non creatura; cum Patre throni consors, non servus; sol, non arena; qui adoratur, non creatus; redemptionis pretium, non debitor. *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui*. Pro omnibus ad tuas canendas laudes satis tibi est propheta clamans: *Ecce Virgo in utero habebit* (*Isai.* 7. 14). Dixit miraculum, et modum tacuit. *Et pariet filium*. Partum prædicavit, et modum non spurium reddidit. *Et vocabunt nomen ejus Emmanuel*. Dixit mysterium, et appellationem quasi tonitru emisit. *Quod est interpretatum, Nobiscum Deus*. Deum natum prædicavit, et Judæorum ora frenavit. *Nobiscum Deus*, exstinctus est error: nobiscum Deus, et circumcisio cessavit: nobiscum Deus, et dæmones fugati sunt: nobiscum Deus, et diabolus prostratus est: nobiscum Deus, et piscina parere non cessat: nobiscum Deus, et reges pietatem colunt: nobiscum Deus, et Ecclesiæ angustiæ evadunt: nobiscum Deus, et mors facta est somnus: nobiscum Deus, et mortui de libertate exsultantes clamant: *Non angelus, non legatus, sed ipse Deus venit, et salvavit nos* (*Isai.* 63. 9): ipsi gloria in sæcula.

CONTRA HÆRETICOS ET IN SANCTAM DEIPARAM.

1. Rursus Spiritui sancto fidens, ignorantiæ catenas avulsurus in doctrinæ solium ascendo, nec meam reveritus inopiam. Cum enim pauperum amantes sitis, caritate moti mei miserebimini. Pauper cum sim, divites adeo, nec arrogantiæ morbo laboro; sed religiosi animi vestri desiderium impleo. Nam et vos sermones mei, et me mores vestri delectant. Nec paupertatem, nec in dicendo inopiam meam sentio, cum hoc pulchrum et desiderabile theatrum conspicio. Scio quippe, vos non dictorum judices, nec agonum spectatores huc convenire, sed ut quasi patres cum filio corroboremini. Ego namque lingua loquor, vos autem corde petitis a Deo, ut detur nobis sermo in apertione oris (*Ephes.* 6. 19): nam cum filiorum

amantes sitis, labores nostros, vestras putatis esse coronas. Ideo non segnis sum ad loquendum : segnitiem quippe meam solvit vestri desiderium; inscitiam meam in virtutis doctrinam vertit pia precatio. Verum hæc in exordio dicta sunto. Ego vero hodie accingente lumbos veritate, indutus lorica justitiæ, et calceatus pedes in præparatione evangelii pacis, contra hæreticos certamen aggredior. Pugnam autem ineo, non verba verbis addens, neque rhetorica gravitate propositorum vincula dissolvens; sed ex accurata vocis divinæ lectione levia hæreticorum problemata quasi telam araneæ dissipans. Est autem hæc apostolica lectio : *O altitudo divitiarum et sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* 11. 33)! Quid dicis, o Paule? divitiæ Dei in profundo jacent, et in alto noscuntur? Etiam, inquit, et in profundo et in alto : in profundo propter humanitatem; in alto propter divinitatem. Ita enim per prophetam œconomiam revelans dicit ad Achaz : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum, vel in altum* (*Isai.* 7. 11); in profundum, propter œconomiam sive incarnationem; in altum, propter theologiam. Profundum enim signum est, nasci ex Virgine; alta autem prædicatio est, Deum ex Deo nasci. Tu igitur, o homo, neque altum comprehendis curiose scrutando, neque profundum quantolibet conatu reperis. Venerandæ namque sunt Christi generationes : altera quippe est secundum naturam, altera præter naturam. Nam præter naturam in novissimis temporibus ex Virgine natus est; secundum naturam autem ante sæcula ex Patre natus est, ut novit Genitor. Superna autem generatio verissima est. Vere namque ex Deo Deus natus est, vere ex Virgine homo Deus cum hominibus natus est. Superne unus ex uno Unigenitus; in terra unus ex una Unigenitus : ac quemadmodum in superna generatione impium esset matrem suspicari, sic et cum Virgine blasphemum esset suspicari patrem. Pater sine fluxu genuit, Virgo incorrupta peperit. Neque enim Deus fluxum gignendo passus est; nam ut Deum decebat genuit : neque Virgo pariendo corruptioni obnoxia fuit; spiritualiter enim peperit. O novum miraculum! o venerandum et ineffabile mysterium! Dicere ausim, nec dicendo aberrabo : etiam sursum virginem naturam genuisse; pura namque et incorrupta est deitatis substantia : et in terra Virginem incorruptam peperisse incorruptum : nam *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Act.* 2. 27). Cum natura ordine procedit tunc quæ secundum naturam sunt quære, o homo; cum Deus quid imperat, tunc natura suum negat ordinem, illaque facit, quæ Dei lex optat. Exempli causa, jussit Deus petram in deserto aquas effundere, et effudit, non quod in sinu habebat, sed quod jussio indidit. Sicut ergo petra nutu Dei fons effecta est, et aquarum torrentes peperit, non ex subjecta vena, non ex flumine mutuata; sed arida, sine vena et humore, statim fluviorum mater effecta est, quam non habebat aquam large effundens : sic nuptiarum expers Virgo, obumbrante Spiritu sancto, Dominum nostrum secundum carnem peperit, non naturæ ordine mota, sed Altissimi virtute ad partum progressa. Non enim aliunde mutuata præter naturæ legem peperit, sed Spiritu sancto roborata, sic peperit, ut Dei gratia voluit. Nam ait : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* 1. 35). Si vis cognoscere, quomodo natura suum neget ordinem, ut præter naturam Dei voluntati ministret, interroga virgam Aaronis : Dic, Virga arida, quomodo folia et fructum in momento præter naturam protulisti? Non te Moyses in terra prius posuit, non imbribus irrigavit, non radices tempus fovit et aluit; non æstatem, non ver vidisti, non hiemem vel autumnum : quomodo igitur folia, flores et fructum tulisti? Non conversionibus aeris, inquit virga, non mutationibus tempestatum servivi; sed divino ministrans verbo naturam calcavi, et præter naturam fructum dedi, ut et secundum naturam et præter naturam optimi Artificis voluntati serviamus. Sicut ergo virga præter naturam fructum dedit, o homo, ut Judæa crederet, sic et virga vivens, regia Virgo, sine legalibus nuptiis peperit, ut salus pareretur orbi.

2. Si dicas, Quæ similitudo inter virgam germinantem et Virginem parientem? disce multum interesse similitudinis. Virga namque figura erat Virginis; illa imago, hæc veritas; illud prius indicium erat, hæc demonstratio. Ut enim virga illa fructum præter naturam dedit, sic et hic Virgo florem naturæ præter naturam germinavit. Nam ait : *Egredietur virga de radice Jessæ, et flos ex ea ascendet* (*Isai.* 11. 1). Non frustra igitur Paulus divitias Dei miratur, id est, carnalem Christi œconomiam. O hæreticorum incredulitatem! o rabiem et linguam Deo inimicam! Paulus cælorum civis, paradisi spectator, Christi fervens amator, ineffabilium mysteriorum auditor, ubi œconomiam exploravit : inhorruit et caligine perfusus est; et vos divinitatem explicantes non exhorrescitis? Paulus judicia Dei investigabilia dicit, et tu Patris naturam ut apprehensu facilem scrutaris? Tempus est te evocandi, ut mœstus te convertas contra illa ineffabilia, quæ tu dixisti. Quomodo Virgo genuerit non nosti, et vis nosse quomodo Deus genuerit? Eam quæ sub Herode fuit Christi secundum carnem generationem, quomodo nempe facta sit, ignoras; et illam ex Patre sine principio, inexplicabilem, venerandam et ineffabilem, ante omnem intellectum, ante tempora et sæcula, sine medio factam, interpretari audes, et explorare tentas? Si Thomas Christi corpus crucifixum tangens non sine reprehensione mansit, etsi apostolus esset, quo sunt supplicio digni, qui non manu Christi corpus tangunt, sed lingua æternam divinitatis ejus naturam scrutantur? Thomas quippe quod norat corpus tangebat; illi quam non norant divinitatem, ac si viderent, scrutati sunt. Dic, quæso, gravis et perite rhetor Eunomi, qui tripliciter divinitatis naturam dijudicas, qui parum abest quin deos iterum confingas, cur creatum, non genitum Christum dicis? Ne, inquit, fluxus rationem increatæ Dei naturæ tribuam : generantem quippe necesse est fluxum subire. Ergo etiam creantem necesse est subire laborem. Nam qui creat, non sine labore creat? Si ergo ut fluxus rationem devites, Patrem dicere recusas, ne Creatorem dicas, ut ne laborum et sudorum suspicionem injicias. Sed non eamdem, inquit, quam de hominibus habemus sententiam, de Deo debemus habere. Homines quippe cum creant, cum labore et sudore creant; Deus vero creans, sine labore creat : natura quippe incompositus est. Quia igitur, o sophista et erudite, Deus creans, sine labore creat, non potest vero sine fluxu gignere, sed quando creat, ut Deus sine labore creat? quando autem gignit, ut homo fluxum patitur? et creans sine passione creat, gignens vero in passionem incidit humanam? Exhorresco, timeo, tremo, blasphemam, impudentem, et effrenem hæreticorum linguam, dum cogito, illos credere quidem Virginem sine corruptione peperisse, sed num Deus sine fluxu genuerit dubitare. Incorrupta Virginis vulva post partum integra mansit, o homo, et Patris natura gignens, fluxum non effugit? Sed Virgo post partum virgo mansit, nec ex partu virginitatem perdidit; Pater vero postquam genuit, idem manere non potuit, ita ut ejus substantia sine fluxu et mutatione manserit? Et ubi corporis moles, membrorum harmonia, ossium compago, nervorum ordo, venarum plenitudo, articulorum vincula sunt, infans ut ipse novit exiit, in virginea vulva sese ineffabili modo efformans; ubi vero non corpus, non membrum, non articuli, non nervi, non ossa, non venæ sunt, sed intacta, incorporea, invisibilis natura, fluxum inducis, et imminutionem cogitas? Exiit ex vulva, et integra vulva mansit. Nam qui sine semine in Virgine animatum sibi templum fecit, ipse

intemeratam vulvam servavit ut Deus. Opera quippe Dei non naturæ rerum serviunt, sed Dei Verbi jussum sequuntur. Aliquando enim Deus secundum naturam creat, ut naturæ ordinem cognoscas; aliquando autem præter naturam creat, ut discas operantis potentiam. Neque enim omnia secundum naturam fiunt, ne natura Deus esse dicatur: neque omnia præter naturam, ne putentur naturæ confusionem esse ea, quæ præter naturam fiunt? Efformat Deus secundum naturam, et creat etiam præter naturam, ut discas naturam ancillæ more, et secundum naturam moveri, et præter naturam currere, Dei jussum implentem.

3. Dic vero tu, qui quæstionem moves, quomodo Christus ex intemerata vulva prodiens, virginitatis signaculum non delevit, quomodo ex virgineo Adamo virgo Eva prodiit? Nam Deipara Maria, quæ virum non noverat, virum peperit; primus homo Adam, qui mulierem non noverat, mulierem germinavit. At virginem gignere, licet res stupenda sit, aliquid tamen rationis habet, in quantum venter, vulva, et naturalis infantibus via jam efformata est; sed in Adamo stupenda omnia sunt. Quis enim vidit ex costa natum hominem? quandonam costa fructum tulit? Somnum immisit Deus Adamo, ne de sublata costa doleret, verum ejus vincula consopivit: vincula quippe sunt naturæ, nervi. Cujus rei testis est Daniel dicens: *Et vidi visionem et cecidi, et vincula lumborum meorum soluta sunt* (*Dan.* 10. 9. *et* 5. 6). Costam ergo lege naturæ firmatam, nervorum vinculis connexam, carnibus contextam, venis conjunctam, quomodo abstulit? quomodo avulsit? quomodo sublata costa Adam incolumis mansit? Quomodo? Qui solvit ipse novit; qui solvit ipse colligavit. Etenim si alius ligasset, alius solvisset, hinc quæstio oriretur: sed si is, qui concinnaverat, ipse solvit; si is, qui costam ex terra formaverat, costam abstulit: ipse solus novit quomodo solverit, qui solus novit quomodo membrorum harmoniam composuerit. Ut ergo post sublatam costam incolumis mansit Adam, sic post infantis exitum incorrupta mansit Virgo. Neque enim post sublatam costam harmonia membrorum Adami læsa est, neque exeunte infante virginitatis signaculum temeratum est. Quemadmodum enim apud nos si quis alienum vinculum solvere velit, ipsum destruit et abscindit ob imperitiam; qui vero ligavit, sine labore solvit; harmoniam quippe ligaminis novit: sic Deus qui corpus concinnavit, constrinxit et perfecit, et nervorum vincula noverat, et quomodo costam cum costa copulasset, et articulum et membrum, et ex iis quæ colligaverat scite et sapienter costam abstulit, nec Adamum imminuit. Seipsum efformavit unigenitus Dei Filius in Virgine, neque efformando virginitatem solvit, neque per vulvam exiens vulvam corrupit. Dic ergo, o sophista et erudite, Quid facilius est, virginem parere, et post partum virginem manere, aut virgam ad vitam vocari, et ex animali rursum virgam fieri? Quomodo virga Moysis in draconem mutata fuit? quomodo inanimatum animam accepit? quomodo res immobilis in terra repsit? quomodo rursum ex serpente virga facta est, quæ suam agnovit naturam? Modo namque ex virga draco, modo ex dracone virga effecta est. Ut ergo virga Moysis, o homo, secundum naturam virga, secundum œconomiam draco fuit: sic et Maria secundum naturam virgo, secundum œconomiam mater facta est, ut Chaldæorum magi crederent, quemadmodum, ut timeret Ægyptus, virga in draconem mutata est. An tu nolis Virginem apparere ad mundi salutem? Utique in terræ motibus muri scinduntur et conjunguntur, et Christo nascente non aperietur vulva, et rursus claudetur? In terræ motibus ita scinduntur muri, ut mortis periculum inferant; et ita denuo junguntur, ut ne vestigium quidem scissionis maneat: et in partu illo incorrupto nolles vulvam illam solvi in honorem infantis, et denuo jungi et copulari, ac virginitatis formam recipere per virtutem operantis? Nec mihi dicas, Unde substitit caro et sanguis non subjecto semine? Nam ex iis, quæ apud nos fiunt, possumus id, quod supra nos est, ediscere. Et evoca mihi ad exemplum pictores, qui sæpe plantas, arbores, prata, fluvios depingunt; et cum naturam sibi opitulantem non habent, arte conantur per colorum mixtiones rerum imagines offerre. Fluvium enim repræsentant, nihil a fluminum alveo mutuati: hominem faciunt, natura humana nihil sibi commodante. Quemadmodum ergo pictores colorum ope hominem, fontem, fluvium depingunt, cum nihil a fonte, fluvio vel homine acceperint: sic et Spiritus sanctus in Virgine non coloribus, sed voluntate animatum efformavit hominem, nullumque mutuatus est ab humana natura semen ad alius constitutionem. Deus accepto pulvere de terra non humanis manibus (incomposita quippe est deitatis natura) Adamum ut voluit efformavit: Spiritus vero sanctus non pulverem accepit, non humana lege semen injici concessit, sed solum illuxit, ossa compegit, nervos tetendit, nares, aures, oculos, linguam, manus, pedes, animam, mentem, cogitationem, rationem constituit; etsi id hæretici minime velint. Ut enim ii, qui in speculo respiciunt, imaginem sui oppositam oculis vident, ex informi materia paratam, imaginem sæpe ridentem, flentem, commotam, varios subeuntem modos, ac viventis formæ habitus imitantem: sic et Spiritus sanctus in puro speculo, immaculato nempe Virginis corpore illuxit, perfectumque creavit hominem, non lege naturæ, non tempore, non humano semine usus, sed solo aspectu, ac spirituali sanctaque virtute, Virginem ad partum movit, ineffabilique modo infantem in illa contexuit ut vestimentum, ad salutem hominum. Hæc quidem ita se habent. Nos autem pro illis quæ diximus, gloriam Deo, qui propter nos homo factus est, referamus: quia ipsi gloria, necnon Patri et sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD HOMILIAM SEQUENTEM.

Non est quod lectori probemus, et argumentis demonstremus, hanc homiliam perinde atque præcedentes sermones supposititiam esse. Ipsa res per se clamat. Ubinam Chrysostomus ita balbutit, ut hic quis quis tandem sit Græculus? cujus opusculum non in publicum emisissemus, nisi Savilius jam inter *dubia* edidisset.

IN PRODITIONEM SERVATORIS, ET IN LOTIONEM PEDUM.

1. Vellem crucis speculationes in finem deducere, non quasi sensa assequutus, sed ut ea pro virili fidelibus exponam. Non deest quippe sermo ad divina eloquia explicanda; verum dicta commetiri oportet cum humana facultate, non quasi ipsa sufficiat ad comprehensionem, sed quasi Deo præbente; non

quanta dare potest is qui dat, sed quanta potest capere is qui accipit. Quemadmodum enim mater lactenti puerulo panem potest quidem præbere, sed infans illo uti nequit: ita nec Deo impossibile est præbere sapientiam majorem et supernaturalem; sed nos capere non valemus. Cum enim in mortali corpore habitemus, cognitionem mortali naturæ congruentem accipimus. Nihil ergo nobis Deus loquutus est secundum perfectionem sibi competentem, sed dicta ad mensuram infirmitatis nostræ temperavit. Ideo dicebat Servator: *Multa habeo dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* 16. 12); et alibi dicit Servator Nicodemo: *Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis* (*Ibid.* 3. 12)? Dicamus ergo, Deo suppeditante, quantum humana facultas ferre potest. Diei vero spatium nobis præscinditur, volentibus ulterius speculari; præscinditur, inquam, ab Evangeliorum lectione. Verum illud alio tempore dicetur; jam de iis, quæ in hac die gesta sunt, verba faciamus. Hodie Christus hoc quinto sabbati sive hebdomadæ die, in vespera ante passionem, discipulorum pedes lavit, et Pascha in lege figuratum perfecit, salutareque passionis mysterium tradidit; ut jam vere dicamus, veritatis sermonem non nobis præscindi: nam illa enarratio ad crucem spectat, et sic regula servatur. Veniamus ergo ad seriem, illa præscindentes, ut gustum quemdam in animas vestras Christi amantes inferamus. Quomodo intelligendæ sint traditiones de sacris mysteriis nostris, brevi et clara demonstratione explicemus. Dicit Servator discipulis: *Scitis quia post biduum Pascha fiet; et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur* (*Matth.* 26. 2). Sæpe Servator prædixit discipulis suis simul ostendens se scientem non fugere, nec prænoscentem declinare; una vero sedans apostolorum animos, ut parati et præscii perturbationem effugerent. Cum res præscitur, repentinus casus perturbationem non affert. Quod et David prædixit: *Paratus sum, et non sum turbatus* (*Psal.* 118. 60). Hoc fit in tonitruis: præcedens fulgur mentem præparat ad tonitru excipiendum, ut exspectatio majorem solvat timorem. Sic et Servator ne repente ex passione turbarentur, illam prædicit, ita ut etiam apostolis exprobraret, diceretque post resurrectionem: *Hi sunt sermones mei, quos loquutus sum vobis, quia oportet Filium hominis multa pati* (*Luc.* 24. 44). Exprobrabat illis, quod scopum, quo hæc prædixerat illis, non assequuti essent. *Prædixi*, inquit, *ut non scandalizemini* (*Joan.* 16. 1); et turbatio vos occupavit. *Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur* (*Matth.* 26. 2). Nusquam reperies Servatorem memoravisse passionem, nisi humanam personam inducentem, et quasi de alio loquatur. Non dixit, Tradar, sed *Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Nusquam reperies Servatorem traditum, sed Filius hominis tradetur; et ubique quasi de alio loquitur. Cum vero de divinitate clare loquitur, ait: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* 10. 30). Non dicit, Ego et Pater qui misit me; sed, *Ego et Pater unum sumus;* et, *Qui vidit me, vidit et Patrem. Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur* (*Ibid.* 14. 9). Joannes vero quam certo loquitur? Ne quis putaret, tempu illud præsens ex necessitate esse, vide cum quanta affirmatione loquatur: *Sciens quia venit hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos* (*Ibid.* 13. 1); ac si diceret, Perfectam exhibuit caritatem. *Et cœna facta surgens deposuit vestimenta sua, et præcinxit se linteo, et immisit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum* (*Ibid. v.* 2. 4. 5). Pudeat hæreticos. Si audiant Servatorem dicentem, Facio voluntatem Patris mei, statim dicunt (*Ibid.* 5. 30. *et* 6. 38): Viden', quomodo subditus sit et obediat Patri? In illa hora rem terribilem videre erat. Cur surrexit et deposuit vestimentum suum, qui amictus erat lumine sicut vestimento, et præcinxit se linteo? Tunc videre erat veram illam Pauli vocem: *Cum in forma Dei esset, formam servi accepit* (*Philip.* 2. 6. 7). Præcinxit se linteo qui operit cælum nubibus; et immisit aquam in pelvim, qui fluminibus, fontibus, maribus aquarum naturam infudit. Cogita discipulum sedentem, et Dominum incurvatum et ad genua respicientem, cui flectitur genu cælestium, terrestrium et infernorum. Humilitas Servatoris omnem exstinxit superbiam: illa modestia omnem exstinxit arrogantiam.

2. Cum video Servatorem lavantem pedes discipulorum, Isaiæ (*a*) circa superbiam nostram dictum profero: *Quid superbit terra et cinis* (*Eccli.* 10. 9)? Cogita Dominum incurvantem se ad pedes servorum, et lavantem ipsos. Quomodo hæc dicantur, vel quomodo taceantur? Sermo non sufficit, silentium de ingrato animo accusat. Ecquid faciemus, cum enarrare non possimus? *Cœpit lavare pedes discipulorum, et linteo tergere.* Ne unam quidem ministerii speciem reliquit. Non permisit, ut aqua ab aliis immitteretur, et ipse lavaret: neque ipse lavit, et alii absterserunt. Videturque hic stupendum quoddam mysterium discipulis aperire. *Cum dilexisset*, inquit, *discipulos suos, in finem dilexit eos*, dicit Joannes. *Et cœna facta, cum jam diabolus immisisset in cor Judæ Simonis Iscariotæ, ut traderet eum, surgens, deposuit vestimenta* (*Joan.* 13. 2). Non sine causa ita dixit, sed ut ostenderet, cum jam proditor proditionem meditatus esset, Servatorem tamen non dubitasse proditoris pedes lavare: noverat ipsius dolum, et tamen lavit. Quid ergo? an personarum acceptio est apud Deum? Absit. Non semper inter lædentes et læsos est personarum acceptio. Si læsus lædentem honoret, non personarum acceptio, sed humilitas est; si vero læsus clam malum operetur, specie autem bene affectus sit, ea est simulatio. Ab ipsa re exemplum accipe. Sciebat Judas, qui tradebat Dominum, id impium esse: nam cui insidiabatur, ei osculum offerebat. Servator vero læsus lædentem honorabat, quod non injustitia erat, sed humilitatis excessus, quam et Deus laudat et homines admirantur. Vis exemplum videre? Intuere Joabum Davidis ducem exercitus. Is Abnarum, alium ducem, et amicitiæ verbis coluit, et clam gladio per ilia confodit: fratrem vocabat, et ut inimicum occidebat (2. *Reg.* 3. 27). Ideo malum est simulatio. Alias autem cum is, qui læsus est, lædentem beneficio afficit, res laude digna est. Jacob timebat fratrem suum Esaü, et rogabat Deum dicens: *Erue me de manu fratris mei, ne veniens occidat me* (*Gen.* 32. 11). Cum autem videt illum, honore afficit et ait: *Vidi faciem tuam, ac si quis videret faciem Dei* (*Ibid.* 33. 10). Cum autem illum ut inimicum et homicidam cerneret, Deus cum sciret illum non insidiose ita loqui, sed ut insidias effugeret, ipsi pepercit. Sic si quis amicitiæ verba proferat, non ex dolo, sed ut dolum effugiat, Deus non ideo indignatur: ipse namque ejus doctor est: *Verbum submissum avertit iram* (*Prov.* 15. 1). Cum jam, inquit, diabolus immisisset in cor Judæ, ut Servatorem proderet, Servator benignitate volens ejus ingratum animum vincere, et mansuetudine arrogantiam solvere, ejus pedes lavit. Ego non tantum miror Dominum sua præstantem (opus enim ipsius mansuetudo erat), quantum illum dolo plenum. Quo animo pedes obtulit? quomodo vidit sanctas Domini manus circa pedes suos versantes? quomodo non obtorpuit? quomodo non exhorruit? Attamen clemens illa natura fert patienter. Videtur autem ipsum primo lavisse. Quare? Nisi lavisset pedes proditoris, sed postquam alios laverat, ipsum reliquisset; hoc certe fuisset a Servatore alienum, atque hinc Judas ansam arripuisset: Ipse me segregavit, ipse me abalienavit: omnium pedes lavit, me autem damnavit. Quo animo poteram cum illo esse? Vidit Deus cor confractum, et noluit jam ex se confractum ipse confringere. Id vero indicat illud: *Calamum conquassatum non confringes* (*Matth.* 12. 22). Attamen discipulorum pedes lavit. Ultimo venit ad Petrum. Dum autem alios la-

(*a*) Hic Isaiam pro Siracide posuit, quod et aliis scriptoribus, imo etiam Chrysostomo accidit.

varet Servator, cogitabat Petrus dignitatem Domini, vilitatemque hominum; vilitatem hominum et gloriam ejus, qui ubique celebratur; et apud se decrevit lotionem non admittere. Venit ad eum Servator, et ait ille. *Domine, tu mihi lavas pedes* (*Joan.* 13. 6)? tu, qui mortuos suscitas, qui leprosos mundas, (illud enim *Tu*, magnam vim habet): tu, cui ego testificatus sum, *Tu es Christus, Filius Dei vivi* (*Matth.* 16. 16). Si ex ignorantia dixissem, id humanam fuisse conjecturam contigisset: si vero tu ipse vocem meam obsignasti dicens, *Pater meus cœlestis revelavit tibi* (*Ibid. v.* 17), an dominicis manibus servi pedes lavare sustinebis? *Non lavabis mihi pedes in æternum* (*Joan.* 13. 7. 8. 9). Quid ergo Servator? Vocem ejus confutavit dicens: *Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea;* ac si diceret: Scopum meum ignoras. Nec tamen ille repressus est; sed his auditis dixit: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Ostendit animam adamante duriorem. Protulit vero Servator ignem suum, et adamantinam animam reddidit cera molliorem. Itaque, inquit, tu ita rebellis et contentiose, solve institutum tuum. *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Ille autem rebellis et contentiosus dixit: *Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput.* Tota summa privabat, et cum usura reddidit. Non est mos Christianorum esse pervicaces; non oportet Christianum sui amantem esse; non decet esse ad insidias parandas callidum, sed sine fuco virtutem adire: quem esse oportet lætum lætitiæ tempore, mœstum vero tempore mœstitiæ, ut dicit Paulus, *Gaudere cum gaudentibus*, jejunare cum jejunantibus, *flere cum flentibus* (*Rom.* 12. 15). Hoc enim est quod dicit Paulus: *Sive manducatis, sive bibitis, omnia ad gloriam Dei facite* (1. *Cor.* 10. 31). Nihil ergo profuit Petro pervicacia: soluta quippe fuit ut in aliis. Quando Christus venit ut baptizaretur, dixit ei Baptista: *Domine, ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me* (*Matth.* 3. 14. 15)? Dicit illi Servator: *Sine modo.* Ne contendas, ne repugnes, quia divina est voluntas; ne ante tempus dignitatem reveles; sine me ordinem replere, et vere ostendere me hominem assumpsisse, ut per hominem verum, Deum verum exhibeam. Solum dixit, *Sine modo*, et statim significat evangelista, *tunc dimisit eum* baptizari. Contendit ut pius, et obedivit ut religiosus. Sic et Jeremias cum Deo contendit: *Qui es dominator, Domine, tu nosti quod puer sim. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, Puer sum, quia ad quos te mittam, ibis* (*Jer.* 1. 6. 7). Solvit pervicaciam auctoritas. Rursum Moyses restitit dicens: *Constitue alium: nam gracilis voce et tardus lingua sum* (*Exod.* 4. 13. 10). At non cessit ille.

3. Sed ad propositum revertamur. Dicit Servator: *Nisi lavero pedes tuos, non habebis partem mecum* (*Joan.* 13. 8). Hinc sciamus oportet partem fidelium esse Deum, et partem Dei esse fideles. Nimirum totus mundus Dei est, fideles autem novit Deus. Totus mundus, inquit, a me creatus est: at nihil ita curo, ut fidelium partem. Ideo fideles clamabant ut David: *Portio mea Dominus in terra viventium;* et rursum: *Dominus pars hereditatis meæ* (*Psal.* 141. 6. *et* 15. 5). Maria vero sedens ad pedes Domini, doctrinam audivit, et ait Servator: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* 10. 42). Viden' fidelium partem esse Deum? Necesse demum est ostendere, quomodo fideles pars Dei sint. Ait Moyses: *Quando dividebat Altissimus gentes, dispersit filios Adam: constituit terminos populorum juxta numerum angelorum Dei; et facta est pars Domini populus ejus Jacob* (*Deut.* 32. 8. 9): quia mundus totus illius erat, solus autem populus ejus Jacob audivit. Sic et Amos propheta dicit: Et vidi, *Et ecce jussit Dominus ultionem in igne, et devoravit abyssum multam, et devoravit partem Domini*, nempe populum. *Et dixi: Desine, Domine, a Jacob, quia parvus numero est* (*Amos* 7. 4. 5); id est, Ne absumas nos. Hæc dicta sunt, quoniam Servator ait: *Nisi lavero te, non habebis partem mecum.* Portio ergo [illegible] tres: *Domine* [illegible] *manus et caput.* [illegible] [illegible] accipere [illegible] catorum, sed [illegible] Servator: *Qui lotus est* [illegible] *lavet. Jam vos mundi estis* [illegible] *quutus sum vobis* (*Joan.* [illegible]) quidem hujusmodi [illegible] absterserat, accepit [illegible] vavit servi formam et [illegible] et cum auctoritate [illegible]: [illegible] Ac si diceret, Non [illegible] *Magistrum et Dominum?* [illegible] Hic auctoritatem [illegible] induit Dei formam. *Nonne* [illegible] *et Dominum? Si igitur ego Dominus et* [illegible] *pedes vestros, quanto magis* [illegible] *pedes lavare? Exemplum enim* [illegible] tatis exemplum fuisse), *ut quemadmodum* [illegible] *vobis, ita et vos invicem faciatis* (*Joan.* 13. 12-[illegible]).

4. His ita gestis accesserunt ad eum [illegible] et dixerunt: *Domine, ubi vis paremus tibi, ut manducemus Pascha?* Vide Dei præscientiam. Ait, *Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ portans. Sequimini eum quocumque ierit: et in quamcumque domum introierit, dicite domino domus: Magister dicit, Tempus meum prope est: apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et ipse ostendet vobis cœnaculum stratum* (*Marc.* 14. 12-15. *Matth.* 26. 18). Duo observat, apostolorum viam dirigit ut interrogent dominum domus; et ne putent ipsum ignorare locum, ait illis: *Ostendet vobis cœnaculum grande stratum.* Si locum prædicis, cur discipulis ais, Interrogate de loco? Priusquam interrogaremus, jam didicimus. Etiam, inquit, me decet prædicere ut Deum, et vos par est interrogare ut homines. Nusquam autem Christus mysterium tradit in humilibus locis, sed in montibus, aut in cœnaculo: nihil enim in Christo infimum. Ideo cum apostoli supervenientem acceperunt Spiritum sanctum, in cœnaculo congregati erant. *Tunc*, inquit, *misit duos ex discipulis suis*, ut pararent Pascha. Quinam hi erant? Petrus et Joannes. Cur ex duodecim Petrum et Joannem misit? Petrus erat qui confessus fuerat, *Quia tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* 16. 17): Joannes vero prædicaturus erat, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* 1. 1). Mittit fundamentum fidei, et filium tonitrui; ut in fundamento pietatis mysterium figeret, et in filio tonitrui justitiæ præcepta fulgurarent. Rursus cur Petrum et Joannem mittit? Ut ostenderet honorabilis conjugii et virginitatis donum expandi; et Paschæ consortes esse tam honorabiles conjugatos, quam virgines, si recte vivant. Misit virginitatem et honorabile conjugium, ut parent sibi Pascha: ut in monte Moysen et Eliam exhibuit, quorum alius ex honorabili conjugio, alius ex virginitate fulgebat; ut et honorabile conjugium et virginitas Christo adstarent. Nam *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* (*Luc.* 22. 15). Non vi cogitur, non coacta est passio; sed voluntarius animus. Si Dominus ut beneficium præstaret dixit, *Desiderio desideravi*, quid dicemus nos? Voces quippe nostras excipis, Domine, nostra suscipis peccata, et beneficiis præfulges. Nos dicere debemus, Desideramus videre Pascha: et tu nos prævertis? an fons unquam appetit sitientes, an sitientes fontem? an mensa appetit esurientes, an esurientes mensam? Nos dicere par est illud Davidis: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Psal.* 41. 1). Sed quia propositum est Servatoris mysterium, ipsa gloriosa passio, ipsa passionis traditio, sermo tempori cedat oportet; ut et qui sitiunt fruantur, et fideles confirmentur, et qui illuminandi sunt, pignus accipiant, fidelesque custodiantur. Ne doni obtentu jejunii cursum solvas. Sicut qui longam emensus est viam,

ut corpus curet quiescit [1] sive in diversoriis, sive in aliis locis, viam non intercipit; sed quiescit quidem ut corpus curet, a scopo autem susceptæ viæ non abscedit: sic et nobis bonorum suorum fructum dedit Servator, non ut deliciemur, sed ut carnem et animam fatiscentem curemus. Ne itaque mysteriorum obtentu alienum quidpiam inducas: ne quia ejus particeps es, gratiam crapulæ sororem esse putes. Hæc observent, non fideles modo, sed etiam catechumeni. Ante largitionem doni dignitatem ostende. Quid opus est verbis? Conscientiam tuam examina. Qua fiducia accedit is, qui jejunium violavit? Revera hodie accedit, et nemine incusante, conscientia te redarguet. Vidistin' unquam aliquem qui accusatorem secum ferat? Habeto potius conscientiam tibi patrocinantem. Hodierna dies, id est, sancta hæc mystagogia, non jejunii cursum expetit, neque mystagogiam illam in sancto Paschate; sed quia in hac est passionis traditio, in illa vero resurrectionis; consortes ejus simus et resurrectionis participes. Hodie consortes simus passionis, tunc resurrectionis: hodie hujus consortes ne nos deliciis dedamus, sed lacrymis; nam post resurrectionem mœstitia non est. Nunc Christus patitur, et tu deliciaris? Nescis multos sæpe proceres objurgatos fuisse, quod in regio luctu deliciati essent, et supplicio affectos fuisse? Tu vero dum vides Dominicam passionem adhuc in cruce fulgentem, necdum adveniente resurrectione resurrectionis lætitiam præoccupans, te deliciis dedisti? Hæc dico, non quod ipsum Servatorem luctu prosequi oporteat, quasi luctu digna perpessus sit; sed quia nos par est gratum animum exhibere, ut consortes facti ejus passionis, consortes simus etiam resurrectionis: quia ipsum Dominum decet gloria, honor, adoratio, una cum Patre et sanctissimo vivificoque Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Præstat forte legere, *etiamsi, ut corpus curet, quiescat.*

ADMONITIO

IN SEQUENTEM DE LATRONE SERMONEM.

Hunc Chrysostomi non esse statim quivis dicet vel mediocriter peritus, nec est ea in re diutius immorandum. Sed, quod observandum est, post hunc sequitur apud Savilium sermo alius cui titulus, εἰς τὴν ζωοφόρον ταφήν, *In vivificam sepulturam*. Initium vero εἴδετε χθὲς λῃστοῦ εὐγνωμοσύνην, καὶ Ἰουδαίων μανίαν, *Vidistis heri latronis probitatem, et Judæorum insaniam*. Quod exordium ita concinnatum est, ut suadeatur, eumdem esse qui præcedentem de latrone, et hanc de sepultura Christi concionem emisit. Idque dolo machinatus est Græculus quispiam. Verum, ut certum est priorem homiliam non esse Chrysostomi, ita vel ex stylo statim perspicuum est, posteriorem sancti doctoris esse. Est autem ejusdem homilia octogesima nona in Matthæum, quam repetitionis vitandæ causa prætermisimus. Epilogus vero moralis ex diversis Chrysostomi locis consarcinatus fuit.

IN LATRONEM ET IN PRODITIONEM SERVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI.

1. O quanta vis est nostræ fidei! o quantum valet precatio populi Christi amantis pro sacerdote peccatore supplicantis! Ne te hic ordiendi modus stupore percellat: illud enim divino Paulo doctore vobis dicere didici, qui hæc in epistolis suis clare dicit discipulis: *Precamini pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei* (*Ephes.* 6. 19). Si vero Paulus, vas electionis, homo cœlestis, gratiæ orator, precationibus discipulorum suorum opus habuit, quanto magis ego, quem omnes peccatorem esse nostis? Attamen vel publicanus, qui a malo instituto se removit, discipulus Domini factus est. Scio quoque meretricem pœnitentiæ lacrymas Domini vestigiis offerentem, meretricias famosas sordes abluisse: scio etiam prudentem illum latronem, res magnas per fidem rapuisse: nam furti hujusmodi lucrum paradisus fuit. Sentio et ego me eamdem anchoram arripuisse. Talem quippe habemus Dominum clementem, qui acceptam habens sinceram nostram precationem, statim misericordiam suam impertit. Nam legem dedit; sed cum lex illa umbram solum futurorum bonorum haberet, non autem ipsam rerum veritatem, illuminare non potuit. Propheticam vero turbam quasi legatum misit; verum propheticus ille populus, a morte detentus, clamavit dicens: *Ego sum terra et cinis* (*Gen.* 18. 27). Angelus immutabilis manendo incarnari non poterat. *Non angelus*, inquit, *non legatus redemit eos, sed ipse Dominus* (*Isai.* 63. 9). Vidit enim orbem auxilio destitutum, et ad ipsum clamantem: *Inclina, Domine, cœlos tuos, et descende* (*Psal.* 143. 5). Nam si tu, inquit, ad nos non descenderis, nos per alium ad te non possumus ascendere: Vidit ergo, nec despexit deprecationem; sed inclinavit cælos et descendit in terram, nec se vacuos cælos reliquit. Conceptus est in virginea vulva, toto orbe ampliore. Quem enim capere non potuit patriarchale tugurium, virginea vulva complexa est. Incarnatus est, ut ipse novit, non ut interpretantur hæretici, qui dum ea quæ sibi propria sunt ignorant, divina metiuntur. Natus est, ut sibi placuit. In lignum ascendit, qui lignum paradisi sanavit, et clamat: *Torcular calcavi solus, et nemo mecum erat* (*Isai.* 63. 3), non angelus, non legatus, non archangelus, non propheta, non rex, nemo justorum mecum erat: et unus solus mecum erat, qui non mecum mortem contrivit, sed mecum paradisum in hæreditatem accepit: mecum in ligno, non mecum in bello contra mortem suscepto. Nam *Dominus*, inquit, *conterens bella, Dominus nomen illi* (*Judith.* 16. 3). Unus latro confessus est. O res stupendas et novas! Latro cum Christo, et discipulus Judas cum diabolo: lux in tenebras, et tenebræ in lucem mutatæ sunt: agnus lupus, et lupus agnus factus est. Latro manus habens clavis confixas, fideli voce Dominum salutabat dicens: *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* 23. 42); et discipulus labiis osculum offerens, corde gladium paravit: labiis læta dicebat, et corde dolum eructabat, dicens: *Ave, Rabbi* (*Matth.* 26. 49); deinde osculatur eum, et conversus dicit Judæis nutu, non voce, Ligatum illum abducite. O inique Juda, quo duci jubes eum qui dixit, *Cælum mihi thronus est, et terra scabellum pedum meorum* (*Isai.* 66. 1)?

2. Sed video caritatem vestram ardentiorem, et corpus in angustiis: volebamque hic finem dicendi facere; sed quia vestrum audiendi studium, ut pluribus persequar, me hortatur, ad sermonis seriem revertamur. *Ave*, inquit, *Rabbi*. Clemens vero Dominus, patientia nequitiam proditoris vincens, recte dixit: *Amice, ad quid venisti?* Amplector te, Juda, non ut caritatem indam, quam abjecisti; sed ut evacuem

gratiam, quam dedi tibi: vas enim indignum unguentum cæleste ferre nequit. Quid porro dicam de Juda? Petrus qui clavem regni cælorum accepit, Regem gloriæ videns crucifixum, abjectis clavibus aufugit: et latro qui hominum fores aperiebat, ipse claves paradisi rapuit. Petrus qui dixit, *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* 26. 35), ter negavit; et latro qui non voce promiserat, sed re cum ipsa resurrectione moriebatur, dicebat: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum*. Latro principatus et potestates non metuit; et Petrus puellæ minas non tulit. Latro clamabat, *Domine*; et Petrus, *Non novi hunc hominem*, quem paulo ante Filium Dei vocabat. Petrus qui supra mare ambulavit, eum qui pedibus humidam naturam calcabat, negavit; et latro qui supra dorsa maris non ambulaverat, sed divitum fores adierat, clamabat, *Domine*. Filii Zebedæi dicebant, *Possumus bibere calicem, quem bibiturus es* (*Matth.* 20. 22); hic jam calix aderat, at illi calicis tempore fugerunt: latro autem ex manu filiorum Zebedæi calicem salutaris rapuit, dicens: *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* 115. 4). Thomas, incomprehensibilis mysterii curiosus indagator, condiscipulis dicebat: *Eamus et nos, ut moriamur cum illo* (*Joan.* 11. 16); et cum illum crucifixum vidit, aufugit. Crucifixum videt, et fugit; suscitatum videt, et dubitat, dicens: *Nisi misero digitum meum in fixuram clavorum, et manum meam in latus ejus, non credam* (*Ibid.* 20. 25). At benignus Deus, qui propter unam ovem profectus est, hanc unam ovem non negligit; sed illam humeris imponit, et ait: *Infer manum tuam huc, et mitte in latus meum*. Lanceam militis sustinui, et dexteram apostolicam non feram? Sed, o bonorum latro et raptor (te enim alloquor), furari didicisti, credere non didicisti: non fuisti discipulus, et quomodo Creatorem vocas dicendo: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum?* Recte loquutus es, pie credidisti. Cum periculo sæpe furatus es, divitum plerumque thesauros aperuisti, et talem numquam margaritam invenisti, qualis Christus erat. Apostolus non fuisti, non audisti legislatorem dicentem: Videbitis vitam vestram pendentem (*Deut.* 28. 66); et quomodo ex ligno vitam excerpsisti? Non audisti Isaiam dicentem: Livore passionis ejus, hominum vitia medelam accipiunt (*Isai.* 53. 5); et quomodo vitiis medelam invenisti? Etiam, inquit latro, orbem totum video concussum et trementem, et orbis Dominum in ligno pendentem agnosco. Nisi enim hic universorum Creator esset, sol illum videns nudum, ex reverentia non occultasset radios suos nec Dei inimicos obtenebrasset. Nisi esset hic Conditor cæli et terræ: cælum, ubi ipsum vidit crucifixum, tenebras ut saccum non induisset. Nisi esset hic universæ terræ Dominus, non illa sanguinem ex latere ejus excipiens, a fundamentis commota fuisset. Nisi esset hic mortis et vitæ Dominus, mors ad illum accedens non prostrata fuisset, nec monumenta sanctorum aperta fuissent. Nisi esset hic templi Dominus, templum, ubi vidit illum crucifixum, non velum suum scidisset. Nisi hic esset is, qui non vult mortem peccatorum, non causam peccatorum precando egisset dicens: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* 23. 34). Hujus quippe mors omnia constituit. Descendit enim ad inferos, et cum omnibus istinc ascendit. Idcirco exclamo: *Domine, memento mei*. Non quasi servum rogo, Memento mei, cum bene tibi fuerit; sed. *Memento mei, cum veneris in regnum tuum*. Et quid ad illum Dominus? *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*. Dicant illi tam accurati indagatores incomprehensibilis generationis, quomodo dixit latroni, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* 23. 43)? Hoc primum interpretentur, et tunc inenarrabilem ejus partum aggrediantur, quem prophetice quidem clamat, *Generationem ejus quis enarrabit? quia tollitur de terra vita ejus* (*Isai.* 53. 8). Hanc fidem Patres dilataverunt, sic incomprehensibilem gloria affecerunt, credentes, non curiose scrutantes. *Hodie mecum eris in paradiso*. Dictum, et factum fuit. Verum, o benigne Domine, omnes justi extra paradisum sunt, et latronem in paradisum inducis? Etiam, latronem primum in paradisum induco, ut mundo suadeam, me non venisse vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Ipsi Christo gloria in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SEQUENTES DE PASCHATE SERMONES.

Qui primus occurrit sermo brevissimus, fragmentum est, non Chrysostomo dignum; sed melioris tamen notæ, quam sequentes, qui a scriptore non indocto quidem, sed admodum intricato profecti sunt.

Septem postea sermones sequuntur ejusdem scriptoris, qui tanta obscuritate præditus est, quanta gaudet perspicuitate Chrysostomus. Stylus omnino perplexus atque ferreus. In scopo autem habet scriptor omnia quæ de agno paschali a Judæis in Ægypto mactato in capite duodecimo Exodi feruntur, ad Christum mactatum pro salute mundi referre. Et quidem ea in re consentiunt Christiani omnes, agnum illum olim immolatum, Christi vere agni pro salute mundi immolati figuram fuisse; verum hic quisquis sit anonymus, vel minima quæque in Exodo recensita, ad Christum mactatum, vel ad Paschæ celebrationem refert, qualis apud Christianos persolvitur: et hæc ad *loquacitatem* usque indagare nititur, sæpeque jam dicta repetit, nec sine fastidio legentis. Septimus autem sermo totus circa diem celebrationis Paschatis, et circa paschalem cyclum versatur. Hanc rem unice tractant sex primæ orationes. De septima vero, quæ tota est in ordinando cyclo paschali, quæque de die Paschatis singulis annis constituendo pluribus disputat, in fronte illius infra agemus.

SERMO CATECHETICUS IN SANCTUM PASCHA.

Si quis pius et religiosus, is fruatur hac sancta celebritate: si quis servus probus, intret lætus in gaudium Domini sui: si quis jejunando laboravit, nunc accipiat denarium: si quis a prima hora operatus est, accipiat hodie id quod justum est; si quis post tertiam venit, gratias agens festum celebret: si quis post sextam horam accessit, ne dubitet; nihil enim perdet: si quis tardavit usque ad nonam, accedat sine ulla dubitatione: si quis undecima tantum hora venit, ne ob tarditatem metuat. Cum enim Dominus liberalis sit, ita postremum accipit, ut primum: sic in requiem admittit eum, qui undecima, ut eum, qui a prima hora operatus est; postremum miseratur, et primum curat; illi dat, hic largitur: et peractum opus honore, et propositum laude afficit. Igitur intrate omnes in gaudium Domini nostri, et primi et secundi mercedem recipite, divites et pauperes simul choreas agite; temperantes et segnes diem honore afficite; qui jejunastis, et qui non jejunastis, hodie lætamini. Mensa cibis referta est, iis

omnes fruamini : vitulus grandis est, nemo esuriens exeat. Fruimini omnes benignitatis divitiis. Nemo lugeat ob paupertatem ; prostat enim regnum commune : nemo lapsus suos defleat ; nam ex sepulcro orta est venia : nullus mortem timeat; liberavit quippe nos mors Servatoris ; a morte captus mortem exstinxit ; infernum castigavit, qui in infernum descendit ; amarum reddidit eum, cum gustasset de carne ipsius : idque olim clamans dixit Isaias : *Infernus amarus factus est* (*Isai.* 19. 9). Cum tibi occurrit infra posito, amarus factus est; nam sublatus est : amarus factus et illusus est. Corpus accepit, et Deum apprehendit : accepit terram, et cælum invenit : accepit id quod videbat, et incidit in id quod non videbat. *Ubi est, mors, stimulus tuus? ubi, inferne, victoria tua* (1. *Cor.* 15. 55)? Christus surrexit, et tu dejiceris : Christus surrexit, et dæmones lapsi sunt : surrexit Christus et gaudent angeli : surrexit Christus et nullus mortuus manet in sepulcro. Christus enim resurgens ex mortuis, primitiæ dormientium factus est : ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN PASCHA. I.

Pascha terrenum celebrant Judæi, qui cæleste Pascha negarunt : nos vero qui cæleste Pascha celebramus, terrenum exsuperavimus. Et quod illi Pascha perficiunt, salutis primogenitorum, qui apud Judæos erant, symbolum fuit; quando cum Ægyptiorum primogenitis Judæorum primogenita non perierunt, quæ per sanguinem paschalis victimæ symbolice servata sunt : Pascha vero a nobis celebratum salutis universorum hominum causa est, incipiendo a primo homine, qui in omnibus servatur et vivificatur. Partes autem perfectorum, et temporanea illa, æternorum imagines et typi, prius excogitata fuerant, ut veritatem nunc orientem adumbrarent : veritate autem præsente, typus tempori cedat oportet; ut adveniente rege, nullus, rege vivente relicto, ejus imaginem adorare dignatur. Hinc vero palam est quantum typus cedat veritati, quod typus brevem celebrêt vitam Judaicorum primogenitorum, veritas autem perpetuam hominum omnium vitam. Neque enim magnum est mortem ad breve tempus effugere eum, qui paulo post moriturus est, sed magnum utique est mortem omnino effugere; quod nobis contingit, quibus Pascha immolatus est Christus. Ipsum festi nomen magnam præfert excellentiam, si secundum rei veritatem explicetur. Pascha enim transitum significat, quod Hebræorum domos pertransierit exterminator ille, qui primogenita percutiebat. Transitus porro exterminatoris apud nos verus est, quia nos intactos pertransit, ad vitam æternam a Christo suscitatos. Sic totum Paschæ argumentum speculari spiritualiter oportet, et apostolicis enarrationibus credere. Fidelis porro desiderat totam figuræ rationem intelligere, quomodo nempe se habeat erga veritatem, atque, ut ita dicam, spiritualia sua per illa olim corporea speculari ; ut legalia omnia ab se secundum Christum mente percipiantur, et per spiritualia clarius corporalia intelligantur, et invisibilia visibilibus quasi depicta appareant. Igitur Deus decimam plagam Ægyptiis inflicturus (erat autem illa mors primogenitorum), Moysi dixit : *Mensis hic vobis erit initium mensium* (*Exod.* 12. 2); primus est vobis in mensibus anni. Ac deinceps præcepit sacrificium Paschatis, et sanguinis unctionem in januis ; atque ex hac unctione primogenitorum salutem pollicitus est. Quid sibi vult illud, si statim ad veritatis speculationem referatur, quod tempus illud anni initium definiatur, quo pascha fiebat ac primogenitorum salus? Quia nobis etiam veri Paschatis sacrificium est initium vitæ æternæ. Annus quippe est sæculi symbolum, quia circulum decurrens in seipsum semper revolvitur, et in nullo quiescit fine. Atque pater futuri sæculi oblatus est Christus pro nobis in sacrificium, ac priorem vitam nostram quasi nullius temporis faciens, alterius vitæ principium dat nobis per lavacrum regenerationis, secundum similitudinem mortis et resurrectionis suæ. Itaque quisquis Pascha novit propter se immolatum, hoc sibi vitæ principium supponat, a quo immolatus pro ipso est Christus. Tunc autem pro ipso immolatur, quando gratiam agnoscit, et vitam per istud sacrificium partam intelligit. His porro cognitis, novæ vitæ initium accipere satagat, neque ad veterem vitam ultra recurrat, cujus finis advenit. Nam, *Qui mortui sumus peccato*, inquit, *quomodo adhuc vivemus in illo* (*Rom.* 6. 2)? Principium ergo anni tale symbolum habet. Decima autem die mensis jubet singulas domos singulos agnos sumere, et tot esse in domo qui comedant, ut totum comedant, et nihil supersit : itemque ut agnus immoletur decima quarta die ad vesperam. Igitur quinque diebus simul est victima immolanda cum iis, qui per illam servandi sunt; finita autem quinta die hostia immolatur, mors pertransit; qui vero servatur, perpetua luce fruitur, noctu lucente luna, et sole lunam excipiente : hoc enim ita fit in decima quarta et plena luna. Hæc vero quinque temporis spatia totum mundi tempus denotant in quinque partes distributum ; ab Adam nempe usque ad Noe, a Noe usque ad Abrahamı, ab Abrahamo usque ad Moysen, a Moyse usque ad Christum, quinta pars a Christi adventu. Quo tempore cuivis homini proposita erat salus per beatum illud sacrificium; sed nondum perficiebatur. In quinto autem temporis spatio verum Pascha immolabatur, et qui per illud salutem consequebatur primogenitus homo, in perpetuam lucem exibat (*Matth.* 20. 1. *sqq*). Quod vero non in ipsa vespera, sed ad vesperam Pascha immolaretur, significabat non in ipso fine præsentis sæculi, sed ad finem passurum esse Christum. Tempus ita divisum exhibuit parabola, quæ in partes quinque diem distribuit, et vocatos esse dicit ad vineam, id est, ad justitiæ operationem, alios circa primam horam, alios circa tertiam, alios circa sextam, alios circa nonam, postremos circa undecimam. Erant enim hæ diversæ vocationes, et diversæ justificationes ; alia tempore Adami, alia tempore Noe, alia tempore Abrahami, alia tempore Moysis ; postrema et perfectissima in adventu Christi, quando merces operum redditur primo iis, qui postremi erant secundum Servatoris parabolam : quia nos primi in baptismate regenerationem accipimus, quibus immolatus est Christus, quo tempore resurrexit, et Spiritum sanctum nobis ad renovationem insufflavit. Hæc itaque quarta decima est mystice considerata, et tale est sacrificii symbolum, et nox illa lucida atque dies quæ sacrificium excipit. Quod autem victima tota in singulis ædibus comederetur, neque carnes foras efferrentur, id significat unam tantum esse domum salutem in Christo habentem, nempe Ecclesiam per totum orbem diffusam, quæ olim aliena a Deo erat, nunc autem sola ad Deum proprie pertinet, quia suscepit eos qui a Domino Jesu missi erant; quemadmodum domus illius Rahab olim meretricis, quæ exploratores a Jesu missos excepit, Jericho devastata, servata sola fuit. Itaque etsi plures sint Hebræorum domus, unius tantum vim habent, ut et diversæ per urbes et vicos Ecclesiæ, quæ plures numero sunt, una sunt Ecclesia. Unus enim in illis Christus ubique est, perfectus ipse et indivisus. Ideo perfecta erat in singulis ædibus victima, nec ad diversas dividebatur. Dicit enim Paulus nos omnes unum esse in Christo, quia *Unus Dominus est, et una fides* (*Ephes.* 4. 5). Unionem ergo illam victimæ indivisibilem lex in Christo fore necessario præfigurabat, necnon Ecclesiæ unitatem. In Christo utique et in sacrificio Christi salutem habemus ; et

omnia, quæ ante adventum fuere, et ad adventum præparata fuisse novimus: et hoc unum ab initio ad salutem toti humano generi propositum fuisse, quasi ante oculos nempe Christum pro omnibus immolari. Hanc porro salutem uni Ecclesiæ competere scimus, neminemque extra Ecclesiam et fidem catholicam posse vel Christi vel salutis esse Consortem. Hæc cum sciamus, non in legalibus, sed in Christo universi orbis salutem perfici novimus, neque ullam spem impiis hæresibus relinquimus, sed a spe prorsus illas excludimus, ut quæ nec minimam habeant cum Christo communionem; sed frustra se de Servatoris nomine jactitent, ut illos decipiant et lædant, qui vel nomini vel speciei potius attendere possunt, quam veritati. Nemo igitur vetera a Christo disjungat: nemo quempiam veterum sine Christo salutem esse consequutum suspicetur; nemo illos, qui nunc falsa docent et veritatem vitiant, vanasque Ecclesiarum formas parant extra veritatem et alienas a Christo, Christianos vocet, vel communionem cum illis habeat; neque enim licet: quoniam non effertur ex sacra domo victima, neque ad communionem extraneis profertur. Sed ad Domini gloriam præfiguratum videmus agnum esse debuisse perfectum, masculum, anniculum: perfectum, quia Christus omni prorsus virtute instructus est, et omni modo immaculatus, atque a principio ad finem nulla expers est justitia, ut ipse ait: *Sic enim nos decet implere omnem justitiam* (*Matth.* 3. 15). Idcirco omnes victimæ offerebantur perfectæ et immaculatæ, quia omnes in figura Christi immolabantur. Sacerdotes quoque perfectos esse et corpore integros jussit Deus, quia omnes figura erant veri Sacerdotis. Masculus erat agnus, quia hic sexus dux est: mas enim corporale habet imperium in feminam. Natura enim et veritate Christus dux est et Rex; utpote qui sit cælestis homo, nobis conjunctus ut frater secundum carnalem naturam, imperans autem ut Dominus secundum spiritualem divinitatem. Ideoque ipse sponsus est unus, quod sponsa sit tota humana natura. Neque Joannes prophetarum maximus sponsus est, ut ipse ait de Christo et de semetipso; de Christo quidem, *Qui habet sponsam, sponsus est;* de semetipso autem, *Amicus vero sponsi, qui stat et audit vocem ejus, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc igitur gaudium meum impletum est* (*Joan.* 3. 29). Neque apostoli sponsi sunt Ecclesiæ; etiamsi similitudinem cum Christo secundum gratiam acceperint, et Christi filii propter Christi Spiritum effecti sint. Sed quid ait beatus Paulus? *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (2. *Cor.* 11 2). Dux ergo et dominator et rex est Dominus, non modo quia Deus erat in hominibus, sed etiam secundum præexsistentem divinitatem, quia natura Rex est omnis creaturæ; non quod ex gratia regnum acceperit, sed quod illud in veritate habeat per generationem a Patre. Adhuc etiam anniculus erat agnus: quod significabat Dominum novum in terra esse, qui nihil antiquitatis in hominibus haberet. Si quis ergo simplicem hominem dicat Dominum, et sic naturæ nostræ ponat esse Christum; hic agnus non est perfectus neque immaculatus; nullus quippe homo est immaculatus; hic agnus non est masculus: nullus quippe homo imperium habet naturale et universum in congeneres sibi homines. Ac qui Dominum inter creaturas numerat, dicitque illum per gratiam deitatem habere, non veram, neque hic masculam habet victimam pro se immolatam. Non enim novit eum, qui natura Rex est, sed ad alium, qui nec natura nec vere rex sit, se convertit. Sed et si quis ex humana vetustate aliquid in Christum derivat, vel ipsum peccati capacem dicere audet; vel legis servituti subjectum, aut morti ex necessitate subjectum; hic anniculum non habet agnum, neque novitatem illam sensit, quæ est in Christo. Restat ut et agni et hœdi symbolum intelligatur. Est igitur agnus, secundum Isaiam, mansuetudinis Christi symbolum: nam *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se mutus* (*Isai.* 53. 7). Hœdus vero secundum legem, est victima pro peccato: *Hœdum*, inquit, *ex capris pro peccato* (*Levit.* 5. 6). Oblatus ergo mansuetus ut ovis, quasi hœdus pro peccato immolatus est, ac per mansuetudinem suam sese obtulit ad salutem hominum, quam consequi precemur per fidem et dilectionem Jesu Christi qui passus est pro nobis, per quem et cum quo Patri gloria, unaque Spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen.

IN SANCTUM PASCHA. II.

Legales figuræ rationabiles et veritati consentaneæ apparent, ut quod agnus sit immaculatus, quam Paschæ victimam lex adhibebat; quod sit masculus, quod anniculus, quod decima mensis captus, decima quarta ad vesperam immoletur, atque ut cum Pascha celebrabatur, id initium mensium reputaretur. Hæc quippe omnia in Christo et in Christi passione constant, et vera necessariaque sunt; secundum se autem seorsim sumpta, nullam possunt habere rationem. Illi vero qui Christum ignorant, nullo modo hæc defendere possint, neque docere cur illa præceperit Deus: neque ullo explicari modo possit, cur victima pro salute primogenitorum præcipiatur, cur unctio sanguinis in foribus; quam vim habeat ad salutem primogenitorum victimarum mactatio; cur necessaria sit sanguinis unctio ad signum domorum. Deus enim absque signis Hebræorum domos noverat; ut mirum sit illud: *Videbo sanguinem et protegam vos* (*Exod.* 12. 13). Qui autem hæc ad veritatem deduxerit, quam rationabilia sint agnoscet, ut in supra dictis aliis ostendimus. Cum enim immaculata victima pro nobis patitur, mors a primo homine inducta solvitur, et primogenitus homo, qui in nobis omnibus est, salutem obtinet, resurrectione Domini vivificatus. Juste namque vita, quæ solvit peccatum et mortem, signum salutare se participantibus efficitur. Et ad hoc respiciens Deus, servat eos qui illo per fidem uncti sunt, qui non alio modo possunt effugere angelum justum vindicem, nisi per sanguinem benigni Domini pro nobis effusum. Viden' quantam vim habet figura cum veritate considerata? Itaque si quis Judæus dicere audeat: Cur Filius passus est ut mundus servaretur, ac si non alius esset servandi modus? dicatur ei: Cur Pascha immolatum est ad salutem primogenitorum Judæorum, ac si non alio modo servari possent? Et ille quid respondeat non habebit (neque enim Deus sacrificio opus habuit, neque signo ut domos cognosceret); nobis vero res ipsa patrocinatur, et sanctam fidem testimonio firmat, cum iniquitas nostra in Christi justitia solvitur, quæ alio modo non solveretur (tenebræ namque a luce dissipantur); et cum mors nostra per Christi vitam fugatur, ut a luce tenebræ. Sacra igitur erat illa quoque victima, quia veræ victimæ typus erat. Hæc autem sacra omnino est, utpote vera, quæ per ignorantiam impiorum hominum morti et neci tradita est; ex voluntate autem Dei in sacram hostiam accepta est; et ex illius placito Patri oblatio facta est. Tradidit enim, inquit, Pater Filium pro nobis; et *Obtulit semetipsum* Patri Christus pro ecclesia, *oblationem et sacrificium in odorem suavitatis* (*Ephes.* 5. 2). Atque illis quidem, qui Christum se occisuros sperabant, perniciosum fuit consilium; iis vero, qui salutem per mortem Domini quærunt, salutaris est fides. Hos ultio et mors pertransit, quia non ad perniciem a morte detinentur, secundum id, quod a Servatore dictum est: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum* (*Joan.* 8. 51). Per sanguinem enim pro nobis fusum, Spiritum sanctum accipimus: siquidem in unum convenerant sanguis et spiritus, ut per conge-

amantes sitis, labores nostros, vestras putatis esse coronas. Ideo non segnis sum ad loquendum : segnitiem quippe meam solvit vestri desiderium; inscitiam meam in virtutis doctrinam vertit pia precatio. Verum hæc in exordio dicta sunto. Ego vero hodie accingente lumbos veritate, indutus lorica justitiæ, et calceatus pedes in præparatione evangelii pacis, contra hæreticos certamen aggredior. Pugnam autem ineo, non verba verbis addens, neque rhetorica gravitate propositorum vincula dissolvens; sed ex accurata vocis divinæ lectione levia hæreticorum problemata quasi telam araneæ dissipans. Est autem hæc apostolica lectio : *O altitudo divitiarum et sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* 11. 33)! Quid dicis, o Paule? divitiæ Dei in profundo jacent, et in alto noscuntur? Etiam, inquit, et in profundo et in alto : in profundo propter humanitatem; in alto propter divinitatem. Ita enim per prophetam œconomiam revelans dicit ad Achaz : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum, vel in altum* (*Isai.* 7. 11); in profundum, propter œconomiam sive incarnationem; in altum, propter theologiam. Profundum enim signum est, nasci ex Virgine; alta autem prædicatio est, Deum ex Deo nasci. Tu igitur, o homo, neque altum comprehendis curiose scrutando, neque profundum quantolibet conatu reperis. Venerandæ namque sunt Christi generationes : altera quippe est secundum naturam, altera præter naturam. Nam præter naturam in novissimis temporibus ex Virgine natus est; secundum naturam autem ante sæcula ex Patre natus est, ut novit Genitor. Superna autem generatio verissima est. Vere namque ex Deo Deus natus est, vere ex Virgine homo Deus cum hominibus natus est. Superne unus ex uno Unigenitus; in terra unus ex una Unigenitus : ac quemadmodum in superna generatione impium esset matrem suspicari, sic et cum Virgine blasphemum esset suspicari patrem. Pater sine fluxu genuit, Virgo incorrupta peperit. Neque enim Deus fluxum gignendo passus est; nam ut Deum decebat genuit : neque Virgo pariendo corruptioni obnoxia fuit; spiritualiter enim peperit. O novum miraculum! o venerandum et ineffabile mysterium! Dicere ausim, nec dicendo aberrabo : etiam sursum virginem naturam genuisse; pura namque et incorrupta est deitatis substantia : et in terra virginem incorruptam peperisse incorruptum : nam *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Act.* 2. 27). Cum natura ordine procedit tunc quæ secundum naturam sunt quære, o homo; cum Deus quid imperat, tunc natura suum negat ordinem, illaque facit, quæ Dei lex optat. Exempli causa, jussit Deus petram in deserto aquas effundere, et effudit, non quod in sinu habebat, sed quod jussio indidit. Sicut ergo petra nutu Dei fons effecta est, et aquarum torrentes peperit, non ex subjecta vena, non ex flumine mutuata; sed arida, sine vena et humore, statim fluviorum mater effecta est, quam non habebat aquam large effundens : sic nuptiarum expers Virgo, obumbrante Spiritu sancto, Dominum nostrum secundum carnem peperit, non naturæ ordine mota, sed Altissimi virtute ad partum progressa. Non enim aliunde mutuata præter naturæ legem peperit, sed Spiritu sancto roborata, sic peperit, ut Dei gratia voluit. Nam ait : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* 1. 35). Si vis cognoscere, quomodo natura suum neget ordinem, ut præter naturam Dei voluntati ministret, interroga virgam Aaronis : Dic, Virga arida, quomodo folia et fructum in momento præter naturam protulisti? Non te Moyses in terra prius posuit, non imbribus irrigavit, non radices tempus fovit et aluit; non æstatem, non ver vidisti, non hiemem vel autumnum : quomodo igitur folia, flores et fructum tulisti? Non conversionibus aeris, inquit virga, non mutationibus tempestatum servivi; sed divino ministrans verbo naturam calcavi, et præter naturam fructum dedi, ut et secundum naturam et præter naturam optimi Artificis voluntati serviamus. Sicut ergo virga præter naturam fructum dedit, o homo, ut Judæa crederet, sic et virga vivens, regia Virgo, sine legalibus nuptiis peperit, ut salus pareretur orbi.

2. Si dicas, Quæ similitudo inter virgam germinantem et Virginem parientem? disce multum interesse similitudinis. Virga namque figura erat Virginis; illa imago, hæc veritas; illud prius indicium erat, hæc demonstratio. Ut enim virga illa fructum præter naturam dedit, sic et hic Virgo florem natu ræ præter naturam germinavit. Nam ait : *Egredietur virga de radice Jessæ, et flos ex ea ascendet* (*Isai.* 11. 1). Non frustra igitur Paulus divitias Dei miratur, id est, carnalem Christi œconomiam. O hæreticorum incredulitatem! o rabiem et linguam Deo inimicam! Paulus cælorum civis, paradisi spectator, Christi fervens amator, ineffabilium mysteriorum auditor, ubi œconomiam exploravit : inhorruit et caligine perfusus est; et vos divinitatem explicantes non exhorrescitis? Paulus judicia Dei investigabilia dicit, et tu Patris naturam ut apprehensu facilem scrutaris? Tempus est te evocandi, ut mœstus te convertas contra illa ineffabilia, quæ tu dixisti. Quomodo Virgo genuerit non nosti, et vis nosse quomodo Deus genuerit? Eam quæ sub Herode fuit Christi secundum carnem generationem, quomodo nempe facta sit, ignoras; et illam ex Patre sine principio, inexplicabilem, venerandam et ineffabilem, ante omnem intellectum, ante tempora et sæcula, sine medio factam, interpretari audes, et explorare tentas? Si Thomas Christi corpus crucifixum tangens non sine reprehensione mansit, etsi apostolus esset, quo sunt supplicio digni, qui non manu Christi corpus tangunt, sed lingua æternam divinitatis ejus naturam scrutantur? Thomas quippe quod norat corpus tangebat; illi quam non norant divinitatem, ac si viderent, scrutati sunt. Dic, quæso, gravis et perite rhetor Eunomi, qui tripliciter divinitatis naturam dijudicas, qui parum abest quin deos iterum confingas, cur creatum, non genitum Christum dicis? Ne, inquit, fluxus rationem increatæ Dei naturæ tribuam : generantem quippe necesse est fluxum subire. Ergo etiam creantem necesse est subire laborem. Nam qui creat, non sine labore creat? Si ergo ut fluxus rationem devites, Patrem dicere recusas, ne Creatorem dicas, ut ne laborum et sudorum suspicionem injicias. Sed non eamdem, inquit, quam de hominibus habemus sententiam, de Deo debemus habere. Homines quippe cum creant, cum labore et sudore creant; Deus vero creans, sine labore creat : natura quippe incompositus est. Quia igitur, o sophista et erudite, Deus creans, sine labore creat, non potest vero sine fluxu gignere, sed quando creat, ut Deus sine labore creat? quando autem gignit, ut homo fluxum patitur? et creans sine passione creat, gignens vero in passionem incidit humanam? Exhorresco, timeo, tremo, blasphemam, impudentem, et effrenem hæreticorum linguam, dum cogito, illos credere quidem Virginem sine corruptione peperisse, sed num Deus sine fluxu genuerit dubitare. Incorrupta Virginis vulva post partum integra mansit, o homo, et Patris natura gignens, fluxum non effugit? Sed Virgo post partum virgo mansit, nec ex partu virginitatem perdidit; Pater vero postquam genuit, idem manere non potuit, ita ut ejus substantia sine fluxu et mutatione manserit? Et ubi corporis moles, membrorum harmonia, ossium compago, nervorum ordo, venarum plenitudo, articulorum vincula sunt, infans ut ipse novit exiit, in virginea vulva sese ineffabili modo efformans; ubi vero non corpus, non membrum, non articuli, non nervi, non ossa, non venæ sunt, sed intacta, incorporea, invisibilis natura, fluxum inducis, et imminutionem cogitas? Exiit ex vulva, et integra vulva mansit. Nam qui sine semine in Virgine animatum sibi templum fecit, ipse

intemeratam vulvam servavit ut Deus. Opera quippe Dei non naturæ rerum serviunt, sed Dei Verbi jussum sequuntur. Aliquando enim Deus secundum naturam creat, ut naturæ ordinem cognoscas; aliquando autem præter naturam creat, ut discas operantis potentiam. Neque enim omnia secundum naturam fiunt, ne natura Deus esse dicatur: neque omnia præter naturam, ne putentur naturæ confusionem esse ea, quæ præter naturam fiunt? Efformat Deus secundum naturam, et creat etiam præter naturam, ut discas naturam ancillæ more, et secundum naturam moveri, et præter naturam currere, Dei jussum implentem.

3. Dic vero tu, qui quæstionem moves, quomodo Christus ex intemerata vulva prodiens, virginitatis signaculum non delevit, quomodo ex virgineo Adamo virgo Eva prodiit? Nam Deipara Maria, quæ virum non noverat, virum peperit; primus homo Adam, qui mulierem non noverat, mulierem germinavit. At virginem gignere, licet res stupenda sit, aliquid tamen rationis habet, in quantum venter, vulva, et naturalis infantibus via jam efformata est; sed in Adamo stupenda omnia sunt. Quis enim vidit ex costa natum hominem? quandonam costa fructum tulit? Somnum immisit Deus Adamo, ne de sublata costa doleret, verum ejus vincula consopivit: vincula quippe sunt naturæ, nervi. Cujus rei testis est Daniel dicens: *Et vidi visionem et cecidi, et vincula lumborum meorum soluta sunt* (*Dan.* 10. 9. *et* 5. 6). Costam ergo lege naturæ firmatam, nervorum vinculis connexam, carnibus contextam, venis conjunctam, quomodo abstulit? quomodo avulsit? quomodo sublata costa Adam incolumis mansit? Quomodo? Qui solvit ipse novit; qui solvit ipse colligavit. Etenim si alius ligasset, alius solvisset, hinc quæstio oriretur: sed si is, qui concinnaverat, ipse solvit; si is, qui costam ex terra formaverat, costam abstulit: ipse solus novit quomodo solverit, qui solus novit quomodo membrorum harmoniam composuerit. Ut ergo post sublatam costam incolumis mansit Adam, sic post infantis exitum incorrupta mansit Virgo. Neque enim post sublatam costam harmonia membrorum Adami læsa est, neque exeunte infante virginitatis signaculum temeratum est. Quemadmodum enim apud nos si quis alienum vinculum solvere velit, ipsum destruit et abscindit ob imperitiam; qui vero ligavit, sine labore solvit; harmoniam quippe ligaminis novit: sic Deus qui corpus concinnavit, constrinxit et perfecit, et nervorum vincula noverat, et quomodo costam cum costa copulasset, et articulum et membrum, et ex iis quæ colligaverat scite et sapienter costam abstulit, nec Adamum imminuit. Seipsum efformavit unigenitus Dei Filius in Virgine, neque efformando virginitatem solvit, neque per vulvam exiens vulvam corrupit. Dic ergo, o sophista et erudite, Quid facilius est, virginem parere, et post partum virginem manere, aut virgam ad vitam vocari, et ex animali rursum virgam fieri? Quomodo virga Moysis in draconem mutata fuit? quomodo inanimatum animam accepit? quomodo res immobilis in terra repsit? quomodo rursum ex serpente virga facta est, quæ suam agnovit naturam? Modo namque ex virga draco, modo ex dracone virga effecta est. Ut ergo virga Moysis, o homo, secundum naturam virga, secundum œconomiam draco fuit: sic et Maria secundum naturam virgo, secundum œconomiam mater facta est, ut Chaldæorum magi crederent, quemadmodum, ut timeret Ægyptus, virga in draconem mutata est. An tu nolis Virginem apparere ad mundi salutem? Utique in terræ motibus muri scinduntur et conjunguntur, et Christo nascente non aperietur vulva, et rursus claudetur? In terræ motibus ita scinduntur muri, ut mortis periculum inferant; et ita denuo junguntur, ut ne vestigium quidem scissionis maneat: et in partu illo incorrupto nolles vulvam illam solvi in honorem infantis, et denuo jungi et copulari, ac virginitatis formam recipere per virtutem operantis? Nec mihi dicas, Unde substitit caro et sanguis non subjecto semine? Nam ex iis, quæ apud nos fiunt, possumus id, quod supra nos est, ediscere. Et evoca mihi ad exemplum pictores, qui sæpe plantas, arbores, prata, fluvios depingunt; et cum naturam sibi opitulantem non habent, arte conantur per colorum mixtiones rerum imagines offerre. Fluvium enim repræsentant, nihil a fluminum alveo mutuati: hominem faciunt, natura humana nihil sibi commodante. Quemadmodum ergo pictores colorum ope hominem, fontem, fluvium depingunt, cum nihil a fonte, fluvio vel homine acceperint: sic et Spiritus sanctus in Virgine non coloribus, sed voluntate animatum efformavit hominem, nullumque mutuatus est ab humana natura semen ad alius constitutionem. Deus accepto pulvere de terra non humanis manibus (incomposita quippe est deitatis natura) Adamum ut voluit efformavit: Spiritus vero sanctus non pulverem accepit, non humana lege semen injici concessit, sed solum illuxit, ossa compegit, nervos tetendit, nares, aures, oculos, linguam, manus, pedes, animam, mentem, cogitationem, rationem constituit; etsi id hæretici minime velint. Ut enim ii, qui in speculo respiciunt, imaginem sui oppositam oculis vident, ex informi materia paratam, imaginem sæpe ridentem, flentem, commotam, varios subeuntem modos, ac viventis formæ habitus imitantem: sic et Spiritus sanctus in puro speculo, immaculato nempe Virginis corpore illuxit, perfectumque creavit hominem, non lege naturæ, non tempore, non humano semine usus, sed solo aspectu, ac spirituali sanctaque virtute, Virginem ad partum movit, ineffabilique modo infantem in illa contexuit ut vestimentum, ad salutem hominum. Hæc quidem ita se habent. Nos autem pro illis quæ diximus, gloriam Deo, qui propter nos homo factus est, referamus: quia ipsi gloria, necnon Patri et sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

AD HOMILIAM SEQUENTEM.

Non est quod lectori probemus, et argumentis demonstremus, hanc homiliam perinde atque præcedentes sermones supposititiam esse. Ipsa res per se clamat. Ubinam Chrysostomus ita balbutit, ut hic quisquis tandem sit Græculus? cujus opusculum non in publicum emisissemus, nisi Savilius jam inter *dubia* edidisset.

IN PRODITIONEM SERVATORIS, ET IN LOTIONEM PEDUM.

1. Vellem crucis speculationes in finem deducere, non quasi sensa assequutus, sed ut ea pro virili fidelibus exponam. Non deest quippe sermo ad divina eloquia explicanda; verum dicta commetiri oportet cum humana facultate, non quasi ipsa sufficiat ad comprehensionem, sed quasi Deo præbente; non

quanta dare potest is qui dat, sed quanta potest capere is qui accipit. Quemadmodum enim mater lactenti puerulo panem potest quidem præbere, sed infans illo uti nequit : ita nec Deo impossibile est præbere sapientiam majorem et supernaturalem; sed nos capere non valemus. Cum enim in mortali corpore habitemus, cognitionem mortali naturæ congruentem accipimus. Nihil ergo nobis Deus loquutus est secundum perfectionem sibi competentem, sed dicta ad mensuram infirmitatis nostræ temperavit. Ideo dicebat Servator : *Multa habeo dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* 16. 12); et alibi dicit Servator Nicodemo : *Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis* (*Ibid.* 3. 12)? Dicamus ergo, Deo suppeditante, quantum humana facultas ferre potest. Diei vero spatium nobis præscinditur, volentibus ulterius speculari; præscinditur, inquam, ab Evangeliorum lectione. Verum illud alio tempore dicetur; jam de iis, quæ in hac die gesta sunt, verba faciamus. Hodie Christus hoc quinto sabbati sive hebdomadæ die, in vespera ante passionem, discipulorum pedes lavit, et Pascha in lege figuratum perfecit, salutareque passionis mysterium tradidit; ut jam vere dicamus, veritatis sermonem non nobis præscindi : nam illa enarratio ad crucem spectat, et sic regula servatur. Veniamus ergo ad seriem, illa præscindentes, ut gustum quemdam in animas vestras Christi amantes inferamus. Quomodo intelligendæ sint traditiones de sacris mysteriis nostris, brevi et clara demonstratione explicemus. Dicit Servator discipulis : *Scitis quia post biduum Pascha fiet; et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur* (*Matth.* 26. 2). Sæpe Servator prædixit discipulis suis simul ostendens se scientem non fugere, nec prænoscentem declinare; una vero sedans apostolorum animos, ut parati et præscii perturbationem effugerent. Cum res præscitur, repentinus casus perturbationem non affert. Quod et David prædixit : *Paratus sum, et non sum turbatus* (*Psal.* 118. 60). Hoc fit in tonitruis : præcedens fulgur mentem præparat ad tonitru excipiendum, ut exspectatio majorem solvat timorem. Sic et Servator ne repente ex passione turbarentur, illam prædicit, ita ut etiam apostolis exprobraret, diceretque post resurrectionem : *Hi sunt sermones mei, quos loquutus sum vobis, quia oportet Filium hominis multa pati* (*Luc.* 24. 44). Exprobrabat illis, quod scopum, quo hæc prædixerat illis, non assequuti essent. *Prædixi*, inquit, *ut non scandalizemini* (*Joan.* 16. 1); et turbatio vos occupavit. *Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur* (*Matth.* 26. 2). Nusquam reperies Servatorem memoravisse passionem, nisi humanam personam inducentem, et quasi de alio loquatur. Non dixit, Tradar, sed *Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Nusquam reperies Servatorem traditum, sed Filius hominis tradetur; et ubique quasi de alio loquitur. Cum vero de divinitate clare loquitur, ait : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* 10. 30). Non dicit, Ego et Pater qui misit me; sed, *Ego et Pater unum sumus;* et, *Qui vidit me, vidit et Patrem. Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur* (*Ibid.* 14. 9). Joannes vero quam certo loquitur? Ne quis putaret, tempu illud præsens ex necessitate esse, vide cum quanta affirmatione loquatur : *Sciens quia venit hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos* (*Ibid.* 13. 1); ac si diceret, Perfectam exhibuit caritatem. *Et cœna facta surgens deposuit vestimenta sua, et præcinxit se linteo, et immisit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum* (*Ibid. v.* 2. 4. 5). Pudeat hæreticos. Si audiant Servatorem dicentem, Facio voluntatem Patris mei, statim dicunt (*Ibid.* 5. 30. *et* 6. 38): Viden', quomodo subditus sit et obediat Patri? In illa hora rem terribilem videre erat. Cur surrexit et deposuit vestimentum suum, qui amictus erat lumine sicut vestimento, et præcinxit se linteo? Tunc videre erat veram illam Pauli vocem : *Cum in forma Dei esset, formam servi accepit* (*Philip.* 2. 6. 7). Præcinxit se linteo qui operit cælum nubibus; et immisit aquam in pelvim, qui fluminibus, fontibus, maribus aquarum naturam infudit. Cogita discipulum sedentem, et Dominum incurvatum et ad genua respicientem, cui flectitur genu cælestium, terrestrium et infernorum. Humilitas Servatoris omnem exstinxit superbiam : illa modestia omnem exstinxit arrogantiam.

2. Cum video Servatorem lavantem pedes discipulorum, Isaiæ (*a*) circa superbiam nostram dictum profero : *Quid superbit terra et cinis* (*Eccli.* 10. 9)? Cogita Dominum incurvantem se ad pedes servorum, et lavantem ipsos. Quomodo hæc dicantur, vel quomodo taceantur? Sermo non sufficit, silentium de ingrato animo accusat. Ecquid faciemus, cum enarrare non possimus? *Cœpit lavare pedes discipulorum, et linteo tergere.* Ne unam quidem ministerii speciem reliquit. Non permisit, ut aqua ab aliis immitteretur, et ipse lavaret: neque ipse lavit, et alii absterserunt. Videturque hic stupendum quoddam mysterium discipulis aperire. *Cum dilexisset*, inquit, *discipulos suos, in finem dilexit eos*, dicit Joannes. *Et cœna facta, cum jam diabolus immisisset in cor Judæ Simonis Iscariotæ, ut traderet eum, surgens, deposuit vestimenta* (*Joan.* 13. 2). Non sine causa ita dixit, sed ut ostenderet, cum jam proditor proditionem meditatus esset, Servatorem tamen non dubitasse proditoris pedes lavare : noverat ipsius dolum, et tamen lavit. Quid ergo? an personarum acceptio est apud Deum? Absit. Non semper inter lædentes et læsos est personarum acceptio. Si læsus lædentem honoret, non personarum acceptio, sed humilitas est; si vero læsus clam malum operetur, specie autem bene affectus sit, ea est simulatio. Ab ipsa re exemplum accipe. Sciebat Judas, qui tradebat Dominum, id impium esse : nam cui insidiabatur, ei osculum offerebat. Servator vero læsus lædentem honorabat, quod non injustitia erat, sed humilitatis excessus, quam et Deus laudat et homines admirantur. Vis exemplum videre? Intuere Joabum Davidis ducem exercitus. Is Abnarum, alium ducem, et amicitiæ verbis coluit, et clam gladio per ilia confodit : fratrem vocabat, et ut inimicum occidebat (2. *Reg.* 3. 27). Ideo malum est simulatio. Alias autem cum is, qui læsus est, lædentem beneficio afficit, res laude digna est. Jacob timebat fratrem suum Esaü, et rogabat Deum dicens : *Erue me de manu fratris mei, ne veniens occidat me* (*Gen.* 32. 11). Cum autem videt illum, honore afficit et ait : *Vidi faciem tuam, ac si quis videret faciem Dei* (*Ibid.* 33. 10). Cum autem illum ut inimicum et homicidam cerneret, Deus cum sciret illum non insidiose ita loqui, sed ut insidias effugeret, ipsi pepercit. Sic si quis amicitiæ verba proferat, non ex dolo, sed ut dolum effugiat, Deus non ideo indignatur : ipse namque ejus doctor est : *Verbum submissum avertit iram* (*Prov.* 15. 1). Cum jam, inquit, diabolus immisisset in cor Judæ, ut Servatorem proderet, Servator benignitate volens ejus ingratum animum vincere, et mansuetudine arrogantiam solvere, ejus pedes lavit. Ego non tantum miror Dominum sua præstantem (opus enim ipsius mansuetudo erat), quantum illum dolo plenum. Quo animo pedes obtulit? quomodo vidit sanctas Domini manus circa pedes suos versantes? quomodo non obtorpuit? quomodo non exhorruit? Attamen clemens illa natura fert patienter. Videtur autem ipsum primo lavisse. Quare? Nisi lavisset pedes proditoris, sed postquam alios laverat, ipsum reliquisset; hoc certe fuisset a Servatore alienum, atque hinc Judas ansam arripuisset : Ipse me segregavit, ipse me abalienavit : omnium pedes lavit, me autem damnavit. Quo animo poteram cum illo esse? Vidit Deus cor confractum, et noluit jam ex se confractum ipse confringere. Id vero indicat illud : *Calamum conquassatum non confringet* (*Matth.* 12. 22). Attamen discipulorum pedes lavit. Ultimo venit ad Petrum. Dum autem alios la-

(*a*) Hic Isaiam pro Siracide posuit, quod et aliis scriptoribus, imo etiam Chrysostomo accidit.

varet Servator, cogitabat Petrus dignitatem Domini, vilitatemque hominum; vilitatem hominum et gloriam ejus, qui ubique celebratur; et apud se decrevit lotionem non admittere. Venit ad eum Servator, et ait ille. *Domine, tu mihi lavas pedes* (*Joan.* 13. 6)? tu, qui mortuos suscitas, qui leprosos mundas, (illud enim *Tu*, magnam vim habet); tu, cui ego testificatus sum, *Tu es Christus, Filius Dei vivi* (*Matth.* 16. 16) Si ex ignorantia dixissem, id humanam fuisse conjecturam contigisset: si vero tu ipse vocem meam obsignasti dicens, *Pater meus cœlestis revelavit tibi* (*Ibid. v.* 17), an dominicis manibus servi pedes lavare sustinebis? *Non lavabis mihi pedes in æternum* (*Joan.* 13. 7. 8. 9) Quid ergo Servator? Vocem ejus confutavit dicens: *Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea*; ac si diceret: Scopum meum ignoras. Nec tamen ille repressus est; sed his auditis dixit: *Non lavabis mihi pedes in æternum*. Ostendit animam adamante duriorem. Protulit vero Servator ignem suum, et adamantinam animam reddidit cera molliorem. Itaque, inquit, tu ita rebellis et contentiose, solve institutum tuum. *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum*. Ille autem rebellis et contentiosus dixit: *Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput*. Tota summa privabat, et cum usura reddidit. Non est mos Christianorum esse pervicaces; non oportet Christianum sui amantem esse; non decet esse ad insidias parandas callidum, sed sine fuco virtutem adire: quem esse oportet lætum lætitiæ tempore, mœstum vero tempore mœstitiæ, ut dicit Paulus, *Gaudere cum gaudentibus*, jejunare cum jejunantibus, *flere cum flentibus* (*Rom.* 12. 15). Hoc enim est quod dicit Paulus: *Sive manducatis, sive bibitis, omnia ad gloriam Dei facite* (1. *Cor.* 10. 31). Nihil ergo profuit Petro pervicacia: soluta quippe fuit ut in aliis. Quando Christus venit ut baptizaretur, dixit ei Baptista: *Domine, ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me* (*Matth.* 3. 14. 15)? Dicit illi Servator: *Sine modo*. Ne contendas, ne repugnes, quia divina est voluntas; ne ante tempus dignitatem reveles; sine me ordinem replere, et vere ostendere me hominem assumpsisse, ut per hominem verum, Deum verum exhibeam. Solum dixit, *Sine modo*, et statim significat evangelista, *tunc dimisit eum* baptizari. Contendit ut pius, et obedivit ut religiosus. Sic et Jeremias cum Deo contendit: *Qui es dominator, Domine, tu nosti quod puer sim. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, Puer sum, quia ad quos te mittam, ibis* (*Jer.* 1. 6. 7). Solvit pervicaciam auctoritas. Rursum Moyses restitit dicens: *Constitue alium: nam gracilis voce et tardus lingua sum* (*Exod.* 4. 13. 10). At non cessit ille.

3. Sed ad propositum revertamur. Dicit Servator: *Nisi lavero pedes tuos, non habebis partem mecum* (*Joan.* 13. 8). Hinc sciamus oportet partem fidelium esse Deum, et partem Dei esse fideles. Nimirum totus mundus Dei est, fideles autem novit Deus. Totus mundus, inquit, a me creatus est: at nihil ita curo, ut fidelium partem. Ideo fideles clamabant ut David: *Portio mea Dominus in terra viventium*; et rursum: *Dominus pars hereditatis meæ* (*Psal.* 141. 6. *et* 15. 5). Maria vero sedens ad pedes Domini, doctrinam audivit, et ait Servator: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* 10. 42). Viden' fidelium partem esse Deum? Necesse demum est ostendere, quomodo fideles pars Dei sint. Ait Moyses: *Quando dividebat Altissimus gentes, dispersit filios Adam: constituit terminos populorum juxta numerum angelorum Dei; et facta est pars Domini populus ejus Jacob* (*Deut.* 32. 8. 9): quia mundus totus illius erat, solus autem populus ejus Jacob audivit. Sic et Amos propheta dicit: Et vidi, *Et ecce jussit Dominus ultionem in igne, et devoravit abyssum multam, et devoravit partem Domini*, nempe populum. *Et dixi: Desine, Domine, a Jacob, quia parvus numero est* (*Amos* 7. 4. 5); id est, Ne absumas nos. Hæc dicta sunt, quoniam Servator ait: *Nisi lavero te, non habebis partem mecum*. Portio ergo fidelium Deus est, et portio Dei fideles. Ait Petrus: *Domine, non tantum pedes meos* lavabis, *sed et manus et caput*. Putavit Petrus lotionem illam esse remissionem peccatorum, et toto corpore remissionem accipere optabat. Lotio autem non erat remissio peccatorum, sed pietatis argumentum. Deinde dicit Servator: *Qui lotus est, non opus habet nisi ut pedes lavet. Jam vos mundi estis propter sermonem quem loquutus sum vobis* (*Joan.* 13. 10. *et* 15. 3). Sed hæc quidem hujusmodi fuere. Postquam autem laverat et absterserat, accepit vestimenta sua et recubuit. Servavit servi formam, et postea ut Dominus recubuit, et cum auctoritate dicit: *Nescitis quid fecerim vobis?* Ac si diceret, Non intellexistis. *Nonne vos dicitis me Magistrum et Dominum? et bene dicitis; sum etenim*. Hic auctoritatem demonstrat. Ejecit formam servi, et induit Dei formam. *Nonne vos me dicitis Magistrum et Dominum? Si igitur ego Dominus et Magister lavi pedes vestros, quanto magis vos debetis alter alterius pedes lavare? Exemplum enim dedi vobis* (video pietatis exemplum fuisse), *ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos invicem faciatis* (*Joan.* 13. 12-15).

4. His ita gestis accesserunt ad eum discipuli ejus, et dixerunt: *Domine, ubi vis paremus tibi, ut manduces Pascha?* Vide Dei præscientiam. Ait, *Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ portans. Sequimini eum quocumque ierit: et in quamcumque domum introierit, dicite domino domus: Magister dicit, Tempus meum prope est: apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et ipse ostendet vobis cœnaculum stratum* (*Marc.* 14. 12-15. *Matth.* 26. 18). Duo observat, apostolorum viam dirigit ut interrogent dominum domus; et ne putent ipsum ignorare locum, ait illis: *Ostendet vobis cœnaculum grande stratum*. Si locum prædicis, cur discipulis ais, Interrogate de loco? Priusquam interrogaremus, jam didicimus. Etiam, inquit, me decet prædicere ut Deum, et vos par est interrogare ut homines. Nusquam autem Christus mysterium tradit in humilibus locis, sed in montibus, aut in cœnaculo: nihil enim in Christo infimum. Ideo cum apostoli supervenientem acceperunt Spiritum sanctum, in cœnaculo congregati erant. *Tunc*, inquit, *misit duos ex discipulis suis*, ut pararent Pascha. Quinam hi erant? Petrus et Joannes. Cur ex duodecim Petrum et Joannem misit? Petrus erat qui confessus fuerat, *Quia tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* 16. 17): Joannes vero prædicaturus erat, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* 1. 1). Mittit fundamentum fidei, et filium tonitrui; ut in fundamento pietatis mysterium figeret, et in filio tonitrui justitiæ præcepta fulgurarent. Rursus cur Petrum et Joannem mittit? Ut ostenderet honorabilis conjugii et virginitatis donum expandi; et Paschæ consortes esse tam honorabiles conjugatos, quam virgines, si recte vivant. Misit virginitatem et honorabile conjugium, ut parent sibi Pascha: ut in monte Moysen et Eliam exhibuit, quorum alius ex honorabili conjugio, alius ex virginitate fulgebat; ut et honorabile conjugium et virginitas Christo adstarent. Nam *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* (*Luc.* 22. 15). Non vi cogitur, non coacta est passio; sed voluntarius animus. Si Dominus ut beneficium præstaret dixit, *Desiderio desideravi*, quid dicemus nos? Voces quippe nostras excipis, Domine, nostra suscipis peccata, et beneficiis præfulges. Nos dicere debemus, Desideramus videre Pascha: et tu nos prævertis? an fons unquam appetit sitientes, an sitientes fontem? an mensa appetit esurientes, an esurientes mensam? Nos dicere par est illud Davidis: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Psal.* 41. 1). Sed quia propositum est Servatoris mysterium, ipsa gloriosa passio, ipsa passionis traditio, sermo tempori cedat oportet; ut et qui sitiunt fruantur, et fideles confirmentur, et qui illuminandi sunt, pignus accipiant, fidelesque custodiantur. Ne doni obtentu jejunii cursum solvas. Sicut qui longam emensus est viam,

ut corpus curet quiescit [1] sive in diversoriis, sive in aliis locis, viam non intercipit; sed quiescit quidem ut corpus curet, a scopo autem susceptæ viæ non abscedit: sic et nobis bonorum suorum fructum dedit Servator, non ut deliciemur, sed ut carnem et animam fatiscentem curemus. Ne itaque mysteriorum obtentu alienum quidpiam inducas: ne quia ejus particeps es, gratiam crapulæ sororem esse putes. Hæc observent, non fideles modo, sed etiam catechumeni. Ante largitionem doni dignitatem ostende. Quid opus est verbis? Conscientiam tuam examina. Qua fiducia accedit is, qui jejunium violavit? Revera hodie accedit, et nemine incusante, conscientia te redarguet. Vidistin' unquam aliquem qui accusatorem secum ferat? Habeto potius conscientiam tibi patrocinantem. Hodierna dies, id est, sancta hæc mystagogia, non jejunii cursum expetit, neque mystagogiam illam in sancto Paschate; sed quia in hac est passionis traditio, in illa vero resurrectionis; consortes ejus simus et resurrectionis participes. Hodie consortes simus passionis, tunc resurrectionis: hodie hujus consortes ne nos deliciis dedamus, sed lacrymis; nam post resurrectionem mœstitia non est. Nunc Christus patitur, et tu deliciaris? Nescis multos sæpe proceres objurgatos fuisse, quod in regio luctu deliciati essent, et supplicio affectos fuisse? Tu vero dum vides Dominicam passionem adhuc in cruce fulgentem, necdum adveniente resurrectione resurrectionis lætitiam præoccupans, te deliciis dedisti? Hæc dico, non quod ipsum Servatorem luctu prosequi oporteat, quasi luctu digna perpessus sit; sed quia nos par est gratum animum exhibere, ut consortes facti ejus passionis, consortes simus etiam resurrectionis: quia ipsum Dominum decet gloria, honor, adoratio, una cum Patre et sanctissimo vivificoque Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Præstat forte legere, *etiamsi, ut corpus curet, quiescat.*

ADMONITIO

IN SEQUENTEM DE LATRONE SERMONEM.

Hunc Chrysostomi non esse statim quivis dicet vel mediocriter peritus, nec est ea in re diutius immorandum. Sed, quod observandum est, post hunc sequitur apud Savilium sermo alius cui titulus, εἰς τὴν ζωοφόρον ταφὴν, *In vivificam sepulturam.* Initium vero εἴδετε χθὲς λῃστοῦ εὐγνωμοσύνην, καὶ Ἰουδαίων μανίαν, *Vidistis heri latronis probitatem, et Judæorum insaniam.* Quod exordium ita concinnatum est, ut suadeatur, eumdem esse qui præcedentem de latrone, et hanc de sepultura Christi concionem emisit. Idque dolo machinatus est Græculus quispiam. Verum, ut certum est priorem homiliam non esse Chrysostomi, ita vel ex stylo statim perspicuum est, posteriorem sancti doctoris esse. Est autem ejusdem homilia octogesima nona in Matthæum, quam repetitionis vitandæ causa prætermisimus. Epilogus vero moralis ex diversis Chrysostomi locis consarcinatus fuit.

IN LATRONEM ET IN PRODITIONEM SERVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI.

1. O quanta vis est nostræ fidei! o quantum valet precatio populi Christi amantis pro sacerdote peccatore supplicantis! Ne te hic ordiendi modus stupore percellat: illud enim divino Paulo doctore vobis dicere didici, qui hæc in epistolis suis clare dicit discipulis: *Precamini pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei* (*Ephes.* 6. 19). Si vero Paulus, vas electionis, homo cælestis, gratiæ orator, precationibus discipulorum suorum opus habuit, quanto magis ego, quem omnes peccatorem esse nostis? Attamen vel publicanus, qui a malo instituto se removit, discipulus Domini factus est. Scio quoque meretricem pœnitentiæ lacrymas Domini vestigiis offerentem, meretricias famosas sordes abluisse: scio etiam prudentem illum latronem, res magnas per fidem rapuisse: nam furti hujusmodi lucrum paradisus fuit. Sentio et ego me eamdem anchoram arripuisse. Talem quippe habemus Dominum clementem, qui acceptam habens sinceram nostram precationem, statim misericordiam suam impertit. Nam legem dedit; sed cum lex illa umbram solum futurorum bonorum haberet, non autem ipsam rerum veritatem, illuminare non potuit. Propheticam vero turbam quasi legatum misit; verum propheticus ille populus, a morte detentus, clamavit dicens: *Ego sum terra et cinis* (*Gen.* 18. 27). Angelus immutabilis manendo incarnari non poterat. *Non angelus*, inquit, *non legatus redemit eos, sed ipse Dominus* (*Isai.* 63. 9). Vidit enim orbem auxilio destitutum, et ad ipsum clamantem: *Inclina, Domine, cælos tuos, et descende* (*Psal.* 143. 5). Nam si tu, inquit, ad nos non descenderis, nos per alium ad te non possumus ascendere: Vidit ergo, nec despexit deprecationem; sed inclinavit cælos et descendit in terram, nec se vacuos cælos reliquit. Conceptus est in virginea vulva, toto orbe ampliore. Quem enim capere non potuit patriarchale tugurium, virginea vulva complexa est. Incarnatus est, ut ipse novit, non ut interpretantur hæretici, qui dum ea quæ sibi propria sunt ignorant, divina metiuntur. Natus est, ut sibi placuit. In lignum ascendit, qui lignum paradisi sanavit, et clamat: *Torcular calcavi solus, et nemo mecum erat* (*Isai.* 63. 3), non angelus, non legatus, non archangelus, non propheta, non rex, nemo justorum mecum erat: et unus solus mecum erat, qui non mecum mortem contrivit, sed mecum paradisum in hæreditatem accepit: mecum in ligno, non mecum in bello contra mortem suscepto. Nam *Dominus*, inquit, *conterens bella, Dominus nomen illi* (*Judith.* 16. 3). Unus latro confessus est. O res stupendas et novas! Latro cum Christo, et discipulus Judas cum diabolo: lux in tenebras, et tenebræ in lucem mutatæ sunt: agnus lupus, et lupus agnus factus est. Latro manus habens clavis confixas, fideli voce Dominum salutabat dicens: *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* 23. 42); et discipulus labiis osculum offerens, corde gladium paravit: labiis læta dicebat, et corde dolum eructabat, dicens: *Ave, Rabbi* (*Matth.* 26. 49); deinde osculatur eum, et conversus dicit Judæis nutu, non voce, Ligatum illum abducite. O inique Juda, quo duci jubes eum qui dixit, *Cælum mihi thronus est, et terra scabellum pedum meorum* (*Isai.* 66. 1)?

2. Sed video caritatem vestram ardentiorem, et corpus in angustiis: volebamque hic finem dicendi facere; sed quia vestrum audiendi studium, ut pluribus persequar, me hortatur, ad sermonis seriem revertamur. *Ave*, inquit, *Rabbi*. Clemens vero Dominus, patientia nequitiam proditoris vincens, recte dixit: *Amice, ad quid venisti?* Amplector te, Juda, non ut caritatem indam, quam abjecisti; sed ut evacuem

gratiam, quam dedi tibi: vas enim indignum unguentum cæleste ferre nequit. Quid porro dicam de Juda? Petrus qui clavem regni cælorum accepit, Regem gloriæ videns crucifixum, abjectis clavibus aufugit: et latro qui hominum fores aperiebat, ipse claves paradisi rapuit. Petrus qui dixit, *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* 26. 35), ter negavit; et latro qui non voce promiserat, sed re cum ipsa resurrectione moriebatur, dicebat: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum*. Latro principatus et potestates non metuit; et Petrus puellæ minas non tulit. Latro clamabat, *Domine*; et Petrus, *Non novi hunc hominem*, quem paulo ante Filium Dei vocabat. Petrus qui supra mare ambulavit, eum qui pedibus humidam naturam calcabat, negavit; et latro qui supra dorsa maris non ambulaverat, sed divitum fores adierat, clamabat, *Domine*. Filii Zebedæi dicebant, *Possumus bibere calicem, quem bibiturus es* (*Matth.* 20. 22); hic jam calix aderat, at illi calicis tempore fugerunt: latro autem ex manu filiorum Zebedæi calicem salutaris rapuit, dicens: *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* 115. 4). Thomas, incomprehensibilis mysterii curiosus indagator, condiscipulis dicebat: *Eamus et nos, ut moriamur cum illo* (*Joan.* 11. 16); et cum illum crucifixum vidit, aufugit. Crucifixum videt, et fugit; suscitatum videt, et dubitat, dicens: *Nisi misero digitum meum in fixuram clavorum, et manum meam in latus ejus, non credam* (*Ibid.* 20. 25). At benignus Deus, qui propter unam ovem profectus est, hanc unam ovem non negligit; sed illam humeris imponit, et ait: *Infer manum tuam huc, et mitte in latus meum*. Lanceam militis sustinui, et dexteram apostolicam non feram? Sed, o bonorum latro et raptor (te enim alloquor), furari didicisti, credere non didicisti: non fuisti discipulus, et quomodo Creatorem vocas dicendo: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum?* Recte loquutus es, pie credidisti. Cum periculo sæpe furatus es, divitum plerumque thesauros aperuisti, et talem numquam margaritam invenisti, qualis Christus erat. Apostolus non fuisti, non audisti legislatorem dicentem: Videbitis vitam vestram pendentem (*Deut.* 28. 66); et quomodo ex ligno vitam excerpsisti? Non audisti Isaiam dicentem: Livore passionis ejus, hominum vitia medelam accipiunt (*Isai.* 53. 5); et quomodo vitiis medelam invenisti? Etiam, inquit latro, orbem totum video concussum et trementem, et orbis Dominum in ligno pendentem agnosco. Nisi enim hic universorum Creator esset, sol illum videns nudum, ex reverentia non occultasset radios suos nec Dei inimicos obtenebrasset. Nisi esset hic Conditor cæli et terræ: cælum, ubi ipsum vidit crucifixum, tenebras ut saccum non induisset. Nisi esset hic universæ terræ Dominus, non illa sanguinem ex latere ejus excipiens, a fundamentis commota fuisset. Nisi esset hic mortis et vitæ Dominus, mors ad illum accedens non prostrata fuisset, nec monumenta sanctorum aperta fuissent. Nisi esset hic templi Dominus, templum, ubi vidit illum crucifixum, non velum suum scidisset. Nisi hic esset is, qui non vult mortem peccatorum, non causam peccatorum precando egisset dicens: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* 23. 34). Hujus quippe mors omnia constituit. Descendit enim ad inferos, et cum omnibus istinc ascendit. Idcirco exclamo: *Domine, memento mei*. Non quasi servum rogo, Memento mei, cum bene tibi fuerit; sed. *Memento mei, cum veneris in regnum tuum*. Et quid ad illum Dominus? *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*. Dicant illi tam accurati indagatores incomprehensibilis generationis, quomodo dixit latroni, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* 23. 43)? Hoc primum interpretentur, et tunc inenarrabilem ejus partum aggredientur, quem prophetice quidem clamat, *Generationem ejus quis enarrabit? quia tollitur de terra vita ejus* (*Isai.* 53. 8). Hanc fidem Patres dilataverunt, sic incomprehensibilem gloria affecerunt, credentes, non curiose scrutantes. *Hodie mecum eris in paradiso*. Dictum, et factum fuit. Verum, o benigne Domine, omnes justi extra paradisum sunt, et latronem in paradisum inducis? Etiam, latronem primum in paradisum induco, ut mundo suadeam, me non venisse vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Ipsi Christo gloria in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SEQUENTES DE PASCHATE SERMONES.

Qui primus occurrit sermo brevissimus, fragmentum est, non Chrysostomo dignum; sed melioris tamen notæ, quam sequentes, qui a scriptore non indocto quidem, sed admodum intricato profecti sunt.

Septem postea sermones sequuntur ejusdem scriptoris, qui tanta obscuritate præditus est, quanta gaudet perspicuitate Chrysostomus. Stylus omnino perplexus atque ferreus. In scopo autem habet scriptor omnia quæ de agno paschali a Judæis in Ægypto mactato in capite duodecimo Exodi feruntur, ad Christum mactatum pro salute mundi referre. Et quidem ea in re consentiunt Christiani omnes, agnum illum olim immolatum, Christi vere agni pro salute mundi immolati figuram fuisse; verum hic quisquis sit anonymus, vel minima quæque in Exodo recensita, ad Christum mactatum, vel ad Paschæ celebrationem refert, qualis apud Christianos persolvitur: et hæc ad *loquacitatem* usque indagare nititur, sæpeque jam dicta repetit, nec sine fastidio legentis. Septimus autem sermo totus circa diem celebrationis Paschatis, et circa paschalem cyclum versatur. Hanc rem unice tractant sex primæ orationes. De septima vero, quæ tota est in ordinando cyclo paschali, quæque de die Paschatis singulis annis constituendo pluribus disputat, in fronte illius infra agemus.

SERMO CATECHETICUS IN SANCTUM PASCHA.

Si quis pius et religiosus, is fruatur hac sancta celebritate: si quis servus probus, intret lætus in gaudium Domini sui: si quis jejunando laboravit, nunc accipiat denarium: si quis a prima hora operatus est, accipiat hodie id quod justum est; si quis post tertiam venit, gratias agens festum celebret: si quis post sextam horam accessit, ne dubitet; nihil enim perdet: si quis tardavit usque ad nonam, accedat sine ulla dubitatione: si quis undecima tantum hora venit, ne ob tarditatem metuat. Cum enim Dominus liberalis sit, ita postremum accipit, ut primum: sic in requiem admittit eum, qui undecima, ut eum, qui a prima hora operatus est; postremum miseratur, et primum curat; illi dat, hic largitur: et peractum opus honore, et propositum laude afficit. Igitur intrate omnes in gaudium Domini nostri, et primi et secundi mercedem recipite, divites et pauperes simul choreas agite; temperantes et segnes diem honore afficite; qui jejunastis, et qui non jejunastis, hodie lætamini. Mensa cibis referta est, iis

omnes fruamini : vitulus grandis est, nemo esuriens exeat. Fruimini omnes benignitatis divitiis. Nemo lugeat ob paupertatem ; prostat enim regnum commune : nemo lapsus suos defleat ; nam ex sepulcro orta est venia : nullus mortem timeat; liberavit quippe nos mors Servatoris ; a morte captus mortem exstinxit ; infernum castigavit, qui in infernum descendit ; amarum reddidit eum, cum gustasset de carne ipsius : idque olim clamans dixit Isaias : *Infernus amarus factus est* (*Isai.* 19. 9). Cum tibi occurrit infra posito, amarus factus est ; nam sublatus est : amarus factus et illusus est. Corpus accepit, et Deum apprehendit : accepit terram, et cælum invenit : accepit id quod videbat, et incidit in id quod non videbat. *Ubi est, mors, stimulus tuus? ubi, inferne, victoria tua* (1. *Cor.* 15. 55)? Christus surrexit, et tu dejiceris : Christus surrexit, et dæmones lapsi sunt : surrexit Christus et gaudent angeli : surrexit Christus et nullus mortuus manet in sepulcro. Christus enim resurgens ex mortuis, primitiæ dormientium factus est : ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN PASCHA. I.

Pascha terrenum celebrant Judæi, qui cæleste Pascha negarunt : nos vero qui cæleste Pascha celebramus, terrenum exsuperavimus. Et quod illi Pascha perficiunt, salutis primogenitorum, qui apud Judæos erant, symbolum fuit, quando cum Ægyptiorum primogenitis Judæorum primogenita non perierunt, quæ per sanguinem paschalis victimæ symbolice servata sunt : Pascha vero a nobis celebratum salutis universorum hominum causa est, incipiendo a primo homine, qui in omnibus servatur et vivificatur. Partes autem perfectorum, et temporanea illa, æternorum imagines et typi, prius excogitata fuerant, ut veritatem nunc orientem adumbrarent : veritate autem præsente, typus tempori cedat oportet ; ut adveniente rege, nullus, rege vivente relicto, ejus imaginem adorare dignatur. Hinc vero palam est quantum typus cedat veritati, quod typus brevem celebrét vitam Judaicorum primogenitorum, veritas autem perpetuam hominum omnium vitam. Neque enim magnum est mortem ad breve tempus effugere eum, qui paulo post moriturus est, sed magnum utique est mortem omnino effugere; quod nobis contingit, quibus Pascha immolatus est Christus. Ipsum festi nomen magnam præfert excellentiam, si secundum rei veritatem explicetur. Pascha enim transitum significat, quod Hebræorum domos pertransierit exterminator ille, qui primogenita percutiebat. Transitus porro exterminatoris apud nos verus est, quia nos intactos pertransit, ad vitam æternam a Christo suscitatos. Sic totum Paschæ argumentum speculari spiritualiter oportet, et apostolicis enarrationibus credere. Fidelis porro desiderat totam figuræ rationem intelligere, quomodo nempe se habeat erga veritatem, atque, ut ita dicam, spiritualia sua per illa olim corporea speculari ; ut legalia omnia ab se secundum Christum mente percipiantur, et per spiritualia clarius corporalia intelligantur, et invisibilia visibilibus quasi depicta appareant. Igitur Deus decimam plagam Ægyptiis inflicturus (erat autem illa mors primogenitorum), Moysi dixit : *Mensis hic vobis erit initium mensium* (*Exod.* 12. 2) ; primus est vobis in mensibus anni. Ac deinceps præcepit sacrificium Paschatis, et sanguinis unctionem in januis ; atque ex hac unctione primogenitorum salutem pollicitus est. Quid sibi vult illud, si statim ad veritatis speculationem referatur, quod tempus illud anni initium definiatur, quo pascha fiebat ac primogenitorum salus? Quia nobis etiam veri Paschatis sacrificium est initium vitæ æternæ. Annus quippe est sæculi symbolum, quia circulum decurrens in seipsum semper revolvitur, et in nullo quiescit fine. Atque pater futuri sæculi oblatus est Christus pro nobis in sacrificium, ac priorem vitam nostram quasi nullius temporis faciens, alterius vitæ principium dat nobis per lavacrum regenerationis, secundum similitudinem mortis et resurrectionis suæ. Itaque quisquis Pascha novit propter se immolatum, hoc sibi vitæ principium supponat, a quo immolatus pro ipso est Christus. Tunc autem pro ipso immolatur, quando gratiam agnoscit, et vitam per istud sacrificium partam intelligit. His porro cognitis, novæ vitæ initium accipere satagat, neque ad veterem vitam ultra recurrat, cujus finis advenit. Nam, *Qui mortui sumus peccato*, inquit, *quomodo adhuc vivemus in illo* (*Rom.* 6. 2)? Principium ergo anni tale symbolum habet. Decima autem die mensis jubet singulas domos singulos agnos sumere, et tot esse in domo qui comedant, ut totum comedant, et nihil supersit : itemque ut agnus immoletur decima quarta die ad vesperam. Igitur quinque diebus simul est victima immolanda cum iis, qui per illam servandi sunt ; finita autem quinta die hostia immolatur, mors pertransit ; qui vero servatur, perpetua luce fruitur, noctu lucente luna, et sole lunam excipiente : hoc enim ita fit in decima quarta et plena luna. Hæc vero quinque temporis spatia totum mundi tempus denotant in quinque partes distributum ; ab Adam nempe usque ad Noe, a Noe usque ad Abraham, ab Abrahamo usque ad Moysen, a Moyse usque ad Christum, quinta pars a Christi adventu. Quo tempore cuivis homini proposita erat salus per beatum illud sacrificium; sed nondum perficiebatur. In quinto autem temporis spatio verum Pascha immolabatur, et qui per illud salutem consequebatur primogenitus homo, in perpetuam lucem exibat (*Matth.* 20. 1. *sqq*). Quod vero non in ipsa vespera, sed ad vesperam Pascha immolaretur, significabat non in ipso fine præsentis sæculi, sed ad finem passurum esse Christum. Tempus ita divisum exhibuit parabola, quæ in partes quinque diem distribuit, et vocatos esse dicit ad vineam, id est, ad justitiæ operationem, alios circa primam horam, alios circa tertiam, alios circa sextam, alios circa nonam, postremos circa undecimam. Erant enim hæ diversæ vocationes, et diversæ justificationes ; alia tempore Adami, alia tempore Noe, alia tempore Abrahami, alia tempore Moysis ; postrema et perfectissima in adventu Christi, quando merces operum redditur primo iis, qui postremi erant secundum Servatoris parabolam : quia nos primi in baptismate regenerationem accipimus, quibus immolatus est Christus, quo tempore resurrexit, et Spiritum sanctum nobis ad renovationem insufflavit. Hæc itaque quarta decima est mystice considerata, et tale est sacrificii symbolum, et nox illa lucida atque dies quæ sacrificium excipit. Quod autem victima tota in singulis ædibus comederetur, neque carnes foras efferrentur, id significat unam tantum esse domum salutem in Christo habentem, nempe Ecclesiam per totum orbem diffusam, quæ olim aliena a Deo erat, nunc autem sola ad Deum proprie pertinet, quia suscepit eos qui a Domino Jesu missi erant; quemadmodum domus illius Rahab olim meretricis, quæ exploratores a Jesu missos excepit, Jericho devastata, servata sola fuit. Itaque etsi plures sint Hebræorum domus, unius tantum vim habent, ut et diversæ per urbes et vicos Ecclesiæ, quæ plures numero sunt, una sunt Ecclesia. Unus enim in illis Christus ubique est, perfectus ipse et indivisus. Ideo perfecta erat in singulis ædibus victima, nec ad diversas dividebatur. Dicit enim Paulus nos omnes unum esse in Christo, quia *Unus Dominus est, et una fides* (*Ephes.* 4. 5). Unionem ergo illam victimæ indivisibilem lex in Christo fore necessario præfigurabat, necnon Ecclesiæ unitatem. In Christo utique et in sacrificio Christi salutem habemus ; et

omnia, quæ ante adventum fuere, et ad adventum præparata fuisse novimus: et hoc unum ab initio ad salutem toti humano generi propositum fuisse, quasi ante oculos nempe Christum pro omnibus immolari. Hanc porro salutem uni Ecclesiæ competere scimus, neminemque extra Ecclesiam et fidem catholicam posse vel Christi vel salutis esse consortem. Hæc cum sciamus, non in legalibus, sed in Christo universi orbis salutem perfici novimus, neque ullam spem impiis hæresibus relinquimus, sed a spe prorsus illas excludimus, ut quæ nec minimam habeant cum Christo communionem; sed frustra se de Servatoris nomine jactitent, ut illos decipiant et lædant, qui vel nomini vel speciei potius attendere possunt, quam veritati. Nemo igitur vetera a Christo disjungat; nemo quempiam veterum sine Christo salutem esse consequutum suspicetur; nemo illos, qui nunc falsa docent et veritatem vitiant, vanasque Ecclesiarum formas parant extra veritatem et alienas a Christo, Christianos vocet, vel communionem cum illis habeat; neque enim licet: quoniam non effertur ex sacra domo victima, neque ad communionem extraneis profertur. Sed ad Domini gloriam præfiguratum videmus agnum esse debuisse perfectum, masculum, anniculum: perfectum, quia Christus omni prorsus virtute instructus est, et omni modo immaculatus, atque a principio ad finem nulla expers est justitia, ut ipse ait: *Sic enim nos decet implere omnem justitiam* (*Matth.* 3. 15). Idcirco omnes victimæ offerebantur perfectæ et immaculatæ, quia omnes in figura Christi immolabantur. Sacerdotes quoque perfectos esse et corpore integros jussit Deus, quia omnes figura erant veri Sacerdotis. Masculus erat agnus, quia hic sexus dux est: mas enim corporale habet imperium in feminam. Natura enim et veritate Christus dux est et Rex; utpote qui sit cælestis homo, nobis conjunctus ut frater secundum carnalem naturam, imperans autem ut Dominus secundum spiritualem divinitatem. Ideoque ipse sponsus est unus, quod sponsa sit tota humana natura. Neque Joannes prophetarum maximus sponsus est, ut ipse ait de Christo et de semetipso; de Christo quidem, *Qui habet sponsam, sponsus est;* de semetipso autem, *Amicus vero sponsi, qui stat et audit vocem ejus, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc igitur gaudium meum impletum est* (*Joan.* 3. 29). Neque apostoli sponsi sunt Ecclesiæ; etiamsi similitudinem cum Christo secundum gratiam acceperint, et Christi filii propter Christi Spiritum effecti sint. Sed quid ait beatus Paulus? *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (2. *Cor.* 11 2). Dux ergo et dominator et rex est Dominus, non modo quia Deus erat in hominibus, sed etiam secundum præexsistentem divinitatem, quia natura Rex est omnis creaturæ; non quod ex gratia regnum acceperit, sed quod illud in veritate habeat per generationem a Patre. Adhuc etiam anniculus erat agnus: quod significabat Dominum novum in terra esse, qui nihil antiquitatis in hominibus haberet. Si quis ergo simplicem hominem dicat Dominum, et sic naturæ nostræ ponat esse Christum; hic agnus non est perfectus neque immaculatus; nullus quippe homo est immaculatus; hic agnus non est masculus: nullus quippe homo imperium habet naturale et universum in congeneres sibi homines. Ac qui Dominum inter creaturas numerat, dicitque illum per gratiam deitatem habere, non veram, neque hic masculam habet victimam pro se immolatam. Non enim novit eum, qui natura Rex est, sed ad alium, qui nec natura nec vere rex sit, se convertit. Sed et si quis ex humana vetustate aliquid in Christum derivat, vel ipsum peccati capacem dicere audet, vel legis servituti subjectum, aut morti ex necessitate subjectum; hic anniculum non habet agnum, neque novitatem illam sensit, quæ est in Christo. Restat ut et agni et hœdi symbolum intelligatur Est igitur agnus, secundum Isaiam, mansuetudinis Christi symbolum: nam *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se mutus* (*Isai.* 53. 7). Hœdus vero secundum legem, est victima pro peccato: *Hædum*, inquit, *ex capris pro peccato* (*Levit.* 5. 6). Oblatus ergo mansuetus ut ovis, quasi hœdus pro peccato immolatus est, ac per mansuetudinem suam sese obtulit ad salutem hominum, quam consequi precemur per fidem et dilectionem Jesu Christi qui passus est pro nobis, per quem et cum quo Patri gloria, unaque Spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen.

IN SANCTUM PASCHA. II.

Legales figuræ rationabiles et veritati consentaneæ apparent, ut quod agnus sit immaculatus, quam Paschæ victimam lex adhibebat; quod sit masculus, quod anniculus, quod decima mensis captus, decima quarta ad vesperam immoletur, atque ut cum Pascha celebrabatur, id initium mensium reputaretur. Hæc quippe omnia in Christo et in Christi passione constant, et vera necessariaque sunt; secundum se autem seorsim sumpta, nullam possunt habere rationem. Illi vero qui Christum ignorant, nullo modo hæc defendere possint, neque docere cur illa præceperit Deus: neque ullo explicari modo possit, cur victima pro salute primogenitorum præcipiatur, cur unctio sanguinis in foribus; quam vim habeat ad salutem primogenitorum victimarum mactatio; cur necessaria sit sanguinis unctio ad signum domorum. Deus enim absque signis Hebræorum domos noverat; ut mirum sit illud: *Videbo sanguinem et protegam vos* (*Exod.* 12. 13). Qui autem hæc ad veritatem deduxerit, quam rationabilis sint agnoscet, ut in supra dictis aliis ostendimus. Cum enim immaculata victima pro nobis patitur, mors a primo homine inducta solvitur, et primogenitus homo, qui in nobis omnibus est, salutem obtinet, resurrectione Domini vivificatus. Juste namque vita, quæ solvit peccatum et mortem, signum salutare se participantibus efficitur. Et ad hoc respiciens Deus, servat eos qui illo per fidem uncti sunt, qui non alio modo possunt effugere angelum justum vindicem, nisi per sanguinem benigni Domini pro nobis effusum. Viden' quantam vim habet figura cum veritate considerata? Itaque si quis Judæus dicere audeat: Cur Filius passus est ut mundus servaretur, ac si non alius esset servandi modus? dicatur ei: Cur Pascha immolatum est ad salutem primogenitorum Judæorum, ac si non alio modo servari possent? Et ille quid respondeat non habebit (neque enim Deus sacrificio opus habuit, neque signo ut domos cognosceret); nobis vero res ipsa patrocinatur, et sanctam fidem testimonio firmat, cum iniquitas nostra in Christi justitia solvitur, quæ alio modo non solveretur (tenebræ namque a luce dissipantur); et cum mors nostra per Christi vitam fugatur, ut a luce tenebræ. Sacra igitur erat illa quoque victima, quia veræ victimæ typus erat. Hac autem sacra omnino est, utpote vera, quæ per ignorantiam impiorum hominum morti et neci tradita est; ex voluntate autem Dei in sacram hostiam accepta est; et ex illius placito Patri oblatio facta est. Tradidit enim, inquit, Pater Filium pro nobis; et *Obtulit semetipsum* Patri Christus pro ecclesia, *oblationem et sacrificium in odorem suavitatis* (*Ephes.* 5. 2). Atque illis quidem, qui Christum se occisuros sperabant, perniciosum fuit consilium; iis vero, qui salutem per mortem Domini quærunt, salutaris est fides. Hos ultio et mors pertransit, quia non ad perniciem a morte detinentur, secundum id, quod a Servatore dictum est: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum* (*Joan.* 8. 51). Per sanguinem enim pro nobis fusum, Spiritum sanctum accipimus: siquidem in unum convenerant sanguis et spiritus, ut per conge-

nerem nobis sanguinem non congenerem nobis Spiritum sanctum accipere possemus, ac per illum morti ingressum claudamus. Duplex autem est morti ingressus: et ideo duplex efficitur sanguinis sigillum. *In duobus*, inquit, *postibus et in limine* (*Exod.* 12. 7). Intrat enim per peccatum mors, ut ait apostolus (*Rom.* 5. 12). Peccatum vero, aliud in nobis fit per passionem, quæ duplex est: alia nempe mollities animi in debilitatem, alia asperior in feritatem vergit: aliud per ratiocinium, cum non sana nec recta cogitat. Et est quidem ratiocinium, quasi limen, id est, superliminare, supra utrumque postem; nam quasi dux est, et natura superior passio autem referri potest ad postes, quæ ratiocinio subjicitur, sicut postes superliminaribus sunt subjecti. Quænam sunt illæ passiones quæ ad mollitiem deducunt? Gula, temulentia, et concupiscentia libidinosa. Quinam sunt asperi affectus animi? Ira, arrogantia, quas ut eliminaret Paulus dicebat: *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione; sed induimini Dominum nostrum Jesum Christum* (*Rom.* 13. 13. 14). Similis est ergo unctio indumento, quando Christi passioni conformati, sanctitate Christi amicimur, neque in voluptates dissoluti, neque in iras exasperati. Bona item est ratiociniis unctio et vestis, sapientia non carnalis, sed ea quæ secundum Christum est; ita ut circa carnalem animum mortificemur, ac si jam mortui simus, ornemur autem spirituali ornatu. Sic enim neque per brutos affectus, neque per insulsa ratiocinia peccatum nos invadet, neque nobis mors dominabitur. Hujusmodi sane est unctionis mysterium. Post unctionem adest comestio, quæ divinum corpus in nobis locat, et commiscet ad unionem. *Comedent*, inquit, *carnes hac nocte assas igni* (*Exod.* 12. 8). Nox, præsens sæculum est. *Nox præcessit* (*Rom.* 13. 12), ait Paulus. Ignita est sacri corporis participatio; hoc est, per ignitum ac fervens studium. *Spiritu*, inquit, *ferventes* (*Ibid.* 12. 11); et, *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, si jam accensus est* (*Luc.* 12. 49)? Ut autem ignis, si de comestione carnium intelligatur, fervens studium indicat: sic et azyma simplicitatem, et herbæ amaræ ærumnas subsequentes. Nam *Azyma*, inquit, *cum herbis amaris comedent* (*Exod.* 12. 8). Simplices sint mores, nec fucati, veteri more ac versutia fermenti instar deposita, novoque ac simplici accepto more, quo fermentatio fiat. Nam ait, *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ: sed in azymis sinceritatis et veritatis* (1. *Cor.* 5. 7. 8). Acerbæ sunt tribulationes; *Sed et in tribulationibus*, inquit, *gloriamur, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio autem spem, spes vero non confundit* (*Rom.* 5. 3-5). *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum* (*Act.* 14. 21). Itaque tribulationem admittimus quasi delicias, propter spem et regnum, quæ ex ea proveniunt. Vetat præceptum comedere crudas carnes. Hoc vero iis, qui corporaliter audiunt præter rationem esse videtur, cum illud prohibeat Deus, quod nunquam forte factum est; nemo enim crudam carnem comedit: apud nos autem id rationi maxime consonum est, ne scilicet perfunctorie accedamus ad participationem divini corporis: non participant enim qui perfunctorie illud tractant, nec per bona opera se ad talem communicationem concinnant. *Fides*, inquit, *sine operibus mortua est* (*Jacob.* 2. 20). Ideoque segnibus ac negligentibus immittuntur tribulationes ad ipsorum utilitatem, ut ait Paulus (*Hebr.* 12. 10), ut sanctitatis ejus participes sint. Segnitiem vero circa spiritualia opera parit amor voluptatis carnalis. Quapropter alio symbolo id significans legislator, prohibet in aqua coctum comedere: nam ad comestionis voluptatem, sic coctum paratur: cum voluptate autem divinam escam comedere non licet: non enim carnali modo miscetur virtus spiritualis. Ne igitur coquas sacram carnem, inquit, illam suavibus admiscens; sed igni cocta tantum comedatur, cum intento studio a voluptate alieno. Amor voluptatis est a Dei amore alienus, ut ait Paulus: et *Quorum deus venter est* (*Philipp.* 3. 19), iis Deus ipse non est deus. Neque ii, qui Eucharistiam in lauta convivia transferunt, accepti sunt apud apostolum, dum communionem illam sanctificantem in occasionem vertunt largi et lauti cibi et potus sumendi. Quibus dicit Paulus, *Non est Dominicam cœnam manducare: Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum, et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? laudabo vos? In hoc non laudo* (1. *Cor.* 11. 20-23). Dicit autem ex negligenti illo circa cibum sacrum usu tentationes illis contingere, quia non sancte ad sanctum accedunt. *Ideo*, inquit, *inter vos sunt multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur* (1. *Cor.* 11. 30. 31). Impietatis enim culpam incurrunt ii, qui corpus suum non præparant ad communicationem corporis ipsius, quod nobis dedit, ut cum illo mixti, ad Spiritum sanctum recipiendum digni judicemur: siquidem ideo Dei Verbum se in corpus immisit, et caro factum est secundum evangelicam vocem (*Joan.* 1. 14), ut quia illius ut Verbi participes esse non poteramus, ipsius carne induti participes essemus; spirituali carni nostram copulantes, et Spiritum spiritui quantum licet; ut Christo similes essemus, templa Spiritus facti, ut ait apostolus: *Templa Dei estis*; et iterum, *Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo* (1. *Cor.* 3. 16. *et* 6. 19)? Ac per commixtionem cum Spiritu sancto, ad corpus etiam Christi pertinemus, ut hæc foveamus in sanctificatione, foveamus, inquam, ut membra Christi. *Nescitis*, ait, *quoniam membra vestra, membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit* (1. *Cor.* 6. 15). Sacri ergo cibi apparatum sic et cum talibus symbolis lex ordinavit, ad utilitatem nostram prævias figuras tunc disponens. *Caput autem*, inquit, *cum pedibus et intestinis* (*Exod.* 12. 9); per caput indicans initium adventus ad homines; hic porro erat primus adventus: pedes autem finis sunt; et hic est secundus adventus, sine quo nec priori credendum esset: hic quippe non omnia, quæ prophetice sunt enuntiata, implevit. Idcirco non credunt Judæi, quod ea, quæ ad gloriosum adventum spectant, completa non sint; neque putant, illum qui ita advenit, esse Christum. Ideo hæc complectens ait, *Caput cum pedibus*; hoc est, primum adventum cum secundo, ut et agnum cum ignominia ad occisionem adductum reciperes Dominum, et Regem cum gloria apparentem videres: quæ ambo prædixit Isaias propheta: neque redemptionem Jerosolymæ exigeres; sed adhuc exspectares, ut dicitur: *Veniet ex Sion qui liberet, et avertet impios a Jacob* (*Isai.* 59. 21. *Rom.* 11. 26), ipso servante residuum populi, qui ad illum convertendus est. In primo autem adventu contrarium videas contigisse; illud nempe, *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam*; et illud, *Tradidit impios pro sepultura ejus, et divites pro morte* (*Isai.* 57. 9). Cum dicit ergo, *Caput cum pedibus*, hoc prænuntiat Judæis: Inglorium Domini adventum a glorioso ne separetis, ut ne increduli ab ejus communione separemini. *Sed etiam cum intestinis*, inquit. Quid hoc est? Ne scandalizemini de illo, quod apparebit, sed abscondita etiam dispicite. Ne hominem esse, sicut vos estis, existimate, ex eo quod ille secundum corpus sit homo; sed illum spiritualiter cognoscite, et in ipso Patrem cognoscetis. Donec enim quod intus est non respicis, neque intestinorum consors es, nondum Christum vidisti, hominem illum esse putans, non Deum. Dicit autem ille, *Qui vidit me, vidit Patrem* (*Joan.* 14. 9). Considerandum autem est, quid sit

illud, *Non relinquetis de eo usque mane* (*Exod.* 12. 10). Illud Paulus nobis interpretetur dicens, Commemorationem passionis Domini fieri, donec veniat (1. *Cor.* 11. 26). Illa enim usque ad tantum temporis spatium perficitur, et servat eos qui perficiunt; donec præsens nox transeat, et matutinum adveniat, Christusque vivens nobis de cælo splendeat, per vitam suam nobis salutem pariens, qui nos nunc per mortem servat. *Si enim cum inimici essemus*, inquit, *reconciliati sumus cum Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius* (*Rom.* 5. 10). Jam ergo in morte Christi servamur, tunc vero in ejus vita. Hujus autem rei proprium symbolum est, quod nihil servetur de carnibus victimæ usque mane. Nam nos tunc viventes erimus, et nostra nunc mortalitas transit, cum non alio modo nunc salutem obtineamus, nisi mortificati simus; tunc vero viventem habituri simus salutem. *Ne terrena*, inquit, *sapiatis: mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quando Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria* (*Col.* 3. 10-4). Quapropter si quid ex carnibus victimæ supersit, igni crematur; ut sciamus Christum in præsenti sæculo mortuum fuisse peccato semel et mortem non illi ultra dominari, sed exclusam fuisse virtute Spiritus, quasi igne; cum mortis signa vita superaverit. *Os autem non comminuetur ex eo* (*Exod* 12. 46). Ait quidem beatus Joannes (*Cap.* 19. 33) illud etiam in corpore servatum fuisse, quod crura ejus non confracta fuerint; sed habet etiam spiritualem significationem, quia firmitas in illo mansit invicta: ideoque corruptio corpus ejus non invasit, quod firmissimam et infractam haberet basim, quia divinitus, non autem carnaliter constabat corpus, et quia cum divinam haberet generationem, hominum corruptioni subjectum non erat. *Caro ejus*, inquit, *non vidit corruptionem* (*Act.* 2. 31). His de sacri cibi usu salutari discussis, jam dicendi finem faciamus, ad aliud examen cætera relinquentes. Petamusque a Domino id quod petiit David: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Psal.* 118. 18): ut nobis vilis esse videatur legalium lectio, si ut Judæi figuras solum attingamus; sed divino modo divina cogitantes symbola, ad divinissimam veritatem perveniamus, in Christo Jesu Domino nostro, per quem et cum quo gloria Patri et sancto Spiritui in sæcula sæculorum. Amen.

IN IDEM ARGUMENTUM PASCHÆ. III.

Sanctitatem Christi subindicabat Paschæ cum agno immaculato sacrificium; salutem vero hominum ex Christi passione partam significabat primogenitorum salus per sacrificium Paschæ conciliata; sanctificationem indicabat comestio. Hæc jam a nobis dicta sunt: nunc reliqua in lege posita sunt consideranda, quomodo nempe se præparare debeat is, qui sanctificandus est; quomodo accedere debeat ad sanctitatis communionem, quam vitam agere debeat postquam sacri mysterii consors et particeps factus est. Quomodo autem se præparare debeat is, qui Christi particeps futurus est, per circumcisionem figurate nobis ostendit legislator dicens: *Hæc est lex Paschæ: Omnis alienigena non comedet ex eo, et omnem servum et empititium circumcides, et tunc comedet ex eo* (*Exod.* 12. 43. 44). Circumcisio autem tunc partem tantum aliquam obtinebat, neque per se tantum utilis erat. Neque enim per circumcisionem homo melior erat incircumciso; imo id in opprobrium Israelitis a Deo vertebatur, *Quia omnes gentes*, inquit, *incircumcisæ sunt carne, domus autem Israel incircumcisæ sunt cordibus suis* (*Jer.* 9. 26). Vera autem circumcisio carnem totam spectat: amicum vere et familiarem Deo ostendit eum, qui circumcisus est corde, et cui sublatum est operimentum carnale, quod ex patrum successione nos habere, et sublatum oportere, lex antea indicavit, cum genitales partes circumcidit, hinc generationis symbola statuens, necnon operimenti quod ab ortu nos sequitur. Nemo igitur a carnalibus moribus non circumcisus ad communionem Christi, accedet. Sed *Nos sumus circumcisio*, inquit, *qui Christi participes sumus, qui Spiritui Dei servimus, neque in carne confidimus* (*Philipp.* 3. 3). Cor enim omni re carnali nudatum, Deo vere servire potest, et cum Christo spiritu commisceri. Hujus circumcisionis initium est passio Domini, qui pro nobis carnem deposuit et hanc circumcisionem propter nos suscepit: figuratur autem in nobis mysterium in baptismate, et consummatur per vitam secundum Christum transactam. *Circumcisi estis*, inquit, *circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo* (*Col.* 2. 11. 12). Quamdiu ergo non deponis carnalem morem, alienigena es et peregrinus, nec consors particepsve esse debes sancti qui de cælo adest Christi: cælestem enim oportet eum esse qui ad cælestem accedit: cælestis autem esse non potest, qui terrena non aufert. Sic igitur deposito veteri homine in gratia baptismi, ex studio spiritualium operum accedes et Christi particeps eris. Secundo videndum est, quales secundum legem sint ii, qui Pascha sumunt; ut cognoscamus quales nos esse oporteat, qui Christi participes sumus. *Sic*, inquit, *comedetis illud: lumbi vestri accincti erunt, et calceamenta erunt in pedibus vestris, et baculi in manibus vestris* (*Exod.* 12. 11). Is viatorum habitus, accinctus, expeditus, subindicat paratum esse oportere ad currendum in promissionem Dei, ut tunc Israel paratus viator transmittebatur ad promissam illam terram bonam. Considera autem mihi spiritualem viatorem, quantum scilicet antecellat illi viatori; qui non ad hanc infimam terram promissionis currit, non temporalia bona sequitur, non terram pro terra mutat, Judæam pro Ægypto; sed quid ait de itinere suo viator ille? *Eorum, quæ retro sunt, obliviscor, et ad ea, quæ ante me sunt, me extendo, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis* (*Philipp.* 3. 13. 14). Lumbi igitur sint veritate præcincti, secundum apostolum (*Ephes.* 6. 14); sic enim eris ad bonum cursum expeditus, si præsentia omnia vana et mendacia putans, secundum Davidem (*Psal.* 38. 8), futuram veritatem quæras, et ejus desiderio tenearis. Pedes vero calceati, inquit, in præparatione evangelii pacis, ad omnem cursum bonum habiles, quo pacto pacem apud Deum nobis firmamus, ut ait apostolus: *Pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Rom.* 5. 1); et, *Per patientiam*, inquit, *curramus ad propositum nobis certamen* (*Hebr.* 12. 1); et, *Sic curro, ut comprehendam* (1. *Cor.* 9. 26). Baculi in manibus sunt, spes in Deum, quæ firmat animam, nec sinit eam a tribulationibus dejici (1 *Thess.* 3 3), ut dixit Paulus, sed firmiter illam fulcit, ne vacillet. *Cum studio comedite illud; Pascha est Domini* (*Exod.* 12. 11). Non mollis, nec ad voluptatem data est esca, non demissorum nec declinantium, sed eorum, qui vigilem et intentum habent animum, quia id nobis præstat, ut perniciem et supplicium vitemus, Domino dante. Quapropter dicit, *Pascha est Domini*; quod alius interpres vertit, *Supergressio est Domino* (*a*). Post talem divini cibi participationem, tertio videamus qualem oportet esse vitam ejus, qui sacrum cibum accipit. Hanc subindicant azyma et dies azymorum. Judæi itaque azyma curent, putentque septem dies mirabile quidpiam sibi præstare, quia fermentatum non comedunt, nec apud se retinent, nec possunt ostendere aliquam sibi hinc utilitatem provenire: typum enim celebrant, non veritatem. Tu

(*a*) Interpres ille qui פסח vertit *supergressio* (ὑπέρβασις) est Aquila, ut videas in Hexaplis nostris Exod. 12, 11; et in Appendice in fine ejusdem Tomi.

vero azymum considera secundum apostoli dictum, et ut nos indicavimus; est quippe anima sincera et ab omni nequitia pura: sunt item novi mores, qui nihil veteris malitiæ retineant. Circa quam rem apposite dictum videtur illud: *Eliminabitis ex domibus vestris. Omnis qui comederit fermentatum, exterminabitur anima illa ex Israel* (*Exod.* 12. 19). Nam veteris nequitiæ resumptio, pernicies est ei, qui translatus est ad novam vitam. *Si secundum carnem vivatis*, inquit, *moriemini* (*Rom.* 8. 13). Quod autem est symbolum septem dierum? Ait, *Septem diebus comedetis azyma.* Accidit ut septem dies totum sint tempus. Nam post septimam diem, quæ est sabbatum, fit regressus diei primæ, et hic temporis circulus per dies septem in se revolvitur. Per totum certe tempus in simplicitate et in sinceritate oportet te vivere, et hoc vere salutare est. *In spiritu*, inquit, *opera corporis mortificate, et vivetis* (*Ibid.*). Simplices autem sunt mores ejus, qui carnalia non quærit, qui est a mala consuetudine, a versutia alienus, nihil malum, nihil amarum cogitans. Cur vero primam et septimam diem sanctas vocat dicens: *Prima dies vocabitur sancta, et septima dies sancta erit nobis* (*Exod.* 12. 16)? Quia prima dies initium denotat, quo sanctificamur Spiritum sanctum accipientes; septima vero finem significat, cum a corpore migrantes, sumus cum Christo, et proficiscimur ad Dominum, hac terrena relicta peregrinatione, totique ad sanctitatem transferimur. *Cum sumus*, inquit, *in corpore, peregrinamur a Domino* (2. *Cor.* 5. 6). Has vero sanctas dies operibus vacuas vult lex esse. Nam ait, *Omne opus non facietis in eis* (*Exod.* 20. 10). Quod innuit non immergendam esse animam in negotia terrena, neque servituti obnoxium esse oportere cum servitute Dei non congruenti; sed illa sola diligenter agenda esse, et ad illa contendere oportere quæ animæ utilia sunt. Et hujus quoque rei symbolum est illud: *Cæterum quæcumque fient omni animæ, hæc solum fient a vobis.* Quapropter Dominus ut legalis quietis interpretationem adduceret, quod scilicet ab inanibus tantum operibus quies requireretur, non autem ab iis, quæ ad animæ utilitatem spectarent, Pharisæos arguebat: *Licet in sabbato bene facere an male facere, animam salvare an perdere* (*Marc.* 3. 4)? Quod si recte et secundum Christum velis servare sabbatum et festalem quietem, a mundanis curis et operibus abstine: illa cura et operare quæ Dei sunt, et ad utilitatem animæ fiunt; et sic sabbatum servabis sanctum et vere bonum, et celebrabis sanctam solemnitatem, imaginem ejus quæ est apud Christum, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN EAMDEM REM. IV.

Pascha quidem celebrant Judæi, in commemorationem liberationis ex Ægypto, quo tempore primogeniti a morte erepti sunt. Ideo Pascha vocatur, quia est transitus supra mortem: id enim vox Hebraica significat. Nos vero Pascha celebramus, non partem solum ereptionis a morte, ut illi, neque a temporanea servitute liberationem; sed perfectam a morte redemptionem, perfectamque a diaboli servitute solutionem. Primogenitorum mors illos supergressa est, qui typicum agnum immolaverant, et sanguine januæ fores unxerant: nos vero mors a protoplasto parta pertransit, nec potest apprehendere eos, qui divini agni sacrificium acceperunt, et fide salutaris sanguinis signati sunt. Illis agnus ex terra desumptus erat; nobis de cælo, secundum Abrahæ typum, quando arietem habuit a Deo missum, quem pro filio offerret; nunc autem vere de cælo missus est agnus, qui oblatus est pro nobis, ut ne ultra a morte detineamur, propter Christum, qui a morte detineri nequit. Misit enim, inquit, Deus Filium Servatorem mundi (1. *Joan.* 4. 10); et *Descendi de cælo* (*Ibid.* 6. 42). Deque ipso testificatur Baptista: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Id.* 1. 29). Peccatum enim non auferret irrationabilis agnus, ideo nec mortem ex peccato partam: rationabilissimus autem agnus, soluto peccato, mortem cum illo destruxit. Educit autem nos, non ex Ægyptiaca captivitate in Judæam, sed ex mundo corrupto in æternam possessionem. Est simul agnus et Pastor oves ducens. Ante illas *vadit*, inquit, ducens ipsas in æternam vitam. Principium mensium Judæis est agni sacrificium, et egressio ex Ægypto: nobis vero principium vitæ est Domini passio, et translatio cum Christo ex hoc mundo: tunc enim vivimus, cum mundo morimur; tunc regeneramur in Deum, cum terrenam generationem deponimus. Agnus indivisibilis est, qui in una comeditur domo spiritualis Ecclesiæ. Alibi vero non reperitur: quemadmodum et Judæis corporeis prohibitum erat, ut carnes agni extra domum efferrent. Agnus ob mansuetudinem Christus. Secundum autem altiorem viam, hœdus in similitudinem ejus tunc immolabatur. Panis azymus erat iis, qui Pascha comedebant: nobis vero communio cum Christo, cum nova et simplicissima mente; sicut azymum est nova simplexque massa. Herbæ amaræ quæ cum Paschate comedebantur, tunc tribulationes nostras significabant, per quas Christi passiones participamus. Amara enim res est tribulatio, licet fructus illa partus sit suavis. Os agni non conterebatur, et hoc lex præcipiebat, Christum præfigurans, ut narrat Evangelium, quia nemo sacra Domini crura confregit: *Ut impleretur Scriptura: Os non comminuetur ex eo* (*Joan.* 19. 33. 36). Carnes noctu comedebantur, et ad diem sequentem nihil relinquebatur, quia mors Christi in præsenti sæculo memoratur, in futuro autem apparet vita. Habitus eorum, qui Pascha comedebant, erat lumborum præcinctio, calcei in pedibus, baculi in manibus; cultus omnino viatorum, qui parati sunt ad iter festinanter agendum: nobis vero animi propositum apparatus est ad profectionem ex hoc mundo. Ideoque paratæ et accinctæ animæ mundi sollicitudines fugiunt ad iter expeditæ, ut ad cælum currant. *Nostra enim conversatio*, inquit, *in cælis est* (*Pihlipp.* 3. 20). Baculum quo fulciamur sumpsimus, fidem et spem in Christum. Accenditur nostris animabus lucerna, ut illis lucerna erat corporea. Animarum lucerna nobis est lex Christi: nam *Lucerna pedibus meis lex tua, et lumen semitis meis* (*Psal.* 118. 105). Dicit autem ipse Dominus de illis: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes: et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum* (*Luc.* 12. 35). Reliquum est, ut videamus, quinam sint ii qui Pascha comedunt. Nemo incircumcisus Pascha comedit; sed etiamsi alienigena, atque servus emptitius circumciditur. Nemo enim Christi particeps esse potest, nisi humanas superfluitates circumcidat, ac nisi a carnalibus sordibus sit expurgatus, quas ab ortu ex patribus suscepimus. Hujus namque rei typus erat corporea circumcisio. Ideo dicebat propheta Jeremias (*Cap.* 4. 4), Circumcidendam esse duritiem cordis vestri. Festinemus igitur ad beatam Christi communionem, et a mundi malis puri efficiamur, ut spiritualibus bonis sanctificemur. Nemo in mundo versetur, sed festinemus omnes (in cælum), ne maneamus sub servitute principis hujus sæculi; sed ad libertatem transferamur a Christo, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN IDEM ARGUMENTUM. V.

1. Apud Judæos sunt figuræ, apud nos veritas. *Umbram* enim, inquit, *lex habuit futurorum bonorum* (*Hebr.* 10. 1); et, *Lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* 1. 17). Neque enim Judaica aliena sunt a Christo; sed per figuram et umbram referebantur ad Christum. Ejus autem personali

adventui reservabatur perfectio, et clarus rerum conspectus, quando Rex ipse videndus erat. Nam si quis imaginem depingat, is primo quasi umbras delineat; deinde coloribus picturam perficit: atque aliud est oculis imago umbratilis; idipsum vero id, quod per colores repræsentatur. Per umbras ergo vera mihi perpende, et per figuras ea, quæ illis repræsentantur, considera, atque ex parvis ad magna accede: ne circa terram verseris; neque memoriam recolas gentis a tyranno liberatæ, salutis filiorum temporaneæ, transmigrationis a terra in terram aliam. Neque enim gentilium celebritates ab hujusmodi commemorationibus multum distare comperies. Celebrant enim illi morborum curationes, a tyrannide liberationes, transmigrationes, urbium fundationes, victorias et similia, terrena et temporanea in festorum argumentum assumentes. Jam magna, divina et Dei dona commemorare oportet eos, qui magnam et æternam celebrant solemnitatem; nempe liberationem a dæmonibus adversariis, qui bono bellum inferunt, qui a Dei regno avertunt: celebranda est salus non brevi tempore, sed in æternum duratura, transmigratio a terra in cælum in præsenti vita, et in possessionem perpetuam post futuram resurrectionem. Ægyptus vexabat Judæos, qui liberi erant ex paterna successione, illosque sub servitutis jugo tenebat, cogens illos lateritio operi incumbere et urbes construere. Symbolum hoc est ærumnarum mundi, queis premebatur genus humanum, quod ab ea quæ secundum Deum est voluptate et a libertate exciderat, et terrenis operibus insudabat, ac peritura tabernacula parabat: quia nihil apud homines stabile vel tutum est, sed omnia humanarum manuum opera a tempore absumuntur. Ab hac nos servitute vult Deus liberare, erga opus suum labore oppressum miseratione ductus, ut olim videns afflictionem filiorum Israel, ipsos liberavit per terræ promissæ possessionem. Voluntarie enim ad Deum reverti oportet eos, qui voluntarie resilierunt. Mittuntur servi legem afferentes, per legem ad justitiam vocantes, per justitiam ad Deum ducentes, parva interim supplicia adversariis potestatibus inferentes, necdum perfectam perniciem, sed ex parte tantum, adducentes, impios nondum plane de medio tollentes. Hoc enim reservabatur Domini adventui, qui post servos suis adfuit. Horum autem figuræ et symbola erant, Moyses missus ad Judæos cum Aarone fratre, ad cultum Dei vocans, plagis per partes immissis Ægyptios verberans propter populum in servitutem redactum et afflictum. Verum iis ita gestis, adhuc Israel in Ægypto erat, rex Ægyptiorum cum Deo adhuc pugnare poterat. Plagæ novem immissæ fuerant, et nondum res perfecta erat. Postremam inferri oportebat, primogenitorum interitum, et postea Israelem exire. Hic agnus immolatur, et ædium Hebræorum fores sanguine unguntur, ac per sanguinis symbolum primogeniti Hebræorum necis plagam effugiunt. Comedunt agnum Judæi cum azymis et herbis amaris. Exeunt ex Ægypto; insequitur Pharao cum reliquis Ægyptiis; ad mare Rubrum veniunt, quod divisum per virtutem Dei et virgam Moysis, excipit quidem exercitum Hebræorum, sed ingressam Ægyptiacam aciem demergit. Agnus tibi Christus est in exitu ex hoc mundo, et te transfert in cælum, quo ascendit ille; te quoque inducit in æternam vitam. Cum transfert hominem ex Davide natum, una quoque transfert eos, qui eum morigeri sequuti sunt, qui non ultra timent Pharaonem, neque ultra immanent in servilibus, et ærumnis terrenis per illam exiguam et acerbam voluptatem, cujus typum habuit Israel per esum carnium, ceparum et alliorum in Ægypto. Talis est hujus mundi voluptas, quæ acerrimam habet et complicatam sollicitudinum turbam; carnalem vero atque ferinam ventris ingluviem. Tibi a mundana vita egresso, initium veræ vitæ adest; sicut illis Pascha typicum initium mensium erat. Nunc enim initium vivendi est, quando sæculari et terrenæ vitæ abrenuntias: nunc invenis veram vitam, quæ est in spiritu. Christus immolatur. Itaque agnoscis sacrificium ejus pro te oblatum fuisse. Tunc tibi impletur illud, *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se mutus* (*Isai.* 53. 7). Mansuetudo autem in illo præviam ovis figuram servat: ascensus autem in altum sine depressione ad ima hœdi gressum ad excelsa conservat. Capræ namque ad excelsa et ardua loca saliunt et ascendunt. Sublime autem et hominibus accessu difficile cælum erat, ex qua die lapsus est homo a divino præcepto, carni serviens et a sancto Spiritu separatus. Ascendit autem et te sursum adducit divina victima pro te immolata. Tecum enim ille mortuus est, ut tu vivas in illo. Sanguis vero agni salutaris tibi est, si accedas ad hunc sanguinem fideliter, si sensus et cogitationes tuas, per quas ingreditur mors cum peccato, per fidem quasi sanguine unxeris, sicut Israel aditus sanguine ungebat. Si enim in te per oculos non ingressa fuerit concupiscentia, nec per auditum, per olfactum, per gustum, vel per tactum, vel adhuc per cogitationes, mors non tibi dominatur: sed in corpore mortificationem Jesu ferens, vitam habebis in corpore tuo conspicuam, et sic pertransibit mors per primum parentem Adamum illata, ut Hebræorum domos supergressa est primogenitorum pernicies. Ideo hujus festi nomen Pascha est significans transitum: *Immaculatus tibi est agnus* (*Exod.* 12. 5), immaculatus enim est Jesus. *Qui peccatum non fecit*, inquit, *nec inventus est dolus in ore ejus* (*Isai.* 53. 9). *Perfectus masculus*. Nam perfectio justitiæ est apud solum verum Regem. Anniculus agnus est æterni Christi figura. Symbolum enim sæculi est annus, qui sæpe in omni sæculo idem ipse revolvitur, et omnes conversiones in se habet, novi hominis figura, in quo vetustas humanæ nostræ naturæ in novitatem mutata est: nam *Induite*, inquit, *novum hominem* (*Ephes.* 4. 24). Agni immaculata natura et perfectione indutus, agnus Dei eris; et cum exhibueris corpus tuum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, secundum apostolum, ad æternam vitam transmitteris (*Rom.* 12. 1).

2. Viden' Pascha tuum nullo modo comparari posse cum Judaico, sed umbratilem cum illo tantum similitudinem habere? Infans quippe est Israel in agni sacrificio, dum putat illud Deo esse curæ, et per illud se salutem consequi, dum illud non habet quasi figuram hostiæ, quæ vere salutem parit. Quare dicit illis Deus per Jeremiam: *Non præcepi vobis de sacrificiis. Et non est apud Deum mendacium* (*Jer.* 7. 22); ita ut, si præceperit, dicat se non præcepisse. Sed rei virtus manifestatur, quia prophetico more sacrificium offerebatur, ut præsignificaret Christi sacrificium. Ac cum Deus agnum immolare præcipiebat, Christum indicabat immolandum, atque omnia quæ ad agnum pertinebant, ea quæ ad Christum spectant præfigurabant: ex quibus alia jam vidisti, alia pro virili considera. In singulis Hebræorum domibus erat agnus unus ex se perfectus, et carnium ejus nulla pars efferebatur extra domum, in qua immolatus fuerat. Nam in omni Ecclesia, in omni anima Christus ubique est, et nusquam pars ejus tantum. Multæ ibi oves et agni erant in singulis domibus: unus vero Christus in omni anima, et is ipse est. Quinque diebus domi retinetur agnus, a decima ad quartam decimam; deinde sic immolatur decima quarta die ad vesperam a Judæorum synagoga. His quinque diebus significantur quinque temporis spatia ad Adamo usque ad consummationem: unum usque ad Noe, alterum a Noe usque ad Abraham, tertium usque ad Moysem, quartum a Moyse usque ad Christi adventum, quintum præsens ab adventu ejus tempus. Immolatur autem ad vesperam: quia in fine sæculi cum omni synagoga consensum præbuit Israel contra Christum. Ab initio Christi immolatio intelligebatur semper in passionibus justorum ab Abele justo, et in omnibus Christus erat qui patiebatur; consummatum autem id fuit, quando præsens in seipso passus

est divinus agnus. Etiamque ejusdem mensis decima quarta passus est, et tradidit spiritum ad vesperam. Ac secundum hanc figuram dispositum erat, ut a decima die agnus ad sacrificium assumeretur, et immolaretur decima quarta die ad vesperam; quia a principio passionis consilium statutum fuerat, in fine vero ipsa passio fuit. Deinde mihi considera præceptum Dei circa agni comestionem, quam novum et stupendum sit: Non comedes agni carnes crudas. Quis enim carnem crudam comedat? Esto, dictum sit, non assam, ne moras traherent: nam tempus urgebat; quid est autem illud, non crudum, sed *coctum igni?* Nemo enim vetat id quod numquam fit. Sed, ut dixi, per figuras res ipsæ significantur. Crudam profert sanctam escam qui fidem otiosam habet; assam voluptuosus, qui in vitæ segnitie diffluit. Strenuum fidei opus est, in spiritu ardenti et ferventi rem perficere. Caput cum pedibus et intestinis comedere jubentur. Ex capite agnosce Christum, quia ante sæcula Deus est, caput invisibilis et spiritualis Ecclesiæ; ex pedibus item, quia homo in novissimis sæculis in terram advenit; ex intestinis quoque, quia occultam in carne virtutem habens atque justitiam, non solum ab exterioribus, quæ oculis percipiuntur, utilis et salutaris est participantibus; sed etiam secundum interiora et occulta. Comeduntur autem carnes noctu, et ad diem nihil relinquitur. Commemoratio enim est Christi passionis in tempore noctis hujus mundi, post quam dies splendebit et vita Christi apparebit. Secundum illud, *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* 13. 12). Ossa ejus nemo comminuit: neque enim carnifices crura Christi confregerunt, confractis tamen simul crucifixorum ossibus, ut testificatur evangelista (*Joan.* 19. 33). Herbæ amaræ, quæ cum agno comedebantur, tribulationum acerbitatem indicabant; azyma simplicitatem sinceritatemque, ut ait Paulus; id est, non misceri posse ait cum veteri nequitia novam virtutem. Restat ut habitum comedentium Pascha spiritualiter explores et imiteris: in spirituali namque corporalis habitus comperietur. Non est res vana, sed opus salutare lumbos tuos præcingere, non corporeos cingulo, sed animæ lumbos præparatione. Calcea similiter pedes in præparatione Evangelii, secundum apostolum (*Ephes.* 6. 15). Baculum in manibus habe, non ligneum, sed fidem te fulcientem. Totus ille habitus viatorum erat, eorum scilicet qui festinabant ex Ægypto exire; tu melius imitare, quasi festinans ad exitum de mundo et de corruptione. Studium adsit, nullaque segnities in spirituali agni comestione. Hic optima est diligentia, non quæ voracitatem comedentium carnes exprimat; sed divinum amorem exhibeat eorum, qui ex mundo ad Deum festinant. Septem diebus azyma comedebantur; id est, per totam vitam sinceritas valeat. Nam per septem dies totum tempus multiplicatur. Et qui fermentum habet exterminabitur. Nam veteris hominis nequitia perniciosa est, nec potest cum novi hominis justitia et sanctitate commisceri. Ac vides juste illatam esse illam propter fermentum perniciem: propter commune autem panis fermentum, non videretur Deus juste indignari. Justitia namque non in typis deprehenditur, sed in rei veritate splendet et agnoscitur: sicut et illa unctio sanguinis, quæ videtur indigna Deo, tollitur, quando figura secundum rei veritatem spectatur. Indecorum enim Deo esset egere sanguine, ad cognoscendas Hebræorum ædes; sed convenientissimum ipsi est, quod per fidem in Christi sanguinem cognoscamur ab ipso et salutem consequamur. Annon etiam indecens esset illud quod circumcisionem spectat simpliciter intelligere, quasi Deus serio jusserit eum, qui Pascha comesturus sit, circumcidi, si non esset circumcisus, et sic ad comestionem accedere? Si vero circumcisionis virtutem spiritualem noveris, mysterium videbis, et Deum glorificabis. Circumcisio genitalis membri erat. Ab ortu, o homo, operimentum habuisti, quod oportebat te removere, ut operto vultu veritatem videres, nec sub terreno corporis tegumento illam respiceres. Cum enim nudatus fueris a carneo corpore, ad Christum ut spiritus accedis, et Domino hærens unus spiritus efficeris per sacram et salutarem participationem, quam indicabat carnium comestio. Circumcide et exue corpus post Christum secundum Paulum, qui ait: *Circumcisi estis circumcisione non manu facta, in exspoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi* (*Col.* 2. 11); atque ita circumcisus omni avaritia, vanæ gloriæ et voluptatis amore, divina te impleas esca, quæ te ad cælum ducat, te liberet a malis dominatoribus, eruat gravissimis laboribus, gloriosumque tibi ac beatum ad Deum reditum conciliet, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN IDEM ARGUMENTUM. VI.

1. Sacræ Christi lucis radii jam splendent, et pura puri Spiritus luminaria oriuntur, cælestis autem et regiæ divinitatis gloriæ thesauros aperiunt. Nox multa et obscura absorpta est et ingrata mors obscurata; vita universis aperta est, et luce perenni omnia plena sunt, atque orientes orientium universum obtinent: et ille ante luciferum genitus, immortalis, et magnus splendet Christus universis plus quam sol. Ideoque longa et æterna nobis credentibus in ipso dies adest candida, Pascha mysticum, figurate quidem per legem celebratum; Pascha, mirabile divinæ virtutis et potestatis opus; vere festum et memoriale legitimum sempiternum: ex passione impassibilitas, ex morte immortalitas, ex juventute vita, ex plaga medela, ex lapsu erectio, ex descensu ascensus. Sic Deus magna operatur; sic ex impossibilibus stupenda creat, ut ostendatur ipsum solum volentem omnia posse. Has figuras lex annuntiet, imagines veritatis prius interpretetur angelus, magnum magni Regis adventum prædicans: ubi Ægyptius primogenitorum populus mortuus est, et Israel mystico sanguine servabatur. Hæc omnia sunt futurorum umbra: apud nos autem sunt imaginum formæ, et typorum complementa, atque umbræ loco exacta et firma veritas. Illic agnus e grege, hic agnus de cælis: illic sanguinis signum, quod in re minori totum conservet, hic verbum, poculum plenum divino sanguine et spiritu: illic agnus ex grege, hic ipse pastor pro agno. Nam *Sicut ovis ad occisionem ductus est* (*Isai.* 53. 7). Quomodo ergo salutem universam opera pollicentur? Et solæ figuræ sunt salutares. Festum celebrent cæli cælorum, ut divinus Spiritus clamat, gloriam Dei narrantes: celebrent quoque angeli et archangeli cælorum, celebret omnis cælestis populus, summum Ducem superni exercitus videns episcopum corporaliter advenientem: festum celebrent stellarum chori, eum qui ante luciferum oritur indicantes: celebret aer immense in profundum et latum extensus: celebret salsuginosa maris aqua, divinis vestigiis ac gressibus honorata: celebret terra, divino abluta sanguine: celebret omnis humana anima, in novam generationem per resurrectionem restaurata. Hoc Pascha, communis omnium celebritas ex paterna voluntate in mundo peracta, missio Christi, divinus oriens circa terram, angelorum et archangelorum sempiterna solemnitas, totius mundi immortalis vita, mortis interitus, fons salutaris, hominum incorruptæ deliciæ cælestes, sacra initiatio, quæ vetera et nova interpretatur mysteria, quæ in terra oculis videntur, in cælis vero intelliguntur ab iis, qui hæc nova cum sacra notitia susceperunt: id quod nos paucis explicavimus. Talis est Paschæ publica solemnitas. Ut vero sigillatim vos

verbis velut convivio excipiamus (non terrenis, sed cælestibus excepti, comedamus et nos rationabile Pascha cum spirituali desiderio, quo Jesus desideravit Pascha manducare nobiscum): age primo resumentes paucis dicamus quid sit lex, et quis legis usus; cur post relictam Ægyptum lex data fuerit: secundo, quæ sit Paschatis œconomia, et quid omnino sit Paschæ mysterium. Proponemus primo Scripturam, ut illa proposita verba Dei singula dispiciamus. *Dixit autem Dominus ad Moysem et Aaron in terra Ægypti, dicens: Mensis hic vobis initium mensium, primus est in mensibus anni. Loquere toti synagogæ filiorum Israel, dicens: Decima hujus mensis accipiant agnos per domos familiarum, agnum per singulas domos. Si vero pauci fuerint in domo, ita ut non sint sufficientes ad unum agnum, accipient vicinum secum de proximis suis, secundum numerum animarum, quod sufficiat sibi numerabitur in agnos. Agnum perfectum, masculum, anniculum sumetis. Ex agnis et ex hœdis sumetis. Et erit vobis reservatum usque ad decimam quartam hujus mensis; et mactabunt eum omnis multitudo synagogæ filiorum Israel ad vesperam. Et sument de sanguine, et ponent super duos postes, et supra limen, et in domibus, in quibus eos comedent. Et comedent carnes in ipsa nocte, coctas igni, et azyma et amara comedent. Non comedetis ex eis crudum, neque assum in aqua, sed cocta igni: caput cum pedibus et intestinis. Non relinquetur ex eis in crastinum, et os non comminuetur ex eo: quod autem residuum erit ex eo usque ad matutinum, comburetis in igne. Sic autem comedetis illum: lumbi vestri præcincti erunt, et calcei vestri in pedibus vestris, et baculi vestri in manibus vestris. Et comedetis illam cum festinatione: Pascha enim Domini est. Et transibo in terra Ægypti hac nocte, et percutiam omne primogenitum in terra Ægypti, et in omnes deos Ægyptiorum faciam vindictam: ego Dominus. Et erit vobis sanguis in signum in domibus in quibus estis. Et videbo sanguinem, et tegam vos, et non erit in vobis plaga ut conterat, cum percutiam in terra Ægypti. Et erit dies illa vobis memoriale sempiternum, et celebrabitis eam. Diebus septem azyma comedetis* (*Exod.* 12. 1-15). *Et rursus dixit Dominus ad Moysem et Aaron: Hæc est lex Paschæ: omnis alienigena non comedet ex eo: et omnem servum et emptitium circumcides, et tunc comedet ab eo. In una domo comedetur, neque deferetis ex carnibus extra domum, et os non comminuetis ex eo. Omnis synagoga Israel faciet illud. Omnis incircumcisus non comedet ex eo. Una lex erit inquilino et proselyto in vobis* (*Ibid.* v. 43-49). Divina certe Scriptura sic mystice sacram solemnitatem præscripsit. Nos vero jam singula quæ lecta sunt accurate exploremus, precum vestrarum ope scrutantes Scripturarum profunda mysteria: non tollentes veritatem scriptorum, mysteriorumque accuratam rationem per figuras considerantes. Etenim jubet Spiritus sanctus Moysem tabernaculum construere: *Prout ostendam tibi*, inquit, *sic illud facies* (*Exod.* 25. 40). Typice conspicitur et mystice, si altius consideretur prototypum et primum exemplar.

2. Dicamus autem primo, quis sit ille mensis principium mensium; et cur hic mensis Paschæ primus sit mensium anni. Secundo, quid sibi velit agnus decima die mensis sumptus; et agnus perfectus, masculus, anniculus: quis sit vicinus et proximus qui assumitur: cur usque ad decimam quartam diem servetur agnus, et ad vesperam immoletur, et mactet eum omnis multitudo synagogæ filiorum Israel ad vesperam: quid significet sanguis supra duos postes et supra limen: cur in nocte carnes comedunt, illasque coctas igni, nihil crudum vel assum aqua; vel cur caput edunt cum pedibus et intestinis, cur os non comminuetur, et quid sint azyma cum herbis amaris: cur festinanter edetis Pascha: qui sint lumbi succincti, quid calcei in pedibus, et baculi in manibus: cur Pascha Domini, et cur sanguis signum est domorum in quibus est: quid illud, *Videbo sanguinem, et tegam vos, et non erit in vobis plaga quæ vos conterat, cum percutiam terram Ægypti*: cur septem dies azyma comedetis, et cur alienigena non comedet: cur in una domo comedetur, et ex carnibus nihil extra efferetur, et os non comminuetur ex eo: *Cur omnis incircumcisus non edet ab eo: tota synagoga faciet illud*: quænam synagoga sit. *Una lex erit inquilino et proselyto*, ut et eadem utrique lex. Typi ergo symbola et mysteria in Israel visibiliter facta, in nobis autem spiritualiter consummata sunt. Pauci igitur hac de re prælibatis, sic veritatis mysteria aggrediamur. Quis sit post legem Christi adventus, cur venerit et cum corpore: quid sit Pascha quod desideravit manducare nobiscum: cur is, qui verbo mortuos suscitavit, non omnino mortem vivens domuit: cur tandem mortem per lignum sustinuit: quæ sint spinæ quibus coronatus est, quid acetum et fel quod potavit, quod latus perforatum, ex quo effluxit sanguis et aqua: cur precatur calicem transire, quem tamen potaturus venerat: qui sint latrones una pendentes, et quis ex ambobus in paradiso: cur spiritum commendet in manus Patris, et cur corpus sit in novo monumento: quid sibi velit illud, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* 23. 43); quid sit triduum quo mansit sub terra: cur mulieres primæ vident illum, et cur annuntiando dicit, Mulieres, *Avete* (*Matth.* 28. 9). Hi sunt sacræ solemnitatis cibi nostri, hæc mensa spiritualis, hæc immortalis esca et deliciæ. Hoc pasti pane, qui de cælis venit; hoc potati lætitiæ calice ferventi et ignito, sanguine desuper veniente, per spiritum ardentem figurato, verbis resumamus; primo quidem quæ sit lex et quæ legis œconomia: sic enim comparatione cognoscemus quid sit verbum, et quæ verbi libertas. Lex per Moysem data variorum et necessariorum dogmatum collectio est, omnium in vita bonorum commercium utile, imitatio mystica vitæ cælestis, lucernæ et lychni, ignis et lumina, supernæ illuminationis honores. Lex per Moysem data, veræ religionis prævia figura, bene institutæ vitæ præceptum, primi peccati impedimentum, futuræ veritatis ænigma. Lex per Moysem data Ægyptiaci erroris castigatio, digito Dei descripta; alio enim modo excelsum brachium reservabatur. Lex per Moysem data pietatis et justitiæ dux est, cæcorum illuminatio, stultorum parvulorum pædagogus, ingratorum vinculum, duræ cervicis frenum, et eorum qui male jugabantur jugum necessitatis. Lex per Moysem data, sapientium disciplina, rerum necessariarum gymnasium, rerum mundi doctrina, dogma prævium legitimum, mysterium transiens. Lex per Moysem data, futuræ gratiæ symbolicum et ænigmaticum compendium, imaginibus annuntians perfectionem futuræ veritatis, sacrificiis sacram victimam, sanguine sanguinem, agno agnum, columba cælestem columbam, aris summum sacerdotem, templo divinitatis diversorium, igne circum altare posito totum supernum mundi lumen. Sic nobis lex mystice prædefinita sit. Venit autem necessario lex post profectionem ex Ægypto, materialis insani et Ægyptiaca sentientis cordis invisibilia mala exscindens atque vitulos, sulcans aratri more internas et densas spinas cogitationum, et sulcos ducens in profundo animæ, innovansque animam, ut sit receptaculum cælestis divini Verbi. Quapropter jure divinus Spiritus clamat: *Novate vobis novalia, et ne seminetis supra spinas* (*Jer.* 4. 3). Ideo Pascha mystice primum ex Ægypto incipit, tenebrosæ idololatriæ prima excisio, et impiæ idolorum insaniæ mystica abscissio et primogenitorum erroris seminum nocturna vindex plaga. Passa est certe Ægyptus primogenitorum plagam, et omnis qui genitus erat populus mortuus est: ut duræ cervicis Pharao vel tardius erudiretur, primis jussionibus non eruditus: Israel vero sic inexspectato modo servaretur, ac Deus in omnibus glorificaretur. Ægypti multitudo in plaga, Israelis vero Pascha in solemnitate: ideo vocatur Pascha in solemnitate Domini: multa et sacra futuræ Dei clementiæ mysteria. In hoc continetur omnis hac de re sermo. Ægyptus illa amara et nigra tenebrosi et profundi erroris est imago,

Inde namque primi fallaciæ fluctus, vituli et pisces, feræ et aves, et similia omnia animalia inter deos relata et culta. Cum autem de cælo vindex ira revelata fuerit, et furor magnus super omnem terram fuerit expansus, tunc primum superstitiosus idolorum error insanus dejicietur. *In omnibus*, inquit *diis Ægyptiorum faciam vindictam: ego Dominus* (*Exod.* 12. 12). In primogenita autem omnia sævitur, quia antiquiora tempora sibi vindicantes, vetustissimam omnium servitutem idolis præstabant. Tenebrosa et nocturna plaga erat: nam tenebrosa, tristia, ingrata, caliginosa, inhumana, atque tenebrosorum operum et dæmonum erant judicia. *Dabo*, inquit, *prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum.. sanguinem et ignem et vaporem fumi. Et sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus* (*Joel* 2. 30. 31). *Cur vobis hæc dies Domini? Et hæc est tenebræ, et non lux. Quemadmodum enim si fugerit vir a facie leonis, et occurrerit ipsi rursus, et introierit domum, et manu sua innixus fuerit in parietem, et momorderit eum coluber: sic erit dies Domini tenebræ, et non erit lux in ea* (*Amos* 5. 18-20). Sanguis vero in signum signaculi Christi, meum est mysterium. Signum autem non tunc veritas erat, sed futuræ veritatis signum. Quotquot enim habent signum sanguinis in animabus, ut a lege in domibus imprimi et ungi jussum erat, hos omnes exitiosa plaga præteribit. *In quibus*, inquit, *domibus sanguinem videbo, tegam vos, et non erit in vobis plaga quæ vos atterat, cum percutiam in terra Ægypti* (*Exod.* 12. 13). Sanguis ergo ut signum ad custodiam: in domibus autem, ut in animabus. Anima enim ex divino Spiritu et ex fide sacrum fit habitaculum. Hoc teguntur ii, qui credunt. Pascha per universum mundum tale mysterium est.

3. Audi tamen nos pro virili nostra parte divinam initiationem sigillatim explicantes. Res enim quomodo vere se habeat, Deus Verbum novit, qui in se et per se sacrum Pascha adornavit: nobis vero utpote hominibus venia danda, si non omnia assequamur, et si labamur. Dicamus tamen, priora resumentes. Primo dicitur, Mensis ille est initium mensium. Cur mensis Paschæ primus est mensium anni? Arcanus Hebræorum sermo est, hoc esse tempus quo temporum Dominus et Creator Deus universum creavit: et hunc esse primum creationis florem, mundi pulchritudinem, quando fulgentem totam imaginem in mente Creator concinne moveri vidit, et ornari recto illo cælorum ordine, tempestatum bono ordine, solis recto cursu, lucis nondum imminutæ oriente, et jam ornatam fructuum ortu, plantarum fructificatione, arborum floribus recurrentibus, gregum partubus: quando floret germinatque universa terra, et florentes arbores fructus, quos parturiunt, jam pariturae sunt: quando juga ex aratro solvit agricola, et quietem dat curru mugientium, ac postquam divinos fructus in terra jecit, cælestes excipit fontes et imbres: quando pastor lac candidum jam mulget: quando apis dulces favos et ceram efformat: quando nauta lætus mare jam tentare audet, et amore lucri fluctuum pericula audacter adit: illamque jam universorum consonantiam, et bonum omnium ordinem, atque ut ita dicam, beneplacitum, principium esse, dulcem nempe veris voluptatem. Ego vero his dictis non difficile crediderim, sed opinor, imo vero credo, per Paschæ spiritualem solemnitatem principium, caput ac quasi ducem omnis temporis intelligi, et hunc esse Paschæ mensem, in quo magnum illud consummatur et celebratur mysterium; ut sicut Dominus omnium intelligibilium et invisibilium primogenitus est ab initio; sic et hic mensis, qui sacra honoratur initiatione, primus esset in anno, et omnis sæculi principium. Annus autem hic est, quem divina Scriptura clamat: *Prædicare annum Domini acceptabilem* (*Luc.* 4. 19). Agnus est victima sacra. Ipse enim, inquit, *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se mutus* (*Act.* 8. 32). Et Joannes: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* 1. 29). Perfectum autem quærit agnum et anniculum, perfectum ut in terra habetur. Annus temporis mensuram in terra sibi sumit, annus in se revolvitur, et illa revolutione immensurabile sæculum imitatur. Sumitur autem decima mensis, idque admodum symbolice: lex enim distat ab evangelio. Legis quippe præcipuum dogma est decalogus: post decem autem legis præcepta tunc agnus mysticus de cælo venit. Servatur autem per quosdam intermedios dies, quo subindicat Scriptura tempus illud usque ad passionem, quando comprehensus Servator in domo summi pontificis detentus est. Qui autem assumitur vicinus ad comedendum agnum, ego sum. A te enim, o Israel, agnus non captus est. Deinceps vero agnus ad vesperam immolatur. Nam ad occidentem solem sacer agnus jugulatur. Mactant autem illum omnis multitudo synagogæ filiorum Israel. Incredulus enim Israel reus factus est hujus venerandi sanguinis: nam idem populus olim occidit, idemque nunc non credit. Ideo divinus Spiritus contra ipsos testificatur et clamat: *Manus vestræ plenæ sunt sanguine* (*Isai.* 1. 15). Sanguis autem supra limen est, quasi supra Ecclesiam; et super duos postes, ut super duos populos. Non enim satis habet Servator, o Israel, quod ad te primum missus sit: *Non* enim *missus sum*, inquit, *ad vos, sed ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* 15. 24). Ego vero ut catellus ad alienam mensam assidebam, cum nondum panem comedere possem, sed cadentes micas parasitus colligerem. Quia vero tu manna de cælo non cognovisti, in me panis per fidem translatus est, et canis loco filius effectus, carnes comedo. Occidit enim lux mundi in magno corpore Christi. *Accipite, comedite, hoc est corpus meum* (*Matth.* 26. 26). *Carnes coctas igni.* Igneum enim est rationabile corpus Christi. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo si jam accensus sit* (*Luc.* 12. 49). Non crudam carnem; ut verbum sit operatione facile, utile, acceptabile: non aqua assatum; ne humidum, aqueum vel resolutum sit. *Caput cum pedibus et intestinis.* Principium et medium, quasi invisibile consilium; pedes ut homo. Caput cum pedibus et intestinis: principium et medium et finis: omnia continet, constringit et conglutinat in seipso insolubilibus vinculis, vere factus mediator Dei et hominum. Caput cum pedibus et intestinis. Altitudine, profunditate, latitudine, quæ sunt terræ radices. Caput cum pedibus et intestinis. Lex, verbum, ut et consilium. *Quam speciosi pedes evangelizantium bona* (*Isai.* 52. 7)! *Os autem non comminuetis ex eo* (*Exod.* 12. 46); ut cognoscatur resurrectio cum corpore. Nam *Mitte*, inquit, *digitos tuos in fixuras clavorum* (*Joan.* 20. 27), ut scias, *Quia spiritus carnem et ossa non habet* (*Luc.* 24. 39). Azyma cum herbis amaris comedite. Amara enim tibi, et amarorum operum sunt mysteria. *Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni, terram vestram alieni coram vobis comedunt, et deserta est subversa a populis extraneis. Comedetis Pascha cum festinatione* (*Isai.* 1. 7). Vigilem quippe et excitatum oportet illum esse, qui ad tantum illud corpus est accessurus. *Lumbi vestri succincti sint.* Cessent genitales et dissoluti carnis fluxus, et sordidæ voluptates. *Calceamenta vestra in pedibus:* ut recti gressus sint, et fulcra firmanam veritatis sunt radices. Calceamenta vestra in pedibus vestris: quæ Moyses quidem solvit, Jesus vere ligavit. Nam, *Solve*, inquit, *calceamentum pedum tuorum* (*Exod.* 3. 5), ut legem pertransiturum esso ostenderetur. *Cujus non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere* (*Luc.* 3. 16), ut Verbum undique constrictum esse ostenderetur. *Baculi vestri in manibus vestris:* divinæ virtutis signa, rationabilis fortitudinis fulcra. Virga per Moysem, virga per Aaronem, virga nucea, virga quæ profunda maris dividit, quæ fontium acerbitatem dulcem reddidit, virga supra quam septem spiritus sancti Dei requieverunt: *Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus timoris Dei implebit illum* (*Isai.* 11. 2.)

Hoc Pascha, Pascha Domini, clamavit Spiritus: quia hoc Pascha, non typus, non historia est, non umbra, sed vere Pascha Domini. Sanguis autem in signum est, signum futuræ veritatis, veri Spiritus prima impressio; imitatio magnæ unctionis. *Et videbo sanguinem, et tegam vos.* Vere texisti, o Jesu, a multa pernicie, et manus extendisti paternas: abscondisti nos intra alas tuas paternas: sanguinem divinum in terra effudisti, in pactis tuis cruentis et benignitate plenis, et iras minasque a nobis repulisti, primam nobis superne reconciliationem reddidisti. Illi ergo azyma comedant septem diebus (*Exod.* 12. 15), septenariam in mundo meditantes periodum, et terrenam legalem in terra comedentes escam: Pascha vero nostrum immolatus est Christus, et novam massam sacræ illius mixtionis accepimus, toti meliore virtute fermentati et in massam redacti per ejus Spiritum. Ego namque ipsum regnum cælorum mixto fermento fermentavi, referendo ad tres mensuras similæ. Ideo hinc Pascha dicitur. *Alienigena non comedet* (*Matth.* 7. 6). Non enim projicio margaritas ante porcos, non do sanctum canibus. Qui vero peccatis olim serviebat, corde circumcidetur, et ab acerba servitute liberatus, sic cum nobilitate ad mysterium accedet; et tunc cum libertate Pascha comedet. *Christus* enim *nos liberavit de* servitute et *maledicto, factus pro nobis maledictum* (*Gal.* 3. 13)

4. *In una domo comedetur, et extra carnem non feretis.* Una quippe est synagoga, una domus, hoc est, una Ecclesia, in qua sacrum Christi corpus comeditur; ideoque extra unam domum Ecclesiam carnes non ejicientur. Qui autem alibi comedit, ut impius et fur plectetur. *Lex una erit libero et proselyto.* Ubi Christus, ibi libertas omnibus, ibi æqualitas, una lex, unus honor: omnes pretioso redempti sunt sanguine. Ideo non ultra servus es, non ultra Judæus, sed liber: omnes enim in Christo liberi facti sumus. Audi enim, audi post figuras et œconomiam legalem, quæ et quanta sit œconomia post Christi adventum in terram. Quid est Christi adventus? Servitutis fuga, a veteri necessitate liberatio, adoptionis filiorum honor, remissionis peccatorum fons, immortalis vere in omnibus vita. Videns nos superne sub mortis tyrannide, a corruptionis vinculis solutos simul et ligatos, in via necessaria ubi regredi non poteramus currentes, venit et assumpto primo figmento, cum paternis consiliis, non angelis, non archangelis ministerium pro nobis tradidit; sed ipsum Verbum totum pro nobis certamen suscepit, paternis obediens præceptis. Cum autem Spiritus divinus purus omnibus esset inaccessus, ne omnes incommunicabilibus Spiritus immissionibus afficeret, libens ipse seipsum colligens, tantus venit, quantus voluit, non imminutus in semetipso, neque a gloria assumptus, sed ex paternæ potestatis excellentia quod habuit non perdidit, et quod non habebat assumpsit. Tantus venit, quantus capi poterat. Quoniam vero oportebat quodpiam esse divini Spiritus receptaculum; ut primi humanæ naturæ et substantiæ participes essent, iis expurgatis et annumeratis, ejecto illo quod superfluum et lutosum erat, eo autem, quod purum, lucidum, sincerum erat, illuminato, irradiato et igne repleto, atque efformato, virgine reddito, imo, ut ita dicam, angelo, in imaginem humanam corporaliter efformatus est, spiritualem quidem habens orientem, corporalem vero accipiens formam. Ideo illum mystico admodum ritu Scriptura depinxit, *Ecce vir*, inquiens, *oriens nomen illi* (*Zach.* 6. 12): oriens quidem quasi in spiritu, vir autem quasi in corpore. Nam *Spiritus Domini superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Altissimi* (*Luc.* 1. 35). Cum autem stupenda et divina sit ejus generatio, jure Spiritus admirabatur, dicens: *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* 53. 8)? Cum autem quatuor sint præcipua divinitatis nomina, per quæ maxime divinus Spiritus creditur: Dominationis, Divinitatis, Filiationis, et Regni æterni; vide, num has virtutes et illam gloriam acceperit. Et primo vide illum Dominum. « Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis (*Psal.* 109). » Viden' eum a Domino Dominum? Vide etiam Filium dici. « Ipse me vocabit Patrem; et ego ponam illum primogenitum (*Psal.* 88. 27. 28); *et*, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* 2. 7. 8). » Viden' illum Filium, primogenitum et unigenitum? Vide illum etiam Deum. « Viri excelsi super te transibunt, te precabuntur, te adorabunt, et sequentur compedibus vincti. Tu es enim Deus, quia Deus in te est (*Isai.* 45. 14). » Vidistin' illum Deum? Vide ipsum etiam Regem æternum. « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga rectitudinis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* 44. 7. 8). » Vidistin' illum Regem? Vide illum etiam Dominum virtutum. « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ (*Psal.* 23. 7-10). » Viden' illum et Regem esse et Dominum virtutum? Ex reliquis jam vide illum esse summum Sacerdotem æternum. *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum* (*Psal.* 109. 4). Quod si et Dominus est, et Deus, et Filius, et Rex, et Dominus virtutum, et summus Sacerdos æternus, quia sic ipse vult, est etiam homo. Ecquis cognoscet eum? Et homo scilicet est, et ante Deus erat. Ac ne secundum quasdam hominum opiniones videatur casu quopiam specie tantum, vel spiritum quemdam in terram advenisse, audi ipsum infantem etiam fuisse. « Audite domus David: Numquid parum vobis est certamen præbere hominibus? Et quomodo certamen præbetis Domino? Ideo dat vobis Dominus ipse signum. Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel (*Isai.* 7. 13. 14). Et volent, si sint igne combusti. Quia parvulus natus est nobis, cujus principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus magni consilii angelus, admirabilis consiliarius, Deus potens, princeps pacis, pater futuri sæculi (*Isai.* 9. 5. 6). » Deus certe et homo hic magnus Jesus ad nos advenit: nemo non credat. Principatus sub humano corpore fuit. Nam primum Patris Spiritum mysticum cepit Adam in terra, etiamsi lutum esset: neque enim læditur divinus Spiritus, quando ex voluntate Dei corpori conjungitur. Quod si primus pulvis sacrum Spiritum capiebat, animatum certe corpus immortalem Christi vitam suscepit. Si ergo Spiritus tantum advenisset in te peccato et morti subjectum, supervacaneus tunc fuisset ille magnus corporis adventus, cum neque peccatum neque mors devicta fuisset. Oportebat autem etiam peccatum de medio tolli; ideoque ipse *Peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus.* Ipse ergo primum illud inops et mortale corpus induit. Quamobrem Spiritus de illo clamat: « Non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non habebat speciem, neque pulchritudinem; sed species ejus ingloria, deficiens præ filiis hominum (*Isai.* 53. 2). Nam in similitudine carnis peccati, sine peccato, condemnavit peccatum (*Rom.* 8. 3); » ostendens, non opus habere sanos medico, sed eos qui male habent. Curavit igitur omnia nostrum infirmantium corpora, et speciatim morbos potentia virtutis suæ sanavit, ut impleretur illud: « Ego Dominus Deus vocavi te in justitia. Apprehendam manum dexteram tuam, et roborabo te in testamentum generis mei, in lucem gentium, ad aperiendum oculos cæcorum, ad educendos ex vinculis compeditos in tenebris. Ego Dominus Deus, hoc mihi nomen est (*Isai.* 42. 6-8.) Audite, surdi, verba libri, et sedentibus in tenebris lux orta est. Tunc saliet, ut cervus, claudus, et expedita erit lingua balborum » (*Ibid. v.* 18. *coll.* 29. 18. *et* 35. 5. 6). Quia vero per partes malitia sublata est postrema inimica destruetur mors in victoriam. *Ubi est, mors, stimulus tuus* (*Osee.* 13. 14)?

5. Hoc erat Pascha, quo desideravit Jesus pati pro nobis. Per passionem a passione liberavit, et morte mortem vicit, ac per visibilem escam immortalem vitam suam largitus est. Hoc est salutare Jesu desiderium, hic amor omnino spiritualis, ut ostendat figuras quasi figuras, et sacrum corpus dei discipulis suis : *Accipite, comedite : hoc est corpus meum. Accipite, bibite : hic est sanguis meus in novo testamento, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* 26. 26-28). Ideo non tantum comedere, quantum pati desiderat, ut nos a passione per comestionem promerita liberet; ideoque lignum contra lignum plantavit, et illam olim malam manum affigens, totam vitam vere in se pendentem ostendit. Tu quidem, o Israel, non potuisti manducare : nos vero cum cognitione insolubili spiritualiter manducavimus, et post cibum sumptum non morimur. Hoc mihi lignum est in salutem æternam; hoc nutrior, hoc convivor; sub hujus radicibus radices pono, ramos extendo; a spiritu autem ceu a vento cum voluptate excolor. Sub hujus umbra tabernaculum posui, et multum æstum devitans, rore plenum habeo diversorium : cum hujus floribus floreo, ejus fructibus summe delector, fructus vero ab initio mihi reservatos decerpo. Hoc mihi esurienti delicatus cibus est, sitienti fons, nudo tegumentum, cujus folia spiritus vitæ sunt. Non ultra mihi folia ficus. Hæc mihi Deum timenti tutela est, nutanti fulcrum, certanti bravium, victori tropæum : hæc mihi arcta semita, angusta via; hæc scala Jacobi, angelorum ascensus et descensus, in cujus culmine stat Dominus. Hæc arbor a terra usque ad cælum assurgit, immortalis planta, quæ firma erigitur in medio cæli et terræ, fulcrum universi, firmamentum orbis, complexio mundi, mortalem variam substantiam continens, invisibilibus spiritus clavis confixa, ut rei divinæ congruens non ultra solvatur, summos cælos contingens, pedibus vero terram firmans, multumque intermedium aeris spiritum undique immensis manibus complectens. Totus erat ubique in omnibus, et per se solum contra aerias potestates nudus congressus est : et ad breve quidem tempus clamat ut calix transeat, ut ostendat se vere hominem esse; memor autem qua de causa missus esset, ut impleret œconomiam ad quam missus erat, rursum clamat : *Non mea voluntas, sed tua fiat; spiritus enim promptus est, caro autem infirma.* Utpote qui pro anima in certamine curreret ad victoriam, primo sacrum caput spinis coronatur, totam veterem terræ maledictionem de medio tollens, quod per peccatum ubique spinosum erat, per sacrum caput suum lenius reddens : ubi autem acerbum et acutum fel draconis ebibit, universos nobis dulcedinis fontes per se ipsum attemperavit. Cum enim mulieris opus solvere vellet, et eam quæ ex latere primum orta et mortifera erat, continere, sacrum suum latus aperiri voluit, ex quo sanguis sacer et aqua manavit, perfecta et sacra signa nuptiarum spiritualium et mysticarum, necnon adoptionis et regenerationis. *Ipse enim vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* Aqua ut in Spiritu, sanguis ut in igne. Tunc cum illo extenduntur duo latrones, duorum in se populorum signa ferentes : quorum unus mutatus, probus efficitur, et confessionem emittit, atque erga Dominum pie afficitur; alter vero duræ cervicis cum sit, commovetur, et erga Dominum improbus est, neque pius, atque in præteritis peccatis perseverat. Certe duæ sunt animi cogitationes, quarum altera a peccatis convertitur et ad Dominum tendit, ideoque per pœnitentiam clementia et honore dignatur; altera vero inexcusabilis, quia immutabilis est, et usque in finem latro. Ut vero finem habuit mundanum illud certamen, et undique ille retulit victoriam, neque elatus ut Deus, neque victus ut homo, in finibus universorum mansit radicatum victoriæ tropæum, dum ipse in seipso de hoste cum pompa triumphat. Tunc de patientiæ perseverantia obstupuit universus orbis : tunc cæli commoti sunt, principatus cælestes turbati, throni item et leges dum vident summum magni exercitus Ducem suspensum. Parum abfuit quin stellæ de cælo caderent, eum qui ante luciferum ortus erat extensum cernentes. Exstinctus aliquantum temporis est solis ignis, videns magnum mundi lumen obscuratum. Tunc petræ scissæ sunt, Israelis ingratum animum exclamantes : Non novisti petram spiritualem, ex qua bibisti dum sequereris. Velum templi scissum est, cum Christo patiens, indicansque verum summum sacerdotem cælestem. Parum abfuit quin totus mundus confunderetur, ac passionis timore dissolveretur; nisi divinum Spiritum insufflasset magnus Jesus, dicens : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* 23. 46). commotis enim universis et terræ motu nutantibus, metuque trementibus, ascendente divino Spiritu, vivificantis et confirmantis more, rursus stetit universus orbis, quasi scilicet illa divina extensio et crucis supplicium per omnia extensa fuissent. O sola in solis, et universa in universis! Spiritum tuum cæli habeant, animam paradisus; nam ait, Hodie tecum ero in paradiso; sanguinem vero, terra. Divisus est indivisibilis, ut omnia servarentur, ut ne infimis quidem locus divino adventu expers esset. Formam quidem ejus non vidimus, sed vocem ejus audivimus. Solvit itaque post vitam mortis vincula, potestate usus regia, ut cum dixit, *Lazare, veni foras* (*Joan.* 11. 43); et, *Puella, surge* (*Marc.* 5. 41); ut ejus potestatis imperium indicaretur. Ideoque se totum morti dedit, ut voracem feram, et inexplebile vinculum in se interficeretur. In corpore impeccabili ubique cibos quærebat sibi proprios; num ibi voluptas esset, num ira, num inobedientia, num tandem vetus peccatum, prima mortis esca. Stimulus enim peccati mors est (1. *Cor.* 15. 56). Cum autem nihil in eo mors reperiret quo aleretur, in seipsam conclusa, et cibi penuria soluta, ipsa sibi mors fuit, ut vero multi ex justis erant nuntiantes et prophetantes in resurrectione primogenitum ex mortuis. Ille vero per triduum sub terra mansit, ut totum humanum genus, et quod ante legem fuerat per semetipsum servaret. Fortasse vero ut totum animal suscitaret, animam, spiritum et carnem, ideo per triduum moratur. Suscitatum illum primo vident mulieres. Ut enim primum peccatum mulier in mundo admisit, sic et mulier prima mundo vitam nuntiat. Ideo sacram vocem audiunt mulieres, *Avete* (*Matth.* 28. 9), ut prior dolor per gaudium resurrectionis tolleretur; et ut ab incredulis ejus a mortuis resurrectio cum corpore crederetur. Ut totam sibi imaginem induerat, et veterem hominem quem induerat, transformavit in cælestem hominem : tunc cum eo illa imago sic attemperata ascendit in cælum. Videntes autem virtutes magnum illud mysterium, hominem una ascendentem cum Deo, jussæ cum gaudio supernis exercitibus clamaverunt : *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ* (*Psal.* 23. 7-10). Illæ vero novum miraculum videntes, hominem cum Deo junctum, vicissim clamant et dicunt : *Quis est iste rex gloriæ?* Aliæ rursum interrogatæ respondent : *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ, fortis, robustus et potens in prælio.* O mysticam largitatem! o spiritualem solemnitatem! o Pascha divinum, a cælo descendens in terram, et rursum a terra ascendens in cælum! o novum universorum festum! o mundi celebritatem! o universi gaudium, honor, esca, deliciæ, quibus tenebrosa mors dissoluta est, vita autem in omnes extensa fuit, et apertæ sunt portæ cælorum, et Deus homo apparuit, et homo Deus ascendit, per quem confractæ sunt inferni portæ, et adamantina claustra soluta sunt. Atque infernus quidem populus surrexit a mortuis, annuntians supernis plenitudinibus : ex terra redditus est chorus! O Pascha divinum, Deum de cælis non anguste agentem, nunc spiritualiter nobis conjungens, cujus opera magnus ille nuptiarum thalamus impletus est, omnesque sponsales stolas gestant, nullusque ejicitur quod non habeat stolam

nuptialem! O Pascha, nova lampadum illuminatio, virginalis lucernarum decor! ideo non ultro exstinguuntur animarum lucernæ; nam divino et spirituali modo in omnibus gratiæ ignis præfertur, corpore, spiritu et oleo Christi subministrante. Te autem rogamus, Domine Deus, æterne spiritualiter Rex Christe, manus tuas magnas super sacram tuam Ecclesiam extende, et super populum sanctum semper tuum, defendens, custodiens, conservans, pro illo bella gerens et decertans, inimicos illi subjiciens, atque illos vincens qui nobis invisibili virtute inimici sunt, ut et hostes nostros vicisti. Erige nunc tropæa pro nobis, et largire nobis ut possimus cum Moyse canere canticum victoriæ, quia tibi est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SEQUENTEM SERMONEM.

Hunc ejusdem esse scriptoris, styli genus, perplexa series, omnia denique suadent. Agitur vero de concinnando ac definiendo Paschatis die, de quo magna tunc quæstio agitabatur. Quia enim non eodem die ejusdem mensis, ut in reliquis solemnitatibus observatur, sacrum Pascha agebatur, sed aliquot tempora, diversas cyclorum rationes observare par erat, ut dies ille assignaretur; hasce notas is quisquis sit scriptor affert, et missis hæreticorum Judæorumque hac de re placitis, has temporum notas ad celebrationem Paschatis ipse requirit: nam ut ex ejus dictis comperimus, etiam inter Catholicos ea de re tunc disceptabatur.

Observanda sunt, inquit ille, æquinoctium vernum, luna decima quarta, ac præterea triduum, nempe Parasceve, Sabbatum et Dominica. Pascha semper post æquinoctium celebrandum est. Si vero contingat decimam quartam lunam ante æquinoctium incidere, illa rejecta, ad sequentem decimam quartam lunam Pascha remittebatur, et tunc erat mensis embolismus, sive injectitius, donec adveniret illa decima quarta luna post æquinoctium. Si vero quarta decima luna cum Dominica concurreret, illa Dominica non celebrabatur ut festum Resurrectionis, sed sequens Dominica assumebatur, quia putabant quarta decima luna passum esse Christum, nec consentaneum esse Resurrectionem celebrare qua die Christus passus esset. Secundum hanc disciplinam ille diem Resurrectionis statuit incidere in secundam diem octavi mensis, qui est Aprilis, secundum numerandi modum Græcorum complurium, qui annum incipiunt a Septembri: in annum autem sequentem, diem decimum septimum septimi mensis seu Martii assignat; et in tertium annum sequentem, nonum diem ejusdem septimi mensis. Hæc vero quomodo quadrare possint longius esset recensere; mittimusque ad Petavii Doctrinam temporum et ad Usserium Armacanum. Duo tamen hic notatu digna observare operæ pretium fuerit.

Primo hunc scriptorem, qui per totas sex orationes præcedentes statuit in die Parasceves seu passionis Christi immolationem agni mystici seu Christi celebrari eadem ipsa die qua agnus ille paschalis apud Judæos mactabatur, videri Pascha distinguere a die Dominica Resurrectionis; quemadmodum olim in Ecclesia Latina multi distinguebant, et Pascha a Resurrectionis die separabant. Sic Gregorius Turonensis, ubi ordinem a Perpetuo antecessore suo episcopo Turonensi referens, Resurrectionem Domini prius quam Pascha celebratam exhibet hoc pacto.

Sexto Calendas Aprilis Resurrectione Domini nostri Jesu Christi, ad Basilicam Domini Martini.

Pascha, in Ecclesia.

Die Ascensionis in Basilica Domini Martini.

Ubi notat Ruinartius noster p. 531: *Festum Paschatis a festo Resurrectionis distinguitur in vetustioribus Kalendariis; ubi Resurrectionis festum die 27 Martii recolitur. Pascha autem, ut omnes norunt, pro varietate lunæ semper celebratum in Ecclesia fuit.*

Secundo, ex his quæ in hoc sermone observantur verisimile est, inter Græcos etiam orthodoxos varietatem aliquando accidisse circa celebrationem Paschatis; ita ut alii una, alii alia die Pascha peragerent, id quod etiam apud Latinos Catholicos contigisse comprobatur, sicut non raro observat Gregorius Turonensis. Sic libro V, p. 221, *Eo anno*, inquit, *dubietas Paschæ fuit. In Galliis vero nos cum multis civitatibus quartodecimo Calendas Maias sanctum Pascha celebravimus; alii vero cum Hispanis duodecimo Calendas Aprilis solemnitatem hanc tenuerunt.* Ubi notat Ruinartius: *Dubietas hæc orta ex eo, quod Franci Victorii laterculum sequebantur, ut in Concilio Aurelian. IV, Can. 1, an. 541, statutum fuerat; Hispani vero antiquum Latinorum canonem. Adi Cointium ad annum* 539 *num.* 15. Aliquot postea annis idipsum accidit, eodem Gregorio teste lib. X, p. 516.

Verisimile autem est in Oriente quoque illas varietates circa diei Paschatis celebrationem accidisse, quod hic Scriptor anonymus insinuat, dum ait, contrarias ea de re sententias in anno quo ipse concionem suam emisit exstitisse. Illam observandi Paschatis varietatem jam commemoravimus Tomo primo operum Chrysostomi, col. 842 et seq., ubi diem Paschatis anni 387, qui in tabulis paschalibus vulgatis assignatur 25 Aprilis, nullo modo posse in hunc diem convenire secundum Chrysostomi dicta, ex quibus liquet Pascha multis ante diebus Antiochiæ celebratum fuisse. Ibi vide sis.

IN IPSUM PASCHA SERMO VII ET ULTIMUS.

1. Heri quidem, fratres, de præfinito tempore sancti Paschæ quædam dicebamus, et quia videbatur difficultas esse quædam, significavimus in nomine Domini nostri Jesu Christi, nos multo ante et tempus præfinitum, et difficultatem prævidisse: deque iis dictum est quantum satis erat: si tamen dictorum memoriam retinetis; causam vero dilationis hodie dicere aggredimur. Et quia hujusmodi disquisitio veri Paschæ loci et temporis speculationem desiderat, volumus, Domino juvante, argumentum resumere, et pro virili nostra mysterii speculationes proferre. Et quia multus adest adversariorum incursus, qui rei veritatem ignorant, atque hæretici resiliunt, ac Judæi se Pascha celebrare profitentur, Christianorum vero tantum hoc mysterium est, et mysterii celebratio apud nos accurate constituta est; juvat illorum omnium compendio mentionem facere, atque omnem confusionem a mysterio nostro eliminare, et sic temporum singulorum rationem patefacere, ope scilicet unigeniti Filii Dei. Sæpe namque quosdam vidimus dicentes: Cur natales Servatoris definito die celebrantur; nempe, ut omnes scimus, octavo Kalendas Januarias secundum Romanos: Theophania vero similiter; ipsa quippe celebrantur definito die decimo tertio quarti mensis secundum Asiaticos: et martyrum quoque memoriam definito die celebra-

mus, Paschatis vero non eadem est ratio? Neque enim uno, neque simpliciter cadente die mysterium colitur, sed multa prius tempora mente colligimus, et speculando revolvimus. Observamus nempe primum mensem, ac primum mensem primi temporis (*a*), quod ex verno æquinoctio dignoscitur : illum enim qui primum mensem observat, oportet respicere primum tempus, ex quo primus mensis nominatur. Rursumque is qui primum tempus assumit, initium primi temporis inspiciat oportet, quod aliud non est quam æquinoctium vernum, ut postea demonstrabo. Quia ergo primum tempus observamus, et æquinoctium, insuperque lunæ decimam quartam, ac præterea triduum, nempe Parasceven, Sabbbatum et Dominicam, atque impossibile est, uno ex his deficiente tempore, Pascha celebrari; ideo non possumus definitum diem ad mysterium Paschatis assignare; sed his omnibus collectis temporibus, salutaris passionis speculationem perficimus. Libet ergo, priusquam agamus de æquinoctio, quod totum mysticum est, et de luna decima quarta, quæ et ipsa mysterio non vacat, ac de triduo, ad mysterii finem causam congruentem habente : primo de extraneorum Judæorum consuetudine agere, quam absurde sibi consarcinarunt; indeque mysterii ecclesiastici puritatem discernere. Nam hæretici, etsi falso statuant, tamen illis anteponendi. Neque enim Judæi diem unum definitam ad Paschæ celebrationem observant; sed et mensam solarem, ut putant, et lunam quartam decimam tenent. Cum ergo apud ipsos decima quarta luna contigerit, si nondum primus mensis advenerit, hanc quartam decimam differunt, ut primum solarem mensem occupent, et sic concursu facto primi temporis et quartæ decimæ lunæ, videantur ex placito suo facere. Vides ergo, frater, Judæos hoc agere, et hoc commune nobiscum habere, quod non unam diem quærant ad celebrationem, sed tempora multa. Quartadecimanorum autem hæresis est quæ cum Judæis Pascha celebrat, et idipsum facit. Novatiani videntur nostra aliquatenus imitari, qui tempori a Judæis definito serviunt : primum mensem et ipsi observant, et quartam decimam lunam pariter. Sed non hic gradum sistunt : nam postquam huc venerint, ad triduum accedunt; sed sine ulla auctoritate, neque secundum concentum ecclesiasticum, ut ostendetur. Est porro alia hæresis Montanistarum, quæ se judæos non imitari contendit, attamen in periculum suum ab Ecclesia dissonat. Nam decimam quartam primi mensis observat; id est, mensis septimi secundum Asiaticos, non autem decimam quartam lunæ, nec scio unde hoc vinculum acceperit. Nam unigenitus Dei filius in Paschate Judæorum, luna quarta decima, mense primo; in hac, inquam, quarta decima, in Paschate Judæorum Christus passus est. Undenam igitur hæc exsecranda hæresis quartam decimam a solari mense ducit, non a lunari, nisi duce dæmone deceptore? Cæterum ipsa etsi ex ecclesiastico numero exciderit, attamen inde ad triduum venit. Verum hæc facessat. Sed postquam docui omnem hæresim id curare, ut definitum tempus plus vel minus observet; demum Judæos confutare aggrediar, deinde Christiani cœtus causam explicabo. Stat in Ecclesia definitum tempus passionis, æquinoctium vernum, decima quarta luna, triduum, nempe Parasceve, Sabbatum, Dominica. His utimur ad Diem statuendam; et sic proprie fit suo tempore : non aliam novitatem sequimur, sed ipsius Moysis traditionem, nempe decimam quartam post æquinoctium servamus. Testes habeo sapientes Hebræos. Neque enim Judæorum hujus temporis amentia est attendenda, quippe qui omnia legis jura pessumdederint; sed sapientes Hebræos narrantes audire oportet, illorumque calculus necessario est usurpandus, et hi explodendi, utpote transgressores, et dicta nostra confirmanda, quæ talibus sunt fulta testimoniis. Judæi namque omnia bona eliminarunt : statim quippe Scripturas septuaginta duorum sapientium Interpretum reprobarunt. Hujusmodi enim Judæi illi erant, qui ad tale opus concinnandum incubuerunt; antiqui nempe, qui ante Servatoris adventum ab optimis electi sunt, ad interpretationem Scripturarum, quæ tunc Hebraicis exaratæ characteribus optimo in statu erant. Sane approbata tunc fuit illa interpretatio, et maledictiones ab omnibus Hebræis prolatæ sunt in eum, qui hanc interpretationem mutaret. Has ideo Scripturas observamus, audientes Moysem dicentem : *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Deut.* 19. 15). Non autem duorum, sed septuaginta duorum testium versionem libenter accipimus. Sed quandiu sapientes Judæorum superstites fuerunt, versio illa vim habuit; at post iniquum contra Servatorem perpetratum scelus, bona omnia apud Judæos exstincta sunt. Propheta est ille, qui prædicat : *Ecce Dominus Sabaoth auferet a Jerusalem et a Judæa robustum et robustam, robur panis et robur aquæ, gigantem et fortem et virum bellatorem, et judicem, et prophetam, conjectorem, et senem, et sapientem architectum, et prudentem auditorem : et statuam juvenes principes eorum, et illusores dominabuntur eis* (*Isai.* 3. 1-4). Hoc propheticum oraculum dejecit Judæorum multitudinem, ac prudentia nulla, propheta nullo exsistente, qui salutaria doceat, sapientum suorum traditiones eliminarunt, ac demum leges periclitantur. Ut ergo Scripturas mutarunt et sapientum illorum interpretationem contempserunt, proselyti (*a*) cujusdam interpretationi fidem habentes, in contemptum tot virorum et maledictionum suarum, sic definitum Paschæ tempus perverterunt.

2. Testes habemus sapientes Hebræos, ut Philonem, Josephum, et alios quosdam, qui in scriptis suis asseverant, non posse aliter accurate Pascha celebrari, quam post æquinoctium vernum. Definiuntque iidem sæpe, hanc rei seriem servari post quartam decimam lunam, uti sæpe dictum est. Hi vero, ut Judæi omnes norunt, post Servatoris passionem fuerunt, multoque postea tempore vixerunt. Itaque palam est Servatorem in Paschate Judæorum passum esse post æquinoctium. Jam ergo sapientum testimonio compertum habes, Judæos, nunc rejectos, ab initio post æquinoctium quarta decima luna Pascha agni celebrasse. Stet hoc interim firmum, ut hinc susceptum argumentum stabiliatur. Nunc tamen Judæi Pascha post æquinoctium indifferenter celebrant, nisi intercedat mensis embolismus, quo casu vel inviti post æquinoctium illud differunt : id autem non secundum scopum, sed casu accidit. Nunc porro, hoc nempe tempore, ante æquinoctium id faciunt, et a sapientibus Judæis ut transgressores unctionis reprehenduntur. Nos porro vim mysterii inviolabilem habemus : tempus enim, quo passus est Servator non ignoratur. Nam commentaria sub Pilato edita definitum Paschæ tempus continent. Narratur enim octavo Kalendas Aprilis passum esse Servatorem. Hoc vero definitum tempus post æquinoctium est, ut periti norunt. Hanc regulam tene, ut videas Christum hoc definito tempore passum esse, et rei gnarus semper Pascha post æquinoctium celebres, Christum imitans, hæreticorum prævaricationem fugias, et temporum rationes quæras. Jam conabor hanc temporis rationem enumerare, ut ostendam mysterii consensum cum veteri norma. Passus est Christus post æquinoctium in Parasceve, ut novimus, et ut Scripturæ referunt; Parasceve tunc concurrente cum quartadecima luna. Nam in Judæorum Paschate passus est. Pascha vero Judæorum tunc omnia tempora, quæ ad passionem pertinent, complectebatur, æquinoctium quod jam præterierat, quartam decimam lunam currentem, Parasceven, Sabbatum, Dominicam. Cur hæc ita facta sint, jam dicendum; et singula, quæ proposita

(*a*) Idem est ac si legeretur, *primum mensem vernæ tempestatis.*

(*a*) Proselytum illum Aquilam interpretem intellige.

sunt, fideliter explicanda, non ex meo arbitrio, sed ex ipso rerum ordine. Quod enim æquinoctium, primum tempus præcesserit, id ex Dei creatione palam est. Primum namque mensem quærimus per primum tempus : primum vero tempus initium habeat oportet a prima die pariterque a prima nocte. Nullum enim aliud initium primo tempori competit, quam illud quod dictum est. Oportebat enim creationem fieri ante futurum tempus, et cum dies et nox jam adesset, illarum exsistentiam jam æqualiter definiri; deinde vero ex motu inæqualitatem exsurgere. Nam si motus inæqualitatem habuit, in creatione oportuit æqualitatem demonstrari. Id autem volo ex Scriptura explicare. *In principio*, inquit, *fecit Deus cœlum et terram*. Hinc subdit, Tenebræ erant, et lux nondum erat. *Et dixit Deus : Fiat lux; et facta est lux. Et divisit Deus inter lucem et tenebras, et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem* (*Gen.* 1. 1-5). Habes primam diem et primam noctem. Quid enim? quomodo divisit Deus inter lucem et inter tenebras, quas constituit esse noctem? Nam illud, *Inter*, duos ponit terminos. Quia enim omnia quæ creavit Deus, in determinata creavit natura, ex consequenti primam diem et primam noctem in determinata et æquali circumscriptione produxit, et cum mensuram perfecisset, vidit illa optime se habere. Deinde, ut jam dixi, ex motu permisit inæqualitatem oriri. Si ergo primus status in æqualitate constitit, æquinoctium primi temporis principium fuit, ut demonstratum est. Deinde post æquinoctium (hic animum adhibe) quarta die fit sol et luna. Æqualitatem æquinoctii faciunt luminaria. Sexta die format hominem, ac septima quiescit ab omnibus operibus. Sequenti, quæ est prima, universum jam perfectum suo ordine ferri sinit. Hæc observa et memoria retine, ut dicta explorare possis. Sic Deus hominem fecit, et, ut bonus est, talem et tantum fecit hominem. Ne enim pravitatem ejus, sed primum ejus statum respicias : nam ad imaginem suam fecit illum. Atque ut ostenderet ejus naturam cum stellis concertare, declarat ipsum nudum positum fuisse in paradiso, amictu non egentem : nondum enim talem aspectum contumelia fœdaverat, ut tegumento opus haberet homo. Verum Scriptura testificatur, Deum fecisse hominem, et posuisse illum in paradiso : atque illos nudos fuisse, nec erubuisse. Sed quemadmodum sol et luna nuditate sua splendent et ornantur : sic et hi permissi sunt suo decore splendere. Cum ergo tantum illi beneficium contulisset Deus, illumque in paradisi deliciis constituisset, muneraque sua illi abunde tribuisset, sensum ab eo, ut justum erat, requirebat, docuitque illum ut obedientia gratiam rependeret. Quia vero vidit, fieri non posse ut ille donum servaret, nisi ad Deum datorem confugeret ipsumque honoraret, legem illi præscripsit naturæ custodem, ut ex memoria et ope legislatoris, quasi bonis quibusdam pharmacis custodiretur : immortalitatemque ipsi, si legem servaret, promisit, mortem vero minatus est prævaricanti. Sed his ita gestis, illa acciderunt quæ nota sunt : invidia quippe diaboli suadente, ut legem transgrederetur homo, corruptibilis est effectus, ejiciturque extra paradisum : ac deinceps auctus prole, brutorum vitam duxit, atque impietatis et lasciviæ receptaculum factus est. Ideoque prophetæ clamabant, de illius prisca dignitate, et de postrema turpitudine : *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* 48. 13). Hæc cum ita se haberent, et humana pereunte natura, volens unigenitus Dei Filius cum paterno placito hominem reducere, illumque ab impendente ultione eripere, tempus et modum auxilii excogitat; tempus, ut opportune ad medelam adsit; modum, qui ad purgandum et restituendum illum esset idoneus. Factus igitur homo, Deusque manens, pro toto mundo passus est. De hoc sæpe sacrificio loquutus sum. Multa nuper dicebam, ex ipsis Judæis adducta contra Judæos, et ex gentilibus contra gentiles argumenta sumendo; et hanc necem dæmonas avertisse et profligasse, necnon pericula etiam, hostes et omnem turpitudinem ejecisse, ex rebus ipsis demonstravi; neque ultra contra illos agam, ne propositæ rei seriem interpellem. Cum vellet igitur unigenitus Filius Dei resurrectionem lapso homini largiri, illumque renovare, et passione sua in pristinum modum restituere, vide quid fecerit. Quia ipse erat primi hominis Creator, ejus etiam lapsi restaurator futurus erat, ad emendationem totius naturæ : sese quidem passioni offert, totum vero tempus accipit ad renovationem, quod ad creationem acceperat, ut finis principio consentaneus appareret, et modus in Creatore idem esset. Volebat enim, quia tempus purissimum in formatione primi hominis delegerat; hoc vero tempus pollutum fuerat per prævaricationem, cum ipso etiam prævaricatore, et pollutum sequens sæculum apparebat, ipsum primum tempus in reparatione hominis assumere; ut cum ipso homine per purgationem ex passione partam sequens sæculum a capite purius exhiberet; quo in eadem ipsa re omnia ostenderet, et hominis renovationem, et sæculi puritatem et reparatorem Creatoremque naturæ ex ipsis temporum symbolis clare demonstraret.

3. Quod est ergo primum tempus? quod caput primi temporis? Æquinoctium, frater, ut ostendimus, cum dies et noctes, æquales sectiones exquisivimus; et æquinoctium vernum : tempus enim vernum est ex historiæ serie. Narrat quippe Moyses, tertia die jussisse Deum flores et arbores et plantas fieri. Veris hæc symbola, consona sunt arti, viæ et ordini Dei cuncta creantis. Quia ergo prima creatio hominis post æquinoctium facta est, sexta æquinoctii die (nam in Parasceve creatus est homo), luna vero plena post æquinoctium creata est quarta die, lapsusque hominis per peccatum accidit : ideo emendationem ejus et renovationem, tempore a creatione ejus definito assumit, æquinoctium et decimam quartam post æquinoctium, diemque sextam simul conferens; ut his omnibus statutis temporibus, ejus qui passus est resurrectionem ostenderet, atque naturæ renovationem et restaurationem. Ideo apostolus hanc restaurationem a Deo factam declarans, dicebat : *In omni sapientia et prudentia : ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensationem plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt* (*Ephes.* 1. 8-10). Vides, quomodo restaurationem eorum, quæ sunt in terra, dicat una cum cælestibus? Lapsu autem hominis incidente, et separatione a pietate cælestium angelorum, cupiens nos per passionem ad hanc unitatem reducere, quid aliud operatur, quam restaurationem bonorum? Ideoque tempora creationis ad reparationem assumit : ac mysterium maximum audire poteris. Quia enim hæc tempora difficile concurrere possunt secundum priorem modum in unam et eamdem hebdomadam (consideres velim priorem illam hebdomadam, in creatione dico, æquinoctium in principio in se habuisse, deindeque quarta die plenam lunam, et paulo post sextam diem, in qua formatus est homo : illa vero non possunt semper contingere in una eademque hebdomada) : quia ergo difficile erat, ut, quemadmodum in prima creatione, hæ omnes temporum rationes in unum cogerentur, horum tamen concursu ad passionis œconomiam Servator usus est, ut propositam restaurationem exhiberet. Ideoque cum sæpe a Judæis quæsitus fuisset ut interficeretur, quod nondum concursus ille temporum accideret, aufugit. Legis quippe in Evangeliis, voluisse Judæos illum comprehendere, sed ipsum recessisse; illos vero, qui mysterium ignorabant, ex metu factum putavisse. Non erat autem metus, sed concursus temporum observatio. Cum porro Filius Dei temporum notas collegisset, cum hebdomadam hanc ad illam creationis concinnasset, atque æquinoctium, plenam lunam et Parasceven, in qua passu-

rus et renovationem facturus erat, concurrere deprehendisset, tunc sese ad patiendum tradidit. Elevatis autem oculis in cælum, dixit : *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te* (*Joan.* 17. 1) : et discipulis suis : *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis* (*Ibid.* 12. 23). Sic curavit unigenitus Filius Dei, omnia illa priora tempora, quibus formatus homo lapsus est, coadunare ad ejus reparationem et apostolicam renovationem naturæ subire, eo quod huic rei necessarius esset temporum concursus. Ideo in passione æquinoctium, ut caput temporis, observatur. Nam ante illud æquinoctium, antequam dies esset, tenebræ erant : neque dignum illo fuisset tenebrarum tempore pati, et lapsum reparare, quia neque primus homo in tenebris, sed post lucem est editus ; post æquinoctium autem dies superior est nocte. Oportebat ergo passionem, restaurandi causa factam, in tali concursu exhiberi, quo lux pietatis augenda erat, dum tenebræ impietatis minuerentur. Sed æquinoctium in passione observatum est ob restaurationem primi temporis ; et Parasceve similiter, quia primus homo illa die formatus est : oportebat qua die formatus ceciderat, eadem emendari. Sabbatum vero ad quietem deputatum dicit Scriptura his verbis : *Et requievit Deus ab omnibus operibus suis die septimo, et sanctificavit illum* (*Gen.* 2. 2. 3). Sic ergo Dominus, restauratione semel facta, postquam in Parasceve passus, omnia opera ad reparationem hominis lapsi consummasset, die septima requiescit, et manet in corde terræ, iis qui inferis erant libertatem donans passione partam. Et Dominus requiescit nunc ab omnibus operibus. Quia lapsus hominis ex prævaricatione apparuit, residuum opus Deo erat, quo illum reduceret. Quod cum in passione fecisset, et hominem qui perierat renovasset, die sabbati paschalis requievit ab omnibus operibus, cum nullum restaret opus agendum ad operationem salutis nostræ. Sic autem et æquinoctium, et Parasceven et sabbatum secundum priscam seriem observans, una sabbatorum resurrectionis lumen ostendit, idque ex temporis serie. Hæc enim rursum erat prima omnis temporis dies, quam et tunc sensibilis temporis lucem, ex consequenti nunc spiritualis suæ resurrectionis, jam olim constituerat. Cum vero hæc omnia observaverit in prima creatione, plenam scilicet lunam post æquinoctium, ut diximus ; hinc aliud miraculum exsurgit, cujus causa id observatum est. Quia enim tenebræ futuræ erant in passione Servatoris, Græci vero dicunt ex luna subtus currente solis eclipses fieri ; ne quis religionem Græca arte adoriretur, decima quarta luna assumpta fuit, ut cum illa omnino plena, et solis cursui ex diametro opposita orta fuerit, miraculum nullo modo posset obscurari, cum hæc tanti sceleris ultio esse palam videretur, neque ad artem illam recurri posset. Propter hæc omnia Christus in passione veteres illas temporum notas servavit : ideoque nos etiam illas servamus, ut ostendamus et imitemur illa mystica sensa. Sed Christus verum pascha celebrans, ut omnes ab impendente ultione liberet, jure, utpote in vero et proprio Paschate, omnia prædicta tempora in hebdomada antiquo more collegit, ut restauratonem perficeret. Nos vero, quia prædicta tempora non possunt semper concurrere, ad imitationem veri paschatis, quantum possumus, tempora illa colligimus, accuratam illam temporum constitutionem prototypo Paschati Servatoris concedentes. Certe cum Unigenitus semel immolatus sit, et id ad œconomiam satis fuerit ; jam nullus homo immolatur, sed Servator in passione, ad proprii sacrificii imitationem, panem et calicem dat, tum corpus, tum sanguinem arcanis nominibus offerens, jubensque in hac forma Pascha facere.

4. Hanc sequentes imitationem, tempora etiam imitando colligimus, quantum possumus, æquinoctium nempe, decimam quartam lunam et triduum colligentes ; decimam quartam ex necessitate in hebdomada, ut mos antiquus docet, et ipsum triduum ; æquinoctium vero circa tempus Paschæ, quo convenimus. Salvator quidem qui Pascha verissimum exhibuit, quod averteret impudentia mala, dæmonas ; idololatriam, et omnem perniciem, liberam naturam nostram ad beatitudinis adeptionem effecit. Quoniam vero morti et temporibus illis proximus præcepit, ut nos idipsum imitaremur in symbolis ab ipso datis, dicens : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* 22. 19) ; jure singulis annis post æquinoctium id agimus, in omnium nostrum salutem, ut avertamus impendentia mala, et cælestis gratiæ consortes simus, Servatorem imitantes Pascha perficimus cum lætitia et publice. Hac de causa hæreticorum necnon Judæorum ignorantiam circa Paschæ mysterium exuimus ; semperque ad illud assumimus æquinoctium, quartamque decimam quartam quæ post æquinoctium accidit, et una Parasceven, Sabbatum et Dominicam, quæ a Domino sic appellatur, ut sæpe dictum est, quia ipse Dominus hæc tempora observavit, ut ostenderet ænigma agni qui secundum legem in Paschate immolabatur, opportune inductum fuisse. Vide namque, frater, quam necessaria res fuit ad veritatis demonstrationem. Jussit Moyses primo mense, quarta decima luna, agnum immolari, quem figuram esse Servatoris prophetæ clamabant : quare comparabant illum Servatori, et dicebant : *Quasi ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se sine voce* (*Isai.* 53. 7). *Livore ejus nos sanati sumus* (*Ibid.* v. 5). Ideo videns illum præcursor Joannes clamabat : *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* 1. 29). Quia igitur consequens erat, post rem clare gestam, cessare figuram, non aliud definitum tempus expetiit Christus, quam agni mactationem, ut aliud ejus loco allatum ostenderet. Ideo omnia colligit tempora, ut dixi, et concurrit cum Parasceve decima quarta luna : legeque præcipiente post vesperam et inter vespertinas horas jugulari agnum, et diem et horam occisionis servat Salvator : diem, Parasceven, in qua creatus est homo ; horam vero nonam ; et circa illam horam nonam in cruce exspiravit. Vesperam enim a septima hora duci dicunt post sextam ; illud enim, *Inter vespertina* (*Lev.* 23. 5), si a septima incipiatur, centrum perfectum habebit nonam, in qua dicunt sapientes Hebræi agnum mactari. In hac itaque hora mactationis agni in Parasceve Servator, cum reddidit spiritum, loco ænigmatis veritatem induxit, et restaurationem per temporum concentum clare fecit. Et tam necessaria fuit illa inductio, ut in solemnitate Paschæ non potuerint Judæi in festi honorem scelus illud differre, quod certe alii fecissent ; sed semel ad cædem sponte inhiantes, judicium habuere, quod impetui suo opitularetur, nec reveriti sunt, ut inductio illa (in loco agni) manifestaretur. Servatur autem tibi ratio plenilunii, quod in passione fuit. Quia enim sol ob tantum contra Servatorem scelus obscurandus erat a sexta usque ad nonam horam, ut radios quasi oculos suos averteret, ne videret tantum facinus, plena luna in passione determinata est, ne crederent Græci solis eclipsim per concursum lunæ factum fuisse. Sed cum ipsa tantum distaret a sole, necessarium est confiteri, ab eo qui passus est, inductas fuisse tenebras a sexta hora secundum Evangeliorum vocem, quæ tenebræ in Salvatoris passione acciderunt, ut ipse prophetice olim clamabat : ait enim Amos : *Et erit in illa die, dicit Dominus, occidet sol in meridie, et obscurabitur in die lux* (*Amos* 8. 9). Et quia futurum erat, ut dies illa in lucem et tenebras divideretur, Zacharias rursus alius propheta dicit : *Et erit, in die illa non erit lumen : et dies illa nota Domino, non est dies neque nox : et ad vesperam erit lumen* (*Zach.* 14. 6. 7). Et totam illam ancipitem facit per successionem tenebrarum et lucis. Ac quoniam propheta clamabat, Obtenebrabitur sol in meridie, et quidem aliquando dubitaturi erant ; num hoc vere accidisset Servatori, necne ; jam ob oculos tuos signum magnum est, quod restitutionem videns quæstionem solvas. Quid ergo sequitur

hodie, ut exhibeatur Dominica vox? Judæis minas intentans Amos ait, passionem dilecti Dei Servatoris objiciens, et eorum iniquitatem ipsi opponens: «Occidet sol in meridie, et obscurabitur in die lumen: et convertam solemnitates eorum in luctum, et omnia cantica eorum in planctum: et adducam super omnem lumbum, saccum, et super omne caput calvitiem: et ponam eum ut luctum unigeniti, et qui cum ipso sunt, ut diem doloris (*Amos* 8. 9. 10).» Nam signa posuit, quod sol occideret in meridie, et conversionem solemnitatum in planctum, et canticorum in luctum: et hæc omnia, inquit, Deus faciet propter dilectum suum. Talis, inquit, luctus erit, et talis ac tam necessaria ultio, qualem congruere existimabit dignitati dilecti contumelia affecti. Vide igitur annon ex passione Servatoris calamitates sequantur; annon solemnitates eorum in luctum versæ fuerint, et cantica eorum in planctum; annon sol occiderit in meridie. Quod si conspicis magnum illud miraculum, quod in solemnitate Paschæ crucifixus fuerit Christus, ideoque ultio solemnitates converterit in luctum, Romanis invadentibus, Judæisque omnibus fugientibus; et in communem laqueum inciderit Jerusalem, idque in ipsis solemnitatibus, ut narrat historia, Judæis, gladio, igne et inutili gemitu absumptis; ita ut tot malis ipsos opprimentibus clare eveniat illa conversio festorum ipsorum in luctum, et canticorum in planctum; manifestum est, quod his ob oculos positis, sol occiderit in meridie. Hoc quippe jam dicta significant. Duorum ergo annorum spatio bellum Judæos absumpsit, et usque ad hanc diem Judææ luctus extenditur. Ubi enim est templum? ubi sacerdotium? ubi regnum? ubi impetus illorum? ubi civitas legis? Omnia abierunt, omnia exstincta sunt, omnia a fundamentis sublata sunt: occidente sole, in luctum versi sunt. Quia ergo ista magnorum mysteriorum causa facta sunt, quod Salvator passus esset: ideo et nos in singulis Paschæ festis, mysterii significationem renovare conantes, definita tempora colligimus quantum possumus, et decimam quartam assumimus non solum ob alias causas dictas et ob alias non dictas; sed etiam quod sol occiderit in meridie, ut appareret, non ex arte Græca, sed ex ultione tenebras proficisci, ut sæpe diximus, non concurrente luna, sc ita oriente, ut solis cursui ex diametro opposita esset, et sic, ut quis dixerit, mota, ut quarta decima esset, miraculi quod acciderat signum omnibus æternum.

5. Assumimus item Parasceven, Sabbatum et Dominicam ob supra dictas causas, et totam mysterii rationem in concursu definitorum temporum celebrantes, Judæorum insaniam, et cum ipsis non consentientium hæreticorum furorem respuimus, totumque characterem restaurationis universi in sacra Paschæ celebratione proferimus. Cum enim sub his omnibus temporum rationibus Christus passus sit, necesse est et nos sic Pascha persolvere, quantum possumus: quod si qua ex illis deficiat, cum periculo claudicat imitatio. Quoniam igitur de his satis audisti, operæ pretium fuerit nunc dicere, cur Paschæ declaratio nunc sic fiat, ut in exordio pollicitus sum. Diximus, frater, oportere in passione, et æquinoctium vernum, et decimam quartam lunam, non ante æquinoctium et Sabbatum et Dominicam assumere. Si ergo aliquando contigerit decimam quartam lunam ante æquinoctium incidere, illam rejicimus, et aliam quærimus, quæ debet post æquinoctium esse: et tunc contingit mensem injectitium esse, donec oriatur decima quarta post æquinoctium. Nunc autem, frater, in præsenti Paschate quarta decima incidit duobus circiter diebus ante æquinoctium, nec adhiberi potest. Ideo quærimus ut lunaris mensis finiatur, ut sequentem quartam decimam assumamus, et in illa Servatoris mensem celebremus. Mense igitur embolismo, seu injectitio, opus habemus. Etenim ut vidimus, si quarta decima luna ante æquinoctium incidat, nos non illa, sed sequente post æquinoctium opus habere: sic rursum si quarta decima luna cum Dominica concurrat, hanc non celebramus Dominicam resurrectionis, sed sequentem Dominicam assumimus, quia quarta decima passionis est: in hac enim passus est Christus, Parasceve concurrente; et sicut Parasceven non ut diem resurrectionis agnoscimus, sic nec quartam decimam cum illa concurrentem. Quæ vero Dominica pro resurrectione assignatur, pura sit oportet a passione. Si ergo in illa inciderit passionis numerus, qui est quartæ decimæ lunæ, hac missa die, sequentem ut passione puram sequimur. Cur enim in proposito nobis sit Dominum imitari in passione et resurrectione, Dominicam, quam resurrectioni assignamus, a passione puram, ut Dominus fecit, observamus, in diebus quæ illam præcedunt passionem assignantes. Quia vero hoc intelligis, jam dictis attende. Biduo ante æquinoctium, ut dixi, accidit decima quarta luna: necesse autem est hanc dimittere, et sequentem, quæ post æquinoctium accidit, assumere. Verum hæc rursum quæ concurrit cum vigesima sexta die mensis septimi, concurrit etiam cum Dominica. Quia ergo rursus decima quarta luna cum Dominica concurrit, resurrectionis festum in sequentem Dominicam transferimus, quæ a passionis numero libera est, et sic vigesimæ sextæ septimi mensis hebdomadam addentes, octavi mensis secunda resurrectionem agimus. Et hæc causa est hujusce declarationis. Quod si quis contradicere velit circa vigesimam sextam diem hujus mensis, et dicere, nunc Dominicam cum quarta decima mensis lunaris concurrere, is mittatur, si quidem velit, ad ea quæ contra allata sunt; et Græcorum sapientes ad hoc testes accipiat, quod totam Dominicam et hanc et sequentem noctem fere usque ad sequentem diem quarta decima luna comprehendat. Ac nemo dicat, numquam hoc ritu Pascha celebratum fuisse. Hujusce rei multos habemus testes et memores. Deinde ea, quæ numquam vera sunt, numquam ex scientia conciliantur; sed semper quæritur scientiæ ratio, et sæpe res cito accidit, sæpe citius, et sursum tardius; et nemo peritus inæqualitatem temporum attendit, sed rationum concentum. Quoties putas præteritis temporibus dictum fuisse, sed numquam factum est, et tamen ars obtinet? Quid autem discriminis est? Nam qui contra stant, fatentur sæpe accidisse, ut vigesima nona mensis septimi Pascha celebraretur. Demum agitur de tribus aut quatuor diebus, quas huic disciplinæ concedere renuunt. Unde ergo inexspectata venit hæc dubitatio? Sed mirantur quod sic inæqualiter quantum ad tempus Pascha celebretur. Verum illud peritis mirum non est. Vides, frater, poeticos aut tragicos ornatus, quomodo illi sint exiles, hi exiliores, alii vero latiores. Hos vero imperiti prorsus mirantur, ut ita simpliciter dispositos; artifex vero qui metrum harmoniæ novit, artis planam scit rationem, etsi linearum conspectus inæqualis videatur. Nunc certe, frater, dies resurrectionis est secunda mensis octavi; anno autem sequenti, decima septima mensis septimi, et rursum in sequenti nona septimi mensis erit, ac rursus tertio anno, vigesima nona mensis dies resurrectionis assignabitur: nemoque hac in re læditur, nemo dolet; sed omnes artis harmoniam quærunt, et de rei scientia lætantur. Id enim solum spectatur, ut decima quarta luna illa non ante æquinoctium vernum sit, et ut Dominica ad resurrectionem assignata a decima quarta luna libera sit. Qua de causa quæstiones movent, qui calculi periti non sunt. Oportet enim decimam quartam in hebdomada ante definitam resurrectionem contingere. Sed si quidem in hebdomadæ spatio acciderit, tunc facilis est inventio; si vero in Dominicam incidat, hic accurate providendum est. Nam qui rem non inquirunt, interdum non decimam quartam, sed decimam quintam erroris causam faciunt; quod etiam in præsenti contigit. Debemus ergo in his stare, et agnoscere rem nunc concinne dispositam esse. Hæc sciamus oportet: et ante sequentem hebdomadam hac de re certam quisque habeat opinionem, et sciant hanc primam esse ex septem hebdomadibus, in qua oportet jejunare.

Nos autem hac in re promissionem implevimus, si tamen memoria retineantur ea, quæ diximus. Det autem Deus ut et mysteria omnia serventur in cordibus vestris, et vos in Christo, quicum refertur gloria Deo et Patri, unaque sancto Spiritui, nunc et semper, in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM
IN SEQUENTEM SERMONEM.

Hoc otiosi Græculi commentum post Savilium damus, quia nulla prætermittere animus est eorum, quæ ipse in lucem protulit. Poterat certe ille, qui non pauca alia nullius pretii prætermiserat, hoc etiam, sine scrupulo in tenebris relinquere.

IN SYNAXIN ARCHANGELORUM.

Laudandi sunt angeli : ipsi namque Creatorem celebrantes, propitium illum ac benevolum hominibus reddunt. Angelos dico, commilitones nostros, qui bellum gerunt contra adversarias potestates, quorum unus est archangelus Michael (*Judæ*. 9), qui contra diabolum pro corpore Moysis decertabat, et contra principem Persarum pro libertate populi pugnabat (*Dan*. 10. 13). Ex quorum numero est ille qui asinam repulit, et Balaamum ab insano furore repressit (*Num*. 22. 27) : et quia vates ille rem quæ gerebatur non intelligebat, bruti animalis voce ad sanam mentem reductus est. Ex quibus item est ille qui gladium arripuit, et Jesum filium Nave, ut contra hostes confligeret, incitavit. Ex quorum item numero est ille qui centum octoginta quinque millia Assyriorum una nocte percussit, et somnum barbarorum cum morte conjunxit (4. *Reg*. 19. 35). Ex quorum numero est is, qui prophetam Habacuc aerio saltu transtulit, ut prophetam Danielem in medio jejunorum leonum cibo reficeret (*Dan*. 14. 35). Hi igitur et iis similes contra inimicos stant, et contra vitia strenue decertant. Qualis erat admirandus et divinus Raphael, qui unius piscis sectione a dæmone vexatam puellam restituit, et seni cæco lumen arte conciliavit (*Tob*. 11). Sed neque ii silentio mittendi sunt, qui in Novo Testamento ministrarunt, cujus magna pars est archangelus Gabriel, qui Zachariæ oracula fudit, qui incredulitatem ejus silentio castigavit, quod non crederet sterilem, propter futuram œconomiam, prægnantem fieri ; qui venerandæ Mariæ partum sine sponso futurum annuntiavit ; qui pastores ad speluncam duxit, et significavit eum qui contineri nequit, in præsepio esse, in cunabulis incircumscriptum ; ac cum illis consonum ad gloriam Dei canticum emisit : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus beneplacitum* (*Luc*. 2. 14). Alius magos cohibet ne tyrannum adeant : alii in terra ministrabant ei, qui terram creavit : alius sponsum Virginis monet, ne dimittat ut corruptam eam, quæ incorrupta erat : alius ob infanticidium ab Herode patratum sponso suadet fugam, et postea reditum ; siquidem in carne videntes eum qui increatus erat, servorum more ipsi ministrabant. Mirati sunt enim fortitudinem ejus, qua factum est ut tentator ceciderit, secundum Davidis vocem : In manibus tollentes eum, extra jactum lapidum deportarunt (*Psal*. 90. 12). Nam *Tulerunt lapides Judæi, ut jacerent in eum* (*Joan*. 8. 59). Alii passioni concurrebant : alii post resurrectionem vacuo sepulcro assidebant, fidelibusque dicebant mulieribus, *Quid quæritis viventem cum mortuis* (*Luc*. 24. 5)? Post ascensionem autem satellitum more discipulis aderant, Petri vincula solventes, Pauli pericula in mari et in terra allevantes, fidem Cornelii juvantes, justorum occisorem Herodem magnifice loquentem percutientes. Annon ergo maximo digni sunt honore, qui et vitam nostram dirigunt? Non modo enim gentes custodire jussi sunt angeli, ut clamat oraculum : *Quando dividebat Altissimus gentes, quando dispergebat filios Adam, constituit terminos populorum secundum numerum angelorum Dei* (*Deut*. 32. 8) ; sed etiam singuli homines angelum sortiti sunt. Non meus est sermo, sed divinæ Scripturæ. Nam puella Rhode apostolis nuntiante ante fores stare Petrum, qui Herodis vincula effugisset, non credentes illi dicebant : *Angelus ejus est* (*Act*. 12. 15). Hæc testificatur item Servator, de iis qui in vita pusilli erant loquens : *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth*. 18. 10). In singulis porro Ecclesiis angelos custodes constituit Christus, ut Joanni revelans ait : *Dic angelo Ecclesiæ Smyrnæ : Scio paupertatem tuam et tribulationem, sed dives es* (*Apoc*. 2. 8. 9). Quid dicis, Domine? dives sum, et sum pauper? cur me vano ditas nomine? Nam si dives sum, non sum pauper ; si pauper, quomodo dives? Multa enim est divitias inter et paupertatem distantia, ut ipse testificaris ; hiatus magnus est inter divitem et pauperem. Dives pauperem aversatur, pauper divitem suspicit : contrariæ res sunt, inæqualis vita. Ille namque in ærumnis ingemiscit, hic voluptatibus sese ostentat : hic panem expetit, ille gulæ oblectamentis superabundat : hic vini heminam non habet, ille in crapula absorptus ebrietatem eructat : hic pannis laceris amictus est, ille variis ornatur vestibus : hic in pavimento jacet abjectus et vigilans, ille stertit in lecto delicias somnians : hic teruncium petit, ille auro obruitur. Qui enim thesaurizat nec erogat, similis est pauperi magnificum sepulcrum exspectanti. Sed neque illi tempestatibus æqualiter fruuntur. Pauperi namque gravis est hiems, qui non habeat quo se calefaciat ; diviti noxia æstas ex ingluvie æstum non ferente. Quomodo igitur idem ipse est pauper et dives? Verus est sermo, et verax qui loquitur. Pauperes quidem sunt aliqui ob pecuniæ inopiam ; divites autem fidei thesauris. Melius autem esse pauperem in rebus sæcularibus, et divitem in spiritualibus : illorum quippe finis est corruptio ; horum vero, lucrum, quod auferri nequit. Ideoque ait Filius : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra* (*Matth*. 6. 19) ; nos evocans ad thesaurizandum in cælestibus, ad alendum pauperes, ad visitandum infirmos, ad tegendum eos qui sine operimento sunt, ad remittendum debitoribus egenis, et ad expetendum a Deo fœnus. Nam *Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo* (*Prov*. 19. 17). Hæc quippe videntes angeli, ad Judicem universorum referunt : ille vero jubet eos dicere operanti bonum : *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam tui in conspectu Dei* (*Act*. 10. 4). Ipsi gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SEQUENTEM SERMONEM.

Hanc seu homiliam seu orationem edidit Henricus Savilius, quasi octavam Joannis Chrysostomi de Pœnitentia, tom. 6, p. 804, sed misere laceram et hiulcam. Ipse vero, ut diligens accuratusque erat, et suis et Thomæ Alleni Joannisque Boisii notis illam multis in locis restaurare conatus est. Sub hæc, anno 1645, illam integram sartam et tectam ex Codice nempe Regiæ Bibliothecæ publicavit Franciscus Combefisius, illamque Cleri Gallicani comitiis ut germanum Chrysostomi fetum obtulit, additis in fine Vindiciis in Scholia sancti Maximi in sanctum Dionysium, qui libellus sane tenuissimus in-4° cusus est Simeone Piget typographo, cum interpretatione Latina ejusdem Combefisii. Demum anno 1708 vir eruditissimus Ericus Benzelius illam ex Codice Anglicano iterum publicavit, sed mendis plurimis atque nonnullis hiatibus adhuc respersam. Non viderat enim editionem illam Combefisii, quæ homiliam illam omnibus suis numeris et partibus absolutam efferebat : neque mireris rem ignotam fuisse viro, qui tanto terrarum spatio a nobis dissitus erat, quando ne in Galliis quidem in omnium eruditorum notitiam venit libellus iste, qui quod paucis constaret foliis, neglectus fuit.

Non sine stupore autem video tot tantosque viros hanc homiliam, ut verum et genuinum Chrysostomi fetum habuisse : nam ni mea me fallit opinio, nulla fere inter spurias est, quæ magis a Chrysostomi stylo abhorreat. Non diffiteor tamen hic quædam bona utilia et ingeniose dicta occurrere, sed tanta perplexitate, tam involuta verborum serie, ut qui Chrysostomi opera, præsertim *ethica*, assidue legerit, si in hæc incurrat, se in alium orbem translatum putet. Non negari potest hunc quoque scriptorem inventione valere ; sed inventionem illam plerumque in *loquacitatem* degenerare deprehendet quivis emunctæ naris homo. Ideo illam inter spuria referimus, intepretatione nova Latina donatam.

DE POENITENTIA, ET IN HERODEM ET IN JOANNEM BAPTISTAM.

1. Age, plausibus vestris utilitatem vestram præponamus, et paucis ad cœtum vestrum præmissis de morali vivendi genere, de iis disseramus, quæ minorem quidem concionanti plausum conciliant, sed majus in auditoribus pariunt adipiscendæ salutis animæ desiderium. Bonus et religiosis animis consentaneus est sermo de fide : cumque vestrum cernimus circa conciones de fide studium, vestri erga Dominum amoris certiores efficimur. Malus quippe servus herum vituperat; benevolus autem famulus gaudet, cum herum ab omnibus celebrari conspicit : quamobrem ille erga domini laudes affectus, domesticæ benevolentiæ est argumentum. Operæ autem pretium est animæ vasculum emundare, ut morali doctrina purgatum, theologiæ unguento recipiendo par sit. Nam *In immundam animam*, inquit, *non introibit institutio* (*Sap.* 1. 4). Est porro nobis de vivendi ratione sermo, qui accuratissimo eget examine. Si enim spe pœnitentiæ procrastinemus, timeo ne quis tali spe remissior factus, vitam negligentius componat. Rursum si pœnitentiæ spem occlusero, vereor ne quis animum despondens, corpus cupiditatibus tradat. Perinde enim ad voluptatem allicit tum animi deliciis emolliti segnities, tum spes abjecta pœnitentiæ agendæ. Quapropter orationem duas in partes dividamus, quarum altera sanos, altera infirmos spectet. *Qui videtur stare, videat ne cadat* (1. *Cor.* 10. 12). Qui cœpit labi, casum pœnitentia occupet, qui in casus periculum venit, ne confringatur : si quis vero jam confractus sit, de ejus clementia ne desperet, qui erigit elisos. Fieri etiam potest ut pene moveamur : *Mei autem pene moti sunt pedes* (*Psal.* 72. 2). Potest etiam is, qui motus est, a Domino juvari : *Si dicebam : Motus est pes meus; misericordia tua, Domine, adjuvabat me* (*Psal.* 93. 18). Accidit etiam ut quis non moveatur modo, sed etiam pellatur et in discrimen adducatur, priusquam dejiciatur : at neque hunc despicit Deus. *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me* (*Psal.* 117. 13). Ergone qui cecidit, omnino periit? Neutiquam. Est et huic sua consolatio. *Cum ceciderit*, inquit, *non collidetur*. Quid ita ? *Quia Dominus firmat manum ejus* (*Psal.* 36. 24). Nam accidit etiam ut quis leviter cadat, nec ad voluptatem gravius allidatur. Num ergo perierunt qui sunt allisi ? Videamus etiam hic Domini clementiam, *Suffulcit Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.* (*Psal.* 144. 14). Hæc demonstrans Psalmus haudquaquam nos in pœnitentiæ desperationem egit. Sic enim de Deo loquitur : *Deus judex justus* (*Psal.* 7. 12). Ne dictionem spreveris : justitia enim cuique reddit pro meritis. Primum audi quod justus sit, teque ad defensionem præpara : tum, quia sæpe animum subit hæc objectio : Si ergo justus est Deus, cur non statim peccantibus pœnas rependit? ille iniquus est, et prospere agit; ille raptor et ditescit, hic lascivus, et dominatur : hæccine sunt justitiæ Dei? si justus est, cur peccantibus ultionem non statim immitit? an justus cum sit, non valet statim peccantibus pœnam irrogare? Accidit enim quandoque ut judex, qui juste judicat, non possit exsequi judicium. An igitur ex imbecillitate differt supplicium? Minime vero. Quid enim adjicit ? *Deus judex justus et fortis*. Ut justus itaque novit quod justum est ; ut fortis, potest id quod cogitavit ad opus deducere : cur ergo peccatorum vindicta differtur? quid sibi vult illa dilatio? Justus est, novit peccatorem ; fortis est, potest sententiam opere complere : cur ergo cunctatur? *Deus judex justus, fortis et longanimis* (*Ibid*). Explicat vero quid sibi velit illud, *Longanimis : Num inferens iram per singulos dies?* Modica est dictionum transpositio : *Num per singulos dies iram inferens?* Ut vero scias eum ideo differre, quod exspectet pœnitentiam tuam : *Nisi conversi fueritis*, inquit, *gladium suum vibrabit* (*Ibid. v.* 13). *Nisi conversi fueritis.* Ergo si convertamur, non statim plagam experimur. Vis Dei summam clementiam videre? *Gladium suum vibrabit.* Nondum dixit, Gladii acie utetur, sed, *Vibrabit*, ut gladii fulgorem aspiciens, plagam pœnitentia prævertas. Fulgore terret, non secat. Compescatur timor : plagam prævertat pœnitentia tua. Utque judicis scopum prorsus cognoscas : *Arcum suum tetendit et paravit illum. Et in eo paravit vasa mortis.* Annon id sufficit ad terrorem? annon illum sermone descripsit, qui incorporeus est? *Arcum suum tetendit et paravit illum. Et in eo paravit vasa mortis : sagittas suas ardentibus effecit* (*Ibid. v.* 14). Hic ceu pictor quidam Judicem ob oculos posuit. Cogita mihi tensum arcum, paratas manus, alteram arcum pellentem, alteram chordam trahentem, sagittam vero extremis digitis a Judice detentam. Tensus est arcus, telum paratum, Judex expeditus. Ne arcum contempseris, quippe qui tensus sit : neque pœnitentiæ spem abjeceris; sagitta enim nondum emissa est. Cave item ne propter sum-

mam longanimitatem segnis evadas, neu te semper voluptatibus dedas. Ne dicas, Interim fruar cupiditate, interim utar juventute : veniet subinde pœnitentiæ tempus; cras pœnitentiam agam; senectutis tempore vitam componam. Vanæ sunt hujusmodi cogitationes; fœda illa tua cupiditatis consilia : malo consiliario uteris voluptate. Dicis, Hodie peccatum admittam, cras pœnitentiam agam. An dominus es diei crastinæ? quis tibi diei crastinæ sponsor? Si diligenter audias, neque totus hodiernus dies est tuus : ejus pars præteriit, pars superest : illa jam non tua est, hæc nondum tua. Ais : Fruar hodie voluptate, cras pœnitentiam agam. Quod habes voluptati, quod non tuum est, pœnitentiæ deputas? Meo potius consilio utere : hodiernam diem pœnitentiæ, peccato ne crastinam quidem deputa. Ideo pulchre divina Scriptura diversis non modis a peccato revocat : *Hodie*, inquit, *si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione* (*Psal.* 94. 8) : et, *Adhortamini vosmetipsos donec hodie nominatur* (*Hebr.* 3. 13). Nam hoc quoque mala sæpe diabolus arte facit. Cum animum videt in peccatorum sensum venire, ac supplicii finem cogitare, tales immittit cogitationes : Junior sum, erit pœnitentiæ tempus, interim hodie utar præsentibus, interim hanc obtinebo litem, illum talem ulciscar, hac cupiditate fruar, ac demum pœnitentiam agam. Venit iterum dies crastinam, easdemque tibi immittit cogitationes, iisdem te intercipit diabolicis ratiociniis : futurum ostendit, præsens subtrahit : atque ita quotidie, in præsenti te voluptatibus detinens, in crastino pœnitentiæ spem ostendens, vitam tuam quotidianis in peccatis consumit.

2. Tu vero contra voluptatem milita : audi Dominum clamantem : *Esto hodie benevolus adversario tuo, quamdiu es in via cum eo* (*Matth.* 5. 25). Expedit sane tum omnibus, tum iis qui negotiis dediti sunt ut ne contentiosius lites exerceant. Præstat siquidem te in litibus incertum exitum amico fœdere prævertere, quam spe nixum victoriæ incerto mari confidere. Legis syngraphas tuas, faustum speras exitum : advocatus lucro manum porrigens victoriam promittit, ut mercedem reportet. Interdum etiam judex corruptus exitum causæ pollicetur. Incerta spe niteris. Nam si tu antevertens, judicem corrupisti, alienisque muneribus aperuisti januam; cogites velim adversarium tuum idipsum meditari, sæpeque tibi tranquillo rerum tuarum cursu naviganti suaserunt ut vela demitteres. Nunquamne vidisti mare in littore tranquillum, in alto fluctibus agitari? Quot tranquillo mari navigantes, in alto pelago fluctibus repentinisque tempestatibus excepti, naufragium fecerunt? Talis est hujus negotii finis. Interdum initia spem præ se ferunt, finis vero contrarium profert eventum. E re igitur fuerit, ut dixi, pecuniarias lites amice componere, ut in negotii fine amicum tibi devincias : criminales autem non modo non componere, sed etiam ne intentare quidem liceat : sed in his etiam melius est veniæ, quam iræ locum dare. Verum hic non videtur mihi de re pecuniaria solum agi. *Esto*, inquit, *benevolus adversario tuo cito, dum es in via cum eo*. Hoc additamentum præbet mihi occasionem majus quidpiam cogitandi. Nam si de pecuniariis litibus solum ageretur, vel de criminalibus insensibilibusque; cur adderet, *Dum es in via cum eo?* quis adversarius cum adversario iter instituat? quis se socium itineris dederit ei, qui cum animo non consentit? non timet tabellas sibi furto auferri, testes corrumpi, insidias in via sibi parari? Invenire ergo debemus adversarium qui nos semper comitetur, cujus societatem, etsi admodum caveamus, effugere non possimus, et hunc cogitare adversarium, quicum nos benevole versari conveniat. Quis ergo est verus ille adversarius? Si diligenter quæras, corpus animæ : hic est adversarius ejus qui in te est, spiritus. Ne vero putes meum esse sermonem, Paulus confirmet id quod dictum est : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem : hæc autem sibi invicem adversantur* (*Gal.* 5. 17). Nec Manichæorum induco doctrinam, neque alium corporis creatorem statuo : sed caro concupiscit adversus spiritum, voluptate utens consiliario; et spiritus adversus carnem, spe nixus futurorum. Adversantur invicem concupiscentia mundi, et concupiscentia regni cœlorum. Hic est adversarius, qui, velim nolim, me comitatur : via quippe est hæc vita. Anima imaginem suam imitari studet, caro in pulverem defluit. Hæc autem sibi invicem adversantur. Huic adversario tuo esto benevolus. Quandonam? *Dum es in via cum eo* (*Matth.* 5. 25), dum in hac vita degis. Nam si vita finem habeat, nullum ultra tibi pœnitentiæ tempus, *Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal.* 6. 6)? Huic ergo adversario esto benevolus. Non dixit, Gratificans, sed, *Benevolus*. Ne suave quid facias adversario tuo, sed ut benevolus a voluptatibus ad pœnitentiam revoca. Non te jubet ut salsamentarium omnia ad corporis voluptatem facere; sed ut medicum agere. Medicus enim sæpe amarum miscet, secat, urit, et illatæ molestiæ mercedem accipit. Licet enim aliquo sensum dolore affecerit, ægroti tamen salutem in scopo habuit. *Ne forte tradat te adversarius judici* (*Matth.* 5. 25), futuro nempe Judici : *Adversarius :* cui si nunc gratificeris, tunc Judex te traditurus est ministro, ultricibus scilicet potestatibus : et in carcerem conjicieris, in tenebras exteriores, locum horrendum. *Non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Si ante mortem debitum solveris, solutum omnino est : si debitor moriaris, etiam residuum vel minimi debiti a te exigetur. Quid est illud, *Novissimum quadrantem? Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi* (*Psal.* 75. 11). Hæc cum sciatis, fratres, comparate voluptates cum futuro judicii die, et Judicis sententia : atque tunc scietis quam amara sit voluptas, cum noveritis quantæ amaritudinis sit conciliatrix. Vultisne, ut ex duobus evangelicis conviviis quid admonitionis mutuemur, quis nempe sit voluptuosorum finis, quis vero pœnitentium fructus? Ne vero mireris si Scriptura voluptuosorum convivia sæpe describat : omnia quippe describit, quid caveas, quid imiteris. Describit voluptuosos, ut perpetua illos infamia notet, utque illos imitari caveas : describit religiosos, ut ad exemplum pœnitentiæ accurras, utque voluptuosum religioso comparans, illum averseris, hunc imiteris. Sitque hoc documentum prudentibus, ut ne spectaculis publicis oculos pascant, neve facile ad hippodromum currant, vel noctu spectandi locum in theatro occupent : vesania quippe est turpium spectaculorum exspectatio. Diem enim antevertunt ex vehementi desiderio, noctu tenebrarum locum occupant, ut turpibus spectaculis oculos oblectent, ac ferarum cumque feris concertantium pugnas videant : sedentque sæpe spectatores, benevolentiam majorem erga feras, quam erga congeneres exhibentes. Non misereris infelicem illum, qui ut ventrem impleat, in ferarum ventrem sponte abit : utque gulæ morbum expleat, libenter sibi in ventre bestiarum sepulcrum parat. Ille intemperantem habet ventrem, tu ne intemperantem oculum habeas. Alius mimus ingreditur, ad turpitudinem membra componens, risui sese mercede locans, quem pudet nisi publice vapulet, portarumque fragore genas præparat, novacula pilos detondet, ut ne pilus quidem contumeliis obsit. Alius muliebri saltatione emollitus, illaque imitans quæ virum non decent, dolensque quod non femina sit natus, simulatam naturæ mutationem ambit. Hæcque omnia ventris et quæstus causa facit, res fœdissimas persequens : de quibus hæc Pauli verba dicere par est : *Quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum* (*Philipp.* 3. 19). Ad hæc ne concurratis, ne veloces pedes ad hujusmodi gressus vertatis, neve in convivia vestra fœdas voluptates inducatis. Interdum dicis : Theatrum aversor, nequaquam ad gradus ascendo; convivium est lætitiæque tempus. At illic turpia theatrorum spectacula exhibetis. Quid tibi

prodest, quod theatra averseris? num lapides detestamur? num lapides theatrorum damnantur? Sane gestorum turpitudo reprehenditur, fœdorum spectaculorum nequitia, quæ per organa oculorum et aurium, quasi per fenestras furem introducit. Cum ergo theatrum aversans, ad mensam tuam spectaculorum turpitudinem inducis, ignorasne te domum tuam in theatrum vertere? Non enim theatri locum aversor, sed eo convenientium mores.

3. Ut porro noveris ex spectaculis illis turpibus noxiisque in convivia inductis, damnationis causam esse ortam, in memoriam revocabo convivium regium, in Evangeliorum libro descriptum. Cœna erat regia, imo, ut vere dicam, tyrannica, natalia Herodis, sceleratæ vulpis, sanguinariæ dolosæque feræ: cujus mores cum nosset Dominus, non aiebat, Dicite leoni huic, tametsi hæc fera regia videatur; sed, *Dicite vulpi* (*Luc.* 13. 32). Etsi enim potentia leonis erat, at mores vulpis. Convivio autem instructo, et convivis ad potandum coactis, convivio adest saltatrix, miserabile et turpe spectaculum in theatro etiam et in scena, nedum in convivio regio. Vis scire quam turpe fuerit hujusce convivii spectaculum? Ex regibus orta saltatrix, filia Herodiadis: regium genus, saltatricis mores. Hæc est Herodias illa, quæ nec intra naturæ leges sese continuit, quæ Philippo juncta matrimonio erat, et cum Herode habitabat. Ænigma est id quod dico, et in ænigmatum quæstionem ducit lasciviæ finis. Herodes enim abjecta fratris memoria, et lasciviæ servus effectus, Judæorum rex erat; sed multo magis voluptatum servus. Forte tales subditi, quales principes. Ob tale contubernium Joannes ille magnus plus quam propheta libere lasciviam illam redarguebat, et vere plus quam propheta fecisset (*Matth.* 11. 11). Omnes enim prophetæ cum ad maturam pervenissent ætatem, tunc prophetiæ gratia dignati sunt; quidam etiam multo hinc decurso tempore. Joannes vero solus, sex menses in utero emensus, cum secundum naturæ leges aleretur, Deo in utero degenti, salutante matre, exsultavit, membris imperfectus, fide perfectus. Ac forte lætus exsultavit infans (*Luc.* 1. 44); ut, si fieri posset, definitum tempus præverteret. Videt matrem Domini præsentem; arctatur claustro uteri, lætus exsultat; et quia loqui nondum potest, nec linguam habet ad dicendum expeditam, neque os ejus animi desiderio servire potest, matris lingua usus vaticinatur et in Elisabeta loquitur, Joannesque ab utero verba dictat. Annon ergo jure plus quam propheta dicitur? Alia quoque ratione plus quam propheta est. Prophetæ futura prænuntiabant, et ea videre cupiebant, quæ animo prævidebant. Ideo clamabant: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis* (*Psal.* 84. 8). Idcirco de illis dicebat Dominus: *Multi prophetæ et justi voluerunt videre quæ videtis, et audire quæ auditis; et non viderunt, neque audierunt* (*Matth.* 13. 17). Prophetæ igitur futura prædicunt: Joannes vero eum quem prædixerant ostendit. Futurum vaticinatur ex utero, et postea dicit: *Cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti* (*Joan.* 1. 27), in medio vestrum stat. Quomodo ostendit? *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* 1. 29). Hic ergo propheta, et plus quam propheta, non tulit turpe contubernium, sed pro castitate fidenter agit. Hæc pulchra narratio singulos moneat, etsi non palam sit persequutio, martyrii tamen tempus semper adesse. Num Joanni quis aram vel thura proposuit? num sacrificia et libamina? num dixit quis, Nega Deum? num dixit, Idolis sacrifica? Sed pro castitate libera voce loquens, castitatis martyr invenitur. Ut discas enim quantum valeat prophetica dicendi libertas, ait ad regem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* (*Marc.* 6. 18). Vides quam naturale sit virtuti vitio imperare? Herodes rex erat, satellites habens, divitiis affluens, regia fultus potestate; Joannes pauper, sine lare, sine civitate, inops, jejunus, tantum comedens, quantum natura cogebat: pilis cameli indutus, et purpurato dat legem; qui in deserto vagabatur, ei qui populosis urbibus dominabatur; qui summitatibus plantarum ac melle silvestri (*a*) vescebatur (*Marc.* 1. 6), ei cum auctoritate præcipit, cui lauta et regia mensa apposita erat: *Non licet tibi.* Atqui videbatur regi omnia licere. Sed *Omnia licent, sed non omnia expediunt* (1. *Cor.* 6. 12). Cum ergo debuisset de his gratias agere, vel castitatis doctorem honorare; ad iram concitatus est Herodes, magis autem Herodias (nam nomine affines, moribus etiam conjunctiores erant; et erunt duo, non in carnem unam [*Gen.* 2. 24], sed in unam intemperantiam); et his de causis prophetam in carcerem conjiciunt, ut suam ostendant stultitiam. *Argue sapientem, et diliget te* (*Prov.* 9. 8); insipientem etiam, et addet te odio habere. In carcerem conjicitur, nec mutat loquendi libertatem. Solve, inquit, membra; sed solve etiam iniquum conjugium. Dum autem in carcere degeret, agitur convivium illud amarum, tyrannicum, crudele; cujus lætitiæ finis, prophetæ cædes fuit. Intrat Herodias filia Herodiadis, filia carne, filia animo: intrat in ebriosum convivium: saltat publice regina, quam ne ex cubiculo quidem egredi par erat, nec virorum se oculis offerre. Sed fortassis ut Joannes paulo ante matris lingua usus erat, sic puella matris oculis impudicis usa est. Intrat in convivium. Non sufficiebat hoc ad summam impudentiam; sed quomodo intrat? num ut regina? num cum decenti gravitate? num eunuchis, num ancillis stipantibus? num alio ornatu honorifice decorata? Nequaquam? sed saltans intrat. Mali ingressus pejor causa. Et in medio convivio saltabat, in lascivorum hominum conspectu, quando vinum concupiscentiam magis excitabat (*Matth.* 6. 22). Vis scire quid adhuc pejus fuerit? Non saltat modo, sed et bene saltat. Accessio turpitudinis est, mala bene exercitare. Videtur enim non perfunctorie rem turpem tractare. Placet Herodi et una recumbentibus. Vulpes illa non se occultat. Videt fratris et illius cum qua male cohabitabat filiam in medio virorum saltantem, nec erubescit, sed id sibi placet: nam placuit illi et simul discumbentibus. *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris* (*Psal.* 17. 26. 27). Vellem illum sub Pauli disciplina aliquamdiu fuisse: *Omnino auditur inter vos* saltatio, et talis saltatio, *qualis ne quidem inter gentes est*; quod saltet regis filia. *Et vos inflati estis, neque potius luxistis* (1. *Cor.* 5. 1. 2). Verum et male placet, et mercedem accipit ipso opere pejorem, ita ut Herodes juraret: *Postula quod vis, et dabo tibi usque ad dimidium regni mei* (*Marc.* 6. 22. 23). Videtis voluptuosorum finem, videtis spectaculis deditorum turpitudinem? Juras prius, *Quodcumque petieris, dabo tibi*, et in saltatricis arbitrio relinquis petitionem, et juramento ceu pignore firmas illam? Viden' quomodo voluptatis amor regum dignitatem ad terram detrahat? viden' quo regnum dejiciat? *Quodcumque petieris, dabo tibi, etiam usque ad dimidium regni mei.* Tanti ergo facis regiam dignitatem? itane corrupti sunt oculi tui? Semel saltavit puella, et dimidium dedisti: si secundo saltaverit, qui rex erat, privatus erit. Ubinam voluptuosorum dignitas? ubi lascivorum purpura? Dimidium regni ad pedes saltatricis projecisti: precare ne secundo saltet, vel ne secundo saltando placeat; alioquin restat tibi ut mendicus sis. Verum hactenus immoderata est mercedis propositio: quænam porro est saltatricis petitio? Non ex tempore donum postulavit, non statim mercedem petiit; sed prius a matre instructa abit, pessimam magistram de mercede consultura. Ecquam postulavit mercedem? *Da mihi hic protinus in disco caput Joannis Baptistæ* (*Marc.* 6. 25). Annon immanem impudentiam lacrymis prosequar? annon rei turpitudinem, regis promissionem, mercedis petitionem? annon jam exhor-

(*a*) In Vulgata legitur, Joannem Baptistam in cibum sumpsisse mel sylvestre et *locustas*; quæ postrema vox est interpretatio vocis Græcæ ἀκρίδες, cum *locustas* tum *summitates plantarum* significantis.

rescitis ob saltantium finem? annon exsecramini plausuum rationes? annon abominamini seminudorum inflexiones? Audesne saltatorem amicum habere? audesne te saltatoris amatorem dicere? Rem non oderis, quæ neglecta spectatoribus risum movet? Risum quidem movet; summe vero culta prophetam occidit. Odio habeamus saltationem, inventionem dæmonum, malorum dæmonum exercitationem. De his contristatus est Herodes (*Marc.* 6. 26); summe contristatus, ut quis dixerit, et imitatur Pilatum, imo Pilati mores; hoc enim, de quo agitur, prius acciderat. Ille manus lavat, et supplicio Christum tradit (*Matth.* 27. 24). Hic quoque contristatur, ac propter tum jusjurandum, tum simul discumbentes annuit. Nonne recte dixit Dominus hodie, Ne jures omnino? Vides Dominum hortantem, Ne jures omnino (*Id.* 5. 34). Cur enim juras, an ut pejerans teipsum illaquees, vel ut juramentum servando, prophetam occidas? Male juravit, pejus juramento stetit, tamen *Propter jusjurandum*, inquit, *et propter simul discumbentes* (*Marc.* 6. 26). Simul discumbentes revereris, et Judicem non times? Et jussit, inquit, *Et statim allatum est caput Joannis Baptistæ in disco, et datum est puellæ* (*Ibid.* v. 27. 28). Ecce amari convivii amariorem finem. Abscinditur prophetæ caput, datur puellæ, puella accipit, non horrescit ad hoc spectaculum, non stupefacta est viso capite, non adversata est guttas sanguinis, vere leænæ crudelis crudelior catulus. In disco ponitur caput prophetæ, in quo cibi ferri solent: illud ipsum vas ciborum et cædis est; eademque hora, stillante adhuc cruore, et capite palpitante, fortasse in convivium allatum caput; motitante adhuc lingua clamabat, Non licet tibi eam habere. Et acceptum attulit matri suæ (*Ibid.*). Accepit saltationis magistra malæ doctrinæ impiam mercedem.

4. Hanc historiam necessario discussimus, ut hominum spectaculis deditorum oculos abstergeremus, et vobis suaderemus talia aversari spectacula. Verum nec in tam tristi narratione orandi finem faciemus, nec ecclesiasticum sermonem saltatrix cohibeat; sed convivio lascivo, tyrannico, amaro opponamus convivium dominicum et humanum, ut intelligamus quantus sit pœnitentiæ fructus. *Rogavit Dominum quidam de Pharisæis ut ingrederetur, et manducaret panem* (*Luc.* 7. 36). Intravit Dominus, et discumbebat. Etsi enim noverat invitantium animum, patienter tamen ferebat. Quod enim is qui invitavit hypocrita esset, sequentia demonstrant. Sedente Domino in convivio, *Mulier quædam erat*, inquit, *in civitate peccatrix* (*Ibid.* v. 37); quæ cum audisset quod Jesus illic recumberet, venit domum, et afferens alabastrum unguenti, effudit super pedes Domini, et osculabatur vestigia, et abstergebat capillis suis. Ut porro scias hypocritam fuisse illum qui invitaverat: cogitabat apud se Pharisæus: *Hic si esset propheta, sciret utique, quæ, et qualis sit mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Pharisæi enim non modo hypocritæ erant, sed etiam invidi. Apud te Christus recumbit, etiamsi mores tuos nosset, et nemo invidet: venit peccatrix mulier salutem quærens, et tu invides, o Pharisæe? Fortassis ejus cognatus erat, vel potius dogmatum ejus parens. Ut cognoscas igitur ipsum non esse simpliciter prophetam, sed illum prophetam (nam articuli accessio aliquid significat); quid magnum esset, si nosset mulierem esse peccatricem? Id ex fama disci poterat; id et tu Pharisæus nosti, etsi non propheta. Ostendit aliquid majus illa cognitione. Nam illius fama forte nuntiavit, cum maxime admodum peccatrix esset: Dominus vero ut divinam ostenderet potestatem, Pharisæi ratiocinium novit. Neque enim narratur Pharisæum id alicui recumbentium dixisse; sed hæc intra semetipsum dicebat et ratiocinabatur. Ut ergo cognoscas, illum non modo prophetam, sed illum esse Prophetam: tu intus ratiocinaris, et Dominus id legit; tu cogitationes animo versas, et Dominus invenit, atque medetur: atque ita de duobus debitoribus narrationem instituit, quorum uni quingenta, alteri quinquaginta remisit creditor, dicens, *Quis plus diligit?* Respondente Pharisæo, *Is cui plus donavit* (*Luc.* 7. 42. 43), comparat demum ille Pharisæum cum illa muliere, quæ multorum acceperat peccatorum remissionem: quam non de præterita vita laudo, sed de fine beatam prædico. Nemo illi cum Pharisæis convicietur, Meretrix et impudica fuit. Paulus interpretetur, Paulus mulieri patrocinetur: *Deus qui justificat. Quis est qui condemnet* (*Rom.* 8. 33. 34)? Sed age, historiam hanc subtilius examinemus, ut non modo beatam prædicemus, sed etiam imitemur illam. Venit ad Jesum cum apparatu, unguentum afferens in alabastro, et in oculis lacrymas: inanimatum vas unguenti, animatus fons pœnitentiæ: de corpore carnis unguentum affert, ut exstinguat libidinis fœtorem: fœtidum quippe est peccatum, ut testificatur David: *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* 37. 6). Omnis qui peccat, fœtet; omnis qui pœnitentiam agit, unguentum præparat. Verum ut in unguentis multa aromata, sic et varia sunt pœnitentiæ genera. Oportet enim multa bona opera multos congerere fructus, qui pœnitentiæ unguentum parent. Vultis nosse mulieris humilitatem? Altera illa mulier unguentum afferens, super Christi caput effundit (*Matth.* 26. 7): nam ex recte factis fiduciam habuit: hæc ex conscientia delictorum non caput audet, sed extrema pedum tantum tangere. Neque minus operantur pedes. Nam si non vestimentum modo, sed etiam fimbria vestimenti perfectam sanitatem credenti largitur, et laudabile reddit credentis furtum (*Ibid.* 9. 20); quanto magis vestigia Christi possunt peccatorum vibices delere? Non ergo unguentum tantum effudit, sed etiam fontes lacrymarum movit. Beati lacus mulieris, unde manant fluvii peccata abluentes. Te illa doceat cur nobis Deus oculos dederit. Num tantum ut visui servirent? Hoc et singula bruta animalia habent; imo si accurate quæras, bruta quædam acutius quam nos vident. Nam tibi oculi non ad visum modo, sed etiam ad pœnitentiam usui sunt. Beatus es si lavacrum baptismatis servaveris: si vero ut homo interceptus fuisti, emitte fontes lacrymarum. Habes puteum; ex profundo cordis tristitiam hauri, agita geminas pupillas, effunde lacrymarum fluenta; secundum rationem delictorum sint lacrymæ. Exiguæ stillæ leves festucas auferunt; profunda flumina et torrentes rapidi truncorum onera, et petrarum moles trahere solent. Appende peccata tua. Si leve peccatum est, sufficit paululum lacrymarum; si grande peccatum est, major sit torrens lacrymarum. Si autem cum vitæ fiducia lacrymas in promptu et cor contritum habes, ac non omnes pro te lacrymas fundis, mihi partem lacrymarum commoda; pro fratrum peccatis luge. *Et vos inflati estis, et non potius luxistis* (1. *Cor.* 5. 2). Non peccavit Samuel, sed pro Saüle peccatore luxit. Paulus est vas electionis, sed pro nobis dolet. *Quis scandalizatur*, inquit, *et ego non uror* (2. *Cor.* 11. 29)? Viden' quomodo scandala mea Pauli cor conterant? Utinam autem singuli nostrum peccata sua lacrymis abstergere possent. Imitemur mulierem; lacrymis rigat pedes Jesu, unguento ungit. Lacrymis pedes. Unde peccata, inde remedia. Audisti Dominum hodie dicentem: *Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* 5. 28). Quia ex visu peccatum incepit. Ubi radix libidinis, ibi fons curationis. *Et capillis tersit* (*Luc.* 7. 38). Num quæ unguentum emerat, et alabastrum paraverat, linteum non habuit paratum? annon poterat rigare lacrymis et linteo tergere? At non audet hoc facere: nam linteo abstergere Christo reservabatur (*Joan.* 13. 5). Forte illa timens, cautius agit: non vult enim peccatis corporis remedia adhibere inanimata. Quid enim illi proderat linteum inanimatum tactu corporis Christi sanctificare? Naturam innovat, loco lintei capillis abstergit. Unde peccata, inde remedia. Omnibus membris peccaverat, omnibus membris sanat. Juvenem lascive respexerat; lacrymarum fontes emittit: peccaverat osculis meretricis et manuum tactu animam contaminando; pedes Christi osculatur

ut labia abstergeret, et sordes purgaret. Tergit capillis, imperitas fortasse mulieres docens. Quia enim cincinnis capillorum laqueos sæpe juvenibus parant (ideo Paulus apposite admonet, ne sese ornent cincinnis [1. *Tim.* 2. 9]) : quia igitur sibi conscia erat se cincinnis suis multos illaqueasse juvenes quasi capreas, capillis jam vult per pœnitentiam satisfacere : et quia sæpe impie nexuerat, semel pie solvit. Quam ergo inventorum mercedem accipit? Audi vocem Dominicam : Ipsa dilexit multum, ideo remittuntur ei peccata multa (*Luc.* 7. 47).

5. Dominus chirographum discerpserit, et Novatus disceptas particulas colligit. Vidisti aliquando litigiosum hominem, syngrapham discerptam colligentem, ac studiose conglutinantem, ut sycophantiæ actionem renovet? Dominus chirographum discerpsit, debitum remisit, et rationarius sycophantiam instruit. Brevis sermo nobis de Novato instituitur. Imitare mulierem, et curationis mercedem recipies. Non timeo judicium Novati, neque enim ipse venturus est judicare vivos et mortuos : non enim cum duodecim apostolis decimus tertius thronus Novato ad judicandum ponetur. Quis ostendet mihi accuratam pœnitentiam, et ego sponsor Domini Jesu promitto clementiam? Non sufficit tibi pœnitentiæ nomen, sed adsint pœnitentiæ opera. Si dixeris, Me pœnitet, et rursum ut canis ad proprium vomitum revertaris, vel ut sus ad volutabrum luti (*Prov.* 26. 11 ; 2. *Petr.* 2. 22) ; nihil verba sufficiunt, sed lutum suffocat. Quod si velis accurate pœnitentiam agere, fide pro commissis, tantum stude quod reliquum est in tuto ponere. Melius esset ne initium quidem vulneris habere ; si tamen opus sit, magis fove, magis alliga, ne contemnas si vermibus scateas. Quod si cicatrix obducta sit, ne iterum seces. Cito fit orificium cicatricis ; quod autem per ulcus fuerit exasperatum, ægre iterum consolidatur. Quod vero misericors sit Judex, non ex verbis solum, sed etiam ex rebus ipsis facile demonstrabo. Audistis omnino Domini benignitatem, qui cum aliis laudibus hanc quoque beato Petro dedit : *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* 16. 19). Quorum remiseris peccata, remissa sunt, quorum retinueris, retenta sunt. Annon hoc Domini misericordiam demonstrat? *Dabo tibi claves* (*Joan.* 20. 23). Cur non dedit Joanni, qui supra pectus Domini recumbens, amoris certum habuit indicium (*Joan.* 13. 25)? cur non Jacobo, qui primus capite plexus est? *Occidit* enim *Herodes Jacobum fratrem Joannis gladio* (*Act.* 12. 2). Vis scire quam amaret Joannem? In cruce Matri dicit : *Ecce filius tuus* (*Joan.* 19. 26). An majorem dilectionem exigas? *Ecce filius tuus.* Vulgare proverbium implevit. Quid est amicus? Alter ego. *Ecce filius tuus.* Ut matrem ipsi commendavit. Cur claves regni non illi tradidit, quem præ omnibus diligebat? Verum id quod dictum est, Domini benignitatem ostendit. Non dat claves Jacobo, non Joanni, non cuiquam alii apostolorum, qui sine peccato erant : sed Petrum ex clementia sua delegit. Quia enim Petrus priusquam gallus cantaret (cætera taceo, viri virtutem reveritus) peccato præventus fuit (*Matth.* 26. 34) : ideo enim nemini discipulorum, qui sine peccato erant, claves regni cælorum concredidit, sed Petro ; ut cum Petrus quempiam videret de peccatis pœnitentiam agentem, et peccata per pœnitentiam evacuantem, qui vellet in regnum cælorum ingredi, exempli sui memor illum ad salutem juvaret. Quomodo non beatum dixerim Ecclesiæ venatorem, qui ejusmodi catulos educaverit? Nondum enim ipsis mystici sensus corpus ostenderamus, et jam illi animal venatu ceperunt. Attamen more venatorum, postquam sensus venati estis, membra venatu capta dividamus. Dicebamus ergo ideo claves regni cælorum Petro creditas fuisse, non autem cuipiam ex illis qui non peccaverunt, ut cum videret Petrus quosdam a peccato converti, qui per pœnitentiam in regnum ingredi vi conarentur (nam violenti rapiunt regnum cælorum [*Matth.* 11. 12]), memor exempli sui, nobis ex pœnitentia accedentibus januam aperiret. Viden' ejus qui credidit clementiam? Animum adhibe clavibus. Pœnitentiam age priusquam claudatur. *Habet* enim *Filius hominis potestatem in terra dimittendi peccata* (*Luc.* 5. 24). Ubi peccatum, ibi solutio. Ne voluptatem in terra putaveris, et ibi pœnitentiam. Hic solve, et tunc te Petrus admittet, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

INDEX RERUM QUÆ IN HOC TOMO OCTAVO CONTINENTUR.

FINIS TOMI OCTAVI.

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES TERTIA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ GRÆCÆ A S. BARNABA USQUE AD PHOTIUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI TOMUS NONUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1845

SANCTI JOANNIS
CHRYSOSTOMI,

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

OPERA OMNIA,

CASTIGATA AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICOS, VATICANOS, ANGLICANOS, GERMANICOS, ETC.,

NECNON ET AD SAVILIANAM ET FRONTONIANAM EDITIONES,

NOVA INTERPRETATIONE, UBI OPUS ERAT, PRÆFATIONIBUS, MONITIS, NOTIS, VARIIS LECTIONIBUS ILLUSTRATA, NOVA SANCTI DOCTORIS VITA, APPENDICIBUS LOCUPLETATA,

OPERA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI
E CONGREGATIONE S. MAURI.

Editio novissima, emendata et auctior,

ACCURANTE M***, CURSUUM COMPLETORUM EDITORE.

TOMUS NONUS.

9 VOL. PRIX : 50 FR.

PARISIIS
VENIT APUD EDITOREM IN VICO DICTO *MONTROUGE*, JUXTA PORTAM
GALLICE DICTAM, BARRIÈRE D'ENFER, A PARIS.

1842.

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC NONO TOMO CONTINENTUR.

Ex TYPIS CATHOLICIS MIGNE, IN VICO DICTO MONTROUGE,
Juxta portam Gallice dictam, barrière d'Enfer, à Paris.

Præfatio

AD HOMILIAS

IN ACTA APOSTOLORUM

In nullum incidimus S. Joannis Chrysostomi opus, a consueto et eleganti tanti artificis stylo ita alienum, ut sunt Homiliæ in Acta. Hactenus orationis poliendæ et ornandæ auctorem locupletissimum vidimus; hic oratorem conspicimus plerumque humilem, jejunum, intricatum; sicubi autem pristinum eloquentiæ gradum resumat, subinde recidit in abjectum et strigosum dicendi modum. Hinc suborta dissensio fuit inter criticos, aliis homilias hasce Chrysostomo vel abjudicantibus vel ut suspectas habentibus; aliis illas ut omnino elegantes defendentibus; aliis, quibus nos adstipulamur, plerumque incultas illas, sed *genuinas* et vere Chrysostomi esse pugnantibus. Ut autem ordine quopiam procedatur, primo variorum sententiæ referentur, hinc veterum testimonia, deinde quid causæ fuerit indagabitur cur Chrysostomus hiulca hujusmodi et inculta invexerit. Ibidemque asseretur *genuinitas* operis tam ex veterum testimoniis, quam ex iis, quæ ipse Chrysostomus cum solita eloquentia passim interserit, maxime cum de moribus informandis agitur. Demum de anno disseretur quo hæ homiliæ dictæ fuere, adjunctis quibusdam ad rem eamdem pertinentibus.

Recentiorum scriptorum opinio circa hasce in Acta Homilias.

Nemo certe tractandis Chrysostomi scriptis assuetus non fateatur, hic Chrysostomum multa effundere sine delectu, eaque inculta, ac plerumque perplexa, imo nonnumquam lacera et hiulca, maxime vero in concionum principio, et cum allatos Scripturæ versiculos explicat, idque sat jejune et exiliter: et ubi jam explicata resumit, hoc vel simili præmisso dicto, *sed superiora repetamus:* quod ad nauseam usque repetit. Has homilias cum Latine convertere cœpisset Erasmus, tanto affectus tædio fuit, ut in epistola quadam ad Tonstallum Anglum hæc scriberet: *Ex Chrysostomo in Acta verteram homilias treis: cujus operæ me pœnituit, cum hic nihil viderem Chrysostomi. Tuo tamen hortatu recepi codicem in manum: sed nihil umquam legi indoctius. Ebrius ac stertens scriberem meliora. Habet frigidos sensiculos, nec eos satis commode potest explicare.* In præfatione autem interpretationi suæ Latinæ præfixa, de auctore subdubitare se dixit, *Quod stylus haberet concisum quiddam et abruptum; id quod a phrasi Chrysostomi videtur alienum. Si docti tamen censebunt opus Chrysostomo dignum, libenter hoc quidquid est suspicionis ponam.* Hæc Erasmus, qui cum semel incidisset in illa, quæ nos ipsi inculta et salebrosa esse fatemur, non advertisse videtur alia his intermixta esse, quæ Chrysostomum vere sapiant et tanto doctore digna sint. Huic subjunxit Savilius Jacobum Billium, qui Erasmo semper infensus, dicit, hoc in Acta Apostolorum libro nihil fingi posse elegantius, nihilque Chrysostomo dignius; sed huic opponit Flaminium Nobilium, qui non negat hoc opus Chrysostomi esse, sed ait scatere mendis, et videri ex diversis librariorum scriptis consarcinatum. Demumque suam Savilius affert opinionem, aitque opus quidem salebrosum et perplexum esse, ac multa habere *non satis accurata;* sed quædam passim auri ramenta, quæ nonnisi ab aurea illa vena manare potuerunt; demumque opus vere Chrysostomi esse pronuntiat. Hæc carptim a me dicta sunt, quia Savilii hac de re sententiam ipsis verbis in fine hujusce Præfationis afferre animus est. Hæc cum sagacitate et accuratione solita memorat Tillemontius, et licet multis in locis neglectam orationem, perplexas, obscuras, imo etiam hiulcas sententias agnoscat; multa tamen in ethicis admiranda recenset, cui et nos hac in re adstipulamur: adjicimusque non multas esse apud Chrysostomum conciones informandis moribus aptiores. Harum vero *genuinitatem*, præter ea, quæ diximus, probant etiam testimonia veterum mox adferenda; nec non illa quæ de anno quo dictæ illæ fuerunt proferimus, et alia quoque ipsis subjungenda.

Veterum testimonia de his homiliis, quæ harum genuinitatem probant.

Qui primus hoc Chrysostomi opus memorasse putatur, est Cassiodorus, qui sic loquitur T. 2, p. 544: *Sed in Actibus Apostolorum S. Joannis episcopi Constantinopolitani in Græco sermone commenta reperimus: quæ amici nostri in duobus Codicibus, quinquaginta quinque homiliis, Deo juvante, transtulerunt.* Hic hodierno, qui in Editis habetur, parem homiliarum numerum recenset, qua re probatur eumdem ipsum in Acta Apostolorum commentarium sæculis Chrysostomo vicinis, ejus præmisso nomine in Occidentem allatum fuisse. Hunc commentarium laudat etiam Joannes Damascenus, ut Savilius et Tillemontius referunt; Œcumenius quoque Enarrationibus in Acta Apostolorum non semel quædam ex hoc libro mutuatur.

Photius vero in Bibliotheca sua N. CLXXII, p. 386, ubi de Homiliis in Genesim agit, hæc de

Concionibus in Acta Apostolorum interserit : *Homiliæ in Acta quinquaginta sunt, et per integrum fere annum sunt habitæ : neque enim quotidie, sed quinto quoque die, vel septimo, vel tardius, illas concionando proferebat. Declaratque ipse illas se, cum archiepiscopatus tertium annum ageret, ad populum habuisse. Homilias vero in Genesim quo tempore habuerit scire nondum potuimus : incertum quippe est an in vigesima octava illas memorare velit, quas tertio archiepiscopatus sui anno habuit, an alias. Palam est, eum has etiam cum archiepiscopus esset composuisse; viginti septem nempe, in quadragesima secundi (archiepiscopatus sui) anni, reliquas autem in quarto anno. Loquutio ejus cum solita claritate puritateque splendorem profluentiamque exhibet, conjunctam cum sensuum ubertate, et concinna exemplorum copia. Inferior tamen est Homiliis in Acta, ad humiliorem declinans dictionem; tantoque spatio, quanto hæc in Acta opera Commentariis in Psalmos et in Apostoli Epistolas inferior est.* Hæc Photius, qui in numero Concionum in Acta errat, quadraginta tantum esse dicens, cum quinquaginta quinque numero sint, ut etiam Homiliarum in Genesim numerum non accurate retulit; nisi fortassis menda in ejus exemplaria irrepserint, quod facilius est cum anni numeralibus literis notantur. Neque felicius procedit cum ait, Homilias in Genesim habitas fuisse Constantinopoli, partem scilicet earum anno archiepiscopatus Chrysostomi secundo, et partem anno quarto. Certum quippe est Homilias in Genesim Antiochiæ, cum adhuc Chrysostomus presbyter esset, dictas fuisse, ut in Præfatione ad Homilias in Genesim probavimus. Quod de stylo ait, cum scilicet Homiliarum in Acta dictionem præfert Homiliarum in Genesim loquutioni, nescio an iis omnibus, qui stylum utriusque operis conferre voluerint, placiturum sit. Certumque est in utroque opere Chrysostomum a solita eloquentia non parum deflectere. Utri autem operi hic nævus magis adscribi debeat, examinare non magnum operæ pretium fuerit.

Cur Homiliæ in Acta humiliore stylo conscripta videantur, quam cæteræ Chrysostomi.

Ait Photius conciones, quas Antiochiæ habuit Chrysostomus, ornatiores cultioresque esse illis quas Constantinopoli pronuntiavit. Quod ut plurimum verum esse fatendum est. Cave tamen hoc dictum pro norma habeas, et hinc semper judicium ferendum censeas. Nam is ipse Photius, qui hanc posuit tesseram, Homilias in Genesim inter incultiora Chrysostomi opera locatas, Constantinopoli dictas fuisse affirmavit, quæ tamen Antiochiæ certissime, ipso indicante Chrysostomo, habitæ fuerunt. Nihilominus stat illud, quod supra dictum est, Conciones nempe in Acta, quæ Constantinopoli dictæ fuere, inter jejuniores humilioresque quoad magnam sui partem computandas esse : id vero hinc evenisse putatur, quod imperatoriæ urbis præsul constitutus Chrysostomus et negotiorum, quæ tantæ civitatis cura afferebat, mole obrutus, ornandis poliendisque concionibus spatium non habuerit : maxime vero annis 400 et 401, queis habitas putamus hasce homilias, ut mox dicetur. Tunc enim Gaina et Gothis tumultu omnia replentibus, Chrysostomus, qui eorum conatibus pro virili obsistebat, minus operæ adornandis concionibus insumere valebat, nec mirum si præpedito tot tantisque negotiis artifice, tumultuarium aliquid in hoc opere deprehendatur. Alia vero perplexæ et nonnullis in locis hiulcæ seriei causa non abs re affertur, quod videlicet librarii, qui dicta sancti doctoris excipientes describebant, in tumultuariis illis, et ex tempore prolatis concionum partibus, alii aliud conscriberent. Hinc haud dubie orta est illa tanta varietas, quæ in Codicibus has homilias efferentibus observatur. Ut enim in ima pagina aliquoties monuimus, tanta in Manuscriptis occurrit lectionum diversitas, ut si omnia exscripsissemus, novam seriem concionibus longitudine pene parem attulissemus; idque nullo fructu. Varietates enim illæ tam frequentes, vel ordinem verborum periodos constituentium diversum efferunt solummodo, vel synonymas voces suppeditant. Neque animus erat tantam operum Chrysostomi molem, quantam scriptorum nullus umquam suppeditavit, superfluis accessionibus augere.

Unum restat explorandum, cur nempe Joannes noster in omnibus fere in Acta Concionibus, postquam libri versiculos explanandos protulit ac brevi interpretatione donavit, aliam illamque brevem eorumdem versiculorum explicationem aggrediatur, hoc vel simili præmisso dicto, *sed superius dicta repetamus :* id quod in aliis nullis ejus in Scripturam sacram Commentariis observatur. Ipse fortasse Chrysostomus hujus solvendæ quæstionis modum subministravit, quando in primæ concionis principio ait, Actorum librum ita ignotum auditorum plerisque esse, ut ne quidem noverint an exstet, et an ita pretiosus liber inter Biblicos compareat. Ut igitur ignoti antea libri pleniorem notitiam inculcaret, post priorem explanationem, alteram adjecerit; quod extemporale additamentum plerumque intricatum et nonnumquam hiulcum est. Hæc enim styli perplexitas in his maxime additamentis observatur. Nam *ethica*, et ea quæ ad mores informandos post additamenta sequuntur, suam semper servant dignitatem, et vere Chrysostomi eloquentiam ut plurimum saltem præ se ferunt.

Quo anno hæ in Acta Homiliæ habitæ fuerint.

Ipso Chrysostomo duce et locum et annum statuimus, quo has conciones habuit. Non semel enim indicat se episcopum et in episcopali solio sedentem concionari : indubitatumque est hasce conciones in Constantinopolitanis censendas esse. Habuit autem illas anno episcopatus sui tertio ut testificatur ille Homilia quadragesima quarta col. 312 : *Ecce per gratiam Dei nos triennium jam habemus, non quidem nocte et die hortantes, sed post tres sæpe dies, vel post septem hoc facientes.* Ubi observes illud, *triennium habentes,* si literam sequaris, significare Chrysostomum in episcopatu jam triennium emensum fuisse, quando ad hanc quadra-

gesimam quartam homiliam pervenit; cumque Chrysostomus in sedem Constantinopolitanam evectus fuerit anno 398, mensis Februarii die vigesimo sexto, hinc sequeretur dictam illam fuisse anno 401. At præterquam quod non omnino constat hic exactum triennum diserte notari, jam sæpe vidimus Chrysostomum non cum tanto scrupulo notas temporum consignare. Ut ut res est, alio argumento comprobari videtur hanc temporis notam referendam esse in annum 401. Homilia quadragesima prima ait Chrysostomus, col. 291, *anno superiore*, πέρυσι, concussisse Deum universam civitatem, Constantinopolim nempe terræ motu agitatam fuisse. Hic vero terræ motus quem refert Synesius, ad annum 400 consignari debet, unde sequatur hanc homiliam, quæ quadragesima prima numero est, anno 401 habitam fuisse; in quem etiam annum illam retulit Baronius. Tillemontius vero Baronii sententiam non respuit quidem, mallet tamen terræ motum in annum 399, et homiliam quadragesimam primam in annum 400 referre: frequentissimi quippe erant Constantinopoli terræ motus, neque omnes quotquot acciderunt, ab historiæ scriptoribus referuntur: ille vero qui anno 400 contigit, a Synesio tantum et carptim recensetur. Secundum hanc Tillemontii opinionem, in nota ibid. col. 291 in imo margine posita diximus, terræ motum illum anno 399 accidisse, remque pluribus excussam fuisse monuimus in Vitam S. Joannis Chrysostomi, quæ sub initium primi tomi ponitur. In annum ergo vel 400 vertentem, vel in sequentem 401 referenda est hæc quadragesima prima homilia. Nam illa vox πέρυσι, *anno superiore* seu *proximo*, non ita accipienda est, ut annum integrum elapsum Chrysostomus significare voluerit.

Ibidem autem et continenter col. 291 eadem locutione, *anno proximo* Chrysostomus utitur ad rem aliam carptim indicandam. *Quæ circa Theodorum illum anno proximo gesta sunt, quem non obstupefecerunt? Et tamen nihil amplius factum est.* Quis ille Theodorus esset, quidve illi acciderit, nullus, quod sciam, scriptor docuit. Sed hoc unum hinc expiscari possumus; nimirum hæc verba *anno superiore* et *anno proximo*, πέρυσι, quæ pro terræ motu et pro illo tanto Theodori casu indiscriminatim usurpantur, annum proxime præteritum ita significare, ut non curaverit orator an plures paucioresve menses intercesserint. Stet igitur id quod supra diximus, Homiliam nempe quadragesimam primam vel anno 400 vertente, vel 401 ineunte dictam fuisse, donec quid certius emerserit.

Homilias autem incœpit extra quadragesimam, ut ipse dicit homilia prima col. 25, et quidem Paschali tempore, ut innuere videtur col. 22, anni videlicet 400. In moralibus autem adhortationibus quæ partem concionum postremam occupant, multa profert utilia, et quædam ad vitam suam spectantia, quæ suo loco commemorabuntur; in quinquagesima vero secunda se Joannem appellari dicit.

His subjungere visum fuit judicium Savilii circa Homilias Chrysostomi in Acta Apostolorum.

SAVILII IN CHRYSOSTOMUM
IN ACTA APOSTOLORUM JUDICIUM.

De auctore harum in Acta Homiliarum magnam esse inter doctos video controversiam. Erasmus in Epistola quadam ad Tonstallum, magnum suo tempore ornamentum Angliæ, in volumine Floridarum, *Ex Chrysostomo*, inquit, *in Acta verteram homilias tres; cujus operæ me pœnituit, cum nihil hic viderem Chrysostomi. Tuo tamen hortatu recepi codicem in manum; sed nihil umquam legi indoctius. Ebrius ac stertens scriberem meliora. Habet frigidos sensiculos, nec eos satis commode potest explicare.* Hæc ille, severitate plus quam censoria usus. Idem tamen in Præfatione huic libro Latine verso præfixa haud paulo mitius, *Subdubitare se, quod stylus haberet concisum quiddam et abruptum, id quod a phrasi Chrysostomi videbatur alienum: Si docti tamen, inquit, censebunt opus Chrysostomo dignum, se libenter hoc, quicquid est, suspicionis positurum,* quam tamen haud temere concepisse sibi visus est. Atque ut Erasmi suspicionem augeam, addo perplexa et involuta hic reperiri complurima, pleraque aspera et salebrosa, imperfecta multa, ab alio argumento in aliud saltum potius quam transitum, textum bis percursum magis quam explicatum, solemnem illam cantilenam, *Sed superius dicta repetamus,* sexcenties ad nauseam usque inculcatam. In summa, destituta fere omnia iis luminibus, iis orationis ornamentis, quibus disertissimus vir Chrysostomi nomen apud posteritatem invenerit. Tantum abest, ut Jacobo Billio assentiar, qui, sive odio Erasmi stimulatus, seu quo alio partium studio abreptus, *Græco codice nihil ait fingi posse elegantius, nihil quod Chrysostomi phrasin melius referat.* Quanto rectius doctissimus vir Flaminius Nobilius: *Omnino*, inquit, *hi Commentarii in Acta parum explere animum lectori possunt. Scatent enim mendis, suntque ex variis, ut puto, librariorum scriptis, Chrysostomi orantis sententias, quoquo modo poterant, excipientium, male coagmentata.* His accedat Photii auctoritas, qui Chrysostomum quidem in Acta commentatum esse prodit, sed homilias numerat non plures quinquaginta, easque multo elegantius scriptas censet, quam sunt illæ in Genesin: *Inferior tamen est* (scilicet, phrasis Homiliarum in Genesin) *homiliis in Acta, ad humiliorem declinans dictionem:* quod aperte, ut mihi quidem videtur, si de hisce accipias, secus est. Atque hæc fere sunt, quæ in eam partem afferantur. Quæ tamen omnia

eam vim non habent, ut mihi vel tantillum persuadeant *genuinum* hunc fœtum, etsi minus fortasse *concinnum*, a vero patre abjudicare. Ac primo, ramenta quædam passim apparent, quæ nonnisi ab aurea illa vena manare potuerunt. At multa sunt, inquis, plumbea. Respondeo, proclivius esse *Aurifluo* nostro alicubi humi repere, adeoque jacere, quam alii ad ejus altitudinem assurgere : ut propter aliqua admirabiliter scripta malim Chrysostomum inscribere auctorem, quam alium propter nonnulla humilius. Deinde quis nescit, non eosdem esse omnes omni tempore? Aliter eloquentiæ Latinæ princeps dixit adolescentior, aliter jam consularis. Et de Chrysostomo nostro verissime Photius, ipsum Antiochiæ, semotum a publicis curis, multo accuratius limatiusque scripsisse, quam eumdem Constantinopoli *Archiepiscopi munere fungentem :* in quod tempus hæc, quæ in manibus habemus, incidisse luce clarius est. De numero Photiano respondeo, idem objici posse de Homiliis in Genesin, quæ sine dubio germanæ sunt, et non plures Photio una et sexaginta, cum tamen omnes nostri Codices septem et sexaginta præferant, ut vel Photium hic et ibi memoria lapsum esse necesse sit, vel in Codices incidisse minus integros, vel oscitantes librarios hic pro νε' facili lapsu scripsisse ν'. Has enim esse, quas jam manibus terimus, non alias in Acta homilias a Photio intelligi, verba ipsius aperte declarant : *Homiliæ in acta quinquaginta sunt, et per integrum fere annum sunt habitæ : neque enim quotidie, sed quinto quoque die* (malim *tertio quoque die :* respexit enim ad locum in hom. quadragesima quarta *post tres sæpe dies vel post septem hoc facientes*), *vel septimo, vel tardius illas concionando proferebat. Declaratque ipse illas se, cum Archiepiscopatus tertium annum ageret, ad populum habuisse.* Locus, ad quem respexit Photius, est in hom. quadragesima quarta, page 856, lin. 39 [col. 312, lin. 33 editionis nostræ], ubi arrepta occasione ex Pauli verbis, *Memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi*, Actorum 20, 31, Chrysostomus de se, *Ecce per gratiam Dei nos triennium jam habemus.* Atque ut non alium esse hujus libri auctorem, quam Joannem nostrum, liquidius appareat, hæc pauca adjecisse non abs re fuerit. Omitto multas loquendi formulas huic nostro peculiares, interrogatiunculas, dialogismos, digressiones morales leges contra juramenta latas, Sixto Senensi atque ipsi Erasmo notata. Quod in hom. prima invehitur in eos, qui baptismum rejiciunt usque ad extremum halitum : quod in hom. trigesima legem statuit in eos, qui episcopo concionanti plausus cient : quod contra Platonem et philosophos toties ac tam vehementer disputat, an non satis indicant antiquum esse scriptorem, qui in vitia multis jam inde sæculis antiquata tam acriter invehatur? Quid quod homil. undecima, *Audivi quondam*, inquit, *patres nostros dicentes quod in persecutione veteri viros videre erat qui vere christiani essent*, etc. Ex quibus apparet hujus libri auctorem statim post tempora persecutionis vixisse, qui hæc a patribus suis audire potuerit. Quid quod homil. vigesima secunda legitur, *Cohors erat id quod nunc vocamus numerum ;* et quod homil. quadragesima sexta, *Quidam vero dicunt, id esse quod apud nos ex Romana consuetudine dicitur : Immitte illum in signa*, nonne satis hæc per se antiquitatem produnt? Sed quid conjecturas consector, cum ipse aperte hom. quadragesima prima contemporaneum se profiteatur Juliano? Locus est pag. 839, 7 [col. 291, lin. 32, editionis nostræ] : *Nostris quippe temporibus acciderunt ea quæ beatum Babylam spectant, quæ Jerosolymis gesta sunt, quæ in destructione templorum;* quorum duo priora sub Juliano contigerunt, tertium sub Theodosio. Jam illud hom. trigesima octava de libro magico invento in flumine, cum adhuc *junior* esset Chrysostomus, Cardinalis Baronius recte, ut opinor, ad tempora Valentis refert. Ex his liquet scriptorem fuisse temporum illorum æqualem. Sed et episcopum fuisse satis constabit. Hom. tertia loquitur de seipso, ut episcopo. Hom. nona aperte seipsum episcopum vocat, *Sed tu, inquies, es princeps et episcopus.* Homil. octava de seipso loquitur, ut episcopo in civitate *imperatoria* (quod nomen præterquam Romæ et Constantinopoli, nulli alii conveniebat civitati) suspiciose quædam aspergens de sua expulsione : qualia sunt pag. 655, 24 [col. 74, lin. 22, editionis nostræ] : *Aut me ab hoc principatu dejicite aut manentem me in pericula conjicite.* Et pagina sequente, lin. 12 [col. 76, lin. 5 editionis nostræ] : *Et donec in hoc throno sedebo, nihil illius justificationibus præferam. Si quis me dejecerit, jam non obnoxius ero.* Et homil. undecima loquitur, ut in civitate, quæ præter Judæos et gentiles, Christianorum habeat plus quam centum millia. Hom. quadragesima secunda, p. 848, l. 12 [col. 302, lin. 29, editionis nostræ] : *En quam ampla est nostra civitas.* Et quod nusquam, ut opinior, alibi in ejus operibus reperitur, homil. quinquagesima secunda, pag. 902, l. 40 [col. 365, lin. 44, editionis nostræ], nomen suum directe ponit : *Sum quidem Beati illius* (*Joannis*) *homonymus sive cognominis, non autem synonymus : Non sum Joannes, sed vocor.* Postremo accedunt et veterum scriptorum de hujus libri auctore testimonia. De Photio supra diximus. Damascenus, lib 3, cap. 15, De fide orthodoxa, locum citat ex secunda homil. in Acta : qui tamen auctoris an librarii lapsu, non in secunda reperitur homil., sed in prima, pag. 610, lin. 18. Deinde Catenarum scriptores, Nicetas, Œcumenius, etc., non ex aliis quam ex hoc horto depromptis flosculis suas contexuere corollas : ut jam stultum sit deinceps, ut mihi quidem videtur, de hujus libri auctore dubitare.

INDEX

OPERUM S. JOANNIS CHRYSOSTOMI,

QUÆ IN NONO TOMO CONTINENTUR.

SANCTI PATRIS NOSTRI
JOANNIS CHRYSOSTOMI
Opera omnia.

COMMENTARIUS IN ACTA APOSTOLORUM (a)

HOMILIA I.

CAP. I. 1. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere,* 2. *usque in diem, qua præcipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est.*

1. *Libri Actuum Apostolorum dignitas.* — Multi perinde ignorant an hic liber exstet, et quis sit ejus auctor: quæ mihi potissimum causa fuit ut hoc opus aggrederer, quo hujus rei ignaros instituerem[1], nec tantum thesaurum latere sinerem. Non minus enim nobis, quam ipsa Evangelia utilis esse poterit: tanta nimirum plenus est philosophia, tanta dogmatum sinceritate, miraculorumque copia, eorum maxime, quæ a Spiritu sancto patrata sunt. Ne itaque deinceps hunc librum prætereurramus; sed eum magna accuratione exploremus. Etenim ea, quæ Christus in Evangeliis prædixit, hic opere completa videre est; veritatem ex rebus ipsis splendentem, discipulosque post acceptum Spiritum sanctum in melius longe commutatos. Nam quæ a Christo audierant dicente: *Omnis qui crediderit in me, signa quæ ego facio, et ipse faciet, et his majora faciet* (*Joan.* 14. 12): et ea quæ prædixit discipulis, quod ante præsides et reges ducendi essent (*Matth.* 10. 18), quod in synagogis fla-

(a) Hæc Commentaria collata sunt cum duobus Codd. Colbertinis, uno Coisliniano et Edit. Savil. Nota autem in his Codicibus singulas homilias, *homilias*, appellari, quas *sermones* vocat Savilius. Quod autem dicit in ipso principio Chrysostomus, perinde multos ignorare an hic liber exstet, atque quis sit ejus scriptor, habetur etiam Tomo tertio Homil. in principium Actorum, col. 71.

[1] Pro *instituerem*, Savil. legit, *pertraherem*. Mss. habent, *instituerem*.

gellandi, quod intolerabilia passuri, et his omnibus superiores futuri essent, quod item evangelium prædicandum foret in universo mundo: hæc, inquam, omnia accuratissime completa in hoc libro cernere est; necnon his plura quæ cum discipulis versans Dominus dixerat. Videbisque hic apostolos ceu volucres per terram et maria discurrentes, illosque olim timidos et rudes, in alios homines repente mutatos, divitiarum contemptores, gloria, ira, concupiscentia cæterisque omnibus superiores effectos: multam videbis inter ipsos concordiam, nullam invidiam, ut olim, nullam ob primatus desiderium contentionem; sed omnem in illis virtutem diligenter cultam, caritatemque eximie fulgentem: de qua multa ipsis præceperat, dicens: *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei sitis, si dilexeritis invicem* (*Joan.* 13. 35). Quin et dogmata quædam in hoc libro reperire licet, quæ nisi scriptus ille fuisset, nulli ita perspicua et plana fuissent: imo etiam id, quod est salutis nostræ caput, tam secundum vitam et mores, quam secundum dogmata, occultum obscurumque esset. Maxima pars autem libri, Pauli gesta sunt, qui plus omnibus laboravit. Cujus rei causa est, quod is qui hunc librum scripsit, beatus Lucas, ejus esset discipulus: cujus virtutem tum ex aliis multis cernere est, tum maxime quod doctori suo indesinenter hæserit. Itaque cum Demas et Hermogenes ipsum reliquissent, alterque in Galatiam, alter in Dalmatiam abiisset, audi quid de illo dicat: *Lucas solus mecum est* (2. *Tim.* 4. 11); et Corinthiis scribens de illo ait: *Cujus laus est in evangelio per omnes Ecclesias* (2. *Cor.* 8. 18). Et cum dicit: *Visus est Cephæ, deinde duodecim*[1] cum ait vero, *Secundum evangelium quod accepistis* (1. *Cor.* 15. 5. 1); de Lucæ Evangelio loquitur: ita ut non aberraverit, si quis ipsi hoc opus adscripserit. Cum ipsi dico, Christo dico. Quod si quis dixerit: Cur non omnia scripsit qui usque ad finem cum ipso semper fuerit? respondebimus, hæc satis fuisse iis, qui animum adhibere vellent; illosque iis semper incubuisse, quæ magis urgerent, neque illis tantum fuisse scribendi studium; multas quippe non scriptas traditiones dederunt.

Cur Christi divinitas in Actis non ita aperte enuntietur. — Omnia itaque hoc in libro admiratione digna sunt, maxime vero illa verborum demissio, qua, suggerente Spiritu sancto, de œconomia loquentes usi sunt apostoli. Ideo cum tot tantaque de Christo narrent, pauca de divinitate ejus dixerunt, longe plura vero de humanitate, de passione, de resurrectione, de ascensione. Nam hoc interim quærebatur, ut crederetur ipsum resurrexisse et ascendisse in cælos. Quemadmodum igitur ipse Christus in primis ostendere curabat, se a Patre venisse: ita et hic narrat, ipsum resurrexisse, assumptum fuisse, et ad illum rediisse, a quo venerat. Nisi enim hoc prius creditum fuisset; multoque magis postquam accesserunt resurrectio et assumptio, totum dogma Judæis incredibile visum fuisset. Quapropter sensim et paulatim eos ad sublimiora ducit. Athenis vero hominem eum simpliciter vocat Paulus, nihil amplius addens (*Act.* 17. 31): et jure quidem. Etenim si ipsum Christum, de sua cum Patre æqualitate loquentem, sæpe lapidare tentarunt (*Joan.* 8. 59), ipsumque blasphemum ideo vocarunt, vix illum sermonem a piscatoribus accepissent, cum maxime crux præcessisset.

2. Et quid de Judæis loquar, quando ipsi quoque discipuli, cum sublimiora audirent dogmata, sæpe turbati et offensi sunt? Ideo dicebat: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* 16. 12). Si illi non poterant, qui tanto tempore cum ipso erant, qui tot arcanorum consortes erant, et tot viderant miracula: quomodo homines recens avulsi ab aris, ab idolis, a sacrificiis, a felibus, a crocodilis (hic enim erat gentilium cultus); qui a cæteris malis tunc primum abducti fuerant, sublimia statim dogmatum verba accepissent? quomodo etiam Judæi, qui quotidie discebant et instituebantur a lege: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est, et præter eum non est alius* (*Deut.* 6. 4); qui ipsum viderant cruci affixum; imo qui crucifixerant et sepelierant, neque ipsum resuscitatum viderant, audientes eumdem ipsum esse Deum et Patri æqualem, non omnino resiliissent ac recessissent? Ideoque paulatim et sensim illos ad majora ducunt, et sese multum ipsis attemperant. Uberiore vero Spiritus gratia fruuntur, et majora, quam Christus fecit, in ipsius nomine faciunt; ut utrinque ipsos humi jacentes erigant, et ut resurrectioni fidem habeant. Hic quippe liber in primis est resurrectionis demonstratio, qua credita, cætera facile succedunt. Argumentum ergo et scopus hujus libri, ut summatim dicam, hic potissimum est. Audiamus demum ipsa proœmia. (*Cap.* 1) 1. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere.* Cur illi Evangelium in memoriam revocat? Ut accurationem suam ostendat. Nam initio illius operis dixit: *Visum est et mihi assequuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere* (*Luc.* 1. 3). Neque suo contentus testimonio, totum refert ad apostolos, dicens: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis.* Idcirco postquam sermoni fidem ibi conciliavit, hic alia confirmatione opus non habet, cum Theophilus jam persuasus, ac per illud opus de accurata rei veritate institutus esset. Etenim cui habita fides est scribenti quæ audierat; multo magis credendus est, cum ea scribit, non quæ ab aliis accepit, sed quæ vidit et audivit. Nam si ea quæ de Christo dicta sunt, inquit, accepta habuisti, multo magis accipies ea quæ de apostolis dicturus sum. Quid igitur? an historia tantum hoc opus, et Spiritu vacuum est? Nequaquam. Quo pacto? Quoniam ea, quæ ipsi tradiderunt ii qui viderant et ministri sermonis fuerant, ex Spiritu erant. Et cur non dixit, Sicut tradiderunt nobis, qui Spiritu sancto dignati erant, sed, *Qui ab initio viderunt?* Quia hoc maxime fidem facit, cum ab

[1] Sic omnes Editi et Mss. At in Novo Testamento Græco legitur τοῖς ἕνδεκα, et in Vulgata *undecim*; et hæc vera lectio est.

iis ipsis qui viderunt narratur; illud vero arrogantiam et fastum præ se tulisset apud insipientes. Ideo Joannes dicebat : *Ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei* (*Joan.* 1. 34). Christus vero sic alloquitur Nicodemum adhuc rudiorem : *Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum nemo accipit* (*Id.* 3. 11). Ac rursum ostendens multa ex oculorum testimonio dici, discipulis dicebat : *Et vos testificamini de me, quia ab initio mecum estis* (*Id.* 15. 27). Apostoli quoque sæpe ita loquuntur : *Testes nos et Spiritus sanctus, quem dedit Deus credentibus in se* (*Act.* 2. 32). Postea vero Petrus, ut resurrectioni fidem faciat, dicit : *Qui manducavimus et bibimus cum illo* (*Ibid.* 10. 41). Facilius enim eorum testimonium admittebant, qui versati fuerant cum illo, quod adhuc longe abessent a notitia Spiritus. Quamobrem Joannes in Evangelio dicebat se vidisse, de sanguine et aqua loquens, oculatum testimonium ut maximum ponens; etiamsi oculis certiora sint ea quæ a Spiritu proficiscuntur; sed non apud incredulos. Quod vero Spiritus particeps Lucas fuerit, ex multis perspicuum est; tum ex signis quæ tunc fiebant, tum quod illo tempore quilibet Spiritus essent participes; tum ex Pauli testimonio : *Cujus laus est in evangelio* (2. *Cor.* 8. 18), inquit; tum ex ordinationis calculo; post illud enim addit : *Sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis.*

3. Et vide quam sit a fastu alienus. Non enim dicit, Primum evangelium, quod evangelizavi; sed, *Primum sermonem feci*, se majorem esse putans evangelii appellationem : etiamsi illum inde apostolus celebret, dicens : *Cujus laus est in evangelio.* Sed ille modeste sic loquitur : *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere;* non simpliciter, De omnibus, sed a principio ad finem usque : Usque ad diem, inquit, quo assumptus est. Atqui Joannes declarat non posse omnia scribi. Ut enim hoc ostendat, postquam dixerat : *Quæ si scribantur singula, nec ipsum arbitror mundum posse capere,* adjicit, *Eos qui scribendi sunt libros* (*Joan.* 21. 25); Quomodo igitur, inquies, hic de omnibus loquitur? At non dixit, Omnia, sed, *De omnibus* : ac si quis dicat summatim et in genere; aut de omnibus quæ competunt et urgent. Deinde ostendit quæ sint illa omnia, *Quæ cœpit Jesus facere et docere;* miracula nempe et doctrinam subindicans. Neque hoc tantum, sed quod etiam faciendo doceret. Vide autem illius benignum apostolicumque animum, qui vel illius hominis causa hanc suscepit accuratam operam, ut totum Evangelium scriberet. *Ut habeas*, inquit, *eorum, de quibus eruditus es, sermonum veritatem* (*Luc.* 1. 4). Audierat enim Christum dicentem : *Non est voluntas Patris mei ut pereat unus ex his pusillis* (*Matth.* 18. 14). Et cur non unum librum fecit uni Theophilo mittendum, sed in duo partitus est argumenta? Perspicuitatis causa, et ut intermissionem daret auditori : alioquin vero distincta sunt amborum argumenta. Consideres autem velim, quomodo Christus per opera dictis suis fidem conciliarit. Ad mansuetudinem hortabatur, dicens : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* 11. 29). Docebat paupertatem, et illam per opera exhibebat : nam *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Id.* 8. 20), inquit Jubebat rursum inimicos diligere. Hoc in cruce docuit cum pro crucifigentibus precatus est. Dicebat, *Volenti tecum in judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium* (*Id.* 5. 40) : ipse vero non solum vestimenta, sed etiam sanguinem suum dedit. Sic etiam discipulos suos facere jussit. Quapropter dicebat Paulus : *Sicut habetis formam nostram* (*Philipp.* 3. 17). Nihil enim frigidius doctore, qui verbis tantum philosophatur : neque enim hoc doctoris est, sed hypocritæ. Idcirco apostoli primum exemplo, hinc verbis docebant; imo non verbis opus habebant, operibus ipsis clamantibus. Neque aberraverit si quis passionem ejus actionem vocaverit : patiendo namque magnum illud mirabileque opus edidit, quo mortem solvit, ac reliqua omnia peregit. 2. *Usque in diem, qua præcipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est. Per Spiritum præcipiens*, id est, spiritualia apud ipsos loquens præcepta, nihilque humanum. Vel hoc ergo dicendum; vel quod per Spiritum ipsis præceperit. Vides, quomodo adhuc de Christo humiliter loquatur, ut et ipse de seipso loquebatur, dicens : *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia* (*Matth.* 12. 28)? Etenim Spiritus sanctus in illo templo operabatur. Quid autem præcepit? *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (*Id.* 28. 19. 20). Magna laus apostolorum, cum talia ipsis commissa sint, nimirum totius orbis salus; cum etiam verba Spiritu plena essent : id quod subindicans dicebat, *Per Spiritum sanctum;* id est, Verba quæ loquutus sum vobis, Spiritus sunt. Hoc porro dicit, ut auditorem ad concupiscentiam trahat discendi præcepta, apostolisque fidem conciliet : siquidem ea, quæ sunt Spiritus, loquuturi sunt, necnon præcepta Christi. Cum præcepisset, inquit, *Assumptus est.* Non dixit, Ascendit; quia de illo ut de homine adhuc loquitur. Post resurrectionem quoque fortasse discipulos docuit; sed hoc totum tempus nemo nobis accurate explicavit. Verum huic rei magis immoratur Joannes, quam cæteri, ut hic quoque; sed nullus omnia clare recensuit : ad aliud quippe festinabant. Hæc porro didicimus per apostolos, qui ea quæ audierant retulerunt. 3. *Quibus et præbuit seipsum vivum.* Loquutus ante de assumptione, jam de resurrectione agit Quia enim dixerat, *Assumptus est*, ne putares illum ab aliis assumptum fuisse, subjunxit, *Quibus et præbuit seipsum vivum.* Nam si in majori re seipsum exhibuit, multo magis in minori.

4. Viden' quomodo clanculum hæc magna disseminet dogmata? *Per dies quadraginta apparens eis.* Neque enim, ut ante resurrectionem, semper cum illis erat. Observa autem non dixisse illum, Quadraginta diebus, sed, *Per dies quadraginta.* Adveniebat enim, et avolabat rursum. Quare? Animos illorum ad altiora du-

cebat, nec sinebat illos perinde erga se affici atque antea. Nec sine causa hoc agebat, sed utrumque diligenter præparans, ut resurrectio crederetur, et ut major ipse putaretur esse, quam homo. Atqui hæc erant inter se contraria. Ut enim resurrectio crederetur, humana multa fieri oportebat; ut alterum vero firmaretur, non item. Attamen utrumque opportuno tempore factum est. Cur autem non omnibus, sed apostolis tantum apparuit? Quia multis id phantasma visum fuisset, qui arcanum mysterii non noverant. Si enim ipsi discipuli non credebant initio et turbabantur, tactuque manus opus habebant, necnon mensa communi, quomodo vulgus affectum fuisset? Quapropter ex miraculis indubitatam reddit resurrectionem; ita ut non illis tantum tunc temporis hominibus, sed omnibus postea certa foret resurrectio. Quod enim in illis effecerunt conspecta signa, hoc in posteris omnibus per fidem futurum erat. Ideo hinc incredulos argumentis impetimus. Si non resurrexit, sed mortuus manet, quomodo in nomine ejus apostoli signa fecerunt? At non fecere miracula? Quomodo ergo gens nostra constitit? Non enim huic veritati obsistent neque pugnabunt contra ea, quæ sub conspectum cadunt. Itaque quando dicunt, non facta fuisse miracula, tunc magis sese confundunt. Hoc enim maximum esset miraculum, si sine miraculis totus orbis accurrisset, a duodecim pauperibus et illiteratis hominibus captus. Neque enim pecuniis, non verborum sapientia, non alio simili modo piscatores vicerunt; ut vel inviti confiteantur divinam in illis esse virtutem: neque enim humanæ vires talia umquam facere potuerint. Ideo ille quadraginta diebus mansit post resurrectionem; tam longo conspectus sui spatio rei veritatem comprobans, ne id quod videbatur, phantasma esse putarent. Neque his contentus, mensam etiam addidit, id quod etiam postea dicit. 4. *Et convescens cum illis.* Hoc autem ipsi apostoli semper in resurrectionis argumentum sumpserunt dicentes, *Qui manducavimus et bibimus cum illo* (*Act.* 10. 41). Quid autem apparens fecerit, per sequentia ostendit dicens: *Apparens illis, et loquens de regno Dei*[1]. Quia vero dejecti animis erant, et turbati ob ea, quæ facta fuerant, atque ad magna deinceps exituri erant certamina, sermone circa futura habito recreans illos, *Præcepit ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris.* Primo in Galilæam deduxerat eos adhuc formidantes et trementes, ut eum libertate dicta audirent. Deinde cum audissent, et in his per quadraginta dies essent versati, *Præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent.* Quare? Sicut milites in agmina irrupturos nemo sinit exire, donec armati fuerint, neque equos ex carcere exsilire, priusquam aurigam nacti sint: sic neque illos ante adventum Spiritus sancti in acie comparere permisit, ne facile a multis caperentur. Neque propterea tantum, sed quia multi erant illic credituri. Ad hæc vero, ne quidam dicerent ipsos, missis notis et contribulibus suis, ad extraneos ostentationis causa migrasse; idcirco apud eos ipsos, qui Jesum occiderant, signa præbent resurrectionis, apud eos, inquam, qui crucifixerant, qui sepelierant, in ipsa urbe ubi facinus impium patratum fuerat; ita ut extranei omnes hinc obmutescere cogerentur. Cum enim ii, qui crucifixerant, inter credentes comparerent; hinc certe et crucis et tam iniqui facinoris certum indicium, et resurrectionis magnum ducebatur argumentum. Deinde ne dicerent, Quomodo ergo poterimus inter tam multos homines nefarios et homicidas degere, nos qui ita pauci et viles sumus? vide quomodo hanc angustiam expediat et solvat dicens: *Sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis a me.* Et quandonam, inquies, audierunt? Cum diceret: *Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos* (*Joan.* 16. 7); et rursum, *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum mittet vobis, ut maneat vobiscum* (*Id.* 14. 16).

5. Et cur non Christo præsente, vel non statim post ejus discessum, advenit Spiritus, sed Christus quadragesima die ascendit, Spiritus vero advenit cum compleretur dies Pentecostes? Ac, si nondum advenerat ille, quomodo Christus dicebat: *Accipite Spiritum sanctum* (*Id.* 20. 22)? Ut illos capaces redderet atque idoneos accipiendo Spiritui. Si enim angelum visurus Daniel, dissolvebatur (*Dan.* 8. 17), multo magis hi id passuri erant, tantam accepturi gratiam. Vel hoc dicendum est, vel quod rem futuram ut jam factam diceret; ut cum ait: *Calcate supra serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici* (*Luc.* 10. 19). Cur autem non tunc statim advenit? Oportebat eos rei desiderio teneri, atque ita gratiam accipere. Ideo postquam ille discesserat, Spiritus advenit. Si illo præsente venisset, non in tanta exspectatione fuissent. Idcirco neque statim post ascensionem ejus advenit, sed post octo vel novem dies. Ita et nos tum maxime excitamur erga Deum, cum in necessitate constituti sumus. Ideoque Joannes tunc mittit discipulos suos ad Christum, quando illo opus habituri erant, Joanne in carcere degente. Alioquin vero oportebat in cælo comparere naturam nostram, et perfectam reconciliationem fieri, ac tum venire Spiritum, puramque percipi voluptatem. Nam si Spiritu præsente, Dominus abiisset, ille vero mansisset, non tanta fuisset consolatio; Christo enim admodum hærentes, ab illo ægre divulsi fuissent. Unde et consolans illos dicebat: *Expedit vobis ut ego vadam* (*Joan.* 16. 7). Ideo missionem Spiritus per aliquot dies differt, ut aliquamdiu mœsti, et, ut dixi, in necessitate constituti, plena et pura fruerentur voluptate. Si vero minor esset Filio Spiritus, non fuisset sufficiens consolatio: quomodo enim dixisset, *Expedit vobis?* Ideo major illi doctrina reservata est, ne illum minorem putarent. Consideres velim quantam illis necessitatem imposuerit manendi Jerosolymis, cum promisisset se illic Spiritum præbiturum esse. Nam ne rursum post assumptionem ipsius fugerent, hac exspectatione, ceu vinculo, illos omnes ibi retinet.

[1] Alius legit: *Quid autem fecerit per quadraginta dies apparens iis? loquebatur de regno Dei.*

Postquam autem dixit : *Ut exspectarent promissionem Patris, quam audistis a me*, subdit : 5. *Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu sancto non post multos hos dies.* Ostendit demum, quantum intersit Joannem inter et ipsum ; jam non adumbrate ut antea : nam obscure admodum loquutus fuerat, quando dixit : *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo* (*Matth.* 11. 11) : sed nunc manifestius : *Joannes*, inquit, *baptizavit aqua*, *vos autem baptizabimini in Spiritu sancto.* Non jam utitur testimonio; sed personam tantum memorat, in memoriam revocans ea, quæ prius dixerat, significatque ipsos jam majores esse Joanne; siquidem in Spiritu et ipsi baptizaturi erant. Non dixit, Vos ego baptizo in Spiritu sancto, sed, *Baptizabimini :* docens nos humilitatem. Nam ex testimonio Joannis palam erat ipsum baptizaturum esse; dixit enim : *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Luc.* 3. 16) : ideoque illum unum memoravit. Evangelia igitur historia sunt eorum, quæ Christus fecit et dixit : Acta vero eorum quæ alius Paracletus dixit et fecit. Ille namque jam olim multa operabatur, sicut etiam Christus nunc operatur, et olim quoque operabatur; sed tunc per templum, nunc per apostolos. Et tunc quidem in virgineum uterum venit, et templum formavit; nunc autem in animas venit apostolicas : tunc in specie columbæ, nunc in specie ignis. Quare ? Illic mansuetudinem exhibebat, hic vero ultionis severitatem. Judicium autem opportune commemorat. Cum enim peccata condonanda erant, multa opus erat mansuetudine : quia vero donum consequuti sumus, jam tempus est judicii et examinis. Quomodo autem dicit, *Baptizabimini*, cum aqua non esset in cœnaculo ? Quia Spiritus est, per quem aqua operatur : quemadmodum Christus unctus fuisse dicitur, licet numquam oleo unctus fuerit, sed Spiritum acceperit. Alioquin vero ipsos aqua baptizatos fuisse reperire est, et in diversis temporibus. Apud nos enim utrumque uno eodemque fit tempore, tunc autem diversis temporibus. Initio namque a Joanne baptizati sunt; nec mirum est. Nam si meretrices et publicani ad illud baptisma venerunt; multo magis ii, qui postea a Spiritu baptizandi erant. Deinde, ne dicerent, rem in promissis semper esse (nam multa hac de re dicta fuerant); neve putarent operationem esse sine re aliqua, illos ab hac suspicione abducens, ait : *Non post multos hos dies.* Neque indicavit quando, ut semper vigilarent; sed brevi futurum dixit, ne animo deficerent; nec addidit quando, ut semper vigiles essent. Neque hoc tantum modo illos ad credendum inducit, scilicet per brevitatem temporis; sed etiam cum dicit, *Promissionem quam audistis a me*; id est : Non nunc vobis tantum dixi, sed jam promisi, quæ omnino facturus sum. Quid ergo miraris, si diem consummationis non dicat, qui hunc vicinum diem noluit indicare ? Idque jure merito, ut nimirum exspectando vigilarent ac solliciti essent.

6. Non potest enim, non potest, inquam, gratia frui qui non vigilat. Annon vides, quid dicat Elias discipulo ? *Si videris me cum assumar, erit tibi sic* (4. *Reg.* 2. 10) : id est, Continget tibi hoc quod postulas. Christus quoque solebat accedentibus dicere, *Credis ?* Etenim nisi rei datæ admodum hæserimus, beneficium non valde sentiemus. Sic et Paulo non statim data est gratia, sed triduum intercessit quo cæcus erat, atque interim metu purgabatur et præparabatur. Quemadmodum enim qui purpuram tingunt, prius quibusdam aliis præparant id, quod tincturam accepturum est, ne flos evanidus sit : ita hic quoque Deus prius sollicitam animam præparat, et tunc gratiam infundit. Idcirco non statim Spiritum misit, sed in Pentecoste.

Cur baptismus tempore Chrysostomi in Pentecoste non daretur. — Quod si quis dixerit, Cur nos non hoc tempore baptizamus ? respondebimus, gratiam eamdem tunc fuisse quæ nunc est; sed mentem sublimiorem nunc esse, quod jejunio præparetur. Pentecostes vero tempus habet aliquam rationem non ineptam. Quænam illa est ? Existimaverunt patres nostri, baptisma esse frenum idoneum malæ concupiscentiæ, magnamque doctrinam continere, ut vel tempore deliciarum temperantes simus. Ac si ergo cum Christo epulemur, mensæ ejus consortes, ne quid temere faciamus, sed in jejuniis, precibus et temperantia multa degamus. Nam si is, qui sæcularem quamdam præfecturam aditurus est, sibi parat quidquid ad vitam pertinet; et ut dignitatem quamdam assequatur, pecunias impendit, tempus consumit, et sexcentos subit labores; quo nos digni fuerimus supplicio qui cum tanta socordia regnum cælorum adimus, neque antequam assequamur solliciti, et post acceptum ignavi ? Ideo enim postquam accepimus, segnes sumus, quia antequam acciperemus, non vigilavimus. Idcirco multi postquam acceperunt, protinus ad priorem vomitum redierunt, pejores sunt effecti, et gravius sibi supplicium attraxerunt, a prioribus liberati peccatis : hincque magis judicem ad iram concitarunt, quod a tanto soluti morbo, ne sic quidem resipuerint; sed illud passi sint, quod paralytico comminatus est Christus, dicens : *Ecce sanus factus es; noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat* (*Joan.* 5. 14) : quodque de Judæis prædixit, ostendens ipsos ingrati animi causa intolerabilia passuros esse : *Si non venissem et loquutus fuissem eis, peccatum non haberent* (*Joan.* 15. 22). Itaque posthac dupla et quadrupla sunt peccata. Quo pacto ? Quia post collatum honorem ingrati sumus et improbi. Quapropter nihil nobis proficit lavacrum, ut mitius puniamur. Animadverte porro : in gravia peccata quis incidit; vel cædem, vel adulterium, vel aliud quidpiam deterius admisit : hæc per lavacrum remissa sunt. Nullum quippe est, nullum est certe peccatum, nulla impietas, quæ huic dono non cedat : divina quippe est gratia. Rursum mœchatus est quis et occidit : primum quidem adulterium solutum est, et cædes condonata, neque revocatur : *Dona* quippe *Dei et vocatio ejus sunt sine pœnitentia* (*Rom.* 11. 29). Sed pro iis, quæ post baptismum perpetrata sunt

tantas damus pœnas, quantas si illa revocata non fuissent, imo longe majores. Non enim jam simplex est peccatum, sed duplex et triplex. Quod autem horum major sit ultio, audi quid dicat Paulus: « Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla misericordia duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit (*Hebr.* 10. 28. 29)? »

Contra eos qui baptisma differebant. — Fortasse multos avertimus, ne nunc accipiant baptisma. Verum non hæc illa de causa diximus, sed ut qui jam acceperunt, in multa maneant temperantia et modestia. At metuo, dicet aliquis. Si metueres, accepisses utique et servasses. Verum, inquies, ea ipsa de causa non accipio, quod metuam. Annon metuis sic ex hac vita decedere? Clemens, inquit, est Deus. Igitur accipe baptisma: clemens enim est et opitulatur. Tu vero ubi oporteret studiose rem agere, illam non prætendis clementiam; ubi vero differre optas, tunc illam clementiam memoras. Atqui tunc tempus esset utendi illa clementia, atque illam tum magis assequemur, cum ea quæ penes nos sunt afferemus. Etenim is, qui omnia in Deum rejicit, et post baptisma peccat utpote homo, per pœnitentiam venia donabitur: qui vero de Dei clementia quasi argute agit, si gratiæ expers hinc decedat, inevitabili supplicio plectetur. Cur autem hæc adversus salutem tuam prætendis? Impossibile enim est, impossibile, ut puto, est, eum, qui tali spe fultus differt, strenuum quid aut bonum operari. Tu vero cur tantum metum suscipis, et incertum futurum prætendis? cur non metum illum in laborem et diligentiam mutas, ut sis magnus et mirabilis? utrum melius est, timere, an laborare? Si quis te collocaret otiosum in domo ruinæ proxima, diceretque, Exspecta donec contignatio jam putris in caput tuum cadat (nam forte cadet, forte non cadet); sin non placet, operare, et in tutiore habita thalamo: utrum potius eligeres, otiumne illud timore plenum, an laborem spe fultum? Ita et nunc facito. Nam incertum illud futurum, est quasi domus in ruinam vergens; illa vero operatio, etsi laboriosa, securitatem spondet.

7. Absit ergo ut in tantam necessitatem incidamus, ut post lavacrum peccemus. Attamen si quid simile accidat, ne sic quidem desperemus. Clemens enim est Dominus, multasque nobis dedit remissionis postea impetrandæ vias. Cæterum sicut ii, qui post lavacrum peccant, gravius puniuntur, quam catechumeni: sic qui sciunt pœnitentiæ esse remedia, nec iis uti volunt, graviora patientur. Quanto enim major est Dei clementia, tanto magis supplicium augetur, si non illa ut oportet utamur. Quid dicis, o homo? Tantis plenus malis ac deploratus, amicus repente factus es, et ad culmen honoris evectus, non ex propriis laboribus, sed ex dono Dei, et rursus ad pristinam reversus es turpitudinem, etiamsi hinc graviter cruciandus sis: ille vero neque sic aversus est; sed mille salutis ansas Deus dedit, per quas amicus efficiaris: tu vero ne sic quidem vis laborem suscipere. Et qua tandem venia dignus eris? quomodo non te jure gentiles derideant, ceu fucum quempiam temere frustraque viventem? Nam si valet, inquiunt, philosophia vestra, quid sibi vult illa non initiatorum multitudo? Præclara certe atque expetenda mysteria. Sed nullus exspectet, ut animam agens lavacrum accipiat. Non enim mysteriorum tempus illud est, sed testamentorum: mysteriorum autem tempus est sanitas mentium, et animæ temperantia. Dic enim mihi: si testamenta non vult quis sic affectus edere, sed et si ediderit, ansam dat postea litigandi; ideoque qui testantur hæc addunt verba: Ego vivens, et mente valens mea dispono: quomodo is, qui sui compos non est, poterit accurate mysteriis initiari? Si enim de sæcularibus rebus non sinunt externæ leges testari eum, qui omnino mente non valeat, cum tamen de suis facultatibus præscripturus sit: quomodo de regno cælorum deque arcanis illis bonis institutus poteris clare omnia discere, cum sæpe ob morbum mente captus sis? quandonam verba illa Christo dices, Consepultus cum illo, cum jam migraturus sis? Nam et operibus et verbis benevolentia illi exhibenda est. Tu vero perinde facis, ac si quis postulet adscribi militiæ, cum jam bellum est solvendum; aut si athleta tum vestes exuat, cum spectatores surgunt. Nam ideo arma sumis, non ut protinus aufugias; sed ut illis instructus, contra hostem tropæum erigas. Nemo putet intempestivum hunc sermonem esse, quia non in Quadragesima nunc sumus (*a*). Ideo namque discrucior, quod in talibus rebus tempus observetis. Etenim eunuchus ille et barbarus iter agens, media in via cum esset, tempus non exquisivit (*Act.* 8. 27): nec custos carceris ille, inter vinctos, cum magistrum videret flagellis cæsum et vinctum, et in carcere mansurum (*Id.* 16. 29). Hic autem plerique, non in carcere, non in via constituti, differunt, idque ad extremum usque vitæ halitum.

8. *Baptisma non differendum.* — Quod si adhuc ambigis num Christus sit Deus, foris stato, nec divina verba audias, neque inter catechumenos te annumeres: sin confidis, et hoc probe cognoscis, quid cunctaris? cur refugis et segnis es? Vereor, inquies, ne peccem. Quod vero deterius est non vereris, ne cum tantis sarcinis illo abeas? Non enim par culpa est propositam gratiam non assequi, et rem aggressum, frustra conatum esse. Dic mihi, si redarguaris, cur non accesseris, cur non recte rem perfeceris, quid dices? Illic enim forte allegare posses onus præceptorum [1] et virtutis; hic vero nihil simile. Gratia enim est gratis dans libertatem. Verum times, ne pecces? Hoc post baptisma dicito. Tunc time, ut serves libertatem, quam accepisti; non ut tantum donum gratis non accipias. Nunc autem ante bapti-

[1] Alius legit, *affectuum*, pro, *præceptorum*.

(*a*) In Quadragesima quippe de non differendo baptismo concionari solebant.

sma pius es, post baptisma segnis. Sed tempus Quadragesimæ exspectas? Qua de causa? num amplius quid habet illud tempus? Apostoli namque non in Paschate gratia dignati sunt, sed alio tempore: illa tria et quinque millia non in Paschate baptizata sunt, ut neque Cornelius, eunuchus, et alii plurimi. Ne itaque tempus exspectemus, ut ne cunctantes et differentes, vacui et expertes tantorum bonorum abeamus. Quantum putatis me discruciari, cum audio quempiam non initiatum obiisse, et cogito intolerabilia illa supplicia inevitabilemque cruciatum? rursus quam angor, cum alios video ad extremum halitum deductos, non tamen resipiscere? Ideo multa fiunt hoc tanto dono indigna. At cum oporteret gaudere, choreas agere, lætari, coronari, cum quispiam initiatur; quando ægroti uxor audit, id a medico statutum fuisse, quasi in magno infortunio plangit, et lamentatur (a): hinc gemitus et ejulatus per totam domum, ac si damnatus quispiam ad necem duceretur. Ille quoque tunc magis dolet, et si a morbo convalescat, gravius cruciatur, ac si magno affectus esset damno. Quia enim non erat ad virtutem præparatus, segniter agit deinceps, et certamina refugit. Viden' quantas machinas diabolus apparet, quantum risum, quantum ludibrium? Ab hoc itaque ludibrio nos subducamus: vivamus ut præcepit Christus. Ideo baptisma dedit, non ut statim abscedamus, sed ut post baptismum viventes fructus proferamus. Quomodo abeunti, et exciso dices, Fructifica? non audisti, quod *Fructus Spiritus sit, caritas, gaudium, pax* (*Gal.* 5. 22)? Quomodo igitur contraria eveniunt? Etenim uxor adstat lugens, cum gaudere oporteret; liberi plorant, cum gratulari par esset: is ipse qui jacet obtenebratus, tumultu ac pertubatione plenus est, cum oporteret festum agere; in mœrore totus, quod filios orbos relinquat, uxorem viduam, domum desertam. Num sic, quæso, acceditur ad mysteria? num sic aditur sacra mensa? hæccine ferenda? Si Imperator missis literis vinctos in carcere solvat, gaudium est ac lætitia: Deus autem mittit Spiritum de cælis, non pecuniæ reliquias, sed universa peccata condonans, omnesque lugetis et ingemiscitis? Quæ est hæc inæqualitas? Nondum enim dico, quod mortuis infusa sit aqua, et quod sancta projecta sint in terram: non enim nos in causa sumus, sed ingrati quidam. Proinde rogo, ut omnibus omissis nosmetipsos convertamus, et cum omni alacritate ad baptismum accedamus; ut cum [1] in præsenti vita magnam exhibuerimus diligentiam, futuram consequamur fiduciam: quam nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

(a) Tunc utique multi, quos frequenter carpunt Chrysostomus, Augustinus aliique Patres, baptismum differebant usque ad mortis articulum. Si quando igitur medici monerent periclitantem conjugatum baptizandum esse, uxor quasi mox amissura virum, ejulatus magnos edebat; ut etiam nunc sæpe contingit, quando ægro conferenda est extrema unctio.

[1] Alius habet..... *ut, omnibus omissis, illud curemus ne antè initiationem ex hac vita egrediamur, baptismum accipere festinantes cum omni alacritate; ut cum*, etc.

HOMILIA II.

Cap. 1. v. 6. *Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?*

1. Discipuli interrogaturi simul adeunt, ut multitudinis reverentia responsionem obtineant. Sciebant id quod nuper dixerat, *Nemo novit diem* (*Matth.* 24. 36), repellentis fuisse, neque ignorantis, sed differentis responsionem: unde rursus accedunt, et interrogant. Non autem interrogassent, nisi id vere persuasum habuissent. Quia enim audierant, se Spiritum sanctum accepturos esse ut jam digni id volebant ediscere, jam parati ad libertatem obtinendam. Non enim volebant se in pericula conjicere, sed potius respirare, eo quod non exigua essent, quæ illis contigerant, sed de extremis periclitati essent. Nihil igitur de Spiritu loquuti, sic interrogant: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Non dixerunt, Quando? sed, An nunc? adeo desiderabant diem cognoscere. Ideo multo cum honore adeunt. Puto autem illos non clare novisse, quodnam esse illud regnum: nondum enim Spiritus illos docuerat. Nec dixerunt, Quando hæc erunt? sed quid? *Si in tempore hoc restitues regnum Israel?* utpote quod jam exciderat. Hæc ita sciscitantur, quia erga sensibilia adhuc affecti erant, etsi non quantum antea: nondum enim meliores facti erant. Sic demum hi majora de illo imaginabantur. Quia igitur ad altiora provecti erant, et ipse sublimius eos alloquitur. Non jam enim ita dicit illis: *Neque Filius diem novit* (*Marc.* 13. 32); sed quid? 7. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Majora, inquit, postulatis. Atqui longe majora, inquies, jam didicerant. Ut autem hoc accurate discas, perpende quam multa recenseam. Quid, quæso, majus iis, quæ didicerant? Ipsi nempe esse Filium Dei, esse Patri honore parem didicerant (*Joan.* 5. 17. 19); resurrectionem fore (*Matth.* 17. 9), ipsum ascendentem sessurum ad dexteram Patris (*Luc.* 22. 69. *Marc.* 16. 19). Rem item magis stupendam didicerant, quod caro superne sedeat, et adoretur ab angelis, quod iterum venturus sit judicare mundum universum (*Matth.* 16. 27. *Luc.* 21. 27): didicerant, quod ipsi quoque tunc sessuri essent judices duodecim tribuum Israel (*Matth.* 19. 28): didicerant Judæos ejiciendos esse, atque eorum loco ingressuras gentes (*Luc.* 21. 24). Discere hæc futura esse, magnum est; discere vero, aliquem esse regnaturum, et quando id accidet, non ita magnum est. Didicit Paulus quæ non licebat homini loqui (2. *Cor.* 12. 4), omnia quæ mundum hunc præcesserant. Utrum discere difficilius est, principium an finem? Liquet, prius esse difficilius. Atqui id Moyses didicit, et quando et quanto ante tempore declarat, cum an-

nos enumerat. Hoc et Salomon sciebat; ideo ait: *Commemorabo ea, quæ fuerunt a sæculo* (*Eccli.* 51. 11). Quod porro Dominus prope sit, hi postea noverunt, ut et Paulus, qui dicit: *Dominus prope est, nihil solliciti sitis* (*Philipp.* 4. 5. 6). Sed tunc non noverant, tametsi signa jam acceperant. Christus autem ut dixit, *Non post multos hos dies*, volens illos vigiles esse, nec evidenter rem declaravit: ita et nunc facit. Illi autem hic non de consummatione, sed de regno interrogant; ideoque dicebant: *Si in tempore hoc restitues regnum Israel*[1]*?* Ille vero neque id eis revelavit. De fine autem antehac interrogabant; sed non quemadmodum illic severius respondit, abducens illos, ne putarent liberationem esse vicinam, et conjecit illos in pericula: ita et hic facit, sed mansuetius. Ne putarent enim sibi contumeliam inferri, neve crederent hæc obtentus esse, audi quomodo statim illis polliceatur se aliquid daturum, de quo gauderent. Subjecit igitur: 8. *Sed accipietis virtutem supervenientis in vos Spiritus sancti, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Deinde ne rursus ipsum interrogarent, statim assumptus est. Quemadmodum igitur illic metu ipsos obtenebravit, cum dixit, se nescire: sic et hoc loco statim assumptus, ut dicitur. Multo namque rei desiderio tenebantur, neque destitissent; ac necesse admodum erat, ne scirent id, quod scire cupiebant. Dic enim mihi, quid minus credunt gentiles, an futuram consummationem, an quod Deus homo factus sit, et ex Virginis utero prodierit, atque cum carne ab hominibus visus sit? annon hoc postremum? Ita certe dictus es. Verum pudet me hac de re sæpe loqui, quasi de negotio quopiam indifferente. Rursus ne dicerent, Cur rem suspendis? ait, *Quæ Pater posuit in sua potestate.* Atqui una est Patris et Filii potestas, ut cum dicit: *Sicut enim Pater mortuos suscitat et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* 5. 21). Si cum operari oportet, cum eadem agit potestate, annon cum scire quidpiam oportet, cum eadem scit potestate? Attamen longe majus est mortuos suscitare, quam scire illam diem. Quod si id, quod majus est, cum potestate facit, annon multo magis faciet et alterum?

2. Verum ut rem discatis, exemplo vobis illam declarabo. Sicut cum infantem videmus plorantem, ac sæpe quidpiam a nobis petentem sibi non necessarium, id occultamus, vacuasque illi manus ostendimus, dicentes, Ecce non habemus: ita et ipse apostolis fecit. Verum ut infans ille, si nihil ostendamus, instat plorando, se delusum videns, nosque discedimus dicentes: Vocat me quispiam, et ejus quod petebat loco, aliud quidpiam illi damus, ut eum a tali desiderio avocemus, et laudantes id quod damus præ re quæsita, statim nos subducimus: sic fecit Christus. Illi accipere quærebant; hic se habere negavit. Attamen primo deterruit; at quia rursus quærebant, iterum dixit se non habere. Verum jam non territat, sed postquam ostendit id quod fecerat, affert probabilem causam; *Pater*, inquit, *posuit in sua potestate.* Quid ergo? an tu nescis ea, quæ Patris sunt? an ipsum nosti, et quæ ejus sunt ignoras? Dixisti: *Nemo novit Patrem nisi Filius* (*Luc.* 10. 22); et, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (1. *Cor.* 2. 10); et tu ne hoc quidem nosti? Absit. Non ut hoc suspicemur, ita loquutus est; sed se nescire simulat, ut illos ab intempestiva quæstione abducat. Non ausi sunt ergo iterum interrogare, ne audirent: *Et vos insipientes estis* (*Matth.* 15. 16)? Multo enim magis illum nunc metuebant, quam antea. *Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos* (*Marc.* 7. 18). Quemadmodum enim illic non ad interrogata respondit (doctoris enim est, non quod vult discipulus, sed quod ipsi expedit, docere): ita et nunc, quæ discere opus erat prædicit, ne turbentur: fortasse quia infirmi erant. Ut autem fiduciam indat, ipsorum animos erigit, et onerosa texit. Quia enim paulo post illos relicturus erat, nihil ipsis asperum simpliciter loquitur; sed quid? Cum admixta laude molesta mitigat; ac si diceret: Ne timeatis; nam *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria.* Quia enim dixerat, *In viam gentium ne abieritis, et in civitatem Samaritanorum ne intraveritis* (*Matth.* 10. 5); nunc vero vult eos prædicare in omni Judæa et Samaria; quæ tunc non dixerat, hic addidit, *Et usque ad ultimum terræ.* Et, quod omnium terribilissimum erat, loquutus, ne rursus illum interrogarent, 9. *Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Viden' eos prædicasse et implevisse evangelium? Vere rem magnam dedit illis. Ubi timuistis, inquit, nempe Jerosolymæ, ibi primo prædicate, et postea usque ad ultimum terræ. Deinde ad fidem faciendam iis, quæ dixerat, *Videntibus illis elevatus est*, inquit. Non illis videntibus resurrexit, sed, *Illis videntibus elevatus est;* quia neque aspectus hic omnia potuit. Nam resurrectionis finem viderunt, initium non item; assumptionis vero initium viderunt, non vero finem. Inutile namque fuisset in resurrectione initium videre, ipso præsente qui hæc loqueretur, et sepulcro testificante ipsum ibi jam non esse: sed quæ assumptionem sequuta sunt, verbo discere oportebat. Quia enim non poterant oculi ad tantam pertingere celsitudinem, nec docere an in cælum, an quasi in cælum ascenderit, vide quid factum sit. Quod ipse Jesus esset, sciebant ex iis, quæ ad ipsos loquutus fuerat; procul vero positum non poterant oculis cognoscere; quod autem in cælum susceptus sit, ipsi postea docuerunt angeli. Vide quomodo provisum sit, ut non Spiritu omnia, sed quædam oculis cernerentur. Cur autem nubes suscepit eum? Hoc quoque signum erat, ipsum ascendisse in cælum. Non ignis, ut Eliam, neque currus igneus (4. *Reg.* 2. 11), sed nubes suscepit eum; quod erat cæli symbolum, ut ait propheta, *Qui posuit in nube ascensum suum* (*Psal.*

[1] In Savilio sic legitur: *Illi autem non de consummatione interrogant, sed « Si in tempore hoc restitues regnum Israel. »*

103. 3) : quamquam hoc de Patre dictum est. Ideo dicit, In nube, declarans id esse in symbolo divinæ potentiæ : neque enim alia virtus ulla in nube conspicitur. Audi rursus quid alius propheta dicat : *Dominus sedet super nubem levem* (*Isai.* 19. 1).

3. Cum ergo de re, quam necessariam putabant, interrogarent, cumque dictis admodum intenti essent, et concitati nec dormitantes, hoc accidit. In monte quoque nubes propter ipsum erat, quando Moyses ingressus est in caliginem (*Exod.* 33. 9) ; sed non propter illum nubes erat. Ille vero non simpliciter dixit, *Vado*, ne rursum dolerent ; sed dixit, *Spiritum mitto* (*Joan.* 16. 5. 7). Quod autem in cælum abiret, ipsis oculis didicerunt. Papæ, quanto spectaculo dignati sunt ! 10. *Cumque intuerentur*, inquit, *in cælum euntem illum*, *ecce duo viri adstiterunt illis in veste alba*, *qui et dixerunt : Viri Galilæi*, *quid statis aspicientes in cælum ? Hic Jesus*, *qui assumptus est a vobis in cælum.* Demonstrantium more loquuntur : *Hic*, *qui assumptus est a vobis in cælum*, *sic veniet*, *quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Iterum læta species est. Angeli enim quidam hominum specie adstantes dixerunt : *Viri Galilæi.* Fide digni certe videbantur cum dicerent, *Viri Galilæi.* [1][Ad quid enim, patriam memorassent, nisi ut fidem facerent ?] Ex specie quoque illos ad se convertebant, declarantes se de cælis esse profectos. Cur non ipse Christus hæc ipsis loquitur, sed angeli ? Prius illis omnia dixerat, jam vero per angelos illis in memoriam revocat ea, quæ audierant. Nec dixerunt, Quem vidistis assumptum, sed, *Euntem in cælum* ; ut ostendatur assumptionem illam, ascensionem fuisse : carnis autem est assumi. Ideo dicunt : *Qui assumptus est a vobis*, *sic veniet* : non, Mittetur, sed, *Veniet*. Qua in re ergo minor est Filius ? *Nubes suscepit eum.* Recte ; ipse enim ascendit in nubem : quoniam *Qui ascendit*, *ipse est qui descendit* (*Ephes.* 4. 10). Animadverte, quomodo alia secundum discipulorum mentem dicantur, alia secundum dignitatem Dei. Sublimiorque demum facta est mens videntium : ac secundi adventus non parvam illis dedit notitiam ; illud enim, *Sic veniet*, hoc significat : cum corpore, inquit : illud enim audire optabant ; et quod iterum nube vectus ad judicium venturus sit. *Et ecce*, inquit, *duo viri adstiterunt.* Cur dixit, *Viri ?* Quia perfectam virorum formam repræsentabant, ne illi obstupescerent. *Qui et dixerunt*, *Quid statis aspicientes in cælum ?* Simul blandientium [2] verba erant, et non tamen sinentium cito exspectare reditum ejus. Hi quod majus est dicunt, quod vero minus non item : ipsum sic venturum, et ex cælo exspectandum esse dicunt ; quandonam vero, id tacent. Ab illo autem spectaculo evocatos, dictis suis attentos reddunt, ut ne quoniam Dominum jam videre non poterant, putarent ipsum non ascendisse ; utque illos verbis suis præmunirent. Nam si prius dicebant, *Quo vadis* (*Joan.* 13. 36) ? multo magis nunc dixissent, *Num in tempore hoc restitues regnum Israel ?* Ita illius mansuetudinem noverant, ut post passionem interrogarent illum, *Num restitues ?* Atqui prius dixerat illis, *Audituri estis bella et opiniones bellorum : sed nondum finis* (*Marc.* 13. 7), neque Jerosolyma tunc capiebatur. Nunc autem de regno interrogant, non de consummatione. Alioquin vero post resurrectionem non longos cum illis sermones habet. Igitur illi velut celebritatem sperantes, percontantur. Ipse vero non declarat an restituturus sit necne. Quæ necessitas enim, ut illi hoc discerent ? Ideo hoc metuentes illi non ultra dicunt : *Quod signum adventus tui*, *et consummationis sæculi* (*Matth.* 24. 3) ? sed, *Num restitues regnum Israel ?* Existimabant enim id jam adesse. Ipse vero in parabolis ostenderat id non prope esse : et jam ubi interrogarunt, respondet, *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.* Animadverte quod dixerit, *Supervenientis*, non, Missi ; ut parem honorem ostenderet. Quomodo ergo, Spiritus sancti inimice, audes illum dicere creaturam ? *Et eritis mihi testes.* Assumptionem subindicavit : imo potius id, quod jam audierant, in mentem revocat. Jam ostensum est ipsum in cælos ascendisse. *Nubes et caligo sub pedibus ejus* (*Psal.* 96. 2), inquit, quo significatur illud : *Nubes suscepit eum*, nempe cælorum Dominum : regem namque declarat currus regius : sic illi missus est currus regius, ut ne quid triste loqueretur, neve id illis accideret, quod Elisæo, qui assumpto magistro, tunicam discidit (*4. Reg.* 2. 12). Quid vero dicunt angeli ? *Hic Jesus*, *qui assumptus est a vobis in cælum sic veniet* ; et, *Ecce duo viri adstiterunt illis.* Jure quidem. Nam in ore duorum testium stabit omne verbum (*Deut.* 17. 6). Et hi eadem ipsa loquuntur. *In veste*, inquit, *alba.* Quemadmodum jam ante ad monumentum angelum viderant in vestibus fulgidis, qui prædixit illis quid in animo versarent (*Matth.* 28. 23. 4. 5) : sic et assumptionis ejus præco angelus est. Quod etiam prophetæ sæpe prædixerant, ut et ea quæ resurrectionem spectabant[1].

4. Ubique angeli nuntii sunt : sic in natali, sic ad Mariam, sic in resurrectione, perindeque in assumptione : imo etiam in secundo adventu angeli præcurrentes videbuntur. Cum dixissent autem, *Hic Jesus*, *qui assumptus est a vobis*, ne consternarent illos, adjiciunt, *Sic veniet.* Paulum respirarunt audientes ipsum rediturum esse, et sic rediturum, nec inaccessum fore. Illud vero, *A vobis* ; non sine causa additur ; sed ejus erga illos amorem declarat, et electionem ipsorum, innuitque non relicturum esse eos quos elegit. Resurrectionis ergo suæ ipse testis fuit (imo eorum, quæ ante

[1] Qui clauditur uncinis locus sic habetur in Græco : τί γὰρ ἔδει τοὺς εἰδότας τὴν πατρίδα μαθεῖν, εἰ μὴ τοῦτο ἦν ; quorum sensus est : *Quid enim necesse erat* (discipulos), *qui certe patriam suam norant*, *illius nomen audire*, *nisi ut angelis crederent ?*

[2] In Græco legitur κολακευόντων. Alius legisse videtur κολαζόντων, qui vertit *castigantium.* Nostra lectio cum sequentibus magis consentire videtur. Illa tamen alia ferri posset.

[1] Alius sic habet ; *Quod autem prophetæ illam assumptionem non prædixerint nihil mirandum : supervacaneum enim erat de illa speciatim loqui*, *quandoquidem ipsa et resurrectio una et eadem cogitatione comprehenduntur.*

partum, atque etiam post partum contigerunt, illud maxime mirandum, quod seipsum suscitaverit. Nam ait: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* 2. 19): futurum autem adventum angeli ita indicant, *Sic veniet.* Si quis ergo Christum videre cupit; si quis dolet quod illum non viderit: his auditis, admirandam vitam exhibeat, et sic videbit, nec aberrabit a scopo. Nam cum majore venturus est gloria; sed sic cum nube, sic cum corpore: ac longe mirabilius erit sic ipsum videre de cælo descendentem, quam a terra ascendentem. Venturum igitur dixerunt: qua vero de causa venturus sit, non addiderunt. Hoc resurrectionem confirmat. Si enim cum corpore assumptus est, multo magis cum corpore resurrexit. Ubinam sunt ii, qui resurrectioni non credunt? qui sunt illi, dic mihi, gentiles an Christiani? Id certe nescio; imo potius probe novi. Gentiles quippe sunt, qui creationi non credunt. Eorumdem enim est, non concedere, Deum posse aliquid ex nihilo creare, et negare, ipsum posse ea suscitare, quæ sepulta sunt. Deinde pudore affecti, quod non cognoscant virtutem Dei, ne ideo incusentur, dicunt: Non ideo hoc dicimus, sed quod corpore non sit opus. Apposite dicatur, *Stultus stulta loquetur* (*Isai.* 32. 6). Non vos pudet, Deo potestatem auferre aliquid ex nihilo creandi? Si ex præexistentibus creat, in quo ergo differt ab hominibus?

Contra Manichæos hic pluribus agit.— Sed unde, inquiunt, mala? An quia ignoras unde, aliud debes inducere malum in cognitione malorum? Duo enim hinc absurda sequuntur; alterum quod sic loqui audeas: nam si negas Deum ex nihilo creare, multo magis ignorabis unde mala sint: alterum vero, quod sic ingenitam malitiam dicas (*a*). Cogita quam operosum sit, fontem malorum reperire, hunc ignorare, et alterum huic addere. Quære unde mala veniant, nec blasphemes contra Deum. Quomodo blasphemo, inquies? Quid dicis? non blasphemas, quando malum inducis ingenitum? cum illi potestatem tribuis divinæ parem, virtutem malorum æqualem? Ingenitum malum? Vide quid Paulus dicat: *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* 1. 20). Certe diabolus utraque dicit esse ex materia, ut nulla ex re Deum cognoscamus. Quid enim, quæso, difficilius est, id quod natura sit malum facere bonum[1]; si tamen ullum est (loquor enim secundum vestram opinionem: natura quippe nihil potest fieri malum, quod bonis sit adjumento), an creare ex non exstantibus? Quid est facilius (de qualitate loquor), an qualitatem quæ non sit inducere, aut quæ sit in contrarium mutare? quid facilius, domum quæ non sit struere, an desertam restaurare? Planum est illud esse facilius. Ergo hoc impossibile est; sicut autem hoc fieri nequit, ita et illud impossibile est, nempe in contrarium operari.

5. Dic mihi, quid difficilius est, unguentum conficere, aut luto vim inferre, ut ea quæ unguentum operetur? Utrum, quæso, eorum facilius est? (quandoquidem Deum ratiociniis nostris subjicimus; at non nos, absit; sed vos id facitis) oculos formare, an facere, ut cæcus manens cæcus videat, et acutius vidente, cæcitate ad visum utatur, surditate ad auditum? Videtur mihi prius illud facilius. Quod ergo difficilius est, Deo concedis, quod facilius non item? Sed quid in his insisto? Etiam animas dicunt ex substantia Dei esse. At vide quanta impia et stulta proferant. Dum probare nituntur, mala ex Deo esse, aliud magis impium inducunt: nam illa ipsi contemporanea, nec Deum illis antiquiorem esse statuunt, tantam illis prærogativam dare non veriti. Secundo etiam malitiam statuunt immortalem. Quod enim ingenitum est, numquam interit. Videtis blasphemiam? Itaque necesse est, aut nihil a Deo esse; aut si hæc non sunt, ne Deum quidem esse. Tertio, ut jam dixi, hinc illi secum pugnant, et majorem Dei in se indignationem provocant. Quarto, quod huic non subsistenti materiæ tantam vim tribuant. Quinto, quod malitiam bonitatis Dei causam fuisse dicant, quodque sine hac, aiunt, bonus ille non esset bonus. Sexto, quod viam nobis præcludant perveniendi ad cognitionem Dei. Septimo, quod Deum ad homines deducant, imo ad plantas et ligna. Etenim si anima nostra ex Dei substantia est, eademque anima demigrat in varia corpora, in cucumeres, in peponas, in cepas: ergo Dei pariter substantia in cucumeres abit. Jam si dixerimus Spiritum sanctum efformasse templum in Virgine, nos illi derident: si dicamus, habitasse in spirituali templo, rursus irrident. Nec pudet illos Dei substantiam in cucumeres, in peponas, in muscas, bruchos et asinos deducere, nova idololatriæ specie reperta. At non cepa, inquit, in Deo est; sed Deus in cepa: neque enim cepa Deus fuerit. Cur refugis Dei demigrationem in corpora? Turpis res est, inquit. Multo certe turpius hoc est. At non turpis res est. Quomodo? Quandoquidem si in nobis fiat, vere turpe est. Videtisne fæcem impietatis? Sed cur nolunt corpus resurgere? Quid hic dicent? Quia corpus mala res est? Et quomodo, quæso, Deum nosti? unde rerum notitiam habes? Quo pacto philosophus est philosophus, si nihil efficit corpus? Destrue sensus, et disce aliquid eorum quæ scire est opus. Quid autem insipientius esset anima, si ab initio sensus haberet vitiatos? Nam si una corporis parte vitiata, nempe cerebro, tota ipsa læditur; si cætera quoque vitientur, in quo utilis erit? Ostende mihi animam sine corpore. Annon audis medicos dicentes, Morbus vehementer obscurat animam? Quousque vos strangulare differetis? Num, quæso, corpus ex materia est? Recte quidem. Ergo ipsum odisse oportuit: cur ergo ipsum alis, cur foves? (*a*) [Ergo teipsum inter-

[1] In uno Codice legitur, *id quod natura sit malum facere malum.* Omnino assentior Donnæi conjecturæ apud Savilium, qui putat legendum, *id quod natura sit malum facere bonum.*

(*a*) Hæc erat Manichæorum opinio, qui malitiam, seu malum, non nasci, sed semper exstitisse putabant. Bonum et malum deum esse asserebant, qui inter se pugnarent. Quod erroris monstrum ante Christi adventum apud gentiles in Ægypto fuerat, qua de re Plutarchus in libro de Iside et Osiride. Infra quoque contra Manichæos agit Chrysostomus.

(*a*) Quæ uncinis clauduntur desunt in quibusdam Mss.

ficere debuisti?] Ergo te ab hoc carcere liberare oportuit? Alioquin vero Deus non potest vincere materiam, nisi cum illa misceatur. Non potest enim illi præcipere, donec cum illa fuerit, ac per totam pervadat. O imbecillitatem! Rex imperando facit omnia; Deus vero malis non imperat? In summa, nisi materia boni cujuspiam esset particeps, subsistere non posset. Malitia enim subsistere nequit, nisi virtuti admisceatur: proinde nisi fuisset admixta virtuti, jamdiu periisset: nam hæc est malorum conditio. Sit quispiam lascivus, qui sui impotens omnino sit, an vivet decem dies? Sit latro quispiam, qui nulla retinente conscientia in omnes etiamque in consceleratos grassetur, num vixerit omnino? Sit aliquis fur impudens, qui sine rubore palam furetur, num diu superstes erit? Malorum natura talis est, ut nisi boni quidpiam habeant, stare non possint: sic illa Deus, ut illi dicunt, constituit. Sit civitas improborum hominum, an stabit umquam? Stent mali, non contra bonos, sed contra seipsos, certe stare nequeunt. *Vere stulti facti sunt, cum dicant se esse sapientes* (*Rom.* 1. 22). Si corpus malum est, frustra facta sunt omnia quæ conspiciuntur, aqua, terra, sol, aer. Nam et aer corpus est [1], etiamsi non [densum et] solidum. Opportune ergo dicatur: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes* (*Psal.* 118. 85). Verum hæc ne toleremus, sed aures ab illis avertamus. Est enim, est utique corporum resurrectio. Hoc declarat sepulcrum Jerosolymis, necnon lignum, cui fuit alligatus, ut flagellis cæderetur. *Comedimus enim*, inquit, *et bibimus cum illo* (*Act.* 10. 41). Credamus ergo resurrectioni, et quæ hac digna sint operemur, ut futura consequamur bona, in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Morel. legit..., *aqua, terra, sol, homo. Nam et homo corpus est*; male.

HOMILIA III.

CAP. 1. v. 12. *Tunc reversi apostoli Jerosolymam a monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter.*

1. *Tunc*, inquit, *reversi sunt*. Tunc, quandonam? Postquam illa audierant, non enim alio modo id sustinuissent, nisi alter adventus illis promissus fuisset. Videtur autem mihi hæc in sabbato gesta fuisse. Alioqui non spatium itineris sic indicasset, *A monte qui dicitur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter*; nisi præscriptum fuisset itineris spatium, quod peragi posset in die sabbati. 13. *Et cum introissent, in cœnaculam ascenderunt, ubi erant permanentes*. Ergo post resurrectionem Jerosolymis manebant. *Petrus, et Jacobus, et Joannes*. Non jam hic solus cum fratre numeratur; sed et Andreas cum Petro; *et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes et Judas Jacobi*. Recte discipulos memoravit. Quia enim alius prodidit, alius negavit [1], alius non credidit; declarat omnes, uno excepto proditore, salvos fuisse. 14. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione et deprecatione cum mulieribus*. Recte. Magnum enim oratio telum est in tentationibus, et ad hoc a Magistro suo satis fuerant instituti. Alioquin vero præsens tentatio ad hoc illos ducebat. Idoque ascendunt in cœnaculum: admodum enim timebant Judæos. *Cum mulieribus*. Jam enim dixerat illas Jesum sequutas fuisse. *Et Maria matre Jesu, et cum fratribus ejus* (*Joan.* 19. 26). Quomodo autem dictum est, discipulum eam tunc in sua recipisse? Sed cum congregasset illos Christus, cum ipsis iterum illa versabatur. *Et cum fratribus ejus*. De iis loquitur, qui prius non credebant in eum. 15. *Et in diebus illis, surgens Petrus in medio discipulorum dixit*. Utpote fervens, cui grex a Christo concreditus erat, atque ut primus in choro, primus semper sermonem orditur (*Erat autem turba hominum simul fere centum viginti*): 16. *Viri fratres, oportebat impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus sanctus*. Cur non solus a Christo petiit, ut sibi daret aliquem in locum Judæ? cur item non per seipsos electionem faciunt? Jam Petrus seipso melior factus erat. Sic ergo ad priorem quæstionem respondendum: cur autem non simpliciter, sed ex revelatione choream impleri postularint, duas causas afferemus. Prima est, quod aliis rebus incumberent; secunda, quod hoc maximum esset argumentum, Christum illis adesse. Ut enim præsens eligebat, ita et absens. Nec parum id ad consolationem conferebat. Vide autem quomodo Petrus omnia ex communi sententia faciat, nihilque cum auctoritate vel cum imperio. Neque simpliciter dixit: Loco Judæ hunc eligimus; sed consolans illos super eo, quod acciderat, vide quomodo sermonem temperet. Neque enim facinus illud parvam illis consternationem attulerat; et ne mireris. Nam si illud hodieque multi versant, quid tunc illis accidisse putandum? *Viri fratres*, inquit. Si Dominus illos fratres appellavit, multo magis hic: ideo præsentibus omnibus, sic illos affatur. Ecce Ecclesiæ dignitatem et angelicum statum. Nullus erat ibi ab aliis divulsus, non mas, non femina. Tales nunc etiam Ecclesias esse volo. Nemo ibi sæculare quidpiam curabat; nullus erat de re domestica sollicitus. Tantum boni afferunt tentationes, tantum ærummæ lucrum. *Oportebat impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus sanctus*. Semper consolatur eos a prædictione. Sic etiam Christus ubique facit. Eodemque modo hic ostendit nihil stupendum accidisse, sed quod jam prædictum fuerat. *Oportebat*, inquit, *impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus sanctus per os David*. Non ait: David dixit, sed, Spiritus per eum.

[1] Hæc, *alius negavit*, desunt in quibusdam exemplaribus.

Vide statim in exordio libri, qua utatur doctrina. Cernis vero me non sine causa in principio operis dixisse, hunc librum esse Spiritus sancti institutum? *Quam prædixit*, inquit, *Spiritus sanctus per os David.* Animadverte, quomodo prophetam sibi accommodet, ipsumque in medium adducat; sciens ipsis utile fore, quod hæc a Davide, non ab alio propheta dicta sint. *De Juda*, inquit, *qui fuit dux.* Hic perpende viri philosophiam. Non contumeliam dicit, non insultat, nec vocat scelestum aut exsecrandum; sed rem simpliciter narrat, nec vocat eum proditorem; sed in alios crimen detorquet quantum potest. Ac neque illos vehementer exagitat. *Qui fuit*, inquit, *dux eorum, qui comprehenderunt Jesum.* Ac priusquam dicat, ubi hoc prædixerit David, narrat quæ fecerit Judas, ut ex præsentibus futura indicet, ostendatque ipsum jam pœnas dedisse. 17. *Qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus.* 18. *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis.* Moralem reddit sermonem, et latenter subindicat, rem esse ad correptionem aptam. Non dicit Judæos, sed ipsum possedisse agrum. Quia enim imbecillorum animi non ita futura ut præsentia perspiciunt, de præsenti ultione loquitur. *Et suspensus crepuit medius.* Recte non in peccato, sed in ultione insistit. *Et effusa sunt*, inquit, *omnia viscera ejus.* Hoc illis consolationem afferebat. 19. *Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Aceldama, hoc est, ager sanguinis.*

2. Judæi ergo hoc nomen agro dedere, non ob agrum ipsum, sed ob Judam: nam is agro nomen indidit. Et testes affert inimicos: id enim significat, cum dicit, ipsos appellavisse, et cum addit, *Lingua eorum.* Deinde post eventum, apposite prophetam adducit dicens: 20. *Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea* (*Psal.* 68. 26). Hoc de agro et de domo dicitur. *Et episcopatum ejus accipiat alter*; hoc est, principatum, sacerdotium. Itaque hæc non meo fiunt, sed ejus, qui hæc prædixit, consilio. Ne videretur enim magnam rem aggredi, et qualem Christus ipse fecisset, prophetam testem adhibet. 21. *Oportet ergo*, inquit, *ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore.* Cur cum illis hoc communicat? Ut ne contentio hac de re oriretur, et ne mutuo litigarent. Nam si id ipsis accidit, multo magis illis accidisset (*a*). Hoc vero semper devitat. Ideo in principio dicebat, *Viri fratres, oportet eligere ex nobis.* Multitudini permittit judicium, simul eos, qui eligebantur, venerandos reddens, seque liberans ab invidia, quæ suboriri poterat. Nam hæc magna sæpe solent parere mala. Quod igitur sic fieri oporteat, prophetam adducit testem: ex quibus vero electionem fieri oporteat, interpretatur ipse dicens, *Ex iis, qui nobiscum congregati sunt, in omni tempore.* Si enim dixisset, Dignos oportet adesse, cæteros affecisset contumelia. Nunc autem tempori rem commisit; nec dixit simpliciter, *Qui congregati sunt*, sed addidit, *In omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus*, 22. *incipiens a baptismate Joannis, usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Ad quid illud? Ne chorus numero truncatus esset. Quid ergo? an Petrum ipsum eligere non licebat? Licebat utique; sed ne videretur ad gratiam facere, abstinet. Alioquin vero nondum Spiritus particeps erat. 23. *Et statuerunt*, inquit, *duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Matthiam.* Non ipse illos statuit, sed omnes. Consilium vero ipse protulit, ostendens non suum esse, sed jam olim in prophetia efferri. Itaque interpres fuit, non præceptor. *Joseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus.* Forte quod plures cognomines essent, utrumque posuit: nam inter apostolos quoque complures erant cognomines, Jacobus Zebedæi, Jacobus Alphæi, Simon Petrus, Simon Zelotes, Judas Jacobi, et Judas Iscariotes. Alioquin vero poterat appellatio esse vel ex vitæ mutatione, vel ex ipsius voluntate. « Statuerunt, » inquit, « Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Matthiam. 24. « Et orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, 25. accipere sortem ministerii hujus et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. » Recte memorant illius peccatum, declarantes se testem quærere, non augentes numerum, sed non imminui sinentes. 26. « Et dederunt sortes eis (nondum enim Spiritus datus erat), et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim apostolis. Tunc, inquit, reversi sunt Jerosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerosolymam, sabbati habens iter. » Hoc ait ut innueret ipsos non longum iter suscipere, ne quid terroris accideret trementibus adhuc ipsis et metuentibus. *Et cum introissent, ascenderunt in cœnaculum.* Non enim audebant in civitate comparere. Et recte ascenderunt in cœnaculum, ut non facile esset ipsos comprehendere. *Et erant*, inquit, *perseverantes unanimiter in oratione.* Viden' quam vigiles essent in oratione perseverantes, idque unanimiter quasi uno eodemque animo? Hæc duo de illis testificatur. Joseph fortasse mortuus erat (*a*). Non enim, fratribus credentibus, ipse non credidisset, qui ante omnes crediderat. Certe non videbatur usquam ille Christo ut homini attendere, ut Mater dicebat, *Ego et pater tuus dolentes quærebamus te* (*Luc.* 2. 48). Itaque ante omnes ille Dominum noverat. Fratribus vero dicebat Christus: *Non potest mundus vos odisse, me autem odit* (*Joan.* 7. 7). Vide autem Jacobi modestiam. Ille namque Jerosolymorum episcopatum accepit, et tamen hic nihil loquitur. Aliorum quoque discipulorum summam humilitatem considera, quo pacto illi thronum concedunt, neque jam mutuo disceptant. Illa enim Ecclesia quasi in cælis posita erat, sæculare nihil habens, non parietibus, non marmoribus, sed

(*a*) Id est, si apostolis accidit ut de primatu contenderent; multo magis accidere poterat, ut qui eligendi erant in locum Judæ, inter se contenderent.

(*a*) Joseph sponsus Mariæ videtur mortuus fuisse ante ascensionem

eorum qui convenerant fervore resplendens. *Erant*, inquit, *fere centum viginti*. Forte septuaginta, quos ipse elegerat, sive alii quoque ex ferventioribus, quales erant Joseph et Matthias : et mulieres multæ quæ sequebantur illum, simul ubique aderant.

3. Hæc doctoris providentia. Primus hic doctorem constituit. Non dixit, Nos ad docendum sufficimus : ita procul erat a vana gloria, et ad unum tantum spectabat, quamquam non pari forma apud omnes ejus vigebat auctoritas. Sed jure hæc sic gerebantur ob virtutem viri; et quod nunc præfectura non honor esset, sed providentia erga subditos. Ea res non sinebat electos efferri; ad pericula enim vocabantur; neque eos qui electi non fuerant, ut inhonoratos dolere. At nunc non ita se res habet, sed contra omnino. Vide namque, centum viginti erant, et unum postulat ab omni multitudine; et jure quidem. Primus auctoritatem habet in negotio, ut cui omnes commissi fuissent. Huic enim Christus dixerat : *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* (*Luc*. 22. 32). Quia, inquit, *Connumeratus erat in nobis*, ideo oportet alium proponere, qui illius loco sit testis. Et vide, quomodo doctorem suum imitatur, ubique ex Scripturis disserens; nec quidquám de Christo loquens, quod nempe id ille sæpe prædixisset. Neque dicit ubi Scriptura proditionem ejus memoret; nempe, *Os peccatoris et os dolosi super me apertum est* (*Psal*. 108. 2); sed ubi tantum illius supplicii meminit : hoc enim interim illos scire juvabat. Illud vero maxime Domini benignitatem declarat. Quoniam, inquit, *Connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus*. Sortem ubique vocat, ostendens totum a gratia Dei et ab ejus electione esse, et vetera ipsis in mentem revocans, quod nempe Deus ipsis sortem dederit, ut olim Levitis. Et immoratur iis quæ dicuntur de Juda, quod nempe proditionis merces, vindictæ sit præco. *Possedit*, inquit, *agrum de mercede iniquitatis*. Vide quomodo hoc ex divina dispensatione factum fuerit. *Iniquitatis*, inquit. Multæ sunt iniquitates, sed hac nihil iniquius umquam factum est. Itaque iniquitatis erat negotium. Nec præsentibus tantum notum fuit, sed etiam posteris omnibus : ita ut vel inviti et inscii locum nominarent, quemadmodum et Caiphas prophetavit inscius. Deus compulit eos ut Hebraice nomen darent Aceldama. Hinc declarabantur mala Judæos invasura. Atque ostendit hanc prophetiam ex parte completam : *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille* (*Matth*. 26. 24). De Judæis quoque eadem dicere par est. Etenim si dux plexus fuit, multo magis hi. Sed horum nihil adhuc loquitur. Deinde ostendens de ipso jure dici illud Aceldama, inducit prophetam dicentem : *Fiat habitatio ejus deserta* (*Psal*. 68. 26). Quid enim desertius sepulcro? Ideo sic jure debuit ager vocari. Qui enim pretium numeravit, etiamsi alii emerint, ille merito censeri debet causa esse tantæ desolationis. Hæc porro desolatio principium est Judaicæ desolationis, si quis diligenter expendat. Nam et ipsi seipsos fame occiderunt, multosque interemerunt, et urbs ipsa sepulcrum fuit hospitum et militum. Illos vero ne sepeliri quidem sinebant, ut sepultura indignos. *Oportet igitur*, inquit, *ex his viris qui nobiscum sunt congregati*. Vide, quomodo vult illos testes oculatos fuisse, etiamsi adventurus esset Spiritus : attamen magnam hujus rei curam habebat. *Ex viris*, inquit, *qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus*. Significat ipsos habitasse cum illo, nec simpliciter fuisse discipulos. Nimirum a principio multi sequebantur eum. Vide igitur quomodo dicat : *Erat unus ex duobus qui audierant a Joanne, et sequuti sunt Jesum* (*Joan*. 1. 40). *In omni tempore*, inquit, *quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus incipiens a baptismate Joannis*. Recte etenim, quæ prius gesta fuerant, nemo noverat edoctus, sed a Spiritu didicerunt. *Usque in diem*, inquit, *qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis*. Non dixit, Cæterorum testem; sed, *Testem resurrectionis*, tantum. Nam fide dignior erat is, qui dicere poterat : Qui edebat, bibebat, et crucifixus est, is ipse resurrexit. Itaque neque præteriti, neque sequentis temporis, neque signorum testem esse oportebat, sed resurrectionis tantum. Illa namque manifesta et in confesso erant; resurrectio autem clam facta fuerat, hisque solum nota erat. Neque dicunt : Angeli dixerunt nobis; sed, Nos vidimus. Undenam id manifestum est? Ex miraculis quæ facimus. Ideo tunc potissimum illos fide dignos esse oportuit. *Et statuerunt*, inquit, *duos*. Cur non plures? Ne major fieret animorum perturbatio, neve res in multos extenderetur. Nec sine causa Matthiam adjicit, sed ut ostendat eum, qui apud homines honorabilis est, apud Deum esse inferiorem. Et simul omnes precantur dicentes, *Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende*. Tu, non nos. Opportune cordium cognitorem vocant : ab illo enim electio facienda erat, non ab aliis. Sic confidenter loquebantur, quia oportebat omnino unum eligi. Neque dixerunt, Elige; sed, Ostende electum, *Quem elegeris*, inquit : scientes omnia a Deo prædefinita esse. *Ex his duobus unum accipere sortem ministerii hujus et apostolatus*. Erat enim etiam aliud ministerium. *Et dederunt sortes eis*. Nondum enim se dignos esse putabant, qui ex sese ipsi facerent electionem : ideo cupiunt aliquo signo edoceri.

4. Alioquin vero, si ubi nec precatio erat, neque digni viri aderant, tantum valuit sors, eo quod recto animo fieret, nempe super Jona : multo magis hic, ubi chorum explevit, ubi ordinem perfecit. Neque alter doluit; non enim id tacuissent apostoli, qui non abstinuerunt a referendis etiam præcipuorum apostolorum vitiis, quando nempe indignati sunt non semel, sed bis et pluries. Hos itaque et nos imitemur. Non omnibus loquor, sed iis, qui principatum affectant. Si credis electionem a Deo esse, ne indigneris : adversus illum enim indignaris et irritaris : ille est qui elegit. Si autem elegit ille, et sic indignari audes, idipsum facis quod Cain. Cum enim approbare oportuisset, ægre et indigne tulit ille, quod fratris sui victima acceptior esset; quando compungi oportebat.

Ego vero non hoc dico, sed quod Deus sciat rem utiliter dispensare. Sæpe namque tu, qui moribus es modestioribus, non tamen idoneus es. Rursus est tibi vita inculpata moresque liberales sunt : neque tamen in Ecclesia hæc satis sunt. Alioquin vero alius ad aliud est idoneus. Annon vides, quantam harumce rerum rationem habeat divina Scriptura?

Episcopi officium.—Sed dicam, qua de causa hac de re dissidia oriantur : quia nempe non quasi ad præfecturam et patrocinium fratrum accedimus, sed quasi ad honorem et requiem. Si scires enim episcopum omnium esse, omnium onera ferre oportere ; quod aliis irascentibus venia detur, illi vero minime ; quod aliis peccantibus excusatio multa, ipsi vero nulla sit : ad hanc dignitatem non accurrisses. Hic enim omnium linguis expositus est, omnium judicio, sapientium et insipientium : quotidianis curis atteritur, imo et nocturnis : multorum odio, multorum invidiæ patet. Ne mihi enim de illis loquaris, qui omnia ad gratiam faciunt, et dormire cupiunt, qui ad hoc negotium quasi ad requiem accedunt. De his non loquor, sed de iis, qui vigilant pro animabus vestris, qui subditorum salutem suæ anteponunt. Dic mihi : si is, qui decem filios habet subditos, secum semper habitantes, sine intermissione curam illorum habere cogitur ; is, qui tot habet, non sub manu positos, non cohabitantes, sed auctoritati suæ obsequentes, qualem esse oportet? Sed, inquies, in honore habetur. In quo honore? Pauperes vilissimi in foro ipsum conviciis lacerant. Cur ergo illis non os occludit? Belle sane ; sed non opus episcopi narras. Rursus nisi omnibus largiatur, tam otiosis, quam iis, qui operantur, mille undique criminationibus impetitur : nemo timet illum accusare et criminari. Nam erga principes metus cohibet, erga hos minime. Apud illos enim timor Dei nihil valet. Quis repræsentare possit curam de verbo et doctrina, difficultatem in ordinationibus? Fortasse vel ego admodum imbecillus sum, miser, et nullius pretii ; vel res ita se habet, ut dico. Sacerdotis anima nihil differt a navi fluctibus agitata : undique pungitur, ab amicis, ab inimicis ; a suis, ab alienis. Annon orbis est Imperatori subditus ; hic vero unam tantum civitatem regit? At tanto majores sunt hujus sollicitudines, quanto majus est pelagus tumens ac furens aqua fluminis. Quam tandem ob causam? Quia illic multi sunt ministri, omniaque lege et mandato peraguntur ; hic vero non item : neque enim licet ex auctoritate præcipere ; verum si admodum commoveatur, crudelis audit ; sin parum, frigidus dicitur. Oportet autem hæc duo contraria concurrere, ita ut nec contemptus, nec odium excitetur. Alioquin vero ipsa negotia præoccupant. Quot homines cogitur offendere, velit nolit? in quot alios invitus aspere agere? Non alio modo loquor, quam ut affectus sum. Non multos puto sacerdotes salvos fieri, sed longe plures perire, non alia de causa, quam quod res magnum postulet animum. Multis enim necessitatibus a propriis pellitur moribus, et innumeris undique opus habet oculis. Non vides quam multa opus sit episcopo adesse? Ut doctrina polleat, ut sit patiens, ut fidelem sermonem in doctrina servet (1. *Tim.* 3. 2. *Tit.* 1. 7). Quantæ hoc difficultatis? Aliorum peccatis ipse obnoxius est. Alia non memoro ; sed si vel unus decedat non initiatus, annon id totam ipsius salutem subvertit? Unius enim animæ pernicies tantum est damnum, ut nullo possit exprimi sermone. Si enim ejus salus tanti est, ut pro illa Filius Dei homo factus et tanta passus sit, ejus pernicies cogita quantum afferet supplicium. Si is, per quem alius perit, in hac vita morte dignus est, multo magis ille. Ne mihi dixeris, Peccavit presbyter aut diaconus : hæc omnia in caput ordinantium referuntur. Aliud iterum dico. Contingit, ut quis successionem excipiat improborum hominum : dubitat ille, quid consilii capere oporteat circa præterita peccata. Duo enim sunt præcipitia, atque oportet neque illum dimittere, neque alios offendere. An exscindendus est prior? Verum causa non adest. An dimittendus? Etiam, inquies : nam ejus est culpa qui ordinavit. Quid ergo? non oportet ordinare, neque ad alium gradum evehere? Sed hinc omnibus palam erit, illum esse improbum. Itaque rursus alio offendit modo. Num ad majorem gradum promovendus est? Hoc multo deterius est.

5. *Onus episcopatus non ambitur, sed dignitas.*—Itaque si quis ad summum sacerdotium accesserit velut ad sollicitudinem, nemo illud facile susceperit. Nunc autem velut externos magistratus illud affectamus. Nam ut gloria et honore apud homines afficiamur, apud Deum perimus. Quod honoris lucrum? quam clare probatur nihil esse? Quando sacerdotium concupiscis, ex adverso pone gehennam, perpende rationes illic reddendas : ex adverso pone vitam a curis liberam, pone supplicii mensuram. Quoniam si privatim pecces, nihil tale passurus es : si vero sacerdos sis, periisti. Cogita, quanta passus, quanta philosophia usus sit Moyses, quanta exhibuerit bona, et tamen quod unum peccatum admiserit, acerbe plexus est ; ac merito : quoniam id cum aliorum jactura factum est. (*a*) Itaque graviores pœnas dedit, non quod palam factum sit, sed quod sacerdotis peccatum esset. Non enim pari modo plectimur pro manifestis et pro occultis. Peccatum enim idem est, pœna non eadem ; imo ne peccatum quidem est idem : neque enim idem est, occulte peccare, et palam id audere. Episcopo autem non licet clam peccare. Optandum enim illi esset non peccantem a criminationibus liberari ; tantum abest ut peccans id possit. Si irascatur, si rideat, si vel per somnum quietem expetat, multi conviciis incessunt, multi offenduntur, multi leges præscribunt, multi priscos repetunt memoria, et præsenti improperant : hocque faciunt [1],

[1] Illud, *hocque faciunt*, deest in Savil. et in uno Cod.; sed habetur in aliis Codd., et lectum est ab Erasmo.

(*a*) Quæ sequuntur, vitiata apud Morel., ex Savilio et ex Manuscriptis restituta sunt. In Morel. quippe voces quædam substituuntur, quæ seriem turbant, aliæ omissæ voces hiatum efficere videntur

non quod illos laudare, sed quod hunc mordere velint, coepiscopos et presbyteros memorantes. Dulce, aiunt, bellum inexpertis. Hoc et nunc dicere par est; imo etiam dicimus antequam in certamen veniamus; cum autem eo venimus, non a vulgo cognoscimur. Non est enim jam nobis bellum contra eos, qui pauperes opprimunt, neque gregem defendimus; sed ut pastores illi ab Ezechiele (*Cap.* 34. 2) memorati, mactamus et devoramus. Quis nostrum tantam curam exhibet circa greges Christi, quantam Jacob circa greges Labani? quis describere possit nocturnum gelu? Ne mihi dixeris pervigilia tantamque exhibitam curam. Totum igitur contrarium est. Consules et præfecti non tanto fruuntur honore, quanto is qui præest Ecclesiæ. Si in regiam ingrediatur, quis primus est? si apud matronas, si in procerum ædes, nemo illi anteponitur. Omnia perierunt et corrupta sunt. Hæc dico, non ut vos pudore suffundam, sed ut vestram cohibeam cupiditatem. Quo uteris conscio, si ambias vel per te vel per alium? quibus oculis respicies eum qui tibi fuit auxilio? quid poteris ad tui defensionem proferre? Nam qui invitus coactus fuit, aliquam habet excusationem, etiamsi plerumque hic quoque nullam habeat veniam: cæterum aliquam tamen excusationem habet. Cogita, quid acciderit Simoni. Quid enim refert, si argentum non dederis; si argenti loco, aduleris, et machinas adhibeas? *Argentum tuum tecum sit in perditionem* (*Act.* 8. 20). Hoc illi dixit; hisque dicet: Ambitio vestra vobiscum sit in perditionem, quia putastis vos humana circuitione donum Dei possessuros esse. At nullus talis est? Utinam non sit. Cuperem sane horum nihil ad vos pertinere: nunc autem ex verborum serie in hos incidimus sermones. Neque enim, quando avaritiam insectamur, contra vos loquimur, sed neque contra unum quidem. Utinam vero hæc pharmaca a nobis frustra parentur: hæc sunt medicorum vota, nihil aliud postulantium, quam ut post multum laborem remedia frustra parata projiciantur. Hæc et nos optamus, ut verba nostra frustra et in aerem abeant, et verba tantum sint. Equidem paratus sum ad omnia sustinenda, ut non sit opus hæc dicere. Quin si vultis, tacebimus, dum silentium sit sine periculo. Neque enim puto quempiam quantumvis vanæ gloriæ cupidum, nisi vocet necessitas, velle frustra sese efferre. Concedemus vobis doctrinam: hæc quippe major doctrina, quæ factis docet. Quandoquidem et optimi medici, etiamsi ægrorum morbi mercedem ipsis pariant, malint tamen amicos suos bene valere. Et nos cupimus omnes bene valere. Non enim cupimus nos probatos esse, vos autem reprobos. Vellem, si fieri posset, meam erga vos caritatem ipsis oculis exhibere: nullus enim postea me redargueret, etiamsi aspero sermone uterer. Nam *Fide digniora sunt vulnera amici, quam spontanea oscula inimici* (*Prov.* 27. 6). Nihil mihi carius vobis, ne ipsa quidem lux. Optarim enim vel millies excæcari, si sic animas vestras convertere possem: sic mihi salus vestra ipsa luce dulcior est. Quid enim prosunt mihi solares radii, si dolor propter vos ortus, oculos tenebris offundat? Tunc lux bona est, quando cum lætitia prodit: mœrenti quippe animæ molesta est. Quod vero non mentiar, utinam numquam contingat experimento discere. Cæterum si quando contigerit quempiam vestrum peccare, dormienti mihi adeste; peream, si non paralyticis aut mente captis similis sim, secundum propheticum dictum, *Et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum* (*Psal.* 37. 10). Quæ enim nobis spes, vobis non proficientibus? quis mœror esse possit, vobis, præclare agentibus? Ceu alis instructus videor, cum boni quidpiam de vobis audio. *Implete gaudium meum* (*Philipp.* 2. 2). Hoc solum in voto habeo, quod desiderem profectum vestrum. In hoc vero cum omnibus decerto, quod vos amem, quod complectar: quia vos mihi omnia estis, et pater, et mater, et fratres, et filii. Ne putetis eorum quidpiam, quæ a me dicuntur, ex odio proficisci, sed ad emendationem loquor. Nam *Frater*, inquit, *qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma* (*Prov.* 18. 19). Ne igitur indignemini: neque enim ego sermonem vestrum contemno, sed vellem a vobis emendari, vellem discere. Omnes enim fratres sumus, unus est autem Magister noster. Inter fratres vero par est, ut unus præcipiat, alii obtemperent. Ne igitur indignemini, sed omnia faciamus ad gloriam Dei; quia ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Cap. 2. v. 1. *Et cum compleretur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: 2. et factus est repente de cælo sonus.*

1. *Cur in Pentecoste advenit Spiritus sanctus.* — Quæ est hæc Pentecoste? Cum falx mittenda esset in messem, cum fructus essent colligendi. Vidisti typum[1]? Vide jam veritatem. Cum falx sermonis esset immittenda, cum messis colligenda, tunc Spiritus ut acuta falx advolat. Audi namque Christum dicentem: *Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem* (*Joan.* 4. 35): ac rursus, *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Luc.* 10. 2). Itaque ille prior falcem immisit. Ille enim primitias ad cælum advexit, nostra assumpta natura: ideoque illud messem appellat. *Cum compleretur*, inquit, *dies Pentecostes*; hoc est, non ante Pentecosten, sed circa ipsam, ut ita dicam, Pentecosten. Oportebat enim hæc rursus festi tempore contingere, ut qui cruci Christi adfuerant, hæc quoque viderent. *Et factus est repente de cælo sonus.* Cur non id sine sensibilibus signis factum est? Quoniam, si re sic gesta dicebant, *Musto pleni sunt*, nisi res sic facta fuisset, quid non dixissent? Neque simpliciter sonus factus est, sed, *De cælo.* Et quia repentinus erat, excitavit illos

[1] In uno Codice homilia sic incipit: *Vidisti typum. Quæ est hæc Pentecoste?* etc.

Et replevit totam domum. Magnam dicit Spiritus vehementiam. Attende. Omnes illuc congregavit, ut et præsentes crederent, ac digni ostenderentur. Neque hoc tantum, sed et aliud longe terribilius adjecit. 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis*, inquit. Recte ubique additur illud, *Tamquam*, ne quid sensibile de Spiritu existimes. *Tamquam ignis*, inquit, et tamquam spiritus. Non erat ergo ventus simpliciter per aerem effusus. Nam cum Joanni Spiritus debuit innotescere, quasi in specie columbæ supra Christi caput venit (*Marc*. 1. 10. *Luc*. 3. 22. *Joan*. 1. 32) : nunc vero, cum tota multitudo convertenda esset, tamquam ignis venit. *Seditque supra singulos eorum*; id est, mansit, requievit; nam sedere, stare et manere significat. Quid vero? an in duodecim tantum venit, non in cæteros? Nequaquam; sed venit etiam in illos centum viginti. Neque enim sine causa Petrus prophetæ testimonium protulit dicens : *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus Deus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ; et juvenes vestri visiones videbunt, et senes vestri somnia somniabunt* (*Joel* 2. 28). Animadverte porro illum non modo ut percelleret, sed etiam ut gratia repleret, in Spiritu sancto et igni venisse : subjungit enim, 4. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. Non aliud signum accipiunt, sed hoc primum : novum enim erat, nec opus fuit alio signo. *Sedit*, inquit, *supra singulos eorum*. Ergo etiam supra illum, qui electus non fuerat. Ideo non jam dolet quod non electus fuerit ut Matthias[1] *Et repleti sunt*, inquit, *omnes*. Non gratiam Spiritus simpliciter acceperunt, sed illa repleti sunt. *Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. Non dixisset, *Omnes*, licet præsentes essent apostoli, nisi alii quoque participes fuissent. Alioquin autem, cum illos ante nominatim recensuisset, non illos nunc cum aliis jungeret in hoc negotio. Nam si, ubi dicendum tantum erat apostolos adfuisse, ipsos nominatim recensuit, multo magis hic illos distinxisset.

Spiritus sanctus in orantes descendit. — Animadverte autem, quomodo cum perseverant in oratione, cum caritatem servant, tunc Spiritus adveniat. In memoriam illis revocat alteram visionem, cum dicit, *Tamquam ignis*. Tamquam ignis enim apparuit in rubo. *Prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. Nam eloquia eorum quasi apophthegmata erant. 5. *Erant autem in Jerusalem*, inquit, *habitantes Judæi viri religiosi*. Hæc habitatio signum religionis erat. Quomodo? Cum e tot nationibus essent, patriam, domos, cognatos reliquerant, et illic habitabant. Nam ait : *Erant in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi, ex omni natione, quæ sub cœlo est*. 6. *Facta autem hac voce convenit multitudo, et mente confusa est*. Quia in domo res gesta est, jure qui foris erant accurrebant. Mente confusa est multitudo. Quid significat illud, *Confusa est*? Turbata, admirata est. Deinde admirationem illam declarans ita pergit : *Quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes*. 7. *Et convenit multitudo, et inter se dicebant : Nonne ecce isti omnes, qui loquuntur, Galilæi sunt?* Ad apostolos statim respiciunt. 8. *Et quomodo nos audimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, et Medi, et Elamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum et Asiam*, 10. *Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum et partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, et advenæ Romani*, 11. *Judæi quoque et proselyti, Cretes et Arabes : audimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei*. 12. *Stupebant autem omnes et mirabantur, ad invicem dicentes : Quidnam vult hoc esse?* Viden illos ab Oriente in Occidentem accurrentes[1]? 13. *Alii autem*, inquit, *irridentes dicebant, Quia musto pleni sunt*.

2. O vesaniam! o ingentem nequitiam! Atqui nec tempus erat vindemiæ : erat enim Pentecoste. Quodque gravius est, confitentibus omnibus, Romanis, proselytis, et forte ex iis qui crucifixerant, illi tam multis signis editis dicunt, *Musto pleni sunt*. Sed quæ supra dicta sunt repetamus. *Replevit*, inquit, *domum*. Spiritus quasi piscina aquæ fuit. Ignis vero et copiam et vehementiam significat. Nihil tale accidit in prophetis; sed nunc sic illis, prophetis autem alio modo. Capitulum enim libri datum est Ezechieli, et comedit ea quæ dicturus erat : *Factum est autem*, inquit, *in ore ejus ut mel dulcescens* (*Ezech*. 3. 3). Et rursum manus Dei tangit linguam alterius prophetæ (*Jer*. 1. 9). Hic vero ipse Spiritus sanctus est : sicque par est honore Patri et Filio. Rursusque alibi ait : *Lamentatio, et canticum, et væ* (*Ezech*. 2. 9). Illis ergo jure in libro datum est : nam similitudinibus egebant : remque illi habebant cum una tantum gente sibi propria : hi vero cum universo orbe, et cum iis quos non noverant. Elisæus per meloten gratiam accipit (1. *Reg*. 2); alius per oleum, ut David (1. *Reg*. 16. 13); Moyses per ignem rubi vocatur (*Exod*. 3. 2). Sed hic secus; ipse namque ignis insedit. Sed cur ignis non ita apparuit ut impleret domum? Quia exterriti fuissent. Sed ostendit idipsum evenisse. Ne attendas enim quod dixerit, *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ*, sed ignem fuisse consideres. Tantus ignis immensam sylvam potest incendere. Ac recte dicit, *Dispertitæ*. Ex una enim radice[2] erant; ut discas vim operandi esse a Paracleto missam. Perpende autem illos primum dignos declaratos esse, et hinc accepisse Spiritum sanctum, ut in Davide accidit : nam quæ ille in ovilibus fecerat, eadem fecit post victoriam et tropæum, ut palam esset fides ejus. Vide rursum Moysem qui ipse quoque regiam despiciebat (*Exod*. 2. 11), et post quadraginta annos rempublicam administravit; Samuelem in templo educatum (1. *Reg*. 3. 3);

[1] Alii legunt... « *supra singulos eorum*. » *Considera mihi quomodo non doleat quod non electus fuerit*.

[1] Unus habet : *Viden' unde aligerorum instar orbem terrarum percurrerint*. Hanc lectionem sequutus est Erasmus.

[2] Donnæus legit, *fonte*, pro, *radice*. Et infra... *a Paracleto missam : qui ignis instar peccata mundi quasi lignum combussit*.

Elisæum, qui omnia dimisit (3. *Reg.* 19. 21); Ezechielem item. Quod vero sic evenerit, liquet ex iis quæ sequuta sunt : nam hi sua omnia reliquerunt. Ideo tunc Spiritum accipiunt, cum virtutem suam ostendissent. Didicerant humanam infirmitatem per ea, quæ passi fuerant : didicerant se non frustra probe rem gessisse. Sic et Saül cum testimonium accepisset se bonum esse virum, Spiritum accepit; sed eo modo quo nunc discipuli, nemo; neque Moyses qui major prophetis erat. Nam ille, cum oporteret alios spirituales effici, imminutus est. Hic vero non eodem modo, sed quemadmodum ad ignem quot volet quivis lucernas accendet, nec minuet ignem, sic et apostolis tunc contigit. Nam per ignem non modo gratiæ ubertas ostendebatur; sed quisque fontem Spiritus accipiebat, ut dixit ille, eos qui in se crederent, accepturos esse fontem aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* 4. 14) : idque jure merito. Neque enim cum Pharaone disputaturi abierant, sed cum diabolo pugnaturi. Quodque mirabilius est, missi non repugnarunt, nec dixerunt se gracili voce et lingua tardos esse (*Exod.* 4. 10); Moyses enim illos ad hoc erudierat. Non dixerunt, se juniores esse; nam Jeremias illos instituerat (*Jer.* 1. 6). Atqui multa audierant terribilia, multoque, quam illi, majora : et tamen veriti sunt contradicere. Hinc palam est eos fuisse angelos lucis, et supernarum rerum ministros. Et illis quidem in terra agentibus nullus de cælo apparuit; sed postquam ascendit Homo sursum, Spiritus e supernis advenit; *Tamquam supervenientis*, inquit, *spiritus vehementis*. Hinc declarat fore, ut nihil possit ipsis obsistere, sed inimicos ab ipsis pulveris instar ventilandos esse. *Et replevit totam domum.* Domus mundi symbolum erat. *Seditque supra singulos eorum. Et convenit multitudo, et mente confusa est.* Viden illorum pietatem, et quomodo nihil statim pronuntient, sed hæsitent? Illi vero improbi pronuntiant dicentes, *Musto pleni sunt.* Quoniam secundum legem licebat illis ter quotannis in templo comparere, ideo illic habitabant ex omnibus nationibus viri religiosi. Hinc perpende, quam non aduletur illis qui hæc scripsit. Non enim dicit illos quid pronuntiasse, sed quid? *Facta autem hac voce convenit multitudo et mente confusa est.* Jure : putabant enim rem finem accepisse per suum contra Christum facinus. Alioquin vero, conscientia illorum animos exagitabat, cum cædes adhuc quasi in manibus esset, et omnia illos terrebant. *Nonne ecce*, inquit, *hi omnes, qui loquuntur, Galilæi sunt?* Recte dixit : nam se tales profitebantur. Adeo illos sonitus terrebat : nam magna pars orbis huc confluxerat. Illud vero apostolos roborabat, quod cum nescirent quid esset Parthice loqui, ab illis tunc se ita loqui discebant. Porro gentes memorat illis inimicas, Cretas, Arabes, Ægyptios, Persas : declarans illos has omnes subacturos esse.

3. Cum autem Judæi tunc in captivitate essent, verisimile erat ibi multos comparere ex gentibus; sive quod jam apud gentes dogmata seminata essent. Ideoque multi jam illic aderant, eorum quæ audierant memores. Testimonium ergo undique tutum erat et sine controversia, a civibus, ab extraneis, a proselytis. *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* Non enim vulgaria, sed mirabilia quædam loquebantur. Jure ergo hæsitabant : nihil enim umquam simile acciderat. Vide hominum probitatem. Stupebant et dubitabant, dicentes : *Quidnam vult hoc esse? Alii autem irridentes dicebant, Musto pleni sunt.* O impudentiam! Si ea de causa ridebant, ecquid mirum? quandoquidem ipsum Dominum dæmonas expellentem, dæmonium habere dicebant (*Joan.* 8. 48). Nam petulantia ubicumque adest; unum quærit modo, ut loquatur, non secundum rationem, sed quidquid in buccam venerit. *Musto pleni sunt.* Sane vero : quia homines in tantis periculis, extrema metuentes, in tanto mœrore versantes, talia loqui audent. Perpendas velim quomodo, cum hoc verisimile non esset, ut auditoribus imponant, et ostendant ipsos ebrios esse, agendi et loquendi modo totum adscribant et dicant, *Musto pleni sunt. Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et loquutus est eis.* Vidisti modo illius providentiam, hic vide fortitudinem. Etenim si admirabantur illi, si stupebant, annon æque mirandum erat, hominem illiteratum et idiotam in tanta multitudine posse in verba prorumpere? Nam si quis inter familiares loquens turbatur, multo magis inter inimicos et cædem spirantes loquens turbabitur. Quod autem ebrii non essent, statim ex ipsa voce declaravit, quodque non more vatum furore correpti essent, neque vi quadam detinerentur. Quid sibi vult illud, *Cum undecim?* Communem emittebant vocem, et ipse os omnium erat. Adstant vero undecim, dicta testimonio suo confirmantes. *Levavit vocem suam*, inquit, hoc est, magna cum fiducia loquebatur.

Petrus quam mutatus. — Hoc autem facit, ut Spiritus gratiam edisceerent. Is enim qui vilis puellæ interrogationem non tulerat, jam in medio populorum, qui omnes cædem spirabant, cum tanta disserit fiducia, ut esset illud indubitatum resurrectionis signum : nam inter ridentes homines et tali modo subsannantes cum libertate loquitur. Quantæ putas petulantiæ, quantæ impietatis, quantæ impudentiæ, stupendum illud linguarum donum ebrietati adscribere? Sed nihil hoc apostolos turbavit, neque timidiores ex tali risu facti sunt. Nam ex adventu Spiritus quasi transformati, corporeis omnibus superiores erant. Si quos enim adeat Spiritus, aureos ex luteis efficit. Jam mihi Petrum considera, et explora mihi timidum illum, et insipientem; ut ait Christus : *Adhuc et vos insipientes estis* (*Matth.* 15. 16); qui post confessionem illam mirabilem, satan vocatus fuit (*Id.* 16. 23). Perpende item [1] apostolorum concordiam, quomodo Petro cesserint concionandi officio : neque enim oportebat omnes simul loqui. *Et levavit*, inquit, *vocem suam*, et magna cum fiducia loquutus

[1] In codice D. sic effertur hic locus..... *et explora mihi timidum illum, et adeo timidum ut ne mulierculæ quidem interrogationem ferre potuerit, qualis evaserit postquam primitus et abundanti largitione Spiritus donatus est. Perpende item*, etc.

est eis. Tale quidpiam est esse virum spiritualem. Tantum nos superna gratia dignos constituamus, et omnia erunt facilia. Sicut enim homo igneus in medias stipulas incidens, nihil læditur, sed magis operatur; neque enim ille quidpiam patitur, sed qui illi resistunt, seipsos perdunt: ita nunc quoque factum est. Imo potius ut si quis ignem gestans pugnet cum eo, qui fœno onustus est: sic et apostoli illos cum magna fortitudine aggressi sunt. Quid enim læsit illos tanta multitudo? Dic enim mihi: annon cum egestate et fame pugnabant? annon cum ignominia et infamia? (nam deceptores esse credebantur) annon risui et ludibrio præsentium expositi erant? In illos enim utraque incidebant, cum alii irriderent, alii illuderent. Nonne furori et insaniæ integrarum civitatum, nonne seditionibus et insidiis expositi erant? nonne igni, ferro, feris? nonne undique ipsis innumera instabant bella? nonne hæc molesta videntes ita affecti erant, ac si somnia aut picturam vidissent (*a*)? Quid vero? nonne illorum furorem consumpserunt? nonne in ipsos animi angustiam retorserunt? nonne illi furore et metu omnium maxime tenebantur? nonne illi anxii erant, timebant tremebantque? Audi illos dicentes: *Vultis inducere super nos sanguinem hominis istius* (*Act.* 5. 28).

Comparatio apostolorum cum philosophis. — Quodque mirabile est, apostoli nudi aciem instruebant contra armatos, contra principes in se potestatem habentes imperiti; elingues, idiotæ, contra præstigiatores, deceptores, sophistas multos, rhetoras, philosophos, qui in Academia et apud Peripateticos putrefacti, instabant et pugnabant. Et is, qui circa stagna versatus semper fuerat, ita illos superavit, ac si contra mutos pisces certamen habuisset: vere enim, ut piscator voce destitutos pisces, illos devicit. Et Plato ille, qui tam multa nugatus est, tacuit; hic vero loquitur non modo suis, sed etiam Parthis, Medis, Elamitis, et Indis, ubique terrarum, et usque ad terminos orbis. Ubi nunc Græciæ fastus ille? ubi Athenarum nomen? ubi philosophorum deliramenta? Ille Galilæus, ille ex Bethsaida, ille rusticus istos omnes superavit. Non erubescitis, quæso, vel de nomine patriæ ejus, qui vos devicit? Si vero nomen ejus audieritis, quod nempe Cephas vocaretur, multo magis vos pudebit. Hoc quippe vos, hoc, inquam, perdidit, quod simplicitatem probrum, eloquentiam laudabilem esse putatis. Non qua via oportuit venistis; sed omissa regali, facili et plana via, asperam, præruptam et difficilem tenuistis: ideoque non pervenistis ad regnum cælorum.

(*a*) Hunc locum non ita intelligas, inquit Montf., ac si apostoli hæc sibi illata mala non magis senserint, quam si in somnis vel in pictura vidissent; sed sic intelligendum puto: Ita inexspectata erant illa quæ sibi (sic) inferebantur mala, ut quasi in somno vel pictura illorum origo duci videretur. *Porro non satis intelligimus quam ob causam doctissimus vir talem explicationem invexerit, quæ ad seriem minime quadrare videtur. Etenim tum ex antecedentibus, tum ex consequentibus liquet hanc esse mentem Chrysostomi, scilicet apostolos omnia terrena, utpote transitoria, contemnentes, non magis de malis sibi illatis fuisse sollicitos, quam si inter somniandum illa specie tantum passi fuissent.*

4. *Eadem comparatio peragitur.* — Quid ergo, inquies? cur non in Platone et in Pythagora operatus est Christus? Quia Petri quam illorum mens multo erat ad philosophiam aptior. Illi namque pueri erant, ubique ad inanem gloriam conversi: hic autem vir philosophus erat, et gratiæ capax. Quod si his auditis rideas, nihil mirum; quandoquidem et illi tunc ridebant, eosque musto plenos esse dicebant; sed postea, cum dira illa et acerbissima passi sunt, cum expugnatam urbem viderunt, incensum ignem, dejectos muros, illasque calamitates, quæ nemo possit recensere, non ultra ridebant. Ita et vos non ridebitis, cum judicii [1] tempus advenerit, cum gehennæ ignis accensus fuerit. Sed cur de futuris loquor? Vis ostendam tibi quis sit Petrus, quis Plato? Illorum mores, si videtur, expendamus, videamusque quid ambo gesserint. Hic totam consumpsit vitam circa dogmata inutilia et supervacanea. Quid enim prodest scire, quod anima philosophi musca fiat? Vere musca, non in muscam mutata fuit, sed accessit ad animam in Platone habitantem. Quæ nugæ his comparandæ? unde talia effutire in mentem venit? Ironia plenus vir erat, et adversus omnes zelotypia laborabat. Itaque quasi studeret in hoc, ut nec ex sese, nec ab alio quicquam afferret utile: sic ab alio metempsychosim, a se rempublicam in medium attulit, ubi multæ turpitudinis leges protulit. Communes, inquit, sunto mulieres, nudæ virgines sub oculis amantium luctantor, communes sunto et parentes et filii. Quam hæc insaniam non superant? Talia sunt ea, quæ ad illum spectant. Hic porro non natura communes patres efficit, sed Petri philosophia: nam illud Platonis hic sustulit. Nihil enim aliud ille efficiebat, nisi ut qui pater erat ignoraretur, et qui non erat induceretur: atque in ebrietatem quamdam et in sterquilinium conjecit animam. Omnes, inquit, mulieribus audacter utuntor. Ideo poetarum dogmata non exploro, ne quis dicat me fabulas explorare, sed alias affero fabulas poeticis longe magis ridiculas. Ubinam quid ita prodigiosum invenerunt poetæ? Sed is, qui philosophorum princeps habebatur, arma mulieribus circumponit, cassides, ocreas, nec quidquam dicit hominum genus a canibus differre: Quia enim, inquit, canis femina et mas communicant in factis, communicent et mulieres, atque omnia sus deque vertantur. Semper enim per illas hoc egit diabolus, ut ostenderet genus nostrum non pretiosius esse brutis: quandoquidem nonnulli in tam absurdam et vanam venerunt opinionem, ut dicerent bruta animalia rationabilia esse. Et vide, quam varie in animabus illorum debacchatus sit. Illorum proceres dixerunt animam nostram in muscas et canes et bruta mutari: horum successores hinc pudore affecti in aliam delapsi sunt turpitudinem, rationabilem omnem scientiam brutis communicantes, et ubique monstrantes ea quæ propter nos facta sunt, nobis esse præstantiora. Neque hoc tantum, sed etiam præscientiam et religionem

[1] Duo Mss. legunt, *gehennæ*, pro, *judicii*.

apud illos esse dicunt. Corvus, inquiunt, novit Deum, ut et cornix, ac prophetiæ donum habent, futura prædicunt: apud illos justitia, respublica, leges, invidiamque apud illos canis habet secundum Platonem. Dictis fortasse fidem non habetis? Idque merito, utpote sanis educati dogmatibus. Quivis enim hoc cibo educatus, numquam credet hominem esse, qui stercora libenter degustet. Cum ergo dicimus illis, hæc fabulas esse et insipientia plena; non intelligitis, inquiunt. Utinam rem tam ridiculam numquam intelligamus. Et sane non ita profundo sensu opus est, ut discamus, quid sibi vult illa tanta impietas et rerum confusio. Num corvorum more loquimini, o insani, ut faciunt pueri? Infantes quippe estis, ut illi. At Petrus nihil tale dixit, sed vocem emisit, quæ quasi in tenebris lucem magnam emitteret, et caliginem in orbe dissiparet. Verum mores illius quam erant mansueti, quam humani, quam ob omni vana gloria alieni, quomodo ad cælum respiciebat sine fastu, licet mortuos suscitaret! Quod si cui insipientium illorum accidisset, ut per phantasiam et speciem tale quidpiam ageret, annon statim aram expetiisset ac templum, ac Deo par haberi postulasset; cum nihil hujusmodi agentes, talia imaginentur? Quid sibi volunt apud illos Minerva, Apollo et Juno? Genera dæmonum sunt apud illos. Estque rex penes illos qui mori optat, ut par diis habeatur. Verum apostoli non sic, sed contra faciunt. Audi namque illos dicentes, postquam claudus sanatus fuerat: *Viri Israelitæ, quid nos intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus ipsum ambulare* (*Act.* 3. 12)? rursus alibi, *Nos similes vobis passibiles homines sumus* (*Act.* 14. 14). Illic vero multus est fastus, multa arrogantia: omnia enim pro humanis honoribus, nihil philosophiæ gratia agebant. Ubi enim gloriæ causa agitur, omnia vilia manent. Licet enim omnia quis habeat, si hoc non teneat, ab omni philosophia excidit, violentiore ac turpiore morbo detentus. Hujus gloriæ contemptus ad bona omnia docenda est idoneus et ad expellendum ex anima omnem perniciosum affectum. Ideo vos hortor, ut magno studio morbum radicitus evellatis: nullo quippe alio modo possumus apud Deum esse probati, et insomnis illius oculi benevolentiam nobis attrahere. Itaque curam omnem adhibeamus, ut superna illa fruamur gratia, ut et præsentia mala fugiamus, et futuris dignemur bonis, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

CAP. 2. v. 14. *Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea.*

1. Quos superius peregrinos dixit, ad illos hic sermonem convertit: et videtur quidem illos alloqui, sed irrisores emendat. Nam divina dispensatione factum est ut quidam irriderent, quo hinc defensionem ordiretur, ac per illam doceret. Magnæ sibi laudi esse putabant, quod Jerosolymis habitarent. *Hoc vobis*, inquit, *notum sit, et auribus percipite verba mea.* Attentiores interim illos reddit, et postea defensionem parat. 15. *Non enim, sicut vos suspicamini, hi ebrii sunt.* Viden' quam mitis sit defensio? Licet majorem populi partem secum haberet, mansuetius tamen illos alloquitur: ac primo malam suspicionem tollit, deindeque defensionem statuit. Ideoque non dicit, Non enim sicut vos subsannatis, vel ridetis, sed, *Sicut suspicamini*: ostendere volens illos non serio hæc dixisse, ut magis illis ignorantiæ, quam malitiæ crimen offerret. *Non enim, sicut vos suspicamini, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia.* Cur hoc dicit? annon poterant hora tertia inebriari? Poterant sane; sed in hoc ille non multum instabat: neque enim ita se gesserant, ut irrisores illi dicebant. Hinc ergo discimus, in rebus non necessariis non longo utendum esse sermone. Alioquin vero hæc confirmant quæ sequuntur: ac demum ad omnes sermo dirigitur. 16. *Sed hoc est quod dictum est per prophetam Joel*: 17. *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus Deus* (*Joel* 2. 28). Nondum auditur nomen Christi, nec promissio illius est, sed Patris. Vide sapientiam. Non statim transiit ad ea, quæ Christum spectabant; nempe quod ipse hæc promiserit, postquam crucifixus fuerat: alioquin omnia subvertisset hæc dicendo. Atqui poterant, inquies, ejus divinitatem ostendere. Sane quidem, si credita fuissent: quod autem jam quærebatur, erat ut crederentur: non credita autem id effecissent, ut illi lapidarentur. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Dat illis quoque spem bonam, si quidem velint. Nec sinit illos majore copia frui, quod livorem peperisset, atque hinc invidiam succidit. *Et prophetabunt*, inquit, *filii vestri.* Non vestra est hæc res præclara, neque vestra laus; sed ad filios vestros gratia transiit. Discipulos vocat filios, et illos patres. *Et juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt;* 18. *et quidem super servos meos et super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt.* Interim ostendit se probatos esse, utpote qui Spiritu essent dignati; illos vero minime, utpote qui Christum crucifixissent. Ideo et Christus ut illorum furorem sedaret, dicebat: *Filii autem vestri in quo ejiciunt dæmonia* (*Matth.* 12. 27)? Non dixit, Discipuli mei; nam sibi adulantem sapuisset. Sic ille non dixit, ipsos non ebrios esse, sed ex Spiritu loqui: neque illud simpliciter, sed ad prophetam confugit, et illo fretus fortiter agit. Sic per se quidem illos ab accusatione purgavit, prophetam vero gratiæ testem inducit. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Sic dixit, quia aliis per somnia, aliis manifeste gratia effusa est. Nam et per somnia viderunt prophetæ, et revelationes acceperunt. Deinde progreditur

in prophetia, quæ quidpiam terribile habet. 19. *Et dabo*, inquit, *prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum.* His et futurum judicium et Jerosolymorum excidium subindicat. *Sanguinem et ignem, et vaporem fumi.* Vide, quomodo excidium describat. 20. *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem.* Ex affectu patientium ita loquitur. Narratur tamen multa similia in cælo visa fuisse, ut testificatur Josephus (*a*). Interim illos quoque perstrinxit, tenebras quæ accidere memorans, et futuri exspectationem inducens. *Antequam veniat dies Domini magnus et manifestus.* Ne quia nunc impune peccatis, inquit, ideo confidatis. Hæc proœmia sunt magni cujusdam et gravissimi diei. Viden', quomodo animos eorum exagitavit, et risum convertit in excusationem? Si enim hæc sunt proœmia diei illius, necesse est periculum de extremis jam imminere. Quid vero? num pergit terribilia dicere? Nequaquam. Sed quid? Rursus dat illis respirandi locum, et ait: 21. *Et erit, omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Hoc de Christo dictum est, ut Paulus ait (*Rom.* 10. 13): hic vero non audet id palam revelare. Dicta vero a principio repetamus. Recte quasi adversus ridentes et subsannantes insurgit, dicens: *Notum sit omnibus vobis, et auribus percipite verba mea.* Initio autem dicebat, *Viri Judæi.* Judæos mihi dicere videtur eos, qui in Judæa habitabant. Et, si placet, afferamus illa Evangelii verba, ut discas qualis repente factus sit Petrus. *Exiit*, inquit, *puella dicens: Et tu eras cum Jesu Nazareno. Ille autem respondit, Nescio hominem. Et rursus interrogatus cœpit detestari et jurare* (*Matth.* 26. 69 72).

2. *Adulatio vitanda.* — Sed hic vide illius fiduciam magnamque dicendi libertatem. Non laudavit eos, qui dixerant: *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei;* sed illa qua erga alios usus erat gravitate, hos studiosiores reddere volens, et sermonem ab adulatione alienum ostendere. Hoc enim ubique observandum est, quomodo indulgenter licet loquatur, sermo tamen ab adulatione simul et a contumelia sit alienus; quod tamen difficile est. Quod autem hæc hora tertia facta sint, non sine causa dispensatum est. Cum enim lucis splendor apparet, tunc non prandii curis homines occupantur, tunc læta dies est, tunc omnes in foro sunt. Viden' sermonem libertate plenum? *Et auribus percipite verba mea.* His dictis ex se nihil addidit, sed hæc subjunxit: *Hoc est, quod dictum est per prophetam Joel: Et erit in novissimis diebus.* Ostendit enim postea consummationem prope affuturam. Sic illud, *In novissimis diebus*, quamdam habet emphasim. Deinde ne videatur hæc ad solos filios pertinere, subjungit: *Et seniores vestri somnia somniabunt.* Vide rei seriem. Primo filii; sicut et David ait; *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (*Psal.* 44. 17); et rursus Malachias: *Convertens corda patrum in filios. Et super servos meos, et super ancillas meas* (*Mal.* 4. 6). Et hoc virtutis indicium: servi enim ejus facti sumus, liberati a peccato. Magnum autem est hoc donum, quando in alium quoque sexum transit gratia; non in unam alteramve sicut olim, nempe in Deboram et Oldam. Neque dixit esse Spiritum sanctum, neque prophetæ verba explicavit, sed solam induxit prophetiam per seipsam certantem. Nihilque de Juda jam loquitur, quia omnibus palam erat quales dedisset pœnas; sed silet, sciens nihil validius esse quam ex prophetia loqui illis: hoc enim ipsis etiam operibus fortius est. Nam cum signa faceret Christus, sæpe contradicebant; cum autem prophetam induceret illis dicentem: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis* (*Matth.* 22. 44. *Psal.* 109. 1), ita silebant, ut nemo deinceps posset illi respondere. Ac sæpe ille Scripturas memorat, dicens, *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est* (*Joan.* 10. 35). Imo ubique hoc quis invenerit. Ideo hic ait: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem;* hoc est, in gentes. Sed nondum revelat, nec interpretatur; neque enim expediebat, quia etiam hoc obscurum erat. *Dabo prodigia in cœlo sursum.* Magis illos hoc terrebat, quod esset obscurum. Si autem hoc interpretatus esset, magis illis obstitisset. Deinde illud præterit quasi manifestum, talem volens dare opinionem. Denique hoc illis interpretatur, cum de resurrectione loquitur, et ad id sermone viam parat. Ideo sponte præterit, quoniam bona ad illos pertrahendos non satis erant: quamquam hoc numquam factum est. Nemo enim tunc effugit; nunc vero fideles effugerunt sub Vespasiano. Et hoc est quod dicit: *Nisi abbreviati fuissent dies illi, non salvata fuisset omnis caro* (*Matth.* 24. 22). Quod molestius erat, primo contigit: primo enim accidit ut habitatores caperentur, et urbs subverteretur et succenderetur.

Quid est, lunam mutari in sanguinem? — Deinde in metaphora insistit, sub oculos auditorum excidium adducens. *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem.* (*a*) [Quid est, lunam mutari in sanguinem?] Videtur mihi hic maximam cædem indicare, sermonemque ita concinnatum esse, ut maximo terrore impleat. *Et erit, omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Omnis*, inquit, et si sacerdos sit (sed nondum revelat), sive servus sit, sive liber: *Non est enim mas neque femina in Christo Jesu, non servus, non liber* (*Gal.* 3. 28). Jure quidem: hoc enim discrimen hic est, ubi omnia umbra sunt. Nam si in regia nemo nobilis, nemo ignobilis, sed sua quemque opera notant, et si in arte opus commendat artificem: multo magis in illo statu. *Omnis quicumque invocaverit. Invocaverit*, inquam, non quavis ratione (*Non enim*, inquit, *omnis qui dicit mihi, Domine, Domine* [*Matth.* 7. 22]), sed qui cum affectu, cum optima vita, cum congruenti fiducia. Interim non moleste loquitur, de fide agens, neque supplicii terrorem abscondens. Quomodo? Ostendit in invocatione salutem esse.

3. Quid, quæso, dicis? salutem memoras post crucem? Exspecta interim: magna est Dei clementia. Et hoc non minus ostendit illum esse Deum, quam

(*a*) Signa quæ Jerosolymorum excidium præcesserunt, narrat Josephus de Bello Judaico.

(*a*) Quæ uncinis clauduntur, deerant in editis, et ex Mss. adjecta sunt.

resurrectio et signa, quod nempe illos advocet. Nam quod admodum bonum, Deo maxime proprium est. Ideo dicit, *Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Luc.* 18. 19). Sed ne bonitatem in desidiæ occasionem arripiamus: nam punit etiam ut Deus. Hæc ergo fecit is, qui dixit: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* De rebus Jerosolymæ loquor, de intolerabili illa ultione: de qua vobis nunc pauca loquar utilia, tum contra Marcionistas, tum contra alios multos hæreticos. Quia enim dicunt bonum Deum Christum, illum vero malum; videamus, quis hæc fecerit. Quis hæc ergo fecit, malusne illum ulciscens? Minime. Quomodo igitur ab illo alienus? An bonus hoc fecit? Sed demonstratur et Patrem et Filium hoc fecisse: Patrem multis in locis, ut cum dicitur, missurum eum esse exercitus suos in vineam (*Matth.* 20. 2); Filium, ut quando dicit: *Inimicos autem meos adducite et occidite coram me, eos qui noluerunt me regnare super eos* (*Luc.* 19. 27). Alioquin vero et ipse narrat futuras tribulationes, quibus nulla umquam crudelior fuit, et ipse illas annuntiavit. Vis audire, quæ facta fuerint? Verubus illos transfixerunt. Quid hoc spectaculo gravius? Sed vis narrem illam mulieris tragœdiam, quæ omnem superat calamitatem? vis famem et pestem? His graviora prætereo. Ignorabant illi naturam, ignorabant legem, belluas feritate superabant. Hæc porro omnia ex belli violentia contigere, et Deo et Christo volente. Hæc et contra Marcionistas (*a*), et contra eos, qui non credunt esse gehennam, apta erunt; illorum enim impudentiam comprimere valent. Annon hæc Babylonicis malis graviora sunt? annon hæc fames illa crudelior? De his ipse quoque Christus pronuntiavit: *Erit tribulatio, qualis numquam fuit, neque erit* (*Matth.* 24. 21). Quomodo ergo dicunt quidam Christum remisisse illis peccatum? Forte vulgaris videtur esse quæstio; sed vos potestis illam solvere. Nemo umquam poterit tale figmentum ostendere, quale est id quod revera accidit. Et si quidem Christianus esset, qui hæc scripsit, res esset forte suspecta: cum vero Judæus fuerit et Judaicorum studiosus, qui post evangelium venit, quomodo non omnibus manifesta sint ea, quæ gesta sunt? Videbis namque illum ubique res Judaicas extollentem. Est itaque gehenna, et bonus est Deus. Annon exhorruistis hæc audientes? Verum quæ hic fiunt, nihil sunt in comparatione illorum. Rursus cogor ingratus videri et molestus; sed quid faciam? In hoc positus sum. Sicut pædagogus asper discipulorum odio expositus est, sic et nos. Quomodo enim absurdum non fuerit, si dum ii, qui a regibus sunt constituti, res quantumvis injucundas perficiunt, nos, ne a vobis reprehendamur, officium implere desinamus?

Episcopus sæpe non prodest per ea quæ placent, sed per ea quæ pungunt. — Alius aliud habet opus: multorum autem ex vobis hoc officium est, ut misereantur, humani, suaves, mitesque sint iis, quibus beneficia præstant. Nos vero ut subditis prosimus, graves videmur, duri, onerosi, injucundi; neque enim prosumus per ea quæ placent, sed per ea quæ pungunt. Talis quoque est medicus: verum ille non tam injucundus; statim quippe arte sua utilitatem præbet: nos autem in futuro. Talis est et judex, invisus morbidis ac seditiosis: talis legislator, molestus sub lege positis. At non is qui vocat ad delicias, nec qui festa celebritatesque parat, nec qui populum coronat: hi certe grati habentur, qui civitates sumptuosis spectaculis excipiunt, pecuniæ non parcentes. Ideoque celebrantur a populo bene excepto, cum tapetibus, lucernis, coronis, ramis et splendida veste. Infirmi vero si medicum viderint, mœsti sunt; et si judicem seditiosi, dejecti fiunt, non effusi, nec exsultantes, quod ille ad hoc officium sit constitutus. Videamus ergo quinam maxime civitatibus prosint; an ii, qui tales celebritates parant, thalias, lautas mensas et delicias; an ii, qui, his sublatis omnibus, lignum inferunt, flagella, carnifices, milites terribiles, tremendas voces, mandata, mœstitiam, qui virga eos, qui in foro sunt, semovent. Videamus, inquam, utra res in lucrum desinat. Hi namque molesti sunt, illi amabiles. Quid igitur evenit ex iis qui oblectant? Voluptas frigida, quæ usque ad vesperam manet, et insequenti die effluit, risus incompositus, verba indecora et dissoluta. Quid ex aliis? Timor, temperantia, cogitatio demissior, animi modestia, desidiæ fuga, frenum interiorum affectuum, murus adversus ea quæ foris ingruunt. Per hos quisque facultates suas possidet, per illa autem festa eas ipsas dilapidamus, non invadentibus latronibus, sed vana gloria et voluptate prædante. Quisque videt latronem auferentem omnia, et lætatur. Novus latrocinii modus: qui exutis, ut gaudeant, suadet.

4. Verum illic nihil tale; sed ab omnibus removit Deus, ut communis Pater, tum quæ videntur, tum quæ non videntur. Nam ait: *Videte ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus* (*Matth.* 6. 1). Hinc discit anima injustitiam fugere. Injustitia enim est, non modo pecunias per rapinam parare, sed etiam plus cibi dare ventri, quam satis sit, et lætitiam extra terminos efferre, atque debacchari. Illinc castitatem discit, hinc libidinem. Non solum enim mulieri misceri libido est, sed etiam lascivis oculis respicere. Illinc modestiam discit, hinc fastum. *Omnia* enim, inquit, *mihi licent, sed non omnia expediunt* (1. *Cor.* 6. 12). Illinc honestatem, hinc turpitudinem. Mitto ea quæ in theatris. Quod autem nulla ibi voluptas sit, sed potius mœstitia: ostendite mihi die festum insequente eos qui sumptus effuderunt, eosque qui ad spectacula invitati fuerunt: videbimusque omnes mœstitia correptos, maxime vero illum, qui sumptum suppeditavit. Et jure quidem: oblectavit enim die præcedenti popularem hominem, qui lætus admodum erat; splendida namque veste fruebatur; sed cum non ad usum suum esset, se illa exutum videns, dolebat

(*a*) Marcion dicebat Christum non fore judicem mortuorum, inquit Philastrius in Hæresi Marcionistarum: hinc gehennam excludebant. Cæterum Marcionistæ non omnes inter se consentiebant: sed inter illos erant opinionum divortia.

et cruciabatur: qui vero sumptum fecit, suam præ illius felicitate parvam putabat. Idcirco sequenti die redduntur vestes, majoremque mœrorem qui commodaverat concipit. Quod si in exterioribus læta tantam inferunt molestiam, et molesta utilitatem, multo magis in spiritualibus. Ideo nemo succenset legibus, sed eas communis esse utilitatis censent omnes. Neque enim peregrini vel inimici has leges statuere, sed ipsi cives, patroni, curatores: hocque salutis ac benevolentiæ indicium putant, quod leges ponantur. Atqui leges pœnis et ultione plenæ sunt; nec ulla lex invenitur sine pœna. Quomodo ergo non absurdum fuerit, eos quidem, qui leges illas exponunt, servatores, beneficos, patronos vocare; nos vero duros et morosos putare, quod leges Dei enarremus? Cum enim de gehenna agimus, leges illas afferimus. Ac quemadmodum illi externi leges de homicidis, de furibus, de nuptiis et similibus: sic et nos leges de suppliciis afferimus, quas non homo posuit, sed ipse unigenitus Filius Dei. Qui immisericors est, puniatur, inquit; hoc enim sibi vult parabola. Qui memor injuriarum est, extremum luat supplicium: qui irascitur temere, in ignem injiciatur: qui conviciatur, pœnas det in gehenna.

Christus novas posuit leges. — Si putatis vero, vos novas audire leges, ne turbemini. Nisi enim novas positurus Christus fuisset, cur advenisset? Illa quippe manifesta nobis sunt, quod homicidam et adulterum punire oporteat. Si ergo eadem audituri eramus, cur cælesti Doctore [1] opus erat? Ideo non dicit, Adulter puniatur; sed, Qui lascivis oculis respicit: et ubi, et quando pœnam daturus sit, addit. Non in tabulis leges descripsit, neque cippos æreos erexit, ut ibi literas sculperet; sed erectis duodecim apostolorum animabus, ibi per Spiritum sanctum has scripsit literas, quas vobis nos merito prælegimus. Nam si Judæis hoc licebat, ne quis ad ignorantiam confugeret; multo magis nobis fas est. Si quis vero dicat, Non audiam, nec judicium subibo, ideo maxime punitur. Nam si nemo doceret, posset ad talia confugi, sed cum adsit Doctor, non licet. Vide ergo quomodo Judæos a venia excludat, dicens: *Si non venissem et loquutus fuissem eis, peccatum non haberent* (*Joan.* 15. 22); iterumque Paulus, *Sed dico, Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum* (*Rom.* 10. 18. *Psal.* 18. 5). Tunc enim venia est, quando nullus est qui prædicet; quando autem speculator sedet, et hoc habet officium, non ultra est venia. Imo vero non tantum voluit Christus nos in columnas illas respicere, sed nos quoque vult esse columnas. Quia vero nos talibus scriptis indignos reddidimus, illas saltem columnas respiciamus. Sicut enim columnæ aliis minantur, illæ vero non sunt in culpa, ut neque leges: sic et beati apostoli. Et vide: non uno in loco stat hæc columna, sed ubique literæ scriptæ circumferuntur. Nam si ad Indos migres, illas audies; si in Hispaniam, et in omnes fines terræ, nemo est quin audiat, nisi ob desidiam. Ne ergo ægre feratis, sed dictis attendite, ut possitis virtutis opera suscipere, et æterna consequi bona, in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Unus legit, *alio doctore.*

HOMILIA VI.

CAP. 2. v. 22. *Viri Israelitæ, audite verba mea hæc.*

1. Non est hoc per adulationem dictum; sed quia illos acriter perstrinxerat, jam remissior est, et opportune Davidem memorat. Et rursus a procemio incipit, ne turbentur, quia de Jesu mentionem facturus est. Nam superius turbati non sunt Prophetam audientes; nomen vero Jesu statim illos offendisset. Nec dixit, Obtemperate, sed, Audite, quod sane molestum non erat. Et animadverte quomodo nihil sublime dicat, sed ab humilioribus incipiat. *Jesum*, inquit, *Nazarenum.* Patriam statim dicit, quæ vilis esse videbatur. Nec quidpiam interim magnum de illo dicit, ne quidem quod de propheta alius diceret. *Jesum*, inquit, *Nazarenum*, *virum approbatum a Deo in vobis.* Vide quam magnum illud erat, quod dicat illum a Deo missum fuisse. Hoc enim semper et ubique Joannes et apostoli ostendere curabant. Audi namque Joannem dicentem: *Ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est* (*Joan.* 1. 33). Hoc præcipue facit ipse Christus, dicens, *A memetipso non veni, ipse me misit* (*Id.* 7. 28). Et ubique in Scripturis hoc potissimum agitur.

Petri dignitas. — Ideo hic sanctus beati chori princeps, amator Christi, ardens discipulus, cui commissæ sunt cælorum claves, qui revelationem spiritualem accepit, postquam illos timore compressit, ostenditque magnis illos donis esse dignatos, atque fide dignos reddidit, tunc de illo disserit. Papæ, quomodo ausus est inter homicidas dicere ipsum resurrexisse! Nec dicit statim, quod resurrexerit; sed quod a Deo ad ipsos venerit. Hoc autem manifestum est ex iis, quæ fecit. Non jam dicit, quod ipse, sed quod Deus per ipsum, ut modestius loquendo ipsos pertraheret, ad quam rem ipsos testes vocat, dicitque: *Virum a Deo demonstratum in vobis virtutibus, prodigiis et signis, quæ fecit per ipsum Deus in medio vestri, sicut et ipsi scitis.* Deinde in illorum facinus et scelus incidens, vide quomodo conetur illos a crimine liberare: (*a*) (etsi enim definitum esset, illi tamen homicidæ erant). 23. *Hunc*, inquit, *definito consilio et præscientia Dei traditum accipientes, per manus iniquorum*

(*a*) Quæ uncinis clauduntur deerant in Editis. At vero, his etiam restitutis, sensus adhuc imperfectus esse videtur. Nam, ut in præfatione diximus, sæpe Chrysostomus in hisce Commentariis sententiam relinquit imperfectam. Sic ergo totum intelligas oportet: *Vide quomodo conetur illos a crimine liberare, quantum scilicet fieri poterat; etsi enim id definitum a Deo esset, nihilo tamen minus illi homicidæ erant. Hunc, inquit, definito consilio*, etc.

affigentes interemistis. Iisdem fere verbis utens, quibus Joseph fratres suos alloquutus est : *Nolite timere, quia non vos tradidistis me, sed Deus me huc misit* (*Gen.* 45. 5). Deinde postquam dixit, hoc Dei consilio factum esse ; ne dicerent, Ergo id bene fecimus, illos coarguit per ea quæ adjicit : *Per manus iniquorum affigentes interemistis.* Hic Judam subindicat, simulque ostendit, id non potuisse illos facere, nisi Deus concessisset, tradidissetque illum. Hoc enim sibi vult illud, *Traditum.* Sic totum scelus convertit in caput Judæ, qui tradidit eum : ipse enim illum osculo prodidit. Vel hoc intelligit, cum ait, *Per manus iniquorum;* vel de militibus loquitur, ac si insinuet, Non vos interemistis, sed *Per manus iniquorum.* Et vide, quomodo ubique curent passionem primum confiteri. Resurrectionem vero, quia magna res erat, interim subindicat, et quasi in medio ponit. Illa namque, crux nimirum et mors, in confesso erant, nondum autem resurrectio : ideo hæc subjungit : 24. *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus mortis, eo quod impossibile erat teneri illum ab ea.* Hic magnum et sublime quidpiam subindicat. Illud enim, *Impossibile erat,* significat ipsum quoque dedisse potestatem inferno ut se teneret, et mortem illum detinentem doloribus partus affectam gravia passam esse. Dolorem quippe mortis periculum Scriptura solet appellare : et indicat, quod sic resurrexerit quasi non ultra moriturus. Vel cum dicit, *Eo quod impossibile erat teneri illum ab ea,* significat resurrectionem ejus non esse communem cum aliis. Deinde priusquam mens illorum aliquid cogitet, inducit Davidem, omnem humanam cogitationem de medio tollentem. 25. *David enim dicit in eum,* inquit. Et vide, quomodo rursus testimonium sit humile. Ideo illud supra ex humilioribus accepit, ut ostendat de morte non esse dolendum. *Providebam,* inquit, *Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear* (*Psal.* 15. 8) : 27. *quoniam non derelinques animam meam in inferno.* Deinde testimonio prophetico addit : 29. *Viri fratres.* Cum magnum quidpiam dicturus est, hoc utitur proœmio, ut illos excitet et alliciat. *Liceat,* inquit, *audenter dicere vobis de patriarcha David.* Magna humilitas : ubi nihil est damni, demissius loquitur. Ideoque non dixit, hæc de Christo, non de Davide dicta fuisse ; idque admodum prudenter, ut illos ex magno erga beatum Davidem honore ad reverentiam deduceret, simul circa illud quod in confesso erat, et illud quod audacius dictum videbatur, demulcens illos laudes adhibendo. Ideo non, De David, tantum dixit ; sed, *De patriarcha David, quia defunctus est et sepultus.* Non jam dicit, Et non resurrexit ; sed alio modo recte hoc ipsum declarat ac dicit : *Et sepulcrum illius est apud nos usque in hodiernam diem.* Deinde, ut quod voluerat apparavit, neque sic venit ad Christum, sed rursus Davidem laudat. 30. *Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus.*

2. Hæc porro dicit, ut saltem ob honorem et genus ipsius, verbum de resurrectione susciperent; quasi prophetia læderetur nisi hoc esset, et quasi ipsorum honori derogaretur. *Et sciens,* inquit, *quia jurejurando jurasset illi Deus.* Non simpliciter dixit, Promisit ; sed quod majus erat, Juramento juravit, *De fructu lumbi ejus oriturum Christum secundum carnem ; ut sederet super thronum ipsius.* Vide, ut excelsa iterum subindicet. Postquam enim illos verbis placavit, fidenter hoc prophetæ dictum attulit, et de resurrectione loquitur. 31. *Quia neque anima ejus derelicta est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Hoc rursus mirum est : ostendit enim, non similem aliis esse resurrectionem. Detinuit enim illum mors, nec sua in eum operata est. Et peccatum quidem sub umbra dixit, pœnam autem non addidit, sed quod occiderint declaravit : deinde ad signum Dei venit. Quando autem demonstratum est, justum esse eum qui occisus fuit, et Dei amicum, etiamsi pœnam taceas, is qui peccavit, sese magis quam tu faceres, condemnabit. Omnia itaque ad Patrem refert, ut dicta recipiant. Deinde illud, *Impossibile erat,* ex prophetia induxit. Rursus vero priora repetamus. *Jesum,* inquit, *Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis :* id est, de quo nihil dubium est, sed ex operibus probatum. Sic et Nicodemus dicebat : *Signa hæc nemo potest facere quæ tu facis* (*Joan.* 3. 2). *Virtutibus,* inquit, *prodigiis, et signis, quæ fecit Deus per ipsum in medio vestri.* Itaque non clam, si in medio[1]. Primo ab iis, quæ nota ipsis erant, orditur; et tunc ad occulta venit. Deinde cum ait, *Dei consilio,* ostendit ipsos id facere non potuisse ; et illud esse quidpiam sapienter et per œconomiam factum, siquidem a Deo ipso erat. Quodque molestum erat, cito transcurrit. Ubique illis studium erat ostendere, ipsum mortuum fuisse : Licet vos negaveritis, inquit, illi testificabuntur. Qui vero morti negotia facessit, multo magis poterit iis qui crucifixerunt. At nihil simile dicit, nempe, Poterat vos de medio tollere, sed simpliciter subindicavit. Interim vero ex dictis discimus, quid sit illud, tenere. Nam qui cum dolore aliquid tenet, non illud retinet; neque agit, sed patitur, et illud abjicere festinat. Ac pulchre dicit, *David enim dicit in eum ;* ne dictum illud in prophetam derivares. Viden', quomodo demum prophetiam interpretetur, et nudam exponat, ostendens quomodo sedeat super thronum suum? regnum enim spirituale in cælis est. Vide, quomodo cum resurrectione regnum declaravit in resurgendo acceptum. Ostendit necessitatem fuisse prophetæ dicendi : de illo namque erat prophetia. Cur non dixit, De regno ejus ; sed, *De resurrectione ejus?* Magnum hoc erat. Quomodo autem in throno sedit? In Judæos regnans. Quod si in Judæos, multo magis in eos qui crucifixerunt illum. *Non enim caro ejus,* inquit, *vidit corruptionem.* Hoc resurrectione, inquit, minus videtur, sed idipsum est. 32. *Hunc Jesum suscitavit Deus.* Vide, quomodo non aliter illum appellet. *Cujus nos omnes testes sumus.* 33. *Dextera igitur Dei exaltatus.* Rursus ad Patrem confugit, etiamsi satis erat id dixisse prius; sed scit quanti momenti

[1] Illud, *si in medio*, deest in quibusdam.

sit illud. Hic quoque assumptionem subindicavit, ipsumque in cælis esse; sed hoc non palam dicit. *Et promissione*, inquit, *sancti Spiritus accepta*. Vide quomodo initio dicat non Christum, sed Patrem illum misisse: postquam vero signa ejus memoravit, et quæ Judæi in illum fecerant, ac de resurrectione loquutus fuit, tunc fidenter de his sermonem habet, rursus illos testes per utrumque sensum producit: ac resurrectionis quidem frequenter meminit, illorum vero sceleris semel tantum, ne ipsis oneri esset[1]. *Et accepta*, inquit, *Spiritus sancti promissione*. Hoc rursus magnum est. Puto autem, ipsum nunc promissionem dicere ante passionem datam. Vide autem, quomodo totum jam illi adscribat, rem magnam occulte faciens. Nam si ipse effudit, de illo supra propheta loquebatur, dicens: *In novissimis diebus effundam de Spiritu meo super servos meos et super ancillas meas; et dabo prodigia in cælo sursum*. Vide, qualia occulte interserat. Sed quia magna res erat, rursus illam obumbrat, quasi a Patre acceperit. Dicit bona præstita, signa; quod sit Rex, quod ad ipsos venerit: dixit quod ipse det Spiritum sanctum. Quæcumque enim quis dixerit, nisi ad utilitatem tendat, temere dicit. Sicut et Joannes facit, dicens: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto* (*Matth.* 3. 11). Et ostendit, crucem non modo ipsum non minuisse, sed etiam splendidiorem reddidisse; siquidem quod illi olim Deus promiserat, tunc dedit. Vel promissionem, inquit, quam nobis promisit. Sic futuram præsciebat, et majorem nobis post crucem largitus est. Et, *Effudit*, inquit. Hic dignitatem declarat, nec simpliciter, sed cum ubertate. Ideo hoc ipsum palam faciens, sequentia inducit. Postea enim fidenter, post Spiritus sancti munus datum, de assumptione in cælos loquitur: neque simpliciter; sed testem rursum producens, et illum memorans de quo Christus dixit. 34. *Non enim*, inquit, *David ascendit in cælum*.

3. Hic jam non demisse loquitur, assumpta ex dictis fiducia: neque dicit, Liceat dicere, vel similia; sed palam: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum* (*Psal.* 109. 1). Si Davidis Dominus erat, multo magis illorum. *Sede a dextris meis*. Totum hic posuit. 35. *Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*. Hic metum magnum incutit, ut initio monstravit; qualia nempe amicis, qualia inimicis faciat. Ac rursus imperium, ne non credatur, Patri adscribit. Quia itaque magna loquutus est, rursus ad humilia sermonem deducit. 36. *Certo igitur sciat*, inquit, *omnis domus Israel*; hoc est, ne dubitetis, ne ambigatis. Postea cum imperio: *Quia et Dominum eum et Christum fecit Deus*. Hoc a Davide et a Psalmo commemoravit. Nam cum videretur dicendum: Certo igitur sciat omnis domus Israel, quod a dextris sedeat; id quod magnum erat: eo relicto aliud inducit multo humilius, cum dicit, *Fecit*, id est, constituit. Itaque nihil hic de substantia, sed totum hac de re dicit: *Hunc Jesum, quem vos crucifixistis*. Bene huc desinit, illorum animum exagitans. Postquam enim ostendit quantum sit facinus, tunc demum ipsum declarat, ut sic majus ostendatur, et timore illos corripiat. Non enim sic homines beneficiis alliciuntur, ut timore castigantur. Admirandi autem viri, pii ac Dei amici, neutro opus habent; qualis erat Paulus, qui nec regni nec gehennæ rationem habebat.

Quid sit amare Christum. In spiritualia segnities redarguitur.— Hoc est amare Christum, hoc est non esse mercenarium, neque quæstum vel negotiationem id existimare; sed virtute vere præditum esse, et ob Dei amorem omnia facere. Quantis igitur lacrymis digni sumus, qui tantam debentes mensuram, ne quidem ut negotiatores regnum cælorum expetimus? Tanta nobis pollicetur, neque sic audimus eum? Quid huic inimicitiæ par fuerit? Atqui ii, qui insana pecuniæ cupiditate laborant, sive hostes adeant, sive servos, sive inimicissimos sibi, et omnium nequissimos; si tamen sperent se posse per illos pecunias adipisci, nihil non agunt, ipsis adulantur, ipsos ut servi colunt, et omnium honestissimos habent, ut ab illis accipiant: pecuniarum enim spes non sinit eos horum quidpiam cogitare. Regnum autem non tantum poterit, quantum pecuniæ; imo ne minimum quidem poterit: quamvis non e vulgo quispiam sit, qui illud promittit, sed ipso quoque regno longe major sit. Quando autem id quod promittitur regnum est, illudque dat Deus, magnum certe est et illud et a tali accipere. Nunc autem perinde fit, ac si rex qui hæredes et filio cohæredes vult facere eos, quos mille ante beneficiis affecit, contemnatur; et latronum princeps, qui innumeris et nos et parentes nostros malis affecit, et mille malis ipse plenus est, si unum obolum offerat, adoretur a nobis. Regnum pollicetur Deus, et despicitur; gehennam conciliat diabolus, et honoratur. Hic Deus, ille diabolus. Sed videamus præceptorum discrimen. Si enim nihil horum esset, neque hic Deus, ille diabolus; neque hic regnum, ille gehennam conciliaret; annon vel ipsa præceptorum natura suadere posset ut huic hæreremus? Quid igitur uterque imperat? Ille quæ turpes, hic quæ gloriosos reddunt; ille quæ mille calamitatibus et infamia involvunt, hic quæ magnam pariunt tranquillitatem. Vide namque: ille dicit: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* 11. 29); ille ait: Ferox esto et inhumanus, atque iracundus, et fera magis quam homo. Videamus quid utilius, quid opportunius. Imo ne hoc tantum; sed cogita illum esse diabolum: illud enim maxime si demonstratum est, jam triumphus major erit. Non enim qui facilia imperat, curator est, sed qui utilia. Nam patres onerosa imperant, et heri quoque servis; sed ideo hi quidem patres sunt, illi vero heri, subigentes et perniciosi et omnia contraria.

Anima justi quam differat ab anima peccatoris.— Verum quod voluptatem habeant, hinc palam est. Qua enim conditione putas esse iracundum, qua patientem et mitem? Nonne hujus anima similis est

[1] Hæc, *ne ipsis oneri esset*, desunt in quibusdam Mss.

solitudini cuipiam multam quietem habenti; illius vero anima, foro, turbæ, ubi multus clamor sequentium camelos, mulos et asinos, qui occlamant accedentibus ne conculcentur? (a) nonne illius anima mediis civitatibus similis est, ubi hinc aurificum, inde ærariorum magnus fragor; et alii quidem lædunt, alii vero læduntur? Sed hujus anima similis est vertici montis, leni aura fruenti purisque radiis, limpida fontium fluenta emittenti: ubi multæ florum gratiæ, perinde atque in vernis pratis et hortis, quæ plantis, floribus et defluentibus aquis ornantur: si quis vero sonus audiatur, suavis est et multam fundit audientibus voluptatem. Nam vel aves sunt summis arborum in ramis cantillantes; vel cicadæ, lusciniæ, hirundines, concordem et unam quamdam efficiunt musicam; vel zephyrus blande ramos arborum allidit, pinorum stridulos sonos et cycnos plerumque imitatur; vel pratum rosas emittens et lilia, quæ se mutuo collidunt, quasi pelagus item lenibus undis commotum. Imo multas quis invenerit imagines. Nam si quis rosas inspiciat, iridem se videre putabit; si violas, mare undosum; si lilia, cælum. Neque spectaculo et visu tantum delectatur, sed etiam corpore: ille namque recreatur et respirat: ita ut se in cælo potius esse putet, quam in terra.

4. Est et alius sonus, cum aqua ex cacumine defluens per præcipitia sponte fertur, et subjectis silicibus leniter obstrepit, sicque membra nostra voluptate relaxat, ita ut somnum membra solventem conciliet. Narrationem libenter audistis; hincque forte injectus vobis est solitudinis amor. Sed hac solitudine multo suavior est patientis anima. Non enim ut pratum describeremus, neque ut ad ostentationem verba funderemus, hanc aggressi sumus imaginem; sed ut per hanc descriptionem videntes, quanta sit patientium voluptas, et quod multo suavius utiliusque sit cum viro patiente et mansueto versari, quam in hujusmodi locis degere, hos sequeremini. Cum enim neque ventus vehemens a tali anima egrediatur, sed benigni mansuetique sermones zephyro placido similes, et admonitiones nihil asperum habentes, sed aves illas cantatrices imitantes: quomodo hoc non melius fuerit? Non enim corpori accidit sermonis aura, sed animas reficit. Non tam cito medicus qualibet adhibita cura a febri liberaverit, ut vir patiens iracundum et excandescentem spiritu verborum suorum refrigerabit. Ecquid de medico loquor? Ne ferrum quidem ignitum in aquam immissum, tam cito calorem amittit, ut iracundus in mansuetum incidens. Sicut autem si in forum ingrediantur cantillantes aves, nugæ esse videntur: sic quoque præcepta nostra in animas iracundas immissa. Ergo suavior est mansuetudo ira et temeritate. Neque hoc tantum, sed hoc diabolus, illud Deus præcepit. Videte, me non sine causa dixisse, etiamsi nec diabolus nec Deus esset, hæc tamen præcepta satis fore ad nos abducendos.

Iracundo nihil ingratius. — Mitis enim homo et sibi suavis et aliis utilis est; iracundus vero et sibi insuavis, et aliis noxius. Nihil enim ingratius homine iracundo, nihil onerosius, molestius, turpius; ut eo qui irasci nescit, nihil jucundius. Cum fera habitare melius est, quam cum tali homine. Fera namque, quando semel cicuratur, suam servat legem; illum autem quoties placaveris, toties iterum efferatur; sibi enim habitum talem semel constituit. Sicut enim dies serenus et lætus, et hiems admodum tristis, contraria sunt: ita iracundi et mansueti animæ. At nondum ea, quæ in alios manant incommoda, sed quæ sibi ipsis inferunt videamus. Atqui hoc non parvum est damnum, alium damno afficere: verum interim illud consideremus. Quis carnifex sic latera dilacerare poterit? quæ verua ignita sic corpus transfigere? quis furor ita a sana mente excutit, ut ira et furor? Multos novi qui ab iracundia in morbos inciderunt: hæ sunt gravissimæ omnium febres. Quod si corpus ita labefactent, animam cogita. Ne ratiocineris, quia non vides; sed cogita, quod si is qui malitiam concipit ita læditur, id quod ille pariet quantum damnum afferet? Multi oculos perdiderunt, multi in gravissimos incidere morbos. Qui vero fortiter tolerat, omnia facile feret. Attamen licet tam onerosa præcipiat, et horum mercedem gehennam proponat, licet ille diabolus sit, et salutis nostræ inimicus, magis illi obtemperamus, quam Christo Servatori, benefactori, et talia dicenti, quæ et suaviora, et utiliora sunt, nobisque et contubernalibus magna bona conferant. Nihil ira pejus, dilecte, et intempestivo furore: non fert longam moram; acutus est morbus. Sæpe quis verbum ex ira profert, quod ut reparet, tota vita opus habet; et aliquid operatur, quod totam ejus vitam subvertat. Quod autem gravissimum est, brevi tempore, uno opere, uno verbo sæpe æternis privamur bonis, innumerosque nobis parimus labores. Quamobrem rogo, omnia faciamus, ut hanc feram frenemus. Cæterum hæc de mansuetudine et ira dicta sint. Si quis vero alia sermone tractet, ut avaritiam et despectum pecuniarum, lasciviam et castitatem, invidiam et mansuetudinem, illaque mutuo conferat, alia quoque discrimina sciet. Vidistis, quomodo ex præceptis tantum et Deus et diabolus internoscantur? Obtemperemus ergo Deo, neque nos in barathra conjiciamus; sed dum tempus est, abluamus omnia quæ animam fœdant, ut æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

(a) Totus qui sequitur locus ordine paulo diverse, sed pene iisdem constans verbis effertur in A. B. C. Illi autem libri, in summa inter se conspirantes, a quarto, quem nominamus D., sæpe magnopere differunt aut verbis, aut orationis structura, aut etiam sententiarum ordine, et modo narrandi.

quos nisi ad hos salus, ad quos magna bona[1] pertineant? Nonne pastores primi evangelium acceperunt? nonne Joseph homo simplex erat; ita ut nec per adulterii suspicionem sic perterreretur, ut aliquid mali patraret? nonne agrestes homines et simplices Deus elegit? *Anima* enim, inquit, *omnis simplex benedicta;* ac rursus, *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter* (*Prov.* 11. 25. *et* 10. 9). Etiam, inquies; sed prudentia est opus. Sed quid aliud est simplicitas, quam prudentia? Cum enim nihil mali suspicaris, nihil mali parere potes : cum nihil fers moleste, non poteris injuriarum recordari. Contumelia te quis affecit? Non doluisti : obloquutus est? Nihil passus es : invidit tibi? Non ægre tulisti. Via quædam est ad philosophiam simplicitas. Nemo tam pulcher animo est quam vir simplex. Sicut enim in corpore qui mœstus est, demissus et cogitabundus, multum ex pulchritudine detrahit; qui vero lætus est et subridet, formositatem auget : sic in anima evenit : qui subdolus est, etsi innumera penes se habeat bona opera, disperdit illa; contra vero qui liber est et simplex. Talem hominem quis sibi amicum fidenter paret; et si inimicus sit, cum illo reconciliabitur. Nulla enim ad hoc opus est custodia, nullis vinculis; sed multa et illi et contubernalibus erit securitas. Quid ergo, inquies, si qui talis est, in malos inciderit viros? Deus qui simplices esse jubet, manum porriget. Quid Davide simplicius? quid Saüle iniquius? Uter ergo superavit? Quid in Josepho actum est? nonne ille simpliciter ad dominam accessit; illa vero subdole? In quo, quæso, læsus est? Quid Abele simplicius erat? quid Caino sceleratius? Rursusque Joseph, nonne simpliciter cum fratribus egit? nonne ideo claruit, quia sine suspicione omnia loquutus est, hi vero maligne ipsum exceperunt? Semel somnia, iterum somnia dixit, et sine cautione illos adiit cibos afferens, omnia Deo committens; sed quanto magis illi ut inimicum ipsum habebant, tanto magis ille ut fratres tractabat. Poteratque Deus non permittere, ut incideret in illos; sed permisit, ut miraculum appareret, et ostenderetur, quantumvis illi contra tenderent, illum fore superiorem. Et sic quamvis plagam accipiat, non a se, sed ab alio accipit.

Improbus sui ipsius inimicus est. — Malignus vero seipsum primo percutit, nullumque alium; sicque est sui ipsius inimicus. Hujus anima mœrore semper plena est, dum cogitationes perpetuo colligatæ et perplexæ sunt : si audire, si dicere quidpiam oporteat, omnia trahit ad crimen, omnia accusat. Procul ab illis amicitia et concordia; apud illos pugnæ, inimicitiæ, molestiæ; sibique ipsis sunt suspecti. His neque somnus, neque aliud quidpiam suave est. Si uxores habeant, papæ! omnibus sunt hostes et inimici; zelotypiæ infinitæ, metus perpetuus : malus enim a malo labore sic vocatur. Sic utique Scriptura laborem semper vocat malitiam; ut cum dicit : *Sub lingua eorum labor et fatigatio ;* et alibi rursum, *Et amplius eorum labor et dolor* (*Psal.* 9. 7. *et* 89. 10). Si vero miretur quis, unde ab initio tales facti sint, et nunc tales non sint; discant causam esse ærumnam, magistram philosophiæ, matrem pietatis. Quando pecuniæ de medio tollebantur, tunc nequitia non erat. Etiam, inquit, sed illud ipsum interrogo, unde nunc tanta malitia? quomodo illi ter mille et quinquies mille statim virtutem delegerunt, et mox pariter philosophi facti sunt, et nunc vix unus reperitur? cur tunc ita concordes erant? quid illos tam agiles et excitatos reddebat? quid illos ita incendit? Quia cum magna pietate accedebant; quia honores non erant, sicut hodie; quia ad futura mentem suam transtulerunt, et nihil præsentium exspectabant. Hoc est igneæ animæ, in ærumnis versari : hoc putabant illi Christianismum esse; sed non nos : nunc enim solutam vitam quærimus. Ideo nec illa, cum par erit, assequemur. *Quid faciemus?* interrogabant illi seipsos damnantes. Nos vero contra : Quid faciemus? dicimus, nos præsentibus venditantes, et altum de nobis sapientes. Illi faciebant quæ facere oportebat; nos vero secus. Damnabant illi seipsos, desperabant de salute sua : ideo tales facti sunt. Agnoverunt quale receperant donum.

4. Quomodo vos illis similes eritis, qui contraria omnia facitis? Hi statim atque audierunt, baptizati sunt : non dixerunt illa frigida verba, quæ nunc nos dicimus, neque moras nexuerunt, etsi non omnes audissent justificationes; sed hoc tantum, *Salvamini a generatione ista.* Non segnes fuerunt, sed hos sermones exceperunt, et quod accepissent; operibus monstrarunt, et qui essent, exhibuerunt. Statim in certamen ingressi, exuerunt vestimenta : nos vero ingressi, cum vestimentis certare volumus. Ideoque antagonista noster labore opus non habet, cum nobis ipsis impliciti sæpe dejiciamur. Idipsum enim facimus, ac si quis athletam pulvere conspersum, nigrum, nudum, videns, ab arena et a sole multum habentem luti, oleo, sudore et cœno delibutum, ipse unguento fragrans, sericis vestibus, aureis calceis, stola usque ad malleolos defluente, aureolas capite gestans, cum illo congrediatur. Qui enim talis est, non impeditur solum, sed curam habens ne vestes fœdentur vel scindantur, in primo congressu cadet, idque patietur quod statim timuit, in præcipuis partibus læsus. Tempus adest certaminis, et tu sericis indueris! tempus exercitationis, tempus stadii; et tu quasi in pompa teipsum ornas? Et quomodo superabis? Ne ad externa, sed ad interna respicias. His enim curis ceu gravibus vinculis undique anima constringitur, manum non sinens attollere, nec contra hostem proferre, nos molles ac delicatos reddit. Utinam liberati vincere possimus impuram illam potestatem. Ideo Christus, ac si non satis sit divitias abjicere, vide quid dicat : *Vende omnia quæ habes, et da pauperibus : et veni, et sequere me* (*Marc.* 10. 21). Quod si, depositis opibus, nondum in tuto sumus, sed alia arte et accuratione nobis est opus; multo magis, si retinemus, nihil magnum operabimur, sed ridiculi

[1] Alius legit, *miracula*, pro, *bona*.

et spectatoribus et ipsi maligno hosti videbimur. Licet enim diabolus non esset, licet nullus impugnaret, innumeræ undique viæ opum amantem ad gehennam ducunt. Ubi nunc sunt qui dicunt : Cur diabolus factus est? Ecce hic diabolus nihil, sed nos totum operamur. Atqui hoc dicere oportebat eos qui in montibus degunt, qui continentiam sectantes et pecuniarum aliarumque rerum contemptum, patrem, domos, agros, uxores et filios, libentissime reliquerunt. At illi hæc non dicunt; hi vero illa proferunt, quæ numquam dicere oportuisset. Illa vere sunt diaboli certamina : in hæc vero neque descendere dignum est. At, inquies, divitiarum cupiditatem immittit diabolus. Fuge, et ne admittas, o homo. Nunc autem si quem videris a tabulato lutum rejicere, deinde alium videntem contra se jaci, stare, et totum capite excipere, non modo non misereris, sed etiam indignaris, dicisque illum juste passum esse : omnesque illi dicerent, Ne stultus esto; nec tam jacientem, quam excipientem criminarentur. Nunc porro scis divitiarum cupiditatem a diabolo proficisci : scis illum innumerorum esse malorum causam; vides illum fœdas turpesque cogitationes quasi lutum apparare, nec intelligis te nudo capite inmunditiam illam excipere, cum oporteret tantisper declinando id vitare? Quemadmodum ille, si a loco declinaret, liberaretur, sic et tu tales cogitationes ne excipias, et a peccato fugies : repelle cupiditatem. Et quomodo repellam, inquies? Si gentilis esses, et præsentia tantum admirareris, forte res esset difficilis, etiamsi gentiles hoc fecerint : at tu qui cælum et cælestia exspectas, dicis, Quomodo repellam? Si contrarium dixissem, tunc dubitare oporteret; si dicerem, Divitias concupisce, responderes, Quomodo concupiscam? cum talia videres. Dic mihi, si auro et lapidibus pretiosis propositis dicerem : Concupisce plumbum, an hæsitares? Diceres certe : Quomodo possum? Sin dicerem, Ne concupiscas : hoc facilius esset. Non admiror despicientes, sed non despicientes : hoc est animæ ignavia plenæ, quæ nihil differat a muscis et culicibus, humi repentis, in luto volutatæ, nihil magnum cogitantis. Quid dicis? Vitam æternam hæreditate accepturus es, et ais, Quomodo præsentem vitam præ illa contemnam? num res sunt mutuo comparabiles? Regiam vestem es accepturus, et dicis, Quomodo pannos contemnam? in regiam ingressurus dicis, Quomodo pauperem hanc casam despiciam? Vere nos semper nobis causa malorum sumus, qui nolumus paululum excitari. Nam qui voluerunt, recte se gesserunt; idque cum magno fervore et facilitate. Utinam et vos nostra admonitione persuasi, recte agatis, imitatoresque sitis eorum qui præclare se gesserunt, gratia et benignitate unigeniti Filii, quicum Patri, unaque sancto Spiritui, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Cap. 3. v. 1. *Simul Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.*

1. Hi ubique magnam inter se concordiam habere conspiciuntur. *Huic innuit Petrus :* simul ad sepulcrum ambo veniunt : de Joanne dicit Petrus Christo, *Hic autem quid* (*Joan.* 13. 24. *et* 20. 3. *et* 21. 21)? Alia quidem signa prætermisit hujus libri scriptor; quod vero in stuporem et admirationem omnes conjiciebat, illud narravit. Et animadverte, illos non consilio huc venisse; ita ab omni ostentatione vacui erant, doctoremque suum imitabantur. Cur autem ascenderunt in templum? Num adhuc Judaice vivebant? Minime; sed utiliter hoc faciunt. Nam rursus signum editur, quod illos confirmet, aliosque pertrahat : signum, inquam, quale nondum fecerant. Naturalis erat morbus, arti medicæ non cedens : imo a quadraginta annis claudicabat, ut deinde dicitur, nemo illum in tam longo tempore curaverat. Scitis vero, hæc a natalibus mala curatu esse difficiliora. Tantus erat morbus ut ne quidem necessarium sibi cibum parare posset. Insignis vero erat, tum a loco, tum a morbo; et quomodo, audi. 2. *Et quidam vir,* inquit, *claudus ex utero matris suæ bajulabatur : quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.* Eleemosynam ergo petebat, et nesciebat quinam viri essent. 3. *Qui cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet.* 4. *Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit : Respice in nos.* Hoc audit; ille vero neque sic erigitur, sed adhuc manet instans. Talis enim est paupertas, dare negantibus instat et cogit illos. Erubescamus nos, qui a precibus resilimus. Vide autem, quam cito Petrus mansuetudinem exhibeat, dicens : *Respice in nos.* Sic illorum habitus per se mores indicabat. 5. *At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.* 6. *Petrus autem dixit : Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* Non dixit, Rem multo pretiosiorem argento do tibi; sed quid? *In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula.* 7. *Et apprehensa manu ejus dextra, allevavit eum.* Ita fecit et Christus, sæpe manum porrexit, quando erant in fide infirmiores, ut ne videretur res ex sponte sua fieri. *Et apprehensa manu ejus dextra, allevavit eum.* Hoc manifestam fecit resurrectionem : hæc quippe resurrectionis imago erat. *Et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ,* 8. *et exsiliens stetit, et ambulabat.* Tentans forte seipsum, et majorem experientiam faciebat, num frustra id factum esset. Infirmi ejus pedes erant, non abscissi. Quidam vero dicunt ipsum incedere nescivisse. *Et intravit cum illis in templum ambulans.* Vere admiratione digna res erat. Non illi ipsum ducunt, sed sequitur, et sequendo benefactores ostendit; atque etiam quod exsiliens laudaret Deum, non illos admirando laudans, sed Deum, qui per illos operatus erat. Ita grato vir animo erat. Sed priora

sia, sed multitudine probata : si autem hoc fieri nequeat, ut saltem pauci probati sint. Annon videtis, melius esse unum lapidem pretiosum habere, quam innumeros obolos? annon videtis melius esse oculum sanum habere, quam, hoc excæcato, pinguedine carnis onerari? annon videtis, melius esse ovem unam sanam habere, quam millenas scabie plenas? annon videtis, melius esse paucos habere bonos filios, quam multos improbos? an nescitis, paucos in regno fore, multos, in gehenna? Quid mihi cum multitudine? quæ ex ea utilitas? Nulla : imo potius aliis est pernicies. Idem ipsum est, ac si cui liceat decem sanos habere, vel mille infirmos, et ille istis decem innumeros illos adjiciat. Illi sane multi nihil bene operantes, nihil aliud nobis conferent, quam supplicium, et in præsenti tempore, ignominiam. Nemo enim quod multi simus dicet, sed quod inutiles simus redarguet. Hoc itaque nobis semper objiciunt, quando dicimus, Multi sumus : Sed mali, inquiunt. Ecce iterum denuntio et clara voce clamo, nemo jocum esse putet : Excludam et arcebo non obtemperantes, et donec in hoc throno sedebo, nihil illius justificationibus præferam. Si quis me dejecerit, jam non obnoxius ero; donec vero obnoxius sum, non possum negligere, non tam metu supplicii, quam propter vestram salutem, quam admodum cupio : pro illa crucior et doleo. Sed obtemperate, ut et hic et in futuro multam accipiatis mercedem, et simul bonis fruamur æternis, gratia et benignitate unigeniti Filii, quicum Patri unaque Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Cap. 3. v. 12. *Videns autem Petrus, respondit ad populum : Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut quid nos intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare?*

1. *Oratoris modestia multum prodest auditori.* — Majore fiducia plena est hæc oratio : non quod in priore timeret, sed quia id homines illi irrisores non tulissent. Quare in illius exordio statim illos attentos reddit, dicens : *Hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea.* Hic autem non habet tali apparatu opus. Non enim segnes erant : signum quippe illos attentos fecerat; unde et stupore et metu pleni erant. Quare non opus fuit ut inde exordium duceret : sed aliunde, quo illos magis sibi conciliaret, gloriam ab se depellendo. Nihil enim tam prodest auditori, quam si orator nihil magni de se dicat, sed omnem superbiæ suspicionem tollat. Gloriam vero despicientes sic majorem sibi gloriam parabant, ostendebantque non humanum, sed divinum illud esse opus, et par esse ut illi etiam cum aliis admirarentur, non in admiratione haberentur. Vides, quam ab ambitione purus, gloriam sibi oblatam depellat? Sic et veteres faciebant, ut Daniel qui dicebat : *Ego autem non in sapientia, quæ in me sit* (*Dan.* 2. 30); et Joseph, *Nonne per Deum manifestatio eorum* (*Gen.* 40. 8)? et David, *Venientem leonem et ursum in nomine Domini manibus discerpebam* (1. *Reg.* 17. 34). Hi quoque nunc : *Quid nos intuemini, quasi propria virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare?* Non hoc nostrum est, inquit; neque enim quod digni essemus, gratiam Dei attraximus. 13. *Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum.* Vide, quomodo se frequenter ad progenitores convertat; ne videretur novum quoddam dogma inducere : et illic patriarcham Davidem memoravit, et hic Abrahamum et sequentes. *Glorificavit Filium suum Jesum.* Rursus humiliter sicut in procemio. Deinde in illorum facinore insistit, illudque extollit, nec sub umbra loquitur ut prius. Illud autem facit, ut illos magis reducat. Quanto enim magis scelus declarabat, tanto attentiores reddebat. *Glorificavit*, inquit, *Filium suum Jesum, quem vos tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.* Duo sunt crimina, et quod Pilatus vellet dimittere, et quod illo volente vos nolueritis. 14. *Vos autem sanctum et justum negastis, et petiistis virum homicidam donari vobis :* 15. *auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus.* Ac si diceret, Pro illo latronem petiistis. Rem admodum gravem declarat. Quia illos sub manu tenebat, vehementer perstringit. *Auctorem vero vitæ*, inquit. Hic resurrectionis fidem apparat. *Quem Deus suscitavit a mortuis.* Ne quis diceret, Undenam hoc liquet? non jam ad prophetas confugit, sed ad seipsum, quia jam fide dignus habebatur. Tunc enim, cum dixisset illum resurrexisse, Davidem testem induxit; nunc vero hoc ipsum dicens, chorum apostolicum. *Cujus nos testes sumus*, inquit. 16. *Et in fide nominis ejus, hunc, quem vos videtis et nostis, confirmavit nomen ejus; et fides, quæ per eum est, dedit ei integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* Quærens causam dicere, statim signum adjicit, dicens : *In conspectu omnium vestrum.* Quia valde illos perstrinxerat, et ostenderat crucifixum resurrexisse, rursus sermonem mitigat, dans illis pœnitentiæ facultatem, dicens. 17. *Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. Per ignorantiam fecistis.* Hæc una excusatio est; altera, *Sicut et principes vestri.* Quemadmodum Joseph fratribus dicebat : *Deus me misit ante vos* (*Gen.* 45. 5); imo quod carptim illic dixerat, *Definito consilio, et præscientia Dei traditum accipientes* (*Act.* 2. 23), idipsum hic extendit. 18. *Deus autem quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, sic implevit.* Simul ostendit non illorum esse, si hoc demonstratum sit; sed per voluntatem Dei factum esse. Cum vero dicit, *Quæ prænuntiavit*, verba, queis crucifixo exprobrabant, subindicat : Si vult eum, salvet illum, dicentes : Dixit enim, Filius Dei sum : confidit in illum; descendat nunc de cruce (*Matth.* 27. 40. *sqq. Luc.* 23. 35). An nugæ sunt hæc, o stulti? Absit;

sed sic oportebat fieri : et testificantur prophetæ. Itaque non ob infirmitatem non descendit, sed ob suam virtutem. Et hoc ponit in excusationem Judæorum, ut etiam accipiant. *Sic implevit*, inquit. Viden', quomodo totum illuc referat? 91. *Pœnitemini igitur*, inquit, *et convertimini*. Nec dicit, A peccatis vestris; sed, *Ut deleantur peccata vestra*, idipsum significans. Deinde lucrum apponit : *Ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini*. Hic exhibet illos in miseriam delapsos, multisque affectos calamitatibus : ideoque sic loquitur, gnarus hæc verba patienti et consolationem quærenti congruere.

2. Et vide quomodo procedat. In prima concione sensim resurrectionem et sessionem in cælo subindicavit; hic vero clare adventum effert. 20. *Et miserit eum, qui ante prædicatus est, Jesum Christum*, 21. *quem oportet quidem cælum suscipere;* id est, necesse est : *usque ad tempora restitutionis omnium*. Quare nunc non veniat, causa manifesta est. *Quæ loquutus est Deus per os sanctorum suorum a sæculo prophetarum*. 22. *Moyses quidem patribus dixit : Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tamquam me : ipsum audietis juxta omnia quæcumque loquutus fuerit vobis* (*Deut*. 18. 15). Illic Davidem, hic Moysem memoravit. *Omnium*, inquit, *quæ loquutus est Deus*. Non dicit, Quæ loquutus est Christus; sed, *Quæ loquutus est Deus;* sic sub umbra paulatim illos ad fidem adducens. Postea ad rem fide dignam confugit, dicens : *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus ex fratribus vestris tamquam me : ipsum audietis juxta omnia*. Deinde ultio magna sequitur. 23. *Erit autem*, inquit, *omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe*. 24. *Et omnes prophetæ a Samuel et deinceps, qui loquuti sunt, annuntiaverunt dies istos*. Hic recte exitium posuit. Quando enim magnum quidpiam dicit, ad priores confugit, et testimonium reperit utraque complectens; ut illic dixit : *Donec ponat inimicos sub pedes tuos* (*Psal*. 109. 2). Quodque mirum est, hæc duo simul, subjectio, prævaricatio et pœna. *Tamquam me*, inquit. Quid ergo miramini? 25. *Vos estis filii prophetarum*. Itaque vobis dicebam; propter vos omnia facta esse. Quia enim propter scelus putabant se abalienatos esse : etenim rationi consentaneum non est eumdem modo crucifigi, mox suos curare; et hoc et illud factum per prophetiam ostendit. *Vos estis*, inquit, *filii prophetarum et testamenti, quod disposuit Deus ad patres vestros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ* (*Gen*. 12. 3). 26. *Vobis primum*, inquit, *Deus suscitans Filium suum, misit*. Utique et aliis; sed vobis primum, qui crucifixistis. *Benedicentem vobis; ut convertat se unusquisque a nequitia sua*. Quæ lecta sunt accuratius repetamus. Suadere conatur, non ipsos miraculum fecisse, cum dicit, *Quid miramini?* Nec permittit ut dicto fides non habeatur. Atque ut illud fide dignius redderet, illorum judicium prævertit, dicens : *Quid nos intuemini, quasi propria virtute vel pietate fecerimus?* Si hoc vos terret et turbat, discite, quis fecerit, et ne obstupescite. Et hoc ubique perpende : ubi ad Deum confugit, dixitque ipsum fecisse omnia; tunc illos sine metu perstringit. Ideo superius dicebat. *Virum approbatum a Deo in vobis*. Et ubique illis hoc facinus commemorat, ut miraculum ostendatur, et resurrectio firmetur. Hic autem aliud addidit : non enim jam illum Nazarenum dicit, sed quid? *Deus*, inquit, *patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum*.

Quo ritu Petrus concionetur. — Vide, quam alienus sit a fastu. Non accusavit, neque mox dixit : Et nunc credite : ecce homo, cum per quadraginta annos claudus fuisset, in nomine Jesu Christi surrexit. Non ita dixit; nam contentiosiores illos reddidisset; sed interim laudat illos, quod rem admirarentur. Et iterum a progenitore vocat. Nec dicit : Jesus illum curavit, licet ipsum vere curasset; sed ne dicerent, Ecqua hæc ratione nituntur, si prævaricatorem glorificat? ideo in mentem illis revocat judicium apud Pilatum : ostendens, si attendere velint, non esse illum prævaricatorem : neque enim Pilatus voluisset eum dimittere. Nec dicit, Volente; sed, *Judicante illo dimitti;* declarans vos eum, qui alios occidebat, dimitti petiisse; eum vero, qui occisos ad vitam reducebat, noluisse. Ne vero iterum dicerent : Quomodo nunc glorificat, qui tunc non adjuvit? adducunt prophetas testificantes, sic oportuisse fieri. Deinde, ne putarent Dei œconomiam ipsorum excusationem esse, prius illos perstringit. Et quod in conspectu Pilati negassent leve non erat, cum ipse vellet dimittere : quodque id negare non possent, arguebat is, quem pro illo petierant. Ita hoc quoque ex magna dispensatione factum. Hic impudentiam petulantiamque illorum ostendit; eo quod gentilis qui tunc primum illum vidit, ipsum liberare voluerit, licet nihil magni audivisset; illi vero inter signa enutriti contra fecerint. Quod vero ille juste judicaret dimittendum esse, nec ad gratiam id faceret, audi ipsum alibi (*Matth*. 27. 15. *Marc*. 15. 6) dicentem : Est consuetudo vobis dimittere unum quemdam : *Vultis ergo hunc dimittam vobis? Vos autem sanctum et justum negastis*. Non dixit, Tradidistis; sed ubique, *Negastis*. (*a*) [Jure. Sic enim dicebant :] *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan*. 19. 15). Nec dixit, Non petiistis inculpatum; neque negastis solum, sed etiam occidistis. Quando excæcati erant, nihil tale dixit : cum autem eorum animi magis erant exagitati, tunc acrius perstringit, cum sentire poterant. Quemadmodum et nos ebriis nihil dicimus; cum autem ebrietate sublata vigiles sunt, tunc carpimus : ita et Petrus, cum intelligere poterant, tunc linguam acuit, sceleraque multa enumerat; nempe, quod eum, quem Deus glorificavit, ipsi tradiderint; quod quem Pilatus absolvit, in conspectu ipsius negaverint; quod latronem prætulerint.

3. Vide rursum, quomodo occulte de potentia illius loquatur, quod seipsum suscitaverit, ut in priori concione dicebat : *Juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo* (*Act*. 2. 24); et hic, *Auctorem*, inquit, *vitæ inter-*

(*a*) Quæ uncinis clauduntur desunt in uno Codice.

lem do fidejussorem, tu non permittis. Quid igitur? inquies, perdamne quod dedi? Non hoc dico; sed queror quod Deum afficias contumelia. Ideoque is, qui cogit, inevitabilius supplicium habebit, quam is, qui jurat: similiterque is, qui nemine postulante jurat. Quodque gravius est, singuli vel pro uno obolo jurant, pro parva re, pro injustitia. Hæc vero, cum sine perjurio agitur: nam si perjurium sequatur, omnia sus deque vertuntur, et in causa sunt tam is qui accepit, quam is qui dedit. At, inquies, quædam sunt quæ ignorantur. Verum hæc si prævideas, nihil temere facies: si quid vero negligenter agas, a teipso pœnas exige. Melius est sic damno affici, quam alio modo. Dic enim mihi, trahis quempiam ad juramentum, quid exspectans? num quod pejeret? Sed hoc extremæ est insipientiæ; in caput tuum ultio vertetur: melius erat pecunias tuas perire, quam illum. Cur hoc ad damnum tuum et Dei contumeliam facis? Hæc anima feræ est et impii viri. Sed spero, illum non pejeraturum esse. Ergo etiam sine juramento crede. Sed multi sunt, inquies, qui non jurati fraudare audent, jurati secus. Teipsum decipis, ó homo. Qui furari et proximum lædere didicit, sæpe juramentum etiam conculcabit; si autem jurare vereatur, multo magis injuste agere verebitur. Sed invitus hoc patitur? Ergo venia dignus. Sed relictis illis forensibus juramentis, quid de hisce dicam? Illic nihil tale dicere potes: nam pro decem obolis juramenta fiunt et perjuria. Quia enim fulmen superne non mittitur, quia non omnia subvertuntur, stas Deum obstringens. Qua de causa? Ut olera, ut calceos accipias, pro modica pecunia in testem illum advocas. Ne, quia non plectimur, putemus nos non peccare: hoc divinæ misericordiæ est, non nostræ virtutis. Jura per puerum tuum; jura per teipsum; dic: Sic ne lictor adstet lateribus meis. Sed times. Lateribus ergo tuis vilior est Deus, et capite tuo abjectior? Dicito: Sic ne excæcer. At Christus ita nobis parcit, ut vetet etiam per proprium caput jurare: nos vero ita non parcimus gloriæ Dei, ut ubique ipsum trahamus. Nescitis, quid sit Deus, et quo ore advocandus sit. Sed si de viro virtute claro loquamur, dicimus, Lava os tuum, et sic commemora. nunc vero pretiosum nomen, quod est super omne nomen, mirabile in universa terra, quod audientes dæmones exhorrescunt, temere circumtrahimus.

6. O consuetudinem! ab illa enim contemptui est. Sane si in sacris ædibus alicui necessitatem jurandi imposueris, ita affectus es ac si horrendum feceris juramentum. Atqui cur tam horrendum videtur esse, nisi quia illo quidem facile utimur, hoc vero minime? annon horrere oporteret cum nominatur Deus? At apud Judæos ita venerandum erat nomen ejus, ut in laminis describeretur (*Exod.* 39. 29), et nemini liceret literas istas ferre, nisi soli summo sacerdoti; nunc autem tam facile nomen ejus circumferimus. Si simpliciter nominare Deum non omnibus fas erat; ipsum in testem vocare, quantæ audaciæ, quæso, quanti furoris est? Si enim potius omnia abjicere oporteret, annon libenter relinquere par esset? Ecce dico, et testificor: Emendate juramenta illa forensia; non obtemperantes autem omnes ad me adducite. Ecce vobis præsentibus impero iis, qui ad ministerium sunt domuum orationis, hortor et edico, nemini licere temere jurare; imo neque alio quovis modo. Ad me ergo ducatur, quisquis sit, quia hæc omnia ad nos usque deferri oportet, ac si pueruli essetis. Absit ut ita res sit. Pudor enim est, si adhuc disciplina egeatis. Num sacram mensam tangere audes non initiatus? Sed quod pejus est, tu initiatus sacram mensam tangere audes, quam nec omnibus sacerdotibus tangere licet, et sic jurare. Et tu quidem pueri caput non tangeres egressus, et mensam tangis, neque exhorrescis nec formidas? Ad me tales adducito: ego judicium feram, et ambos gaudentes remittam. Quod volueritis, facite; legem pono, ne omnino juretur. Quæ salutis spes sic nobis omnia pessumdantibus? ideo syngraphæ, ideo symbolæ, ut tuam immoles animam? quid tantum lucraris, quantum perdis? Pejeravit? Perdidisti et illum et teipsum. Sed non pejeravit? Etiam sic perdidisti, qui coegeris præceptum transgredi. Hunc morbum ab anima expellamus; interim a foro illum ejiciamus, a tabernis mercatorum, et a reliquis officinis: major nobis hinc proventus erit. Ne putetis per transgressionem divinarum legum res hujus vitæ recte dirigi. At non credit, inquies. Nam hoc ego ab aliquibus audivi: Nisi mille juramenta proferam, non credet. Tu in causa es, qui tam facile juras: nam si hoc non esset, sed omnibus notum esset te numquam jurare, crede mihi dicenti, vel innuenti tibi magis crederetur, quam iis qui mille juramenta devorant. Nam cui, quæso, magis creditis, mihi non juranti, an jurantibus? Sed tu, inquies, es princeps et episcopus? Quid igitur, si ostendero me non hoc solum esse? Cum veritate, quæso, respondete mihi: si frequenter et semper jurarem, an prodesset mihi principatus? Minime. Viden' non illam esse causam? Quid igitur, quæso, lucraris? Paulus esuriebat: et tu esurire potius eligas, quam transgredi quædam ex divinis mandatis. Cur ergo incredulus es? Tu ergo nihil non ages, et patieris, ut ne umquam jures; at ille te non remunerabit? Atqui et perjuros et juramentis assuetos quotidie alit; te vero fami tradet, quia illum audisti? Omnes videant ex iis, qui in hac ecclesia congregantur, neminem esse qui juret; et hinc noti simus, non ex fide tantum; hinc a Græcis et ab aliis omnibus differamus. Signaculum accipiamus de cælis, ut quasi regius grex ubique appareamus: ab ore et a lingua noscamur, sicut barbari; sicut ii qui Græce sciunt, hinc a barbaris discernamur. Dic enim mihi, unde noti sunt psittaci? nonne ex eo, quod tamquam homines loquantur? Et nos quoque, sicut apostoli, ex loquela noti simus, ex eo quod ut angeli loquamur. Si quis dixerit, Jura; audiat, Christus vetat, et non juro. Hoc satis est ad omnem inducendam virtutem. Janua quædam est pietatis, via ad philosophiam (pietatis) inducens, palæstra quædam. Hæc custodiamus, ut præsentia et futu

ra consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

Cap. 4. v. 1. *Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt sacerdotes et magistratus templi.*

1. Nondum a prioribus respiraverant tentationibus, et statim in alias inciderunt. Et vide, quomodo res dispensentur. Primo cum irrisione excepti sunt omnes, nec parva erat hæc tentatio: secundo, ipsi coryphæi in pericula incidunt. Non continenter vero hæc duo facta sunt, neque simpliciter; sed postquam in concionibus claruerant, et miraculum magnum patrarant; sic demum assumpta fiducia, Deo concedente certamina ineunt. Tu vero mihi perpende, quomodo, qui quæsierant proditorem qui Christum traderet, hic ipsi manus injiciunt ferociores facti et impudentiores post crucem. Peccatum enim dum parturitur, quemdam habet pudorem; cum autem perfectum est, impudentiores reddit auctores. Cur autem magistratus supervenit? Nam *Supervenerunt ipsis sacerdotes et magistratus templi*, inquit. Ut rursus publicum crimen gestis inferrent, et non ut peculiare et privatum ulciscerentur: quod ubique facere studebant. 2. *Dolentes quod docerent populum.* Moleste ferebant, non modo quod docerent; sed etiam quod dicerent non solum ipsum resurrexisse, sed etiam nos per illum resurrecturos esse. *Quod docerent*, inquit, *populum, et annuntiarent in Jesu resurrectionem mortuorum* Ita efficax fuit illius resurrectio, ut etiam aliis auctor sit resurrectionis. 3. *Et injecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim jam vespera.* O impudentiam! Adhuc priore sanguine plenas manus habebant, nec segniores erant, sed injecerunt denuo illas, ut alio sanguine implerent: vel fortasse quia illi jam multitudine creverant, timuerunt, ideoque magistratus templi supervenit. *Erat enim*, inquit, *jam vespera.* Illi vero volentes eos mitigare, sic faciebant et custodiebant: apostolos autem audaciores reddebat mora temporis. Et vide, quinam comprehendantur: apostolorum coryphæi, aliis postea exemplum facti, ne ultra se mutuo inquirant, neque communiter agant. 4. *Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum circiter quinque millia.*

Petri in concionando vis. — Quid hoc? num illos conspicuos videbant? annon ligatos? quomodo ergo crediderunt? Viden' manifestam efficaciam? Atqui eos, qui crediderant, oportebat infirmiores fieri; sed non ita fuit: Petri namque concio semina in profundum jecerat, mentemque illorum affecerat. Illi vero ideo succensebant, quod non ab illis metuerentur, quodque illi præsentia mala pro nihilo reputarent. Si enim crucifixus, aiebant, talia operatur, et claudum erigit, ne timeamus illos. Hoc ergo ex Dei dispensatione factum est. Hinc vero fit, ut qui nunc credunt plures sint, quam priores. Ideoque timentes, illis videntibus apostolos ligarant, ut illos timidiores redderent. Secus autem accidit, quam illi volebant. Ideoque non coram illis ipsos interrogant, sed seorsim, ne ex eorum loquendi libertate auditores lucrum referrent. 5. *Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum et seniores et scribæ in Jerusalem: 6. et Annas princeps sacerdotum, et Caiphas et Joannes et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali.* Rursus conveniunt in unum. Cum aliis etiam malis hoc aderat, quod lex non servaretur. Ac rursus judicii formam huic negotio induunt, ut injusto judicio noxios illos reddant. 7. *Et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Atqui id sciebant: nam *dolebant*, inquit, *quod annuntiarent in Jesu resurrectionem.* Ideo comprehenderant illos. Cur ergo interrogant? Exspectabant illos propter multitudinem negaturos esse, et sic putabant se totum emendaturos esse. Vide ergo quid dicant: *In quo nomine hoc fecistis vos?* 8. *Tunc Petrus repletus Spiritu sancto dixit ad eos.* Nunc recordare verborum Christi (a), [et quomodo evenerit id quod dicebat:] *Cum autem tradent vos in synagogis, ne solliciti sitis quomodo aut quid loquamini: Spiritus enim Patris vestri est, qui loquitur in vobis* (*Luc.* 12. 11. 12). Ergo magnam acceperant efficaciam. Quid vero dicat, audi: *Principes populi, et seniores Israel.* Vide philosophiam viri, et quomodo fiducia plenus nihil contumeliose dicat, sed cum honore: *Principes populi*, inquit, *et seniores Israel*: 9. *si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est*, 10. *notum sit vobis, et omni plebi Israel.* Strenue illos a principio perstringit et carpit; imo illis priora in memoriam revocat, quod illos de beneficio in jus vocent, ac si diceret: Utique oportebat nos hac de re coronari, atque ut beneficos promulgari; nunc autem in jus vocamur, quia bene fecimus homini infirmo, non potenti, non nobili; quamquam et in hoc quis invidisset?

2. Magna gravitate exordium plenum est. Hinc vero ostenditur ipsos sese malis implicare. *Quia in nomine Jesu Christi Nazareni.* Quod illos maxime contristabat, adjicit. Hoc erat, quod dicebat illis Christus: *quod in aure audistis, prædicate super tecta* (*Matth.* 10. 27). *In nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit ex mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus.* Ne putetis, inquit, nos occultare patriam vel passionem. *Quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit ex mortuis, in hoc ille adstat coram vobis sanus.* Iterum passio, iterum resurrectio. 11. *Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli* (*Psal.* 117. 22). In memoriam ipsis revocat verbum, quod terrere illos

[1] Quæ uncinis clauduntur, unus non habet.

rursus dicenda sunt? Imo sive aliquid factum sit, sive non, eadem ipsa aggrediemur, ut curam habeatis, ut illud firmius observetis et alios hortemini. Unde ergo incipiemus? Vultis a veteri lege? Atqui hoc nobis pudori est, quod ea, quæ in veteri lege sunt, quæ exsuperare oporteret, ne servemus quidem. Nos certe non de his audire conveniebat (Judaicæ enim vilitatis hæc præcepta sunt), sed illa perfecta: abjice pecunias, sta fortiter, animam pro prædicatione dato, terrena omnia ride, nihil tibi sit commune cum præsenti vita; si quis te lædat, benefacito; si te defraudet, benedicito; si contra te blasphemet, honorato; omnibus superior esto. Hæc et similia audire oportebat.

Contra juramenta. — Nunc autem de juramento loquimur; atque idipsum contingit, ac si quis eum, qui jam debeat philosophari, a doctoribus suis abstrahat, atque syllabas et elementa legere cogat. Cogita mihi quantus pudor sit hominem profundam habentem barbam, baculum ferentem et pallium (*a*), ad magistros cum pueris abire, ut eadem cum illis discat: nonne hinc magnus risus? Sed jam major ex nobis. Non enim tantum discriminis est philosophiam inter et elementa, quantum inter Judaica et nostra; sed quantum inter angelos et homines. Si quis, quæso te, angelum de cælo deductum juberet hic stare et verba nostra audire, ut secundum ea se componeret, annon pudor inde et risus sequeretur? Si vero de iis jam erudiri ridiculum est, his ne quidem attendere, quanta damnatio? quantus pudor? Et quomodo non pudor sit, quod adhuc Christiani addiscant non esse jurandum? Attamen nos reprimamus, ne magis rideamur. Age igitur ex veteri lege vobis disseramus hodie. Quid autem dicit illa? *Juramento ne assuefacias os tuum, neque cum nomine Sancti consuescas.* Quare? *Sicut enim servus, qui torquetur assidue, a livore non purgabitur; sic neque jurans* (*Eccli.* 23. 9-11).

5. Vide prudentiam hujus sapientis. Non dixit, Juramento ne assuefacias mentem tuam; sed, *Os tuum;* quia totum ex ore esse sciebat, et quia facile corrigitur. Nam consuetudo est demum sine proposito facta: ut sunt multi qui in balnea ingressi, ubi fores transierunt, se signant. Hoc solet manus nemine jubente ex consuetudine facere. Rursus accensa lucerna, mente aliud quidpiam considerante, manus signum facit. Ita et os, non ex animo loquitur, sed ex consuetudine, totumque est in lingua. *Neque cum nomine Sancti consuescas. Sicut enim servus, qui torquetur assidue, a livore non purgabitur: sic neque qui jurat.* Non perjurium hic, sed juramentum exscindit pœna illi apposita. Ergo juramentum peccatum est. Talis est anima, talibus scatet vulneribus, talibusque livoribus. An tu non vides? Hoc enim grave est: quamvis possis videre si velis; dedit quippe tibi Deus oculos. Talibus oculis videbat propheta, dicens: *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* 37. 6). Deum despeximus, nomen bonum odio habuimus, Christum conculcavimus, solvimus pudorem, nemo cum honore nomen Dei memorat. Et tu quidem, si quempiam dilexeris, ad nomen ejus erigeris; Deum vero sic perpetuo vocas quasi nihil. Voca eum benefaciens inimico, voca ad salutem animæ tuæ: tunc adest, tunc lætificas illum; nunc autem exacerbas. Voca illum ut vocavit Stephanus. Quid dicens? *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* 7. 59). Voca illum ut vocavit uxor Elcanæ, cum lacrymis, cum fletu, cum oratione (1. *Reg.* 1. 10). Non prohibeo, sed valde hortor. Voca illum ut vocavit Moyses, et clamabat orans pro iis, qui ipsum in fugam egerant (*Num.* 12. 13). Et tu quidem si virum quempiam reverendum temere memores, id pro contumelia habetur; si vero Deum verbis circumferas, non modo temere, sed etiam intempestive, pro nihilo rem habes? Et quanto supplicio dignus non fueris? Non prohibeo Deum semper in mente habere, hoc enim et optarim et velim; at non præter placitum ejus, verum cum laude et honore. Magna id nobis pareret bona, si cum oportet, et in quibus oportet, tantum vocaremus eum. Cur, quæso, apostolorum ævo tot tantæque virtutes fiebant, nostra vero ætate minime, licet idem ipse sit Deus, idipsum nomen? Sed non par res est. Quomodo? Quia illi in iis, quæ dixi, ipsum vocabant solum; nos vero non in his, sed in aliis. Si autem ideo juras, quia ille non credit: dic quidem, Crede; cæterum si vis, jura per te ipsum. Hæc dicens, non contraria Christi legi profero, absit: nam ait, *Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non* (*Matth.* 5. 37); sed me vobis attemperans, ut magis ad hoc vos inducam et a tyrannica consuetudine liberem. Quot in aliis rebus probati, hac de causa perierunt? Vultis discere, cur priscis illis jurare permitteretur? (pejerare enim neque illis concessum erat). Quia per idola jurabant. Non vos pudet in iis manere legibus, in quibus illi versabantur infirmi. Nam si nunc gentilem adoriar, non statim illi hoc impero, sed interim ut sciat Christum admoneo: fidelis vero, qui Christum didicit et audivit, si eadem qua Græcus indulgentia opus habeat, quæ utilitas? quod lucrum? Sed gravis res est consuetudo, et difficile abstraheris? Ergo, quia tanta est consuetudinis tyrannis, eam in aliam transfer consuetudinem. Et quomodo, inquies, fieri potest? Quod sæpe dixi, hoc et nunc dico: Sint emendatores dictorum multi, sint inquisitores et correctores. Non pudor est ab aliis corrigi; imo pudor est repellere corrigentes, et in propriæ salutis damnum hoc facere. Et tu quidem si vestem induas inversam, permittis te a puero admoneri, nec te pudet ab illo discere; quamvis hac in re magnus sit pudor: hic autem in anima læsus, te

(*a*) In hunc locum hæc notat Dounæus apud Savilium: *Hæc insignia sunt philosophorum,* πώγων βαθὺς (spissa barba), βακτηρία (baculus), ἐξωμίς, *quam* caputium *interpretor, quod ad magisteria nostra videtur a prisco more translatum, quamquam Lucianus in habitu philosophorum nusquam quod memini, memorat,* τὴν ἐξωμίδα, *sed barbam promissam, baculum,* et τριβώνιον, *hoc est.* trinum pallium. *At Julius Pollux: Comica,* inquit, *vestis quæ* exomis *vocatur: non aliud est enim nisi tunica alba et servilis, a latere dextro suturam non habens.* Et vult esse servilis vestimenti genus, sic dicti quod latere aperto dextrum humerum exserebant.

pudet ab alio erudiri? et servum fers te circa vestem ornantem et calceantem, eum autem qui animam tuam ornat non sustines? Et quantæ hoc non insipientiæ fuerit? Sit et servus doctor, sit puerulus, sit uxor, sit amicus [1], cognatus, vicinus. Sicut enim fera, quæ undique pellitur, non potest effugere : sic is, qui tot habet custodes, tot correctores, qui undique feriant, non potest non sibi cavere. Et primo quidem die ægre feret atque in secundo et tertio : at deinceps res erit facilior, et post quartum non idem erit negotium. Periculum facite, si quidem non credatis : curam habete, obsecro. Non est leve peccatum, neque levis correctio; sed utrinque magnum seu bonum seu malum. Utinam bonum fiat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Morel. legit : *Sit et servus doctor, sit amicus*, omissis interpositis.

HOMILIA XI.

CAP. 4. v. 23. *Dimissi autem venerunt ad suos; et annuntiaverunt eis, quanta ad eos principes sacerdotum et seniores dixissent.*

1. Non vana gloria moti narrant : qui enim fieri potuerit? sed hæc gratiæ Christi sunt indicia. Ideo, quæcumque illi dixerant, enarrant; sua vero dicta licet prætereant, hinc tamen majorem fiduciam assumunt. Et perpende, quomodo rursum ad verum auxilium confugiant, ad subsidium invictum, ac rursum unanimiter et cum studio : neque enim est oratio utcumque emissa. 24. *Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt.* Vide quam diligenter fiant illorum preces. Quando apostolatu dignum ostendi sibi petebant, sic dicebant : *Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende* (*Act.* 1. 24) (ibi enim præscientia opus erat) : hic vero, quia adversariorum ora obstrui oportebat, de dominatu loquuntur; ideo sic orsi sunt : *Domine Deus, qui fecisti cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt :* 25. *qui per os David pueri tui dixisti : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* 26. *Adstiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus* (*Psal.* 21. 2). Ac si pacta a Deo exigerent, prophetiam in medium afferunt, seipsos simul consolantes, quod omnia frustra meditentur inimici. Hoc autem significare voluit : Illa in medium profer, et ostende quod vana meditati sint. 27. « Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum Puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel, 28. ut facerent quæcumque manus tua et consilium tuum fieri præfinivit. 29 Et nunc, Domine, respice in minas eorum. » Viden' philosophiam, et quomodo his non imprecentur mala? Minas specialim non exposuerunt, sed dicunt tantum illos minatos esse : nam compendio loquitur scriptor. Et vide, non dixerunt, Dirumpe illos, dejice illos; sed quid? *Et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.* Sic nos quoque discamus orare. Etsi quo non furore impleatur qui in viros incidit occidere ipsum conantes, et talia minitantes? Et quo non odio impleatur? At non sic hi sancti. 30. *In eo quod manum tuam extendas ad sanitates, et signa et prodigia fieri per nomen sancti Pueri tui Jesu.* Si in nomine illo fiunt operationes, inquit, magna erit loquendi fiducia. 31. *Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati.* Quo illos exauditos esse et divinam fieri visitationem significabatur. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Quid est, *Repleti sunt?* Id est, Spiritu succensi sunt, et ardebat in illis charisma. *Et loquebantur verbum Dei cum fiducia.* 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una.* Vides, quod cum gratia Dei etiam sua afferebant. Ubique enim hoc observandum est, quod cum gratia Dei, sua etiam exhibeant, ut Petrus dicebat : *Argentum et aurum non est mihi* (*Act.* 3. 6). Itaque quod superius dicebat, omnes fuisse *In idipsum*, rursus hic declarat : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Cum dixisset autem illos exauditos fuisse, eorum postea virtutem narrat. Ingressurus namque est in narrationem Sapphiræ et Ananiæ. Ideo illorum scelus ostensurus, prius de aliorum virtute loquitur. Dic, oro, caristasne paupertatem parit, an paupertas caritatem? Videtur mihi quod caritas paupertatem, quæ magis illam adstringit. Audi vero, quid dicat : *Omnium erat cor unum, et anima una.* Ecce cor et anima idipsum sunt. « Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. 33. Et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Domini Jesu Christi. » Quasi eis commissum sit, hoc declarat, et quasi de officio ipsorum loquitur : id est, testimonium regni cum fiducia omnibus reddebant. *Gratia quoque magna in omnibus erat :* 34. *neque enim quisquam egens erat inter illos.* Sicut in paterna domo filii omnes pari sunt honore, sic illi affecti erant. Non licebat enim dicere, quod alios enutrirent; ac si ex suis illos nutrirent, sic affecti erant. Sed hoc est mirabile, quod rebus suis sepositis, ita nutriebant, ne ex suis, sed ex communibus ali viderentur. « Quotquot autem possessores agrorum vel domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant. 35. Et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. » Magnus honor, quod non in manus, sed ad pedes apostolorum ponerent. 36. *Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab apostolis, quod est interpretatum, filius consolationis.* Non videtur mihi hic ille esse, qui cum Matthia : ille namque Joseph vocabatur Barsabas, postea vero cognominatus est Justus; hic vero Barnabas, filius consolationis, ab apostolis cognominatus est : videturque mihi a virtute nomen accepisse, ac si ad eam rem esset aptus et idoneus. *Levites, Cyprius genere,*

quendi fiduciam, et coram gentilibus et coram Judæis, et, quod ante omnia est, coram Deo. Etiam obsecro per caritatem, per dolorem partus, quo vos parturivi, *Filioli mei*. Quod sequitur non addam, *Quos iterum parturio*; neque dicam, *Donec formetur Christus in vobis*. (*Gal.* 4. 19). Credo enim, Christum in vobis formatum esse. Sed alia vobis dicam: *Fratres mei dilecti et desiderati, gaudium et corona mea* (*Philipp.* 4. 1). Credite mihi, me non aliter dicturum esse. Si quis mille coronas regias gemmis ornatas capiti meo nunc imponeret, non ita gauderem, ut gaudeo in profectu vestro; imo nec ipsum imperatorem ita gaudere puto, ut ego de vobis gaudeo. Quid dico? Si omnibus adversis gentibus expugnatis victor rediret, ac præter solitam coronam alias acciperet coronas et diademata victoriæ symbola, non puto illum de tropæis ita gavisurum esse, ut ego de profectu vestro gaudeo. Nam ita exsulto, ac si mille coronas capite gestarem; ac jure merito. Nam si per Dei gratiam hunc morem assequamini, sexcentos hostes superastis, illis longe graviores, qui contra malos dæmonas et feroces pugnaveritis, non gladio, sed lingua et proposito. Videte namque quam bene rem gesseritis, si hoc perficiatis. Primo gravem consuetudinem excidistis; secundo malam cogitationem, unde omnia mala, nempe quod putetis rem esse indifferentem nec noxiam; tertio furorem, quarto avaritiam: hæc quippe omnia gignit juramentum. Imo ex hoc ad alia bona opera magnam occasionem accipietis. Nam sicut illi, qui elementa puerilia discunt, non illa sola discunt, sed per illa paulatim ad legendum instituuntur: sic et vobis accidet: non ultra vos decipiet mala cogitatio, neque dicetis rem esse indifferentem; non ultra ex consuetudine loquemini, sed adversus omnia fortiter stabitis, ut per omnia virtutem secundum Deum nacti, æternis bonis fruamini, gratia et benignitate unigeniti Filii ejus, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

CAP. 4. v. 36. *Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab apostolis (quod est interpretatum, filius consolationis), Levites, Cyprius genere*, 37. *cum haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium, et posuit ante pedes apostolorum.*

1. Narraturus de Anania et Sapphira, ut ostendat illum in maximum peccatum incidisse, prius memorat eum, qui recte se gesserat: quia cum tantus esset numerus eorum, qui ita fecerant, tanta gratia, tanta signa, a nullo horum emendatus, sed semel ab avaritia excæcatus, perniciem capiti suo attraxit. *Cum haberet agrum*; sic inquit, ut ostenderet hunc solum ipsi fuisse; *vendidit et attulit pretium, et posuit ante pedes apostolorum.* 1. *Vir autem quidam nomine Ananias, cum Sapphira uxore sua, vendidit possessionem*, 2. *et fraudavit de pretio, conscia uxore sua: et afferens partem quamdam, ad pedes apostolorum posuit.* Illud grave erat, quod mutuo consensu hoc facerent peccatum, nullo alio conscio. Unde subiit misero hoc facere? 3. *Dixit autem Petrus: Anania, cur implevit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri?* Vide etiam nunc signum magnum, multoque majus priore. 4. *Nonne manens tibi manebat: et venumdatum in tua erat potestate?* Hoc est, An necessitas et violentia quædam erat? num vos invitos trahimus? *Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* 5. *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit et exspiravit.* Viden' unde majus signum hoc? Quod occidat, quod ea, quæ in mente et quæ clam facta sunt, noscat[1]. *Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt.* 6. *Surgentes autem juvenes, amoverunt eum, et efferentes sepelierunt.* 7. *Factum est autem quasi trium horarum spatium, et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit.* 8. *Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, si tanti agrum vendidistis?* Hanc volebat servare: ille namque dux fuerat peccati. Et ideo fortasse dat illi tempus ad defensionem, et pœnitentiæ facultatem. Ideo dicit, *Dic mihi si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti.* 9. *Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum sanctum? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, et efferent te.* 10. *Cecidit autem statim ad pedes ejus, et exspiravit. Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam, et elatum sepelierunt juxta virum suum.* 11. *Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, et super omnes qui audierunt hæc.* Post timorem illum plura signa fecerunt: et quod fecerint, audi. 12. *Per manus autem apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis*: 13. *cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis; sed magnificabat eos populus.* Jure: Petrus enim jam terribilis erat, puniens, et quæ in mente erant redarguens: cui magis hærebant, et propter signum, et propter priorem concionem, ac secundam tertiamque. Ipse namque et primum signum fecerat, et secundum, et hoc etiam, quod videtur mihi non unum, sed duplex esse; unum quidem, ea quæ in mente erant redarguere; secundum autem, jussu occidere. 14. *Magis autem augebatur*, inquit, *credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum*, 15. *ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum.* Hoc in Christo non factum est: unde videre est nunc opere completum id, quod ille dixerat. Quodnam? *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet* (*Joan.* 14. 12). 16. *Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes.*

Vita Apostolorum ex contrariis contexebatur quo-

[1] Unus codex habet.... «exspiravit.» *Hoc signum majus est sanatione claudi, cum ex occisione, tum e cognitione eorum quæ in mente latent et clam facta sunt.*

modo. — Tu vero mihi considera, quomodo tota vita illis ex contrariis contexatur. Mœror primus fuit assumptio Christi; deinde lætitia per Spiritus descensum; rursus mœror ob irrisores: deinde lætitia ex fidelibus et ex signo; iterum mœror, quod apprehenderentur; hinc lætitia per apologiam suam. Rursum hic lætitia et mœror. Nam quod conspicui essent et Dei revelationibus fruerentur, lætitia erat; quod vero etiam suos occiderent, mœstitia. Iterum lætitia ex splendore, iterumque mœror a principe sacerdotum. Et hoc ubique considerando videre possumus: id quod etiam apud veteres invenire est. Verum jam supra dicta repetamus. *Vendebant*, inquit, *et afferebant pretia, et ponebant ante pedes apostolorum.* Vide, dilecte, quomodo non permitterent apostolos vendere; sed ipsi venderent, et illis pretia darent. At non sic Ananias; sed subtrahit aliquid de pretio agri, quem vendiderat; ideoque punitur, utpote qui rem non bene gereret, et sua furari deprehenderetur. Hic perstringuntur sacerdotes, et quidem vehementer. Quia vero uxor ejus rei conscia erat; ideo illam quoque examinat.

2. At dixerit fortasse quispiam, acerbissime cum illa actum esse. Quid quæso dicis? quæ acerbitas? Si is, qui ligna collegit in sabbato, lapidatur (*Num.* 15. 35), multo magis qui sacra diripit: etenim pecuniæ illæ jam sacræ erant. Itaque qui voluit sua vendere et dare, deindeque subripit, sacrilegus certe fuerit. Si vero is, qui ex suis subripit, sacrilegus est, multo magis is, qui ex alienis. Ne putetis enim, quia jam non ita fit, nec statim sequitur ultio, hæc impune fore. Viden' hoc in crimen vocari, quod cum illas pecunias sacras fecisset, de illis subripiat? Annon, inquit, poteras illis venditis, ut propriis uti? num prohibitus es? cur subripis, postquam promisisti? Vide, quomodo statim a principio sese immittat diabolus inter signa et miracula tanta; imo quomodo hic ab illo excæcatus sit. Tale quidpiam et in veteri lege factum est, quando Charmi anathema furatus deprehensus est: attamen nosti, quanta ultio de facinore sumpta sit (*Jos.* 7. 2. *et* 20. 22). Sacrorum enim expilatio admodum gravis est, dilecte, et magno contemptu plena. Neque vendere coegimus, inquit, neque pecunias ex venditis acceptas dare: tu id ex proposito tuo fecisti: cur ergo ex sacris pecuniis furatus es? *Cur implevit*, inquit, *satanas cor tuum?* Et si satanas hoc fecit, cur illi imputatur? In causa est, quia ejus operationem accepit, et illa impletus est. At oportebat, inquies, corrigere. Sed non correctus fuisset; nam qui talia viderat, nullumque inde lucrum tulerat, multo minus poterat alio modo lucrum accipere. Non oportuit ergo rem prætermittere; sed quasi saniem quamdam exscindi, ne reliquum corpus inficeret. Nunc enim et hic utilitatem accipit, ne ulterius in malitia progrediatur, et alii magis studiosi redduntur: alioquin autem contrarium accidisset. Ideo primum redarguit, et ostendit rem se non latuisse; tuncque condemnat illum. *Cur*, enim, inquit, *hoc fecisti?* habere voluisti? A principio retinere oportuit, et non promittere: nunc autem postquam consecraveras subripiens, majus sacrilegium admisisti. Nam qui aliena rapit, forte ex alienarum rerum cupiditate rapit: tibi vero licebat tua habere. Cur ergo illa sacra reddidisti, et postea rapuisti? Ex magno contemptu id fecisti. Facinus veniam non habet, excusatione caret.

Sacrorum expilatores tempore Chrysostomi. — Nemini autem offendiculo sit, si qui jam sint sacrorum expilatores. Nam si tunc fuerunt, multo magis nunc, cum multa sunt mala. Sed reprehendamus illos coram omnibus, ut et cæteri metum habeant. Judas sacrilegus erat; verum id discipulis non offendiculo fuit. Viden' quanta mala pecuniarum cupiditas pariat? *Et factus est*, inquit, *timor magnus super omnes, qui hæc audierunt.* Ille punitus est, et alii lucrati sunt: itaque non sine causa ita dispensatum est. Etsi alia signa prius facta fuerant, attamen non talis erat metus. Sic verum est illud: *Cognoscetur Dominus judicia faciens* (*Psal.* 9. 17). Sic et in arca factum est: Ozan punitus est (2. *Reg.* 6. 7), et hinc timor aliis. Sed illic quidem metuens rex, arcam amovit; hic autem alii attentiores facti sunt. Vides, quomodo non vocavit illam Petrus, sed exspectavit donec intraret: neque alius quispiam ausus est annuntiare quod acciderat. Hoc magistri timor erat, honor discipulorum et obedientia. *Trium horarum spatium.* Neque didicit uxor, nec quis præsentium nuntiavit, quamvis ad divulgandum sat temporis esset; verum timebant. Hoc etiam admirans scriptor ait: *Nesciens quod factum fuerat, introivit.* Atqui hinc discere licebat ipsum novisse ea, quæ occulta erant. Cur enim qui neminem interrogaverat, vos interrogat? Annon, ut liquet, quia sciebat? Sed nimia cæcitas non permisit illam crimen deponere; sed cum audacia multa respondet: Putabat enim se cum homine loqui. Hoc grave erat, quod uno consilio et quasi ex pacto peccatum admisissent. *Quid utique convenit vobis*, inquit, *tentare Spiritum sanctum? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium; et efferent te.* Prius illam docet quod peccaverit, et tunc ostendit illam juste, quæ vir passus erat, passuram esse, quia perinde peccaverat. Et quomodo, inquies, *Confestim cecidit ante pedes ejus, et exspiravit?* Quia prope adstabat. Sic illi in seipsos ultionem attraxerunt. Quis demum non obstupuisset? quis apostolum non timuisset? quis non miratus esset? *Et erant*, inquit, *unanimiter omnes in porticu Salomonis.* Hic palam est, illos non in domo quapiam, sed in templo versatos esse. Neque ultra cavebant sibi ne immunda contingerent, sed sine scrupulo mortuos tangebant. Et vide, quomodo erga suos severi sint, erga alios autem potestate non utantur. *Magis autem*, inquit, *augebatur credentium in Domino multitudo virorum et mulierum; ita ut in plateis ponerent infirmos in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius adumbraret quemquam illorum.*

3. Magna accedentium fides, et major quam sub ipso Christo. Unde autem hoc factum est? Quia Chri-

stus hoc prænuntiarat et dixerat. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, faciet, et majora faciet* (*Joan.* 14. 12). Manentibus autem illis istic, nec circumeuntibus, omnes afferebant in lectulis et grabatis quos habebant infirmos, et undique illis confluebat miraculum, a credentibus, a sanatis, ab eo qui plexus fuerat, a fiducia quam erga illos habebant, a virtute eorum, qui non utcumque credebant: neque enim quod fiebat, signis tantum constabat. Nam etsi illi modeste loquentes totum ipsi imputent dicentes, in nomine Christi se hæc facere; sed vita quoque et virtus virorum hoc fecit. Perpende autem, quomodo hic numerum credentium non afferat, auditori relinquens ut id ex se conjectet: sic ad immensam multitudinem fides extendebatur. Hinc et resurrectio magis prædicabatur. *Nemo autem audebat se conjungere illis, sed magnificabat eos populus.* Sic ait, ostendens illos jam non contemptui fuisse, ut prius erant: ac brevi tempore unoque momento hæc a piscatore et privato homine facta fuisse.

Quam mira primorum Christianorum vita. — Cælum itaque jam erat terra ex vivendi ratione, dicendi libertate, miraculis, cæterisque omnibus: ac velut angeli admirationi erant, ad nihil se convertentes, non ad risum, non ad minas, non ad pericula: non ea solum de causa, sed etiam quod admodum humani essent, et sollicite curarent; alios enim pecunia, alios corporali curatione juvabant. *Cur implevit satanas cor tuum?* Fere sese purgat Petrus illum puniturus, et alios erudit. Quia enim futurum erat, ut hoc valde durum appareret, ideo in illum et in uxorem tremendum exercet judicium. Si autem ambos, qui irremissibiliter peccaverant, non tali affecisset pœna, quantus hinc Dei contemptus futurus erat? Quod autem ideo sic factum sit, liquet ex eo, quod non statim ad ultionem venerit, sed primo peccatum ostendat. Unde nemo ingemuit, nemo ejulavit; sed omnes exterriti sunt. Jure autem, quia fides illorum augebatur, signa plura edebantur, et ingens apud suos metus erat, quia non sic externa nos turbant ut domestica. Si ergo simus mutuo conjuncti, nemo nobis bellum inferet; sin contra dissideamus, omnes nos invadent. Hinc illi cum fiducia et libertate in forum, et in medium inimicorum se conferebant et prævalebant; implebaturque dictum illud: *Dominare in medio inimicorum tuorum* (*Psal.* 109. 2). Hoc majoris erat virtutis indicium, quod detenti, vincti, talia facerent. Si ergo ii, qui mentiti fuerant, talia passi sunt, quid non patientur ii, qui pejerant? Imo si mulier, quod dixerit, *Etiam tanti*, ejusmodi pœnas dedit, nec effugit: cogitate quo sitis vos supplicio digni, qui juratis et pejeratis? E re fuerit hodie ex veteri lege perjurii gravitatem ostendere. *Falx*, inquit, *volans erat, lata decem cubitis* (*Zac.* 5. 2). Volatus celerrimum supplicii juramenta sequentis adventum significat; quod autem decem cubitorum sit latitudine et longitudine, vehementiam et magnitudinem malorum indicat; quod autem ex cælo volet, signum est sententiam ex cælesti tribunali ferri; quod in modum falcis, inevitabile supplicium ostendit. Sicut enim falx in collum immissa, non retrahitur, sed manet etiam abscissa cervice: sic et ultio jurantes invadens, terribilis est, nec desinit, nisi prius quod suum erat perfecerit. Quod si jurantes effugerimus, ne confidamus; nam in malum nostrum hoc vertitur. Quid enim putatis? quot sunt qui eadem quæ Ananias et Sapphira sunt ausi, nec eadem passi sunt? Et quomodo, inquies, passi non sunt? Non quod hoc illis condonatum sit, sed quod majori reserventur supplicio.

4. *Qui frequenter peccant, timeant oportet.* — Itaque qui frequenter peccant, magis timeant oportet, si non puniantur, quam si puniantur: nam ex dilatione et ex patientia Dei eorum augetur supplicium. Ne hoc itaque spectemus si non puniamur, sed si non peccemus: si vero peccantes non puniamur, magis tremendum nobis est. Dic mihi, si servum haberes, cui minas intentares tantum, nec verberares illum; quando magis timebit, quando fugiet et abscedet? nonne cum minas tantum intentabis? Unde nos mutuo monemus, ne frequentius comminemur, ut ne sic timore animum concutiamus, neve sic magis laniemus eum, quam plagis. Alioquin vero illic temporanea plaga est, hic perpetua. Ne itaque respicias, an nunc quispiam illam falcem experiatur, sed cogita, num talia faciat; quoniam multa nunc fiunt, quæ in diluvio, et tamen diluvium non accidit: gehenna et supplicium comminando solum intentatur. Multi eadem admittunt peccata quæ Sodomitæ, et ignis pluvia non cadit: igneus quippe fluvius paratus est. Multi eadem quæ Pharao sunt ausi; sed non eadem passi sunt quæ Pharao, neque submersi sunt in mare Rubrum: exspectat enim illos pelagus abyssi, ubi non absque sensu pœna, nec suffocari licet; sed diuturno cruciatu, sartaginum ardore et strangulatione consumi. Multi eadem quæ Israelitæ sunt ausi; sed non devorarunt illos serpentes: manet enim illos vermis ille immortalis. Multi ea quæ Giezi ausi sunt, nec sunt lepra percussi: manet enim illos pro lepra, quod dissecentur et ponantur cum hypocritis. Multi etiam jurarunt ac pejerarunt; si autem effugerunt, ne confidamus: manet enim illos stridor dentium. Et fortassis etiam hic patientur, et non effugient, etiamsi non e vestigio, sed in aliis peccatis, ut gravior sit pœna: quia et nos sæpe sumpta occasione a minoribus, etiam pro magnis totum evacuamus. Itaque si quando videris tibi aliquid accidere, memor esto illius peccati tui. Hoc etiam in filiis Jacob accidit. Meministis fratrum Josephi: vendiderant fratrem, occidere tentaverant, imo quantum in ipsis erat occiderant; deceperant senem, contristaverant; nihil passi erant mali. Itaque post multos annos de extremis periclitati sunt, et peccati hujus tunc recordantur. Quod autem non conjectura sit quod dico: audi illos dicentes: *Etiam in peccato enim sumus in fratrem nostrum* (*Gen.* 42. 21). Sic et tu, cum tibi quidpiam contigerit, dic: Etiam, in peccato sumus, quia Christum non audivimus, quia juravimus; juramenta frequentia et perjuria in caput meum inciderunt. Ita-

que confitere : nam et illi confessi salutem consecuti sunt. Quid enim si non repente ultio invadit? quandoquidem Achab propter Nabuthæ non statim post peccatum plexus fuit (3. Reg. 21. 19). Cur vero sic res agitur? Dat tibi Deus præscriptum tempus, ut abluaris; si perseveres, pœnam demum inducit. Vidistis, quid passi sint mendaces? Cogitate, quid passuri sint perjuri; cogitate, et desistite. Non potest qui jurat non pejerare, velit nolit : non potest perjurus salutem consequi. Sufficit unum perjurium, ut totum perficiat, et totum nobis supplicium inducat. Ideo nobis ipsis, quæso, attendamus; ut pœnam hujus peccati effugientes misericordia Dei dignemur, gratia et miserationibus unigeniti ejus Filii, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

Cap. 5. v. 17. *Exsurgens autem princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant, quæ est hæresis Sadducæorum, repleti sunt zelo,* 18. *et injecerunt manus in apostolos, et posuerunt eos in custodia publica.*

1. Nihil impudentius audaciusque malitia. Illorum experti fortitudinem ex iis, quæ prius attentarant, attamen denuo aggrediuntur et iterum insurgunt. Quid sibi vult illud, *Exsurgens princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant?* Excitatus est, inquit, iis quæ acciderant commotus. *Et injecerunt manus in apostolos, et posuerunt eos in custodia publica.* Nunc vehementius illos insectantur. Nec statim de illis judicant, sperantes illos mansuetiores fore. Et undenam liquet illos vehementius insectatos esse? Ex eo, quod posuerint illos in custodia publica. Rursus incidunt in pericula, et rursus Dei gratiam experiuntur; et quomodo, audi sequentia : 19. *Angelus autem Domini per noctem aperuit januas carceris, et educens eos, dixit :* 20. *Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus.* Hoc et in illorum consolationem, et in horum utilitatem ac doctrinam factum est. Et vide, quod in Christo, id etiam nunc evenit. Patrata enim miracula non sinit eos videre, sed aliqua apparat, ex quibus hoc ediscant; ut in resurrectione sua non permisit eos videre, quomodo resurrexerit; indigni enim erant qui hanc viderent; sed ostendit ex iis, quæ tunc fecit. Similiter cum aquam in vinum mutavit, qui discumbebant non vident, utpote ebrii; judiciumque aliis permittit. Sic et nunc factum est. Nam illos, qui educebantur, non vident; indicia vero, ex quibus poterant res gestas ediscere, vident. Cur per noctem emisit illos? Quia illo magis quam alio modo fides illis habenda erat : alioquin non illi ad interrogandum venissent, vel alio modo etiam, ipsi non credidissent. Sic et apud veteres accidit, ut Nabuchodonosori : vidit laudantes Deum pueros in camino ignis (*Dan.* 3. 91), et tunc obstupefactus est. Cum oportuisset ergo primum interrogare, Quomodo egressi estis? illi, quasi nihil factum esset, interrogant, dicentes : *Nonne præcipiendo præcipimus vobis ne loquamini?* Et vide, quomodo per alios omnia discant. Vident enim clausum carcerem, et custodes stantes ante januas. 21. *Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, et docebant. Adveniens autem princeps sacerdotum, et qui cum eo erant, convocaverunt concilium, et omnes seniores filiorum Israel, et miserunt ad carcerem ut adducerentur.* 22. *Cum autem venissent ministri, et aperto carcere non invenissent illos, reversi nuntiaverunt,* 23. *dicentes : Carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, et custodes stantes ante januas; aperientes autem neminem intus invenimus.* Duplex securitas ut in sepulcro, signaculum et homines. Vide, quam essent Deo inimici. Hæccine humana erant, dic mihi, quæ circa illos facta sunt? quis illos eduxit januis clausis? quomodo exierunt custodibus ante fores stantibus? Vere furentium et ebriorum verba sunt. Quos non detinuerunt carcer et vincula foresque clausæ, hosce sperabant se posse superare, insipientium puerulorum more affecti. Ministri porro eorum ideo adsunt et factum confitentur, ut omnem illis excludant excusationis ansam. Viden' miracula diversa, alia aliis adjecta; quædam ab illis facta, quædam pro illis, quæ etiam clariora erant? Bene factum, quod non statim ipsis nuntiatum sit, sed prius anxii fuerint, ut internoscentes divinam esse virtutem, sic omnia discant. 24. «Ut autem audierunt hos sermones magistratus templi et principes sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret. 25. Adveniens autem quidam nuntiavit eis : Ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes et docentes populum. 26. Tunc abiit magistratus cum ministris, et adduxit illos sine vi : timebant enim populum, ne lapidarentur. » O insipientiam! Timebant, inquit, turbam. Quid proderat turba? Cum oportuisset Deum timere, qui semper illos tamquam volucres ex manibus ipsorum eripiebat, illi vero potius turbam metuebant. 27. « Princeps autem sacerdotum interrogavit eos, dicens : 28. Nonne præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto? Et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. » Quid igitur apostoli? Iterum cum mansuetudine alloquuntur eos; tametsi dicere poterant : Quinam estis vos, qui contraria Deo præcipitis? Sed quid? Rursum monentes et consilium dantes cum mansuetudine respondent. 29. *Respondens autem Petrus et apostoli dixerunt : Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Magna hujusmodi philosophia, qua ostendunt illos cum Deo pugnare. 30. *Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno.* 31. *Hunc principem et Salvatorem exaltavit Deus dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli et remissionem peccatorum.* Eum, inquit, quem vos occidistis, Deus suscitavit. Et vide, Patri rursus totum adscribunt, ne videretur esse alienus a Patre. *Et exaltavit*, inquit, *dextera sua.* Hoc

vero non solum resurrectionem, sed etiam exaltationem, id est, assumptionem, significat. *Ad dandam pœnitentiam Israeli.*

2. Vide rursus lucrum, et defensionis more doctrinam perfectam. 32. *Et nos sumus ejus testes horum verborum.* Magna dicendi libertas. Deinde ad dictorum fidem adjicit : *Et spiritus sanctus, quem dedit Deus obedientibus sibi.* Vides quomodo non suo tantum, sed etiam Spiritus testimonio utantur? Nec dixerunt, *Quem dedit* nobis; sed, *Obedientibus :* simul modeste agentes, et magnum illum esse monstrantes, declarantesque quod et ipsi possint illum accipere. Vide, quomodo et operibus et verbis erudiantur, nec attendant; ut justa eorum damnatio sit. Ideo enim illos Deus sinebat in judicium adduci, ut illi erudirentur, si quidem dicere voluissent, et apostoli ad fiduciam concitarentur. 33. *Hæc cum audissent, dissecabantur, et cogitabant interficere illos.* Vide ingentem nequitiam. Cum oportuisset ex iis quæ audierant deterreri, dissecantur illi, et de occidendis viris frustra consultant. Sed necesse est superius lecta repetere. *Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, et educens eos dixit : Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. Educens :* non ille educit eos, sed dimittit; ut hinc ostendatur imperterritus illorum animus, quem ipsi exhibuerunt, cum noctu in templum ingressi docebant. Quod si illos ejecissent custodes, ut illi putabant, fugissent apostoli, si tamen obtemperassent; imo si illos emisissent, non in templo stetissent, sed fugam fecissent, quod nemo non videat, nisi insipiens sit. *Nonne præcipiendo præcepimus vobis?* Si utique illi vobis obtemperaverint, recte arguitis; sin tunc dixerint vobis se non obtemperaturos esse, frustra arguitis, frustra præcipitis. Vide criminum inconsequentiam, et ingentem stultitiam. Sanguinarium demum volunt ostendere Judæorum animum, et quod ipsi non veritatis causa hæc agant, sed ut se ulciscantur. Ideo non audacter ipsis respondent apostoli : doctores enim erant; etsi quis cum civitatem totam commovisset, et tanta fultus esset gratia, non magnum quidpiam loquutus esset? At non id fecerunt illi; non enim irascebantur, sed miserabantur et lacrymabantur illos, et deliberabant, quomodo illos ab errore et ira revocarent. Non ultra dicunt illis, *Vos judicate;* sed ita sententiam ferunt, *Quem Deus suscitavit;* hinc declarantes, hæc ex sententia Dei facta esse. Non dixerunt : Annon tunc diximus vobis : *Non possumus, quæ vidimus et audivimus, non loqui* (*Act.* 4. 20)? non enim contentiosi erant; sed rursus eadem dicunt, crucem nempe, resurrectionem. Neque referunt cur, nec quod pro nobis crucifixus sit; sed subindicant quidem, nec manifeste loquuntur, ut illos interim deterreant. Quænam hic rhetorica? Nulla : ita sine apparatu evangelium vitæ prædicabant. Ubi dixit, *Exaltavit*, addidit, qua de causa : *Ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum.* At dicent, Hæc tunc probabilia non videbantur. Quid dicis? quomodo non probabilia illa, quibus nec principes nec multitudo contradicere poterant, sed aliorum quidem ora obturabantur, alii autem docebantur? *Et nos sumus*, inquit, *testes horum verborum.* Quorum? Quod remissionem, quod pœnitentiam promiserit : nam resurrectio in confesso demum erat. Quod vero det remissionem, et nos testes sumus et Spiritus sanctus, qui non venisset, nisi peccata ante soluta fuissent. Argumentum itaque indubitatum hoc est. Peccatorum remissionem audis, miser, et quod pœnas non repetat, et vis occidere? Et quantæ hoc nequitiæ non fuerit? Atqui oportebat, vel mentientes redarguere; vel si nollent credere, non occidere. Quid enim morte dignum erat? At illi præ furore ne quidem sciebant quid factum esset. Vide, quomodo hic facinus memorantes, de remissione loquantur : ostendentes facinora quidem morte digna esse, remissionem vero quasi resipiscentibus dari. Quomodo aliter persuaderi poterant, quam docendo illos sic bene acturos esse? Et vide malignitatem : Sadducæos illis inducunt, qui maxime de resurrectione dolebant; sed nihil illis malitia profuit. Verum fortasse dicet quispiam : Ecquis talibus fruens, qualibus apostoli, bonis, non magnus factus esset? At vide quomodo, antequam gratia fruerentur, perseverantes unanimiter erant in oratione, et in superna gratia sperantes. Et tu, dilecte, regnum cælorum speras, et nihil sustines? et tu Spiritum accepisti, nec talia pateris, neque periclitaris? Illi priusquam a prioribus respirarent, rursus ad alia ducebantur. Illud autem ipsum non inflari, nec vana gloria affici, quantum est bonum? Cum mansuetudine loqui, quantum est lucrum? Neque enim omnia gratiæ erant; sed illorum quoque studii indicia multa sunt. Nam quod gratiæ dona in illis splenderent, eorum curæ et diligentiæ erat.

3. Vide namque statim a principio quam sollicitus sit Petrus, quam vigil et sobrius; quomodo credentes pecunias abjiciebant. Nihil proprium habebant, in oratione versabantur, concordiam exhibebant, in jejuniis agebant. Hæc ex qua gratia, quæso? Ideo id efficit, ut per ministros suos redarguantur; qui etiam, ut apud Christum missi dicebant, *Numquam homo sic loquutus est, sicut hic homo* (*Joan.* 7. 46), annuntiaverunt reversi quæ viderant. Tu autem mihi hic considera illorum mansuetudinem, quomodo cedunt; necnon fictam principis sacerdotum mentem. Mansuete enim illis loquitur, utpote timens; et prohibere magis volebat, quam occidere, quia id non poterat. Atque ut omnes moveat, ac de extremis periclitari suadeat, *Vultis*, inquit, *inducere super nos sanguinem hominis illius?* Adhuc homo tibi videtur esse? Ita dixit, ostendens hoc præceptum et jussum sibi ipsis necessarium esse. Sed vide quid Petrus dicat : *Hunc principem et Salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum.* Hic non meminit gentium, ut ne ansam daret. *Et volebant*, inquit, *occidere illos.* Vide rursum hos in angustia et dolore; illos vero in quiete, lætitia et voluptate. Non simpliciter illi dolebant,

sed *Dissecabantur*. Hoc est illud, male pati, male facere : ut nunc videre est. Hi in carcere erant, judicio sistebantur ; et judices in angustia erant, consilii prorsus expertes. Sicut enim is, qui adamantem percutit, ipse plagam excipit : ita et his accidit. At videbant non modo ipsorum fiduciam non præpediri, sed prædicationem magis augeri, illosque sine metu loqui, nullamque præbere ansam. Hos imitemur et nos, dilecti, et in adversis imperterriti simus. Nihil grave est ei, qui timet Deum ; sed non timentibus eum gravia instant. Nam qui per virtutem animi motus superat, cum præsentia velut umbram prætercurrat, quid mali ab aliquo patiatur ? quid timebit ? et cur gravia illa esse putabit ? Ergo confugiamus ad hanc inconcussam petram. Si quis nobis urbem construeret, et murum circumponeret, imo si nos transferret in terram, ubi nemo turbaret, et rerum copiam suppeditaret, ut nullum esset cum aliquo negotium, non in tanta nos securitate constitueret, in quanta nunc Christus. Esto, si placet, civitas ærea, valido circum muro munita et inexpugnabili : nullus illi sit hostis, terram habeat pinguem et uberem : adsit quoque aliarum rerum copia : sint cives mansueti et mites : nullus ibi vir malignus appareat, non fur, non expilator, non sycophanta , non forum judiciale, sed pacta simpliciter : et hanc habitemus civitatem : neque sic tamen secure viveremus. Quare ? Quia necessarium esset, cum servis, cum uxore et cum filiis altercari, multique mœroris esset occasio. Hic vero nihil hujusmodi : nihil quippe erat, quod vel mœrorem vel dolorem afferret.

Gaudium eorum qui propter Christum patiuntur.— Sed quod mirum est, ea ipsa, quæ videntur nobis mœrorem afferre, causa omnis lætitiæ et gaudii erant. Dic enim mihi, cur mœsti fuissent illi ? quid ægre tulissent? Vis quempiam in medium afferamus ? Sit quis vir consularis, magnis instructus opibus, in urbe Imperatoria vitam agens, negotium cum nullo habeat, deliciis det operam, et huic uni rei incumbat, in culmine divitiarum , honoris et potentiæ positus : opponamus autem illi Petrum, si placet, in vinculis et innumeris malis degentem; et hunc potius inveniemus deliciantem. Cum enim tanta sit gaudii copia, ut in vinculis etiam delectetur, cogita quanta sit gaudii magnitudo. Sicut enim ii, qui magnum possident magistratum, si quid mali accidat, non sentiunt, sed in gaudio perseverant : sic et isti propter hæc maxime gaudebant. Non potest enim, non utique potest sermone explicari voluptas eorum, qui propter Christum grave quidpiam patiuntur : nam multo magis gaudent in malis, quam in bonis. Hoc quod dico, novit quisquis Christum diligit. Sed quid ? an securitatis causa hæc mala fugere debebant ? Et quis, quæso, innumeris instructus opibus, cum tot gentibus versans, tot pericula effugere potuerit, si de reipublicæ mutatione agatur ? Hi autem quasi ex jussu regio omnia perficiebant; imo et multo facilius. Neque enim jussus regius illa valet efficere, quæ ipsorum verba operabantur : jussus quippe regius ex necessitate cogit ; hi vero spontaneos, libentes, et mille gratias referentes ducebant. Quis jussus regius opes omnes ipsamque animam relinquere suasisset, domum contemnere, patriam, cognatos, ipsamque salutem ? Sed id potuere piscatorum et pellionum voces ; ita ut in voluptate degentes, potentiores et fortiores omnibus essent. Etiam, inquies, quia signa edebant. At qui credebant quæ signa faciebant, illa nempe tria millia et quinque millia hominum, qui tamen in exsultatione multa degebant? Et jure quidem : nam omnium causa mœrorum, pecuniarum nempe possessio, sublata erat. Illa namque bellorum, contentionum , mœroris omniumque malorum causa erat, quæ vitam laboriosam molestamque reddebat : longeque plures mœstos reperias divites, quam pauperes. Quod si quibusdam non videatur ita esse, non ex rerum natura , sed ex eorum opinione sic se res habet. Quod si quid habeant divites voluptatis, nihil mirum. Nam et qui scabie pleni sunt, in magna sunt voluptate. Quod autem ab illis nihil differant divites, sed eodem sint animo, hinc palam est. Illos curæ atterunt : et tamen volunt illis detineri ob temporaneam voluptatem : qui autem sunt a curis liberi, in sanitate mœrore vacui degunt.

4. Quid dulcius, quæso, quid tutius , de uno pane et de veste sollicitum esse , an de mille servis et liberis, ac de seipso nihil curare ? Quemadmodum enim hic pro seipso timet : ita et tu pro iis, qui ex capite tuo pendent. Et cur paupertas fugienda videtur , inquies? Quia alia quoque bona multi aversantur, non quod fugienda, sed quod actu difficilia sint. Igitur paupertas non fugienda , sed exercitio difficilis est. Itaque si quis illam ferre posset, haud fugienda videretur. Cur enim illam non aversabantur apostoli ? cur illam multi eligunt, nec modo illam non aversantur, sed ad illam accurrunt? Quod enim vere fugiendum est, nonnisi insanis optandum videtur.

Paupertas præsidium munitum.—Si autem philosophi inter homines sublimes, ad hanc quasi ad locum tutum et sanum veniunt, nihil mirum est, si alii secus arbitrentur. Nam dives nihil aliud mihi videtur esse, quam urbs sine muro in planitie posita, quæ undique insidiatores attrahat : paupertas vero præsidium est munitum, ære multo circumdatum, accessu difficile. At, inquies , contra res se habet ; hi enim sæpe ad tribunal trahuntur, hi læduntur, et male habent. Sed non pauperes simpliciter sunt, sed pauperes qui ditari cupiunt. Ego vero non de illis loquor, sed de iis, qui in paupertate versari student. Dic enim mihi, cur nemo eos, qui in montibus degunt, in jus trahit? quamvis si paupertas facile opprimitur, illos maxime trahi oporteret, qui sunt omnium pauperrimi. Cur mendicos nemo trahit ad judicem ? cur nemo illos vi vel calumnia impetit? nonne quia in tutiore loco habitant ? Quam multis infelicissima videtur paupertas et mendicitas? Quid igitur, quæso, bonumne est mendicare? Bonum, si sit qui consoletur et misereatur, si sit qui largiatur : hanc vitam otiosam et securam esse nemo non novit. Ego autem non hoc laudo,

absit, sed probo si quis opes non desideret. Dic enim mihi, quos potius beatos, dixeris, an virtutis studiosos, an eos qui procul ab illa sunt? Studiosos sine dubio. Uter ergo idoneus est ad utilia addiscenda, et ad philosophiæ splendorem, an hic an ille? Hunc utique esse palam est. Si non credas, id disce. Adducatur quis e foro mendicantium, qui sit cæcus, claudus, mutilus; alius quoque aspectu formosus, corpore robustus ac vividus, opibus abundans, genere clarus, potentia valens. (*a*) Hos itaque ad philosophiæ disciplinam adducamus, et videamus, uter eorum magis doctrinam excipiat. Sit ergo primum præceptum, Humilis esto et modestus; hoc enim Christus præcepit: uter magis hoc implere poterit? *Beati, qui lugent* (*Matth.* 5. 5): quis dicto magis attendet? Beati humiles: uter magis audiet? *Beati mundo corde: beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam: beati, qui persequutionem patiuntur propter justitiam* (*Ibid. v.* 8. 6. 10): quis hæc facile excipiet? Et si vis, hæc utrique adaptemus. Annon ille tumet undique et inflatur; hic vero humiliter prorsus sentit ac demissus est? Sic utique se res habet. Est et apud externos dictum simile: Servus quidem Epictetus, corpore mancus, paupertate Irus, et amicus immortalium (*b*). Ita se habet pauper. Divitis autem anima scatet malis omnibus, arrogantia, vana gloria, cupiditatibus innumeris, ira, furore, avaritia, injustitia, aliisque morbis. Palam ergo est illam, quam hanc ad philosophiam aptiorem esse. Omnino discere quæritis, utra sit suavior: hoc enim a multis quæri video, utra sit jucundior. Certe hac in re nihil dubitandum est: nam qui sanitati propior est, is in voluptate multa degit. Uter, quæso, ad legem hanc, quam redintegrare volumus, est aptior, pauper an dives? quis facile jurabit? qui filiis irascitur, qui cum innumeris pacta iniit; an qui panem unum ac vestem petiturus accedit? Huic nulla juramentorum necessitas, si velit, sed semper negotiis vacuus est; imo vero is, qui non jurare didicit, sæpe divitias spernet, et ab hoc bono more virtutis vias ubique paratas videre erit, omnesque ad æquitatem tendentes, ad divitiarum despectum, ad pietatem, ad animæ rectam constitutionem, ad compunctionem.

Contra juramenta. — Ne simus ergo negligentes, dilecti, sed multam adhibeamus diligentiam: qui sese emendarunt, ut id quod emendatum est conservent, ne facile diffluant, neve retro vertantur; qui autem adhuc retro relicti sunt, ut resurgant, et curent id quod deficit implere. Interimque ii, qui se emendarunt, illis qui nondum id potuerunt, quasi in pelago nantibus, manus porrigentes, ipsos in portu a juramentis vacuo recipiant. Portus quippe tutus est, non jurare: portus, ut ne quis submergatur ab irruentibus ventis. Licet enim ira, licet damnum, licet furor aliudve effervescat, anima in tuto est; ita ut nihil emittat quod dicere non liceat: neque enim sibi vel necessitatem vel legem constituit. Vide, quid propter juramentum fecerit Herodes: caput Præcursoris præcidit; *Propter juramenta enim*, inquit, *et propter simul discumbentes noluit illam repellere* (*Marc.* 6. 26). Quid propter juramentum passæ sunt tribus (*Judic.* 21. 10), circa tribum Benjamin? quid passus est pro juramento Saül? ille quidem pejeravit; Herodes vero perjurio deteriorem cædem fecit. Rursum Jesus ob juramentum Gabaonitis factum, quanta passus sit nosti. Satanicus enim laqueus est juramentum. Dirumpamus ergo funes, et nos ita constituemus ut facile caveamus. Liberemur a laqueo satanæ; timeamus Dominicum præceptum; in optimam consuetudinem nos deducamus: ut progressi, et hoc et alia præcepta implentes, promissa diligentibus ipsum consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Sequentia apud Platonem feruntur l. 6 de Republica. Hincque Chrysostomus, Platoni tamen non parum infensus, hæc desumpsisse videtur.

(*b*) Hæc consonant cum epigr. illo (Anthol. Pal. 7, 676):

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην καὶ σώματι πηρός,
Καὶ πενίαν Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

HOMILIA XIV.

Cap. 5. v. 34. *Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor, honorabilis universæ plebi, jussit foras ad breve homines fieri.*

1. Hic Gamaliel Pauli doctor erat: admirationeque dignum est, quomodo, judicio valens et in lege peritus, nondum crederet: neque potuit omnino incredulus manere, ut palam est ex ejus verbis, quæ consulendo affert. *Jussit* enim, inquit, *foras ad breve homines fieri.* Vide prudentiam concionantis, et quomodo statim illos in metum conjiciat. Ne vero in suspicionem veniret, quod eadem quæ illi sentiret, eos qui in concilio sedebant, ac si suæ opinionis essent alloquitur; nec multa utitur vehementia, sed quasi cum viris furore ebriis, ita dicit: 35. *Viri Israelitæ, attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis.* Ne temere, inquit, neque leviter feramini. 36. « Ante enim hos dies surrexit Theudas, dicens se esse aliquem: cui consentit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est; et omnes qui credebant ei, dissipati sunt et redacti ad nihilum. » Exemplis illos ad sanam mentem ducit; et illum, qui plures seduxerat, demum affert ad illorum consolationem. Antequam vero exempla proferat, dicit: *Attendite vobis:* iis vero allatis, sententiam profert dicens: « Et nunc itaque dico vobis, Discedite ab hominibus istis. 37. Post hunc surrexit Judas Galilæus in diebus professionis, et avertit populum multum post se; et ipse quoque periit; et omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. 38. Et nunc itaque dico vobis, Discedite ab hominibus istis, et sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; 39. si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud. »

Ac si diceret: Exspectate, et si ex seipsis illi coacti sunt, nihil impediet quominus dissolvantur. *Ne forte et Deo repugnare inveniamini.* Et ex impossibili, et ex inutili avertit eos. Nec dicit, a quo interempti sint; sed simpliciter, quod sint dissipati, forte superfluum ducens plura addere. Ex iis vero, quæ subjungit, docet: Si humanum sit opus, non est, quod rei curam agatis; sin divinum, quidquid feceritis, non poteritis superare. Sic sermo sapiens visus est: nam persuasi sunt ut non occiderent illos, sed flagellarent tantum. *Consenserunt autem illi*, inquit; 40. *et convocantes apostolos, cæsis denuntiaverunt, ne loquerentur in nomine Jesu; et dimiserunt eos.* Vide, post quot miracula flagellantur! Et tamen iterum doctrina extendebatur: nam et in domo et in templo docebant. 41. « Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati: 42. omni autem die non cessabant in templo et circa domos docentes et evangelizantes Jesum Christum? (*Cap.* 6). 1. In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. » Non in illis omnino dicit diebus; sed quia hæc est consuetudo Scripturæ, ut quæ futura erant, quasi statim facta dicat: ideo sic loquitur. Hellenistas puto hic vocari eos, qui Græce loquebantur; hi enim Græca lingua utebantur, licet Hebræi essent. Ecce alia tentatio; imo et tu, si observare velis, perspicies ab initio bella et intus et foris fuisse. 2. *Convocantes*, inquit, *duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* Bene: necessariis enim magis necessaria sunt præferenda. Vide autem, quomodo statim et horum curam habeant, et prædicationem non negligant. Quasi autem venerabiliores illi essent, ideo præferuntur. 3. « Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu et sapientia, quos constituemus super hoc opus. 4. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. 5. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto. » Utique et illi pleni fide erant, quos et elegerunt; ut ne eadem contingerent, quæ in Juda, et in Anania et Sapphira. « Et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum proselytum Antiochenum: 6. quos statuerunt coram apostolis, et cum orassent, imposuerunt eis manus. 7. Et verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. » Sed dicta iterum repetamus. *Viri, attendite vobis.* Vide mihi hic Gamalielem, quomodo cum mansuetudine et paucis loquatur, nec veteres narret historias, etsi posset, sed novas, quæ maxime ad fidem firmandam valerent. Ideo occulte insinuat, dicens: *Nam ante hos dies*, quasi declarans, non ante multos dies. Si statim dixisset, Dimittite viros, in suspicionem venisset, et sermo non ita validus fuisset; tunc exemplis autem vim accepit. Ideo non unum memorat, sed et alterum. Atqui poterat et tertium addere ex abundanti, et suum confirmare sermonem, illosque a sanguinario proposito abducere. *Discedite ab hominibus.*

2. Vide, quam sit moribus mansuetus. Neque longum, sed brevem texit sermonem; neque illos cum furore memorat. *Et omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.* Hoc dicens, non in Christum blasphemat; sed id, quod maxime volebat, perficit. *Si sit*, inquit, *ex hominibus*, *dissolvetur.* Hic videtur illos syllogismo impetere, ac dicere: Ergo quia hoc dissolutum non fuit, non est humanum. *Ne forte et Deo repugnare inveniamini.* Hoc dicebat, ex impossibili et inutili illos reprimens. *Si vero ex Deo est, non poteritis.* Non dixit, Si Christus sit Deus; opus enim iis declarabat: neque affirmavit vel humanum, vel divinum esse; sed futuro tempori fidem permisit, ut suaderet. Et si suasit, inquies, cur flagellarunt? Indubitatæ quidem dictorum justitiæ obsistere non potuerunt, sed tamen furorem suum impleverunt: alioquin vero sic se illos perterrituros sperabant. Quod autem hæc illis non præsentibus diceret, hoc illos magis attraxit: ac sermonis suavitas, dictorumque justitia id illis suasit. Fere namque et hic evangelium prædicabat; imo hæc fere dicebat, cum justitia ipsos alloquens: Persuasum habete vos non posse dissolvere. Cur non credidistis? Tam magna est prædicatio, ut etiam ab inimicis testimonium habeat. Illic quadringenti surrexerant, et postea magna multitudo: hic duodecim primi erant. Ne ergo vos perterrefaciat multitudinis accessio. *Si enim ex hominibus fuerit opus hoc, dissolvetur.* Poterat et aliud Ægyptium dicere; sed jam superfluum hoc fuisset. Viden', quomodo terrore sermonem concluserit? Ideo non simpliciter sententiam profert, ut ne videatur pro illis dicere; sed ex rei eventu ratiocinatur. Non ausus est vero affirmare, doctrinam illam non humanam, sed ex Deo esse: quia si dixisset ex Deo esse, contradixissent illi; si autem ex hominibus dixisset, ad insurgendum propensi erant. Ideo illos finem exspectare jubet, dicens, *Discedite.* Illi vero rursum minantur, scientes quidem se nihil posse perficere, suo autem more facientes. Talis enim res est malitia, quæ impossibilia sæpe tentat. *Post hunc autem surrexit Judas* (*a*). Hæc, si Josephi libros inspexeritis, accuratius ediscetis: ille namque horum historiam diligenter narrat. Viden' qualem rem ausus est dicere, quod *Ex Deo*, quia postea a rebus ipsis fidem accepit? Vere magna fiducia, et nulla personarum acceptio. *Consenserunt autem illi*, inquit. *Et convocantes apostolos*, cæsos dimiserunt. Reveriti sunt sententiam viri; ideoque destiterunt a proposito occidendi apostolos: flagellatos autem illos dimittunt. *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati.* Quibus signis hoc non mirabilius est? Nusquam hoc apud veteres contigit. Nam

(*a*) Vide Josephum Antiq. Jud. l. 18, c. 1, ubi Judæ Galilæi historiam refert; et l. 20, c. 2, ubi de Theuda agit.

Jeremias quidem flagellatus est propter verbum Dei; Eliæ et aliis minati sunt: sed hic et ex hac re et ex signis virtutem Dei declararunt. Non dixit quod non dolerent; sed quod licet dolentes gauderent. Undenam id liquet? Ex sequenti libertate dicendi: ita semper etiam post plagas prædicando instabant. Ideo id declarans, ait: *In templo et circa domos non cessabant docentes et evangelizantes Christum Jesum. In diebus autem illis.* Quibus diebus? Cum hæc fierent; cum flagella, cum minæ; cum discipuli multiplicarentur: tunc *Factum est murmur.* Et fortassis ob multitudinem contigit: non enim potest in multitudine tantus ordo servari. *Et magna turba sacerdotum obediebat fidei.* His subindicatur, ex iis, qui Christi necem machinati sunt, multos credidisse.

Ministerium quotidianum quid. —*Factum est murmur, quod despicerentur in quotidiano ministerio viduæ eorum.* Ergo quotidianum ministerium erga viduas erat. Et vide, quomodo hic ministerium vocet, et non statim eleemosynam; sicque et eos qui darent, et eos qui acciperent, extollat. Hoc non ex malitia oriebatur, sed fortassis ex turbæ negligentia. Ideo hoc in medium protulit (non parvum enim malum erat), quod cito curandum oportuit. Viden' quomodo in principio mala non foris tantum, sed etiam intus essent? Tu vero non solum attendas quod curatum fuerit, sed etiam quod magnum esset malum. *Considerate ergo, fratres, viros ex vobis septem.* Non id ex proprio nutu faciunt, sed prius se excusant apud multitudinem. Ita et nunc fieri oporteret. *Non est æquum,* aiunt, *nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* Primo absurditatem profert, ostendens non posse utrumque accurate præstari: quandoquidem cum Matthiam ordinare oportuit, primo rei ostendunt necessitatem, quia unus defecerat, et duodecim esse oportebat. Etiam hic necessitatem ostendunt: nec illud ante fecerunt, sed exspectarunt donec murmur oriretur; neque tamen passi sunt ut hoc multum cresceret.

3. Et vide; judicium illis permittunt, et illos præferunt qui omnibus placerent, et omnium testimonio probati essent. Cum oportuit Matthiam proponere, *Oportet*, inquiunt, *ex iis, qui nobiscum sunt omni tempore;* hic autem non sic: non enim tale negotium erat. Ideo hoc non sorti permiserunt; neque cum ipsi possent Spiritu moti eligere, id faciunt; sed ex multorum testimonio quod placitum esset statuunt. Alioquin vero, numerum definire, ordinare, ad talem usum, ad illos pertinebat [1]; eligere autem viros illis permittunt, ut ne viderentur ad quorumdam gratiam agere: quia et Deus Moysi permisit eligere seniores, quos noverat. Multa enim sapientia opus est in talibus dispensationibus. Ne putetis enim, quia verbum non ipsis concreditum fuerat, non opus habuisse sapientia: multa certe opus habuere. *Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.* Et initio et fine sese excusant. *Instantes erimus*, inquiunt. Sic enim oportebat, non leviter, non utcumque, sed cum perseverantia. *Et placuit*, inquit, *sermo coram omni multitudine.* Et hoc illorum sapientiam decebat. Omnes dictum laudarunt; ita prudentia plenum erat. « Et elegerunt, inquit (rursum ipsi eligunt), Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum proselytum Antiochenum: quos statuerunt coram apostolis. Et orantes imposuerunt illis manus. » Hinc palam est, quod segregaverint illos a multitudine; et illi trahunt, non apostoli ducunt. Vide, quam non superflue scriptor loquatur: non enim dicit quomodo, sed simpliciter quod ordinati sint per orationem: hoc enim est ordinatio. Manus viri superponitur; totum vero Deus operatur, ejusque manus est quæ tangit caput ordinati, si quemadmodum oportet ordinetur. *Et sermo*, inquit, *Dei crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum.* Non sine causa hoc dixit, sed ut ostenderet, quanta sit eleemosynæ et boni ordinis virtus. Ac deinceps quæ Stephanum spectant narraturus est: ideo et causas illorum præmittit: *Et multi*, inquit, *sacerdotum obediebant fidei.* Quia enim videbant principem et doctorem hæc proferentem, ex operibus jam periculum faciebant. Et admiratione dignum est, quod populus non scissus fuerit in electione virorum, quomodo non reprobati sint ab illis apostoli.

Presbyteri et Diaconi nomen quando admissum. — Quam ergo dignitatem habuerunt illi, et quam acceperunt ordinationem, jam discendum est. Num diaconorum? Atqui hæc in Ecclesiis non erat; sed presbyterorum erat œconomia. Atqui nullus adhuc episcopus erat, præterquam apostoli tantum. Unde puto nec diaconorum nec presbyterorum tunc fuisse nomen admissum nec manifestum; sed jam ad hoc ordinati sunt. Nec simpliciter hoc munus illis concreditum est; sed precati sunt, ut potestas illis concederetur. Vide autem, quæso, si septem viris erat opus, tantæ fortassis affluebant pecuniæ, tanta erat viduarum multitudo. Ergo non simpliciter preces emittebantur, sed cum multa attentione; hocque, perinde atque prædicatio, perficiebatur: plurima enim precibus operabantur. Sic spiritualia præferebantur, sic ad peregrinationes mittebantur, sic istis verbum concreditum fuit. Neque dicit hoc, neque extollit eos; sed dicit, non æquum esse commissum opus relinquere. Sic a Moyse instituti fuerant, ne omnia agenda susciperent. Idcirco Paulus ait, *Ut pauperum tantum memores simus* (*Gal.* 2. 10). Quomodo autem hos antecesserint disce. Jejunabant, perseverabant in oratione. Hoc etiam nunc fieri oporteret. Non simpliciter autem spirituales, sed Spiritu et sapientia plenos dixit, ostendens magnæ philosophiæ fuisse accusationes ferre viduarum. Quæ enim utilitas, si dispensator non furetur quidem, sed omnia perdat; vel si ferox sit et exacerbetur? Hac in re admirandus erat Philippus. De illo namque dicit: *Et ingressi in domum Philippi evangelistæ, qui ex septem illis erat, mansimus apud illum* (*Act.* 21. 8). Viden' nihil humano more dispensari? *Et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem.* Jerosolymis

[1] Morel. legit, *sibi adscribunt*, pro, *ad illos pertinebat.*

crescebat multitudo. Res mirabilis, ubi occisus fuerat Christus, illic crescebat prædicatio: nec modo non scandalizati sunt quidam ex discipulis, videntes apostolos flagellari, alios minari, alios Spiritum tentare, alios murmurare; sed et maxime augebatur credentium numerus: sic ab Ananiæ casu ad meliorem frugem reducebantur, et major illis timor erat. Vide mihi porro, quomodo creverit multitudo. Post tentationes crevit, non ante. Consideres vero, quanta sit Dei benignitas. Ex illis enim principibus sacerdotum, qui ad cædem turbas concitabant, qui talia clamabant et dicebant, *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere* (*Matth.* 27. 42); ex illis, inquit, *Multi obediebant fidei.*

4. *Caritas erga inimicos et misericordia commendantur.* — Ejus itaque et nos imitatores simus. Illos suscepit, nec repulit. Sic inimicis, qui nobis innumera intulere mala, beneficia rependamus. Si quid bonum habemus, illis tribuamus, ne benefaciendo prætereamus illos. Si enim mala patiendo implere oportet illorum furorem, multo magis benefaciendo: hoc enim minus est illo. Non enim par res est, benefacere inimico, et majora velle pati; ab hoc ad illa veniemus. Hæc dignitas est discipulorum Christi. Crucifixerant illum, qui ad benefaciendum illis venerat; discipulos illius flagellaverunt; et postea illos ad eumdem quo discipulos honorem ducit, similiterque sua illis communicavit. Imitatores, quæso, Christi simus: in hoc oportet illum imitari; hoc enim æqualem Deo facit; hoc plusquam humanum est. Eleemosynæ operam demus: hæc pædagogus et doctor est illius philosophiæ. Qui didicit misereri ejus, qui in calamitate est, discet etiam injuriarum oblivisci: qui hoc didicit, inimicis etiam benefacere poterit. Discamus proximorum malis frangi, et discemus illorum etiam mala ferre. Illum interrogemus, qui male erga nos affectus est, annon condemnet seipsum, annon velit philosophari, annon totum oriri dicat ab ira et simultate et miseria; num velit ex numero illorum esse, qui contumeliam ferunt et silent, non autem illorum, qui contumeliam faciunt et furunt; annon eum qui patitur admiretur. Ne putes hoc contemptibiles reddere. Nihil ita contemptibiles reddit ut contumeliam inferre; nihil ita venerabiles, ut contumeliam ferre. Ille namque est contumeliosus, hic philosophus: ille pejor homine, hic angelis par. Licet enim minor esset contumelioso; attamen, si vellet, posset eum ulcisci. Alioquin vero hic misericordiam omnium sibi attrahet, ille vero exosus erit. Quid igitur? nonne inde hic multo præstantior erit? Illum namque ut furentem, hunc ut prudentem habebunt omnes. Cum ergo te cogit quispiam, ut aliquem crimineris, dic illi: Non possum ipsi maledicere; timeo enim ne forte non sit talis. Cave autem maxime, ne in mente dixeris, neve alteri sic loquaris. Ne preceris Deum contra illum: si videris illum male audire, defende: dic, Iracundiæ, non viri, verba sunt; iræ, non amici; furoris, non animæ. Hæc circa singula peccata cogitemus. Ne exspectes donec ignis accendatur, sed ante comprime: ne feram exacerbes, nec exacerbari sinas: non poteris compescere si flamma accendatur. Quid enim dixit? Stulte et insipiens? Uter verbo obnoxius est, qui audit, an qui dicit? Hic namque, et si valde sapiens sit, stultus reputabitur; ille vero, etsi admodum stultus sit, sapiens et philosophus habebitur. Uter, quæso, stultus, qui alteri profert ea quæ non sunt, an is qui neque sic movetur? Nam si philosophi est, etiamsi inciteris, non moveri; nemine movente exasperari, quantæ insipientiæ fuerit? Nondum dico, quæ pœna reposita sit iis, qui in proximum opprobria et blasphema dicta proferunt. Sed quid? ignobilemne ex ignobilibus dixit, et vilem ex vilibus ortum? Iterum in seipsum vertit opprobrium. Nam ille quidem honorabilis ac reverendus apparebit, hic vero vilis: talia enim in opprobrium proferre, generis nempe vilitatem, pusilli est animi. Ille vero magnus et mirabilis est, qui nihil tale sentiat, sed ita affectus sit ac si audivisset, se aliquid excellens præ aliis habere. Sed mœchum et similia dicet? Hic ridendum est: quando enim conscientia non pungit, nullus est iræ locus. Si cogites vero, quam fœda et mala verba proferat, neque sic est dolendum. Nam quod cuique postea notum futurum erat, hoc jam ipse revelavit: indeque omnibus se fide indignum constituit, utpote qui nescierit proximi peccata tegere; seque magis pudore affecit, quam alium; omnem obstruxit portum, pœnasque sibi graves in futuro judicio paravit. Non enim hunc, ut illum aversabuntur omnes, qui tegenda revelaverit. Tu vero ne reveles ea, quorum conscius es; sed tace, si vis bonam habere famam. Non modo enim subvertes, et teges ea, quæ dicta sunt, sed et aliud bonum operaberis: non jam facies contra teipsum ferri sententiam. Tibi quispiam maledicit? Dic tu: Si omnia nosset, non hæc solum dixisset. Admirati estis cum stupore id quod dixi? Sed imitari oportet. Ideo enim hæc omnia, quæ ab exteris prolata sunt, diximus, non quod Scripturæ innumera talia non habeant; sed quod hæc magis possint pudore suffundere. Nam Scriptura quoque ad pudorem inducere solet, ut cum dicit: *Nonne et ethnici hoc faciunt* (*Matth.* 5. 47)? Propheta vero Jeremias filios Rechab in medium adduxit (*Jer.* 35. 3), qui paternum præceptum transgredi noluerunt. Maledixit Maria Moysi (*Num.* 12): at ille statim pœnam ab ipsa precibus avertit, neque concessit ut sciretur, se vindicatum fuisse. At nos non sic; sed hoc maxime volumus, ut sciatur injuriam non inultam fuisse. Quousque de terra spirabimus? Non potest pugna ex una solum parte constare. Furentes si ex utraque parte trahas, magis exasperabis; si a dextera vel a sinistra, furorem exstinguis. Qui non patientem verberat, magis extollitur; qui cedentem, magis dissolvitur, et in ipsum plaga convertitur. Non ita antagonistæ vim superat vir in omni pugnæ genere peritus, ut qui injuria afficitur, nec rependit. Adversarius enim cum pudore discedit improbatus, primo a propria conscientia, secundo a spectatoribus omnibus.

Estque in proverbio vulgatum : Qui honorat, se ipsum honorat. Ergo et contumeliosus sibi ipsi talis est.

Nemo læditur nisi a seipso.— Nemo nos lædere poterit, iterum dico, nisi nos ipsi ; nec quis me pauperem faciet, nisi ego ipse. Age ergo, sic rem perpendamus : sit mihi anima pauper, et omnes mihi pecunias erogent; quid inde ? Donec illa mutetur, omnia frustra sunt. Sit anima mihi magna, et cuncti pecunias meas accipiant; quid inde ? Donec illam non pauperem reddas, nihil hinc damni. Sit mihi impura vita, et omnes contraria de me dicant; quid inde? Licet dicant, at non in mente approbant. Rursum sit mihi vita pura, et omnes contraria dicant; et quid inde ? Nam in conscientia sua id damnant : non enim persuasi dicunt. Ut enim laudes non oportet admittere, sic nec accusationes. Et cur hæc dico ? Nemo nobis umquam insidiari poterit, neque accusatione circumvenire, si voluerimus. Hoc ita consideremus : trahat nos quis ad forum, calumnietur ; si vis, et animum efferat ; et quid hoc, si paulisper hæc immerito feras? Hoc ipsum malum est, inquies. Hoc ipsum bonum est [1], quod immeritus patiaris. Sed quid ? an meritum pati oportebat ? Aliquid iterum dicam : Philosophus quidam exterorum, ut audivit quempiam obiisse, cum quidam ex discipulis diceret ipsi, Væ mihi, quia injuste ; ille conversus, Sed quid, ait, an juste voluisses (*a*)? Et Joannes nonne injuste mortuus est? Quem ergo magis miseraris, eumne qui juste, an eum qui injuste ? nonne hunc miserum dicis, illum vero beatum ? In quo ergo læditur homo a morte, qui multum lucratur, nedum quid damni referat ? Nam si ex immortali mortalem fecisset, forte damnum esset ; si vero mortalem, et ex natura sua paulo post moriturum festinavit cum gloria abducere, quid hinc damni ? Sit nobis animus recte compositus, et nullum extrinsecus damnum adveniet. Sed non es in gloria ? Et quid hoc ? Nam quod in opibus, idipsum in gloria est. Si enim magnificus fuero, nullo opus habebo ; sin vanæ gloriæ cupidus, quanto plura consequar, tanto pluribus egebo. Tunc vero splendidior ero et majori fruar gloria, si gloriam contempsero. Hæc cum sciamus, gratiam habeamus Christo Deo nostro, qui talem vitam nobis largitus est, et illam adeamus ad gloriam ipsius : quia ipsum decet gloria cum Patre principio carente, et sancto Spiritu ejus, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Morel. legit, *malum est* ; quæ lectio quadrabit si interrogantis more hic proferatur : tunc enim sic totus locus habebit : *Hoc malum est quod immeritus patiaris ?*

(*a*) In hunc locum hæc habet Dounæus in Edit. Savil. : *« Sed quid ? an juste voluisses ? » Hæc Socratis sunt ad uxorem verba, ut refert Laertius, in Vita Socratis : Cum uxor illi diceret*, Injuste moreris ; *Tune, inquit, juste voluisses ?* Hactenus Dounæus. Xenophon autem in Apologia Socratis sic habet : *Quidam autem adstans, nomine Apollodorus, vir maxime Socrati addictus, et singulari præditus ingenuitate, dixit : « Equidem, O Socrates, hoc mihi præsertim videtur intolerabile, quod te videam injuste morientem. » Dicitur autem Socrates, Apollodori capiti blandiens respondisse : « Tune, o carissime, me juste quam injuste morientem videre malles ? »* et hunc locum magis videtur Chrysostomus significare.

HOMILIA XV.

CAP. 6. v. 8. *Stephanus autem plenus fide et virtute faciebat prodigia et signa magna in populo.*

1. *In ordinatione Spiritus sanctus accedit.* — Vide, quomodo inter septem illos unus præcellens esset, ac primas teneret. Etsi enim ordinatio communis esset, at hic majorem gratiam attraxit. Antea vero signa non faciebat, sed ubi manifestus fuit ; ut ostenderetur non solam gratiam sufficere, sed ordinationem requiri, ut Spiritus accessio fiat. Quod si antea Spiritu pleni erant, at id a lavacro. 9. *Surrexerunt autem quidam de synagoga.* Consurrectionem vocat exacerbationem et iram eorum. Hic vide magnam multitudinem ; imo aliam accusationis formam. Nam postquam Gamaliel illos cohibuerat, ne hac de re incusarent, aliam inducunt accusationem. « Surrexerunt autem, inquit, quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum et Cyrenensium et Alexandrinorum, et eorum qui erant ex Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano ; 10. et non poterant resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur. 11. Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysem et in Deum. » Ut accusationem instituant, Contra Deum, inquiunt, et contra Moysem loquitur. Ideo autem disputabant, ut cogerent eum aliquid proferre. Ille vero clarius loquebatur, et forte legis cessationem tantum dicebat ; vel non dicebat quidem sed insinuabat. Nam si palam dixisset, non opus fuisset subornatis viris nec falsis testibus. Diversæ autem synagogæ erant, Libertinorum et Cyrenensium. Sed Cyrenenses ultra Alexandriam sunt, qui et illic per gentes synagogas habebant ; ac forte illic manebant, ne sæpe migrare cogerentur : Libertini autem, Romanorum liberti erant, et sic appellabantur (*a*). Ut autem ibi multi peregrini habitabant, ita et synagogas habebant, in quibus oportebat et lectiones et orationes fieri. Tu vero mihi perpendas velim, quomodo et hic coactus docere cogitur, et illi rursum ob signa non modo ad invidiam concitentur, sed etiam, quia verbo superabat, et intolerabilis ipsis erat, falsos testes constituant. Nolebant enim illum sine causa occidere, sed cum suffragio, ut et famam illorum læderent ; et illis relictis ad hos veniunt, ut sic illos etiam perterrefacerent. Nec dicunt, Loquitur ; sed, *Non cessat loqui*, ut accusationem augeant. 12. « Commoverunt autem seniores et scribas, et concurrentes rapuerunt illum, et adduxerunt in concilium, 13. et statuerunt falsos testes, qui dicerent : Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum et legem. » Non cessat, inquiunt, ut illum id conantem indicent. 14. « Audivimus enim eum dicentem, Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit consuetudines, quas tradidit nobis

(*a*) Libertini vocabantur ii qui libertorum filii erant.

Moyses. *Jesus*, inquiunt, *Nazarenus*, quasi contumeliose, *destruet locum istum, et mutabit consuetudines*. Hoc etiam Christum accusantes, dicebant : *Qui destruis templum Dei* (*Matth.* 27. 40). Multa quippe illis reverentia erat erga templum, utpote qui illic sedes ponere vellent, itemque erga Moysis nomen. Et vide, quomodo duplex sit accusatio : *Destruet*, inquiunt, *locum et mutabit consuetudines*. Non modo duplex, sed etiam acerba, et plena periculis. 15. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem angeli*. Sic fieri potest, ut qui in minori gradu sunt clarescant. Quid enim, quæso, hic minus habebat, quam apostoli? nonne signa operatus est? nonne multam exhibuit loquendi libertatem? *Viderunt faciem ejus, tamquam faciem angeli*, inquit. Hæc gratia erat, hæc gloria Moysis erat. Gratiosum autem illum, ut videtur mihi, fecit Deus, forte quia quædam dicturus erat, ut statim vel ex aspectu illos perterrefaceret. Possunt enim, possunt utique vultus gratia spirituali pleni, amabiles desiderantibus, venerandi et terribiles odientibus esse. Vel fortassis hoc dixit, quasi causam, propter quam passi sunt illum concionari. Quid vero princeps sacerdotum? (*Cap.* 7). 1. *Si hæc*, inquit, *ita se habent?* Viden', quam mansueta et nihil molesta sit interrogatio? Ideo ille placide orditur, et ait : 2. *Viri fratres et patres, audite : Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charran*. Statim a principio opinionem illorum tollit, et sine ulla suspicione adstruit, nihil esse templum, nihil consuetudines, neque ipsos prædicationem esse cohibituros; Deumque semper ea, quæ videntur impossibilia, facere et parare. Vide ergo his contexi concionem, qua ostenditur, illos multa semper Dei benignitate fruentes, contraria benefactori rependisse, et impossibilia tentare. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ*, 3. *et dixit ad illum : Exi de terra tua, et veni in terram, quam monstravero tibi*. (*Gen.* 12. 1).

2. Templum nondum erat, sacrificium non erat, et divina visione dignatus est Abraham, qui Persas(*a*) progenitores habuit, et in aliena terra erat. Et cur in exordio Deum, gloriæ appellavit Deum? Quia ille ingloriós fecit gloriosos; et ut ostenderet, si illos glorificavit, multo magis istos glorificaturum esse. Viden' quomodo illos a corporeis abducat, et a loco primum, quia de loco agebatur? *Deus gloriæ*. Si Deus est gloriæ, palam est illum non egere gloria nostra, neque gloria templi; ipse namque est gloriæ fons. Ne ergo putetis vos sic illum glorificaturos esse. Et cur, inquies, hoc Scriptura de Abrahamo dicit ; Quia minus necessaria non refert. Quod enim scire nos expediebat, hoc solum nos docuit, quod videas filium cum illo migravit; cætera vero tacuit, eo quod cito mortuus sit postquam habitaverat in Charran. *Exi de cognatione tua*. Hic ostendit hos non esse filios Abrahæ. Quomodo? Quia ille obsequens erat, hi autem pervicaces; imo ex iis quæ jussus facit discimus, illum quidem labores sustinuisse, hos vero fructus decerpere, et progenitores omnes in ærumnis fuisse. 4. « Et egressus de terra Chaldæorum, habitavit in Charran: et inde postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam : in qua nunc vos habitatis : 5. et non dedit illi hæreditatem in ea, neque passum pedis. » Vide, quomodo illos a terra abducat. Non dixit enim, Dabit; sed, *Non dedit*, declarans omnia ab illo, nihil ab ipsis fuisse. Venit enim relicta cognatione et patria. Cur ergo non dedit? Quia figura erat alterius terræ quam promisit se illi daturum. Vides, eum non sine causa sermonem resumere? *Non dedit illi*, inquit. *Et promisit semini ejus post illum, cum non haberet filium*. Hinc rursum ostenditur Dei potentia, quod ea faciat quæ impossibilia videntur. Eum enim, qui in Perside erat, tanto spatio remotum, dixit se dominum Palæstinæ facturum. Sed dicta superius repetamus. *Intuentes in eum*, inquit, *viderunt faciem ejus tamquam faciem angeli*. Unde in Stephano gratia florebat? nonne ex fide? Id certe palam est; nam supra de illo dixit, plenum fide fuisse. Potest autem haberi gratia, quæ non sit curationum : ideo ait apostolus : *Alii datur*, inquit, *gratia curationum*, *alii sermo sapientiæ* (1. *Cor.* 12. 9). Hic autem videtur mihi illum valde gratiosum fuisse subindicari, cum dicitur, *Viderunt faciem ejus tamquam faciem angeli;* quod etiam de Barnaba dictum fuit. Unde scimus simplices et innocentes in primis in admiratione esse [1], maximeque gratiosos. *Tunc summiserunt viros qui dicerent, se audivisse illum dicentem verba blasphema*. De apostolis quidem dicebant, quod resurrectionem annuntiarent, et quod multa turba conflueret; hic autem quod sanarentur. O insipientiam! De quibus oportebat gratias agere, de iis redarguebant; et eos qui operibus superabant, se verbis superaturos esse sperabant, quod etiam erga Christum faciebant; et semper in verba sese convertebant. Illos enim temere rapere erubescebant, nihil habentes quo criminarentur. Et vide, quomodo non judices ipsi testificentur; nam confutati fuissent; sed alios frustra mercede conducunt, ut ne videretur res esse violenta. Hoc ipsum etiam Christo contigisse videas. Vidistin' vim prædicationis, et quomodo vigeat non modo cum præcones flagellantur, sed etiam cum lapidantur, cum ad tribunal aguntur, cum undique pelluntur? Hinc illis falsa testificantibus, non modo non superabant, sed nec obsistere valebant [2], etsi valde impudentes essent : sic illos fortiter devicit, etsi multa incongruentia facerent, ut et erga Christum, cum omnia facerent ut illum morte afficerent, ita ut demum palam esset omnibus, non humanam esse pugnam, sed Dei contra homines. Perpende autem quid faciant illi appositi falsi testes ab iis, qui sanguinario animo illum in concilium rapuerant. *Audivimus illum dicentem verba blasphema contra Moysem ac Deum*. O impudentes! Ope-

(*a*) Familiare est Chrysostomo Orientales pene omnes vocare Persas.

[1] Alius habet, *salvos esse*, pro, *in admiratione esse*.
[2] Unus sic habet : . ... *Undique pelluntur? et illis ipsis confitentibus, non modo vincebantur, sed ne resistere quidem valebant*.

ra contra Deum blasphema facitis, et non curatis; et de Moyse solliciti esse simulatis? Ideo proponitur Moyses, quia quæ Dei erant, non multum curabant, et ubique Moysem commemorant: *Moyses*, inquiunt, *hic qui eduxit nos* (*Act.* 7. 40), facile mobilem populum irritantes. Atqui quomodo vir blasphemus ita vinceret? quomodo vir blasphemus talia signa in populo faceret? Sed talis res est invidia, stultos efficiens eos quos invasit, ut neque iis attendant quæ loquuntur. *Audivimus illum*, inquiunt, *loquentem blasphema verba contra Moysem et Deum;* ac rursum, *Hic homo non cessat verba loqui contra locum sanctum et legem*, et adjiciunt, *Quæ tradidit nobis Moyses;* non ultra Deus.

3. Viden' quomodo illum ob eversam rem publicam impietatis accusant? Quod autem non potuerit ille talia audacter loqui, cuique manifestum est: ita mitis vel in facie erat. Igitur ubi non calumniabantur, nihil tale dicit Scriptura: quia vero totum hoc loco calumnia est, jure illam corrigit Deus, vel per ipsum vultum. Apostoli certe non calumniis impetebantur, sed prohibebantur; hic vero calumniis impetitur: ideoque ante omnia vultus ipsum purgat. Forte hoc sacerdotem pudore affecit. Ubi vero dixit, *Promiserat*, ostendit promissionem fuisse factam antequam locus deputatus esset, antequam circumcisio, antequam sacrificium et templum esset: et illos non ex merito accepisse circumcisionem neque legem, sed obedientiæ tantum mercedem fuisse terram. At nondum circumcisione data, promissio impletur: ac per figuram illos, Deo jubente, probatur, reliquisse patriam et cognationem (illa namque patria est, ad quam duxerit Deus), et hic hereditatem non habere: nam si quis rem accurate examinet, Persæ sunt Judæi; et innuit, quod etiam absque signis obtemperandum sit Deo loquenti, etiamsi gravia quædam accidant. Quandoquidem patriarcha et paterno sepulcro et omnibus relictis, Deo obtemperavit. Quod si hujus pater non socius illius fuit migrantis in Palæstinam, multo minus filii erunt consortes, etiamsi magnam viæ partem emetiantur, quia virtutem patris non imitantur. *Et repromisit dare illam ei et semini ejus*, inquit, *post illum*. Multa hic Dei benignitas exhibetur, multa Abrahæ fides. Nam quod crederet, *Cum nondum esset ei filius*, hoc ejus et obedientiam et fidem ostendit: quamvis ea, quæ facta erant, contrarium monstrarent: nempe quod cum venisset, ne vestigium quidem pedis suum haberet, neque filium, quæ fidei contraria erant. Hæc nos quoque considerantes, quæ Deus promiserit, admittamus, etiamsi contraria evenerint: quamvis apud nos contraria non sint, sed valde consequentia. Ubi enim promissiones sunt, si contraria eveniant, illa vere contraria sunt; apud nos autem secus: nam hic quidem afflictionem dixit, illic requiem. Cur confundimus tempora? cur omnia sus deque vertimus? Angeris, dic mihi, quia in paupertate vivis, et ideo turbaris? Ne turberis: Jure turbareris, si illic tribulatio futura esset: ipsa enim tribulatio quietis est causa. *Infirmitas*, inquit, *hæc non est ad mortem* (*Joan.* 11. 4). Illa tribulatio est punitio, hæc autem, institutio et emendatio. Certamen est præsens tempus: ergo pugilatu est opus: bellum et pugna est. Nemo in bello requiem quærit, nemo in bello quærit voluptatem, nec de divitiis sollicitus est, nec de uxore; sed unum tantum spectat, quomodo inimicos superet. Hoc et nos faciamus; ea si vincamus, et cum tropæis revertamur, omnia nobis dabit Deus. Hoc solum curemus, quomodo diabolum vincamus: imo vero hoc opus non nostri studii est, sed gratiæ Dei totum. Unum nobis curæ sit, ut nobis ejus gratiam attrahamus, ut illud nobis auxilium conciliemus. *Si Deus pro nobis, quis contra nos* (*Rom.* 8. 31)? inquit. Hoc unum curemus, ut hic nobis non efficiatur inimicus, ut non avertatur a nobis.

4. Non tribulari, sed peccare malum est. Et hæc gravis tribulatio est, etiamsi in deliciis agamus; non dico in futuro, sed etiam in præsenti. Quomodo putas morderi conscientiam nostram? quo tormento id deterius non fuerit? Vellem diligenter interrogare eos, qui in malis vivunt, an umquam in memoriam peccatorum suorum veniant, annon tremant, annon formident, annon doleant? annon beatos prædicent eos, qui in jejunio, in montibus, in philosophia vivunt. Vis illic quietem habere? Hic tribulationem patere propter Christum; nihil huic requiei par est. Gaudebant apostoli dum flagellarentur. Paulus sic admonet, *Gaudete in Domino* (*Philipp.* 4. 4). Et quomodo potest quis gaudere, inquies, ubi vincula, tormenta, tribunalia? Istic maxime gauderi potest. Quomodo autem possit gauderi, ubi hæc sunt, disce. Qui nullius sibi conscius est, plurimum lætabitur; ita ut, quo majorem dixeris tribulationem, eo majorem dicas voluptatem. Dic enim mihi, miles qui mille vulnera accepit, nonne redibit cum magna voluptate, ipsa vulnera in argumentum habens audaciæ, splendoris et claritatis? Et tu si posses erumpere in illam vocem, quam protulit Paulus, *Stigmata Jesu porto* (*Gal.* 6. 17), posses certe magnus, clarus et illustris esse. Sed non est persequutio? Sta contra gloriam; et si quis contrarium quidpiam dixerit, ne timueris male audire propter Christum: sta contra fastus tyrannidem, sta contra iræ pugnam, sta contra concupiscentiæ tormentum. Et hæc stigmata, hæc tormenta sunt. Dic enim mihi, quid gravius in tormentis est[1]? annon quod anima doleat et uratur? Illic enim corpus dividitur; hic autem totum illius est. Circa illam dolor est quando irascitur, quando invidet, quando quid simile facit; imo vero quando patitur. Hoc enim non est facere, sed pati, nempe irasci et invidere: ideoque hæc vocantur animæ morbi, vulnera, plagæ. Vere namque morbus est et morbo gravius.

Ira quomodo sedanda. — Cogitate, iracundi, quod cum morbo id faciatis. Ergo qui non irascitur, nec patitur. Viden' eum, cui contumelia infertur, non pati, sed eum qui contumeliam infert, ut jam dixi

[1] In Codice 4. legitur, *quid hisce tormentis gravius est?*

superius? Nam quod patiatur, vel hinc palam est, quod hoc passio vocetur; palam item est ex corpore: hæ namque passiones ab ira nascuntur, obtusa oculorum acies, stupor, et innumera alia. Sed filium contumelia affecit, inquies; sed famulum. Ne putes infirmitatem esse, quod id ipse non facias. Dic enim mihi, an benefactum est? Non puto id te dicturum: ergo ne facias quod non est bene factum. Scio quales in talibus iræ nascantur. Quid ergo si contemnat, inquies? si rursum dicat? Argue: increpa, obsecra: mansuetudine ira solvitur: accedens argue. In iis certe, quæ nos respiciunt, hoc faciendum non est; in iis vero, quæ alios spectant, id necesse est agere. Ne propriam contumeliam putes, quod filius contumelia afficiatur: ut si doleas de illo, at non tamquam contumelia affectus: non enim quia puer male habet, tu contumelia affectus es; sed is qui male fecit. Restingue gladium acutum, in vagina condatur. Si nudus maneat, sæpe illo inopportuno tempore utemur, ab ira concitati; si vero conditus maneat, etiamsi opus fuerit, exstinguetur ira. Non vult Christus ut pro ipso irascamur: audi enim quid Petro dicat: *Converte gladium tuum in vaginam* (*Matth.* 26. 52), et tu pro filio irasceris? Doce filium philosophari; narra illi passiones Domini; imitare magistrum tuum. Quando illi inhonorandi erant, non dixit, Ulciscar; sed quid? *Me persequuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* 15. 20). Ferte itaque fortiter; non enim meliores me estis. Hæc et tu filio et servo dicito: Non es Domino tuo melior. Sed hæc philosophiæ verba videntur a vidua proficisci. Hei mihi, quod res verbis declarari nequeat, ut potest experientia edisci. Et ut discas, in medio duorum concertantium stans, sis ex parte læsorum, non lædentium, si non apud te triumphos videbis, si non splendidas accipies coronas. Vide, quomodo contumelia afficitur Deus, quam mansuete et benigne respondeat: *Ubi est*, inquit, *Abel frater tuus* (*Gen.* 4. 9). Et quid ille? *Numquid custos fratris mei sum ego?* Quid hoc arrogantius? hoc certe vel a filio quis libenter audivisset? nam si a fratre, nonne quis duxerit esse ignominiam? At Deus iterum mansuete respondet: *Vox sanguinis*, inquit, *fratris tui clamat ad me*. At Deus, inquies, ira superior est. Sed ideo descendit Filius Dei, ut te deum faceret secundum humanas vires. At non possum, inquies, homo cum sim. Ergo patere ut homines tibi adducamus. Ne putes me Paulum dicere aut Petrum, sed quosdam ipsis longe inferiores. Heli servus Annam contumelia affecerat, dicens: *Digere vinum tuum* (1. *Reg.* 1. 14). Quid hoc contumeliosius? Quid ergo illa? *Mulier in amaro die ego sum*. Nihil revera afflictioni par: philosophiæ mater est. Hæc vero ipsa mulier æmulam habens, non contumelia affecit eam; sed quid? Ad Deum confugit, et orans illius ne quidem meminit, neque dicit: Quoniam hæc me probris affecit, me ulciscere: adeo philosophiæ assueta mulier erat. Erubescamus, viri: scitis enim nihil zelo par esse.

5. Publicanus a Pharisæo contumelia affectus, non retulit contumeliam, quamvis posset, si voluisset; sed id philosophico animo tulit, dicens, *Propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* 18. 13). Memphibaal (*a*) a servo accusatus et calumnia impetitus (2. *Reg.* 16. 3), neque dixit neque fecit illi quidpiam mali, ne quidem apud regem. Vis etiam meretricis audire philosophiam? Audi Christum dicentem, quando illa capillis suis pedes ipsius tergebat: *Publicani et meretrices vos præcedent in regno* (*Matth.* 21. 31). Vidisti illam stantem et lacrymantem, ac propria peccata abluentem? Vide, quomodo a Pharisæo probris affecta, non irascatur. Si sciret, aiebat, quod hæc mulier peccatrix sit, non sineret eam. Non dixit illi: Quid, quæso? tune purus a peccatis es? sed magis patiebatur, magis gemebat, et calidiores lacrymas emittebat. Quod si mulieres, publicani et meretrices philosophentur, idque ante gratiam: qua venia digni nos erimus, qui post tantam gratiam magis quam feræ rixamur, mordentes, calcitrantes?

Ira redarguitur. — Nihil turpius ira, nihil vilius, nihil gravius, nihil ingratius, nihil damnosius. Hæc dico, non tantum ut cum viris mites simus, sed etiam ut si uxor loquax sit, feras illam: sit tibi palæstra et gymnasium uxor. Quomodo enim absurdum non fuerit gymnasia admittere, quæ nihil lucri afferant, ubi corpus atterimus; et gymnasia domi non parare, quæ etiam ante certamina coronam nobis concilient? Contumelia afficit mulier? Ne tu mulier efficiaris: muliebre enim est contumelia afficere; morbus est animi, vitium est. Ne putes te indignum esse, quod a muliere contumelia afficiaris. Indignum te est, cum tu contumelia afficis, illa vero philosophatur; tunc turpiter agis, tunc contumelia afficeris: si vero contumeliam feras, magnum erit fortitudinis tuæ argumentum. Non hoc dico, ut mulieres inducam ad contumelias inferendas; absit; sed ut, si satana instigante id eveniat, vos feratis. Virorum fortium est infirmos ferre. Si famulus contradixerit, tu philosophice age: non quod ille meretur audire, dicas vel facias, sed quod oportet te dicere et facere. Numquam puellam contumelia afficias, verbum turpe efferens; numquam famulum scelestum dicas. Ille non contumelia affectus est, sed tu. Non potest in seipso manere is qui irascitur, sicut nec pelagus fluctibus agitatum; nec fons manere purus potest, luto in illum incidente: sic omnia miscentur; imo sic omnia sus deque vertuntur. Si verberes, si tunicam discindas, tu majus damnum accepisti; illi namque in corpore et in veste plaga est, tibi vero in anima. Illam scidisti, illam vulnerasti; aurigam equis subjecisti, supinum trahi curasti: atque idipsum fit ac si auriga alteri succensens, trahi se patiatur. Sive increpes, sive moneas, sive quid aliud facias, absque ira et furore facito. Nam si is, qui increpat,

(*a*) Ille porro, quem hic vocat *Memphibaal*, is ipse est, qui vocatur Miphiboseth in Vulgata et Μεμφιβοσθὲ apud LXX Interpretes. Dicitur autem Meribbaal, l. 1 Paralip., c. 8, v. 34. Ex duobus autem nominibus unum factum est, ita ut *memphi* ex uno, *Baal* ex altero nomine desumptum sit. Porro sic vocatur etiam supra in Synopsi Scripturæ sacræ, T. 6, col. 346. Theodoretus quoque *Memphibaal* habet, quæst. 31 in librum 2 Regum.

quam sic tremefactus est Moyses. Vidistin' misericordiam? Vide tandem sollicitudinem. 34. *Videns vidi*, inquit, *afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eos. Et nunc veni, et mittam te in Ægyptum.* Vide, quomodo ostendat se per beneficia, per supplicia et per miracula ducere illos, illi vero semper iidem erant. Hinc discimus, Deum ubique præsentem esse. Hæc et nos audientes, in afflictionibus ad eum confugiamus. *Et gemitum*, inquit, *eorum audivi.* Non simpliciter dixit, *Audivi;* sed, propter calamitates. Quod si quis dicat: Et cur illos sic affligi permisit? audiat, omni justo afflictiones causam esse præmiorum: vel ideo illos affligi permisit, ut virtutem suam hinc splendentem exhiberet, illosque per ærumnas institueret, ut in omnibus philosopharentur. Vide ergo cum essent in deserto, non modo impinguati, incrassati, dilatati sunt, sed etiam dereliquerunt Deum. Ubique enim animi remissio malum est, dilecte. Ideo ab initio dixit Adamo: *In sudore vultus tui comedes panem tuum* (*Gen.* 3. 19). Ne igitur ex afflictione multa in magnam tranquillitatem venientes, contumeliosi essent, illos affligi permittit: magnum enim bonum est afflictio.

Afflictionis bonum.—Audi Davidem dicentem: *Bonum mihi quia humiliasti me* (*Psal.* 118. 71). Quod si magnis et admirandis viris magna res est afflictio, multo magis nobis. Si vultis, ipsam afflictionem in seipsa examinemus. Sit quis gaudens, lætus et effusus; quid turpius, quid insipientius illo? Sit quis dolens et mœrens; quid illo magis philosophicum? Idcirco Sapiens admonet, dicens: *Melius est ingredi in domum luctus, quam in domum risus* (*Eccli.* 7. 3). Forte dicta irridetis. Sed videamus, qualis fuerit Adam in paradiso, et qualis postea: qualis fuerit Cain ante, qualis postea. Non stat in sua sede animus, sed quasi a quodam vento tollitur a voluptate et levis efficitur, nihil habens firmum. Etenim ad promissiones est facilis, et ad pollicendum promptus, et magna est ratiociniorum fluctuatio. Hinc risus intempestivus, lætitia ratione destituta, verborum magna et superflua nugacitas. Ecquid de aliis loquor? De sanctorum aliquo agamus, videamusque qualis sit in voluptate, et qualis in mœrore. Vultis Davidem consideremus? Cum ergo ille in voluptate et lætitia versaretur a multis tropæis, a victoria, a coronis, a deliciis, a fiducia, vide quæ dixerit et fecerit: *Ego autem dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum* (*Psal.* 29. 7). Cum autem in afflictione fuit, audi quid dicat: *Et si dixerit mihi, Nolui te, ecce ego; faciat mihi quod placitum est coram ipso* (2. *Reg.* 15. 26). Quid his verbis magis philosophicum? Quidquid Deo magis gratum fuerit, inquit, id fiat. Et rursum Saüli dicebat: *Si autem Deus commovet te contra me, odoratum sit sacrificium tuum* (1. *Reg.* 26. 19). Et tunc, cum esset in afflictione, etiam inimicis parcebat; postea vero neque amicis, neque iis qui se nihil læserant. Rursus Jacob cum in ærumna esset, dicebat: *Si dederit mihi Deus panem ad manducandum, et vestimentum quo operiar* (*Gen.* 28. 20). Et filius Noe antea nihil tale fecerat; ubi autem de salute confisus est, audis quam contumeliosus factus sit. Et Ezechias cum in ærumnis esset, vide qualia pro salute fecerit: saccum enim induit, et in terra sedit; ubi autem in voluptate fuit, cecidit præ altitudine cordis sui. Ideo Moyses admonet, dicens: *Cum comederis et biberis et saturatus fueris, recordare Domini Dei tui* (*Deut.* 6. 12). Præceps est enim locus deliciarum, et oblivionem Dei inducit. Cum affligerentur Israelitæ, multo plures erant; cum autem illos dimitteret, tunc omnes peribant. Et cur vetera exempla affero? Ex nobis ipsis videamus, si placet. Ex nostris plurimi in rebus prosperis inflantur, omnibus inimici, iracundi, dum potestate valent; sublata vero potestate, mansueti sunt, humiles, mites, in naturæ suæ cogitationem veniunt. Quod res ita se habeat, ostendit David, dicens: *Tenuit eos superbia in finem: prodibit quasi ex adipe iniquitas eorum* (*Psal.* 72. 6. 7). Hæc a me dicta sunt, ut ne omnibus modis gaudium quæramus. Et quomodo, inquies, ait Paulus: *Gaudete semper* (*Philipp.* 4. 4)? Non simpliciter dixit, Gaudete, sed addidit, *In Domino.*

4. *Gaudium quodnam sit bonum.*—Hoc maximum est gaudium; tali gaudebant apostoli; gaudium lucrum afferens: quod a carceribus, a flagris, a persequutionibus, a mala fama et a tristibus omnino principium et radicem habet et occasionem: unde et in bonum finem pervenit. Gaudium vero mundi secus: incipit enim a suavibus, desinitque in tristitiam. Neque ego prohibeo gaudere in Domino, imo id valde admoneo. Flagellabantur apostoli, et gaudebant; vinciebantur, et gratias agebant; lapidabantur, et prædicabant. Hoc et ego velim gaudium: quod a nullo corporali initium habeat, sed a spiritualibus rebus. Non potest qui secundum mundum gaudet, simul et secundum Deum gaudere: omnis enim, qui secundum mundum gaudet, de divitiis gaudet, de voluptate, de gloria, de potentia, de arrogantia; qui vero secundum Deum, de ignominia propter illum, de paupertate, de inopia, de jejunio, de humilitate. Viden' quam contraria argumenta? Quotquot hic extra gaudium sunt, extra mœrorem sunt; et quotquot extra mœrorem, sunt etiam extra voluptatem. Et revera hæc sunt, quæ verum gaudium faciunt, quoniam illa nomen tantum gaudii habent, totum autem in mœrore situm est. Quantum mœroris habet arrogans? quantum præpeditur dum arroganter agit? Mille sibi parat contumelias, magnum odium, magnam inimicitiam, invidiam ingentem. Nam si a majoribus contumelia afficiatur, dolet; si non contra omnes insurgat, mordetur. Humilis vero in multa est voluptate, a nullo honorem exspectans: si honoretur, gaudet; si non honoretur, non dolet, imo gaudet quod non honoratus sit [1]. Itaque honorem non quærere et honorari, id magnam voluptatem parit. Illic vero contrarium accidit; quærit ho-

[1] Donnæo ita versionem Græcam hic immutare placet, ut in interpretatione legendum sit, *imo satis habet si non inhonoretur.*

norem, et non honoratur. Non similiter autem de honore gaudet qui quærit eum, et qui non quærit. Hic quantumcumque acceperit, nihil se putat accepisse: ille vero si vel tantillum dederis, ita accipit ac si totum teneat. Rursus qui in deliciis versatur, mille negotia habet: etiamsi faciles et quasi ex fontibus reditus ipsi affluant, attamen mala, quæ ex deliciis accedunt, formidat, necnon futuri incertam conditionem: hic vero semper in tuto est et in voluptate, quod tenuitati victus sit assuetus. Non enim ita se miserum putat, quod lauta mensa non fruatur, ut deliciatur, dum futuri incertam conditionem non timet. Quæ vero ex deliciis mala oriantur, ignorat nemo: necesse est autem illud jam dicere. Duplex est bellum, corporis, inquam, et animæ: duplex hiems, duplices morbi: neque id tantum, sed et insanabiles, qui magnas afferant calamitates. At non talis est frugalitas; sed duplex est sanitas, duplicia bona. *Somnus sanitatis*, inquit, *in* ventre *parco* (*Eccli.* 31. 24). Ubique enim mediocritas desiderabilis est, quod vero modum non servat, injucundum. Vide enim: scintillæ parvæ magnam lignorum congeriem impone, et non ultra ignem splendentem, sed fumum videbis valde insuavem.

Deliciæ onus sunt animæ.—Viro forti et magno onus impone vires superans, et videbis eum onere humi jacentem. Magnum onus injice in navim, et grave facies naufragium. Tales sunt deliciæ. Sicut enim in navibus supra modum oneratis magnus est nautarum tumultus, gubernatore eo, qui in prora sedet, ac vectoribus superiora et inferiora in mare projicientibus: sic et hoc loco, superiora evomentes et inferiora, ac seipsos corrumpentes, pereunt. Quodque omnium turpissimum est, os posteriorum partium usum assumit, fitque illis ignominiosius. Quod si in ore sit tanta turpitudo, cogita quanta sit in anima. Nam ibi omnia caligo, omnia procellæ, omnia tenebræ, multa confusio cogitationum in angustia versantium, anima ipsa damnum exclamante. Hinc ipsi ventri dediti, sese mutuo redarguunt, ægre ferunt, stercus internum dejicere festinant. Attamen postquam projecerunt, neque sic agitatio sedatur; sed et febres hinc et morbi. Etiam, inquit, infirmi sunt et turpiter agunt: hæc frustra nobis narrantur, frustra morbi enumerantur: infirmor ego, laceror et turpiter ago, qui non habeo quod edam: hos autem in deliciis agentes videre est bene affectos, pingues, gaudentes, equis vectos. Væ mihi! lacrymis enim digna hæc verba sunt. Eos autem qui podagra laborant, sellis gestatos, alligatos, qua ex parte, quæso, respiciemus? Et nisi rem illi putarent contumeliosam ac probrosam, illos jam nomine suo compellassem. Sed sunt quidam, inquies, qui bene valent, quia non solum deliciis dant operam, sed etiam laborant. Verum da mihi hominem semper pinguescentem, otiosum, inertem, qui bene valeat. Sed non invenies. Etiamsi enim innumera medicorum turba adsit, illum ventri semper operam dantem a morbis eruere non poterunt: neque enim id natura rei permittit. Ego vero medicorum dictum vobis afferam. Ex iis, quæ in ventrem mittuntur, non omnia fiunt alimentum: nam in ipsa ciborum natura non totum alendi vim habet, sed pars in secessum secernitur, pars in alimentum cedit. Si ergo moderate cibum sumens totum perficias, singula in locum suum pergunt, et quod sanum utileque est, in suum se locum confert; quod autem superfluum est et inutile, secedit et egeritur: sin vero nimia sit ciborum copia, etiam id, quod alendi vim habet, noxium est, idque perspicuitatis causa exemplo proferam in frumento aliud est simila, aliud farina, aliud furfur. Si ergo mola accipiet ea, quæ potest molere, hæc omnia discernit; sin plura conjicias, omnia confunduntur. Rursus vinum, si congruentem accipiat operam, si suo tempore conficiatur, primo omnia simul miscentur, postea vero aliud in fæcem abit, aliud in spumam, aliud manet ad usum fruentium: et hæc bona pars est, nec facile mutatur. Nam ante neque vinum neque fæx est, cum scilicet omnia miscentur. Hoc in mari quoque videre est in magna tempestate. Ut ergo tunc pisces videmus mortuos superfluitare, qui præ frigore non possunt in fundum demergi: ita et nobis accidit. Quando enim superne ingens ingruit voracitatis imber, omnia commovens, cogitationes antea sanas, et quietas, ceu mortuas supernatare cogit. Cum igitur ex hujusmodi exemplis demonstratum nobis fuerit quantum sit damnum, cessemus beatos dicere illos, quos miseros prædicare oporteret, nosque deplorare ex iis, ob quæ beatos dicere oporteret, et frugalitatem diligamus. Annon auditis medicos dicentes, Indigentia est mater sanitatis? Ego vero non corporalis modo sanitatis indigentiam matrem esse dico, sed etiam spiritualis. Hoc et Paulus verus medicus clamat, dicens: *Habentes alimenta et tegumenta, his contenti simus* (1. *Tim.* 6. 8). Obtemperemus ergo illi, ut sani ea, quæ agenda sunt, operemur in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVII.

CAP. 7. v. 35. *Hunc Moysem, quem negaverunt, dicentes: Quis te constituit principem et judicem super nos? hunc Deus principem et redemptorem misit cum manu angeli, qui apparuit illi in rubo.*

1. Multum congruens hoc est argumento proposito. *Hunc Moysem*, inquit. Qualem hunc? Eum qui in periculum exitii venit, eum quem ipsi contempserant, quem negaverant dicentes, *Quis te constituit principem* (*Exod.* 2. 14)? quemadmodum et Christo dicebant, *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.* 19. 15). *Hunc Deus principem et redemptorem misit cum manu angeli*; qui dixerat ei, *Ego sum Deus Abraham* (*Exod.* 3. 6). Hic et miracula, quæ facta sunt, per Christum facta esse ostendit. 36. *Hic*, id est, Moyses

(et vide, quomodo illum splendidum exhibeat), *eduxit illos, faciens prodigia et signa in terra Ægypti, et in mari Rubro, et in deserto annis quadraginta.* 37. *Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel : Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris tamquam me* (*Deut.* 18. 18); id est, contemptum, insidiis appetitum. Etenim voluerat ipsum occidere Herodes, et in Ægypto servatus est, sicut et ille puer cum esset, insidiis est appetitus. 38. *Hic est, qui fuit in ecclesia in solitudine, cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus nostris; qui accepit verba vitæ dare nobis.* Rursus nusquam templum, nusquam sacrificium. *Cum angelo,* inquit, *ut daret nobis verba vitæ.* Hic ostendit, ipsum non tantum signa fecisse, sed etiam legem dedisse, ut Christus fecit. Quemadmodum ergo hic primo signa facit, et tunc legem dat : sic et Christus. Sed non audierunt illum, semper repugnare docti, post signa illa, post prodigia per quadraginta annos edita. Neque hoc tantum, sed et contrarium exhibuerunt; quod declarans, adjecit : 39. *Cui noluerunt obedire patres nostri; sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis in Ægyptum,* 40. *dicentes ad Aaron : Fac nobis deos, qui præcedant nos : Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei* (*Exod.* 32. 1). 41. *Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, et lætabantur in operibus manuum suarum.* 42. *Convertit autem Deus, et tradidit illos servire militiæ cœli, sicut scriptum est in libro prophetarum : Numquid victimas et sacrificia obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel* (*Amos* 5. 25)? 43. *Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus dei vestri Remphan, figuras, quas fecistis, ut adoraretis eas. Et transferam vos trans Babylonem. Tradidit;* hoc idem est ac, permisit. 44. *Tabernaculum testimonii erat patribus nostris in deserto, sicut statuerat illis loquens ad Moysem, ut faceret illud secundum formam, quam viderat* (*Exod.* 25. 40). Licet tabernaculum esset, sacrificia non erant. Quod vero non essent, propheta declarat his verbis : *Numquid victimas et sacrificia obtulistis mihi?* Tabernaculum testimonii erat, et nihil ipsis proderat, sed consumebantur. Neque antehac illis signa, neque postea profuerunt illis. 45. *Quod et induxerunt, suscipientes patres nostri.* Viden' ibi locum sanctum esse, ubi est Deus? Ideo, *In deserto,* dixit, ut locum loco conferat. Deinde beneficium sequitur. *Et induxerunt,* inquit, *suscipientes patres nostri cum Jesu in possessionem gentium, quas expulit Deus a facie patrum nostrorum usque ad dies David,* 46. *qui invenit gratiam ante Deum, et petiit ut inveniret tabernaculum Dei Jacob* (*Psal.* 131. 5). Petiit ædificare David, et non concessum est ei, magno licet et mirabili; sed ædificat abjectus ille Salomon. Ideo ait : 47. *Salomon autem ædificavit illi domum.* 48. *Sed non Altissimus in manufactis templis habitat.* Jam hoc per ea, quæ supra dicta sunt, ostensum est; declaratur etiam ex prophetica voce : quomodo autem, audi sequentia. *Sicut propheta dicit :* 49. *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Et quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est?* 50. *nonne manus mea fecit hæc omnia* (*Isai.* 66. 1)? Ne miremini, inquit, si Christus iis, qui regnum ipsius rejiciunt, bene facit, quandoquidem et in Moyse hoc factum est. Et non simpliciter illos eruit, sed in deserto agentes. Viden', quod propter illos signa illa edita sint? Itaque qui cum Deo loquutus est, qui mire servatus, qui tanta fecit et potuit; ostendit omnino oportere impleri prophetiam, nec aversatur sibi ipsi. Sed superius dicta repetamus. *Hic est,* inquit, *Moyses qui dixit : Prophetam vobis suscitabit Dominus tamquam me.* Hoc puto Christum respexisse cum dixit : *Ex Judæis salus est* (*Joan.* 4. 22), seipsum subindicans. *Hic est, qui fuit in deserto cum angelo, qui loquebatur ipsi.* Ecce iterum ostendit ipsum dedisse legem, siquidem cum ipso erat in cœtu in deserto. Hic vero miraculum magnum etiam commemorat in monte factum. *Qui accepit verba vitæ, ut daret nobis.* Ubique mirabilis est Moyses, maxime vero quando lex danda erat. Quid sibi vult illud, *Verba vitæ?* Vel ea, quorum finis per sermones monstrabatur, vel prophetias dicit. Hinc sequitur criminatio in patriarchas, qui post signa et miracula, postquam acceperant verba vitæ, *Ei noluerunt,* inquit, *obedientes esse.* Recte autem dixit, *Verba vitæ,* ut ostenderet esse quoque verba non viventia, de quibus Ezechiel ait : *Et dedi vobis præcepta non bona* (*Ezech.* 20. 25). Talia ergo respiciens dixit, *Verba vitæ. Sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis in Ægyptum ;* ubi ingemiscebant[1], ubi clamabant, unde Deum invocabant. *Et dicebant Aaroni : Fac nobis deos, qui præcedant nos.*

2. *Judæorum insipientia.*—O insipientiam! *Fac,* inquiunt, *ut præcedant nos.* Quo? In Ægyptum. Viden', quam ægre avellerentur a moribus Ægyptiacis? Quid dicis? non exspectas eum qui te eduxit; sed negas beneficium, et a benefactore fugis? Et vide, quomodo contumelia afficiunt. *Moyses enim hic,* inquiunt, *qui eduxit nos de terra Ægypti.* Nusquam Dei nomen, sed omnia Moysi adscribunt. Et cum gratias agere oporteret, Moysem in medium adducunt : cum autem legi obediendum erat, non jam Moysem memorant. Atqui dixerat, se ascendere, ut legem acciperet; illi vero ne per quadraginta quidem dies exspectarunt. *Fac nobis deos.* Non dixerunt, Deum, sed, *Deos :* sic debacchabantur, ut nescirent quid dicerent. *Et fecerunt vitulum in diebus illis, et obtulerunt sacrificia idolo.* Vidistin' insipientiam ingentem? Ubi apparuit Deus Moysi, hi vitulum faciunt et immolant. *Et lætabantur,* inquit, *in operibus manuum suarum.* De quibus erubescere oportebat, lætabantur. Et quid mirum, si ignoratis Christum, quando et Moysem ignoratis et Deum, tot signis exhibitum? Illi vero non ignorarunt modo, sed et alio modo contumelia affecerunt, dum idola facerent. *Convertit autem Deus, et tradidit illos servire militiæ cœli.* Hinc mores illi, hinc sacrificia : ipsi primum idolis sacrificarunt. Hoc significans David dicit : *Et fecerunt vitulum in Choreb, et adoraverunt sculptile* (*Psal.* 105. 19). Nam antehac nusquam sa-

[1] Hæc, *ubi ingemiscebant,* desunt in uno Cod.

cnficit nomen, sed præcepta viva, et eloquia viva : nusquam initiationes, sed miracula et signa exhibita. *Sicut scriptum est in libro prophetarum.* Hic testimonium non sine causa adducit, sed ut ostendat non esse sacrificiis opus. Et vide, quid dicat. *Num victimas et sacrificia obtulistis mihi in deserto quadraginta annis? Et accepistis tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri Remphan, figuras quas fecistis, ut adoraretis eas.* Cum emphasi loquitur; hoc vero significat : Non potestis dicere, vos quod mihi sacrificaretis, illis etiam sacrificavisse; et hoc in deserto, ubi maxime illis præsidebat. *Et accepistis tabernaculum Moloch.* Et hæc fuit causa sacrificiorum. *Et transferam vos ultra Babylonem.* Sic et captivitas accusatio malitiæ est. Et quomodo, inquies, erat *Tabernaculum testimonii?* Ideo erat, ut testem haberent Deum. Igitur ad hoc solum erat. *Secundum formam,* inquit, *quæ tibi monstrata fuit in monte.* Itaque in monte descriptio facta est : et hoc in deserto circumferebatur, nec in quopiam loco manebat. Tabernaculum vero testimonii vocat, non alia de causa, quam ob miracula et præcepta. Attamen nec illud, nec illi templum habebant. Ergo figuram illam angelus dederat. *Usque ad dies David,* inquit. Itaque usque ad tempus illud templum non erat, etiamsi gentes expulsæ fuissent, de quibus ait : *Quas expulit Deus a facie patrum nostrorum.* Hoc vero dixit, iterum ostendens, nondum fuisse templum. Quid dico? tot miracula, et nusquam templum? Sic et primum tabernaculum, et nusquam templum. Et petiit, ut inveniret gratiam coram Deo. Petiit, et non ædificavit : ita non magnum quidpiam erat templum, etiamsi quidam magnum putaverint esse Salomonem, quod templum ædificaverit, qui ideo illum patri prætulerunt. Quod autem non fuerit patre melior, imo neque par illi, sed tantum ex quorumdam opinione, id declarat sic pergens : *Sed Altissimus in manufactis non habitat, sicut propheta dicit : Cælum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum.* Neque enim hæc Deo digna sunt, utpote facta, utpote manus ejus opera. Vide, quomodo illos paulatim erigat. Ostendit enim per prophetam, indignum esse hæc de Deo dicere. Et qua de causa, inquies, hic acriter loquitur? Multa inerat loquendi fiducia morituro : nam puto illum hoc quoque ex revelatione scivisse. 51. *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus.* Hoc quoque propheticum est, neque illi proprium. *Vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos.* Quando nolebat esse sacrificia, vos sacrificabatis ; quando volebat, rursum non sacrificabatis; quando nolebat dare vobis præcepta, requirebatis; quando accepistis, neglexistis. Rursus cum staret templum, idola colebatis; quando vult sine templo coli, contrarium facitis. Perpende : non dixit, Deo resistitis, sed, *Spiritui* : sic nullam noverat differentiam. Quodque majus est, *Sicut patres vestri, ita et vos,* inquit. Ita et Christus exprobrabat, quia multum semper de patribus gloriabantur. 52. *Quem prophetarum non sunt persequuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi.* Adhuc *Justi* dicit, volens illos comprimere. *Cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis.* Duo illis improperat, et quod ignorarint, et quod occiderint. 53. *Qui accepistis legem per dispositiones angelorum, et non custodistis.*

3. Quid est hoc[1]? Quidam putant ipsum dicere legem ab angelis fuisse dispositam. At res non ita se habet : ubi namque angeli visi sunt legem ordinare? sed dispositam legem dicit; id est, traditam illi per angelum, qui apparuit illi in rubo. Nonne homo erat? Nihil ergo mirum est, eos qui illa fecerant, et hæc fecisse. Si annuntiantes illum occidistis, multo magis ipsum. Hic illos et Deo, et angelis, et prophetis, et Spiritui, et omnibus inobedientes ostendit : ut et alibi ait Scriptura : *Domine, prophetas tuos occiderunt, et altaria tua subverterunt* (3. *Reg.* 19. 10). Illi igitur specie tantum legem curantes, dicebant : *In Moysem blasphemat.* Ille vero ostendit ipsos magis blasphemare, non solum in Moysem, sed etiam in Deum, et jam olim illos talia fecisse, et instituta solvisse; neque illis ultra opus esse : ipsos item, dum se accusarent, quod Moysi esset contrarius, Spiritui sancto obsistere; neque id simpliciter, sed etiam cum cæde; et diu antea inimicitias exercuere. Viden', quomodo illos ostendat et Moysi et omnibus adversantes, legemque non servantes? Atqui Moyses dixerat : *Prophetam vobis suscitabit Dominus* (*Deut.* 18. 18) : et alii hunc venturum prædixerunt, et propheta quoque qui dicit : *Qualem domum ædificabitis mihi?* Et iterum, *Numquid victimas et sacrificia obtulistis mihi quadraginta annis?* Hæc erat fiducia viri crucem habentis. Hanc et nos quoque imitemur, etiamsi non sit belli tempus, sed fiduciæ semper tempus est. *Loquebar,* inquit, *de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar* (*Psal.* 118. 46). Si ergo cum gentilibus congrediamur, sic illos reprimamus absque ira, absque asperitate. Nam si cum ira hoc faciamus, non jam fiducia, sed passio esse videtur; sin mansuete, vere fiducia est. Neque enim possibile est simul secundum eamdem rationem idipsum esse bonum opus et delictum. Fiducia bonum opus est, ira delictum. Oportet ergo cum fiducia loquuturos, a furore liberos esse, ut ne quis hinc verba proficisci putet. Etiamsi justa dixeris cum furore, totum perdidisti, licet libere loquaris, licet moneas, licet quidvis aliud facias. Hunc respice virum non cum furore loquentem : neque enim contumelia affecit, sed illis propheticum sermonem memoravit. Quod enim nullo furore moveretur, ostendit quando pro illis se male impetentibus precatus, dixit : *Ne statuas illis hoc peccatum.* Sic non iratus, sed pro illis dolens ac mœrens loquebatur ille. Ideo namque de facie ejus dixit : *Viderunt faciem ejus tamquam faciem angeli,* ut illos attraheret[2]. Puri igitur ab ira simus. Non habitat Spiritus sanctus ubi ira est : maledictus furibundus. Non potest sanum quid prodire, cum furor egreditur. Nam sicut in marina tempestate magnus est tumultus, magnus clamor, nec quis tempus ha-

[1] Hæc interrogatio deest in uno Cod.
[2] Unus Cod. habet, *illi crederent*, loco, *illos attraheret*.

buerit ad philosophandum : ita neque in furore. Sed si anima quid philosophicum vel loqui vel discere velit, quasi in portu sit oportet. Non vides, quomodo de necessariis rebus loquuturi, loca tumultu vacua quærimus, ubi quies sit, ubi tranquillitas, ut ne repellamur? Quod si externus tumultus repellat, multo magis interna turbatio. Etsi precetur quis, frustra precatur, si cum ira et furore id faciat : si loquatur, ridiculus erit; si taceat, similiter; si comedat, etiam sic læditur; itemque si bibat, si non bibat, si sedeat, si stet, si ambulet, si dormiat; nam et in somniis talia imaginantur. Quid in iracundis non turpe? Oculi injucundi, os distortum, membra tremula et inflata, lingua infrenis et nemini parcens, mens in excessu, habitus indecens, multa insuavitas. Vide mihi dæmoniacorum oculos, et ebriorum, et insanientium, quid inter se differunt? nonne totum furor est? Quid enim etsi ad tempus hoc fiat? Nam et insaniens ad tempus detinetur : hoc autem quid deterius? Neque pudet illos ad defensionem dicere : Nesciebam quid dicebam, aientes. Et cur nesciebas, rationalis et ratione præditus homo? cur ea, quæ brutorum sunt, facis, sicut equus ferox ira et furore correptus? Hæc certe defensio culpa non vacat. Utinam scivisses, quæ dicebas. Iræ, inquies, verba sunt, non mea. Quomodo iræ sunt, cum ira nullam vim habeat, nisi a te accipiat? Ac si quis diceret : Vulnera non mea, sed manus meæ sunt. Cui rei putas maxime opus esse ira? nonne bello et pugnæ? At ibi etiam, si quid cum ira fiat, totum periit et pessum abiit. Nam pugnantibus maxime convenit non irasci, imo nec iis, qui contumeliam inferunt convenit irasci. Et quomodo pugnandum est, inquies? Ratione, mansuetudine : certamen enim est ex adverso stare. Annon vides hæc bella lege, ordine et temporibus definita? Ira enim nihil aliud est quam irrationalis impetus; irrationalis autem nihil potest rationale facere.

4. Certe hic talia loquebatur, nec irascebatur. Helias vero dicebat : *Quousque claudicatis utroque poplite vestro* (3. *Reg.* 18. 21)? nec irascebatur. Phinees item occidebat (*Num.* 25), et non irascebatur. Ira enim non sinit videre, sed omnibus quasi in nocturna pugna ligatis, oculos et aures trahit quo voluerit. Ab hoc ergo dæmone liberemur; incipientem illum compescamus; sigillum pectori apponamus quasi frenum. Canis impudens est ira : sed discat audire legem. Si sit canis in armento ira ferox, ut bubulco imperanti non pareat, nec ejus vocem agnoscat, omnia pereunt. Cum ipsis ovibus pascitur; sed si ipsas oves edat, inutilis est et occiditur. Si didicerit te audire, ale canem : utilis est contra lupos, contra latrones, contra furum principem latrans, non contra oves neque contra familiares. Si non audiat, omnia perdit : si contemnere discat, omnia pessumdat. Mansuetudo ergo in te non consumatur, sed eam custodiat ira et foveat; custodiet autem, et in securitate multa pascere sinet, si malas pravasque cogitationes consumat, si diabolum undique persequatur. Sic mansuetudo servatur, cum nihil malum de proximo cogitamus : sic venerabiles efficimur, quando impudenter agere non discimus. Nihil enim ita impudentem reddit ut mala conscientia. Cur meretrices impudentes sunt? cur virgines pudibundæ? nonne illæ a peccato, hæ a castitate? Nihil enim ita impudentem reddit, ut peccatum. Imo contra, inquies, in pudorem injicit. Etiam certe sese damnantem; alium vero impudentiorem reddit petulantiorem : nam qui de se desperat, audax efficitur. *Impius* enim, inquit, *cum in profundum peccatorum venerit, contemnit* (*Prov.* 18. 3). Impudens vero petulans fuerit; petulans autem audax est. Vis discere, quandonam mansuetudo consumatur? Cum malæ cogitationes illam pertrahunt. Sed etiamsi hoc contingat, quia nondum canis stat multum latrans, neque sic desperandum est. Est quippe nobis funda et lapis (scitis quod dico), est nobis hasta, caula et stabulum, in quo cogitationes illæsas servemus. Si canis aduletur ovibus, furatque et vigilet contra externos; hæc virtus est canis : licet esuriat, ne comedat oves; licet satur sit, ne parcat lupis. Talis et ira sit : licet mordeatur, a mansuetudine ne discedat; licet quiescat, adversus malas cogitationes excitetur : ac quod suum est, licet pungat, ne deserat, sed agnoscat; quod autem alienum est, licet aduletur, pessumdet. Sæpe diabolus quasi canis adulatur, sed sciant omnes alienum esse. Sic et nos virtuti, etsi molesta sit, adulemur; et malitiam, etsi lætificet, aversemur. Ne simus canibus deteriores, qui flagellati et constricti, non absistunt. Si illos autem pascat alienus, quomodo non magis nocebunt? Est aliquando utilis ira, sed cum latrat contra alienos. Quid est illud, *Qui irascitur fratri suo temere* (*Matth.* 5. 22)? Id est, Ne ulciscere nec vindica teipsum : si alium pereuntem videas, porrige manum. Non erit ultra ira, cum a proprio motu et affectu liber eris. Apprehendit David Saülem (1. *Reg.* 26. 7), nec ira commotus est, nec captum inimicum hasta confodit; sed ultus est diabolum. Moyses cum alienum lædentem vidit, occidit (*Exod.* 2. 12); cum congenerem, non item ; sed fratres quidem reconciliabat, alienos vero pellebat. Licet eum mitissimum fuisse Scriptura testificetur (*Num.* 12. 3) ; attamen pervigil erat. Nos autem non ita : sed ubi mansuetudinem exhibere oportet, feris omnibus ferociores sumus ; ubi autem excitari par esset, admodum ignavi et supini. Quia igitur iis, quæ in nobis sunt, non ut par esset utimur, ideo in nihilum vita nostra consumitur. Ita et in vasis evenit : si aliud ad alium usum adhibeamus, omnia perdimus. Exempli causa si quis gladium sumat, nec illum ad suum usum adhibeat, sed manu id facere tentet, nihil amplius efficit ; sicut et qui, ubi manu ipsa operandum est ; gladio utitur, omnia perdet. Sic et medicus, qui ubi secare oportet non secat, et ubi non oportet secat, omnia pessumdat. Quamobrem rogo, nos opportune hac re utamur. Iræ tempus non est, ubi nos ipsos juvamus : si vero alios corrigere oporteat, tunc maxime illa utendum est, ut alios eruamus. Ita et Deo æquales erimus, si nos ab ira semper tueamur, et

futura consequemur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

Cap. 7. v. 54. *Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum.*

1. Mirum sane, quomodo occasionem occidendi ex dictis non acceperunt, sed adhuc insaniunt, et causam quærunt. Ita semper in malis sunt qui injuste agunt. Itaque ut principes sacerdotum anxii dicebant: *Quid faciemus hominibus istis* (*Act.* 4. 16)? Ita et hi dissecantur. Atqui ille erat, qui succensere debebat, qui nihil læserat, et ac si læsisset passus et calumniis impetitus fuit. Sed hinc calumniatores magis evincuntur: sic verum est quod semper dicebam: Male facere, est male pati. Certe ille nihil calumniatus est, sed vera declaravit. Sic, cum contumelia afficimur, dum nihil nobis conscii sumus, nihil vere patimur. Volebant ergo illum occidere; sed non statim id faciunt, causam specie justam facinori volentes obtendere. Quid igitur? annon contumelia illa rationabilis causa erat? Non erat illius contumelia, sed prophetæ accusatio: vel sponte differebant, ne viderentur illum ob accusationes sibi illatas occidere, sicut etiam in Christo, sed propter impietatem. Hoc autem quod loquebatur, pietatis erat verbum. Ideo postquam occiderant, famam ejus lædere conantes, *Dissecabantur:* timebant enim ne novum quidpiam circa illum accideret. Deinde, quod Christo fecerant, Stephano faciunt; et sicut illic, quia dixerat, *Videbitis Filium hominis a dextris virtutis sedentem*, id blasphemiam esse dicebant, et testes turbas evocabant: sic et nunc faciunt. Illic vestimenta sciderunt, hic aures continuerunt. 55. *Cum autem plenus esset Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, et ait: Ecce video cælos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.* 56. *Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant.* Atqui si mentitus erat, ut insanientem eum dimisisse oportuit. Ille vero sic dixerat, volens eos abducere. Et quia de morte Christi tantum loquutus, de resurrectione nihil dixerat, hoc dogma opportune demum adjicit. Ita autem sibi apparuisse dicit, ut enarrat, quo sic saltem ejus sermonem acciperent, qui, quoniam dixerat illum sedere, molestus illis erat, interim de resurrectione sermonem movet, et illum stare dicit. Hinc conjecto, faciem illius glorificatam esse. Nam Deus, benignus cum sit, per quæ illi insidias parabant, per eadem volebat illos evocare; etsi nihil amplius factum sit. 57. *Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant.* Rursus extra civitatem mors, sicut in Christo: et in ipsa morte confessio et prædicatio enuntiatur. *Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* 58. *Et lapidabant Stephanum, invocantem Deum, et dicentem: Domine Jesu Christe, accipe spiritum meum.* Hinc ostendit et docet illos, se non perire. 59. *Et positis genibus clamavit voce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Quasi sese purgans, quod priora non ex ira dixerit, ait, *Domine;* vel quod vellet eos sic attrahere. Nam quod dimitteret ipsis iram et furorem, quo cædem patrabant, et animum a passione purum ostenderet, id certe acceptabilem reddebat sermonem. *Saulus autem erat consentiens neci ejus.* (*Cap.* 8) 1. *Facta est autem in illa die persequutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis.* Non sine causa mihi hæc persequutio, sed divina dispensatione contigisse videtur. *Et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ præter apostolos.* Viden' quomodo rursum persequutionem esse Deus concedat? Sed vide mihi, quomodo res dispensentur. Per signa mirabiles facti sunt, flagellati nihil sunt passi, constituti sunt per regiones, sermo augebatur: demum permittit impedimentum esse magnum. Et fit persequutio non modica, ita ut illi simul fugerent (timebant enim illos audaciores factos), et omnibus palam esset, homines esse eos, qui timerent et fugerent. Ne diceres enim, illos per gratiam tantum præclare agere, persequutionem certe patiebantur; ipsique timidiores facti sunt, illi audaciores. *Et omnes dispersi sunt*, inquit, *præter apostolos.* Non ergo frustra dicebam, persequutionem ex dispensatione fuisse: nisi enim facta fuisset, discipuli non fuissent dispersi. 2. *Curaverunt autem Stephanum viri religiosi, et fecerunt planctum magnum super eum.* Vel nondum erant perfecti; vel quia ille gratiosus erat et venerabilis, ideo plangunt illum. Simul autem hic non timor tantum, sed etiam dolor et planctus, ostendunt illos esse homines.

2. Quis enim non plorasset videns illum mansuetum agnum lapidatum, jacere mortuum? Idoneum illi epitaphium apposuit evangelista, cum dixit: *Et positis genibus, clamavit voce magna. Et fecerunt planctum magnum super eum.* Sed quæ superius dicta sunt, jam repetamus. *Cum esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, et ait: Ecce video cælos apertos. Et continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum.* Atqui quomodo hæc accusatione digna erant? Attamen eum, qui talia signa patrarat, qui omnes verbo vicerat, qui talia loquutus erat, rapientes pro lubito furorem suum impleverunt. *Testes autem deposuerunt vestimenta secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* Vide, quam accurate quæ Paulum spectant recenseat, ut ostendat tibi opus Dei in ipso postea peractum. Interim vero ille non modo non credit, sed etiam mille homicidarum manibus ipsum impetit: ideo illud indicans dicit: *Saulus autem erat consentiens neci ejus.* Non simpliciter sanctus hic precatur, sed cum attentione. *Positis*, inquit; *genibus.*

Unde mors illius divina facta est : nam hactenus animabus concedebatur, ut in inferno essent. *Omnes autem dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ.* Absque metu cum Samaria se commiscent, qui audierant : *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* 10. 5). *Præter apostolos*, inquit; ostendens illos, ut sic Judæos adducerent, civitatem non reliquisse; sive etiam, ut aliis fiduciæ auctores essent. 3. *Saulus autem devastabat Ecclesiam, per domos intrans, et trahens viros et mulieres, tradebat in custodiam.* Magnus furor, et quod solus esset, et quod in domos intraret : ita animam suam pro lege dabat. *Trahens*, inquit, *viros et mulieres.* Vide licentiam, contumeliam et insaniam. Omnes, qui in manus suas incidebant, mille afficiebat malis, utpote ab hac nece audacior factus. 4. *Igitur qui dispersi erant, transibant, evangelizantes verbum.* 5. *Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum.* 6. *Intendebant autem turbæ unanimiter iis, quæ a Philippo dicebantur, audientes et videntes signa quæ faciebat.* 7. *A multis enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant* : 8. *Multi etiam paralytici et claudi curati sunt.* 9. *Factumque est gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante erat in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum* : 10. *cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes, Hic est virtus Dei magna.* Vide mihi aliam tentationem, nempe Simonis. 11. *Attendebant autem ei turbæ, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos.* 12. *Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei et de nomine Jesu Christi, baptizabantur viri et mulieres.* 13. *Tunc Simon et ipse credidit, et cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.* 14. *Cum audissent autem apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum et Joannem* : 15. *qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum.* 16. *Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* 17. *Tunc imponebant manus super eos, et accipiebant Spiritum sanctum.* 18. *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam*, 19. *dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Quomodo, inquies, hi Spiritum non acceperant? Spiritum acceperant remissionis, Spiritum vero signorum nondum. Vide, quomodo hoc cernens Simon, accessit hoc petens. Etiamsi vero tunc maxime persequutio vigeret, attamen Deus ipsos rursum liberavit signorum ope munitos. Neque enim mors Stephani illorum restinxit furorem, imo magis auxit; ideoque disperguntur doctores, ut doctrina amplius propagetur. Sed vide iterum illos in bonis versantes, et in gaudio : nam ait : *Factum est gaudium magnum in civitate;* etiamsi luctus quoque magnus fuerit. Sic solet Deus semper facere, tristibus nempe læta admiscere, ut magis in admiratione sit. A multo autem jam tempore morbo laborabat Simon; unde neque sic ab illo liberatur. Quomodo autem illum baptizavit? Sicut et Judam Christus elegit. Hic signa videns, obstupescit quidem, non audet vero gratiam signorum petere, quia sciebat illam alios nondum accepisse. Quomodo igitur illum non occiderunt sicut Ananiam et Sapphiram? Quia etiam olim is, qui ligna collegerat, occisus est in exemplum; neque ultra alius quispiam id passus est. Sic et nunc Petrus facit : illisque punitis, hunc non punit, sed ait illi : 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei putasti pecunia acquiri.*

3. *Cur a Philippo baptizati non acceperunt Spiritum sanctum. Historia Simonis continuatur. Nullum peccatum non remittitur pœnitenti.*— Et cur hi baptizati non acceperant Spiritum sanctum? Vel quia Philippus dare ausus non erat, hunc reservans apostolis honorem; sive quia hoc charisma non habebat (erat enim ex illis septem) : id quod magis videtur dicendum. Puto certe hunc Philippum ex septem illis esse, secundum a Stephano [1]. Quamobrem cum baptizaret, Spiritum baptizatis non dabat : neque enim potestatem habebat; hoc quippe donum duodecim illorum tantum erat. Perpende autem : illi non exierant; dispensatum est, ut ii exirent, qui minorem gratiam habebant, quod nondum accepissent Spiritum sanctum. Potestatem quidem acceperant faciendi signa, non autem Spiritum aliis dandi. Igitur hæc apostolorum erat prærogativa; ideoque et coryphæos, non alios, videre est hoc facere. *Videns autem Simon*, inquit, *quod per impositionem manuum apostolorum daretur Spiritus sanctus.* Non sic dixisset, nisi sensibile quidpiam factum fuisset. Hoc et Paulus fecit, cum loquerentur linguis. Vidistin' Simonis scelus? Pecunias obtulit. Atqui non viderat illum pro pecunia id facientem : unde non ignorantis opus erat, sed tentantis, et volentis crimen intentare. Ideoque audit : 21. *Non est tibi pars neque sors in sermone isto : cor enim tuum non est rectum coram Deo.* Iterum quæ in mente erant affert in medium, quia ille se latere putabat. 22. *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Dominum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* 23. *In felle enim amaritudinis, et in vinculo iniquitatis video te esse.* 24. *Respondens autem Simon dixit : Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis.* Cum oportuisset illum ex corde pœnitentiam agere et flere, ille perfunctorie tantum hoc facit. *Si forte remittatur tibi.* Hoc inquit, non quod non remissum fuisset illi, si plorasset; sed mos est etiam prophetis solum denegare, nec dicere : Si autem hoc feceris, condonabitur tibi; sed omnino futuram pœnam denuntiare. Tu vero mirare, quomodo in tempore calamitatis non negligant, sed prædica-

[1] Savil. sic habet, *unde mihi videtur hunc Philippum* (qui Samariam ad fidem convertit) *unum esse e septem, secundum a Stephano; Philippum autem illum qui Eunuchum baptizavit, ex apostolorum numero fuisse.* At hoc postremum omnino stare nequit; ipse namque Chrysostomus homilia sequenti ait, eum qui Eunuchum baptizavit ex numero septem diaconorum fuisse. Quare Morelli lectionem ut genuinam retinuimus.

tioni incumbant; et quomodo, sicut sub Moyse per comparationem fiebant miracula (a) : ita et nunc. Magia erat, et tamen hæc signa manifesta erant, quamvis nullum ibi oporteret esse dæmoniacum, quandoquidem a multo jam tempore magiis dementabat illos : quia vero multi erant dæmoniaci, multi paralytici; illa veritas non erant. Hic vero non signis modo, sed verbo illos inducebat de regno Christi loquens. At Simon, inquit, baptizatus adhærebat Philippo. Non fidei causa, sed ut talis ipse fieret, adhærebat. *Qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Vides hæc non utcunque fieri, sed multa opus fuisse virtute ad dandum Spiritum sanctum? Non enim idem est remissionem consequi, et talem accipere potestatem. *Videns autem Simon, quod per impositionem manuum apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit ipsis pecunias.* Num alios hoc facientes vidit? num Philippum? num putabat ipsos non nosse, quo ille animo accederet? Ideo bene Petrus rem donum vocat, dicens : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum Dei pecuniis acquiri.* Viden' ubique puros illos a pecuniis? *Non est tibi pars neque sors in sermone isto : cor enim tuum non est rectum coram Deo.* Itaque per malitiam omnia faciebat : atqui simplicem esse oportebat. *Pœnitentiam itaque age. In felle enim amaritudinis, et in vinculo iniquitatis video te esse.* Magnæ iræ verba sunt. Non punit autem ipsum, ut ne deinceps fides ex necessitate esset, nec res crudelis esse videretur; utque pœnitentiam induceret : vel quia ad correctionem sufficiebat arguisse, et quæ in corde erant dixisse, ut ille confiteretur se captum esse. Cum enim dicit, *Precamini vos pro me*, id confitetur et indicat. Vide quomodo quamvis sceleslus esset, redargutus tamen credidit, ut et humilis factus est, quando iterum redargutus est. *Videns signa, quæ fiebant, obstupuit*, ostendens mendacium fuisse, quidquid ipse faciebat. Non dixit, Accessit; sed, *Obstupuit.* Et cur non hoc statim facit? Putabat se posse latere, putabat artem esse quod fiebat : qui autem non potuit apostolos latere, accessit. *A multis enim, qui habebant spiritus immundos, clamantes illi voce magna exibant.* Hoc egrediendi signum manifestum erat; magorum vero signa e contrario : illi namque magis alligabant. *Multi paralytici et claudi sanati sunt.* Nulla hic erat fallacia : nam oportebat ambulare et operari. *Auscultabant autem illi omnes, dicentes : Hic est virtus Dei.* Hic impletur illud Christi dictum : *Multi venient pseudochristi et pseudoprophetæ in nomine meo* (*Marc.* 13. 22). Quare non statim illum redarguerunt? Satis habebant quod sese condemnaret : etenim et hoc doctrinæ erat. Quia autem resistere non poterat, simulat, ut magi illi qui dicebant : *Hoc digitus Dei est* (*Exod.* 8. 19). Ne vero rursus expelleretur, ideo adhærebat Philippo, nec recedebat.

4. *Quot bona mors Stephani attulerit.*—Tu vero mihi perpende, quot quantaque dispensentur per mortem Stephani. Disperguntur per regiones Judææ et Samariæ, evangelizant verbum, prædicant Christum, signa edunt, paulatim hi donum accipiunt. Hoc duplex signum erat : nam et illis dare et huic non dare, magnum erat signum. 25. *Et illi quidem testificati et loquuti verbum Domini, reversi sunt in Jerusalem, et multis vicis Samaritanorum evangelizabant.* Bene dixit, *Testificati.* Testificantur fortasse propter illum, ne decipiantur, ut postea in tuto essent, ne inexperti sæpe abriperentur. *Reversi sunt Jerosolymam.* Cur iterum illo concedunt, ubi tyrannis erat, ubi malorum principium, ubi maxime sanguinarii erant? Ut in bellis duces faciunt, et bello laborantem partem petunt : idipsum hi præstant. Vide rursum non primo venientes Samariam, sed pulsos discipulos, sicut et sub Christo, et apostolos ad eos Samaritanos, qui crediderant, demum missos. *Cum audissent autem*, inquit, *apostoli, qui erant Jerosolymis, miserunt ad illos Petrum et Joannem.* Cur mittuntur? Ut illos liberent a magia, ut illis doctrinam commemorent, quam a Christo didicerant. Cum oporteret ergo illum contrarium petere, ut acciperet Spiritum sanctum, is illud nihil curans, petit ut aliis dare possit : etsi ipsi non illum ita acceperant, ut dare possent. Sed volebat hic Philippo clarior esse, qui inter discipulos erat. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Non imprecantis, sed corrigentis hæc sunt. Quia enim illa non ut par erat utebatur, Tibi sit, inquit, qui talis es; ac si quis diceret : Cum proposito tuo pereat, quod tam viliter sentias de dono Dei, quod sperabas humanam omnino rem esse : non ita se habet. Si ergo accessisset, ut accedendum erat, saltem receptus fuisset [1], saltem non ut pestis rejectus fuisset. Viden' eum, qui parva de magnis sentit, dupliciter peccare? Duo igitur illi præcipit : *Pœnitentiam age, et ora, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui :* tam malam rem cogitaverat. Ideo ait, *Si forte remittatur tibi*, quia sciebat incorrigibilem esse. At ille timuit multitudinem, et metuit negare. Certe nisi turbatus fuisset, dixisset utique, se nescivisse et imprudenter fecisse : at ille perculsus est, primo, quod signis captus esset; secundo, quod quæ in mente versabat, manifesta essent. Ideo procul postea abiit, nempe Romam, quasi non venturus illo esset apostolus. *Multis*, inquit, *regionibus Samaritanorum evangelizabant.* Vide quomodo ipsa itinera illis negotium afferebant : sed non sine causa iter suscipiebant. Tales nos migrationes facere oporteret. Et quid dico migrationes? Multi vicos habent et agros, et non illa curant; sed quomodo balneum fiat, et pretia crescant, ut aulæ et domicilia construantur, multam habent sollicitudinem; quomodo autem animæ excolantur, non item. Et tu quidem, si spinas in agro videas, secas, uris, destruis,

(a) Cum ait sub Moyse miracula per comparationem facta esse, id est, per comparationem cum miraculis per Magos patratis, ea probabantur esse vera et a Deo profi[c]isci.

[1] Juxta alios legendum, *si enim in corde recto accessisset, saltem bonam ipsius voluntatem excepisset apostolus.*

ut terram ab hac pernicie liberes : ubi autem agricolas vides spinis plenos, nec resecas; non times, dic mihi, nec exhorrescis, illum cogitans qui rationem exacturus est? annon oporteret singulos fideles ecclesiam construere, doctorem habere ad conferendum? ante omnia illud in scopo habere, ut omnes sint Christiani? Quomodo, quæso, Christianus erit agricola, cum te videat sic tuam negligere salutem? Non potes facere signa, et sic persuadere? Quibus potes persuade, humanitate, patrocinio, mansuetudine, blanditiis, aliisque omnibus.

Ecclesiæ in villis. — Fora quidem et balnea multi faciunt, ecclesias vero minime; omnia potius, quam hoc. Ideo admoneo et supplico, gratiamque peto, imo legem pono, ut nemo villam habeat ecclesia non instructam. Ne mihi dixeris, Prope est, in vicinia est : multa est impensa, modicus proventus. Si quid habes erogandum pauperibus, hac in re insume : melius illic, quam hic : ale doctorem, ale diaconum, et sacerdotalem cœtum. Ac si uxorem vel sponsam duceres, ac si filiam locares, sic esto erga Ecclesiam affectus : dotem ipsi largire. Sic tibi villa benedictione replebitur. Quid boni non illic erit? parumne est, quæso, torcular benedici? parumne est Deum prius ex omnibus fructibus tuis sortem et primitias accipere? Ad pacem agricolarum hoc utile est. Venerabilis erit postea presbyter, illudque ad villæ securitatem conducet. Orationes illic perpetuæ pro te fient, hymni et synaxes propter te, oblatio singulis Dominicis. Quid magis admirandum est, quod alii splendida sepulcra exstruant, ut posteri audiant, illum talem hæc construxisse; an quod tu ecclesias excitaveris? Cogita te usque ad Christi adventum mercedem habiturum esse, si altare Dei excitaveris.

5. Dic enim mihi, si Imperator tibi præcepisset domum exstruere, ut illo diversaretur, nonne omnia moveres? At nunc regia est Christi ecclesia quam ædificas. Ne sumptum spectes, sed fructum reputa : illi colunt terram, tu cole illorum animas; illi fructus tibi afferunt, tu illos infer in cælum. Qui initium dedit, is aliorum omnium causa est. Ergo et tu auctor eris, quod catechumeni sint in vicinis villis. Certe balnea molliores reddunt agricolas, cauponæ delicatiores : et tamen hæc apparatis propter gloriam. Forum et celebritates illos reddunt petulantiores : hæc autem omnino secus. Quanta enim res fuerit, videre presbyterum ad exemplum Abrahæ incedentem, canum, accinctum, fodientem, operantem? Quid agro illo desiderabilius? Hic major est virtus. Non est illic lascivia, sed abacta est; non ebrietas et voluptas, sed eliminata est; non vana gloria, sed exstincta est : benevolentia plus illic fulget propter simplicitatem. Qualis res est abire et ingredi in domum Dei, et videre, quod ipse illam exstruxerit, seipsumque projicere supinum, [1] [et post illam corpoream quietem nocturnis et matutinis hymnis adesse,] commensalem habere sacerdotem et colloquentem, benedictione frui, alios videre istuc venientes? Hic murus, hoc præsidium agri est. Hic est ager de quo dicitur : *Odor agri pleni, cui benedixit Dominus* (*Gen.* 27. 27). Quod si absque hoc bona villa est propter quietem, propter otii abundantiam : si et hoc accesserit, cui rei par non erit? Villa enim quæ ecclesiam habet, paradiso Dei similis est. Non est illic clamor, non tumultus, non varii inimici, non hæreses : omnes videre est amicos, eorumdem consortes dogmatum. Te ad philosophiam quies adducit : ab hac philosophia te assumens presbyter, facile curabit. Hic enim, quæcumque dixerimus, forum excutit : illic vero quæ audieris, defixa in mente habebis. Alius in agro eris per illum : et illis ipse præerit, custos erit tum quod præsens sit, tum quod illos componat. Quanta est expensa, dic mihi? Fac interim parvam domum pro templo; qui post te veniet, faciet porticum; sequens aliud adjiciet : et sic tibi totum imputabitur. Tu das parum, et omnium mercedem recipis. Ergo initium facito, fundamentum pone; imo vos mutuo hortamini; hac in re concertate. Nunc autem ubi palea, frumentum et omnia similia reponenda sunt, facile ædificant : ubi vero animarum fructus colligendi sunt, nihil curant; sed coguntur mille stadia emetiri, et magnas peregrinationes suscipere, ut in ecclesiam abeant. Quantum autem bonum est, cum magna quiete sacerdotem in ecclesiam venire, ut accedat ad Deum, et quotidie oret pro vico, pro prædio. Parumne est, dic oro, in sacris oblationibus semper nomen tuum referri (*a*), et quotidie pro villa preces ad Deum emitti? quantum tibi et ad alia hoc prodest? Contingit quosdam e vicino habitare et curatores habere : ad te igitur pauperem nemo eorum venire dignabitur, sed presbyterum forte invitabit, et mensæ consortem faciet. Vides quanta hinc bona evenient? Villa interim erit ab omni suspicione libera : nemo homicidii, nemo furti accusabit, nemo simile quidpiam suspicabitur. Habent et aliam consolationem, sive morbus sive mors accidat. Non utcumque nec quoquo modo amicitiæ istuc mutuo coeuntium junguntur; cœtus vero erunt multo quam in celebritatibus suaviores. Non modo autem cœtus, sed et illi, qui præsident, ob presbyterum venerabiliores erunt. Audis utique Jerosolymam olim aliis urbibus apud veteres honoratiorem fuisse; nec sine causa, sed quod ibi tunc pietas obtineret. Quoniam ubi honoratur Deus, ibi nihil mali est; ubi non honoratur, nihil boni. Multa securitas erit etiam et apud Deum et apud homines. Etiam rogo, non ignave, sed alacriter rem suscipite. Nam si qui educit pretiosum a vili, quasi os Dei erit (*Jer.* 15. 19); qui tot animabus, tam præsentibus quam futuris usque ad adventum Christi prodest, quanta Dei benevolentia fruetur? Præsidium construe contra diabolum; hoc est enim ecclesia. Hinc prodeant manus ad laborem : prius extendantur ad preces, et tunc ad opus abeant. Ita erit illis robur corporis; sic erit agricultura multa; sic omnia mala

[1] In uno Codice legitur, *et post nonam horam, corporalem cibum sumere, et nocturnis matutinisque hymnis adesse*, loco eorum quæ uncinis clausimus.

(*a*) Nomina patronorum in sacris oblationibus proferebantur.

foras mittentur. Non potest hinc orta voluptas verbis explicari, donec opere sit suscepta. Ne hoc respicias, quod nullum habeat proventum : si omnino id facias, ne facias tamen, nisi putes majorem tibi tota villa proventum esse; nisi sic affectus sis, nec opereris; nisi putes hoc opus tuis omnibus esse præferendum. Quid hoc proventu majus, animas in aream cælestem inducere? Hei mihi, quod nesciatis quantum sit animas lucrificare! Audi quid Petro dicat Christus : *Si diligis me, pasce oves meas* (*Joan.* 21. 15). Si regias oves videns aut equorum armentum, quod stabulum non haberent, insidiis patere, acciperes ipse, et equile stabulumque exstrueres, ac pastorem præficeres : quo te rex munere non donaret? Nunc Christi gregem colligis, et pastorem præficis, nec putas te magnum quidpiam facere? Quid dico? Si ei, qui scandalizat etiam unum, tantum supplicium comminatur : qui tot servat homines, annon salutem consequetur? Consequetur certe. Quodnam enim postea peccatum habebit; vel si habeat, annon delebit illud? A supplicio scandalizantis disce præmium servantis. Si non curæ esset Deo vel unius animæ salus, non tam irasceretur de illius pernicie. Hæc itaque cum sciamus, huic spirituali operi hæreamus, me unusquisque vocet, et nos simul operam dabimus pro virili. Et si quidem tres fuerint possessores, in commune conferant; si unus, aliis quoque vicinis id suadebit. Tantum hoc perficere studeatis, obsecro, ut omni ex parte Deo placentes, æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

CAP. 8. v. 26. *Angelus autem Domini loquutus est ad Philippum, dicens : Surge et vade contra meridiem, ad viam quæ descendit a Jerusalem in Gazam : hæc est deserta.* 27. *Et surgens abiit.*

1. Videtur mihi hoc mandatum accepisse, cum esset in Samaria; quia ab Jerosolymis non contra meridiem quis vadit[1], sed contra septentrionem; a Samaria vero contra meridiem. *Hæc est deserta.* Hoc dicit, ut ne timeat Judæorum incursum. Nec interrogat, quare? sed surgens abiit. *Et ecce*, inquit, *vir Æthiops eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat super omnem gazam ejus, qui venerat adorare in Jerusalem.* 28. *Et revertebatur sedens super currum suum, et legebat Isaiam prophetam.* Magnis hic laudibus celebratur : siquidem in Æthiopia manens, et tot negotiis obrutus, cum dies festus non esset, et in superstitionibus dedita civitate versaretur, venit adoraturus in Jerusalem. Magnaque erat diligentia; nam in curru sedens legebat. 29. *Dixit autem Spiritus Philippo : Accede, et adjunge te ad currum istum.* 30. *Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam prophetam, et dixit : Putasne intelligis quæ legis?* 31. *Ille vero dixit : Et quomodo possim, nisi quis ostendat mihi?* Vide rursum aliam pietatem. Quam illam? Quod nesciens legeret; et postquam legerat, requirat. *Rogavitque Philippum, ut ascenderet et sederet secum.* 32. *Locus autem Scripturæ, quem legebat, erat hic : Tamquam ovis ad occisionem ductus est : et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* 33. *In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita ejus* (*Isai.* 53. 7. 8). 34. *Respondens autem eunuchus Philippo, dixit : Obsecro te, de quo propheta dicit hoc, de se, an de alio aliquo?* 35. *Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum.* Viden', quomodo res cum illo dispositæ sint? Primo legit et ignorat; deinde legit hunc locum, ubi narrabatur passio, resurrectio et donum. 36. *Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam : et ait eunuchus; Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Vidistin' promptum animum? vidistin' diligentiam? 38. *Et jussit stare currum, et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum.* 39. *Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum eunuchus. Ibat per viam suam gaudens.* Cur, inquies, tulit eum Spiritus Domini? Quia per alias civitates transiturus et prædicaturus erat. Ut ergo in admiratione haberetur, hoc factum est, utque non humanum, sed divinum haberetur, quod circa ipsum factum est. 40. *Philippus autem inventus est in Azoto : et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.* Hinc palam est, hunc ex septem illis fuisse : nam postea in Cæsarea reperitur. E re autem rapuit illum Spiritus : alioquin rogasset eunuchus, ut secum veniret : quem ille forte contristasset negando, cum nondum tempus esset. Vidisti angelos cooperantes prædicationi, et ipsos quidem non prædicantes; sed hos vocantes? Hoc porro mirabile hinc ostenditur : quod enim rarum olim erat, et vix fiebat, hic jam sæpissime efficitur. Alioquin autem hæc prænuntiatio erat, quod illi alienigenas essent superaturi. Nam credentium fide dignum testimonium poterat discentibus persuadere, ut eumdem ipsi zelum arriperent. Ideo igitur ibat gaudens; atque adeo si scivisset, non ita delectatus esset. Quid autem vetabat, inquies, quin omnia ille accurate disceret, in curru sedens, maximeque in deserto? Quia res non erat ad ostentationem. Sed superius lecta exploremus. *Et ecce vir Æthiops eunuchus*, inquit, *potens Candacis reginæ Æthiopum.* Hinc liquet, illam ipsis imperasse. Nam olim mulieres imperabant, et hæc lex erat apud illos (*a*). Sic nescie-

[1] Alii habent : *ut mihi videtur, Philippus de quo hic agitur, unus erat e septem; non enim a Jerosolymis profectus contra meridiem processisset.*

(*a*) Hic notat Dounæus in hæc verba, *Strabo l.* 17 *Candaces Æthiopum reginæ sub Augusto meminit, quam hanc esse non existimo, sed aliam* ὁμώνυμον. *Reges enim reginæque ejusdem regionis iisdem nominibus uti solent. Tacitus in Vita Agricolæ de Britannis :* His atque talibus invicem instincti, Boadica generis regii femina duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum.

bat Philippus qua de causa veniret in desertum, quia non jam angelus, sed Spiritus ipsum rapit. Nihil autem horum videt eunuchus, imperfectus cum sit, vel etiam quod hæc non ad corporales, sed ad spirituales pertineant; neque etiam discit ea, quæ Philippus edocebatur. Et cur non illi apparet angelus, ut ducat ad Philippum? Quia fortassis non persuasus, sed potius obstupefactus fuisset. Vide Philippi philosophiam : non accusavit, non dixit, Ignoras, ego te docebo ; non dixit, Ego hæc accurate scio ; non adulatus est, nec dixit ei, Beatus es qui legis. Sic et ab audacia et ab adulatione remotum erat verbum ; sed potius curam gerentis erat et benigni. Oportebat enim illum interrogare, oportebat desiderare. Declarat autem se scire ipsum nihil nosse, cum ait : *Putasne intelligis quæ legis?* simulque insinuat magnum repositum esse thesaurum.

2. *Eunuchi modestia et studium.* — Sed vide, quam prudenter se excuset eunuchus : *Et quomodo possim, nisi quis ostenderit mihi?* Non respexit habitum, non dixit : Tu quis es? non redarguit, non arroganter loquitur, non se scire dicit, sed ignorare fatetur : ideoque discit. Monstrat vulnus medico ; novit ipsum hæc scire, et velle docere. (*a*) Vidit illum esse a fastu alienum ; neque enim splendidum gestabat vestitum. Ita erat discendi cupidus et verbis intentus, quia et illud, *Qui quærit, invenit* (*Matth.* 7. 8), in ipso implebatur. *Rogavitque,* inquit, *Philippum, ut ascenderet et sederet secum.* Vidistin' studium? vidistin' desiderium? Rogat ut ascendat et sedeat secum : sic nesciebat, quid sibi dicturus esset ; sed simpliciter putabat, se prophetiam aliquam auditurum esse. Major autem hic honor est, quod non simpliciter ascendere curet, sed roget. *Accurrens autem Philippus audivit eum legentem.* Cursus loquendi cupidum indicat, lectio studii signum est. Illo enim tempore legebat, quo major est solis æstus. Locus autem hic erat : *Sicut ovis ad occisionem ductus est.* Et hoc illius discendi cupiditatis signum est, quod prophetam illum aliis sublimiorem præ manibus habuerit. Ideo non cum vehementia illi narrat, sed mansuete ; imo nec prius loquitur, quam interrogatus fuerit, donec ille rogaverit. Ut et illud iterum faciens ait : *Obsecro te, de quo propheta dicit hoc?* Videtur mihi nescivisse illum, quod prophetæ de aliis loquantur ; vel si non hoc, quod de seipsis loquantur in alia persona. Erubescamus et pauperes et divites de illo pennario. *Deinde venerunt ad quamdam aquam, et ait, Ecce aqua.* Hæc valde ferventis animæ sunt, *Quid prohibet me baptizari?* Viden' ejus desiderium? Non dicit, Baptiza me ; neque tacet, sed medium quidpiam inter desiderium et reverentiam loquitur. *Quid prohibet me baptizari?* Vide, quomodo absoluta dogmata habuit : nam propheta omnia continebat, incarnationem, passionem, resurrectionem, assumptionem, futurum judicium : quæ ipsi magnum indidere desiderium. Erubescite quotquot nondum illuminati estis. *Et jussit,* inquit, *stare currum.* Simul dixit et imperavit, antequam audiret. *Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum.* Bene : ut ostenderetur divinam fuisse rem actam, et ne putaret hominem esse vulgarem. *Et ibat,* inquit, *per viam suam gaudens.* Hoc dicit, ostendens ipsum ægre laturum fuisse, si scivisset : sic ex multo gaudio, etsi Spiritu dignatus, præsentia non videbat. *Et inventus est,* inquit, *in Azoto.* Multum hinc Philippus lucratus est. Nam quod audierat de prophetis, de Abacuc, de Ezechiele et aliis, in se factum vidit, qui in momento multam emensus viam ostenditur, siquidem in Azoto inventus est, et illic demum stat, ubi evangelizare oportebat. (*Cap.* 9) 1. *Saulus autem adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum,* 2. *et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas : ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem.* Opportune Pauli zelum hic inducit, ut illum medio zelo tractum ostendat. Nondum enim satiatus nece Stephani, neque persequutione ac dispersione Ecclesiæ, accedit ad principem sacerdotum. Hic impletur id quod Christus discipulis dixit : *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo* (*Joan.* 16. 2). Hic igitur sic faciebat ; non ut Judæi, absit. Quod enim ex zelo id faceret, hinc palam est, quod ad exteras civitates migraret. Illis vero neque ea, quæ Jerosolymis fiebant, curæ erant, sed unum sectabantur honorem. Cur autem Damascum adiit? Magna civitas erat et regia : timebat ne illa quoque præoccuparetur. Et vide studium ejus ardoremque, ac quam secundum legem agat. Non adit præfectum, sed principem sacerdotum. *Petit ab ipso epistolas, ut si quos inveniret hujus viæ.* Viam vocat credentes, qui sic ab omnibus tunc vocabantur, forte quia viam ad cælum tendentem sectabantur. Cur potestatem non accipit illos ibidem puniendi, sed Jerosolymam ducit? Ut cum majori potestate illic supplicium infligeretur. Et vide, in quantum se periculum conjiciat ; attamen sic timet, ne quid sibi mali accidat. Ideo ergo alios secum assumit, forte præ metu : vel quia contra multos ibat, multos accipit, ut audacius, *Si quos inveniret viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem.* Alioquin autem ipse per viam ostendere iis omnibus volebat, totum ab se proficisci : ita illi nihil hoc curabant. Et vide illum antehac in carcerem conjicientem. Illi igitur non valebant, hic vero præ fervore poterat. 3. *Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco : et subito circumfulsit eum lux de cælo ;* 4. *et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi : Saule, Saule, quid me persequeris?*

3. Cur non Jerosolymis? cur non Damasci id factum est? Ut non possent alii illud aliter narrare ; et ut ipse, qui illa de causa abierat, narrando fide dignus esset. Hoc ergo dicit, cum apud Agrippam sese defendit. Laborat autem oculis, quia nimia lux

Hæc Boadica est, opinor, quam Xiphilinus Βουδουίκαν *indigitat. OEcumenius ad hunc locum :* Sciendum est Æthiopas quamlibet regis matrem Candacen vocare. Patrem enim non referunt, sed sole progenitos esse filios dicunt.

(*a*) Sequentia cum ingentibus varietatibus effert unus Codex, quas si adferre vellemus, omnia exscribere prorsus necesse esset.

lædere solet; mensuram enim suam habent oculi. Dicitur etiam vocis et soni vehementiam surdos facere et attonitos. Sed hunc excæcavit tantum, et metu furorem ejus exstinxit, ita ut hæc ille audiret : *Saule, Saule, quid me persequeris ?* Non dicit illi, Crede, neque simile quidpiam ; sed incusat. Hæc fere dicit quibus illum incusat : Quid, vel parum vel multum, a me læsus, hoc agis ? *Dixit autem, quis es, Domine ?* Interim se confitetur servum. Dominus autem dixit : *Ego sum Jesus, quem tu persequeris.* Ac si diceret : Ne putes tibi cum hominibus esse certamen. Qui autem cum illo erant, vocem quidem Pauli audierunt, neminem autem viderunt, ad quem responderet. Et jure merito : rerum namque minorum illos fecit auditores. Nam si vocem illam audissent, neque sic credidissent : Paulum autem videntes respondentem, mirabantur. Sed 7. *Surge, et ingredere civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere.* Vide, quomodo non statim omnia ipsi revelet, sed prius tantum mitiget animam ejus, et per ea, quæ jubet illum facere, statim spem bonam indit, quod visum recepturus sit. *Viri autem, qui ibant cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* 8. *Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.* Spolia diaboli, vasa ejus, quasi capta quadam urbe vel metropoli introducunt. Et quod mirum est, ipsi inimici et hostes introducunt illum omnibus videntibus. 9. *Et erat tribus diebus non videns, et non manducavit neque bibit.* Quid huic rei par fuerit ? Consolatio hæc inducti Pauli compensat mœrorem de Stephano conceptum, licet hic suam habeat in se consolationem, quod ille sic obiisset ; et hanc item haberet, quod Samaritanorum vici reducti magnum afferrent solatium.

Cur Paulus post Christi resurrectionem conversus sit. — Et cur, inquies, non ab initio id factum est, sed postea ? Ut ostenderetur, vere Christum resurrexisse. Qui enim persequebatur illum, nec credebat illius mortem ac resurrectionem, qui discipulos ejus persequebatur, unde, quæso, credidisset, nisi magna fuisset Crucifixi virtus ? Esto, illi ipsi obtemperaverint, quid ad hunc dices ? Alioquin vero ideo post resurrectionem accessit, neque statim, ut manifestius ipsius bellum videatur. Nam qui sic insanit, ut et sanguinem effundat, et in carcerem conjiciat, statim credit. Non satis erat, quod cum Christo non fuisset, sed oportuit ut fideles ab illo fortiter impugnarentur. Nullum non furorem retro relinquit ; omnibus hic acrior erat. Cum autem excæcatus fuit, tunc dominationis et clementiæ ejus indicia agnovit : vel etiam, ne quis diceret ipsum simulasse. Quomodo enim, qui sanguinem expetierat, qui ad sacerdotes accesserat, qui in pericula se conjiciebat, qui externos etiam pellebat et puniebat, simulasset ? Hic igitur post hæc omnia dominationem confitetur. Cur autem non intra ipsam urbem lux illum circumfulsit, sed ante illam ? Quia multi non credidissent, imo forte risissent, quandoquidem et supra, emissam audientes vocem dicebant, *Tonitru est* (*Joan.* 12. 29) : hic vero fide dignus erat dum maxime sua nuntiaret. Et ligatus introductus est, non vinculis impositis ; et trahebant illum, qui se alios tracturum sperabat. Cur autem non manducavit neque bibit? Sua gesta damnabat, confitebatur, orabat, rogabat Deum. Si vero quis dixerit hoc ex necessitate fuisse (nam et Elymas hoc ipsum passus est [*Act.* 13]), respondebimus : Etiam passus est, sed mansit, ut erat. Quomodo igitur non coactus est? Ecquid magis cogere poterat, quam terræ motus in resurrectione factus, ipsis militibus nuntiantibus, aliis patratis signis, quod ipsum resurrexisse viderent? At non illa necessitatem inducunt, sed docent. Cur Judæi hæc audientes non crediderunt ? Palam erat, illum vera dicere. Neque enim mutatus fuisset, nisi hoc evenisset; atque ita omnes credere oportebat. Non minor erat iis, qui resurrectionem ejus prædicabant, imo fide dignior qui repente conversus esset. Non cum fidele quopiam versatus fuerat, sed in Damasco conversus est, imo ante Damascum hoc accidit. Interrogo Judæum : Unde, quæso, conversus est Paulus ? Tot signa vidit, et conversus non est : doctor ejus mutatus est (*a*), et hic mutatus non est : quis illi persuasit, imo quis illi tantum repente immisit ardorem, ut anathema pro Christo fieri optaret? Manifesta est rerum veritas. Sed, ut jam dixi, interim eunuchum videntes illuminatum et legentem erubescamus. Videtis, in quanta potentia, in quantis divitiis versaretur, ac neque in via quiescebat ? Qualis ergo erat domi, qui ne in via quidem otiaretur ? qualis erat in nocte ?

4. Quotquot in dignitatibus estis, audite, et imitemini humilitatem et pietatem. Etsi domum reverteretur, non dicebat intra semetipsum : Redeo in patriam, ibi lavacro utar; ut sunt frigida multorum verba. Non opus habuit signis nec miraculis : ex solo propheta credidit. Idcirco seipsum deplorat Paulus, dicens : *Sed misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate, et ut in me primo ostenderet Jesus Christus omnem patientiam* (1. *Tim.* 1. 13. 16). Dignus certe admiratione est hic eunuchus. Non vidit Christum, non vidit signum : adhuc stantem Jerosolymam videbat, et credebat Philippo. Unde ergo talis effectus est ? Sollicita erat anima illius, attendebat Scripturis, lectionibus operam dabat. Atqui latro vidit signa, et magi stellam ; hic vero nihil tale vidit, et credidit : usque adeo utilis est Scripturarum lectio. Quid ego Paulus ? annon legem meditabatur? Sed mihi videtur hic consulto reservatus esse propter ea, quæ prius dixi, quod undique vellet Judæos Christus attrahere. Nam si mente valuissent, nihil ipsis perinde atque hoc utile fuisset. Hoc enim plus quam signa et alia omnia poterat illos attrahere : quemadmodum nihil ita solet crassioribus offendiculo esse. Vide itaque post dispersionem apostolorum Deum edere signa. Criminabantur Judæi apostolos, conjiciebant in

(*a*) Doctor Pauli Gamaliel mutatus fuisse dicitur, ut puto, quia Judæos repressit, ne in Christianos sævirent, dum Paulus plus quam omnes sæviret in illos.

carcerem : demum Deus miracula edit. Et quomodo, vide. Educere ex carcere, ejus signum erat; inducere Philippum, ejus signum erat; Paulum adduci, ejus signum erat; seipsum Stephano ostendere, ejus signum erat. Et considera, quomodo Paulus honoretur, quomodo eunuchus. Hic Christus apparet, forte ob duritiem, quia alio modo non persuasus esset. In his nos quoque miraculis versantes, nos dignos exhibeamus. Multi nunc, etiam in ecclesiam ingressi, ignorant quæ dicuntur : eunuchus autem et in foro, et in curru vectus, lectioni Scripturarum attendebat. Sed vos non item : nemo enim vestrum librum præ manibus habet, sed omnia potius quam librum. Cur autem non vidit illum ante Jerosolymam, sed postea? Non oportebat illum videre pulsos apostolos, eo quod adhuc infirmus esset : neque id antea ita facile erat, ut cum propheta illum erudivit. Sic et nunc, si quis vestrum vult attendere prophetis, non opus habebit signis. Et si vultis videamus, quid ipsa prophetia dicat : *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et in humilitate ejus judicium ejus sublatum est.* Hinc didicit, quod crucifixus sit, quod tollatur de terra vita ejus, quod peccatum non fecerit, quod potuerit et alios servare, quod generatio ejus sit inenarrabilis, quod petræ scissæ sint, quod velum scissum sit, quod mortui ex sepulcris resurrexerint : imo hæc omnia dixit ei Philippus, ex propheta sumpta occasione. Magna res profecto est Scripturarum lectio. Ita implebatur illud a Moyse dictum : *Sedens, in lecto cubans, exsurgens, et ambulans, recordare Domini Dei tui* (*Deut.* 6. 7). Maxime namque viæ cum desertæ sunt, cogitationibus nostris dant locum, nemine perturbante. Et hic in via credit, et Paulus in via; sed hunc nemo trahit nisi Christus. Majus hoc erat, quam quod apostoli facerent : majus vero quod, cum apostoli Jerosolymis essent, et ex his nullus esset Damasci, isthinc rediit credens : et qui Damasci erant, sciebant ipsum non Jerosolymis venisse persuasum; epistolas enim ferebat, ut credentes ligaret. Sicut medicus optimus, jam vigente febre, opem illi attulit Christus : oportebat enim eum in ipso furore comprehendi. Tunc maxime decidit, ac seipsum condemnavit, ut qui gravia attentasset. Sed rursum opere pretium fuerit sermonem resumere. Cur, quæso, Scripturæ? Quod ad vos spectat, omnia sublata sunt. Cur ecclesia? Libros suffodito : forte non tale judicium erit, non talis pœna. Si quis in fimo defoderit illos, et non illos audierit, non tam contumelia afficit, ut nunc fit. Quid enim, quæso, illic contumeliosum? Quod illos defoderit. Quid autem hic? Quod non audiamus illos. Dic mihi uter maxime contumelia afficit, qui silenti, an qui loquenti non respondet? Certe qui loquenti. Itaque major nunc est contumelia, cum loquentem non audis, major contemptus. *Ne loquamini nobis*, quondam dicebant prophetis Judæi : vos autem pejus facitis, dicentes : Ne loquamini, non facimus. Illi ergo avertebant eos, ut ne loquerentur, quasi ex illorum voce aliquam acciperent pietatis occasionem : vos autem præ multo contemptu neque hoc facitis. Credite, si manibus ora obturaretis, non tanta esset contumelia quanta nunc. Dic enim mihi, qui audit et non obtemperat, magisne contemnit, quam qui non audit?

5. Sed age, contumeliam hujusmodi exploremus. Si quis eum, qui contumelia afficit, contineat et os obturet ei, tamquam ægre ferens contumelias; alius vero neque curet, neque advertere videatur : uter magis contemnit? annon hic? Ille namque declarat se plagam accipere; hic vero fere os obturat Dei. Horretis dictum; sed audi quomodo hoc fiat. Os, per quod loquitur Deus, os Dei est. Sicut enim hoc os animæ nostræ est, etsi anima os non habeat : sic et os prophetarum est os Dei. Audite et horrescite. Communis est diaconus ille, qui stat et clamat, *Attendamus;* idque sæpe repetit. Hæc vox ecclesiæ communis est, et nemo attendit. Post illum incipit lector prophetiam Isaiæ : neque sic attendit quispiam, etsi prophetia humanum nihil habeat. Deinde auditori enuntiat, *Hæc dicit Dominus;* nullusque attendit. Quid dico? Tremenda quædam et horrenda narrat : neque ullus est qui attendat. Verum quid dicunt multi? Semper eadem legit. Hoc maxime vos perdit. Si itaque illa sciretis, neque sic oporteret averti : quandoquidem in theatris eadem ipsa semper fiunt, neque tamen satiamini. Qualia dicere audes, qui ne prophetarum nomina quidem nosti? Non te pudet dicere, te ideo non audire, quia eadem semper leguntur, qui ne nomina quidem scriptorum nosti, licet illa semper audias? Nam tu quoque confiteris, eadem ipsa dici. Ego si te accusando hæc dixissem, oporteret te ad aliam defensionem confugere, et non ad accusationem tuam venire. Dic mihi, annon admones filium tuum? Si diceret ille, Semper eadem; annon putares contumeliam esse? Tunc par esset non eadem dicere, si illa sciremus, et operibus exhiberemus; imo neque tunc, superflua lectio esset. Quid par Timotheo? Attamen illi scribens Paulus dicebat : *Attende lectioni et exhortationi* (1. *Tim.* 4. 13). Neque enim potest umquam sensus Scripturarum exhauriri : fons est immensus. Dicere solent. Novi, inquiunt, et tum mihi effluxit. Vultis ostendam, hæc non esse eadem? Quot putatis ex Evangeliis loquutos esse? Sed hi omnes nova quædam dixerunt. Quanto enim magis in illis versatur, tanto acutius videt, tanto puriorem aspicit lucem. Ecce quanta dico. Quid est prophetia? dicite : quid enarrationes? quid parabola? quid allegoria? quid typus? quid symbolum? quid evangelia? Hoc vero tantum mihi dicite, quod clarum est, cur Evangelia dicta sunt? Atqui sæpe audistis, quod evangelia nihil mœstum habere debeant : hæc vero multa austeritate plena sunt? *Ignis illorum non exstinguetur,* inquit, *et vermis eorum non morietur* (*Marc.* 9. 43); illudque, *Dissecabit eum, et ponet portionem ejus cum hypocritis* (*Matth.* 24. 51); et illud, *Dicet : Nescio vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem* (*Id.* 7. 23). Igitur ne decipiamus nosmetipsos, putantes hæc Græco more dici. Nihilne hæc ad nos? Vos vero surdi estis, et quasi attoniti caput inclinatis. Evangelia nihil habere debent eorum, quæ agenda sunt, sed solum

bona consulere : hæc vero innumera habent facienda ; cujusmodi sunt hæc : *Si quis non odit patrem suum et matrem, non est me dignus* (*Luc.* 14. 26) ; et, *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium* (*Matth.* 10. 34. *Luc.* 12. 51) ; et, *Tribulationem in mundo habebitis* (*Joan.* 16. 33). Pulchra quidem ; sed non sunt evangelia. Evangelium namque hoc est : Hæc tibi bona erunt : ut solent homines inter se dicere : Quid mihi est evangeliorum ? pater tuus veniet, vel mater tua. Non dicunt, Hæc facito. Rursum dic mihi, quid differant hæc a propheticis : cur non et illa evangelia dicuntur ; nam et illa eadem dicunt ; verbi causa, *Saliet sicut cervus claudus* (*Isai.* 35. 6) : *Dominus dabit verbum evangelizantibus* (*Psal.* 67. 12) : *Dabo vobis cœlum novum et terram novam* (*Isai.* 65. 17). Cur non et illa evangelia vocantur ? cur non et hoc prophetia dicitur ? Quod si nescientes quid sint evangelia, sic lectionem Scripturarum despicitis, quid dicam vobis ? Dicam et aliud : Cur quatuor Evangelia ? cur non decem ? cur non viginti ? cur non multi Evangelia scribere sunt aggressi [1] ? cur non unus ? cur discipuli ? cur non ii, qui discipuli non erant ? cur omnino Scripturæ ? Atqui contrarium dicit vetus lex : *Dabo vobis Testamentum Novum* (*Jer.* 31. 31). Ubi sunt ii, qui dicunt, Semper eadem ? Si hæc sciretis, quod si homo decem mille annis viveret, non sint tamen eadem, hæc non diceretis. Credite, nihil horum vobis dicam, non privatim, non publice ; sed si quis invenerit, annuam ; sin minus, sinam. Sic vos fecimus inutiles, semper omnia prompte dicentes, nec quando oportet renuentes. Ecce habetis quæstiones multas : considerate, dicite causam. Cur Evangelia ? cur non prophetiæ ? cur ea, quæ facienda sunt, in Evangeliis ? Et si hic dubitet, alius quærat, et sua aliis mutuo conferant : demum nos silebimus. Nam si dicta vobis nihil profuerunt, multo minus proderunt, quæ adjicientur. Vere dolio ex pertuso haurimus : unde majus vobis supplicium erit. Ideo ergo tacebimus. Quod ne fiat, in nobis situm est. Si enim in vobis studium viderimus, forte iterum loquemur, ut et vos magis ac magis accepti sitis, et nos in vobis lætemur, in omnibus glorificantes Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi : cui gloria, imperium, magnificentia et honor cum Patre principio carente, et ejus Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alius habet, *cur non viginti ? siquidem multi conati sunt ordinare narrationem.*

HOMILIA XX.

Cap. 9. v. 10. *Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias : et dixit ad illum in visu Dominus : Anania. Et ille ait : Ecce ego, Domine.* 11. *Et Dominus ad eum : Surgens vade in vicum, qui vocatur Rectus : et quære in domo Judæ Saulum nomine, Tarsensem ; ecce enim orat.* 12. *Et vidit in visione virum Ananiam nomine introeuntem et imponentem sibi manum, ut visum recipiat.*

1. Cur neminem ex coryphæis apostolis vocavit vel misit ad Pauli institutionem ? Quia non oportebat illum per homines, sed per ipsum Christum institui. Nam hic nihil ipsum docuit, sed tantum baptizavit. Statim autem ubi baptizatus est, multam ex zelo et studio multo sibi attraxit Spiritus gratiam. Quod autem Ananias ex insignioribus esset, palam est ex iis, quæ ipsi revelat et dicit ; itemque ex iis, quæ ille respondet, dicens : 13. *Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem.* Si itaque Domino contradixit, multo magis, si angelum misisset. Ideoque antehac Philippus non audivit, quid futurum esset, sed solum vidit angelum : et sic Spiritus jubet illum accedere, et currui hærere. Hic vero interim metum ejus succidit, ac si diceret : Ecce orat, cæcus est, et tu times ? Ita et Moyses timet. Itaque verba timentis magis sunt, quam non credentis. Et audi verba ipsa : *Domine, audivi a multis de viro hoc.* Quid dicis ? Deus loquitur, et tu dubitas ? Sic nondum sciebant potentiam Christi. 14. *Et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum.* Undenam hoc notum erat ? Verisimile est, eos in metu degentes curiose inquisivisse. Non hoc ergo dicit, quasi Christus id ignoret ; sed dubitat, quomodo in tali rerum statu possit hoc fieri. Sic et alibi discipuli dicunt : *Quis potest Salvari* (*Marc.* 10. 26) ? Sed vide, quot res disponantur, ut credat venturo. In somnio vidit, prædixit illi : *Orat*, inquit ; igitur ne timeas. Et cur non dicit illi rem præclaram, quæ gesta est ? Ut nos doceat, ne prædicemus bona opera nostra ; imo et quod timentem videat. Neque sic dixit, Fides tibi non negabitur : sed quid ? *Surgens vade. Vidit enim in visione virum imponentem sibi manus.* Ideo in visione, quia cæcus erat. Neque miraculi magnitudo rapuit discipulum ; ita timebat. Attamen per ipsum Deus Paulo cæco visum restituit. 15. *Dixit autem Dominus ad illum : Vade, quia vas electionis est mihi hic, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel.* 16. *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Non solum fidelis erit, inquit, sed etiam doctor, et multa utetur dicendi libertate. *Coram gentibus et regibus.* Ita crescet doctrina, inquit, ut et gentes et reges omnes superet. 17. *Abiit autem Ananias et intravit in domum, et imponens illi manus dixit : Saule, frater, Dominus misit me, Jesus qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas et implearis Spiritu sancto.* Statim illum familiarem nomine facit. *Jesus*, inquit, *qui apparuit tibi in via.* Certe non hoc ei dixerat Christus ; sed a Spiritu sancto didicerat. 18. *Et statim deciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, et visum recepit statim, et surgens baptizatus est.* 19. *Et cum accepisset cibum, confortatus est.* Solum illi ma-

nus imposuit, et statim squamæ ab oculis ejus deciderunt. Has quidam dicunt cæcitatis illius fuisse causas. Et cur non excæcavit illius oculos? Hoc mirabilius erat: nam apertis oculis non videbat: id quod patiebatur in lege, donec illi impositum est nomen Jesu (*a*). *Et statim baptizatus est. Et cum accepisset cibum, confortatus est.* Ergo infirmus erat ex itinere, ex metu, ex fame, ex mœrore. Volens igitur illius augere mœrorem, cæcum manere permisit, donec venit Ananias. Et ut ne quis putet phantasiam fuisse cæcitatem, ideo squamæ fuerunt. Igitur non opus habebat alia doctrina; sed id quod accidit, doctrina fuit. *Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot.* 20. *Et continuo in synagogis prædicabat Christum, quia hic est Filius Dei.* Vide statim doctor erat in synagogis. Non erubescebat de mutatione, neque metuebat destruere illa, in quibus antea clarus erat. Nec solum doctor erat, sed etiam in synagogis. Ita ab initio homo erat et occidens, et ad cædes compositus. Vides quam clarum signum in illo factum sit? Hoc ipso omnes percellebat. Ideo hæc significans adjicit: 21. *Stupebant autem omnes qui audiebant, et dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem invocantes in nomine hoc, et hic ideo venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum?* 22. *Saulus autem magis convalescebat et confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.* Utpote legis peritus confundebat illos, nec loqui sinebat. Putabant se a Stephano liberatos, a tali disputatione ereptos esse, et alium invenerunt Stephano vehementiorem.

2. Sed ea, quæ Ananiam spectant, repetamus. Non dixit illi: Alloquere et institue illum. Si enim cum dixisset, *Orat, et vidit virum imponentem sibi manus*, non persuasit: multo magis, si hoc dixisset. *Vidit*, inquit, *in visione*. Itaque non fidem tibi negabit: ne igitur timeas, sed vade. Sic neque Philippus statim totum audit. *Quia vas electionis est mihi hic.* Hæc dicta illius sunt; qui timorem omnino excutit, et fiduciam indit: siquidem ita pro seipso afficiendus erat, ut etiam multa pateretur. Cum dixisset, *Vas*, ostendens ejus malitiam non esse naturalem: addit, *Electionis*, ut ostendat ipsum acceptum esse: nam quod acceptum est, eligimus. Ne quis vero putet hæc audiens, Ananiam ideo hæc dicere, quod dictis non credat, vel quod putet deceptum fuisse Christum; absit: sed quod timeret et tremeret, dictis non attendebat, ut audivit nomen Pauli: sic illo nomine præoccupatus est timore. Atqui ubi audivit, quod excæcasset illum, confidere oportebat. *Et hic*, inquit, *ideo venit, ut liget omnes, qui invocant nomen tuum.* Ac si diceret, Timeo, ne forte me in Jerusalem ducat: cur me in os leonis injicis? cur me huic prodis? Timet et hæc dicit, ut undique discamus virtutem viri. Nam hæc a Judæis dici, nihil mirum esset: quod autem ab hoc, et ita perterrito, magnum divinæ virtutis signum hoc esse probatur. *Saule frater.* Hic quoque magnus adest timor, et post timorem major obedientia. Deinde, quia *Vas electionis* dixit, ne diceres, totum ex Deo esse, ut ab hoc te abducat, adjicit: *Ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel.* Audivit Ananias id quod valde cupiebat, ipsum etiam contra Judæos pugnaturum esse: ideo non solum gaudio, sed etiam fiducia repletur. *Ego enim*, inquit, *ostendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Hæc prædicentis sunt simul et hortantis, si quidem ille omnia passurus est, qui ita insaniit; hic vero illum baptizare non vult, ut visum recipiat. Bene, inquit; sine illum cæcum esse: ideo nunc mitis est, quia cæcus: cur me jubes aperire oculos ejus? an ut rursum alliget? At ne futurum timeas: nam apertis oculis non contra nos, sed pro nobis utetur: ad hoc, *Ut respiciat*, hæc quoque adjiciantur. Ne timeas: nihil vobis mali faciet; imo patietur multa. Et quod mirabile est, primo patietur, et tunc in pericula incidet. *Saule frater, Jesus qui apparuit tibi in via, misit me.* Non dixit, Qui excæcavit, sed, *Qui apparuit tibi*: ita modeste agere sciebat, nihilque arroganter dicit. Ut igitur Petrus curato claudo dicebat: *Quid nobis attenditis, quasi nostra virtute vel pietate fecerimus hunc ambulare* (*Act.* 3. 12)? sic et iste, *Jesus qui apparuit tibi.* Impositis jam manibus hæc loquebatur, et duplex cæcitas solvebatur. Cum dicit autem, *Cum cepisset cibum, confortatus est*, significat illum infirmatum esse a mœrore cæcitatis, a timore et a fame. Neque enim prius cibum sumere voluit, quam baptizatus magna sortiretur dona. Neque dicit, Jesus crucifixus, Filius Dei, qui signa facit; sed quid? *Qui apparuit tibi*; ea dicens, quæ illi nota erant. Quandoquidem ne ipse quidem Christus aliud adjecit, neque dixit: Ego sum ille crucifixus, qui resurrexi; sed, *Quem tu persequeris.* Non dixit, Qui persequutionem patior; ne videretur in excessu mentis irridere. *Qui apparuit tibi*, inquit, *in via.* Atqui non apparuit, sed per opera visus est. Et volens sermonis molestiam mitigare, statim adjicit, *Ut videas, et implearis Spiritu sancto.* Non venit, ut rem factam argueret, sed ad donum conferendum, inquit. Videtur mihi et hunc et Cornelium statim post hæc dicta verba Spiritum recepisse; etsi qui dabat, non ex duodecim esset. Sic nihil humanum hic, nec per hominem factum est; sed Deus aderat qui hæc ageret. Simulque illum instituit ut modeste sentiat, cum illum non ducit ad præcipuos apostolos, doceatque nihil hic humanum esse. Neque tunc Spiritum, ut signa ederet, accepit, ut sic ejus fides ostenderetur: neque enim signa fecit. *Et statim*, inquit, *in synagogis prædicabat Christum, quia hic est Filius Dei.* Non prædicabat quod resurrexisset, neque quod viveret; sed quid? Accuratissime dogma exponebat, *Quia hic est Filius Dei.* Illi vero his auditis in incredulitate perstant, cum oportuisset non modo credere, sed etiam obstupescere. Et cur non simpliciter, quod persequutor fuerit, dicunt; sed quod expugnaret eos, qui hoc nomen invocarent? Magnum furorem his de-

(*a*) Quandonam Paulo impositum est nomen Jesu, ut visum reciperet? Hic vel vitium in verbis est, vel dicamus oportet, tunc Ananiam imposuisse Paulo nomen Jesu, quando positis super illum manibus dixit illi, Jesum esse a quo ipse visum reciperet.

clarabant. Nec Jesum nominabant, quod ex invidia ne nomen quidem audire sustinerent : sic efferati erant. *Et huc propterea venit.* Non possumus dicere, inquit, quod prius cum apostolis fuerit.

3. Vide, quam multis testimoniis ex inimicorum numero fuisse Paulus declaretur. Ille vero non modo his non confundebatur, sed et gloriabatur. 22. *Saulus autem magis convalescebat, et confundebat Judæos*, id est, confutabat, nec loqui sinebat, *affirmans quoniam hic est Christus.* Docens, inquit : nam statim doctor fuit. 23. *Cum autem implerentur dies multi, conspiraverunt Judæi, ut illum interficerent.* Ad validum syllogismum rursus veniunt Judæi. Non enim amplius sycophantas, accusatores et falsos testes quærunt, neque ultra illos ferunt; sed quid? Demum ipsi per seipsos hoc operantur. Quia enim videbant rem augeri, non ultra judicium adhibent. 24. *Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem portas die ac nocte, ut eum interficerent.* Quare? quia hoc illis intolerabilius erat omnibus, quæ facta fuerant, signis, illisque quinque millibus, tribusque millibus conversis. Et vide illum jam non gratia, sed humana sapientia servari, ut discas viri virtutem, etiam absque miraculis fulgentem. 25. *Accipientes autem eum discipuli noctu, per murum demiserunt eum, submittentes in sporta.* Jure, sic ut res suspicione careret. Quid ergo? an hoc elapsus periculo desistit[1]? Minime; sed illo abit, ubi magis illos aggrediatur. Nam quod vere crederet, adhuc multi credere non poterant. Ideo post multos dies hoc evenit. Quidnam hoc est? Verisimile est illum nondum voluisse istinc proficisci, multis forsan monentibus : ubi autem hæc didicit, tunc permisit discipulis suis : nam statim discipulos habuit. Hoc subindicans dicebat : *Damasci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, volens me comprehendere* (2. *Cor.* 11. 32). Et vide evangelistam nihil ambitiose loquentem, neque Paulum clarum exhibentem, sed solum quod regem excitaverint. Illum igitur solum emiserunt, et cum illo neminem. Id quoque congruenter, ut ipse apostolis in Jerusalem sese ostenderet : imo illi quidem emiserunt, ut deinde ipse salutem suam curaret; ipse vero contrarium faciens, ad furentes statim transilivit. Hoc est incendi, hoc maxime fervere. Et perpende quomodo sequatur, a primo die præceptum servans, quod audierunt apostoli : *Nisi quis tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* 10. 38). Quod ergo post alios venisset, hoc illum ferventiorem reddebat. Et opere illud implebatur : *Cui multum dimittitur, is plus diliget* (*Luc.* 7. 47). Itaque quanto tardius venit, tanto plus amavit. Ideoque priorem vitam suam aperte damnans, seseque notans, nihil satis esse putabat, ut priora tegeret. *Confirmans*, inquit : id est, cum mansuetudine docens. Et vide : non dicunt ei : Tu es qui devastabas; cur mutatus es? erubescebant enim; sed inter se dicebant. Dixisset enim multo justius, Hoc vos magis docere oportet : nam apud Agrippam ita rationem reddit. Hunc imitemur et nos, quæso, et ad omnia simus pericula instructi. Et quomodo, inquies, ille fugit[1]? Non ex timiditate, sed se ad prædicationem servabat. Si timidus fuisset, non Jerosolymam venisset, non statim doctrinam suscepisset; ex vehementia aliquid remisisset. Verum non erat timidus sed prudens, Stephani cæde edoctus. Ideo nihil magnum putabat esse pro prædicatione mori, nisi cum magno lucro id fieret : homo ne Christum quidem videre volens, quem maxime omnium videre cupiebat; quoniam nondum suum erga homines ministerium impletum erat. Talem oportet esse Christiani animam.

4. Ab initio et ab ipso cursus principio character Pauli declarabatur : imo et antea : nam in iis etiam, quæ non secundum scientiam faciebat, humano motus ratiocinio se gerebat. Si enim post tantum tempus non cupiebat resolvi, multo magis initio negotiationis, nuper e portu egressus. Non eripit autem illum Christus a periculo, sed dimittit : quia vult multa ex humana prudentia fieri. Alioquin dimittit, ut discamus ipsos etiam homines fuisse, neque semper omnia gratiam operari. Nisi enim hoc esset, ligna esse simpliciter existimati fuissent. Ideo multa ipsi administrabant. Hoc et nos faciamus, et ita fratrum salutem curemus. Non est martyrio minus, nihil pati recusare ob multorum salutem; nihil ita Deum lætificat. Rursum dicam id, quod sæpe dixi; dicam, quia id valde cupio : quoniam et Christus idipsum faciebat, de remissione admonens et dicens : *Quando oratis vos, remittite si quid contra aliquem habetis* (*Matth.* 5. 23). Rursum Petro loquens, inquit : *Non dico tibi, Remitte usque septies, sed usque septuagies septies* (*Id.* 18. 22); neque ipsa dimisit, quæ contra ipsum patrata sunt. Ita et nos quia novimus hunc esse scopum Christianismi, de hac re semper disserimus.

Christianus aliorum salutem curare debet. — Nihil frigidius Christiano, qui aliorum salutem non curat. Non potes hic paupertatem obtendere : nam quæ duo minuta injecit, te accusabit. Et Petrus dicebat, *Argentum et aurum non est mihi* (*Act.* 3. 6). Paulus item adeo pauper erat, ut sæpe esuriret, et necessario cibo careret. Non potes ignobilitatem proferre : nam illi ignobiles erant, ex ignobilibus orti. Non potes prætexere te idiotam esse : nam et illi illiterati erant. Etsi servus sis, etsi fugitivus, tua poteris exsequi : siquidem et Onesimus talis erat. Sed vide, quonam vocet illum, et ad quam agat dignitatem : *Ut communicet mecum*, inquit, *in vinculis meis* (*Philem.* 1. 10). Non potes infirmitatem objicere : nam talis quoque Timotheus erat, qui frequenter habebat infirmitates. Quod enim infirmus esset audi : *Vino modico utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates* (1. *Tim.* 5. 23). Potest unusquisque proximo prodesse, si velit quæ sua sunt implere. Non videtis infructuosas arbores, quam firmæ sint, quam pulchræ, proceræ, læves et sublimes? At si hortum haberemus,

[1] Alii legunt, *fugit*, pro, *desistit*.

[1] Hæc; *Et quomodo, inquies, ille fugit*, desunt in quibusdam.

vellemus malogranata, et olivas fructiferas potius quam illas habere: illæ enim ad voluptatem sunt, non ad utilitatem, et si qua sit utilitas, ea parva est. Tales sunt ii, qui sua solum spectant; imo ne tales quidem, sed ad ultionem solum apti. Nam illæ arbores ad ædificium et ad rerum tutelam aptæ sunt. Tales erant illæ virgines, castæ, ornatæ, continentes; sed nemini utiles, ideo comburuntur. Tales sunt, qui Christum non nutriunt. Perpende autem neminem illorum de peccatis suis accusari, non quod fornicatus sit, non quod pejeraverit, de nullo certe; sed quod alteri non profuerit. Talis erat ille, qui talentum defodit, inculpatam exhibens vitam, sed alteri non utilis. Quomodo, quæso, Christianus sit qui talis est? Si fermentum mixtum farinæ, non mutaverit totum in eamdem conditionem, an fermentum vere fuerit? Quid vero, si unguentum accedentes non odore perfuderit, an id unguentum vocemus? Ne dixeris, Non possum alios inducere: nam si Christianus fueris, impossibile est ut non fiat. Nam ut ea quæ in natura sunt contradictionem non habent: ita et hæc quæ dicimus: in natura enim Christiani res sita est. Ne Deum contumelia afficias. Si dixeris, non posse solem lucere, contumelia illum afficis; si dixeris, non posse Christianum prodesse, Deum contumelia affecisti et mendacem dixisti. Facilius enim est, solem non calefacere nec lucere, quam Christianum non lucere; facilius est, lucem esse tenebras, quam hoc fieri. Ne dicas, rem esse impossibilem: nam contrarium est impossibile. Ne Deum contumelia afficias. Si nostra recte componamus, illa omnino erunt, et quasi res quæpiam naturalis sequentur. Non potest latere lux Christiani: non potest occultari tam fulgida lampas. Ne itaque ignavi simus. Sicut enim virtutis lucrum et in nos et in eos, qui illa juvantur, transit: sic et a malitia duplex detrimentum et in nos et in eos, qui læduntur, pertransit. Sit quispiam, si vis, idiota, qui a quopiam innumera patiatur mala, nemoque illum ulciscatur, sed et beneficia præstet: qua doctrina, quibus verbis, quot admonitionibus non est hoc fortius? quem furorem non exstinguere, non mitigare valeat? Hæc ergo cum sciamus, virtuti hæreamus, cum non possimus alio modo salutem consequi, nisi in hisce bonis operibus vitam præsentem emensi fuerimus, ut futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

Cap. 9. v. 26. *Cum autem venisset Paulus in Jerusalem, tentabat se jungere discipulis: et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus.* 27. *Barnabas autem apprehensum illum duxit ad apostolos, et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum.*

1. *Pauli dicta conciliantur.*—Jure hic dubii quæramus, quomodo in Epistola ad Galatas dicatur: *Non abii Jerosolymam, sed in Arabiam et Damascum; et post tres annos ascendi Jerosolymam videre Petrum; et neminem apostolorum vidi* (*Gal.* 1. 17-19): hic vero contra dicatur, Barnabam ipsum duxisse ad apostolos. Vel hoc igitur vult dicere: Non abii, ut ibi manerem; ibi namque dicit, *Non adhæsi carni et sanguini* (*Ibid.* v. 16); neque abii Jerosolymam ad antecessores meos apostolos: vel alio modo: quia insidiæ illæ Damasci post iter in Arabiam fuere, ac deinde ascendit, postquam isthinc redierat. Ipse igitur non abiit ad apostolos, sed discipulis hærere satagebat, utpote qui nondum doctor, sed discipulus esset. Ergo non ideo ascendit, ut antecessores suos adiret: neque enim quidpiam ab illis didicit. Vel de hoc ascensu non dicit, sed omittit illum; adeo ut res ita se habeat: Abiit in Arabiam, deinde venit Damascum, postea Jerosolymam, hinc in Syriam. Vel si non ita est, sic res se habuit: Ascendit Jerosolymam, hinc in Damascum missus est, deinde in Syriam, deinde rursus Damascum, postea Cæsaream, et tunc per quatuordecim annos, forte quando fratres adduxit cum Barnaba. Vel si non hoc, aliud dicit tempus. Nam historiographus multum compendio studet, et multa tempora congerit. Vide quam non sit ambitiosus, neque narret visionem illam, sed transcurrat. Rursus sic incipit et ait: *Cum autem venisset in Jerusalem, tentabat se jungere discipulis: illi vero timebant eum.* Et hinc rursum Pauli fervor ostenditur; non ab Anania, non ab iis, qui istic mirabantur eum, sed etiam ab iis, quæ Jerosolymis acta sunt. Neque enim hoc humanæ erat exspectationis. Et vide illum non apostolos adire præ modestia, sed discipulos, utpote qui discipulus esset: nondum enim fidus esse putabatur. *Barnabas autem apprehensum illum duxit ad apostolos, et narravit illis, quomodo in via vidisset Dominum.* Barnabas hic mitis et mansuetus homo erat. Nomen autem ejus filium consolationis significat: unde et amicus Paulo fuit. Quod autem valde mitis esset et accessu facilis, et ex hoc, et ex iis quæ circa Joannem acta sunt, liquet. Unde hic non metuit, sed narrat, quomodo in via viderit Dominum, et quod loquutus sit illi, ac quomodo Damasci libere egerit in nomine Domini Jesu. Verisimile enim est illum Damasci audivisse de illo. Ideo hæc ad illa præparant, dum ille operibus dicta confirmat. 28. *Et erat cum illis intrans et exiens in Jerusalem, et fiducialiter agens in nomine Jesu.* 29. *Loquebatur quoque et disputabat cum Græcis.* Quia discipuli metuebant illum, apostoli vero non illi confidebant: ideo hinc illorum metum solvit. *Loquebatur*, inquit, *et disputabat cum Græcis.* Hic Græcos vocat eos, qui Græce loquebantur: et hoc admodum sapienter. Illi enim alii Hæbræi ne videre quidem illum volebant. *Illi autem quærebant occidere eum.* Vehementiæ ac perfectæ victoriæ hoc signum erat, et quod illi hac de re multum dolerent. 30. *Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream.* Præ timore hoc faciunt: timentes enim ne idipsum accideret, quod Stephano, deducunt

Cæsaream. *Et miserunt Tarsum.* Etsi propter timorem, mittunt tamen, ut prædicet, et in tuto sit, utpote in patria sua. Vide autem, quomodo non omnia per gratiam fiant, sed permittat Deus, ut multa ex sapientia sua et humano more dispensent. Si autem in ipso factum est hoc, multo magis in illis. Permittit ergo, ut ignavorum obtentum auferat. 31. *Ecclesiæ quidem per totam Judæam et Samariam pacem habebant, et ædificabantur, ibantque in timore Domini, et consolatione Spiritus sancti replebantur.* Dicturus est de Petri discessu ad sanctos. Ne quis ergo putaret id ex metu provenisse, primo narrat ut se haberent Ecclesiæ; ostendens ipsum persequutionis tempore Jerosolymæ mansisse : cum autem in tuto erant ubique Ecclesiæ, tunc Jerosolymam reliquisse; adeo fervens et alacer erat. Non enim quia pax erat, putabat non opus esse suo adventu. Et cur, inquies, id facit, venitque pacis tempore, et postquam Paulus abierat? Quia illos maxime venerabantur [1], utpote qui sæpe adessent, et multitudini mirabiles; illum vero contemnebant, et in eum magis exasperabantur.

2. *Petrus quasi dux circuibat ordines.* — Vidistin' quomodo pax bellum sequuta sit? imo vidistin' quid fecerit bellum illud? Dispersit pacificos illos. In Samaria pudore suffusus est Simon : in Judæa Sapphiræ casus accidit. Non ergo quia pax erat, remissæ res erant; sed talis erat pax, quæ consolatione haberet opus. 32. *Factum est autem, ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret ad sanctos, qui habitabant Lyddæ.* Quasi dux circuibat, ordines considerans, quæ pars esset coadunata, quæ ornata, quæ sua præsentia egeret. Vide illum ubique circumcursantem, et primum inventum. Ubi eligendus erat apostolus, hic primus fuit; cum dicendum erat Judæis non esse ebrios apostolos, cum claudus sanandus fuit, quando concionandum erat, hic ante alios erat; quando agendum cum præfectis, quando cum Anania, cum ex umbra sanationes fierent. Ubi periculum est, hic adest, et ubi quædam dispensanda sunt : ubi vero tranquillæ res sunt, in communi omnes; adeo non appetit majorem honorem. Rursum cum miracula edere oportebat, ille prosiliebat : et hic iterum ipse per se laborat, et iter agit. 33. *Invenit autem ibi hominem quemdam nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus :* 34. *et ait illi Petrus : Ænea, sanat te Jesus Christus : surge, et sterne tibi. Et statim surrexit.* Et cur non exspectavit viri fidem, nec interrogavit an curari vellet? Sane quia ad multorum consolationem factum est miraculum. Itaque audi quantum lucrum : subjungit enim dicens : 35. *Et viderunt omnes, qui habitabant Lyddæ et Assaroni, qui conversi sunt ad Dominum.* Bene sic dixit : insignis enim erat vir; argumentumque dat signi, quod tollat grabatum. Non solum enim a morbis liberaverunt, sed etiam cum sanitate vires præstiterunt. Alioquin autem nondum virtutis suæ signa dederant; ita ut merito non exigeretur a viro fides, quandoquidem non exegerunt a claudo. Quemadmodum igitur et Christus initio signorum fidem non exigebat : sic neque isti. Jerosolymis enim fides merito prius exigebatur : unde et propter fidem, quotquot morbis detinebantur, in viis exponebantur, ut venientis Petri saltem umbra quempiam illorum obumbraret. Multa enim illic signa edebantur; hic autem hoc primum contigit. Nam signa alia ad alios alliciendos edebantur, alia ad credentium consolationem. 36. *In Joppe autem fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ si interpretetur, dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, et eleemosynis, quas faciebat.* 37. *Factum est autem in diebus illis ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo.* 38. *Cum autem prope esset Lydda ad Joppen, discipuli audientes, quod Petrus esset in ea, miserunt duos viros, rogantes, ne differret venire usque ad ipsos.* Cur exspectarunt donec moreretur? cur non ante rogatus fuit Petrus? Indignum putantes tunc, cum philosopharentur, discipulos ad res hujusmodi gravare, et a prædicatione abstrahere. Nam ideo dicit prope fuisse, ut ostendat illos quasi rem occasione oblata petiisse (discipula enim erat), non autem præcipuo loco. 39. *Exsurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum advenisset duxerunt illum in cœnaculum.* Non rogant, sed rem illi permittunt, ut ex seipso vitam illi largiatur. Ita hic impletur illud, *Eleemosyna liberat a morte* (*Tob.* 12. 9). *Et circumsteterunt illum omnes viduæ, flentes et ostendentes ei tunicas et vestes, quas faciebat Dorcas, cum esset cum illis.* Ducunt Petrum eo, ubi erat mortua exposita; forte putantes, illi quidpiam ad philosophiam exhibere. Viden' quanta accessio facta sit? Nec sine causa nomen mulieris profertur, sed ut ostendatur nominis cum vita consonantia; ita nempe vigil et expedita erat, ut dorcas sive caprea. Multa quippe nomina cum ratione dantur, ut sæpe vobis diximus. *Plena*, inquit, *erat bonis operibus, et eleemosynis, quas faciebat.* Magnum mulieris encomium, siquidem utraque sic faciebat, ut utrisque plena esset. Palam autem est, illam prius bonorum operum, deinde eleemosynarum curam habuisse. *Quæ faciebat*, inquit, *Dorcas cum illis versans.* Multa humilitas. Non enim sicut nos; sed simul omnes erant, magnam eleemosynæ curam habentes. 40. *Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit : et conversus ad corpus, dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, et viso Petro resedit.* Cur omnes ejicit? Ne lacrymis conturbetur et moveatur. *Et positis genibus oravit.* Hoc erat intensæ orationis indicium. 41. *Dans autem ei manum*, inquit. Hic singillatim ostendit vitam, deindeque virtutem inductam, aliam verbo, aliam manu. *Dans autem ei manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos et viduas, assignavit eam vivam*, aliis ad consolationem, quod sororem acciperent et miraculum viderent; viduis vero ad patrocinium. 42. *Notum autem factum est per universam Joppen, et crediderunt multi in Domino.* 43. *Factum est autem, ut per multos dies maneret in Joppe apud Simonem quemdam coriarium.*

[1] Unus Cod. habet... *suo adventu. Abierat Paulus eratque pax, nec jam bellum aut turbatio. Illos maxime venerabantur*, etc.

3. *Petri mansuetudo et modestia.* — Vide modestiam et mansuetudinem Petri, quomodo non apud illam, neque apud alium quempiam insignem maneat, sed apud coriarium, per omnia ad humilitatem inducens, non sinens viliores erubescere, nec majores extolli: qui etiam ideo transeundum esse putavit, quod fideles doctrina sua egerent. Igitur superius dicta repetamus. *Tentabat*, inquit, *se jungere discipulis*. Non impudenter accessit, sed modeste. Discipulos autem vocat etiam eos, qui non erant in choro duodecim illorum: quia tunc omnes ob virtutis excellentiam discipuli vocabantur: manifesta enim erat illorum imago. *Et omnes timebant eum*, inquit. Vide, quomodo adhuc pericula metuerent, quomodo adhuc timor vigeret. *Barnabas autem apprehensum illum duxit ad apostolos, et narravit illis*. Videtur autem ipsi Barnabas antea fuisse amicus, ideoque narrat omnia, quæ ad ipsum spectabant. Nihil autem horum ille dicit: puto nec ad alios postea extulisse, nisi quædam fuerit necessitas. *Et erat cum illis intrans in Jerusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini Jesu*. Hoc et aliis dabat fiduciam. Vides et hic et illic alios providentes et curantes ut ille abiret, cum nondum Dei gratiam accepisset? Itaque sic illius fervor ostenditur. Neque jam videtur mihi ille per terram iter habere; sed deinde navigabat: Hoc quoque fit per dispensationem, ut ibi etiam prædicaret. Ideo igitur insidiæ contigere, et iter Jerosolymam per dispensationem, ut ne ultra suspectus esset. *Loquebatur autem et disputabat cum Græcis. Et Ecclesiæ*, inquit, *habebant pacem, ædificabantur et ambulabant in timore Domini*; id est, crescebant, et pacem, veram utique pacem, inter se habebant. Merito, nam valde afflixerat illos externum bellum. *Et consolatione sancti Spiritus replebantur*. Consolabatur illos Spiritus sanctus, et per miracula et per opera: ad hæc vero, idipsum singulis inerat. *Factum est autem ut Petrus dum pertransiret, perveniret ad Lyddam. Invenit autem ibi hominem decumbentem, et dixit illi: Ænea, sanat te Jesus Christus*. Non ostentantis dictum est, sed fidentis rem esse futuram. Mihi vero prorsus videtur ægrum huic credidisse verbo, et sanum factum fuisse. Quod autem sine fastu esset, ex sequentibus palam est. Non enim dixit, In nomine Jesu, sed ut signum, magis hoc enarrat. *Viderunt autem qui habitabant Lyddam, et conversi sunt ad Dominum*. Itaque non frustra dixi miracula facta fuisse ad persuasionem et consolationem. *In Joppe autem erat quædam discipula*, inquit, *nomine Tabitha. Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur*. Vides ubique signa edita? Non simpliciter mortua est Tabitha, sed in infirmitatem lapsa. Ideo Petrum non vocarunt donec illa mortua esset. *Audientes autem discipuli miserunt rogantes, ne pigritaretur transire ad eos*. Vide, per alios mittunt et vocant. Ille vero obtemperat et venit; nec contumeliæ loco habet quod vocetur: ita magnum est tribulatio bonum, quod animas nostras copulet. Nullus ibi luctus, planctus nullus. *Quam cum lavassent, posuerunt in cœnaculo*; id est, omnia fecere quæ mortuo competebant. *Exsurgens vero Petrus, venit cum illis. Et cum ascendisset in cœnaculum, positis genibus oravit, et conversus ad corpus dixit: Tabitha, surge*. Non omnia permittit Deus signa cum eadem facilitate fieri. Hoc autem illis proderat. Non enim tantum aliorum salutem curabat, sed etiam ipsorum. Qui ergo umbra sua tot homines curabat, nunc tot tantaque facit ad illam excitandam. Interdum etiam fides accedentium cooperabatur. Hanc ergo primam mortuam suscitat, nomine vocans: quæ quasi ex somno expergefacta, primum aperuit oculos, deinde statim videns Petrum, sedit, demumque a tactu manus firmatur. Tu vero mihi lucrum considera, quomodo iterum fructus sit non ad ostentationem. Ideo sane omnes foras ejicit, in hoc Magistrum imitatus. Ubi enim lacrymæ sunt, non oportet tantum mysterium perfici: imo ubi sunt miracula, non decet esse lacrymas. Audite, quæso, etsi non quid simile jam fiat, tamen nunc etiam in mortuis magnum mysterium perficitur. Dic autem mihi: si nobis sedentibus Imperator quempiam in regiam vocaret, an flendum et lugendum esset? Angeli adsunt de cælo missi, indeque venientes, ab ipso Rege missi, ut conservum suum vocent, et tu ploras? Nescis quale sit mysterium illud, quam horrendum, quam tremendum, ac vere hymnis gaudioque dignum[1]?

4. Vis discere hoc non esse tempus lacrymarum? Dei sapientiæ maximum hoc est mysterium. Anima quippe ceu domum quampiam deserens, pergit ad Dominum suum; tu vero luges? Hoc ergo cum puer nascitur facere oporteret: nam hic partus illo melior est. Pergit enim ad aliam lucem, solvitur quasi ex vinculis carceris, quasi ex agone quodam egreditur. Etiam, inquies, id de probis recte dicis. Et quid hoc ad te, o homo? tu enim erga probos non hoc agis. Dic vero mihi, quid in parvulo infante reprehendendum habes? cur luges illum? cur recens illuminatum? nam et ille ejusdem conditionis est. Cur ergo luges illum? nescis quod sicut sol purus ascendit, ita et anima cum bona conscientia corpus relinquens, splendide fulget? Non cum tanto silentio videas Imperatorem venientem in civitatem, quanto animam corpus relinquentem, et cum angelis abeuntem. Cogita quæ sit tunc anima, in quo stupore, in qua admiratione, in qua voluptate. Cur, quæso, luges? num in peccatoribus tantum hoc facis? Utinam sic esset, non luctum prohiberem: utinam talis esset scopus. Hic luctus apostolicus, hic etiam Dominicus est: ploravit enim Jesus Jerosolymam. Vellem hac lege discerni luctus. Quando autem revocatus verba obtendis, consuetudinem, curam; non ea de causa luges, sed obtentum profers. Luge peccatorem, et ego lacrymas fundam; imo tanto magis quam tu, quanto majore ille supplicio obnoxius est: ego quoque hunc habens scopum, lugebo. Talem mortuum non te solum, sed totam civitatem lugere oportet, necnon omnes occurrentes, nempe quasi eos, qui ad mortem ducuntur. Vere namque hæc mala mors est, mors peccatorum. Sed res sus deque versæ sunt. Hic

[1] Unus Cod. habet, *hymnis laudibusque dignum*.

luctus et philosophicus est et doctrinam habet multam; ille vero ex pusillanimitate proficiscitur. Si ita lugeremus omnes, illos viventes emendassemus. Quemadmodum si posses pharmaca adhibere, quæ mortem illam corporalem arcerent, adhiberes utique: ita et nunc, si hanc lugeres mortem, et a te et ab illo eam ipsam arceres. Nunc autem ænigma est quod accidit, quod cum possimus impedire quominus mors illa accidat, non impediamus; sed cum accidit, lugeamus. Vere lacrymis digni sunt: cum adstabunt ante tribunal Christi, qualia verba audient, qualia patientur? Frustra vixerunt hi, imo non frustra, sed in malum. De illis dicere par est: Bonum erat illis, si nati non fuissent (*Marc*. 14. 21). Quæ utilitas, quæso, tantum insumere tempus in capitis sui malum? Si frustra solum insumptum fuisset, non tantum fuisset damnum. Dic mihi, si quis mercenarius viginti annos frustra perdat, annon plorabit et flebit, omniumque miserrimus esse videbitur? At hic totam vitam suam frustra perdidit, neque vel uno die sibi vixit, sed deliciis, luxuriæ, avaritiæ, peccato, diabolo. Annon, quæso, hunc lugebimus? annon conabimur a periculis eruere? Possumus, certe possumus, si velimus, ejus supplicium levius efficere. Si frequenter orationes pro illo fundamus, si eleemosynam demus; etiamsi ille indignus sit, nos Deus exaudiet. Si propter Paulum alios servavit, et propter alios parcit, cur non idipsum propter nos etiam faciet? Ex illius pecuniis, ex tuis, unde volueris, juva: instilla oleum, imo aquam. Non potest eleemosynas proprias exhibere? Saltem cognatorum exhibeat. Non potest a se factas? Saltem pro se factas. Sic cum fiducia ipsum tunc deprecabitur uxor, pretium redemptionis pro illo deponens. Quo pluribus fuit peccatis obnoxius, eo magis opus habet eleemosyna. Neque vero propter hoc tantum, sed quia non parem nunc vim habet, imo multo minorem. Non par enim res est, ipsum quædam facere, et alium pro ipso. Cum itaque minor sit, per copiam faciamus illam majorem.

Eleemosynæ prosunt defunctis. — Ne circa monumenta, ne circa sepulcralia operam demus. Patrocinare viduis, hoc sepulcrale officium est maximum. Dic nomen: omnes illas jube pro ipso preces et supplicationes emittere: hoc Deum placabit; etiamsi non per illum, at propter illum alius auctor sit eleemosynæ. Et hoc argumentum est divinæ clementiæ. Viduæ circumstantes et lacrymantes, non a præsente, sed a futura morte possunt eruere. Multi ab eleemosynis aliorum pro se factis adjuti sunt. Si enim non omnino sint liberati, saltem aliquam invenerunt consolationem. Nam si hoc non esset, quomodo pueruli servarentur? siquidem nihil illi afferunt, sed totum parentes; et mulieribus donati sunt sæpe pueri, qui nihil ad illud intulerunt. Multas Deus nobis salutis dedit vias, modo non negligamus.

4. Quid ergo, inquies, si quis pauper sit? Rursus dicam: Eleemosynæ copia non ex datis pensatur modo, sed etiam ex proposito. Tantum ne des minus, quam facultates ferant, et totum solvisti. Quid ergo, inquies, si solus sit et peregrinus, neminemque habeat? Cur, quæso, neminem habet? Hoc ipso ille pœnas dat, quod neminem sic amicum, sic virtute præditum habeat. Itaque hoc ita se habet, ut si nos virtute præditi non simus, curemus saltem virtute præditos amicos habere, uxoremque item et filium, ut fructum quemdam per illos percipiamus; parvum quidem, sed tamen percipiamus. Si cures piam, non divitem, ducere uxorem [1], hac frueris consolatione: similiterque si cures filium non opulentum, sed pium relinquere, si filiam castam, hac item frueris consolatione. Si hæc cures, tu quoque talis eris. Et hæc pars virtutis est, tales eligere amicos, uxorem, filios.

Oblationes pro defunctis. — Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ: hæc omnia Spiritus disposuit, volens ut nos mutuo juvemus. Vide namque: ille per te utilitatem accipit, tu propter illum juvaris: contempsisti opes, inductus ad quid generose præstandum; et tu ipsi salutis, et ille tibi eleemosynæ auctor fuit. Ne dubites, ipsum quid boni decerpturum esse. Non frustra clamat diaconus: Pro iis qui in Christo defuncti sunt, et pro iis qui illorum memoriam faciunt: non diaconus hanc emittit vocem, sed Spiritus sanctus; dico autem donum ejus. Quid dicis? In manibus est hostia, et omnia parata prostant: adsunt angeli, archangeli; adest Filius Dei; cum tanto horrore adstant omnes; adstant illi clamantes omnibus silentibus: et putas hæc frustra fieri? Ergo et alia frustra, et quæ pro Ecclesia, et quæ pro sacerdotibus offeruntur, et quæ pro plenitudine (*a*)? Absit; sed omnia cum fide fiunt. Quid putas pro martyribus offerri, quod vocentur in illa hora? Licet martyres sint, etiam pro martyribus, magnus honor nominari Domino præsente, dum mors illa perficitur, horrendum sacrificium, ineffabilia mysteria. Quemadmodum enim sedente Imperatore, quæcumque voluerit quispiam, perficit; ubi autem surrexerit, quæcumque dixerit, frustra dicit: ita et tunc, quamdiu prostant mysteria, omnibus honor maximus est in memoria haberi. Vide enim: annuntiatur tunc mysterium horrendum, quod pro mundo seipsum Deus dederit: cum miraculo illo opportune memorat ille eos, qui peccaverunt. Sicut enim quando triumphalia regum ducuntur, tunc celebrantur etiam quotquot victoriæ socii fuerunt; dimittuntur etiam ii, qui in vinculis sunt, ob temporis celebritatem; elapso autem tempore, qui nihil assequutus est, nullo fruitur: ita sane hic, triumphalium tempus est. Nam ait, *Quotiescumque manducatis panem hunc, mortem Domini annuntiatis* (1. *Cor*. 11. 26). Itaque ne utcumque accedamus, nec temere hæc fieri putemus. Alioquin autem martyres memoramus, et hoc in fidem, quod jam Dominus mortuus non sit; et hoc signum est mortuam

[1] Alius habet, *si cures non divitem sed piam et gravem ducere uxorem*.

(*a*) Dounæus opinatur hæc ad liturgiæ particulam spectare. Quid si dicamus, hæc ad Ecclesiæ plenitudinem referri, quæ etiam vocatur plenitudo sanctorum, qui sancti in hac vita precibus egent.

esse mortem, quod ille mortuus fuerit. Hæc cum sciamus, consideremus quantas possumus consolationes defunctis conferre, vice lacrymarum, vice fletuum, vice monumentorum, eleemosynas nempe, orationes, oblationes; ut et illi et nos promissa consequamur bona, gratia et benignitate unigeniti Filii, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXII.

Cap. 10. v. 1. *Vir autem quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius, centurio ex cohorte, quæ vocatur Italica,* 2. *religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper :* 3. *is vidit in visu manifeste quasi hora diei nona, angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi, Corneli.* 4. *At ille intuens eum, timore correptus dixit : Quid est, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.*

1. Hic non erat Judæus, nec vivebat secundum legem; sed jam præoccupaverat institutum vitæ nostrum. Et vide duos credentes, eunuchum in Gaza, et hunc, ambos in dignitatibus constitutos, magnamque de illis habitam curam. Sed ne putes ob dignitates. Non ea de causa, absit; sed propter pietatem. Ideo dignitates positæ sunt, ut major pietas eluceret. Mirabilius quippe est, cum quis in divitiis et potentia constitutus, talis fuerit. Certe magna illius laus est, quod tantam peregrinationem susciperet, nec tali tempore in via lectionem intermitteret, et quod curru vectus Philippum advocaret, multaque alia : magnum etiam in hoc est, quod eleemosynas et preces emitteret, et in tanto principatu pius esset. Unde et ab hoc illum notum facit : et merito, ut ne quis diceret mentiri Scripturarum historiam. *Ex cohorte*, inquit, *quæ vocabatur Italica.* Cohors (*a*) erat, id quod nunc vocamus numerum. *Pius ac timens Deum cum omni domo sua.* Hæc dicit, ne putes ob dignitatem ejus sic dispensatum fuisse. Quando Paulum adduci oportebat, non angelus, sed ipse Dominus apparet; neque mittit eum ad aliquam ex duodecim illis, sed ad Ananiam. Hic vero contra, coryphæum mittit, ut Philippum ad eunuchum, illorum infirmitati se attemperans, docensque quomodo talibus uti oporteat. Nam et Christus sæpe apparet iis, qui mala patiuntur, nec possunt per se accedere. Vide autem et hic, quæso, aliud eleemosynæ encomium; ut et illic in Tabitha. *Vir pius*, inquit, *et timens Deum cum omni domo sua.* Audiamus quotquot domesticos nihil curamus. Hic autem et militum curam gerebat, et eleemosynam erogabat omni populo. Sic et dogmata et vita illius recta fuerunt. *Vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi, Corneli.* Quare videt angelum? Ut certior fieret Petrus; imo non ille, sed alii infirmiores. *Nona* autem *hora*, quando curis liber in quiete erat, cum in orationibus et in compunctione versabatur. *Intuens autem illum, timore correptus, dixit.* Vide angelum non statim dicentem quæ dicturus erat, sed prius solventem metum, et mentem ejus erigentem. Nam ex visu metus fuit; sed metus moderatus, qui illum intentum redderet tantum. Deinde verba metum solverunt, imo potius laudes illis adjunctæ timoris asperitatem mitigarunt. Audi vero quæ verba : *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* 5. *Nunc ergo mitte viros in Joppen, et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus.* Ne ad alium veniant, non a cognomine tantum, sed etiam a loco virum denotat. 6. *Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare.* Vidistin' quomodo apostoli, solitudinis et quietis amantes, remotiores urbium partes sectarentur? Quid igitur, si contigisset alium esse Simonem et ipsum coriarium? Sed et aliam notam habebat, quod habitaret juxta mare : tria autem illa non concurrere poterant. Nec dixit, quare, ne resolutum redderet; sed dimisit, ut audiendi desiderio teneretur? 7. *Et cum discessisset angelus, qui loquebatur Cornelio, vocavit duos domesticos suos, et militem metuentem Dominum, ex iis qui illi parebant.* 8. *Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Joppen.* Viden' illum hæc non sine causa dicere, sed ut ostenderet eos, qui parebant illi, tales fuisse? *Et cum narrasset illis omnia*, inquit. Vide quam alienus sit a fastu. Non dixit, Vocate mihi Petrum; sed ut suaderet, narravit omnia : sic rem ille provide agebat. Non enim voluit ex auctoritate illum accersere : ideo narrat. Usque adeo modestus erat homo, etiamsi nihil magnum cogitari posset de viro apud coriarium diversante. 9. *Postera autem die, iter illis facientibus, et appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora circa horam sextam.* Vide quomodo Spiritus tempora connectat, ac neque citius neque tardius rem faciat. *Ascendit*, inquit, *Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam :* hoc est, seorsum et in quiete, quasi in cœnaculo. 10. *Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus, et vidit cælum apertum.* Quid est mentis excessus? Spiritualis, inquit, contemplatio accidit illi : ex corpore, ut ita dicam, excessit anima. 11. *Et vidit cælum apertum, et descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram :* 12. *in quo erant omnia quadrupedia terræ, et bestiæ et serpentia et volatilia cæli.* 13. *Et facta est vox ad eum : Surge, Petre, occide, et manduca.* 14. *Ait autem Petrus : Absit, Domine, quia numquam manducavi omne commune et immundum.* 15. *Et vox iterum secundo ad eum : Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* 16. *Hoc autem factum est usque tertio; et statim receptum est vas in cælum.*

2. Quid hoc est? Symbolum totius orbis res est.

(*a*) In Græco legitur, σπεῖρα, quod ad literam redderetur, *spira*. Porro spira et cohors apud Polybium differunt. Græci cohortem λόχον dicunt, cujus ductor λοχαγός; et sunt fortasse quingenti milites. Polyb. l. 6 : καὶ τὸ μὲν μέρος ἕκαστον ἐκάλεσε καὶ τάγμα, καὶ σπεῖραν, καὶ σημεῖον. Casaubon. *Ac singulas partes appellavit ordinem, manipulum, signum.*

Homo incircumcisus erat, nihilque commune habebat cum Judæis. Quia igitur omnes illum ut transgressorem accusaturi erant, et illis admodum cordi erat : necessario ille sic rem temperavit ut diceret : *Numquam comedi ;* non quod timeret, absit ; sed a Spiritu, ut dixi, sic dispositus fuit, ut defensionem haberet contra eos, qui se accusarent, quod restitisset : magna enim cura illis erat, ut lex servaretur. Ad gentes mittebatur. Ne igitur hi etiam illum accusarent, ut dixi, hæc ita dispensata sunt : aut ne videretur phantasia quædam esse, dixit : *Absit, Domine, quia numquam manducavi commune aut immundum.* Facta est autem vox ad illum : *Quæ Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Hoc videtur quidem ad illum dici, totum vero Judæis dicitur. Nam si Magister increpatur, multo magis hi. Linteum ergo est terra; feræ autem in illa gentiles ; illud vero, *Occide et manduca*, significat illos accedere debere ; quod vero ter fiat, id baptismum significat. *Absit, Domine, numquam manducavi commune aut immundum.* Et cur, inquies, contradixit ? Ne quis diceret, Deum tentavisse illum, sicut Abrahamum, cum jussus est filium hostiam offerre ; sicut et Philippum, quando rogavit Christus, *Quot panes habetis ?* interrogavit, non ut disceret, sed tentans illum. Atqui in lege de mundis et immundis distincte præceperat Moyses, tam in terra, quam in mari : attamen neque sic sciebat. 17. *Cum autem apud se dubitaret Petrus : quæ esset visio, quam viderat : et ecce viri, qui missi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis, adstiterunt ad januam.* 18. *Et cum vocassent, interrogabant si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium.* Mirante in semetipso et dubitante Petro, veniunt opportune viri, qui dubitationem solvant : siquidem et Josephum dubitare permisit, et tunc archangelum misit (*Matth.* 2. 13). Facile namque anima solutionem accipit, quæ prius dubitavit. Non diu ergo, neque antea dubitavit, sed circa tempus prandii. 19. *Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei : Ecce viri quærunt te.* 20. *Surge itaque, descende, et vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi eos.* Hæc item alia est defensio Petri ad discipulos ; ut discant et dubitatum fuisse, et ipsum didicisse nihil esse dubitandum. *Quia ego*, inquit, *misi illos.* Vide quanta sit Spiritus potestas. Quod autem facit Deus, illud dicitur Spiritus facere. Angelus vero non ita ; sed cum prius dixisset, *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ*, tunc ait, *Mitte*, ut ostendat isthinc missum fuisse : Spiritus vero, quia Dominus est, *Ego illos misi.* 21. *Descendens autem Petrus ad viros, dixit : Ecce ego sum, quem quæritis ; quæ causa est, propter quam venistis ?* 22. *Qui dixerunt : Cornelius centurio, vir justus et timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Judæorum, responsum accepit ab angelo sancto accersere te in domum suam, et audire verba abs te.* Laudes proferunt, ut suadeant quod angelus apparuerit ei. 23. *Introducens ergo eos, recepit hospitio.* Viden', unde fiat initium gentium ? A viro pio qui ab operibus dignus visus est. Nam si vel re ita gesta offenduntur Judæi : si res non fuisset, quid non dicturi erant ? *Introducens*, inquit, *illos recepit hospitio.* Vide quanta securitas. Ne quid illis grave accidat ipsos introducit, et fidenter cum illis victitat. *Sequenti autem die Petrus surgens profectus est cum illis, et quidam ex fratribus ab Joppe comitati sunt eum.* 24. *Altera autem die introierunt Cæsaream.* Insignis vir erat, ut in insigni urbe versans. Quare in illo omnia simul dispensantur, atque a Judæa res incipit ; velut quod non dormienti, sed vigilanti, atque quod interdiu res accidat ; circa nonam enim horam : ita sibi ipsi attendebat. Sed superius dicta repetamus. *Et dixit angelus : Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Hinc palam est, angelum emissa voce illum appellavisse, atque ita vidit illum. Quod si non vocasset, non utique vidisset : ita intentus erat rei, quam agebat. *Et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus.* Interim quod ad utilia illum vocaturus sit, declarat ; ad quæ vero utilia, nondum. Sic neque Petrus totum declarat ; sed ubique sunt succisæ narrationes, ut audientes excitent. Sic et Philippum solum vocat in solitudinem. *Ascendit autem Petrus ad superiora, ut oraret circa horam sextam. Et cecidit super eum mentis excessus, et vidit vas quoddam velut linteum.* Perpende, quomodo neque fames coegit eum currere ad sindonem. Ne vero magis hæsitaret Petrus, audit vocem dicentem : *Surgens, Petre, macta et manduca.* Forte in genua procumbens vidit visionem : videtur mihi propter prædicationem illam vidisse. Quod vero divinum esset id, quod videbat, hinc manifestum est, quod illud superne descenderet, tum etiam, quod ipse in excessu mentis esset : itemque quod vox inde ferretur, quod illud ter fieret, quod cælum aperiretur, quod illud inde veniret, et illuc arriperetur, magnum erat indicium rem esse prorsus divinam.

3. Cur vero sic res agitur ? Propter eos, quibus postea illud narraturus erat : nam ipse jam audierat : *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* 10. 5). Et ne mireris. Si enim circumcisione et victima opus habuit Paulus ; multo magis tunc initio prædicationis, cum essent adhuc infirmiores, his opus habebant. *Et ecce*, inquit, *viri missi a Cornelio adstiterunt ad januam : et cum vocassent, interrogabant si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium.* Eo quod vilis esset domus, infra, non autem vicinos, interrogabant. *Petro autem hæc secum cogitante, dixit illi Spiritus : Surgens descende, et vade nihil hæsitans, quia ego misi eos.* Vide ; non dixit : Ideo enim visio apparuit tibi ; sed, *Ego illos misi*, ostendens sic obtemperandum esse, nec rationes esse exigendas. Satis enim erat, ut certior fieret, quod ab illo audivisset, Hoc fac, hoc loquere ; nec quid ultra quærendum erat. *Descendens autem Petrus dixit : Ecce ego sum, quem quæritis.* Cur non statim illos recipit, sed quærit ? Videbat illos esse milites : ideo non simpliciter interrogat ; sed postquam fassus est, se ipsum esse, tunc quærit adventus causam, ut ne putaretur, se ideo sciscitari, quasi vellet sese occultare. Et sciscitatur, ut si statim urgeretur, cum illis iret ; sin minus, illos hospitio excipe-

ret. Cur autem dicunt illi : *Accersit te in domum suam?* Quia sic illis præceperat. Fortasse vero, quasi rationem pro illo dantes, dicunt : Ne damnes illum; non quasi te contemnens misit, sed jussus. *Cornelius vero exspectabat illos, convocatis cognatis suis, et necessariis amicis.* Jure : neque enim justum fuisset cognatos et amicos non simul adduci : alioquin vero, illic præsentes magis audituri erant.

Eleemosynæ virtus prædicatur. — Vidistis, quanta sit eleemosynæ virtus, et in priori et in præsenti sermone? Illa a temporanea morte liberavit, hæc ab æterna : hæc et januas cæli aperuit. Vide, quanti fecerit quod credat Cornelius, ut et angelus mittatur, et Spiritus operetur, et apostolorum coryphæus advocetur, talisque appareat visio, ac nihil retro relinquatur. Quot erant centuriones, tribuni, reges, et nullus eorum eadem consequutus est. Audite omnes quotquot in exercitu estis, quotquot reges stipatis. *Pius erat*, inquit, *et timens Deum :* quodque majus, talis erat *Cum omni domo sua.* Ita erat huic rei intentus, ut non modo sua bene dispensaret, sed etiam in familia sua idipsum faceret. Non enim ut nos, qui nihil non agimus, ut nos ministri timeant; ut autem pii sint, non item. Hic vero non sic, sed cum omni domo sua Deum timebat : nec modo quasi communis pater erat omnium qui cum ipso erant, sed etiam militum suorum. Audi, quid aliud dicant : necessario enim illud additur : *Testimonium habens ab omni gente;* ne quis diceret : Quid, si incircumcisus est? Et Judæi, inquit, testificantur ei. Ergo nihil par eleemosynæ : imo tanta rei vis est, quando ex penuariis puris profunditur, ut ea, quæ ex injuste partis manant, similia sint fonti lutum emittenti; quæ vero ex juste partis, alveo limpido et puro, in paradiso mananti, qui suavis visu, suavis et tactu, quid lene et frigidum dans in meridie. Sic est et eleemosyna. Ad hunc fontem non populi arbores, non pini, non cupressi, sed plantæ illis longe meliores et proceriores sunt : amor Dei, laus hominum, gloria in Deum, benevolentia omnium, peccatorum abolitio, fiducia multa, opum contemptus, eleemosyna, per quam caritatis planta nutritur. Nihil enim sic caritatem alere solet, ut si quis misericors fuerit. Hæc ramos in altum erigit : hic melior fons est illo, qui in paradiso erat, non in quatuor capita divisus, sed ad cælum ipsum pertingens : hic parit fluvium illum salientem in vitam æternam (*Joan.* 4. 14) : in hunc mors incidens, quasi scintilla absumitur a fonte : adeo hic ubicumque stillet, magna operatur bona. Hic fluvium ignis quasi scintillam exstinguit : hic vermem illum ita suffocat quasi nihilum. Qui hunc habet, non dentibus stridet. Ex aqua ista si qua stilla inciderit in vincula, scindit illa : si in fornaces inciderit, omnes exstinguit.

4. Sicut ille fons paradisi, non modo fluenta emittit, modo siccatur (alioquin jam fons non esset), sed semper scaturit : ita et fons noster semper largius fluenta affundat ad eos maxime, qui misericordia egeant, ut fons maneat. Hoc hilarem reddit eum, qui accipit : hoc eleemosyna est, si non modo rapidum fluentum emittat, sed etiam perpetuum. Si vis, quasi ex fontibus tibi Dei misericordiam impluere, et tu fontem habeto. Nihil illi par est. Si tu fontis hujus ora aperueris, fontis Dei talia erunt ora, ut abyssum omnem superent. Occasionem solum quærit a nobis accipere Deus, et profundit bona ex penuariis suis. Cum insumit, cum impendit, tunc dives est, imo opulentus. Magnum est os fontis illius : purum et limpidum ejus fluentum. Si hunc non obstruas, neque illum obstrues. Nulla infructuosa juxta illum stet arbor, ne humorem illum absumat. Habes divitias? Ne plantes illic salices : talis est enim ejus voluptas : multa insumit, et nihil in se ostendit, sed fructum perdit. Ne plantes salicem, ne pinum, nec quid simile, quod consumat et inutile sit : talis enim est vestium voluptas; visu pulchræ sunt, sed ad nihil utiles. Imple surculis : omnia fructifera plantes in manus pauperum quæcumque volueris. Nihil hac terra pinguius; quamvis parva sit manus capacitas, attamen arbor illa plantata ad usque cælum pertingit, et firma stat. Hoc est vere plantare. Nam quod in terra plantatur, si non nunc, post centum annos peribit. Cur arbores plantas, quibus non frueris; sed antequam fruaris, mors invadens te abripiet? Hæc arbor, cum mortuus fueris, tunc tibi fructum dabit. Si plantes, ne in gastrimargiæ ventre plantes, ne in secessum fructus exeat; sed planta in afflicto ventre, ut fructus ad cælum exsiliat : recrea animam pauperis in angustia versantis, ut ne latam tuam viam arctes. Non vides, quomodo arbores, quæ sine mensura rigantur, a radice corrumpantur; quæ autem cum mensura, crescant? Ita et tu ne ventrem tuum potu ingurgites, ne putrescat arboris radix : potum da sitienti, ut fructum ferat. Quæ moderate potum accipiunt, non putrefacit sol, sed quæ immoderate [1] : talis quippe est solis natura. Ubique mala est immoderatio : ideoque illam exscindamus, ut quæ petimus assequamur. In altissimis locis dicuntur fontes oriri. Ergo simus et nos animo sublimes, et eleemosyna cito manabit. Neque enim potest sublimis anima non misericors, et misericors non sublimis esse. Qui ergo pecunias despicit, radice malorum superior est. Fontes in desertis sunt ut plurimum : et nos animam ex tumultu educamus, et apud nos scaturiet eleemosyna. Fontes quanto magis purgantur, tanto uberiores sunt : ita nos quoque, quo magis insumemus, et magis bona scaturient. Qui fontem habet, non timet : si ergo et nos fontem habeamus eleemosynam, non timebimus. Hic quippe fons ad potum, ad irrigationem, ad ædificia, ad omnia nobis utilis est. Nihil hoc potu melius : nescit hic fons ebrietatem inducere : melius est talem habere fontem, quam auri fontes emittere. Omni aurifera terra melior est anima, quæ hujusmodi fert aurum. Non enim in hanc regiam, sed in supernam nobiscum concedit. Hoc aurum ornamentum est Ecclesiæ Dei : ex hoc auro efficitur gladius Spiritus, gladius per quem draco dissecatur. Ex hoc fonte pro-

[1] Codex unus habet : *Si potum moderate dederis, non putrefacit sol; si autem immoderate, putrefacit.*

deunt lapides pretiosi, qui caput regis ornant. Ne itaque negligamus tantas divitias; sed largiter eleemosynam inferamus, ut Dei benignitate dignemur, gratia et miserationibus unigeniti ejus Filii, cui omnis gloria, honor et imperium una cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIII.

CAP. 10. v. 23. *Sequenti autem die*, inquit, *surgens Petrus, profectus est cum illis: et quidam ex fratribus ab Joppe cum illo venerunt Cæsaream.* 24. *Cornelius vero exspectabat illos, convocatis cognatis suis et necessariis amicis.*

1. Postquam viros hospitaliter tractavit, egreditur cum illis: recte. Prius benigne cum illis agit [1], utpote ex itinere fatigatis, sibique familiares reddit, demumque una proficiscitur. *Sequenti autem die*, inquit, *surgens Petrus, profectus est cum illis: et quidam fratres.* Non solus, sed et alii cum illo veniunt; idque cum quadam providentia, ut postea testes essent, quando Petro opus fuit defensione. *Cornelius vero exspectabat illos, convocatis cognatis suis et necessariis amicis.* Hoc amici, hoc pii viri est, in talibus bonis amicos præ omnibus facere socios. Jure hos vocat quibus fidebat, de talibus maxime semper disserens, quæ frustra fortasse aliis exposuisset. Videntur autem mihi et amici et cognati ab ipso fuisse instituti. 25. *Cum introisset autem Petrus, obviam venit ipsi Cornelius, et procidens ad pedes ejus adoravit.* 26. *Petrus vero erexit eum, dicens: Surge; nam et ego homo sum.* Hoc facit, humilitatem suam ostendens, aliosque docens Deoque gratias agit, declaratque se, etiamsi jussus sit, ex se tamen multam habere pietatem. Quid ergo Petrus? *Surge; nam et ego homo sum.* Viden', quomodo ante omnia illos docent, ne quid magnum de se sentiant? 27. *Et loquens cum illo, intravit: et invenit multos qui convenerant,* 28. *dixitque ad illos: Vos scitis, quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi [aut accedere] ad alienigenam.* Vide, ut statim de Dei benignitate disserat, ostendatque ipsum magna illis largitum esse bona. Non hoc solum admirandum hic est, quod talia loquatur; sed et quomodo simul et magna loquatur et modeste agat. Non dixit enim: Nos qui ad neminem accedere dignamur, ad vos venimus; sed quid? *Vos scitis* (Deus hoc jussit, inquit), *iniquum esse conjungi aut accedere ad alienigenam.* Deinde ne in illo gratiam statuat, subdit: *Et mihi Deus ostendit, neminem communem aut immundum dicere hominem.* Hoc subjungit, ne videatur adulari ipsi. 29. *Propter quod sine contradictione veni accersitus.* Ne putarent, etsi res illicita esset, se utpote principi ea de causa obtemperasse, sed totum Deo imputarent, non modo conjungi, sed etiam accedere non licere dicit. *Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me.* Non ignorans interrogat: sciebat enim totum Petrus a visione edoctus: audierat etiam a militibus; sed vult illos primum confiteri, et fidei obnoxios fieri. Quid ergo Cornelius? Non dixit, Non tibi milites dixerunt? sed vide, quam mansuete et humiliter loquatur. 30. *A quarta die usque in hanc horam eram jejunans, et nona hora eram orans in domo mea: et ecce vir stetit coram me in vestitu splendido, et ait:* 31. *Corneli, exaudita est oratio tua, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nona hora,* inquit, *orans.* Quid hoc est? Videtur mihi sibi tempora constituisse accuratioris vitæ in quibusdam diebus: ideoque ait, *A quarta die.* Vide, quanta res sit oratio. Quando in pietate profecit, tunc apparet illi angelus. Hæc una dies erat; ea qua abierunt ii, qui missi erant, una; qua venerunt, rursus una; et quarta apparuit, ita ut sit secunda post eam, qua precatus est. *Et ecce vir stetit coram me in veste splendida.* Non angelum dicit; ita alienus erat a fastu. *Et ait: Corneli, exaudita est oratio tua, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* 32. *Mitte ergo in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarii juxta mare: qui ubi advenerit, loquetur tibi.* 33. *Confestim ergo misi ad te: et tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu Dei adsumus, ut audiamus omnia, quæ tibi præcepta sunt a Deo.* Ideo dixit, *Qua de causa accersistis me?* ut hæc sic verba dicat. 34. *Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quod non sit personarum acceptor Deus;* 35. *sed in omni gente, qui timet illum et operatur justitiam, acceptus illi est.* Hoc est, sive præputiatus sit, sive circumcisus. Hoc et Paulus sic declarat, *Non est personarum acceptio apud Deum* (*Rom.* 2. 11). *Nunc ergo adsumus omnes nos*, inquit, *in conspectu Dei.* Vide quanta fides, quanta pietas. Sciebat nihil humanum dicere Petrum; *Deus ostendit mihi*, dixit. Ideo et illud, *Adsumus, ut audiamus omnia, quæ tibi præcepta sunt a Deo.* Quid ergo? num acceptus est illi is, qui est in Perside? Si dignus sit, ita acceptus erit, ut fidem assequatur. Hinc etiam eunuchum ex Æthiopia non despexit. Et quid, inquies, dixeris de religiosis viris, qui despecti fuerunt? Absit, nemo religiosus despicitur. Non potest enim, non potest utique despici qui talis est. *In omni gente*, inquit, *qui timet Deum et operatur justitiam.* Justitiam vocat omnem virtutem.

2. Vides, ut deprimat illius sublimem sensum, cum dicit: *In omni gente qui timet Deum, acceptus est illi?* ac si diceret, Neminem repellit, omnes credentes admittit. Deinde, ut ne videantur inter abjectos esse, subdit: 36. *Verbum quod misit filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum: hic est omnium Dominus.* Hæc dicit in præsentium gratiam, ut illis persuadeat. Ideo curat, ut Cornelius loquatur. *Verbum*, inquit, *quod misit filiis Israel.* Vide, illis interim dat præro-

[1] In uno exemplari, his omissis verbis, *postquam viros hospitaliter tractavit, egreditur cum illis: recte,* ab his incipitur, *Prius benigne cum illis agit.* Possetque hoc initium tolerari, sed melius incipitur ab illis verbis, *postquam viros,* etc.

gativam. Deinde illos testes inducit, dicens: 37. *Vos scitis verbum, quod factum est per universam Judæam, incipiens a Galilæa, post baptisma, quod prædicavit Joannes.* Quod sic res habeat, ex sequentibus confirmat. 38. *Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute.* Non dixit, Nostis Jesum (neque enim noverant); sed quæ ab illo facta sunt, narrat. *Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo.* Hinc ostendit multas mutilationes diabolicas, et corporis labes ab illo factas. *Quoniam Deus erat cum illo.* Rursum humilia loquitur, non sine causa puto, sed propter humanitatem. 39. *Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum et Jerusalem.* Et vos, inquit, et nos. *Quem et occiderunt suspendentes in ligno.* Hic passionem prædicat. 40. *Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri,* 41. *non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum eo, postquam resurrexit a mortuis.* Hoc maximum resurrectionis argumentum est. 42. *Et præcepit nobis prædicare populo et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo, judex vivorum et mortuorum.* Magnum etiam hoc, ut fide dignos demonstret. Ipse vero testimonium inducit, dicens: 43. *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem accipere per nomen ejus omnem qui credit in illum.* Hæc prædictio est eorum, quæ post futura erant; quam confirmans, prophetas opportune testes adhibet. Sed repetamus ea, quæ de Cornelio superius dicta sunt. *Misit*, inquit, *in Joppen, ut accerseret Petrum.* Omnino venturum credidit: ideo misit. *Et loquens cum illo*, inquit, *intravit.* Quid loquens? Ea, ut puto, quæ superius dicta sunt. *Et procidens ad pedes ejus, adoravit.* Vide ubique sermonem ab adulatione alienum, et humilitate plenum. Hinc dignus ostenditur et ille eunuchus. *Præcepit*, inquit, *Philippo, ut ascenderet et sederet in curru*; etsi nesciret quis esset, nisi solum ex prophetæ commemoratione. Hic vero etiam cecidit ad pedes. Viden' mores sine fastu? Tu vero mihi considera, quomodo ostendat Petrus divinum esse suum adventum, cum dicit: *Vos scitis illicitum esse.* Et cur non statim sindonem memoravit? Quia a vana gloria erat valde alienus. Quod missus sit a Deo dicit; quomodo, non item; sed cum necesse fuit, cum dixit: *Vos scitis illicitum esse Judæo conjungi vel accedere ad alienigenam:* ita procul erat a vana gloria. *Vos scitis.* Hoc dicens, illorum sententiam in sponsionem trahit. Quid vero Cornelius? *Adsumus*, inquit, *in conspectu Dei audire omnia, quæcumque tibi præcepta sunt a Deo.* Non dixit, In conspectu hominis, sed, *Dei*, ostendens, sic accedendum esse ad Dei servos. Vidistis mentem excitatam? vidistis quam dignus esset his omnibus? *Aperiens autem*, inquit, *Petrus os suum dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.* Hoc præsentibus Judæis sui purgandi causa dicebat. Cum enim illis verbum traditurus esset, quasi defensionem præmittit. Quid ergo? num antea personarum acceptor erat? Absit: nam antea sic erat. *Omnis*, inquit, *qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus illi est.* Hoc et Paulus scribens dicit: *Cum enim gentes, quæ legem non habent, ea quæ legis sunt faciunt* (*Rom.* 2. 14). Et dogma inducit et institutionem. Nam si magos non despexit, neque Æthiopem, neque latronem, neque meretricem: multo magis operantes justitiam et volentes non contemnet. Quid ergo, si sint mansueti et mites homines qui credere nolint. Ecce tu causam dixisti: quia credere nolunt. Alioquin autem mansuetum hic dicit non mitem, sed eum, qui justitiam operatur; id est, eum, qui in omnibus beneplacitus est, qui tunc talis est, quando Deum ut par est timet. Hujusmodi vero hominem Deus solus novit. Vide quomodo hic acceptus erat: mox ut audivit, etiam obtemperavit. Et nunc, si angelus veniret, inquies, nemo est qui non crederet. Verum longe majora nunc signa sunt, quam illa: et tamen multi non credunt. Deinde doctrinam incipit, et Judæis suam servat nobilitatem. *Verbum*, inquit, *quod misit Deus filiis Israel, annuntians pacem: hic est omnium Dominus.* Primo de dominatione ejus loquitur, admodumque sublimiter, ut licebat[1]; quia cum homine sermo erat, qui jam sublimis effectus, ardenter omnia ab se tradita suscipiebat: deinde probans, quomodo omnium Dominus esset, adjicit: *Quod misit annuntians;* id est, ad bona vocans, non judicium inducens.

3. Hinc declarat, ipsum Verbum a Deo Judæis primo missum fuisse. Deinde ab iis, quæ per totam Judæam effecit, hoc demonstrat, dicens: *Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam:* et quod est mirabile, *incipiens a Galilæa, post baptisma, quod prædicavit Joannes.* Primo loquutus est de ejus præclaro opere, et tunc de ejus patria fidenter loquitur. *Jesum a Nazareth.* Ita sciebat ipsam patriam offendiculo esse. *Quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute.* Iterum probat. Ne quis enim diceret, undenam hoc manifestum est? subjungit: *Qui pertransivit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo.* Deinde cum bonis, quæ operatus est, ostendit quanta virtus ejus esset: cum enim diabolum superaverit, ingentem illam fuisse oportet. Adjicitur causa, *Quoniam Deus erat cum illo.* Ideo et Judæi ita dicebant: *Scimus, quoniam a Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere, nisi Deus fuerit cum eo* (*Joan.* 3. 2). Deinde, postquam ostendit eum a Deo missum fuisse, tunc addit eum interfectum fuisse, ne quid absurdum imagineris. Viden' illos nusquam occultare crucem, imo et modum etiam cum aliis addentes? *Quem occiderunt*, inquit, *suspendentes in ligno. Et dedit illum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo nobis.* Atqui ipse illos elegit; sed illud adscribit Deo. *Præordinatis*, inquit, Vide unde resurrectionem probet, a comedendo. Cur resurgens nullum signum fecit, sed comedit et bibit? Quia ipsa resurrectio per se magnum erat signum: hujus vero nullum majus argumentum erat, quam quod comederet et biberet. *Testificari*, inquit. Hic terribiliter loquitur, ne possent ad ignorantiam confugere. Nec dixit: Ipse est Filius Dei; sed quod

[1] Illud, *ut licebat*, deest in quibusdam Mss.

maxime illos terrebat : *Ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum*. Hinc sequitur validum argumentum a prophetis : illi enim in magna existimatione erant. *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent*. Postquam timore perculsit, tunc veniam inducit, non ab illo, sed a prophetis dictam. Et quod terribile erat, ab illo ; quod autem mitius, a prophetis proficiscebatur. Quotquot hanc remissionem consequuti estis, quotquot fidem nacti estis ; cum doni magnitudinem didiceritis, obsecro, date operam, ne Benefactorem contumelia afficiatis. Remissionem namque consequuti sumus, non ut deteriores efficiamur, sed ut multo meliores et præstantiores.

Deus non est causa malorum. — Nemo igitur dicat, Deum esse nobis causam malorum, quod non puniat, nec supplicium inferat. Dic enim mihi, si princeps quispiam captum homicidam dimiserit, an sequentium cædium auctor esse judicabitur? Minime. Et quomodo, dum impiis linguis audemus Deo contumeliam inferre, non timemus, nec exhorrescimus? Quid enim non dicent? quid non loquentur? Ipse permisit, inquiunt : oportebat enim dignos supplicio non honorare, non coronare, non primatu dignari, sed punire et ulcisci ; ille vero contra, dum illos honorat, tales ipsos efficit. Ne, quæso et oro, ne quispiam nostrum talem emittat vocem. Satius fuerit sexcenties defodi, quam Deum per nos talia audire. Dicebant illi et Judæi : *Qui destruis templum, et in tribus diebus reædificas illud, salva temetipsum*; et rursum : *Si Filius Dei es, descende de cruce* (*Matth*. 27. 40). Sed hæc illis sunt graviora. Ne itaque per nos liceat ipsum dici iniquitatis doctorem, neque ex ipsis blasphemiis supplicio obnoxii efficiamur (nam ait, *Propter vos nomen meum blasphematur in gentibus* [*Rom*. 2. 24]) : demus operam, ut contraria dicantur, dignam vocatione nostra vitam ducentes, et ad baptisma adoptionis accedentes. Vere namque magna est vis baptismi, quæ doni consortes alios ex aliis efficit : non sinit homines esse homines. Fac, ut gentilis credat magnam esse Spiritus virtutem, quæ transformet, quæ transmutet. Cur extremos halitus exspectas ut fugitivus, ut sceleratus, ut qui non debeas Deo vivere? cur ita affectus es, ac si inhumanum et crudelem haberes Dominum? quid frigidius, quid miserabilius iis, qui tunc baptisma accipiunt? Amicum te fecit Deus, et omnibus dignatus est bonis, ut et ipse ea, quæ amici sunt, exhibeas. Dic mihi, si quempiam injuriis et probris affecisses sexcentisque conviciis onerasses, et in manus ejus incidentem te ille vicissim honoraret, et suorum omnium consortem faceret, et inter amicos pro illatis injuriis te coronaret, teque ut germanum filium habere diceret, deindeque subito moreretur : annon damnum illud esse existimares? annon diceres, Vellem illum vivere, ut possem vicem reddere ac rependere, ne ingratus erga benefactorum viderer? Jam sic erga hominem affectus es ; et cum de Deo agitur, ita decedere curas, ut tot munerum datori vicem non rependas? Quin potius tunc accede, cum potes paria reddere. Cur fugis? Etiam, inquies ; sed non possum me continere. Ergo impossibilia præcepit Deus? Hinc omnia subversa sunt, hinc mundus corruptus est, quia nemo curat secundum Deum vivere. Catechumeni hoc curantes, nullam de recta vita habent sollicitudinem ; qui vero jam sunt illuminati, horum alii, quia adhuc cum pueri essent baptisma acceperunt ; alii, quia differebant et in morbo demum id acceperunt, quia nullum habebant studium vivendi secundum Deum, neque hi studiosi sunt ; qui autem bene valentes acceperunt, parum et ipsi studii exhibent, et statim ardentes effecti, postea et ipsi ignem exstinxerunt. Annon potes negotiari? an ab uxore te separo? A fornicatione secludo. Num a pecuniarum usu arceo? Ab avaritia tantum et rapina. Num cogo te, ut omnia effundas? Pauca tantum ex facultatibus egenis erogare jubeo (*Abundantia vestra*, inquit, *ad illorum inopiam* [2. *Cor*. 8. 14]):ac neque ita persuademus. Num ad jejunandum cogimus? Ebrietatem et gulam cohibemus. Illa amputamus quæ tibi turpitudinem afferunt : quæ vel ante gehennam fugienda et odio habenda esse tu ipse fateris. Num ab oblectatione et gaudio arceo? A turpi certe et indigno.

4. Quid times? quid formidas? Quid tremis? Ubi connubium, ubi opum facultas, ubi moderatus cibus, quæ peccati occasio est? Atqui exteri contraria imperant, et ipsis obtemperatur. Non enim ex iis, quæ suppetunt, exigunt ; sed dicunt, Tantum dare oportet : si paupertatem obtendas, neque sic desistunt. Christus autem non sic ; sed ait, Ex iis quæ habes dato, teque in primo ordine constituam. Rursum illi, Si vis, aiunt, clarus esse, relinque patrem, matrem, cognatos, domesticos, et in regia adesto, in labore, miseria, servitute, ærumnis sexcentisque malis : Christus vero non sic, sed, Esto domi cum uxore et liberis, et sic tua dispone, ut quiete et sine periculis vivas. Etiam, inquies, sed ille opes pollicetur? Atqui hic regnum promittit, imo et opes cum illo : nam ait : *Quærite primum regnum cælorum, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth*. 6. 33). Ille ne in augmenti quidem partem, hic vero antecedenter. *Junior fui*, inquit ; *etenim senui : et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem* (*Psal*. 36. 25). Incipiamus ergo virtutes adire, initium ponamus, illam solam suscipiamus, et videbis qualia bona. Num absque labore illa operaris, qui in his ita mollis es? Etiam, inquies, illa sine labore, hæc cum labore. Apage : non ita res est, non ita utique ; sed si vere dicamus, illa cum labore et sudore majori ; hæc vero, si velimus, facile perficiuntur.

Baptisma non differendum. — Ne resiliamus, rogo, a divinis mysteriis. Ne id spectes, quod is, qui ante te illuminatus est, improbus sit effectus et a spe sua exciderit, neu te ipso segnior fias. Nam inter milites videmus alios, qui non strenue militia funguntur, alios autem conspicuos : neque ignavis illis attendimus, sed præclaros æmulamur. Ad hæc considera, quot post baptisma angeli pro hominibus facti sint. Time incertam futuri conditionem. Ut fur noctu, sic

mors veniet (2. *Petr.* 3. 10); neque solum ut fur, sed nobis dormientibus invadet, et negligentes abripiet. Ideo Deus futurum reliquit incertum, ut semper ob incertam exspectationem in virtute degamus. Sed clemens est, inquies. Quousque frigidum illud et ridiculum dictum proferemus? Ego non modo benignum esse Deum dico, sed et nihil esse illo benignius, qui utiliter omnia nostra dispenset. Quot vides homines per omnem ætatem elephantiasi laborantes? quot a prima ætate ad senectam usque cæcos, alios postea cæcos factos, alios in paupertate, alios in vinculis, alios in metallis, alios inibi contumulatos, alios bello interemptos? Annon quæso, hæc ex benignitate proficiscuntur? annon hæc poterat impedire si voluisset? sed permisit. Etiam, inquies. Tu vero dic mihi, quare quidam non a prima ætate cæci? Non dicam, donec pollicearis mihi te illuminandum esse, et illuminatum recte vitam instituturum esse. Non licet tibi talia solvere : neque enim voluptatis gratia sermo est. Nam licet hanc solvam, alia succedet quæstio : abyssus enim quæstionum est Scriptura. Quare non solum ne assuefaciatis vos, ut solutionem quæratis, sed omnino, ut ne quæratis : alioquin numquam finis quæstionum erit. Nam si hanc solvam, mille quæstionibus viam aperiam. Unde discamus magis hoc quærere, quam quæsita solvere. Neque enim si solvamus, omnino solvimus; sed secundum humanum ratiocinium propria talium solutio fides est; scire nempe, Deum omnia juste, benigne et utiliter facere, neque posse ejus rationem comprehendi. Hæc una solutio est, neque alia melior habetur. Quæ enim, quæso, solutio est? Omnino non ultra quærere id, quod solutum est. Si hoc tibi persuadeas, nempe providentia Dei omnia administrari, qui alia permittit qua ratione ipse novit, alia autem operatur, ab omni quæstione liberatus es, et solutionis lucrum percepisti. Sed ad propositum revertamur. Quia igitur vides tot in suppliciis esse, Deumque hæc omnia permittere : valetudine corporis utere ad animæ valetudinem. Sed dices : Quid mihi opus est laboribus et miseria, cum mihi liceat omnia sine labore solvere? Hoc certe non manifestum est. Contingit enim ut non modo non sine labore solvas, sed etiam ut omnibus onustus decedas. Cæterum etiamsi hoc manifestum esset, non ferendus tamen hic sermo esset. In certamina traxit : arma posita sunt aurea. Cum oporteret illa sumere et tractare, tu vis inglorius servari, nihilque boni operari. Dic mihi, si bellum instaret, rexque adesset, et alios videres in medias phalangas se immittere, cædentes et innumeros vulneribus afficientes, aliosque in singulare certamen descendentes, alios saltantes, alios equos agitantes, a rege laudari, in admiratione haberi, plausibus excipi, coronari; alios contra, qui optarent nihil mali pati, et ultimos tenerent ordines : deindeque soluto bello, alios vocari, magnis muneribus excipi, et celebrari; illorum vero ne nomen quidem proferri, sed unam salutem accipere bonorum mercedem : ex utrorum numero esse velles? Etiamsi lapideus esses, etiamsi insensibilibus et inanimatis ignavior; annon millies optares ex illorum numero esse? Etiam oro et obsecro. Etiamsi enim pugnantem cadere oporteret, annon illud strenue erat eligendum? Non vides eos, qui in his bellis cadunt, quam sint clari et gloriosi? Atqui post mortem non possunt a rege honorari. In illo autem bello nihil tale, sed omnino conspicuus eris, si cicatrices habeas : quas utinam nos omnes exhibere possimus, etiam extra persequutiones, in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIV.

Cap. 10. v. 44. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.* 45. *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia et in nationes donum Spiritus sancti effusum est :* 46. *audiebant enim illos loquentes linguis, et magnificantes Deum.*

1. Vide Dei œconomiam. Non permisit absolvi sermonem, neque ex præcepto Petri baptismum dari; sed quia mentem exhibebant mirabilem, et doctrinæ principium acceperant, credebantque baptismum esse remissionem peccatorum, tunc advenit Spiritus. Hoc autem fiebat, quia Deus prospiciebat, ut Petrus magnam defensionem haberet. Non modo autem Spiritum accipiunt, sed linguis loquebantur, id quod eos, qui convenerant, obstupefecit. Cur ita res dispensatur? Propter Judæos : etenim hoc illis perosum erat. Ideo ubique a Deo totum efficitur. Et Petrus quasi fortuito adest, docens oportere demum illos ad gentes accedere, et quod propter eos id fieri par sit : neque mireris. Cum enim post tanta, et Cæsareæ et Jerosolymis controversia fuerit, quid non factum fuisset, si hæc non subsequuta essent? Ideo hæc modo singulari fiunt. Vide autem quomodo Petrus occasione accepta se defendat. Quod autem post illam occasionem respondeat, audi evangelistam narrantem et dicentem : 47. *Tunc respondit Petrus : Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos?* Viden' quo rem deduxit, et quam cuperet hoc efferre? Sic jamdudum in animo habebat. *Numquid aquam*, inquit, *quis prohibere potest?* Hoc fere est insurgentis in eos, qui prohiberent, ac dicerent hoc non oportere fieri. Totum factum est, inquit, quod magis necessarium erat, baptismà nempe, quo nos baptizati sumus. 48. *Jussit illos baptizari in nomine Jesu Christi.* Postquam sese purgavit, jussit illos baptizari, illos per res ipsas instituens : adeo perosa res erat Judæis. Ideo prius sese purgat, quamvis res ipsæ clamarent, et tunc præcepit. *Tunc rogaverunt eum, ut maneret aliquot diebus.* Hinc jure ille cum fiducia manet. (*Cap.* 11) 1. *Audierunt autem apostoli et fratres, qui erant in Judæa, quoniam et gentes receperunt verbum Dei.* 2. *Cum au-*

tem ascendisset Petrus Jerosolymam, disceptabant adversus illum qui erant ex circumcisione, dicentes : 3. *Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis?* Postea *Disceptabant qui ex circumcisione*, non apostoli. Qnid est illud, *Disceptabant?* Non parum, inquit, offendebantur. Et vide quid objiciant. Non dicunt, Cur annuntiasti? sed, *Cur una manducasti?* Petrus vero non in hoc frigido dicto moratur (nam frigidum vere erat); sed in magno illo, dicens : Si Spiritum illi acceperant, quomodo hoc non illis concedendum erat? Quomodo ergo in Samaritanis hoc factum non est, imo contrarium, non modo ante, sed etiam post baptismum? Neque indignati sunt : imo etiam ad eam ipsam rem miserunt. Verum hic non ea de re accusant; sciebant enim hoc divinæ gratiæ esse; sed, *Quare*, inquiunt, *manducasti cum illis?* Alioquin vero magnum et immensum discrimen erat Samaritanos inter et gentes. Vel etiam per dispensationem accidit, quod is accusetur, ut illi discant : neque enim Petrus rem sine causa narravit. Vide autem, quam sit a fastu et vana gloria alienus. Nam ait : 4. *Incipiens Petrus, exponebat illis per ordinem, dicens* : 5. *Ego eram in civitate Joppe orans.* Non dicit quare, vel qua occasione. *Et vidi in mentis excessu visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis demissum de cælo, et venit usque ad me.* 6. *In quod intuens considerabam; et vidi quadrupedia terræ, et bestias, et reptilia, et volatilia cæli.* 7. *Audivi autem vocem dicentem mihi : Surge, Petre, occide et manduca.* Quid per hæc dicere vult? Satis erat, inquit, vidisse linteum ad hoc persuadendum; attamen vox quoque adjecta est. 8. *Dixi autem : Nequaquam, Domine, quia commune et immundum numquam introivit in os meum.* Viden'? quod meum erat, inquit, feci : dixi, Numquam comedi. Hoc ad id, quod dicebant illi : *Introisti, et comedisti cum illis.* Hoc vero non dixit Cornelio; neque enim necesse erat. 9. *Respondit autem mihi vox secundo de cælo : Quæ Deus mundavit, tu ne communia dixeris.* 10. *Hoc autem factum est ter : et retracta sunt omnia rursum in cælum.* 11. *Et ecce viri tres confestim adstiterunt in domo, in qua eram, missi a Cæsarea ad me.* Narrat ea, quæ necessaria erant; alia tacet, imo et per hæc illa probat. Et vide, quomodo sese purget, nolens doctoris auctoritate uti : sciebat enim se quanto modestius loquebatur, tanto magis illos capturum esse. *Numquam introivit*, inquit, *in os meum commune vel immundum.* Et sic totum œconomiæ defensio erat. *Et ecce tres viri confestim adstiterunt in domo, in qua eram.* 12. *Dixit autem mihi Spiritus, ut irem cum illis nihil hæsitans.*

2. Viden' quod Spiritus sit legislatio? *Venerunt autem mecum et sex fratres isti.* Quid Petro humilius, qui etiam hic fratrum testimonium adhibet? *Venerunt autem mecum sex fratres, et ingressi sumus in domum viri.* 13. *Narravit autem nobis, quomodo vidisset angelum in domo sua stantem, et dicentem sibi : Mitte in Joppen viros, et accersi Simonem cognominatum Petrum,* 14. *qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu et universa domus tua.* Non dixit ea, quæ ab angelo dicta fuerant Cornelio : *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*, ne illos offenderet; sed ea verba, quæ nihil magni præferebant : *Loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu et universa domus tua.* Viden', quomodo ea quam dixi de causa festinet? Et nihil de viri mansuetudine dicit. Ergo Spiritu mittente, Deo jubente, per angelum inde vocante, hinc urgente, rerum discrimen solvente, quid faciendum erat? Sed nihil horum dixit, verum a posteriore confirmat : quod etiam per se indubitatum erat testimonium. Et cur, inquies, non hoc factum est solum? Ex abundanti fit a Deo, ut demonstretur principium non ab apostolo esse. Si autem sua sponte illo profectus esset, et nihil horum factum fuisset, admodum offensi fuissent. A principio sibi mentem illorum conciliat, dum dicit illis : *Qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos.* Et iterum : 15. *Cum autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super illos, sicut et in nos in initio.* Neque hoc contentus, verbum Domini commemorat. 16. *Recordatus autem sum verbi Domini sicut dicebat : Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu sancto* (*Matth.* 3. 11). Itaque nihil novi accidit, sed id quod prædixerat. At non oportebat, inquies, baptizari : baptisma enim perfectum erat, cum Spiritus sanctus in illos descendit. Ideo non dicit, Jussi illos prius baptizari; sed quid? *Numquid aquam prohibere quis potest, ut non baptizentur hi?* hinc ostendens, se suo motu nihil fecisse. Quod igitur nos habebamus, illi acceperunt. 17. *Si ergo eamdem gratiam dedit Deus*, inquit, *sicut et nobis, qui credidimus in Dominum Jesum : ego quis eram, qui possem prohibere Deum?* Ut ex abundanti illorum ora obstrueret, ideo addidit. *Eamdem gratiam.* Viden', quomodo non permisit illos minus habere, qui semel credidissent? Parem gratiam dedit illis Deus, qualem nobis, qui credidimus in Dominum : itaque ipse purgat illos. Neque dicit, Vobis, sed, *Nobis*; hinc etiam sermonem mitigans. Quid ergo indignamini, cum nos ipsos participes dicamus? 18. *His auditis, quieverunt, et glorificaverunt Deum, dicentes : Igitur et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Viden' quomodo ex concione Petri totum factum sit, qui ea, quæ facta fuerant, recte narraverit? Ideo glorificaverunt Deum, quod etiam illis pœnitentiam dederit : ita humiliati sunt ab his sermonibus. Hinc aperta demum gentibus janua fuit. Sed, si placet, superiora repetamus. Non dixit, Disceptabat Petrus, sed, *Qui erant ex circumcisione* : quoniam ipse sciebat, quod parabatur. Atqui illud oportebat mirari, quomodo et illi credidissent. Quando igitur audierunt, quod credidissent, nihil passi sunt; sed cum Deus largitus est Spiritum, quando Petrus exponebat visionem suam, dicens : Deus ostendit mihi, ne quem hominem dicerem communem vel immundum. Sic ille jam antea hoc sciebat. Idcirco pro gentibus sermonem præparavit, ostendens illas advenienti fide non amplius gentes futuras. Nihil mirum ergo, si ante baptisma Spiritum

acceperint : nostro quoque tempore hoc factum est. Hic ostendit Petrus, quod illi non sicut alii baptizati sint, sed multo melius. Ideo sic ex abundanti rem disponit, nè quid dicere possint, sed ut sic sibi pares habeant illos. *Et rogaverunt illum*, inquit, *ut maneret.* Viden' quomodo non familiariter erga illum affecti essent? viden' quantum zelum pro lege haberent? Non dignitatem Petri reveriti sunt, non edita signa, non tantum illud opus, quod susceptum esset verbum; sed ob parva illa disceptabant Si enim nihil horum fuisset, non sat fuisset præstitum. At non ita se purgat Petrus : prudens quippe erat; imo non ex prudentia ipsius, sed ex Spiritu verba proficiscebantur. Et in defensione sua se non auctorem ostendit, sed ubique Deum. Et tantum non illos sic affatur : Ipse fecit, ut in excessu mentis essem : ego enim simpliciter orabam : ille vas illud monstravit : ego contradicebam : rursum ille dixit, neque sic ego audivi : *Spiritus jussit abire :* et abiens non accurrebam : dixi quod Deus miserit; et postea neque sic baptizavi, sed rursum Deus totum effecit. Ergo Deus illos baptizavit, non ego. Nec dixit, Post hæc omnia annon oportebat demum aquam addere? sed quasi nihil deficeret, *Ego quis eram,* inquit, *qui prohiberem Deum?* Papæ, qualis defensio! Neque enim dixit : Hæc ergo cum sciatis, quiescite; sed quid? Excipit illorum impetum, et illis accusantibus se purgat : *Quis eram qui possem prohibere Deum*, dixit. Vehementer et graviter se defendit : Non poteram prohibere. Unde tandem deterriti quieverunt, et glorificaverunt Deum.

3. Sic et nos oportet in proximorum bonis glorificare Deum, non autem insultare illis, sicut multi ex recens illuminatis insultant, quando vident alios illuminari, et statim demigrare. Glorificare oportet Deum vel quod manere non concedat. Itaque tu, si velis, majus accepisti donum; non quod illuminatus sis (hoc enim ipse tecum commune habet); sed quod ad præclare agendum tempus acceperis. Ille stolam induit, nec permissum ei fuit, ut illa se spectabilem redderet : tibi multam dedit Deus facultatem utendi armis ut oportet, et hinc illa experiri. Ille migrat, fidei tantum mercedem habens : tu stas in stadio, et multas operum mercedes accipere potes, atque tanto illo splendidior apparere, quanto sol minima stella, quanto dux ultimo milite, imo quanto rex. Igitur teipsum criminare; imo ne crimineris, sed corrige semper : non enim sufficit criminari, licet decertare. Dejectus es? gravia passus es? Resurge, teipsum recrea : stas adhuc in stadio, adhuc theatrum adest. Non vides, quot in pugna prostrati, rursum decertarunt? Tantum ne sponte succumbas. Beatum dicis eum qui defunctus est? Teipsum magis beatum dicito. Solutus est a peccatis ille? Sed, si velis, non modo peccata ablues, imo etiam bonis operibus instructus eris, quod ille non potest. Possumus nos ipsos revocare.

Pœnitentiæ pharmaca magna sunt. — Magna sunt pœnitentiæ pharmaca : nemo de se desperet. Ille vere desperatione dignus, qui desperat : ille non ultra spem salutis habet [1]. Non tam grave est in profundum malorum venire, quam postea illic jacere : non impium est in profundum malorum descendere, sed ibi positum contemnere. Num, quæso, ubi magis sollicitum esse oporteret, ibi contemnis? Tot confossus vulneribus, cecidisti? Nullum animæ vulnus insanabile est : sed in corpore multa sunt talia, in anima nullum. Illa tamen diligenter curare non desistimus; hæc vero negligimus. Non vides latronem illum, quam brevi tempore præclara fecerit? non vides martyres? quomodo brevi tempore totum perfecerunt? At non jam est martyrii tempus? Sed certaminum tempus est, si velimus, ut sæpe dixi. *Qui* enim *volunt*, inquit, *in Christo Jesu pie vivere, persequutionem patientur* (2. *Tim.* 3. 12). Qui pie vivunt, semper persequutionem patiuntur : si non ab hominibus, certe a dæmonibus, quæ sane gravior est persequutio. Et primo ex incuria hanc sustinent ii, qui non vigilant. An parvam putas persequutionem cum incuria vivere? Hoc omnium est gravissimum, hoc persequutione pejus. Nam velut fluxus manans, incuria animam emollit : idipsumque est persequutio et incuria, quod æstas et hiems. Ut autem magis ediscas pejorem esse hanc persequutionem, hinc perpende : somnum in animam immittit, oscitantiam et negligentiam magnam indit, passiones undique excitat; armat fastum, armat voluptatem, armat iram, invidiam, vanam gloriam, æmulationem. At in persequutione nihil horum turbare valet; verum timor invadens, quasi quodam flagro latrantem canem impetens, hos omnes animi motus ne suboriri quidem sinit. Quis in persequutione vana gloria efferri potest? quis in voluptate degere? Nemo; sed tremor multus et metus adest, qui magnam parit tranquillitatem, placidum parat portum, animam piam reddit. Audivi aliquando patres nostros dicentes (id quod ne nostra ætate fiat opto; jubemur enim tentationem non petere). quod olim tempore persequutionis videre erat viros vere Christianos. Nullus enim opes curabat, non uxorem, non filios, non domum, non patriam : una omnibus cura erat suam servare animam. Alii in monumentis et sepulcris, alii in desertis latebant. Non solum autem viri, sed et mulieres teneræ ac delicatæ tunc occultabantur, cum perpetua fame conflictantes. Cogita ergo, num mulieri ad sepulcrum latenti et ancillam ferentem cœnam exspectanti, ac ne caperetur timenti, atque in sepulcro quasi in fornace sedenti, aliquod vel sumptuum vel deliciarum desiderium fuerit; num tunc putaverit vel delicias vel mundum exsistere? Viden' nunc majorem esse persequutionem, dum animi affectus quasi feræ nos invadunt? Nunc certe gravis est persequutio, dum putatur nullam esse persequutionem. At enim istud bellum hoc gravissimum habet, quod pax esse credatur; ita ut arma non sumamus, nec contra inimicum insurgamus : nullus formidat,

[1] Alii habent, *non ultra salutem habet, neque spes.*

nullus tremit. Si autem non creditis, interrogate gentiles qui persequuntur, quandonam res Christianorum accuratius gererentur, quandonam clariores illi essent. Tunc pauciores numero erant, sed magnæ erant virtutum divitiæ. Quæ utilitas, quæso, multum esse fœnum, dum possibile est lapides pretiosos adesse? Non in multitudine, sed in virtutis splendore totum æstimatur. Elias unus erat, sed mundus non erat illo dignus. Atqui mundus millia multa complectitur; sed millia non sunt, quando neque uni coæquantur. *Melior unus faciens voluntatem Domini, quam mille iniqui* (*Eccli.* 16. 3). Hoc sapiens quidam subindicans dicit : *Ne desideres multitudinem filiorum inutilium* (*Ibid. v.* 1). Ili magis blasphemiam in Deum concitant, quam si Christiani non essent. Quid mihi opus est multitudine? Alimentum amplius igni. Hoc et ex corpore cognoveris : melior quippe est cibus moderatus cum sanitate, quam deliciæ cum molestia. Hoc alimentum illo amplius : hoc alimentum, illud morbus est. Hæc et in bello quis viderit : meliores esse decem viros strenuos et belli peritos, quam innumeros imperitos. Ili præterquam quod nihil operantur, alios qui operantur, impediunt. Hoc et in navi quis invenerit, meliores esse nautas duos peritos, quam magnam imperitorum turbam : hi namque navim etiam submergent.

4. Hæc dico, non quod multitudinem vestram oderim, sed quod velim omnes esse probatos, nec multitudini fidere. Multo plures sunt, qui in gehennam incidunt; sed majus illa est regnum, etsi paucos habeat. Sicut arena maris erat multitudo populi; sed unus servavit eos. Unus erat Moyses, sed plus quam omnes potuit : unus erat Jesus, sed plus potuit quam sexcenta millia. Non hoc solum curemus, ut multi sint, sed et magis, ut sint præclari : cum hoc perfectum fuerit, tunc illud fiet. Nemo domum statim spatiosam vult facere, sed primo firmam et probatam, deinde spatiosam : nemo fundamenta jacit, ut derideatur. Primum hoc quæramus, deinde illud. Hoc si sit facile et illud aderit : illud autem si non adsit, hujus etiam si sit, nulla utilitas. Nam si in Ecclesia sint qui clari esse possint, cito erit et multitudo : hi si non sint, numquam erit clara multitudo.

Non putat Chrysostomus ex multis millibus centum salvos fore de populo suo.—Quot putatis in urbe nostra esse, qui salutem consequentur? Molestum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen. In tot millibus non sunt centum, qui salutem consequantur; sed de illis etiam dubito. Quanta, quæso, nequitia in adolescentibus, quanta desidia in senioribus? Nemo quam oporteret educandi filii curam habet : nemo senem videns, illum imitari studet. Exempla de medio sublata sunt : idcirco nec juvenes fiunt admirandi. Ne mihi dicas, Multa hominum turba sumus. Hoc frigidorum hominum est : id de hominibus merito dicatur, de Deo autem, qui non opus habet nobis, non item. Quod autem etiam de illis frigidum sit verbum, audi. Qui multos habet domesticos, si illi improbi sint, quot mala patietur? Ei, qui nullum habet, hoc videtur grave, quod non serviatur : is vero, qui improbos habet famulos, cum illis it in perniciem; majusque est damnum. Gravius quippe est aliis pugnare et decertare, quam sibi ipsi servire. Hæc dico, ut ne quis Ecclesiam admiretur propter multitudinem, sed ut curemus illam multitudinem claram efficere : ut unusquisque suam curet partem, ut non amicos, non cognatos, ut semper repeto, non vicinos tantum, sed etiam extraneos pertrahat. Exempli causa, fit oratio; jacent frigidi omnes juvenes et senes, purgamenta magis quam juvenes, risui, cachinnis, fabulis incumbentes; hoc enim ego audivi; et genibus nixi alios dicteriis impetentes : tu qui ades, juvenis aut senex, increpa si videas, vehementius incesse, et si non ferat, diaconum voca, minare, quæ penes te sunt facito : et si quid audeat contra te facere, multos habebis adjutores. Quis enim ita irrationabilis est, qui te videns illos de ea re objurgantem, non stet in parte tua? Discede sumpta precis mercede. In æde dominica hos servos aliis benevolentiores judicamus, qui nullum vas extra ordinem jacere sinunt. Si videres in domo vas argenteum temere foras projectum, etiamsi non esses ad hoc deputatus, annon illud domum referres? si vestimentum projectum, etiamsi curam ejus non gereres, etiamsi eum, cui cura commissa, odio haberes, annon ob benevolentiam in dominum illud apte reduceres? Ita et nunc. Hæc vasa sunt : si videas illa incomposite jacentia, reduc in ordinem : accede ad me, non recuso : dic mihi, fac me certiorem : non possum omnia videre; ignoscite. Videte, quanta nequitia orbem occupat. Num sine causa dicebam, nos esse acervum fœni, mare incompositum? Non dico illos talia facere, sed tanta oscitantia intrantes laborare, ut hæc non corrigant. Rursum alios video, colloquentes stare dum fit oratio : alios modestiores scilicet, non modo dum fit oratio, sed etiam dum sacerdos benedicit. O audaciam! Quandonam erit salus? quomodo poterimus Deum placare? Si ad ludum abeas, videbis omnes concinne choreas agentes, nihilque negligi. Sicut ergo in lyra varie et recte composita apta quædam symphonia ex bono ordine efficitur : ita et hic unam omnium et consonam harmoniam effici par esset. Una enim sumus Ecclesia, unius capitis membra decenter aptata; unum sumus omnes corpus : si quid neglectum fuerit, totum neglectum et corruptum erit. Ita et multorum rectum ordinem unius inordinatio labefactat. Quodque terribile est, non huc ad ludum choreamque saltaturus venis, et incompositus stas. Nescis te cum angelis stare? Cum illis cantas hymnosque celebras, et stas ridens? Annon mirum est, quod fulmen non immittatur, non in illos tantum, sed et in nos omnes? hæc quippe fulmine digna sunt. Adest rex, videt exercitum; tu vero illis videntibus stas ridens, vel ridentem negligis? Sed quousque increpamus? quousque reprehendimus? Annon ut pestes, annon ut corruptores, annon ut corruptos et perniciosos hujusmodi homines, innumerisque malis onustos ab Ecclesia pelli oportuisset? Quandonam illi a risu abstinebunt, qui in hora tremenda rident? quan-

do a nugis abstinebunt, qui in tempore benedictionis garriunt? non præsentes reverentur, non Deum timent? annon sufficit nobis mentis socordia? non satis est quod orantes alio evagemur: sed et risum et cachinnos multos ingerimus?

Contra Theatri spectacula.—An theatrum hæc sunt? Sed hoc puto a theatris oriri: inobsequentes enim multos et incompositos efficiunt. Quæ hic ædificamus, illic destruuntur: neque hoc solum, sed et aliis immunditiis necesse est illos repleri. Et perinde fit, ac si quis campum emundare velit, in quem superne fons lutum immittat; dum enim magis purgas, aliud influit. Idipsum hic evenit. Postquam enim illos, qui ex theatris immunditiam intulerant, mundaverimus, illo revertentes ipsi majorem referunt immunditiam: quasi dedita opera sic viventes, ut nobis negotium facessant: et redeunt iterum multum stercoris gestantes, in moribus, in motibus, in verbis, in risu, in desidia. Deinde nos iterum fodimus, quasi de industria fodientes, ut illos mundos emittentes, ipsos rursum videamus cœno onustos. Idcirco committo vos Deo. Et jam hinc vobis, qui sani estis, testificor, judicium vobis et damnationem fore, si quis cum videt inordinate agentes, maximeque illo tempore confabulantes, non admonuerit nec correxerit eos: hoc melius est precatione ipsa. Dimitte preces, et illum increpa: ita et illi proderis, et tu lucraberis. Sic poterimus omnes salutem et regnum cælorum assequi: quo nos omnes frui contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri simulque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXV.

Cap. 11. v. 19. *Illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat ob Stephanum, pertransierunt usque Phœnicen et Cyprum et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis.*

1. Non parum ad verbi profectum contulit persequutio: nam *Diligentibus Deum*, inquit, *omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* 8. 28). Si voluissent illi Ecclesiam propagare, non aliud fecissent: de dispersione loquor doctorum. Et vide quorsum extensa fuerit prædicatio. *Pertransierunt*, inquit, *usque ad Phœnicen et Cyprum et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis.* Vides, quomodo omnia circa Cornelium per dispensationem facta sint? Hoc autem et ad defensionem Christi et ad accusationem Judæorum confert. Itaque cum Stephanus occisus est, cum Paulus bis est periclitatus, cum apostoli flagellati sunt, cum sæpius ejecti, tunc gentes, tunc Samaritani recepti sunt: quod et Paulus clamat dicens: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* 3. 46). Circuierunt igitur, et gentes alloquebantur. 20. *Erant autem quidam eorum viri Cyprii et Cyrenæi, qui cum venissent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum.* 21. *Et erat manus Domini cum eis: multusque numerus credentium conversus est ad Dominum Jesum.* Vide, Græcis evangelium annuntiant. Verisimile est enim illos Græce scivisse, et Antiochiæ multos tales fuisse. *Et erat*, inquit, *manus Domini cum illis*; id est, signa faciebant. Viden', cur etiam nunc signorum necessitas fuerit, ut crederent? 22. *Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Jerosolymis, super istis: et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam.* Cur tanta civitate verbum recipiente non venerunt ipsi, sed Barnabam miserunt? Propter Judæos. Verum non parva res hic geritur, dum sic Paulus istuc accedit: neque sine causa, sed cum magna providentia illum aversantur, ne vox prædicationis tubaque cælorum Jerosolymæ includeretur. Viden', quomodo ubique malitia eorum, ut opus erat, et ut ipse volebat, Christus uteretur, atque odio in Paulum ad ædificationem Ecclesiæ ex gentibus? Sed vide hunc quoque sanctum, Barnabam dico, quomodo non sua respiciat, sed currat Tarsum. 23. *Qui cum venisset, et vidisset gratiam Dei, gavisus est, et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino:* 24. *quia erat vir bonus et plenus Spiritu sancto et fide. Et apposita est multa turba Domino.* 25. *Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum: quem cum invenisset, perduxit Antiochiam.* Optimus vir erat et simplex, atque Paulo familiaris. Ideo venit ad athletam, ad ducem, ad monomachum, ad leonem; nescio quid dicam; quidquid enim dixerim, dignitate inferius Paulo erit. Venit ad venaticum canem, leones occidentem, ad taurum fortem, ad lucernam splendidam, ad os orbi sufficiens. Vere ideo Antiochiæ vocati sunt Christiani, quia Paulus ibi tanto tempore mansit. 26. *Factum est autem ut annum totum congregarentur in Ecclesia, et docerent turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani.* Non parva civitatis laus hæc. Hoc contra omnes adduci potest, quod prima omnium ore tali tanto tempore frueretur: unde et primo isthic hoc nomine dignati sunt. Viden' in quantum fastigium civitatem extulerit, clarioremque fecerit? Hoc Pauli opus est. Ubi tria millia, ubi quinque milia crediderunt, ubi tanta multitudo, ibi nihil tale factum est; sed adhuc de via illa tantum esse dicebantur: hic vero Christiani appellati sunt. 27. *In his autem diebus descenderunt ab Jerosolymis prophetæ Antiochiam.* Quoniam isthic fructum eleemosynæ plantari oportebat, utiliter providetur ut prophetæ illo descendant. Tu vero mihi consideres velim, neminem ex clarioribus horum doctorem fuisse: Cyprios enim habuere doctores, Cyrenæos et Paulum (etiamsi hic illos superaverit), sicut Paulus doctores habuit Barnabam et Ananiam; sed nihil inde minor fuit: habebat tamen et Christum. 28. *Surgens autem unus ex eis nomine Agabus, significabat famem magnam futuram in universo orbe, quæ facta est sub Claudio Cæsare.* Ne-

cessario hic famem magnam futuram significat, quæ etiam, ut prædicta fuerat, contigit. Ne putarent enim quidam ideo famem venisse, quod Christianismus ingressus esset, quod dæmones abscessissent: prædicit Spiritus sanctus quod futurum est, sicut et Christus multa prædixit quæ evenerunt.

Cur fames venerit. — Non ideo igitur, quia ab initio ita rem accidere oportebat; sed propter mala apostolis illata: quæ quum et fierent, aliquantisper Deus patienter ferebat; eum autem illi pergerent, fames accidit; quæ Judæis futura mala prænuntiabat. Sed etsi propter Judæos fames esset, propter alios oportebat illam cessare. Quid enim injuriæ intulerant Græci, ut malorum essent participes? Si autem non propter Judæos, illos ergo clariores fieri oportebat, quod pro virili sua facerent, quod occiderent, punirent, plecterent, undique persequerentur. Et vide, quandonam fames accidat: cum ethnici jam suscepti essent.

2. Sed si propter mala, inquies, oportebat certe hos eximi. Cur, dic mihi? annon ante dixerat illis Christus: *In mundo tribulationem habebitis* (*Joan.* 16. 33)? Tu vero, qui hæc dicis, forte adjicies, non oportuisse illos flagellari. At vide illis famem factam esse salutis causam, eleemosynæ occasionem, multaque conciliasse bona, ut vobis conciliasset, si voluissetis; sed noluistis. Prædicitur autem, ut magis parati sint ad eleemosynam, quia gravia passi sunt, qui erant Jerosolymis; antea autem fame non laborabant. Et mittuntur Barnabas et Paulus ministraturi. 29. *Discipuli autem prout quisque abundabat.* Viden' illos statim atque crediderunt fructum tulisse, non iis modo qui prope, sed etiam iis qui procul erant? Hoc mihi videtur hic dicere, quod alibi Paulus dicit: *Dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis, tantum ut pauperum memores essemus*[1] (*Gal.* 2. 9. 10). Tantum profuit fames. Et vide illos ex fame neque in fletus et lacrymas erupisse, ut nos facimus, sed ad opus magnum et bonum se dedidisse; cum majori namque libertate prædicabant verbum. Nec dicebant, Nos, qui Cyrenæi et Cyprii sumus, hanc aggredimur civitatem splendidam et magnam; sed gratiæ Dei fidem habentes, et illi doctrinam aggressi sunt, et hi non dedignati sunt ab illis quidpiam ediscere. Vide a parvis et exiguis omnia peracta, prædicationem auctam, eos qui Jerosolymis eadem cum aliis omnibus sentientes, et quasi unam domum orbem totum haberi. Audierant quod Samaria recepisset verbum, et miserunt Petrum et Joannem; audierunt quid Antiochiæ accidisset, et mittunt Barnabam. Multum enim erat itineris spatium, nec oportebat adhuc apostolos inde discedere, ne fugitivi esse viderentur, et a suis fugisse. Tunc autem necessario separati sunt, cum demum Judæi insanabiles esse viderentur, cum bello jam imminente perire illos oportebat, cum sententia prolata est: quoniam quamdiu Paulus Romam non venit, illic erant. Exierunt autem, non quod bellum timerent: quomodo enim timuissent, qui oppugnaturos adibant? Bellumque demum infertur jam mortuis apostolis, et quod de illis dictum erat evenit: *Pervenit super illos ira in finem* (1. *Thess.* 2. 16). Quanto igitur obscuriores erant, tanto magis gratia fulgebat, per exiguos magna faciens. Sed superiora repetamus. *Hortabatur omnes*, inquit, *ut permanerent in Domino: quia erat vir bonus.* Videtur mihi bonum dicere simplicem, non simulatum, qui proximi salutem admodum cuperet. Non modo autem vir bonus erat, sed et plenus Spiritu sancto et fide. Ideo ex proposito cordis omnes hortabatur; id est, cum encomio et laude. Et considera quod, ut terra pinguis, sermonem accepit hæc civitas, et fructum multum exhibuit. Cur autem Tarso Saulum Barnabas abduxit, et huc deduxit? Non sine causa, sed quia hic bona spes, civitasque major erat, ac magna multitudo. Vidistin' gratiam omnia operari, non Paulum? et quomodo a parvis res cœpta sit; ubi autem inclaruit, tunc mitti Barnabam? Et cur non ante miserunt illum? Multam rerum ad se spectantium curam habebant, nec volebant Judæis accusandi se locum dare, quod gentes admitterent; etsi quia ipsis necessario commixti erant, quia disceptatio quædam futura erat inter illos, Cornelii gestum præcessit. Tunc etiam dicunt: Ut nos in gentes, ipsi vero in circumcisionem. Et perpende quam tempestive necessitas famis communicationem illam gentium, iis qui Jerosolymis erant missam, induxerit. Accipiunt autem ab illis, qui non, sicut nos, in luctu calamitates ferebant, sed cum majori securitate, utpote qui procul essent ab iis, qui impedirent ipsos, et inter homines essent, qui non timerent Judæos: quod ipsum non parum conducebat. Sed etiam in Cyprum migrarunt, ubi magna securitas erat, et major libertas. *Nemini*, inquit, *loquebantur verbum, nisi Judæis.* Non ob metum hominum, quem nihili faciebant; sed legem servantes, et ipsos adhuc tolerantes. *Erant autem quidam Antiochiæ Cyprii et Cyrenæi.* Hi maxime non curabant Judæos. *Qui loquebantur ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum.* Fortassis quod nescirent Hebraice, Græcos illos vocabant. *Cum venisset*, inquit, *Barnabas, et vidisset gratiam Dei*, non diligentiam hominum, *hortabatur illos permanere in Domino.* Forte quod laudaret turbam et approbaret, ideo plures convertit. Et quare non Paulo scribunt, sed Barnabam mittunt? Nondum viri virtutem noverant; ideoque statuitur ut Barnabas tantum proficisceretur. Quia vero et multitudo erat, et nemo oberat, ideo facile fides germinavit, maxime quia nullam hic ferebant tentationem, et quia Paulus prædicabat, nec jam fugere cogebatur. Recte autem non illi famem prædicunt, sed prophetæ, ne onerosi illi esse viderentur. Mirari vero subit, cur Antiocheni quasi de-

[1] Post verba, *memores essemus*, quidam Manuscripti addunt, *adhuc Jacobus vivebat.* Miror hanc clausulam in Manuscriptis quibusdam insertam haberi. Quid enim ad rem præsentem facit, si dicatur hic adhuc Jacobum vixisse? Deinde vero de quo Jacobo hic agitur? Jacobus enim frater Joannis paulo post gladio cæsus fertur. Jacobus autem frater Domini episcopus Jerosolymorum, inferius neque semel in vivis esse memoratur. Ad quid ergo dicitur hic Jacobum in vivis fuisse? et cur id amanuenses addiderint non satis perspicio.

specti non indignarentur, sed contenti essent doctoribus : ita omnes fervebant erga sermonem. Qui non exspectato famis tempore, singuli pro facultate miserunt.

3. Et observa, quod inter apostolos aliis hoc committitur; hic vero Paulus et Barnabas deputantur. Nec sine gravi causa id provisum est : alioquin vero initium erat, tuncque non oportebat offendi. At nunc nemo id facit, licet fames sit illa gravior. Non enim par res est communem ferre calamitatem, et dum omnes abundantia fruuntur, pauperiores tantum fame laborare. Tunc fames erat, et qui dabant pauperes (*Pro facultate sua singuli*, inquit) : nunc vero duplex est fames, sicut et duplex abundantia : fames gravis, fames, non audiendi verbum Domini, sed per eleemosynam cibum accipiendi. Tunc et qui in Judæa pauperes erant, et qui Antiochiæ pecunias erogabant, bono fruebantur; et hi magis quam illi : nunc autem et nos et pauperes in fame : illi quod necessario cibo egeant, nos quod in penuria misericordiæ Dei simus. Hoc cibo nihil magis necessarium fuerit. Hic non subeuntur mala, quæ ex saturitate oriuntur : hujus cibi non in secessum emittitur pars maxima. Nihil formosius, nihil sanius anima quæ sic alitur; omni superior est morbo, omni fame, omni intemperie et ægritudine : nemo illam capere poterit; sed sicut adamantinum corpus non ferrum cædere valet, non aliud quidvis : sic nec animam eleemosyna firmatam quidvis capere poterit. Quid, quæso, illam capere possit umquam? paupertas? Minime; in regiis enim penuariis posita est. An fur et latro? Sed illos perfodere parietes nemo valet. An vermis? Sed hac etiam pernicie superior est hic thesaurus. An timor et invidia? At non his capitur. Sycophantiæ et insidiæ? Neque illæ; thesaurus quippe est inaccessus. Sed turpe fuerit, si hæc solum quæ eleemosynæ insunt ostendero, missis iis quæ contraria illis sunt. Non modo enim illa ab omni invidia est libera, sed et benedictione fruitur multa ab iis, qui illam accipiunt. Sicut enim inhumani et crudeles non læsos solum habent inimicos, sed etiam eos, qui nihil mali passi læsos miserantur, inhumanosque accusant : sic qui magnis affecere bonis, non eos qui accepere tantum, sed et alios habent laudatores. Quid ab invidia liberos dico [1]? Ab insidiatoribus etiam, furibus et parietum effractoribus liberantur. Neque hoc solum inest boni; sed non modo non minuitur substantia, verum etiam augetur et crescit. Quid Nabuchodonosore turpius? quid fœdius? quid iniquius? Impius erat homo : mille indicia, mille signa vidit, et resipiscere noluit; sed Dei servos in caminum injecit, etiamsi postea adoraverit. Quid igitur propheta? *Rex, consilium meum placeat tibi : peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas miserationibus pauperum : forte erit venia delictis tuis* (*Dan.* 4. 24). Hæc ita dixit non dubitans (valde enim sibi persuasum erat), sed ut illum in majorem injiceret timorem, et majorem hæc faciendi necessitatem. Nam si affirmando dixisset, negligentior ille fuisset. Sic et nos tunc maxime quosdam urgemus, cum dicimus : Hortare illum talem; nec addimus, illum auditurum prorsus esse, sed, fortasse auditurum : nam ex dubitatione major ortus timor, magis impellit. Ideo id illi non manifestum fecit. Quid dicis? tantisne impietatibus erit venia? Etiam.

Omne peccatum est eleemosyna inferius. — Non est peccatum, quod non possit eleemosyna purgare et exstinguere : omne peccatum est illa inferius : ad omne vulnus aptum pharmacum est. Quid publicano deterius? Hæc omnis iniquitatis occasio est : sed hanc totum abluit Zacchæus. Vide, quomodo hoc ostendat Christus, cum curavit marsupium habere, et portare ea quæ immittebantur. Paulus quoque dicit : *Tantum ut pauperum memores simus* (*Gal.* 2. 10); et in Scripturis passim hac de re agitur. *Pretium animæ viri*, inquit, *divitiæ propriæ* (*Prov.* 13. 8); Christus vero, *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (*Matth.* 19. 21). Hæc vera perfectio est. Eleemosyna vero non pecuniis modo, sed etiam operibus exercetur. Exempli causa, possumus patrocinari, possumus manum porrigere : sæpe patrocinium plus servavit, quam pecuniæ.

4. *Eleemosynæ modi varii.* — Age ergo in præsenti omnia eleemosynæ genera excitemus. Potes per pecunias? Ne segnis esto. Potes per patrocinium? Ne dicas, quia pecuniæ non adsunt; hoc nihil est. Valde magnum hoc quoque est : ac si pecuniam dedisses, sic affectus esto. Potes ministrando juvare? Hoc facito. Exempli gratia, arte medicus es? Infirmos cura; et hoc magnum est. Potes consilio juvare? Hoc omnium optimum est et maximum, majusque lucrum habet : non enim hac via famem, sed gravissimam mortem pellis. Hoc apostoli bono pleni prorsus erant : ideo pecuniarum distributionem inferioribus committebant, dum sermone juvabant. An putas parvam esse eleemosynam, animam anxiam, de extremis periclitantem, febris ardore detentam, a morbo posse liberare? Verbi gratia, vides amicum avaritia detentum? Miserare hominem. Suffocatur ille? Exstingue illius ignem. Quid igitur si non obtemperet? Tu quod tuum est facito, nec ignavus sis. Vides eum in vinculis detineri? (nam pecuniæ vere vincula sunt). Illum adi, invise, consolare, a vinculis eripere conare. Si nolit, penes illum culpa erit. Vidisti nudum et peregrinum? (nudus enim vere et peregrinus in cælis est, qui rectam viam non curat). Recipe in diversorium tuum, vestimentis virtutis indue illum, da illi civitatem in cælo. Quid ergo, si et ego nudus sim, inquies? Teipsum indue primum : si nosti te nudum esse; plane scis te indui oportere. Si nuditatis hujus modum nosti, nosse poteris, quo opus sit vestimento. Quot mulieres serica vestimenta gestant, virtutisque vestibus prorsus nudæ sunt? His illas vestiant viri sui. Verum non admittunt illas vestes, has volunt? Hoc primum facito : illarum vestium concupiscentiam illis insinua; ostende illis ipsas esse nudas, de

[1] Alius hæc, *quid ab invidia liberos dico*, omisit.

judicio futuro dissere ; dic : Aliis nobis illic opus est, non hisce. Si me feratis, ego nuditatem ostendam. Nudus frigoris tempore riget et tremit, contractus stat, reductis brachiis ; in æstate vero non item. Si igitur ostendero divites viros et mulieres eo magis nudos esse, quo magis sunt vestiti, ne ægre feratis. Quid ergo, quæso cum de gehenna verba faciemus, deque tormentis illis : annon magis illi rigent ac tremunt, quam nudi illi ? annon acerbe ingemiscunt, et sese damnant ? Quid ergo, quando aliquem adeunt et dicunt, Ora pro me : annon eadem, quæ illi, verba proferunt ? At nunc, licet multa dixerimus, nondum manifesta est nuditas : illic vero manifesta erit. Quomodo et qua ratione ? Cum sericis illis vestibus et gemmis amissis, solis vel virtutis vel vitii vestibus amicti omnes cernentur ; cum pauperes gloria amicti multa comparebunt, divites vero nudi ac turpes ad supplicia trahentur. Quid delicatius erat illo divite, qui induebatur purpura ? quid pauperius Lazaro ? uter ergo mendicorum proferebat verba ? uter quasi in abundantia degebat ? Si quis domum multis ornet aulæis, ipse vero intus nudus sit, quod lucrum ? Sic et mulieribus accidit : domum quippe animæ, corpus dico, multis decorant ornamentis ; materfamilias vero intus sedet nuda. Commodate mihi animæ oculos, et ostendam vobis animæ nuditatem. Quæ enim est animæ vestis ? Virtus certe. Quæ nuditas ? Malitia. Sicut enim si quis liberum quempiam exuat, erubescit, contrahitur et fugit : sic si animam his vestibus non indutam intueri velimus, erubescit illa. Quot putas nunc pudore affici, et in profundum descendere, ut quasi quodpiam velamentum quærentes, ut ne verba illa audiant ? Quæ vero illius sibi mali consciæ non sunt, lætantur, gaudent, delectantur, et de dictis hujusmodi gloriantur. Audi de beata Thecla. Illa ut Paulum videret, aurum suum dedit : tu ut Christum videas, neque obolum dederis ; sed miraris quidem illius gesta, nec imitaris. Non audis, quam beati dicantur misericordes ? *Beati misericordes*, inquit, *quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* 5. 7). Quod lucrum a pretiosis vestibus ? quamdiu ad hunc amictum inhiabimus ? Amiciamur gloria Christi, illa pulchritudine circumdemur, ut et hic laudemur, et illic æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

CAP. 12. 1. *Illo autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia.* 2. *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.* 3. *Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. Erant autem dies Azymorum.*

1. Quod illud dicit tempus ? Quod mox sequebatur utique. Sed hic quidem hoc pacto, alibi vero secus. Cum enim Matthæus dicit, *In diebus illis venit Joannes prædicans* (*Matth.* 3. 1) ; non sequentes dies significat, sed illos, in quibus fieri contigit id quod narrabat. Hoc quippe more utitur Scriptura : aliquando quæ subsequuta sunt narrat ; aliquando autem quæ postea contigerunt, ac si mox sequerentur, recenset. Bene autem dicit, *Herodes rex :* hic enim non erat is, qui cum Christo memoratur. Ecce alia tentatio. Et vide, quod initio dicebam, quomodo res nectantur, quomodo per quietem et per ærumnas omnia contexantur. Non jam Judæi, non concilium ; sed rex immittit manus, ut affligat. Major potestas, gravius bellum, maxime quia ad gratiam Judæorum. *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.* Sine causa et ut casu contigit. Si quis vero quærat, cur id permiserit Deus, respondebimus pro illis ipsis : primo quidem, ut persuaderet ipsis, se vel occisos prævalere, ut et in Stephano contigit ; secundo, ut daret Judæis locum, postquam furorem suum exsatiaverant, resipiscendi ab insania ; tertio, ut ostenderet ex permissione sua id factum esse. *Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum.* O perversitatem ingentem ! Qua in re gratificabatur ipsis, cædes gratis et temere perpetrans ? *Erat autem dies Azymorum.* Iterum superflua Judæorum accuratio : occidere non prohibebant, sed tali tempore talia patrabant. 4. *Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum.* Hæc ex furore et metu facta. *Occidit*, inquit, *Jacobum fratrem Joannis gladio.* Vidistin' illorum fortitudinem ? Ne quis enim diceret, ideo ipsos sine periculo et metu mortem adire, quia Deus eruebat ipsos, ideo permisit ut occiderentur, maximeque coryphæi, ut homicidis ostenderet, ipsos neque sic desistere neque prohiberi. 5. *Petrus itaque servabatur in carcere : oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Erat tunc de capite certamen. Quod ille occisus esset, id timorem illis incutiebat, itemque quod hic in carcerem conjectus esset. 6. *Cum autem producturus eum esset Herodes, nocte illa Petrus dormiebat inter duos milites, vinctus catenis duabus : et custodes ante ostium custodiebant carcerem.* 7. *Et ecce angelus Domini adstitit, et lumen refulsit in habitaculo; percussoque latere Petri, excitavit illum, dicens : Surge velociter. Et ceciderunt catenæ illius de manibus.* Vide, illa nocte ipsum eripuit. *Et lumen refulsit in habitaculo*, ne putaret esse spectrum : lucem vero nemo vidit præter illum. Etiamsi enim hoc ita factum fuerit, id tamen ille phantasiam esse putabat, quod res inexspectata esset ; nisi ita factum fuisset, multo magis suspicaturus erat : ita contra mortem aciem instruxerat ; idque quia postquam multis diebus isthic manserat, nondum ereptus fuisset. Et cur, inquies, non permisit Deus ut in manus incideret Herodis, et tunc eripuit ? Quia illud in stuporem conjecisset ; hoc autem pro illis fiebat. Neque enim putatum fuisset ipsos esse homines, si omnia divinitus fecisset.

Circa Stephanum autem quid non fecit? nonne tamquam angeli vultum eis exhibuit? Quid autem et hic retro relictum est? 8. *Dixit autem angelus ad eum: Præcinge te, et calcea te caligas tuas.* Hic etiam ostendit rem non ex dolo factam fuisse: nemo enim, qui festinus fodere velit, tantam adhibet curam, ut etiam caligas accipiat, et se præcingat. *Fecit autem sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me.* 9. *Et egressus sequebatur eum: et nesciebat quia verum est, quod fiebat per angelum; existimabat autem se visum videre.* 10. *Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta est eis.* Ecce secundum signum. Cum discessit angelus, tunc intellexit Petrus. *Et exeuntes processerunt vicum unum, et continuo discessit angelus ab eo.* 11. *Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio, quia vere misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum. Nunc scio*, inquit, non tunc. Cur res ita agitur, nec Petrus in rei gestæ sensum venit, etsi tali frueretur liberatione, quando omnes soluti erant? Confestim vult illum liberari, et postea in rei sensum venire. Quod vero catenæ de manibus ejus ceciderint, magnum erat signum quod non fugeret. 12. *Consideransque venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominabatur Marcus, ubi erant multi congregati et orantes.* 13. *Pulsante autem Petro ostium januæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode.* 14. *Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam.* Perpende Petrum non statim accedere, sed prius læta suis nuntiare. *Accurrens autem nuntiavit stare Petrum ante januam.* 15. *Illi autem dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere.*

2. Vide et ancillas pietate plenas. Præ gaudio non aperuit ostium; illi vero re ita gesta renuebant. *Illa affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant, Angelus ejus est.* 16. *Petrus vero perseverabat pulsans. Cum autem aperuissent, viderunt eum, et obstupuerunt.* 17. *Annuens autem eis manu ut tacerent, narravit eis quomodo Deus eduxisset eum de carcere, dixitque: Nuntiate Jacobo et fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum.* Repetamus igitur seriem narrationis. *Illo autem tempore*, inquit, *misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia.* Quasi fera temere et sine causa omnes invadit. Hoc est, quod dicebat Christus: *Calicem, quem ego bibiturus sum, bibetis: et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini* (*Marc.* 10. 39). *Occidit autem*, inquit, *Jacobum fratrem Joannis gladio.* Et cur, inquies, non statim Petrum occidit? Causam scriptor affert: *Erant enim*, inquit, *dies Azymorum:* et ejus necem volebat cum majori celebritate fieri. Illi igitur ob admonitionem Gamalielis jam a cædibus abstinebant; alioquin vero neque causas inveniebant; sed per alios ea ipsa machinabantur. Quia vero alius erat Jacobus, frater Domini, ideo designavit dicens, *Fratrem Joannis.* Viden' rerum summam penes hos tres fuisse, maxime vero penes Petrum et Jacobum? Hoc maxime condemnatio illorum erat. Non enim jam humana prædicatio ostendebatur, et vere implebatur illud, *Æstimati sumus sicut oves occisionis* (*Psal.* 43. 22). *Videns autem*, inquit, *quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum.* Placebat cædes, et cædes iniqua. Magna Herodis insania; absurdis eorum cupiditatibus serviebat. Cum oportuisset enim contrarium facere, et illorum impetum coercere, ille contra incitabat quasi carnifex quidam ægrotantium, non vero medicus, etiamsi millia exempla haberet, et avi et patris Herodis; et quomodo ille quidem propter cædem infantium magna subierit mala; hic vero, Joanne cæso, grave bellum excitaverit. *Quem cum apprehendisset*, inquit, *misit in carcerem.* Metuebat, ne propter timorem ex morte Jacobi conceptum secederet Petrus: et ut in tuto poneret, misit in carcerem. Quo accuratior custodia, eo mirabilius spectaculum. Hoc autem Petro conducebat, qui hinc probatior effectus est, et fortitudinem suam exhibuit. *Oratio autem*, inquit, *fiebat sine intermissione.* Amoris indicium erat oratio. Patrem omnes quærebant, patrem mansuetum. *Sine intermissione*, inquit, *oratio pro illo fiebat.* Audite, quo essent affectu erga doctores suos. Non tumultuabantur, non turbabantur; sed ad orationem versi sunt, verum et inexpugnabile commilitium: ad illam confugiebant. Non dicebant: Humilis ego et nullius pretii pro illo orarem! Quia enim ex caritate agebant, nihil hujusmodi cogitabant. Vis discere quanta vel inviti fecerint? Illos probatiores exhibuerunt, hos diligentiores fecerunt. Et vide tentationes in festo die inductas, ut illi clariores essent. *Cum autem producturus eum esset Herodes*, inquit, *nocte illa Petrus dormiebat.* Vide Petrum dormientem, nec terrore vel metu detentum. Ea ipsa nocte, qua producendus erat, dormiebat, omnia in Deum rejiciens. Nec simpliciter dormiebat, sed, *Inter duos milites, vinctus catenis duabus. Inter duos* enim, inquit, *milites erat dormiens, vinctus duabus catenis.* Viden' quam accurata custodia? *Et ecce angelus Domini*, inquit, *adstitit, dicens, Surge velociter.* Dormiebant simul custodes: ideo nihil gestorum senserunt. Lumen vero refulsit, ut et videret et audiret Petrus, nec putaret phantasiam esse. Ne vero segniter ageret, latus ejus percutit. Neque modo audit, *Surge;* sed etiam additur, *Velociter:* tam arcte dormiebat. *Existimabat autem se visum videre*, inquit. *Pertransivit autem primam et secundam custodiam.* Ubi nunc sunt hæretici? Quomodo pertransierit dicant nobis: sed non poterunt. Atqui propter hoc illum accingi jubet et calceari, ut et hinc illi persuadeat, hoc non esse phantasma; utque somnum excuteret, sciretque rem esse veram. Ideo statim ceciderunt catenæ de manibus ejus, et audivit, *Surge velociter.* Hoc vero non perturbantis est, sed monentis ne differret. *Et nesciebat*, inquit, *quia verum est id, quod fiebat per angelum: existimabat autem se visum videre.* Jure, ob rerum gestarum sublimitatem.

3. Viden', quanta sit signi magnitudo? quam percellat videntem? quam incredibile illud videatur? Nam si Petrus tanto tempore se visum videre existi-

mabat, etsi præcinctus et calceatus: quid alius non passus esset? *Transeuntes*, inquit, *primam et secundam custodiam*, *venerunt ad portam ferream: et exeuntes processerunt vicum unum et continuo discessit angelus ab eo*. Quæ intus facta sunt, mirabiliora erant; hoc vero deinceps humanius. Cum nihil erat impedimenti, discessit angelus. Neque enim pertransisset Petrus, cum tot essent obices: vere namque stupor aderat. *Nunc scio*, inquit, *quia vere misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum.* Nunc: non tunc, quando in vinculis eram. *Consideransque venit in domum Mariæ matris Joannis.* Quid sibi vult illud, *Considerans?* Cogitans ubi esset. Vel hoc igitur consideravit; vel quod non oporteret utcumque abire, sed benefactori vicem rependere: quod ille considerans, venit in domum Mariæ. Quis est hic Joannes? Forte is, qui semper cum illis erat; ideoque cognomen etiam ejus posuit.

Magnum bonum afflictio. — Vide quantum sit bonum afflictio, quantum noctu precantes proficerent, quam vigiles hinc efficerentur. Vidistin', quantum lucrum ex cæde Stephani? vidistin' quanta ex hoc carcere utilitas? Non enim ulciscens Deus injuste lædentes, sic magnum ostendit evangelium; sed in ipsis lædentibus nihil mali patientibus ipsas tribulationes per se magnum quid esse ostendit, ne vel ab illis eripi, vel ultionem sumi quæramus. Perpende, quomodo ancillæ apud eos in pari pretio essent. *Præ gaudio*, inquit, *non aperuit.* E re autem ita factum est, ne et illi statim videntes obstupescerent, et non crederent, sed mens illorum exerceretur. Et quod nos facere solemus, ancilla quoque facere deprehensa est: illa namque curabat rem lætam nuntiare; læta quippe res erat. *Illi vero dicebant ei, Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere: illi autem dicebant: Angelus ejus est.* Hinc verum probatur, unumquemque nostrum angelum habere. Et unde in mentem subiit illis angelum esse? A tempore illud suspicabantur. *Ut autem perseverabat pulsans*, inquit, *cum aperuissent, viderunt eum, et obstupuerunt. Ille vero annuens manu*, silentium magnum fecit, ut audiretur. Optatior deinceps discipulis erat, non modo quod servatus esset, sed etiam quod adesset et accederet. Discunt manifeste omnia familiares, discunt et alieni, si credere velint; sed noluerunt. Hoc etiam in Christo factum est. *Nuntiate*, inquit, *Jacobo et fratribus hæc.* Vide quomodo vanam gloriam non quærat. Non enim dixit, Undique hæc omnibus nuntiate; sed, *Fratribus. Et abscessit in alium locum.* Neque enim tentabat Deum, neque sese in tentationes injiciebat: illud enim jussi tantum faciebant. *Ingressi*, inquit, *in templum, loquimini populo* (*Act.* 5. 20). Audierunt et statim obsequuti sunt. Hoc vero jam non dicit angelus, sed quod silenter abscedit et noctu eduxit, dedit facultatem secedendi. Hoc autem factum est, ut discamus multa humano more dispensata fuisse, ut ne ille iterum periclitaretur. Ne enim post discessum ejus dicerent angelum ejus esse, hoc prius dixerunt, et postea illum viderunt, qui hanc opinionem sustulit. Si angelus fuisset, non pulsasset fores, nec secessisset in alium locum: Confirmat etiam illos, quod non in die factum sit. Hi soluti precabantur, ille vinctus dormiebat. Si putasset rem, quæ agebatur, veram esse, perterritus fuisset, nec memor gestorum: nunc autem quasi in somno videns, sine perturbatione erat. *Venerunt*, inquit, *ad portam ferream.* Vide quam firma esset. *Transeuntes*, inquit, *primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream.* Et cur, inquies, non per seipsos hoc faciunt? Cur? Quia hac in re Deus illos honorat, quod per angelos eruat ipsos. Quid ergo? cur non sic in Paulo factum est? Illic e re fuit, quia custodem carceris credere oportebat; hic vero solum opus erat apostolum liberari: alioquin vero Deus diverse omnia dispensat. Illic Paulus hymnos canebat (*Act.* 16. 25), hic Petrus dormiebat. Ne ergo occultemus miracula Dei, sed ad utilitatem nostram hæc divulgari curemus, et ad aliorum ædificationem. Ut enim admirabilis fuit, qui ligari voluit; ita admirabilior qui non prius discessit, quam suis omnia nuntiasset. Dixitque, *Nuntiate Jacobo et fratribus.* Cur dicere jubet [1]? Ut illi gaudeant, ut ne solliciti sint, ut per hos illi discant, non ipsi per illos: sic de inferiori parte curam gerebat. Nihil ergo moderata afflictione melius. Qualem putas illorum tunc fuisse animam? quanta voluptate plenam?

Vigilantia laudatur. — Ubi sunt nunc mulieres, quæ tota nocte dormiunt? ubi viri, qui neque in lecto se versant? Viden' vigilem animam? Cum uxoribus, pueris et ancillis Deum celebrabant, per tribulationem puriores cælo effecti. Nunc vero, si parvum videamus periculum, concidimus. Nihil Ecclesia illa splendidius. Ipsos imitemur, æmulemur. Non ideo facta est nox, ut per totam dormiamus et otiemur. Hoc testificantur artifices, negotiatores, mercatores, Ecclesia Dei media surgens nocte. Surge et tu, et vide stellarum chorum, profundum silentium, quietem multam: obstupesce de Domini tui providentia. Purior tunc est anima, levior, subtilior, sublimis, expedita: tenebræ ipsæ, silentium multum, in compunctionem inducere possunt. Si vero cælum respicias stellis quasi innumeris distinctum oculis, omnimoda voluptate frueris Creatorem statim mente reputans. Si cogitaveris eos, qui interdiu clamant, rident, exsultant, saliunt, injuste agunt, avaritiæ student, minantur, innumera mala inferunt, tunc a mortuis nihil differre, humanam omnem arrogantiam damnabis. Somnus accessit, et naturam superavit: imago est mortis et consummationis. Si vicum respexeris, nullam vocem audies; si domum, omnes videbis quasi in sepulcro jacentes. Hæc omnia possunt animam excitare, et ad cogitationem consummationis inducere.

4. Hic vero mihi et ad viros et ad mulieres sermo est. Flecte genua, ingemisce, Deum precare ut tibi sit propitius: nocturnis ille precibus magis flectitur, cum requiei tempus in luctum verteris. Recordare

[1] Hæc, *cur dicere jubet*, desunt in quibusdam.

verborum regis illius : *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* 6. 7). Quantumvis deliciis affluas, non magis quam ille; quantumvis sis dives, non es ditior Davide. Iterumque ait ille : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* 118. 62). Tunc vana gloria non te exagitat : quomodo posset enim omnibus dormientibus, nec videntibus? Tunc nec ignavia nec oscitantia invadunt : quomodo possent enim, cum tot tantaque animam excitent? Post talia pervigilia somnus suavis est, et revelationes mirabiles. Hoc fac et tu vir, non sola mulier. Sit ecclesia domus viris et mulieribus constans. Ne quia tu solus vir, ipsa sola mulier est, putes id impedimento esse. *Nam ubi duo fuerint congregati in nomine meo*, inquit, *illic sum in medio eorum* (*Matth.* 18. 20). Ubi Christus medius, ibi magna multitudo est : ubi Christus, necesse est et angelos esse et archangelos et alias potestates. Non igitur soli estis omnium habentes Dominum. Rursus audi prophetam dicentem : *Melior est unus faciens voluntatem Domini, quam mille iniqui* (*Eccli.* 16. 3). Nihil infirmius multis iniquis, nihil fortius uno, qui secundum Dei legem vivit. Si tibi sint liberi, excita illos; et sit omnino noctis tempore domus ecclesia : si vero sint teneri, nec vigilare possint, unam alteramve emittant orationem et quiescant. Tantum surge, et illud in consuetudine pone. Nihil hoc promptuario melius, quod tales preces suscipiet. Audi prophetam dicentem : *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabar in te* (*Psal.* 62. 7). At dices : Per diem multum laboravi, nec possum. Hæc obtentus sunt et cavillationes. Quantumvis enim laboraveris, non quantum faber ærarius, qui tam gravem malleum ab alto ad usque prunas demittit, et fumum toto corpore excipit : et tamen maximam noctis partem ea in re consumit. Nostis etiam, mulieres, si quando nobis in agrum concedere opus fuit, aut ad pervigilium, quomodo per totam noctem illi vigilant. Et tibi ergo officina sit spiritualis, non ut ollas et lebetes, sed ut animam tuam pares, quæ et ærario et aurifice multo melior est. Animam peccatis inveteratam induc in officinam confessionis : malleum a summo induc, id est, verborum damnationem : accende ignem Spiritus. Multo præstantiorem artem habes. Non aurea vasa concinnas; sed auro omni pretiosiorem animam sicut ærarius tractas : non vas corporeum apparas; sed animam ab omni sæculari phantasia liberas. Adsit tibi lucerna, non hæc ardens, sed quam memorat propheta : *Lucerna pedibus meis lex tua* (*Psal.* 118. 105). Accende orationibus animam : si satis illam habere videris, educ, efforma illam ut vis.

Oratio purgat rubiginem peccatorum. — Crede mihi, non sic ignis rubiginem purgat, ut nocturna oratio rubiginem peccatorum nostrorum. Revereamur, si neminem alium, saltem nocturnos custodes. Illi ob humanam legem circumeunt in frigore multum clamantes, et in vicis gradientes, sæpe madidi vel rigentes, idque propter te tuamque salutem, ac pecuniarum tuarum custodiam. Ille pecuniarum tuarum tantam curam gerit; tu vero nec animam tuam curas. Non te cogo, ut sub dio circumeas sicut ille, neque ut altum clames et dirumparis; sed in ipso penuario vel cubiculo flecte genua, precare Dominum. Cur ipse Christus pernoctavit in monte? annon ut nobis exemplo esset? Tunc respirant plantæ, in nocte dico : tunc anima plus quam illæ rorem excipit. Quæ in die sol adussit, ea noctu refrigerantur. Magis quam ros nocturnæ lacrymæ contra concupiscentias et contra omnem ardorem æstumque demittuntur, nec sinunt grave quidpiam pati. Nisi autem rore illo fruatur anima, interdiu aduretur. Verum absit, ut aliquis vestrum ab igne illo exuratur. Sed utinam nos omnes refrigerati et divina fruentes clementia, a peccatorum sarcina liberemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVII.

Cap. 12. v. 18. *Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro.* 19. *Herodes autem cum requisisset eum, et non invenisset, inquisitione facta de custodibus, jussit eos abduci : descendensque de Judæa Cæsaream, ibi commoratus est.*

1. Multi dubii quærunt, cur Deus illos olim infantes propter se occisos neglexerit [1], et nunc rursum milites propter Petrum interfectos, etsi potuerit illos cum Petro servare. Sed si cum Petro milites eduxisset angelus, id pro fuga habitum fuisset. Cur ergo, inquies, non aliter disposuit? nam quale damnum nunc factum est! Si consideremus eos, qui injuste et per nefas passi sunt, nihil damni accepisse, non hæc quæremus. Cur enim non dicis etiam de Jacobo, quare illum non eripuit? Alioquin vero non erat adhuc judicii tempus, ut singulis pro merito daretur. Sed neque Petrus injecit illos in manus ejus. Herodes ergo ægre ferebat, quod delusus esset, sicut avus suus delusus fuerat a magis : hinc dissecabatur et risui erat expositus. E re autem fuerit scriptoris audire verba : *Facta autem die*, inquit, *erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. Herodes autem cum requisisset eum, et non invenisset, inquisitione facta de custodibus, jussit eos abduci*; etiamsi inquisitionem faciens audisset ab eis, quod relictæ fuissent catenæ, quod calceos accepisset, et quod usque ad illam noctem secum fuisset. Sed quid occultarunt? cur non ergo et ipsi fugerunt? Atqui oportuit ipsum hoc mirari et obstupescere. Demum ex illorum nece manifestum est omnibus et Dei miraculum et illius scelus. Sed vide, quomodo hic ea non

[1] Quidam Mss. sic incipiunt : *Sunt forte qui dubii quærant cur Deus athletas propter se occisos neglexerit.*

occultet, sed et historiæ meminerit, ut doceat nos. Deinde ait: *Descendensque a Judæa Cæsaream, ibi commoratus est.* 20. *Erat autem* Herodes *iratus Tyriis et Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, et persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod aleretur regio eorum ab illo.* 21. *Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos.* 22. *Populus autem acclamabat, Dei vox, non hominis.* 23. *Confestim autem percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset gloriam Deo: et consumptus a vermibus exspiravit.* 24. *Verbum autem Dei crescebat et multiplicabatur.* Non parva res hæc est. Statim illum ultio invasit: etsi non propter Petrum invasisset, at propter arrogantem illius concionem. Atqui etsi illi acclamarunt, inquies, quid hoc ad illum? Quoniam ipse vocem excepit, quoniam se dignum putavit tali adulatione. Per hanc maxime erudiuntur, qui temere adulantur. Perpende item utrosque meruisse pœnas; hunc autem plecti. Non enim judicii tempus nunc est, sed magis noxium supplicio afficit, illis dimissis, ut hinc lucrum accipiant. *Et verbum Dei crescebat*, inquit, *et multiplicabatur*. Hoc est, ea peracta re. Vidistin' Dei œconomiam? 25. *Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Jerosolymis expleto ministerio, assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus.* (*Cap.* 13) 1. *Erant autem quidam in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ et doctores, Barnabas et Simeon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen Herodis tetrarchæ collactaneus, et Saulus.* Adhuc Barnabam primum memorat: nondum enim clarus erat Paulus, nondum signum aliquod fecerat. 2. *Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam et Saulum in opus, ad quod vocavi eos.* 3. *Tunc jejunantes et orantes imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Quid est, *Ministrantibus?* Prædicantibus. *Segregate mihi*, inquit, *Barnabam et Saulum.* Quid sibi vult, *Segregate mihi?* Ad opus, ad apostolatum. Vide rursum, a quibus ordinentur: a Lucio Cyrenæo et Manahe, imo a Spiritu. Quanto enim minores personæ, tanto clarior apparet Dei gratia. Ordinatur demum in apostolatum, ut cum potestate prædicet. Quomodo igitur ipse dicit? *Non ab hominibus, nec per homines* (*Galat.* 1. 1)? *Non ab hominibus* dixit, ut declararet, non hominem ipsum vocasse vel adduxisse: *neque per homines*, quia non ab alio quam a Spiritu missus est. Ideo sic addidit: 4. *Hi itaque missi a Spiritu, descenderunt Seleuciam; inde navigaverunt in Cyprum.* Sed superius dicta exploremus. *Facta autem die, erat turbatio non parva propter Petrum. Et inquisitione facta de custodibus, jussit abduci.* Ita sensu destitutus fuit, ut etiam injuste punire aggrederetur. Ecce causam illorum defendo. Vincula erant, custodes intus, carcer clausus, nusquam perfossus paries, omnes eadem dicebant, Homo ille raptus non est, cur illos condemnas? si solvere voluissent, vel ante solvissent, vel simul exissent. Sed pecunias acceperunt? Quomodo qui neque pauperi erogare poterat, his dedisset? Neque enim fractæ catenæ neque solutæ sunt. Oportebat videre rem esse divinam, non humanam. Deinde, quia historiam memoraturus erat, ideo etiam nomina ponit, ut probetur omnia vere dici. *Et persuaso*, inquit, *Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem.* Hoc faciunt, quia fames erat. *Statuto autem die, sedens Herodes pro tribunali, concionatur*, inquit. *Confestim autem percussit eum angelus Domini: et consumptus a vermibus exspiravit.*

2. Hoc et Josephus dicit (*a*), quod in longum morbum inciderit. Multi itaque hoc nesciebant; apostolus vero narrat. Verum ignorantia illis proderat, dum Herodis casum morti Jacobi et militum cædi imputarent. Perpende, quando apostolum occidit, nihil tale fecit: quando illos, nihil dicebat. Utpote dubius ergo et confusus ex Judæa Cæsaream venit. Mihi videtur, cum illos abducere vellet, ad hos venisse, ut sese purgaret; irascebatur enim illis, dum his sic gratificaretur. Vide quam vanæ gloriæ cupidus homo esset. Gratiam illis daturus concionatus est. Josephus vero ait, ipsum veste splendida et argento intexta amictum fuisse. Vide etiam quam adulatores essent illi, et apostolorum sensum. Quem enim gens tota colebat, hunc illi respuebant. Tunc illis datum est, ut respirarent, et multa parta sunt bona ex illius ultione. Quod si ille hoc audito, *Vox Dei, non hominis*, licet nihil dixerit, talia passus est: multo majora Christus, si Deus non fuisset, passus esset, qui semper dicebat, *Verba mea non mea sunt*, et, *Ministri mei utique decertarent* (*Joan.* 14. 10. *et* 18. 36), similiaque. Ille vero fœde et miserabiliter vitam clausit; et nihil ex eo reliquum. Perpende item quomodo Blasto assentiatur, et quam facile miser ille homo irascatur, et postea mitigetur, ubique populi servus, nihilque liberum habens. Considera item auctoritatem Spiritus sancti. *Ministrantibus autem illis Domino*, inquit, *et jejunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam et Saulum.* Quis ausus esset, nisi tanta potestate fultus, hæc dicere? Hoc autem fit, ut non simul ipsi maneant. Vidit illos majorem habere virtutem, et pluribus posse sufficere. Quomodo autem illis loquutus est? Forte per prophetas. Ideo ante dixit, et prophetas fuisse et jejunasse atque ministrasse, ut discas multa sobrietate opus fuisse. Antiochiæ ordinatur, ubi prædicat. Cur non dixit, Domino segregate, sed, *Mihi?* Ostendit unam esse potentiam et virtutem.

Magna res jejunium. Muliere deliciis dedita nihil turpius. — Viden' quanta res sit jejunium? Ostendit Spiritum omnia fecisse. Magnum quoddam bonum est jejunium: non termino circumscribitur. Cum ordinare oportebat, tunc jejunant: et jejunantibus illis dixit Spiritus. Jejunium vero non hoc solum est; sed etiam abstinere a deliciis, jejunii species est. Hoc tantum ego impero: non jejunate, sed a deliciis abstinete. Alimenta quæramus, non corruptionem; alimenta quæramus, non morborum occasiones et spi-

(*a*) Vide Josephum, lib. 19, c. 7.

ritualium et corporeorum; alimentum quæramus, quod voluptatem quidem habeat, non vero delicias molestia plenas. Illud suave est, hoc perniciosum; illud voluptas est, hoc labor; illud secundum naturam, hoc præter naturam. Dic enim mihi, si quis daret tibi toxicum ad potum, nonne hoc præter naturam esset? si quis ligna et lapides, nonne aversareris, et quidem merito? Præter naturam enim hoc est, ut et deliciæ. Nam ut in civitate, quæ obsidetur, magna perturbatio et tumultus est, inimicis ingredi conantibus: ita et in anima accidit, dum vinum et deliciæ superveniunt. *Cui væ, cui tumultus, cui molestiæ et nugæ, cui judicium? nonne iis, qui vinum assidue potant? Cujus lippi sunt oculi* (*Prov.* 23. 29. 30)? Verum quidquid dixerimus, non avertemus eos, qui deliciis dant operam, nisi alium aggrediamur animi morbum. Et primum contra mulieres sit sermo. Nihil turpius muliere deliciis dedita, nihil turpius ebriosa: obscuratur enim flos vultus ejus, turbatur serenitas et suavitas oculorum, quasi nube quadam solares radios subeunte. Res est illiberalis et servilis, atque ignobilitate plena. Quam insuavis est mulier vinum spirans, quod oleat et corruptum sit dum eructat carnium corruptarum humorem, aggravata ut surgere nequeat, rubicunda plus quam par est, oscitans, et caligne offusa? At non talis est illa, quæ a voluptate abstinet; sed honesta, temperans et formosa: nam animi compositio multum corpori affert decorem. Ne putes enim a corporali solum specie hoc fieri. Da formosam puellam, turbulentam, loquacem, convicientem, ebriosam, sumptuosam: nonne quavis fœda et turpi deformior est? Si vero pudorem habeat, si taceat, si erubescere didicerit, ac modeste loqui, si jejunare, duplex est pulchritudo, major forma, gratior vultus, castitate et ornatu plenus. Vis jam de viris loquamur? Quid ebrio turpius? Ridiculus est famulis, ridiculus hostibus, miserabilis apud amicos, omni damnatione dignus: fera magis quam homo: nam multis ingurgitari pardi, leonis et ursi est. At illa sic merito faciunt: non habent enim animam rationalem. Quin et illæ si ultra mensuram a natura definitam edant, toto corpore corrumpuntur: quanto magis nos? Ideo nobis Deus angustum ventrem dedit; ideo parvam tibi mensuram definivit, ut doceret animam curari oportere.

3. Consideremus ipsam constitutionem nostram, et videbimus unam particulam in nobis hanc habere operationem. Os enim nostrum et lingua ad hymnos deputata sunt, fauces ad vocem. Ideo necessitas naturæ nos ligavit, ut ne inviti quidem in multam difficultatem incidamus. Si namque voluptas morbos et ægritudines non haberet, tolerabilis res esset: nunc autem naturæ tibi terminos posuit, ut ne volens quidem transgrediaris. Nonne voluptatem, dilecte, quæris? Hanc a frugalitate parabis: nonne valetudinem? Et hanc quoque: nonne libertatem a curis? Hanc itidem: nonne libertatem, robur et bonam constitutionem corporis, animæ sobrietatem, vigilantiam? Bona omnia hic sunt; in crapula vero contraria, insuavitas, mala valetudo, morbus, illiberalitas, sumptus. Unde igitur, inquies, ad illam currimus omnes? Ab infirmitate. Dic enim mihi, cur æger noxia quærit? annon hoc ipsum signum est morbi? Cur claudus non recte incedit? nonne ex ignavia et quod nolit accedere ad medicum? Res enim aliæ temporaneam habent voluptatem perpetuumque supplicium; aliæ e contrario temporaneam patientiam et perpetuum gaudium. Qui igitur sic mollis et ignavus est, ut non contemnat præsentes delicias pro futuris, cito capitur. Dic mihi, Esaü unde captus est; unde factum ut præsentem voluptatem futuro honori præferret? Ex mollitie. Hoc ipsum vero unde, inquies? Ex nobis ipsis; quod hinc manifestum est. Quando volumus, nos excitamus, et patientes efficimur. Si igitur quandoque advenerit necessitas, sæpe contendendo tantum, quid utile sit conspicimus.

Gulæ mala. — Cum ergo deliciis te dediturus es, temporaneam esse voluptatem cogita, damnumque hinc proveniens (damnum enim vere est, cum sua pernicie tot opes insumere), morbos, infirmitates, et voluptatem contemne. Quot vis tibi homines enumerem mala passos a deliciis. Noe inebriatus est ac nudatus; et vide quot hinc mala evenerint: per gulam Esaü primogenita perdidit, et ad fratris cædem se accinxit. *Populus Israel sedit manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (*Exod.* 32. 6). Ideo ait, *Comedens et bibens recordare Domini Dei tui* (*Deut.* 6. 12). In præcipitium enim ruerunt, qui in delicias inciderunt. *Vidua*, inquit, *quæ in deliciis est, vivens mortua est* (1. *Tim.* 5. 6); ac rursum, *Impinguatus, incrassatus est, et recalcitravit dilectus* (*Deut.* 32. 15); rursumque apostolus. *Carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* 13. 14). Non legem pono jejunium (neque enim est qui audiat), sed voluptatem nimiam tollo, delicias exscindo ad utilitatem vestram: velut enim torrens, sic omnia subvertunt deliciæ; nihil est quod impediat illas; e regno ejiciunt. Quid amplius? Vis deliciari? Da pauperibus, voca Christum, ut etiam sublata mensa delicieris. Nunc enim non habes; ita expedit: neque enim stant præsentia: tunc autem habebis. Vis deliciari? Ale animam: da illi cibos quibus assuevit: ne fame occidas illam. Tempus est belli et pugnæ, tu vero sedes in deliciis? Non vides eos qui sceptra tenent, in exercitu frugaliter viventes. *Non est nobis lucta adversus sanguinem et carnem* (*Ephes.* 6. 12); tu vero te impinguas pugnaturus? Dentibus stridens stat adversarius; tu vero effusus es et mensæ addictus. Scio me hæc frustra dicere, sed non omnibus. *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Luc.* 8. 8). Christus fame tabescit; et tu præ crapula dirumperis: duo sine mensura sunt. Quid enim mali non pariunt deliciæ? (*a*) [Sibi ipsis adversantur:] unde nescio quomodo hoc nomen sortitæ sint; sed quemadmodum et gloria quæ est infamia, et divitiæ quæ sunt paupertas, ita dictæ sunt: sic et deliciæ quæ sunt molestiæ. Num immolandi sumus, qui nos ita

(*a*) Quæ uncinis clauduntur non legit Montf., posuitque in margine Savilius.

impinguamus? Cur vermi lautam paras mensam? cur majorem facis saniem? cur fontes sudorum et fœtores deponis? cur te ad omnia inutilem reddis? Vis esse fortem oculum? Corpus fac robustum. Nam in chordis quæ crassa et impura, ad melodiam inutilis est, quæ vero undique pura et tensa, ad sonos omnino utilis. Cur defodis animam? cur parietem crassiorem facis? cur magnum fumum et nubem? quandoquidem vapores ut nebula quædam undique effunduntur. Si nemo alius, saltem athletæ doceant te, corpus gracilius esse robustius. Sic et anima philosophiæ dedita firmior; similis namque est aurigæ et equo. Et videre licet, sicut homines delicati et obesiores, sic et obesiores equi difficilius excitantur, et multum aurigæ negotii facessunt. Optandum certe, ut obsequentem et firmum equum habens possit bravium assequi. Quando autem cogitur auriga trahere ipsum, et millies lapsum ne pungendo quidem erigit: etiamsi valde sit peritus, a victoria excidet. Ne despiciamus animam nostram, a corpore læsam; imo illam perspicaciorem efficiamus: alam ejus levem reddamus, molliora vincula: sermonibus illam pascamus, frugalitate, ut sanum sit corpus, ut robustum, ut gaudeat nec doleat: ut nostra sic recte constituentes possimus summam virtutem attingere, atque æterna consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

Cap. 13. v. 4. *Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam; et inde navigaverunt in Cyprum.* 5. *Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagogis Judæorum. Habebant autem et Joannem ministrum.*

1. Ordinati simul exierunt, et in Cyprum navigarunt, eo quod illic nullæ essent insidiæ, et verbum Dei jam disseminatum esset. Antiochiæ quidem jam multi erant: Phœnicia prope Palestinam erat, Cyprus non item. Cæterum ne quæras, quare; quando Spiritu moventur: non solum enim Spiritu sunt ordinati, sed etiam missi. *Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagogis Judæorum.* Vides illos cum omni diligentia verbum nuntiare primis illis, ne illos contentiosiores redderent? Et illi nonnisi Judæis loquebantur, et hi ad synogogas abierunt. 6. *Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt virum quemdam magum pseudoprophetam Judæum, cui nomen Barjesu,* 7. *qui erat cum proconsule Sergio Paulo, viro prudente: qui accersitis Barnaba et Saulo, desiderabat audire verbum Dei.* 8. *Resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen ejus), quærens avertere proconsulem a fide.* Rursum magus Judæus sicut Simon. Et considera ipsum, dum aliis prædicabant, non multum indignantem, sed cum proconsulem adiissent. Quod autem in proconsule mirum est, quod illius magia præoccupatus, voluerit apostolos audire. Sic et Samaritani fecerunt; et ex comparatione victoria apparet, et magia vincitur. Ubique vana gloria et amor principatus causæ malorum sunt. 9. *Saulus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum,* 10. *dixit: O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas?* 11. *Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus, non videns solem usque ad tempus.* Hic nomen illius mutatur post ordinationem, id quod etiam Petro accidit. Et vide, non contumelia est, sed increpatio. Petulantes enim et impudentes sic oportet increpare. *O plene omni dolo*, inquit, *et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ.* Hic revelat ea, quæ in mente ille habebat, dum salutis obtentu proconsulem perderet. *Non desinis*, inquit, *subvertere vias Domini.* Et cum fide, Non contra nos decertas et pugnas, ait, sed vias Domini rectas subvertis, et cum encomio hæc dicit. *Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus.* Quo ipse reductus est signo, hoc et illum vult reducere. Et illud, *Usque ad tempus*, non punientis dictum est, sed convertentis. Nam si punientis esset, illum in perpetuum fecisset cæcum: nunc vero non hoc agit, sed ad tempus, ut proconsulem lucretur. *Et confestim cecidit in eum caligo et tenebræ, et circuiens quærebat qui ei manum daret.* 12. *Tunc proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini.* Jure certe: nam eum, qui magia præoccupatus erat, hac pœna doceri par erat. Sic Ægyptii magi olim a pustulis eruditi sunt. Perpende autem illos non isthic moram trahentes, utpote proconsule jam credente, neque adulatione et honore emolliti sunt, sed statim operi se dediderunt, et in transmarinam regionem se contulerunt. 13. *Et cum e Cypro navigassent Paulus et qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Joannes autem discedens ab eis, reversus est Jerosolymam.* 14. *Illi autem pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ: et ingressi synagogam die sabbatorum sederunt.* Rursum in synagogas habitu Judæorum ingressi sunt, ne impugnarentur vel pellerentur: et ita totum perficiebant. 15. *Post lectionem autem legis et prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Fratres, si est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.* Jam hinc quæ Paulum spectant discimus, cum antea non pauca de Petro didicerimus. Sed quæ superius dicta sunt exploremus. *Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei* in metropoli Cypri. Per annum manserunt Antiochiæ. Oportebat illo abire, nec semper hic sedere: majoribus opus habebant doctoribus. Vide, quomodo Seleuciæ non moras trahant, scientes a vicina civitate multum utilitatis accepisse Seleucienses, sed illic etiam festinant ad ea, quæ magis urgebant. Nam ut venerunt ad metropolin insulæ, proconsulem emendare studebant. Quod autem non ex adulatione dicatur, *Erat cum proconsule, viro pru-*

dente, ex re ipsa disce : quomodo non multis sermonibus opus habuerit, quomodo voluerit ipsum audire. Et nomina civitatum recenset, ostendens quod, quoniam nuper verbum receperant, opus erat confirmari illos ut in fide manerent : quare frequenter illas adeunt. Perpende, quomodo nihil mago dixerit, donec ille occasionem daret, sed verbum Domini solum annuntiabant. Quia enim alios attendentes videbat, id unum ille in scopo habebat, ne ille persuaderetur. Et cur non aliud signum fecit? quia nullum huic par erat, quod inimicum caperet.

2. Et vide, primo objurgat, et tunc punit. Ostendit autem illum juste pati cum dicit : *O plene omni dolo!* hoc est, nihil dolo vacuum habens. Et recte dicit, *Omni dolo;* simulabat enim. *Fili diaboli :* nam opus illius agebat. *Inimice omnis justitiæ :* hæc enim vere erat omnis justitia. Mihi videtur hoc dicens, vitam illius redarguere. Ut autem ostenderet hæc verba non ab ira proficisci, prius dixit : *Repletus Spiritu sancto;* hoc est, operatione. *Et nunc ecce manus Domini super te.* Non ultio erat, sed medela. Ac si diceret : Non ego facio, sed Dei manus. Vide ut alienus est a fastu. *Eris cæcus, non videns solem usque ad tempus.* Hoc dicit, ut det illi pœnitentiæ locum. Nusquam enim volebant ex tristibus conspicui esse, quamvis hoc erga inimicos fierent. Sed erga suos jure quidem merito : cum vero de alienis ageretur, non item, ne putaretur res ex necessitate et timore proficisci. Cæcitatis vero signum fuit, quod ductores quæreret. Deinde videt cæcitatem proconsul, et statim credit : neque simpliciter, sed *Obstupescens :* vidit enim non hic verba dari, neque fallaciis rem agi. Vide quantum doctrinæ amorem habuit, qui tantum gerebat principatum. Non dixit mago Paulus : Non desinis subvertere proconsulem; sed, *Vias Domini*, quod majus erat; ne videretur adulari. Cur vero Joannes recedit ab eis? nam ait, *Joannes recedens ab eis, reversus est Jerosolymam.* Quia longius deinceps iter suscipiebant : quamvis ipse minister esset; illi vero periculum subirent. Rursus Pergen venientes, prætercurrunt alias civitates : nam ad metropolin Antiochiam festinabant. Et vide, quam compendio narret scriptor. *Sederunt*, inquit, *in synagoga die sabbatorum :* ut sermoni viam pararent. Nec priores loquuntur, sed invitati, et quasi hospites provocati. Si autem non ibi mansissent, sermo non habitus fuisset. Hic primo prædicat Paulus. Et vide ejus prudentiam : ubi sermo sparsus fuerat, prætercurrit; ubi vero nullus fuerat, diutius manet; ut et ipse scribens dicit : *Sic autem studui evangelizare, non ubi nominatus est Christus* (*Rom.* 15. 20). Hoc vero magnæ fortitudinis erat. Vere a principio admirabilis vir fuit : crucifixus, in acie positus, sciebat quanta potiretur gratia; par induxit studium. Non succensuit Joanni : non enim hujus erat (*a*), sed operi hærebat : non formidavit, non timuit in media multitudine conclusus. Vide quomodo providetur, ne Paulus prædicet in Jerusalem : sufficiebat hoc audire, quod credidisset; prædicantem vero non tulissent propter odium : et procul migrat ubi notus non erat. Primo magum redarguit, et qualis esset aperuit : quodque talis esset, signum probavit. Hoc signum erat ejus animæ cæcitatis. Ad tempus patitur, ut pœnitentiam agat. Bene autem in sabbato Paulus intravit in synagogam, quando omnes congregati erant. 15. *Et post lectionem*, inquit, *legis et prophetarum, miserunt principes synagogæ, dicentes : Viri fratres, si est in vobis sermo exhortationis ad populum, dicite.* Vide illos tunc sine invidia copiam facere; postea vero non item. Si hoc voluissetis, magis oportebat exhortari. Sed, o principatus amorem! o vanam gloriam! quomodo omnia subvertit et perdit : contra propriam, contra mutuam salutem stare suadet : ita cæcos efficit [1], ut ductores quærantur. Utinam saltem hoc, utinam saltem ductores quærerent : verum hoc non quærunt, sed sibi ipsis totum committunt. Neminem ille sinit videre : sicut caligo et nebula ingruit, nec sinit inspicere.

Vitium aliquando aliud vitium superat.— Quam defensionem habebimus, qui per vitium illud vitium aliud superamus, sed non per timorem Dei? Verbi gratia, multi qui simul lascivi et avari erant, per parcimoniam lasciviam superarunt; alii contra ex lascivia pecunias contempserunt. Rursum alii vana gloria capti, ambo illa vitia prostravere, pecunias sine modo insumentes, et frustra continentes : alii rursum vanæ gloriæ admodum cupidi, hoc vitium contempserunt, multa fœda passi et propter amores et propter pecunias : alii rursum ut iram explerent suam, innumera damna subiere, et nihil aliud curaverunt, quam ut voluntatem suam ad effectum deducerent. Et quod passio potuit, non potuit apud nos Dei timor. Et quid passionem dico? Quod pudor humanus potest, non potest Dei timor. Multa et recte facimus et peccamus præ hominum pudore; Deum vero non timemus. Quot præ pudore opes effuderunt? quot frustra ambierunt amicis in malo servientes? quot in amicorum gratiam sæpissime peccaverunt?

3. *Gloria humana fugienda; quænam gloria quærenda sit.*— Si ergo et affectus et pudor humanus et ad peccata et ad bona opera nos possunt inducere, frustra dicimus nos non posse : possumus enim, si volumus; velle autem, omnes oportet. Dic mihi : cur non potes gloriam vincere, cum alii eamdem animam, idem corpus [2], eamdem formam, eamdem vitam habentes, ipsam vincant? Cogita Deum, cogita supernam gloriam : confer illam cum præsentibus, et statim ab hac gloria resilies. Si omnino gloriam expetis, eam quæ vere gloria est concupisce. Quæ gloria est, cum infamiam pariat? quæ gloria, quando inferiorum honorem cupere cogeris et illo opus habere? Honor est majorum gloria frui. Si omnino glo-

(*a*) Textus Græcus habet, οὐ γὰρ τούτου ἦν. Dounæus sic vertendum putat, *Non enim iræ deditus erat :* vel sic fortassis explicandum : *Non enim ipsius erat ;* id est, non ille, sed Barnabas illum adduxerat.

[1] Quidam habent, *vere cæcos efficit.*

[2] Hæc, *eamdem animam, idem corpus*, non leguntur in Mont., sed e Savilio adjecta sunt.

riam diligis, eam potius ama, quæ a Deo est. Si illam amans hanc spernas, hanc videbis ignobilem : quamdiu illam, quæ a Deo est, non videris, neque hanc videbis, quam turpis nempe sit, quam ridicula. Ut enim qui malæ, deformis fœdæque mulieris amore capti sunt, donec illam amant, non possunt ejus deformitatem videre, affectu judicium obscurante : ita et hic quamdiu affectu detinemur, cernere non possumus quantum sit malum. Quomodo ergo, inquies, ab eo liberabimur? Cogita eos, qui innumeras opes insumpserunt, et nihil hinc fructus tulerunt : cogita mortuos, qui tantam adepti sunt gloriam, sed instabilem, quæ periit et evanuit : cogita nomen tantum esse, non rem. Nam quid est gloria, quæso? da definitionem aliquam. Apud omnes admirationi esse, inquies. An jure, an injuria? Si injuria, non erit illud admiratio, sed accusatio, adulatio, calumnia : si autem jure, id possibile non est ; vulgus enim recto caret judicio, et illos miratur, qui suis serviunt concupiscentiis. Et si vultis, illos attendite, qui meretricibus omnia sua dederunt, qui aurigis, qui saltatoribus. At non hos, inquies, dicimus ; sed justos, rectos, qui magna possunt præstare bona. Utinam vellent, et statim bona perficerent : nunc vero nihil hujusmodi faciunt. Quis, quæso, justum et rectum nunc laudat? Contrarium certe accidit. Quid frigidius justo, si præclarum quid agens, vulgi gloriam expetat? Hoc enim agit, ac si quis pictor optimus regis imaginem pingens, imperitorum laudes excipiat. Alioquin autem qui humanam spectat gloriam, a virtutum exercitio cito desistet. Nam si ad laudes illorum inhiet, hæc faciet quæ ipsis placebunt, non quæ sibi. Quod ergo jam vobis consilium dederim? Deo animum adhibere, satis habere, si laudemur ab illo, omnia ipsi placita facere, et bona operari, ad nullam rerum humanarum inhiare : hoc enim et jejunium et orationem et eleemosynam pessumdat, atque omnia nostra bona evacuat. Quod ne patiamur, fugiamus hoc vitium. Unum solum respiciamus, laudem a Deo, illius approbationem, communisque Domini commendationem : ut vita præsente in virtute transacta, promissis bonis cum diligentibus eum potiamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIX.

Cap. 13. v. 16. *Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens, dixit : Viri Israelitæ, et qui timetis Deum, audite.* 17. *Deus plebis hujus elegit patres nostros, et plebem exaltavit, cum essent advenæ in terra Ægypti, et cum brachio excelso eduxit eos ex ea.*

1. Vide Barnabam cedentem Paulo, ut et Joannem ubique Petro. Ille duxit eum ex Damasco : atqui venerabilior erat; sed ad communem utilitatem spectabant. *Et surgens*, inquit, *et manu silentium indicens*. Mos hic Judæis erat : ideo sic illos alloquitur. Vide quomodo sermoni viam paret : primo enim laudans illos, magnamque ostendens erga ipsos curam, per quod dicit, *Qui timetis Deum* ; sic demum incipit sermonem. Non dixit, Proselyti, quod erat calamitatis nomen. *Deus plebis hujus elegit patres nostros et populum*. Vide quomodo hominum communem Deum, ipsorum proprie Deum dicat, et ostendat beneficia magna jam olim ipsis collata, sicut et Stephanus. Hæc autem faciunt, ut doceant illos, quod pro more suo nunc Filium suum miserit. Sicut et Christus de vinea dixit (*Luc.* 20. 13), sic et ille loquitur. *Exaltavit in peregrinatione in Ægypto, et cum brachio excelso eduxit eos ex ea*. Atqui contrarium acciderat (*a*) ; sed multitudine aucti sunt ; imo et miracula propter illos facta sunt. Et prophetæ memorant ubique ea, quæ facta sunt in Ægypto. Et vide, quomodo tempora calamitatum prætercurrat, et nusquam crimina in medium afferat, sed Dei benignitatem, illa relinquens ipsis cogitanda. 18. *Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto*. Deinde habitationem terræ dicit : 19. *Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum*. Et multum intercessit tempus, quadringentorum et quinquaginta annorum. 20. *Et quasi post quadringentos et quinquaginta annos dedit eis judices, usque ad Samuelem prophetam*. Hic ostendit ipsum varie providisse rebus illorum. 21. *Et exinde postulaverunt regem*. Nec memorat ingratum illorum animum, sed ubique Dei clementiam. *Et dedit illis Saül filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta :* 22. *et amoto illo, suscitavit eis David in regem : cui testimonium perhibens, dixit : Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*. Non parvum hoc, quod ex Davide Christus esset. Deinde Joannem inducit testificantem, dicens : 23. *Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israelis Salvatorem Jesum*, 24. *prædicante Joanne ante faciem adventus ejus baptismum pœnitentiæ omni populo Israel*. 25. *Cum impleret autem Joannes cursum suum, dicebat : Quem me arbitramini esse, non sum ego : sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere*. Et Joannes testificatur non simpliciter, sed gloriam a se depellens, etiamsi omnes gloriam ipsi referrent. Non par res est autem nullo dante repellere, et omnibus tribuentibus honorem rejicere, neque simpliciter, sed cum tanta demissione. 26. *Viri fratres, filii generis Abrahæ, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est*. 27. *Qui enim habitabant Jerusalem et principes eorum hunc ignorantes, et voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes, impleverunt :* 28. *et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a*

(*a*) Id est, ni fallor, Deus eduxit illos ex Ægypto, ut induceret in terram promissionis; sed ob illorum nequitiam contrarium accidit; nam maxima pars in deserto periit.

Pilato ut interficeretur. Ubique hoc ostendere satagunt, bonum ipsorum hoc proprium esse, ne tamquam alienum considerantes fugiant, eo quod crucifixissent eum. *Hunc*, inquit, *ignorantes*. Itaque ignorantiæ peccatum erat. Vide quomodo illos leniter defendat. Neque hoc tantum; sed etiam ita fieri oportuisse adjicit. Ne quis vero diceret, Unde manifestum est illum resurrexisse? dicit etiam, *Testes illius sunt.* Deinde rursum ex Scripturis rem confirmat. 29. *Cumque consummassent omnia, quæ de illo scripta erant, deponentes de ligno, posuerunt eum in monumentum.* 30. *Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die, qui visus est per dies multos iis,* 31. *qui simul ascenderunt cum eo de Galilæa in Jerusalem, qui sunt testes ejus ad plebem.* 32. *Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est:* 33. *quia hanc Deus adimplevit nobis filiis eorum, resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* 2. 7). 34. *Quod autem suscitavit eum a mortuis, non ultra reversurum in corruptionem, ita dixit, Quia dabo vobis sancta David fidelia* (*Isai.* 55. 3). 35. *Ideo et in alio dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* 15. 10). 36. *David enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei, dormivit, et appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem:* 37. *quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem.* Vide hunc vehementius disserentem. Hoc numquam Petrus dixit. 38. *Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc nobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus, a quibus non potuistis in lege Moysis justificari,* 39. *in hoc omnis qui credit justificatur.* Deinde hoc terribile: 40. *Videte ergo, ne superveniat vobis quod dictum est in prophetis:* 41. *Videte, contemptores, et admiramini, et disperdimini, quia opus operor ego in diebus vestris, quod non credetis, si quis enarraverit vobis* (*Habac.* 1. 5).

2. Vide quomodo nectit sermonem ex præsentibus, ex prophetis, ex semine secundum promissionem. Verum supra dicta exploremus. *Viri fratres, filii generis Abrahæ.* A patre ipsos appellat. *Vobis sermo salutis hujus missus est.* Hic illud, *Vobis*, non Judæos separatim respicit, sed dat illis potestatem avellendi se ab iis, qui cædem perpetrarunt; quod ex sequenti palam est. *Nam qui habitabant*, inquit, *Jerusalem, hunc ignorantes, et voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt.* Magna accusatio, si frequenter audientes non attenderint. Sed nihil mirum: nam dicta illa circa Ægyptum et desertum, satis erant ad ingratum illorum animum demonstrandum. Et quomodo ignorarunt, inquies, cum Joannes dixerit? Quid mirum, cum prophetæ quoque sæpe clamaverint? Hinc alia accusatio: *Et nulla causa mortis inventa;* id quod ignorantiæ non erat. Ponamus enim, quod cum pro Christo non habuerint, cur occiderunt? *Et petierunt*, inquit, *a Pilato ut interficeretur. Cumque consummassent omnia, quæ de illo scripta erant, deponentes de ligno, posuerunt in monumentum.* Vide quam hoc illis curæ fuerit. Modum mortis dixit, et Pilatum in medium adducit, ut simul et manifesta passio sit ex tribunali, simulque ut illi gravius accusentur, quod illum alienigenæ viro tradiderint. Neque dixit, Conquesti sunt (*a*); sed, *Postularunt*, nulla causa inventa illum occidendi; ita ut palam sit illos gratiam accepisse Pilato nolente: quod clarius dicit Petrus, *Judicante illo dimitti* (*Act.* 3. 13). Multum amabat illos Paulus. Et vide, non moratur in ingrato patrum animo, sed ipsis timorem incutit. Stephanus certe hoc jure facit, utpote occidendus, non docens, et ostendens legem jam solvi: hic vero non item, sed minatur et terret solum. *Deus autem suscitavit illum a mortuis. Qui visus est*, inquit, *multis diebus iis, qui cum eo ascenderant a Galilæa in Jerusalem.* Vide hunc ab ipso Spiritu motum, et passionem et sepulcrum sæpe memorantem. *Et nos vobis annuntiamus*, inquit, *eam quæ ad patres nostros repromissio facta est*; id est, promissionem patres acceperunt, vos rem ipsam. Deinde postquam testem adduxerat Joannem, cum diceret, *De semine hoc secundum promissionem adduxit Israeli Salvatorem, prædicante Joanne ante faciem adventus ejus baptismum pœnitentiæ Israel;* rursus inducit illum iterum dicentem: *Quem me arbitramini esse, non sum ego.* Deinde apostolos quoque inducit resurrectionis testes, dicens: *Qui sunt testes illius ad plebem*, deinde Davidem idipsum testificantem, cum dicit. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Neque enim vetera per seipsa tam firma esse videbantur, neque hæc sine illis: per utraque certe sermonem firmat. Quia enim metu tenebantur, quod illum occidissent, et conscientia alienabat illos, non quasi ad Christicidas loquuntur, nec quasi alienum, sed quasi proprium ipsis bonum traderent. Optatissimum illis erat nomen Davidis: ideo ponit illud, ut vel sic saltem illum suscipiant; ac si diceret, filium ejus regem ipsis futurum esse: igitur ejus frenum ne abjiciatis. Quid sibi vult illud: *Dabo vobis sancta David fidelia?* Firma, inquit, quæ numquam peritura sint. Neque in his moratur, utpote cum his jam credant; sed minatur supplicium, et transit ad id, quod eis optabile erat, cum ostendisset abrogatam esse legem; atque in eo quod utile erat moratur, quod nempe magna trangressoribus mala futura essent. Deinde iterum Davidem cum laude memorat: *David*, inquit, *in sua generatione cum administrasset voluntati Dei, appositus est ad patres suos.* Sicut et Petrus ipsum memorans dicebat: *Liceat dicere cum fiducia de patriarcha David* (*Act.* 2. 29). Nec dicit mortuum esse, sed, *Appositus est ad patres suos*, id quod dictu suavius erat. Et vide quomodo nusquam bona ipsorum opera ponat, sed quæ reprehensibilia erant: nam quod petiissent et accepissent, magna illorum accusatio erat. Hinc beneficia Dei recenset: *Elegit*, inquit, *Exaltavit, Educavit.* Hæc vero non eorum, sed Dei

(*a*) In Græco legitur, ἐνέτυχον, quam vocem interpres prior Latinus vertit, *obtinuerunt*; sed male. Nam ἐνέτυχον hic significat, *conquesti sunt*, *contra eum loquuti sunt*, *accusarunt*. Cujus significationis exempla attulimus non pauca in Onomastico ad finem Editionis Athanasianæ a nobis adornato in voce ἐντυγχάνειν, et in sequenti ἐντυχία. Sic autem intellecta voce ἐνέτυχον omnia quadrabunt.

laudes sunt. Davidem autem solum celebrat, quia ex ipso Christus. Ingressum vero Joannes vocat, dicens, *Ante faciem ingressus ejus*, incarnationem Christi, et ejus cum carne adventum. Sic Joannes Evangelium scribens, ad illum sæpe confugit: magnum enim illi nomen erat in toto orbe. Et vide: non dicit illud ex seipso, sed illius affert testimonium.

3. Viden', quomodo ostendere studeat rem ex œconomia quadam geri. Sed audiamus quid apostoli dicentes persuaserint, quod crucifixus est. Quid hoc incredibilius, quod sepultus sit ab illis, quibus salutem promisit, quod sepultus peccata magis quam lex ipsa remittat? Ideo non dixit: A quibus noluistis; sed, *A quibus non potuistis in lege Moysis justificari; in hoc omnis credens justificatur*: infirmitatem legis ostendens. Recte autem addidit illud, *Omnis*; ut declararet quisquis sit credens. Nulla enim ex illis utilitas, nisi aliquod adsit beneficium. Ideo demum ponit remissionem, hinc quod majus est colligens, et ostendens, id quod non poterat lex facere, hoc clare per mortem fecisse eum qui passus est. Itaque bene dicebat: *Qui sunt testes ejus ad plebem*, illum qui occidit, inquit: neque tales essent, nisi divina virtute firmarentur; neque enim ad homines cædem spirantes talia testificati essent, non ad ipsos qui occiderunt. Illud vero, *Ego hodie genui te*, dixit, quod ad hoc etiam alia sequantur. Et cur non addidit testimonium, quo persuaderentur, per eum remissionem peccatorum futuram esse? Quia illud interim curabat ostendere, quod resurrexisset: hoc autem si in confesso esset, illud hinc indubitatum fuit, nempe per illum remissionem peccatorum fieri. Alioquin volebat illos in boni illius desiderium inducere. Non ergo derelictio erat mors ejus, sed prophetiæ impletio. Historias commemorat, quas ignorantes innumera passi sunt mala. Et hoc subindicat in fine, dicens: *Videte, contemptores, et respicite*. Et vide quomodo illud utpote asperum succidat. *Ne vobis superveniat*, inquit, *quod aliis dictum est: Quia opus ego operor, quod non credetis, si quis narraverit vobis*. Ne miremini, quod incredibile videatur esse: et hoc superius dictum est. Hoc etiam jure nobis dicatur: *Videte, contemptores*, iis qui resurrectionem non credunt. Etenim res Ecclesiæ pessime habent, licet putetis in pace esse. Hoc quippe grave est, quod in malis cum simus, id ignoremus.

Pietas sola Ecclesiam commendat.—Quid dicis? Ecclesias tenemus, possessiones, alia omnia, collectæ fiunt, quotidie adest populus, et contemnimus? At non inde Ecclesiam probaveris. Sed unde, inquies? Si pietas est, si cum lucro domum quotidie recedimus, si cum fructu vel modico vel magno, si legem non utcumque et perfunctorie implevimus. Quis melior effectus est ex conventibus mensis unius? Hoc est quod quæritur: nam hoc ipsum, quod benefactum putatur, infeliciter factum est, cum his ita gestis, nihil amplius lucramur. Atque utinam nihil amplius; nunc enim etiam in deterius vergimus. Quid fructus ex collectis carpitis? Si quid certe fructus carperetis, jam olim omnes oporteret philosophice vivere, cum bis per hebdomadam tot prophetæ vos alloquantur, cum tot apostoli, evangelistæ, omnibus salutaria dogmata proponentibus, quæ possint mores vestros accurate componere. Miles ad tirocinium veniens in bellicis fit peritior; athleta palæstram adiens fit exercitatior ad pugnam; medicus ad doctorem accedens fit expertior, plura scit, plura discit: tu quid lucratus es? non loquor iis, qui per annum, sed iis, qui a prima ætate conventibus adfuerunt. An hoc putatis esse pietatem, quod frequenter ad synaxin accedatis? Hoc nihil est, nisi quid fructus referamus: nisi quid colligamus, melius esset domi manere. Etenim majores nostri ecclesias nobis exædificarunt, non ut ex domibus congregatos vos simul ostendant: hoc enim et in foro et in balneis, et in pompa perinde fit; sed ut discipulos et doctores una congregantes, illos horum ope meliores efficiant. Lex simpliciter et decoris species factæ sunt res nostræ, consuetudo mera nunc est. Venit pascha, magnus tumultus, magnæ turbæ: non enim dixerim, multi homines: illud enim non vere hominum est opus. Transiit festum, tumultus est minor, quies tamen infructuosa. Quot sunt pervigilia, quot sacri cantus? Et quid hinc amplius? Imo pejus accidit: multi enim propter vanam gloriam hoc faciunt. Quantum putatis me in visceribus discruciari, dum video omnia dolium in pertusum effundi? Sed omnino dicetis mihi, Scripturas scimus. Et quid hoc? Si illas operibus exhibeatis, hoc lucrum est, hoc utile. Officina tinctoria est ecclesia: si semper abeatis nulla accepta tinctura, quæ utilitas huc frequenter convenire? Majus quippe damnum est. Quis iis legibus quid adjecit, quas a patribus accepit? Exempli causa: solet quispiam memoriam facere matris, vel uxoris, vel filii: hoc facit sive audiat, sive non audiat a nobis, a consuetudine et a conscientia allectus. Ideone indignaris, inquies? Absit; imo multum gaudeo; sed vellem illum quidpiam ex concione nostra lucrari: et quod consuetudo fecit, id etiam a nobis fieri, et aliam consuetudinem induci. Alioquin quid frustra laboro, si in iisdem mansuri estis? si nihil vobis synaxes afferant boni?

4. Etiam, inquies, precamur. Et quid hoc sine operibus? Audi Christum dicentem: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cælis* (*Matth.* 7. 21). Sæpe statui ego silere, videns nihil ex sermonibus nostris vobis lucri accedere: vel forte accedit, ego vero quod insatiabilis et cupidus sim, idipsum patior quod ii, qui circa pecunias insaniunt. Nam sicut illi, quantumvis accumulent, nihil se putant habere: sic et ego, quia salutem vestram admodum cupio, donec videro vos profecisse, nihil me fecisse puto, quod multum desiderem, ut ad ipsum culmen ascendatis. Vellem ita se habere; idque ex affectu meo, non ex vestra ignavia proficisci; sed timeo, ne forte bene conjectem. Persuasum enim habeatis oportet, si qua in tanto tempore utilitas provenisset, nobis jam dicendi finem faciendum fore. Sic vobis non opus esset verbis, cum ea, quæ jam

dicta sunt, ita sufficiant, ut et alios moderari possint; si quidem illis absentibus quædam vobis utilitas accederet. Quod vero perpetuo monitis opus habeatis, id certe nihil aliud indicat, quam quod vestra non recte se habeant.

Remedia contra vitia ex Scripturis sumenda. — Quid ergo faciendum? non enim objurgandum est tantum. Obsecro et oro, ne id solum spectetis, ut in ecclesiam veniatis; sed ut etiam domum regressi, accepto contra vitia pharmaco, si non a nobis, saltem a Scripturis congruentia habeatis remedia. Exempli causa: est quis iracundus? Attendat lectionibus Scripturarum, et omnino quid reperiet vel in historia vel in monitis: in monitis, cum dicitur: *Momentum furoris ejus ruina ipsis* (*Eccli.* 1. 28); et, *Vir iracundus non modestus* (*Prov.* 11. 25), et similia; iterum vero, *Vir linguosus non dirigetur* (*Psal.* 139. 12); rursumque Christus, *Qui irascitur fratri suo sine causa* (*Matth.* 5. 22); iterumque propheta, *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* 4. 5); et, *Maledictus furor eorum, quia pertinax* (*Gen.* 49. 7). In historiis vero, ut cum audis Pharaonem ira magna incensum, itemque Assyrium, qui hac de causa perierunt. Rursum qui amore pecuniæ captus est, audiat: *Nihil avaro iniquius: hic enim et animam suam venalem exhibet* (*Eccli.* 10. 9); et Christo dicente: *Non potestis Deo servire et mamonæ* (*Matth.* 6. 24); et apostolo, *Radix omnium malorum est avaritia* (1. *Tim.* 6. 10); et propheta, *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* 61. 10), multaque alia similia. Ex historiis, habetis Giezi, Judam, principes scribarum, et quod *Dona excæcant oculos sapientium* (*Exod.* 23. 8. *Deut.* 16. 19). Alius est superbus? Audiat illud, *Deus superbis resistit* (*Prov.* 3. 34); et, *Principium superbiæ peccatum* (*Eccli.* 10. 14); et, *Omnis sublimis corde impurus apud Dominum* (*Prov.* 16. 5). Et in historiis, respicite diabolum aliosque omnes. In summa (non enim possumus omnia recensere), singuli suorum vulnerum pharmaca ex Scripturis divinis deligant: et si non totum simul, partem unam hodie, partem crastina die, et sic omnia abluite. Et circa pœnitentiam, et circa confessionem, circa eleemosynam, circa æquitatem, castitatem cæteraque omnia, exempla reperies. *Hæc* quippe *omnia scripta sunt ad institutionem nostram* (*Rom.* 15. 4), inquit. Si itaque in admonitionem nostram circa omnia disserit, attendamus ut par est. Quid frustra nos ipsos decipimus? Timeo, ne de nobis dicatur: *Defecerunt in vanitate dies nostri, et anni nostri cum festinatione* (*Psal.* 67. 33). Quis nos audiens abscessit a theatris? quis ab avaritia destitit? quis ferventior factus est ad eleemosynam? Vellem scire, non vanæ gloriæ causa, sed ut alacrior fierem, videns egregium laborum fructum. Nunc autem quomodo operi manum admovebo, tot doctrinæ imbres demissos videns, et segetes in eadem mensura nobis manentes, nec majores esse fructus? Demum areæ tempus adest, quo adhibetur ventilabrum. Timeo, ne totum sit fœnum: timeo, ne omnes in caminum conjiciamur. Præteriit æstas, venit hiems; sedemus juvenes et senes propriis capti vitiis. Ne mihi dicas, Non scortor. Quæ enim utilitas, si non scortaris quidem, sed avarus es? Passer etsi non ex omni parte, sed a pede tantum teneatur, et ita perit, in laqueo irretitus, nec prosunt alæ capto pede. Sic et tu, non captus es per fornicationem, sed captus avaritia: captus certe es; neque quæritur, quomodo captus sis, sed quod captus sis. Ne dicat juvenis: non sum avarus; sed forte fornicaris. Et quæ utilitas? Non possunt enim omnia vitia in una ætate reperiri, sed discreta illa sunt, idque per Dei benignitatem, ne si simul invadant, superari nequeant et gravius nobis certamen exhibeatur. Quantæ ignaviæ non fuerit, ne separata quidem vitia posse vincere, sed per singulas ætates vinci, atque altum sapere in iis, quæ non ex nostro studio, sed ex ipsa ætate sapiuntur? Non videtis aurigas, quanta diligentia et exercitatione, quantis laboribus utuntur, quot cibis aliisque omnibus, ut ne dejiciantur de curru? Vide quanta sit ars. Nam vir robustus ne unum quidem equum sæpe moderari possit; dum adolescentulus arte utens, duos facile moderatur et ducit. Et apud Indos ingens illa et formidabilis bellua elephantus puero quindecim annorum cum magna alacritate cedere dicitur. Cur hæc a me dicta sunt? Quia si elephantas et equos feros studio et arte domamus; multo magis affectus nostros, qui in nobis sunt, vincemus. Undenam resolvimur per totam vitam? Numquam artem illam curavimus: numquam otii tempore, a certamine vacantes, apud nos disseruimus quidnam utile sit. Tunc nos in curru stantes quis videat, cum certamen instat: ideo ridiculi sumus. Annon sæpe dixi: Exerceamur cum domesticis ante tentationem? Adversus pueros sæpe domi exasperamur: illic iram sedemus, ut illa apud amicos facilitate usi appareamus. In aliis quoque omnibus si exerceremur, non utique in certaminibus ridiculi essemus. Nunc autem arma quidem sunt, exercitia et studia in artibus et certaminibus; in virtute minime. Non auderet agricola vineam aggredi, nisi prius recte in cultura exercitatus; neque gubernator ad gubernacula sedere, non ante probe exercitatus: non vero inexperti cum simus, primas tenere volumus. Oporteret tacere, oporteret cum nullo communicare vel negotio vel sermone, donec possemus feram, quæ in nobis est, cicurare. Annon fera omni ferocior adversum nos pugnant et furor et concupiscentia? Ne in forum pergas cum hisce feris, donec illis frenum apte immiseris, donec illas cicuraveris. Non vides istos homines, qui mansuetos leones per forum circumducunt, quantum lucrentur et in admiratione sint, quia irrationabili feræ tantam mansuetudinem indidere? si vero repente ferociat leo, omnes qui in foro sunt abigit, et ductor ejus periclitatur, aliisque perniciei causa est. Et tu ergo leonem prius cicura, tuncque circumduc illum; non ut pecuniam accipias, sed ut lucrum referas, cui par nullum est. Nihil enim par est mansuetudini, quæ et possidentibus et utentibus admodum utilis est. Hanc igitur sectemur, ut possimus virtutis viam accurate emensi, æterna consequi

bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXX.

CAP. 13. v. 42. *Exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc.*

1. Vidistin' Pauli prudentiam? Non tunc tantum in admiratione fuit, sed etiam iterum audiendi desiderium immisit illis, cum semina quædam injecisset ac nondum absolvisset, neque verbis finem fecisset, ut illos sibi conciliaret ac benevolos redderet, neque omnia simul ingerendo nauseam pareret. Dixerat: *Remissio peccatorum per hunc vobis annuntiatur*; quomodo autem, non declaravit. Post hæc iterum sui ipsius mentionem facit primum. Viden' quanta alacritas? *Sequebantur* illos, inquit. Cur illos non statim baptizavit? Non erat tempus: persuadere oportebat, ut firmi manerent. 43. *Cumque dimissa esset synagoga, sequuti sunt multi Judæorum et colentium advenarum Paulum et Barnabam: qui loquentes suadebant eis, ut manerent in gratia Dei.* 44. *Sequenti vero sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei.* 45. *Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant iis, quæ a Paulo dicebantur, contradicentes et blasphemantes.* Vide nequitiam percussam, dum alios percutit. Hoc ipsos clariores reddebat, quod illi contradicerent. Primo itaque sua sponte rogabant. *Contradicentes*, inquit, *et blasphemantes.* O petulantiam! propter quæ illos approbare oportebat, propter ea illi contradicunt. 46. *Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad gentes.* Viden', quomodo per contentionem magis extenderunt prædicationem, et magis illi se contulerunt ad gentes, postquam ratione reddita apud congeneres suos sese culpa immunes comprobarunt? Nec dixit, Indigni estis; sed, *Indignos vos judicatis*, ut non onerosus sermo esset. *Ecce convertimur ad gentes.* 47. *Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ* (*Isai.* 49. 6). Ut enim gentes hæc audientes non contristarentur, quasi ex illorum studio bona ipsæ non assequerentur, adducit prophetiam, dicens: *Dedi te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* 48. *Audientes autem gentes.* Hoc illos alacriores reddebat, quod iis illi fruerentur, quibus alii frui debebant; Judæos autem hoc magis mordebat. *Audientes autem*, inquit, *gentes gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini: Et crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam*; hoc est, præfiniti a Deo. Vide quomodo ostendit utilitatis celeritatem. 49. *Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem*; id est, divulgabatur. Ac si diceret, Non contenti zelo, opera etiam addiderunt. Vide quomodo pulsi et zelo incensi, alia magna efficiunt: sese namque appararunt, ut liberius agerent, et ad gentes venirent; et audi quomodo. *Constanter agentes Paulus et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quia repellitis illud, ecce convertimur ad gentes.* Sed vide in hac fiducia servatum modum; et jure quidem. Nam si Petrus sese defendebat, multo magis hi defensione opus habebant, nemine ipsos isthuc vocante. Cum dixit autem, *Primum*, ostendit illis etiam prædicari oportuisse; et cum dixit, *Necessarium*, arguit illis etiam necessarium fuisse. *Sed quoniam repellitis;* non dixit, Væ vobis, neque, Puniemini; sed, *Convertimur ad gentes.* Viden' quanta moderatione plena sit fiducia illa? 50. *Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persequutionem in Paulum et Barnabam, et ejecerunt eos de finibus suis.* Viden' quantum profecerint qui adversabantur prædicationi: in quantam impudentiam illas adduxerint? 51. *At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium.* Hic terribile illud fecerunt quod jusserat Christus dicens: *Et si quis vos non receperit, egressi excutite pulverem pedum vestrorum* (*Matth.* 10. 14. *Marc.* 6. 11). Illi vero non temere hoc fecerunt, sed postquam ejecti sunt ab illis. Cæterum neque hoc discipulis nocuit, sed magis perseverarunt in verbo. Ideo hoc declarans adjicit: 52. *Discipuli autem replebantur gaudio, et Spiritu sancto.* Magistri namque ærumna discipuli fiduciam non tollit, sed alacriorem illum reddit. (*Cap.* 14) 1. *Factum est autem Iconii, ut simul introirent in synagogam Judæorum, et loquerentur, ita ut crederent Judæorum et Græcorum copiosa multitudo.* Rursum in synagogas introeunt. Vide quomodo non timidiores affecti sint, cum dixissent, *Convertimur ad gentes.* Ex abundanti tamen illis excusationem tollunt. *Ita ut crederent*, inquit, *Judæorum et Græcorum copiosa multitudo.* Verisimile est enim illos etiam Græcis prædicasse. 2. *Qui vero increduli fuerunt Judæi suscitaverunt et ad iracundiam concitaverunt animas gentium adversus fratres.* Simul ergo etiam gentes excitarunt, quasi non satis essent ipsi. Cur igitur isthinc non exierunt? Quia non pellebantur, sed tantum impugnabantur. 3. *Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ ipsius, dante signa et prodigia fieri per manus eorum.* Hoc fiduciam addebat; imo fiduciam addebat ipsorum alacritas. Ideo namque rarius signa faciebant; quod autem auditores crederent, inter signa reputandum. Aliquid igitur operabatur dicendi libertas. 4. *Divisa est autem multitudo civitatis: quidam erant cum Judæis, quidam cum apostolis.* Non parum addit ad accusationem quod scindantur. Hoc erat quod dicebat Christus: *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* 10. 34). 5. *Cum autem factus esset impetus gentilium et Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent et lapidarent eos,* 6. *Intelligentes confugerunt ad ci-*

tates quæ circumerant Lycaoniæ, Lystram et Derben, et universam in circuitu regionem, et ibi evangelizantes erant.

2. Rursum quasi data opera extendere volentes prædicationem, postquam augmentum accepit, iterum illos pellunt. Vide ubique persequutiones magna operari bona, et persequentes vinci, pulsos vero splendidos effici. Nam ut venit Lystram, miraculum magnum patravit, erecto claudo, et magna voce: quomodo autem, audi. *Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ, qui numquam ambulaverat.* 8. *Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, et videns quia fidem haberet ut salvus fieret,* 9. *dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exsilivit, et ambulabat.* Cur magna voce? Ut turbæ crederent. Vide autem: diligenter attendebat dictis Pauli; hoc enim sibi vult illud, *Audivit.* Viden' philosophiam? Nihil ex claudicatione læsus in audiendi studio. *Qui intuitus eum, videns quod fidem haberet ut salvus fieret.* Jam prælectionem in familiaritatem assumpserat: etsi in aliis contrarium factum sit. Cum enim prius corpora curaverant, tunc animas curabant: hic vero non sic curatus est. Videtur mihi Paulus ad animam respexisse. *Et exsilivit*, inquit, *et ambulabat.* Perfectæ sanitatis signum erat quod ambularet. 10. *Turbæ autem cum vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam, Lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos.* 11. *Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi.* 12. *Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem illorum, tauros et coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare.* Sed hoc nondum erat manifestum: sua enim voce loquebantur dicentes: *Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos;* ideo nihil illis dicebant. Cum autem coronas viderunt, tunc egressi sciderunt vestimenta sua. 13. *Quod ubi audierunt apostoli Barnabas et Paulus, conscissis vestibus suis, exsilierunt in turbam, clamantes* 14. *et dicentes: Viri, quid hoc facitis? et nos similiter ut vos passibiles sumus homines.* Vide illos ubique a gloriæ studio mundos: non modo non desiderantes, sed oblatam depellentes: ut et Petrus dicebat: *Quid nos intuemini, quasi propria virtute vel pietate fecerimus hunc ambulare* (*Act.* 3. 12)? Hi quoque idipsum dicunt. Joseph etiam dicebat de somniis: *Nonne a Deo manifestatio eorum* (*Gen.* 40. 8)? et perinde Daniel: *Et mihi non in sapientia, quæ in me est, revelatum est* (*Dan.* 2. 30). Et Paulus hoc ubique dicit, ut hoc loco: *Et ad hæc quis sufficit?* et rursum: *Non quod sufficientes simus a nobis ipsis cogitare, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est* (2. *Cor.* 2. 16. *et* 3. 5). Sed superiora repetamus. Non sine causa turbæ ipsis hæserunt; sed quomodo? Rogabant, ut ipsis eadem iterum loquerentur, et operibus studium declarabant. Vide ubique rogantes, nec simpliciter recipientes, vel adulantes. Ideo dicebat: *Qui colloquentes cum eis, persuadebant eis permanere in gratia Dei.* Cur non antea contradicebant? Quia interim monitores quiescebant. Viden' ubique illos ex passione moveri? Nec modo contradicebant, sed etiam blasphemabant: malitia enim nusquam gradum sistit. Sed vide dicendi libertatem: *Vobis*, inquit, *oportebat primum loqui verbum; quia vero repellitis illud.* Nihil contumeliose dictum. Quod etiam in prophetis fiebat: *Ne loquamini*, inquit, *loquela. Quia vero repulistis illud*, inquit, non nos: non enim in nos contumelia vestra vertitur. Ne quis enim ex pietate putet illud esse, *Indignos vos judicatis;* ideo prius dixit, *Repellitis illud;* et tunc addit, *Convertimur ad gentes.* Multa plenum mansuetudine dictum. Non dixit, Derelinquimus vos, ostendens, posse adhuc illos converti; et hoc non propter vestram contumeliam factum est: ita enim præceptum est nobis. Oportebat quidem gentes audire; verum hoc non a nobis, sed a vobis factum est, quod a nobis fieri oportebat. *Sic enim*, inquit, *præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem;* id est, in cognitionem quæ sit ad salutem, non simpliciter gentium, sed omnium gentium. Hoc enim significat, cum dixit: *Quotquot erant præordinati in vitam æternam.* Et hoc indicium est illos secundum voluntatem Dei assumi. *Præordinati* dicit, ut ostendat id non per necessitatem fieri. *Quos enim præscivit*, inquit, *et prædestinavit* (*Rom.* 8. 29). Non jam in civitate dispersi erant, sed etiam in regione. Audientes enim gentiles, et ipsi paulo post accesserunt. *Judæi vero concitarunt mulieres religiosas, et persequutionem excitavere.* Perpende eos rerum a mulieribus gestarum auctores esse. *Et ejecerunt eos a finibus suis;* non ab urbe tantum, sed et a regione tota. Deinde hoc terribilius est: *Discipuli autem*, inquit, *repleti sunt gaudio et Spiritu sancto.* Pellebantur doctores, et illi gaudebant. Vidistin' naturam evangelii virtutem habentem multam? *Ad iracundiam concitaverunt*, inquit, *animas gentium adversus fratres;* id est, calumniati sunt apostolos, de millibus eos accusarunt, et illos simplices maligne affecerunt.

3. Et vide, quomodo ubique totum Deo referat. *Multo tempore*, inquit, *demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ ipsius.* Ne quid hic imminutum putes. Cum enim dicerent, *Qui testimonium dedit sub Pontio Pilato* (1. *Tim.* 6. 13), tunc fiducia ostendebatur; hic autem de populo loquitur. Non exspectarunt igitur, sed viderunt impetum. *Et confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lystram et Derben et universam in circuitu regionem.* Ubi minime furorem suum exercere licebat illis: itaque in regiones pergebant, nec tantum in urbibus versabantur. Vide quoque gentium simplicitatem, et Judæorum nequitiam. Operibus declarabant gentiles se dignos esse qui audirent: sicque illos ob sola signa honorabant. Alii ut Deos colebant, alii ut perniciosos pellebant: et alii quidem non modo prædicationi non obsistebant, sed etiam dicebant, *Dii hominibus similes facti, descenderunt ad nos;* Judæi vero scandalizabantur. *Et vocabant*, inquit, *Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium.* Opinor etiam aspectu venerabilem fuisse Barnabam. Non parva hæc tenta-

tio ex immoderato studio prodiit; verum etiam hinc apostolorum virtus ostenditur. Et vide quomodo omnia ubique Deo referant. Hos et nos imitemur: nihil nostrum esse putemus, quandoquidem ne ipsa quidem fides nostra est. Quod autem nostra non sit, sed magis Dei, audi Paulum dicentem: *Et hoc non ex nobis, Dei donum* (*Ephes.* 2. 8). Ne itaque altum sapiamus nec inflemur, cum homines simus, terra et cinis, fumus et umbra. Dic enim mihi, cur altum sapis? Eleemosynam dedisti et pecunias effudisti? Et quid hoc? Cogita si noluisset te Deus divitem facere: cogita eos qui inopia premuntur; imo cogita quot ipsa corpora impenderunt, et postquam innumera erogaverant, seipsos miseros dixerunt. Tu propter teipsum dedisti, Christus propter te: tu quod debebas reddidisti, Christus nihil tibi debebat. Vide quam incertum sit futurum, et ne altum sapias, sed time: ne virtutem ex arrogantia minuas. Vis vere magnum quidpiam facere? Ne umquam præsumas tamquam de magnis operibus. At virgo es? Verum illæ quoque virgines erant, et propter crudelitatem et inhumanitatem nihil profuit ipsis virginitas.

Humilitas commendatur.—Nihil humilitati par: hæc mater est, radix, nutrix, fulcimentum, et vinculum bonorum: sine illa abominandi, exsecrandi et impuri sumus. Esto enim quis, si placet, qui mortuos suscitet, claudos erigat, leprosos mundet cum arrogantia: nihil hoc impurius, nihil magis impium, nihil scelestius. Nihil tui ipsius esse reputa. Facultatem verbi et doctrinæ gratiam habes? Ne ideo te putes plus quam alios habere. Ideo maxime te humiliari oportet, quia pluribus dignatus es donis. Cui enim plus dimittitur, plus diliget (*Luc.* 7. 47). Itaque humiliari te oportet, quia aliis prætermissis, tibi annuit Deus. Hac de causa time: sæpe enim hoc tibi perniciei causa est, nisi vigilaveris.

Opere magis quam verbo insinuatur disciplina.—Cur altum sapis? quia verbis doces? Sed facile est philosophari verbis: doce me per vitam tuam: hæc est optima doctrina. Dicis, modestia opus esse, et hac de re longum texis sermonem, atque oratoria sine obice verba profundis? At melior te est ille, dicet quispiam, qui hoc operibus me docet. Non enim ita insinuari solent animis disciplinæ verbis, ut operibus: nam nisi opera habeas, non modo non prodes verbis, sed etiam magis noces. Melius est tacere. Quare? Quia rem mihi impossibilem proponis. Cogito enim, si tu qui tanta loqueris, non facis; multo magis me venia dignum esse, qui nihil dico. Ideo ait propheta: *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas* (*Psal.* 49. 16)? Majus enim hoc nocumentum est, cum quis recte docens verbis, doctrinam factis impugnat. Hoc multorum in Ecclesiis fuit causa malorum. Propterea ignoscite, quæso, quod sermo hac in re longius excurrat. Multi multa faciunt, ut in medio stantes longum proferant sermonem: et si plausum multitudinis assequantur, perinde gaudent ac si regnum obtinuissent; si vero cum silentio dicendi finem faciant, gehenna ipsis gravius et onerosius est tale silentium. Hoc Ecclesias subvertit, quod vos non quæratis verba compunctionis, sed quæ oblectent et sono et verborum compositione, ac si cantores et citharœdos audiretis; et nos frigide ac misere vestros affectus sequamur, quos exscindere oporteret.

4. Idipsumque facimus, ac si pater nimis molli puero, etsi infirmanti, frigidam placentam, et quæ solum oblectant porrigat; utilium vero nullam curam habeat: deinde a medicis objurgatus, ad excusationem dicat, Quid faciam? flentem puerum ferre nequeo. Miser, infelix et proditor: neque enim hunc patrem dixerim: quam melius esset, illum parvo tempore tristitia affectum perfectæ sanitati restituere, quam temporaneam gratiam perpetui mœroris causam facere! Hoc et nos facimus, dum elegantem orationem curiosius quærimus et compositionem harmoniamque, ut placeamus, non ut prosimus; ut admirationi habeamur, non ut doceamus; ut oblectemus, non ut compungamus; ut cum plausu et laudibus discedamus, non ut mores componamus.

Plausus quomodo excipiebat Chrysostomus.—Credite mihi non abs re dicenti, cum prædicans laudibus excipior, illo quidem tempore humanum quid patior, (cur enim vera non dixerim?) lætor et effundor: ubi vero domum reversus, cogito plaudentes nullum excepisse fructum; sed si quid utilitatis accipiendum erat, illud ex plausu et laudibus periisse, discrucior et ingemisco, lacrymor, ac si omnia frustra dixerim, ita affectus, mihique ipsi dico: Quæ mihi ex sudoribus utilitas, cum auditores nihil ex verbis meis utilitatis percipere voluerint? sæpeque cogitavi legem proferre plausus prohibentem, et persuadere vobis, ut cum silentio audiatis et cum decenti modestia. Sed sustinete, quæso, et credite mihi; ac, si placet, hanc firmemus legem: ne cui auditorum liceat loquentem plausibus interpellare; sed si admirari voluerit, silens admiretur: nemo prohibebit: omnis cura, omne studium sit, ut dicta excipiantur. Quare applausistis? Hac de re legem pono: vos vero ne audire quidem sustinetis. Id multorum causa bonorum erit, philosophiæque disciplina. Externi philosophi disserebant, nemine umquam plaudente; et apostoli concionabantur, neque uspiam legitur, ipsos loquentes ab auditoribus fuisse plausu interpellatos. Magnum hoc nobis lucrum erit. Sed stabiliamus illud: cum silentio omnes audiamus, omniaque dicamus. Etiamsi post plausum discederemus, quæ audivimus retinentes, neque sic etiam utilis laus esset (verum non ulterius disquirerem: ne quis me rusticitatis accuset): quia vero nihil hinc lucri, imo potius damnum, solvamus impedimentum, animæ saltus illos tollamus exscindamusque. Christus in monte concionatus est; et nemo quidpiam dixit, donec finem dicendi fecit. Nihil damni facio iis, qui plaudi desiderant; imo id efficio, ut magis admirentur. Multo melius est cum silentio audientem, in mente et memoria omni tempore plaudere, domi, in foro; quam amissis omnibus domum redire vacuum, nul-

lam habentem plausuum causam. Quomodo enim non ridiculus erit auditor? quomodo non adulator et irrisor putabitur, qui recte loquutum esse doctorem declarat, nec quid dixerit proferre potest? Hoc adulationis est. Nam ei, qui citharœdos et tragœdos audit, id jure accidit, utpote qui nesciat similia proferre: ubi autem nec cantus nec modulatio adest, sed sententiæ solum et philosophiæ virtus, quæ cuivis dicere et enuntiare facile est; quomodo non dignus objurgatione est, qui ne causam quidem dicere potest, cur concionantem laudaverit? Nihil ita decet ecclesiam, ut silentium et modestia. Tumultus ad theatra pertinet, ad balnea, ad pompas, ad forum: ubi vero talium dogmatum doctrina est, ibi tranquillitas, quies, philosophia, et portus magnus esse debet. Hæc, oro et obsecro, omnes sciatis. Omnes circum modos exploro, queis potero vestris prodesse animabus. Non exiguus ille mihi modus videtur, qui non vobis tantum, sed etiam mihi proderit. Non sinet nos prosterni, neque laudes et gloriam amare, neque oblectantia loqui, sed utilia: neque in compositione et elegantia dictorum, sed in vi sensuum omni temporis momento versari. Ingredere in pictoris officinam, et illic multum observabis silentium. Et hic etiam esto: nam hic quoque regias pingimus imagines, et nullam privati hominis, ob coloris virtutem. Quid hoc est? rursum plauditis? Non facilis res videtur, hocque non ex natura, sed ex consuetudine, nondum emendare didicisse. Stilus ergo nobis est lingua, artifex Spiritus sanctus. Dic mihi: in mysteriis an tumultus, an turbatio est? Cum baptizamur, cum alia omnia facimus, annon quies et silentium omnia detinent[1]? Hæc in cælo pulchritudo dispersa est. Ideo apud gentiles male audimus, quasi ad ostentationem et ambitum omnia faciamus. Sed si hoc cohibeatur, etiam primarum sedium amor exstinguetur. Sufficit, si quis laudes amat, si post concionem illas assequatur, cum fructus colliget. Rogo hanc firmemus legem; ut cum omnia secundum Dei placitum fecerimus, ejus clementia dignemur, gratia et miserationibus Unigeniti ejus, Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii habent, *nonne quiete et silentio omnia honestantur.*

HOMILIA XXXI.

Cap. 14. v. 13. *His auditis apostoli Barnabas et Paulus, conscissis vestibus suis exsilierunt in turbam, clamantes* 14. *et dicentes: Viri, quid hæc facitis? Nos similes vobis passibiles sumus homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum et terram et mare, et omnia quæ in eis sunt.*

1. Vide apostolos omnia cum vehementia facientes. Sciderunt vestes, exsilierunt, clamarunt; quæ omnia ex affectione animi faciebant, aversantes, et luctus signa dantes. Luctus quippe vere erat, luctus non consolabilis, si quidem voluissent pro diis haberi, et idololatriam inducere, quam solutum venerant. Illud porro erat diaboli machinamentum. At illi non quiescunt, sed quid? *Nos similes vobis passibiles sumus homines*, inquiunt. Statim ab initio malum subverterunt: non dixerunt simpliciter, *Homines;* sed, *Sicut vos.* Deinde, ne viderentur deos venerari, audi quid adjiciant: *Annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum et terram et mare, et omnia quæ in eis sunt* (*Psal.* 145. 6). Observa illos numquam memorare prophetas, neque dicere, qua de causa cum sit omnium Creator, gentes reliquit suis frui legibus? 15. *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ire vias suas.* Quod dimiserit, dicit; cur autem dimiserit, non addit; interim in eo quod urgebat subsistit, Christi nomen nusquam ponens. 16. *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, nobis dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra.* Vide, non vult accusationem eorum augere, sed potius docet illos, ut omnia ad Deum referant. Didicerant enim non ita studendum esse aliquid Deo dignum dicere, ut auditoribus utile quid proferre. Vide quomodo latenter accusationem ingerat. Etenim, si hoc faciebat, oportebat plecti eos, qui tot bonis fruentes, ipsum non ut nutritorem agnoscebant: verum non palam dicit, sed subindicat, *De cælo nobis*, inquiens, *dans pluvias.* Sic et David dicebat: *A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt* (*Psal.* 4. 8); et sæpe de creatione disserens, hoc in medium adducit. Jeremias autem primo creationem, deinde providentiam pluviarum dicit (*Jer.* 5. 24). Itaque inde edoctus ait: *Implens cibo et lætitia.* Cum liberalitate alimentum, nec modo ad frugalitatem et usum. 17. *Et hæc dicentes, vix sedaverunt turbas, ne sibi immolarent.* Et in hoc maxime admirationi fuerunt. Viden' eos satis habuisse, quod insaniam illam avertissent? 18. *Supervenerunt autem ab Antiochia et Iconio Judæi: et persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse.* Vere diaboli filii: non in civitatibus modo suis, sed extra illas hoc faciebant, et tanto studio curabant prædicationem de medio tollere, quanto apostoli illam firmare conabantur. *Et persuasis*, inquit, *turbis, lapidatum Paulum traxerunt extra civitatem.* Hic impletur illud: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur* (2. *Cor.* 12. 9). Majus hoc erat, quam claudum erigere. Gentiles quidem ut deos habebant; hi vero persuadentes turbis, traxerunt illum; neque enim verisimile, est omnes in eorum admiratione fuisse. Et vide, in eadem ipsa civitate, in qua sic in admiratione fuerunt, gravia patiuntur. Et hoc quoque videntibus proderat. Quod autem hac de causa pati permitteretur, audi illum hoc ipsum declarantem: *Ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me* (2. *Cor.* 12. 6).

Pauli fervor. — 19. *Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem.* Viden' alacritatem?

viden' desiderium fervens et accensum? In eamdem rursus intravit civitatem, ut ostenderetur ipsum, sicubi recessit, id fecisse, quod vellet verbum inserere, et quod non oporteret furorem illorum succendere. Hæc non minus quam signa conspicuos illos reddebant, et majus gaudium pariebant. Nusquam vero dicit ipsos reversos esse, gaudentes quod signa fecissent, sed quod digni habiti fuissent pro nomine ejus contumeliam pati : nam et hoc a Christo edocti fuerant dicente : *Nolite gaudere, quia dæmonia vobis subjiciuntur* (*Luc.* 10. 20). Verum enim sincerum gaudium hoc est, aliquid pati pro Christo. Deinde in civitates illas omnes venerunt, in quibus periclitati fuerant. *Et postera die profectus est cum Barnaba in Derben.* 20. *Cumque evangelizassent civitati illi, et docuissent multos, reversi sunt Lystram et Iconium et Antiochiam,* 21. *confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide, et quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

2. Hoc dicebant, hoc monstrabant. *Confirmantes*, inquit, *animas discipulorum.* Itaque confirmati sunt, imo sunt appositi. Prædicabant ergo, ne in offendiculum caderent. Et quasi de industria hoc fit, non tantum per apostolos, sed etiam per discipulos; ut discant statim ab initio et prædicationis vim, et ipsos etiam oportere talia pati; utque fortiter stent, non modo ad signa inhiantes, sed multo magis ad tentationes. Ideo et ipse dicebat : *Idem certamen habentes, quale et vidistis in me et exaudistis* (*Philipp.* 1. 30). Persequutiones frequentes erant : ubique bella, pugnæ, lapidationes. Qualis adhortatio? quomodo persuadebant, dum in principio tribulationes dicerent? Deinde et alia consolatio : 22. *Et cum ordinassent illis per singulas Ecclesias presbyteros, et orassent cum jejuniis, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.* Vidistin' fervorem Pauli? *Cum orassent*, inquit, *cum jejuniis, commendaverunt eos Domino.* Vide, cum jejuniis ordinationes. Rursus jejunium, purgatio animarum nostrarum. 23. *Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam;* 24. *et loquentes verbum in Perge, descenderunt in Attaliam.* Nam ne discipulorum animi conciderent, quod illi, qui dii existimati fuerant, talia paterentur, ingressi sunt ad illos, et alloquuti sunt eos. Et vide; prius in Derben exit, dans illis respirandi locum a furore, et tunc rursus venit Lystram, Iconium et Antiochiam : furentibus illis cedens, sedatos vero adiens. Vides eos non omnia per gratiam, sed etiam per proprium studium administrasse. 25. *Et inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt.* Cur rursus Antiochiam veniunt? Ut annuntient ea quæ illic facta sunt. Alioquin vero hinc magna res administratur : oportebat enim jam cum fiducia prædicare gentibus. Veniunt ergo hæc nuntiaturi, ut scire possint. Et providetur, ut tunc veniant ii qui prohibebant cum gentibus versari; ut deinde magnam ex Jerosolymis fiduciam adepti, fidenter abirent. Vel aliter : ostendit eorum mores non arrogantiam sapere. Veniunt enim, ut et fiduciam suam exhibeant, quod absque illis prædicassent gentibus, et obedientiam, quod ad illos rem referant : neque enim, quod talia fecissent, arroganter egerunt. *Unde erant traditi*, inquit, *gratiæ Dei.* Etiamque Spiritus dixerat; sed ea, quæ sunt Spiritus, sciebat esse Filii : una enim potestas, sicut natura Filii et Spiritus est una. 26. *Cum autem venissent et congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset gentibus ostium fidei.* 27. *Commorati sunt autem illic non parvo tempore cum discipulis.* Jure quidem : cum magna enim civitas esset, doctoribus opus habebat. Jam superiora repetamus. Ipso spectaculo terruerunt illos, scindentes vestimenta sua. Hoc et Jesus Nave fecit, in populi clade. Ne ergo putes hoc illis et illorum statu indignum esse : neque enim aliter cohibuissent tantum impetum, non aliter incendium exstinxissent. Cum ergo opus fuerit talibus, ne recusemus agere. Si ergo sic agentes vix suaserunt illis, si non hoc fecissent, quid non futurum erat? Nam si hoc non fecissent, putatum fuisset illos altum sapere et honorem ambire. Et perpende sermonem in tali increpatione moderatum, admiratione simul et stupore plenum. Hoc maxime illos cohibuit, quod dicerent : *Et nos similes vobis homines passibiles sumus, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum;* ac si dicerent : Homines quidem sumus, his autem majores; hæc quippe mortua sunt. Vide illos non confutantes modo, sed etiam docentes, et nihil de invisibilibus loquentes. *Qui fecit*, inquit, *cælum et terram et mare, et omnia quæ in eis sunt.* Testes ipsos dixit annos. O insaniam Judaicam! Ausi sunt ingredi ad populum sic apostolos honorantem, ausi sunt invadere et lapidare Paulum. Extra civitatem autem traxerunt, forsan timentes illum. *Et orantes*, inquit, *cum jejuniis commendaverunt illos Domino.* Et docuerunt jejunandum esse in tentationibus. Non dixerunt, quanta ipsi fecerant, sed quanta Deus fecisset cum illis. Videntur mihi tentationes dicere. Non sine causa, nec ad quiescendum isthuc venerant, sed Spiritus providentia ducti, ut prædicatio gentium firmaretur. Et cur, inquies, nec in Cypro, nec in Samaria presbyteros fecerunt? Quia hæc prope apostolos erat, Cyprus vero prope Antiochiam, et verbum invalescebat; hic vero multa consolatione opus habebant, maxime gentiles, qui multum doceri debebant. Venerunt docentes, quia jure ordinati fuerant a Spiritu. Et vide fervorem Pauli. Non interrogat, an oporteat loqui gentibus, sed statim loquitur : ideo dicebat, *Non acquievi carni et sanguini* (*Gal.* 1. 16).

3. Magnum vero bonum tribulatio, ac magnæ et generosæ animæ opus. Quot postea crediderunt, et nullus ita fulsit? Ita nobis ubique alacritate opus est, multoque fervore, anima ad mortem parata : alio enim modo non possumus regnum consequi, nisi per crucem. Ne decipiamus nosmetipsos. Si enim in bello servari nequit, qui deliciatur, pecuniis studet, cauponatur ignavusque est : multo minus in hoc bello. Annon putatis esse nunc bellum omnium gravissimum? *Non est nobis*, inquit, *pugna adversus sangui-*

nem et carnem (*Ephes.* 6. 12). Et prandentibus, et ambulantibus, et lavantibus adest inimicus. Non novit enim tempus induciarum, nisi somni; imo etiam tunc sæpe impugnat, et impuras immittit cogitationes, atque a somniis lasciviores efficit. Nos autem quasi parva res sit, pro qua ipse pugnat, non sobrii sumus, neque surgimus, neque respicimus multitudinem adversariarum nobis potestatum; non cogitamus hoc ipsum maximæ infelicitatis esse; sed tot conclusi bellis, ac si pax esset deliciamur. Credite mihi, graviora nunc adsunt, quam quæ Paulus passus est. Tunc illum lapidibus impetierunt; nunc verbis impetimur, quæ lapidibus graviora sunt. Quid ergo factu opus? Id quod ille fecit: lapidantes enim se odio non habuit; sed postquam illum traxerant, regressus est in civitatem, benefacturus iis, qui se ita læserant. Si tu quoque contumeliosum et te injuste lædentem tuleris, lapidatus esse dici potes. Ne dixeris: Neminem læsi. Quem enim læsit Paulus ut lapidaretur? Regnum annuntiabat, ab errore reducebat, ad Deum adducebat: hæc digna sunt coronis, proclamatione, innumeris bonis, non lapidibus; et tamen ille contraria passus est. Hæc quippe splendida est victoria. *Et traxerunt eum*, inquit. Te quoque sæpe trahunt; sed ne irascaris, imo mansuete prædica verbum. Te contumelia affecit? Tace et benedic, si potes, et sic tu quoque prædicasti verbum, docuisti modestiam et mansuetudinem. Multos novi non tam vulneribus, quam verborum plagis sauciari: nam illud quidem vulnus corpus suscipit, hoc anima. Sed ne doleamus, imo dolentes sustineamus. Non videtis pugiles, quorum capita vulnerata, dentes excussi, strenue ferre dolores? Hic vero non opus est stridore et morsu. Recordare Domini tui, et pharmacum statim ejus recordatione apposuisti; recordare Pauli: cogita te, qui percussus es, vicisse, illum vero, qui percussit, victum esse, et sic totum curato. Momentum est: ne rapiaris, et totum perfecisti: ne movearis, et totum exstinxisti. Magna consolatio est, aliquid te pro Christo pati: non prædicas sermonem fidei, sed prædicas sermonem philosophiæ. At, inquies, quanto magis ille mansuetum videbit, tanto magis instabit. Propterea igitur doles, quod ille tibi mercedem augeat? At intractabilis est, inquies? Hæc pusillanimitatis tuæ excusatio est: alio modo intractabilis erit, si te ulciscaris. Si sciret Deus illos intractabiles fore, si non te ulciscaris, non hoc præcepisset, sed dixisset, Te ipsum ulciscere: verum novit hoc tibi utilius fore.

Contumeliæ quomodo ferendæ. — Ne pone legem divinæ contrariam: illi obtempera. Non es tu melior eo qui fecit nos. Dixit, Fer contumelias, tu vero dicis, Contumeliam rependo, ne fiat intractabilis. Tu ergo plus sapis, quam ille? Hæc verba ex passione, acerbitate, et arrogantia proficiscuntur, ac contraria sunt legi Dei. Etiamsi enim læderent, annon obtemperandum erat? Cum quidpiam Deus præcipit, ne ponamus nos legem contrariam. *Responsio*, inquit, *submissa avertit iram* (*Prov.* 15. 1). Hoc ergo facit submissa, non contraria. Si tibi prodest, illi quoque prodest: si vero tibi nocet, qui correcturus illum es, multo magis illi nocebit. *Medice, cura teipsum* (*Luc.* 4. 23). Maledixit? Tu lauda: conviciatus est? Tu encomiis celebra: insidiatus est? Bene fac tu: contraria repende, si tandem salutem ejus curas, ac ne velis vulnus tuum ulcisci. At, inquies, sæpe patientiam meam expertus, deterior evasit? Hoc non te, sed illum spectat. Vis scire quanta passus sit Deus? Aras illius subverterunt, prophetas occiderunt: et omnia pertulit. Annon poterat fulmen demittere? Sed postquam prophetas quos miserat occiderunt, tunc Filium suum misit. Quando magis impie agebant, tunc majus beneficium contulit. Et tu si quem exasperatum videris, tunc magis cede: ille namque furor majori eget consolatione. Quanto graviorem contumeliam infert, tanto majori mansuetudine opus est: ac sicut febris quando magis instat, tunc plus opus habet cedente: sic et ille qui irascitur. Quando fera magis exasperatur, tunc omnes fugimus: sic et irato cedamus. Ne putes hoc honorem esse: Alioquin feram honoramus, et furentes proinde honoramus, cum declinamus? Minime: ignominia hoc est et contumelia; imo non ignominia et contumelia, sed misericordia et benignitas. Non vides nautas, quando vehementer flat ventus, demittere vela, ne demergatur navis? equitem non vides, cum abripit equus, cedentem nec retinentem, ne sponte vires absumat?

4. Hoc et tu facito. Furor ignis est, flamma ardens materia egens: ne igni escam suppedites, et cito malum exstinguis. Ira non per se vim habet, nisi alius ipsam alat. Nullam tu excusationem habes. Ille furore detinetur, nec scit quid facit; tu qui illum intueris, cum in paria incidens, neque hinc sapientior evadis, quam veniam mereris? Si in convivium quis veniens, in vestibulo quempiam videret ebrium indecore agentem, deindeque ipse in paria incideret, nonne post illum ebrius factus minus venia dignus esset? Ita et hic dicendum: ne putemus posse ad defensionem dici: Non ego cœpi: hoc contra nos est, quia neque illum videntes, temperantiores facti sumus: quemadmodum si quis dicat: Ego non primus occidi. Ideo namque pœna dignus es, quia exemplum videns, non te cohibuisti.

Iracundi imago. — Si videres ebrium vomere, distrahi, dirumpi, oculis torvis respicere, immunditia mensam replere, omnes illum fugere, deindeque in paria incideres, annon magis culpandus esses? Talis est iracundus: magis venas inflat, quam is qui vomit: oculos inflammat, viscera discerpit, vomit verba illo cibo impuriora, indigesta omnia loquitur nihilque perfectum (non enim sinit ira); sed sicut illic sæpe immoderati humores stomachum turbantes omnia evacuant: ita et hic calor nimius animam concutiens, non sinit tegere quæ silere oporteret; sed dicenda et non dicenda effundit, non audientes, sed semetipsum deturpans. Sicut igitur vomentes fugimus, sic et iratos fugiamus. Quid faciemus? Pulvere vomitum tegamus, tacendo canes vocemus

ut vomitum edant. Scio vos hæc cum nausea audire : sed tunc sic vos affici velim, cum illa fieri videtis, nec de re illa oblectari. Immundior est contumeliosus cane revertente ad vomitum suum. Si enim postquam semel evomuit, cessaret, non esset cani similis; si vero rursum eadem ipsa evomat, palam est eum eadem ipsa comedisse. Quid illo abominabilius? quid impurius illo ore, qui tales mandit escas? Atqui hoc opus est naturæ, illud minime; imo et hoc et illud contra naturam est. Quomodo? Non secundum naturam est sine causa contumeliam inferre, sed contra naturam : igitur nihil ut homo loquitur, sed alia ut fera, alia ut furens. Quemadmodum ergo corporeus morbus præter naturam est, sic et hic morbus. Et quia præter naturam est, si in illo moretur, paulatim perit; in eo autem quod secundum naturam est morans, non peribit. Mallem convivari cum homine lutum edente, quam cum talia loquente. Annon videtis porcos stercus edentes? Sic et isti. Quid enim fœdius verbis, quæ loquuntur contumeliosi? Ili curant nihil sanum loqui, nihil purum, sed si quid fœdum, si quid turpe, id agere et effari : quodque gravius est, dum sese deturpant, alios se deturpare putant. Quod enim sese deturpent, inde liquet. Ne mihi enim eos, qui mendacia loquuntur, alleges; sed sit quædam insignis meretrix, sive quis alius ex scena, qui cum alio pugnam conserat : hinc ille ipsi ista loquatur, hic rursum eadem repetat : uter magis contumelia afficitur? Nam ille quidem quod penes se habuit, audivit; hic vero quod non habuit; itaque illi nihil accessit turpitudinis; huic vero plurimum. Sed sint quædam edita [1] opera, quæ solus ille contumeliosus noverit; deinde, qui ante tacuerat, contumeliam efferat : sic quoque idem ipse magis contumelia affectus est. Quomodo? Præco malitiæ factus, infidelitatis famam accipit : et omnes subito se incusantes videbit, ac talia ubique loquentes : Si enim, inquient, homicidii conscius erat, omnia enuntiare oportebat : omnesque illum quasi ne homo quidem sit aversantur, odio habent, feram esse dicunt immanem; huic vero magis ignoscunt, quam illi. Non enim perinde eos, qui vulnera habent, odio habemus, atque illos, qui ea revelare cogunt. Ita et hic contumelia affecit non illum modo, sed etiam seipsum et audientes communemque hominum naturam : perculsit auditorem, nihil boni fecit. Ideo dicit Paulus : *Si quis bonus sermo ad ædificationem, ut det gratiam audientibus* (*Ephes.* 4. 29). Bona loquentem habeamus linguam, ut simus desiderabiles et amabiles. Verum eousque malitiæ pervenerunt omnia, ut de quibus erubescere oporteret, de iis plerique glorientur. Hæc plerumque minitantur quidam : Non poteris linguam meam ferre. Hæc mulieris verba sunt, vetulæ ebriæ et indecoræ, eorum qui forum frequentant, lenonis. Nihil turpius his verbis, nihil viro indignius, nihil muliebrius, quam in lingua robur habere, in conviciis altum sapere, ut ii qui in pompis agunt, ut mimi, parasiti, adulatores. Porci magis, quam homines sunt, qui de talibus gloriantur. Cum oporteret teipsum defodere, cum oporteret, si quis ea tibi testificaretur, testimonium fugere quasi inimicum et non virile : tu vero præco contumeliarum es. Sed nihil lædere poteris eum, qui male audit. Quamobrem rogo, cogitantes quanta sit nequitia, de qua et gloriantur quidam, resipiscamus, emendemus eos qui sic insaniunt, eliminemus e civitate hos consessus, linguam ornemus nostram, et ab omni maledicto liberemus, ut possimus a peccatis purgati, supernam benevolentiam nobis conciliare, et Dei clementia dignari, gratia et miserationibus Unigeniti ejus, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alius habet, *secreta*, pro, *edita*.

HOMILIA XXXII.

v. 27. *Morati sunt autem ibi tempus non modicum cum discipulis.* Cap. 15. 1. *Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres : Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysis, non potestis salvari.*

1. Vide ubique transitum ad gentes necessario a Judæis inductum. Antehac accusatus rationem reddebat, et excusantis more omnia loquebatur: id quod sermonem magis acceptum reddebat; deinde Judæis aversantibus, venit ad gentes. Hic iterum videns aliam altercationem, legem statuit. Quia enim utpote a Deo docti, indiscriminatim omnibus loquebantur, hoc Judæos qui aderant ad zelum provocavit. Nec modo circumcisionem docebant, sed etiam sine illa salutem haberi non posse dicebant. Cui rei contraria docere oportebat, nempe si circumcidamini, salutem consequi non potestis. Viden' frequentes tentationes intus et foris. Recte autem providetur hoc fieri Paulo præsente, ut contradicat. Non dixit Paulus : Quid enim? annon sum fide dignus post tot signa? sed propter illos morem gessit. Et vide, discunt omnes ea, quæ in gentes facta erant, etiamque Samaritani, et gaudent. 2. *Facta ergo seditione et quæstione non minima Paulo et Barnabæ adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex illis ad apostolos et presbyteros in Jerusalem super hac quæstione.* 3. *Illi ergo præmissi ab Ecclesia pertransibant Phœnicem et Samariam, narrantes conversionem gentium : et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.* 4. *Cum autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia et ab apostolis et senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis.* Vide cum quanta œconomia res geratur. 5. *Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderant, dicentes : Quia oportet circumcidere eos, præcipere quoque servare legem Moysi.* 6. *Conveneruntque apostoli et seniores videre de verbo hoc.* 7. *Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in*

vobis elegit per os meum audire gentes verbum evangelii, et credere. Vide Petrum jam olim separatum a negotio, et hactenus judaizantem. *Vos scitis*, inquit. Forte aderant ex iis, qui olim accusaverant illum circa Cornelium, et ingressi sunt cum illo: ideo illos adducit testes. *Ab antiquis diebus elegit in vobis Deus.* Quid est, *In vobis?* Vel in Palæstina, inquit, vel præsentibus vobis. *Per os meum.* Vide quomodo ostendat Deum per se loquutum, et nihil humanum. 8. *Et cordium cognitor Deus testificatus est ipsis.* Ad spirituale testimonium adducit illos. *Dans illis Spiritum sanctum, sicut et nobis.* Vide quomodo ubique gentes exæquat. 9. *Et nihil discernit inter nos et illos, fide purificans corda eorum.* A fide sola, inquit, eadem consequuti sunt. Et hæc illis monita dantur; imo vero hos docere potest, fide sola esse opus, et non operibus vel circumcisione. Neque enim hæc dicunt tantum ut gentium causam agant; sed etiam illos instituunt, ut discedant a lege. Sed tamen nondum hæc dicunt. 10. *Nunc ergo cur tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* 11. *Sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari quemadmodum et illi.* Quid est illud, *Tentatis Deum?* Cur non creditis, inquit Deo? cur tentatis eum, quasi non possit fide servare? Itaque infidelitatis est legem inferre. Deinde ostendit eam illis non fuisse utilem: et totum in legem, non in illos rejicit, atque accusationem succidit. *Quod non potuimus nos*, inquit, *et patres nostri portare. Sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari, quemadmodum et illi.* Quanta virtute plena sunt hæc verba? Quæ Paulus multis in Epistola ad Romanos dixit, eadem et hic dicit. *Si enim Abraham*, inquit, *ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum* (*Rom.* 4. 2). Viden' hoc illos magis instituere, quam gentes defendere? Sed si quidem absque ulla occasione hæc dixisset, forte non suspectus esset; initio autem hinc sumpto, deinde sine metu loquitur. Et vide quomodo ubique omnia, quæ inimici moverunt, illis prosint. Nisi enim illi movissent, hæc dicta non fuissent, nec etiam quæ sequuntur. Hinc discunt, quod etiamsi gentes adduci noluissent, non tamen esse illas despiciendas. Sed supra dicta exploremus. *In vobis*, inquit, *elegit*, *et ab antiquis diebus.* Hoc dicit, ostendens id olim, non nunc fuisse. Non parum autem est, quod etiam Judæis credentibus hoc avertatur. Duobus vero id, quod dicit, confirmatur, et tempore et loco. Et quod *Elegit*, bene: sicut in ipsis non dixit, Voluit, sed *Elegit.* Undenam id liquet? A Spiritu, inquit. Deinde ostendit non gratiæ tantum, sed etiam virtutis testimonium hoc illis esse, quod nihil minus ipsis præbeat. Nihil enim, inquit, discernit inter nos et illos. Ergo cor ubique quærendum. Et opportune dixit: *Cordium cognitor Deus testificatus est ipsis;* sicut et illic: *Tu, Domine, cordium cognitor omnium, ostende* (*Act.* 1. 24). Quia enim hoc vult, vide quid inferat: *Nihil discernit inter nos et ipsos.* Cum illorum testimonium diceret, tunc magnum illud effatus est, quod Paulus ait: *Neque circumcisio quid valet, neque præputium* (1. *Cor.* 7. 19); et, *Ut duos condat in semeptiso* (*Ephes.* 2. 15). Horum omnium semina in concione Petri habentur. Et non dixit, Inter eos qui ex circumcisione; sed *Inter nos*, id est, apostolos. Deinde, ne videatur contumelia esse illud, *Nihil*, adjicit: *Fide purificans corda eorum.* Et hinc tollit suspicionem. Expurgavit primo sermonem, et tunc ostendit non malam legem, sed illos infirmos esse.

2. Vide quomodo terribiliter desinat. Nihil ex prophetis loquitur ipsis, sed ex præsentibus rebus, quarum ipsi testes erant. Jure et illi postea testificantur, et sermonem roborant ex iis, quæ jam facta sunt. Et vide: in Ecclesia permittit primo quæstionem moveri, et tunc loquitur. Quia igitur non memoravit circumcisos, sed gentes (hoc enim paulatim insinuatum, firmius evadebat; illud vero tentantis erat, an possit post legem servare); vide quid faciat: ostendit illos in periculo esse, si quidem id, quod non potuit lex, potuit fides; illa vero cadente, necesse est illos in perniciem ire. Nec dixit, Increduli estis, quod molestius fuisset, cum maxime res evicta fuisset. Jerosolymis igitur ex gentibus nulli erant, Antiochiæ autem fuisse constat. Ideo commigrant, nec modico tempore isthic manent. Insurrexerunt autem quidam de Pharisæis, adhuc ambitionis morbo laborantes, et volentes sibi hærere eos, qui ex gentibus erant. Atqui et Paulus in lege doctus erat, neque tamen sic erat affectus: postquam autem inde venerat, jam dogma accuratius erat. Nam si ii, qui Jerosolymis sunt, nihil hujusmodi præcipiunt, multo minus hi. Viden' quotquot principatum non ambiunt, in fide gaudere? Non ambitiosæ igitur erant narrationes, neque ad ostentationem, sed ad defensionem prædicationis gentibus factæ: ideo nihil dicunt eorum, quæ cum Judæis sibi evenerant. Magna erat pertinacia Pharisæorum, qui etiam post fidem legem tuebantur, nec obtemperabant apostolis. Sed vide, quam mansuete nec cum auctoritate loquantur: hæc quippe amabilia sunt, magisque animo infiguntur. Viden' nusquam esse verborum ostentationem, sed per res ipsas agi et per Spiritum sanctum? Attamen cum tot indicia haberent, adhuc mansuete loquuntur. Et vide, non veniunt, accusaturi eos, qui Antiochiæ erant; sed illinc iterum occasionem sumunt. Sic meditabantur aliis præesse, qui apostolis nescientibus reprehensi sunt. Attamen nihil horum illi protulerunt; at ubi probarunt, tunc vehementius scribunt. Magnum certe ubique bonum æquitas: æquitatem dico, non frigiditatem; æquitatem, non adulationem: hæc enim multum inter se distant.

Ira frenanda. — Nihil Paulum exasperabat, nihil Petrum. Cum habes demonstrationes, cur irasceris? an ut illas enerves? Non potest umquam iratus persuaderi. Etiam heri de ira disseruimus; nihil vetat quominus etiam hodie: frequens forte hortatio quidpiam efficiet. Nam pharmacum vim habens cu-

randi vulnus, nisi frequenter apponatur, totum perdit. Ne putetis vos condemnari ex frequenti hujusmodi oratione: si enim vos condemnarem, non concionarer: nunc vero sperantes vos multum hinc lucraturos esse, hæc loquimur. Utinam perpetuo de iisdem loqueremur: utinam nulla esset alia concionandi occasio vel cura, quam quomodo vitia nostra superemus. Quomodo enim non absurdum fuerit, regibus in deliciis viventibus, et tanto honore, nihil aliud curæ esse vel in mensa, vel alio quovis tempore, quam quomodo inimicos vincere oporteat, et ea de causa quotidie conventus agere, duces ac milites adlegere, tributa exigere; et in civilibus rebus has duas tantum res necessarias esse putare, ut inimici vincantur, et sui in pace degant: nos vero ne per somnium quidem de his tractare, sed quomodo agrum emamus, quomodo servos, quomodo opes augeamus, quotidie sine nausea curemus; de rebus autem nostris et vere nostris nec loqui, neque alios dicentes audire velimus? Qua de re ergo vis disseratur? an de prandio? Sed hæc ad coquos verba pertinent. An de pecuniis? Sed hæc negotiantium sunt et mercatorum. An de ædificiis? Sed hæc architectorum et latomorum sunt. An de terra? Sed hæc ad agricolas. Nobis vero nullum aliud est opus, quam quomodo divitias paremus animæ. Ne ergo fastidiosus vobis sermo sit. Cur enim nullus accusat medicum, quod semper de medicina loquatur, neque alios artifices, quod de arte sua disserant? Si namque vitia nostra sic domita essent, ut non ultra monitis opus haberent, jure quis nos incusaret, quod ad ostentationem loqui vellemus; imo neque sic. Nam etiamsi emendata essent, sic quoque monendum esset, ne recideremus. Etenim medici non ægros tantum, sed etiam bene valentes alloquuntur, librosque habent super ea re, ut et morbos curent, et valetudinem servent. Itaque etsi sani essemus, neque sic absistere oporteret, sed omnia facere ut valetudinem servaremus.

3. *Arrogantia quomodo curanda sit, et unde oriatur.*— Cum autem ægrotemus, duplex est verborum necessitas, tum ut a morbo liberemur, tum ut liberati, ne rursum incidamus. Ergo curandi methodum nunc tractamus, nec de sanitate agitur. Quomodo quis malum hoc vitium exscindat? quomodo vehementem sedet febrem? Videamus unde orta sit, et causam tollamus. Unde oriri solet? Ex arrogantia et tumore multo. Hanc ergo causam tollamus, morbusque sublatus erit. Quid est arrogantia? unde nascitur? forte namque jam aliud principium adire periclitamur. Igitur quam sermo indicabit viam, illam sequemur, ut malum radicitus evellamus. Unde ergo oritur arrogantia? Ex eo, quod nostra non exploremus; sed de natura quidem terræ, etsi agricolæ non simus, curiose inquiramus, et de natura plantarum, de natura auri, etsi mercatores non simus, de vestimentis, deque omnibus; de nobis autem, deque natura nostra, ne minimum quidem curamus. Et quis, inquies, ignorat naturam suam? Multi, et forte, paucis exceptis, omnes: et, si placet, hinc ducam argumentum. Dic enim mihi, quid est homo? Si quis interroget, Qua in re differt a brutis? quomodo cognatus est cælestibus? quid potest ex homine fieri? an poteris recte respondere? Non quidem puto. Sicut enim in materia quadam, sic et in homine materia quidem est homo; potest autem fieri et angelus et bestia. Annon videbitur extraneus hic sermo? Atqui sæpe illum in Scripturis audistis. De quibusdam enim hominibus dicebatur: *Angelus Domini est: et ex labiis ejus quærent judicium* (*Malach.* 2. 7); et rursum, *Mittam angelum meum ante faciem tuam* (*Id.* 3. 1): de quibusdam vero, *Serpentes, genimina viperarum* (*Matth.* 12. 34). Demum secundum cujusque usum potest fieri et angelus et homo [1]. Quid dico, angelus? Etiam Dei filius. Nam, ait: *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* 81. 6). Quodque majus est, potestatem accepit, ut fiat et homo et angelus et Dei filius. Est homo et angeli creator. Fortasse vos hoc dictum perturbavit? Sed audite Christum dicentem: *In resurrectione neque nubent neque nuptui tradentur, sed sunt sicut angeli* (*Luc.* 20. 35. 36); et rursum, *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* 19. 12). In summa virtus angelos facit: virtus in nostra potestate est: ergo angelos possumus creare, etsi non natura, certe proposito. Virtute namque absente, nihil proderit, si qui etiam angelus natura fuerit; id quod ex diabolo liquet, qui ante angelus fuit: virtute autem præsente, nihil damni est hominem esse natura, ut ex Joanne qui homo erat, et ex Elia liquet qui in cælum ascendit, ex omnibusque qui eo abituri sunt. Hi namque licet corporei, non prohibentur habitare cælum; illi vero incorporei licet, non potuerunt in cælo manere. Nemo igitur angatur vel indignetur contra naturam quasi ab illa impediatur, sed contra propositum voluntatis. Leo diabolus affectus est ex incorporeo: Ecce, inquit, *Adversarius noster diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (1. *Pet.* 5. 8); nos angeli a corporibus. Ut enim si quis pretiosa inventa materia, cum non sit artifex, et illam despiciat magno afficitur damno, sive margaritas, sive uniones, sive quid simile repererit: sic et nos si ignoremus naturam nostram, admodum illam despiciemus; si vero noscamus (*Psal.* 8. 6), multum adhibebimus studium, et magnum lucrum reportabimus. Ex hac enim regium fit indumentum, ex hac domus regia, ex hac regia membra: omnia regia. Ne natura nostra abutamur in damnum nostrum. Nos parum minores angelis fecit, ex morte, inquam; sed parum illud jam recepimus. Nihil igitur prohibet quominus statim angeli simus, si velimus. Velimus ergo, velimus, et nos ipsos exercitantes gloriam referamus Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Morel. legit, *et Deus et homo*, male: nam, ut ex serie liquet, legendum est, *angelus*.

HOMILIA XXXIII.

Cap. 15. v. 13. *Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me.* 14. *Simeon narravit quomodo primum Deus visitavit, ut sumeret ex gentibus populum in nomine suo.* 15. *Et huic consonant sermones prophetarum.*

1. Hic episcopus erat in Jerosolymitana Ecclesia: ideoque postremus loquitur: et impletur illud: *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Deut.* 17. 6). Vide autem et hujus prudentiam, qui ex novis et ex veteribus prophetis sententiam suam confirmat. Non enim poterat aliquod opus ostendere ut Petrus, ut Paulus. Et bene provisum est, ut ab illis hæc fierent, qui non habitaturi erant Jerosolymis; et hic, qui Jerosolymitanos docebat, nec obnoxius illis esset, nec illorum sententiæ oppositus. Et quid dicit? *Viri fratres, audite me. Symeon narravit.* Quidam dicunt hunc illum esse, qui a Luca memoratur, alii alium cognominem. Sive hic, sive ille sit, non ulterius inquirendum, sed ea quæ dicit ut necessaria excipienda sunt. *Viri fratres*, inquit. Magna viri modestia, et perfectior est hæc concio, quæ scilicet finem rebus imponat. *Quomodo primum Deus visitavit ut sumeret ex gentibus populum nomine illius. Et huic consonant sermones prophetarum.* Quia ille a tempore notus erat, nec fide dignus habebatur, quod antiquus non esset, veterem quoque prophetiam inducit, dicens: *Sicut scriptum est:* 16. *Postea revertar, et reædificabo tabernaculum David quod decidit, et erigam illud:* 17. *ut requirant cæteri hominum Dominum et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus, qui facit hæc omnia* (*Amos* 9. 11). Quid ergo? an erecta est Jerosolyma? annon potius diruta fuit? Sed non his de rebus ipse loquitur. Et quam dicit erectionem? Eam quæ post Babylonem. 18. *Nota a sæculo sunt Deo omnia opera sua.* Deinde quam fide dignus sermo sit innuit, quia nihil novum, sed ab initio omnia præstituta sunt. Sequitur sententia. 19. *Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum,* 20. *sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum et fornicatione et suffocato et sanguine.* 21. *Moyses enim a temporibus antiquis per omnes civitates habet qui prædicent eum in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* Quia illi non audierant de lege, merito hæc imperat de lege, ne videatur illam abrogare. Et vide quomodo non sinat eos hæc ex lege audire, sed ex seipso, dicens, *Judico ego;* id est, a meipso, non quia audivi ex lege. Demum commune dogma profertur. 22. *Tunc placuit apostolis et senioribus et omni Ecclesiæ, eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba Judam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam, viros primos in fratribus,* 23. *scribentes per manum eorum hæc.* Vide illos non temere illa statuere; sed ut sententia fide digna sit, mittunt hos a se, ut suspecti non essent Paulus et socius. Et vide quam graviter illos objurgantes scribant: *Apostoli, seniores et fratres iis, qui sunt Antiochiæ, in Syria et in Cilicia fratribus qui ex gentibus, salutem.* 24. *Quoniam audivimus quia quidam ex nobis turbaverunt vos, verbis evertentes animas vestras, dicentes ut circumcidamini et servetis legem, quibus non mandavimus.* Sufficiens erat accusatio temeritatis illorum, et digna apostolorum æquitate, nihil majus ultra dicentium. 25. *Placuit nobis collectis in unum eligere viros et mittere ad vos, cum carissimis nostris Barnaba et Paulo,* 26. *viris qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi.* Itaque ostenditur, non tyrannice rem agi, omnibus hæc placere, et hæc cum deliberatione scribi, Electos, inquiunt, viros ex nobis. Deinde ne videatur ex calumnia Pauli et Barnabæ illos mitti, perpende laudes ipsorum: *Viris*, inquiunt, *qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi.* 27. *Misimus ergo Judam et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem.* 28. *Visum est enim Spiritui sancto et nobis.* Nihil ergo humanum, si Spiritus hæc statuat. *Nihil ultra imponi vobis oneris.* Rursum onus vocant legem. Hinc de illis ipsis rationem reddunt. *Nisi hæc necessaria,* 29. *ut abstineatis vos ab immolatis et simulacrorum et suffocato et fornicatione et sanguine, a quibus custodientes vos, bene agetis.* Hæc nova lex non præcipit: nusquam enim de his loquutus est Christus; sed a lege hæc sumunt. *Et suffocato*, inquit. Hic cædem cohibet. 30. *Illi ergo dimissi venerunt Antiochiam, et congregata multitudine, tradiderunt epistolam.* 31. *Quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione.* Postea ut ostendat quomodo illos consolati sint, subdit: 32. *Judas autem et Silas, et ipsi cum essent prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt.* 33. *Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad apostolos.*

2. *In Ecclesia nullus fastus.* — Non ultra seditiones et pugnæ: ideoque confirmatis illis, cum pace abierunt: adversus Paulum enim contentiosiores erant: ac deinde Paulus docet. Sic nullus fastus erat in Ecclesia, sed bene constituta omnia. Et vide: post Petrum Paulus loquitur, et nemo reprimit; Jacobus exspectat, nec exsilit: illi enim principatus concreditus erat. Nihil hic Joannes, nihil alii apostoli loquuntur, sed tacent, nec indignantur: sic vana gloria vacui animi erant. Sed superiora repetamus. *Postquam tacuerunt*, inquit, *respondit Jacobus, dicens: Simeon narravit quomodo primum Deus visitavit.* Initio vehementius Petrus loquebatur, hic vero mansuetius. Ita semper faciendum est ei, qui in magna potestate est: onerosa aliis mittenda, ipse autem mitius agere debet. Recte dixit: *Simeon narravit*, quasi ille aliorum referat sententiam. Vide quomodo hoc antiquum esse ostendat. *Ut sumeret*, inquit, *ex gentibus populum nomini suo.* Non solum elegit, sed etiam nomini suo; id est, gloriæ suæ. Non pudet nomen suum ex assumptione gentium gloriam vocare: hæc enim major est gloria. Hic vero quid magnum

subindicat. Quodnam illud? Hi, inquit, ante omnes. *Postea vero convertam me et reædificabo tabernaculum David, quod decidit.* Si quis accurate exploret, Davidis regnum nunc stare inveniet. Nam cum ex eo prognatus regnet, stat ubique regnum ejus. Quid prosunt enim domicilia et urbs, si subditi non sint? et quid damni ex urbis excidio, cum omnes etiam animas suas impendere velint? Itaque non modo stat, sed et omnium splendidissimum factum est: nam per totum nunc orbem celebratur. Illud evenit: ergo et hoc evenire oportet. Ubi autem dixit, *Reædificabo*, causam addit: *Ut requirant cæteri homines Dominum.* Si ergo ideo erecta est civitas propter eum, qui ex ipsis, palam est reædificatæ civitatis causam fuisse gentium vocationem. Quinam sunt *Reliqui?* Illi qui tunc relinquebantur. Sed vide illum et ordinem custodire, et secundos illos inducere. *Dixit Dominus, qui facit hæc omnia.* Non modo dicit, sed et facit: ergo Dei opus est vocatio gentium. Aliud erat quod quærebatur, quod clarius dicebat Petrus: Non oportet illos circumcidi. Cur ergo hæc concionaris? Sane non hoc dicebant illi, quod credentes non admittendi essent, sed quod cum lege admittendi. Et hoc etiam Petrus bene concionatus est; sed quia illud maxime omnium auditores turbabat, hoc etiam Jacobus curat. Et vide, id quod oportebat lege statui, non servandam esse legem, id Petrus induxit: quod vero nostrum est, quodque jam olim susceptum fuit, hoc dicit iste, et versatur in eo, de quo nihil scriptum erat; ut per rem concessam illorum curata mente, hoc etiam opportune induceret. *Ideo ego judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur;* id est, non avertendos esse. Nam si Deus vocavit, et illæ observationes avertunt, contra Deum pugnamus. Et recte dixit, *Qui ex gentibus convertuntur*, declarans supernam de illis Dei providentiam, ipsorumque obsequentiam vocanti obtemperantium. Quid sibi vult illud, *Judico ego?* Id est, cum potestate dico rem ita esse. *Sed scribendum ipsis esse ut abstineant*, inquit, *ab immolatis idolorum, a fornicatione, a suffocato et sanguine.* Hæc enim licet corporalia, observatu necessaria sunt, quia magna pariebant mala. Ne quis vero objiciat: Quare non Judæis etiam talia scribimus? adjicit: *Moyses a temporibus antiquis per omnes civitates habet qui prædicent eum;* id est, Moyses illis frequenter loquitur. Hoc sibi vult enim illud, *Per omne sabbatum legitur.* Vide quantum se attemperet. Ubi nihil nocuit, doctorem illis instituit, et gratiam largitus est, nihil impedientem, permittens Judæis ut illum per omnia audiant, et gentiles ab eo abducens: deinde ex iis, queis videbatur ipsum honorare et suis doctorem constituere, gentes ab illo abduxit. Cur ergo ab illo non discunt? Ob inobsequentiam suam. Hinc ostendit, ipsis nihil ultra observandum esse. Quod si non scribamus, non est quod illi debeant aliquid amplius observare; sed quod illi hæc dicentem habeant. Nec dicit: Ne scandalizemus eos, neque subvertamus, ut Paulus Galatis dixit (*Gal.* 1. 7); sed, *Ne inquietemus:* id quod nihil aliud opus indicat, quam obturbationem. Sic totum solvit. Et videtur quidem etiam legem servare, quod ex illa hæc assumat; sed solvit illam, quod hæc sola assumat. Atqui sæpe illis de his loquutus est; sed ut videretur etiam legem honorare, neque hæc quasi a Moyse dicere, sed quasi ab apostolis; et ut multa faceret præcepta, unum divisit. Hoc illos maxime sedavit. Ex providentia vero dissensio facta est, ut post dissensionem firmius esset dogma. *Tunc placuit apostolis*, inquit, *viros primarios in fratribus mittere.* Non vulgares, sed præcipuos mittunt electos; *Iis qui Antiochiæ erant*, inquit, *in Syria et in Cilicia*, ubi morbus ortus fuerat.

3. Vide quomodo nihil molestum contra illos dicant, sed id unum spectent, ut recte res curetur. Hoc enim efficiebat, ut qui illic seditionem moverant, confiterentur. Non dixerunt, Seductores et perniciosi, et his similia; licet ubi opus est hoc faciat Paulus, ut cum dicit: *O plene omni dolo* (*Act.* 13. 10)! hic vero cum emendati essent, non erat opus. Et vide: non hoc ponunt, Quidam ex nobis jusserunt vos legem servare; sed, *Turbaverunt vos verbis evertentes.* Nulla magis propria dictio erat; nullus ita dixit. Animas quæ jam firmatæ erant, inquit, subvertentes, quasi in ædificio, quæ ab illis facta erant ponentes. *Quibus*, inquit, *non præcepimus. Placuit ergo nobis una collectis unanimiter cum dilectis.* Si dilecti, non contemnent eos: si tradiderunt animas, ipsi quoque fide digni sunt. *Misimus ergo*, inquit, *Judam et Silam, et ipsos verbo annuntiantes hæc.* Oportebat enim, ut non epistola sola compareret, ne dicerent ipsos extorsisse, et alia pro aliis dixisse. Laus Pauli et socii eorum ora obstruxit. Ideo namque neque Paulus solus neque Barnabas solus venit, sed etiam alii de Ecclesia, ne utervis suspectus esset, quia dogma illud amplexus erat, neque ii tantum qui ab Jerosolymis. Ostendit quam fide digni sint: non exæquantes se, inquit; neque enim ita insaniunt. Ideoque addidit illud, *Hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi.* Et cur dixit, *Visum est Spiritui sancto et nobis*, quum sufficeret dixisse, *Spiritui sancto?* Illud, *Spiritui sancto*, ponitur, ne putarent humanum quid esse; illud vero, *Nobis*, ut discerent ipsos etiam admittendos esse, licet in circumcisione essent. *Nihil ultra*, inquiunt, *vobis imponi onus.* Hæc dicunt, quia ad infirmos sermo erat, et formidolosos: ideoque et hoc adjicitur. Ostendit autem non indulgentiæ sermonem esse, ut parcerent illis ut infirmis; imo contra. Magnus enim doctorum pudor erat: id vero superfluum fuisset onus. Vide brevem epistolam nihil redundans habentem, nec apparatum nec syllogismos, sed præceptum: erat enim lex Spiritus. Sæpe hoc vocant onus. *Congregata multitudine tradiderunt epistolam.* Post epistolam et ipsi verbis exhortantur. Hac item re opus erat, ut ab omni suspicione liberarentur. *Et ipsi*, inquit, *cum essent prophetæ, sermonibus multis exhortati sunt fratres.* Quam fide digni essent hic ostenditur; Potuisset et Paulus; sed hos

adesse opus erat. *Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace.* Non jam seditio, non jam aversio. Hic mihi videtur illos dexteram accepisse, ut ipse ait: *Dexteras dederunt mihi et Barnabæ communionis* (*Galat.* 2. 9). Postea dicit: *Nihil mihi addiderunt* (*Ibid. v.* 6). Ejus namque sententiam confirmarunt, laudaverunt, eam et mirati sunt. Ostendit hoc posse humanis ratiociniis conspici, nec solum a Spiritu, quia admiserunt peccatum correctu difficile: tales quippe res non egent Spiritu. Ostendit cætera non esse necessaria; imo superflua esse, siquidem hæc necessaria. *Ab his si servaveritis vos ipsos*, inquit, *bene facietis*. Declarat nihil ipsis deesse, sed hoc sufficere. Poterat et sine literis, sed ut lex ita scripta esset, epistolam mittunt. Et iterum, ut legi obtemperarent, et illis dicebant, et illi hoc faciebant, et cum pace. Verum ne offendiculo nobis sint hæretici. Vide enim in principio prædicationis quot offendicula: non dico ea, quæ ab iis qui foris; illa quippe nihil erant; sed quæ intus. Primo Ananias: deinde murmur; hinc Simon magus; postea ii, qui Petrum accusabant ob Cornelium; sub hæc fames; demum hoc ipsum caput malorum.

Non potest hic bonum esse sine malo. — Neque enim potest bonum quodpiam esse, quin sit etiam aliquod malum. Ne itaque turbemur, si quidam scandalizentur; sed et pro his gratias agamus Deo, quia nos probatiores efficit. Neque enim afflictiones tantum, sed etiam tentationes nos splendidiores reddunt. Qui enim, nemine in errorem inducente, veritati hæret, non vehemens veritatis amator fuerit; sed qui multis retrahentibus hæret, ille clarus. Quid ergo? an hac de causa fiunt scandala? Non dico, quod Deo hoc faciente: absit; sed quod ille per illorum nequitiam nobis benefaciat: nam ipse illa fieri numquam voluisset. *Da illis*, inquit, *ut unum sint* (*Joan.* 17. 21). Cum autem scandala fiunt, nihil ipsis nocent, sed etiam prosunt illis; sicut et martyribus inviti prosunt, qui illos ad martyrium trahunt; non tamen a Deo ad hoc impelluntur: sic et hoc loco, ne videamus quod multi scandalizentur. Hoc indicium est dogma esse eximium, quod multi simulent et imitentur: neque enim simularent nisi bonum esset. Et hoc jam vobis palam faciam.

4. Unguenta quæ fragrantia sunt, a multis adulterantur, ut, verbi gratia, folium amomi. Quia enim rara sunt et necessaria, multa spuria fiunt. Nemo igitur voluerit rem vilem adulterare. Vita pura multos habet qui se adulterent: nemo autem simulare se velit improbum, sed potius monachum. Quid ergo gentilibus dixerimus? Venit gentilis et ait, Volo fieri Christianus, sed nescio cui adhæream: multæ apud vos sunt pugnæ, seditiones et tumultus: quod dogma eligam? quod præferam? Singuli dicunt: Ego veritatem dico. Cui credam, qui nihil Scripturarum sciam? Et illi utrinque idem proferunt. Sane hoc admodum fit in nobis. Nam si quidem diceremus nos ratiociniis credere, merito turbareris: si vero Scripturis nos credere dicamus, iisque simplicibus et veris, facile tibi fuerit judicare. Si quis cum illis consentit, Christianus est; si pugnat cum illis, hic procul est a canone. Quid ergo, si ille veniens dixerit, sic habere Scripturam; tu vero alio modo dixeris, et diverse interpretemini Scripturas, sensus illarum distrahentes? Tu igitur, dic mihi, mentemne habes ac judicium? Et quomodo possim; inquiet, cum nesciam dijudicare vestra? discipulus esse volo, tu vero me jam doctorem facis. Si hæc dixerit, quid respondebimus? quomodo illi persuadebimus? Interrogemus, an hoc sit obtentus: interrogemus, an gentiles damnet. Omnino quidpiam dicet: neque enim non damnatis illis, ad nostra accedet. Interrogemus qua de causa condemnet: non enim temere condemnat. Manifestum est dicturum esse, quia numina illa sunt creaturæ, nec esse illa increatum Deum. Recte. Si hoc apud alias hæreses inveniat, contrarium vero apud nos, quo opus est sermone? Omnes confitemur Christum esse Deum. Sed videamus qui pugnent, qui non pugnent. Nos qui dicimus esse Deum, digna Deo loquimur, quod potestatem habeat, quod non sit servus, quod sit liber, quod a seipso omnia faciat: ille vero contra. Rursum interrogo, si medicinam discere velis, num obiter et perfunctorie, quæso, ea quæ dicuntur suscipies, tametsi multa apud illos sint dogmata[1]? Si ergo simpliciter omnia quæ audies accipias, hoc viri non esset: si autem judicio et mente valeas, quod bonum verumque est omnino scies. Filium nos dicimus, et quod verum est dicimus: illi vero dicunt quidem, sed non confitentur. Ut vero clarius loquar, illi quosdam habent, a quibus appellantur, hæresiarchæ certe nomen: sic singulæ hæreses; nobis vir nullus nomen indidit, sed ipsa fides. Verum hoc prætextus obtentusque est. Cur enim, quæso, quando vestem empturus es, quamvis in arte textoria imperitus, non illa profers verba: Emere nescio, me decipiunt; sed nihil non agis ut discas? Etiam si quidvis aliud emere cupias, omnia curiose perquiris; hic vero ita loqueris. Itaque sic loquens, nihil omnino suscipies. Sit enim aliquis nullum omnino dogma habens; si dicat ille id, quod tu de Christianis dicis: Tanta multitudo hominum est, et varia habent dogmata; alius gentilis est, alius Judæus, alius Christianus: nullum amplecti dogma oportet: illi enim inter se pugnant: ego discipulus sum, judex esse nolo, neque ullum dogma condemnare: non jam ille prætextus locum habet. Ut enim adulterinum ejicere potuisti, sic poteris huc accedens, quid sit utile explorare. Nam qui nullum dogma condemnat, hoc facile dicet: qui vero damnat, etsi nihil eligat, progressu temporis poterit videre quid oporteat. Ne prætextus quæramus: omnia quippe facilia sunt. Vis ostendam tibi hæc prætextum esse? Scis quæ facienda, quæ non facienda? cur ergo non quæ facienda sunt facis, sed quæ non facienda? Fac illa, et recta ratione quære a Deo, et ipse tibi omnino revelabit. *Deus enim*, inquit, *non est personarum acceptor* (*Act.* 10. 34); sed in omni gente qui timet Deum

[1] Unus habet..., *discere velis; tametsi multa apud illos sint dogmata*, omissis interpositis.

et facit justitiam, acceptus illi est. Non potest is, qui absque præjudicata opinione audit, non persuaderi. Ut enim si regula quædam esset, ad quam omnes dirigi oporteret, non multa consideratione opus esset, sed male metientem facile deprehenderemus : ita et nunc. Quomodo ergo non vident? Multa id efficiunt, præjudicata opinio, humanæque causæ. Hoc etiam de nobis, inquies, illi dicunt. Quomodo? num ab Ecclesia nos excidimus? num hæresiarchas habemus? num ab hominibus nomen accipimus? num dux quispiam nobis est, ut illis Marcion, illis Manichæus, illis Arius, illis alius hæresis princeps? Quod si nos cujuspiam nomen feramus; at non habemus sectæ auctores, sed præfectos et gubernatores Ecclesiæ. Non habemus magistros super terram : absit, unum habemus in cælis. Illi quoque, inquies, hæc obtendunt. Verum habent nomen, quod illos accusat, illorumque ora obstruit. Multi fuere gentiles, et nullus hæc interrogavit : et apud philosophos hæc erant, et nullus eorum, qui rectam sectam haberent, prohibitus est. Cur non dixerunt, quando hæc movebant, quod et hi et illi Judæi essent, et utri obtemperare oportet? Sed ut oportebat obtemperarunt. Et nos ergo Dei legibus obtemperemus, et omnia ut ipsi placita sunt faciamus, ac secundum ejus voluntatem vivamus, dum in præsenti vita degimus, ut in virtute præsenti transacta vita, promissa diligentibus se bona consequamur, et cum iis qui ipsi placuerunt honoremur, gratia et benignitate unigeniti Filii ejus et sanctissimi vivificique Spiritus, unius et veræ Deitatis, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIV.

Cap. 15. v. 35. *Paulus autem et Barnabas morabantur Antiochiæ, docentes et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini.* 36. *Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus : Revertentes, visitemus fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant.*

1. *De Pauli cum Barnaba dissensione.* — Vide iterum quanta humilitate sermonem cum aliis communicent. Et jam quidem reliquorum apostolorum consuetudinem descripsit nobis Lucas, ostendens alios suaviores indulgentioresque esse, alios exactiores et austeriores : diversa namque sunt dona : quod autem hoc quoque sit donum liquet. Sed illud quidem aliis hominum moribus competit, hoc autem aliis; et si commutarentur, inutilia forent. Videtur quidem quædam esse dissensio; totum vero œconomia est. Illud enim fit, ut unusquisque locum qui sibi conveniat occupet. Alioquin vero non oportebat, ut omnes pari essent honore, sed ut alius præesset, alius subditus esset : et hoc etiam providentiæ opus est. Cyprii namque nihil tale exhibuerant, quale Antiocheni et reliqui : et illi mitiore, hi severiore magistro opus habebant. 37. *Barnabas autem volebat secum assumere et Joannem, qui cognominatur Marcus* : 38. *Paulus autem rogabat, ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, et non esset cum eis in opus, non debere recipi.* 39. *Facta est igitur dissensio, ita ut discederent ab invicem, et Barnabas quidem assumpto Marco navigaret in Cyprum* : 40. *Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus.* Sic et in prophetis diversas sententias comperimus, et varios mores : verbi gratia Elias austerus erat, Moyses mitis. Hic igitur vehementior est Paulus. Sed sic tamen vide mansuetudinem ejus. *Rogabat,* inquit, *ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, non debere recipi.* Ut enim dux exercitus nollet bajulum semper habere sordidum, sic neque apostolus. Hoc etiam alios docuit, et illum emendavit. Ergone improbus Barnabas? Minime; imo valde absurdum esset id putare. Quomodo non absurdum esset, ob rem adeo levem illum dicere improbum? Sed vide, primum hinc nihil mali provenisse, si cum integris gentibus sufficere possent, separati sint; imo etiam hinc magnum prodiisse bonum : deinde, si hoc non accidisset, non facile separari voluissent. Tu vero mireris velim, quod Lucas hoc non celaverit. Sed si separari oportebat, inquies, saltem sine dissensione. At hinc maxime humana ostenduntur. Nam si in Christo oportebat fieri, multo magis hic. Alioquin vero dissensio non mala est, quando de talibus quispiam contendit, et cum justa ratione. Si certe eorum quispiam quæ sua erant vel honorem quærens, exasperatus esset, bene improbaretur : si vero uterque docere instituereque volens, alter hac, alter alia via processit : quod crimen fuerit? Multa ex humana mente faciebant : non enim erant lapides aut ligna. Et vide Paulum accusantem et causam dicentem. Reverebatur enim Barnabam præ humilitate multa, qui in tantis rebus sibi consors et secum fuerat; sed non ita reverebatur, ut officium negligeret. Uter ergo melius consuluerit, non est nostrum pronuntiare, interim vero magna fuit œconomia; si quidem hi secundam visitationem assequuturi erant, alii nullam. Non sine causa autem Antiochiæ morati sunt, sed docebant. Quid docebant? quid evangelizabant? Alios quidem fideles, alios nondum tales. Quia enim innumera scandala erant, opus erat illorum præsentia. In hac quæstione observandum, non in quo dissenserint, sed in quo mutuo consenserint. Sic majus bonum ex separatione prodiit, atque inde ortum est. Quid ergo? inimicine recesserunt? Absit; vides enim postea Barnabam multis laudibus a Paulo celebrari in Epistolis. *Dissensio,* inquit, *facta est,* non inimicitia neque contentio. Tantum valuit dissensio, ut separarentur; et jure quidem. Nam quod uterque putabat utile fore, postea non admisisset, eo quod simul essent.

2. Mihi videtur illam separationem prudenter esse factam, illosque mutuo dixisse : Quandoquidem ego nolo, tu autem vis; ut ne pugnemus, loca distribuamus. Itaque multum sibi mutuo cedentes hoc faciebant. Volebat Barnabas stare quod Paulus decreverat;

ideo recessit: volebat similiter Paulus quod illi placebat; ideoque et ipse recedit. Utinam nos quoque tales separationes admitteremus, ut ad prædicandum abiremus. *Paulus autem*, inquit, *electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus.* Admirabilis est hic vir et valde magnus. Plurimum vero Marco profuit hæc pugna. Pauli namque severitas convertit illum, benignitas autem Barnabæ fecit ut ne relinqueretur. Itaque pugnant quidem, ad unum vero finem lucrum pertingit. Paulum enim videns velle discedere, multum exterritus, seipsum damnavit: iterumque Barnabam videns ita sibi patrocinantem, valde illum dilexit, et ex doctorum pugna emendatus est discipulus: tantum abfuit ne id offendiculo ipsi esset. Si enim pro suo id fecissent honore, jure offensus fuisset; sin pro ipsius salute, et si propter id unum contendunt, ut ostendant eum qui ipsum honoravit bene consuluisse, quid absurdum?

3. Vide Pauli prudentiam: non prius ad alias transit urbes, quam eas, quæ verbum acceperant, visitasset. 41. *Perambulabat autem Syriam et Ciliciam confirmans Ecclesias.* (*Cap.* 16) 1. *Pervenit autem Derben et Lystram.* Etenim stultum est temere currere. Hoc et nos faciamus: primos primum instruamus, ne illi impedimento sint posterioribus. *Visitemus*, inquit, *fratres quomodo se habeant.* Hoc scilicet jure ignorabat; ut veniens fratres inviseret. Vide illum semper vigilem et sollicitum, nec desidem sedere, etsi innumera subiret pericula. Vides non ex formidine Antiochiam venisse. Etenim ut medicus ægrotos adibat: et visitandi necessitatem declaravit, dicens: *In quibus prædicavimus verbum.* Recessit Barnabas, et non ultra socius fuit. *Electo*, inquit, *Sila, et traditus gratiæ Dei.* Quid hoc est? Precati sunt, Deo supplicarunt. Vide ubique orationem fratrum magna posse. Ac deinceps pedes ambulabat, ut in itinere videntibus se prodesset; et jure quidem. Nam cum festinarent, navigabant; nunc vero non item. *Et ecce discipulus quidam erat illic nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, patre gentili.* 2. *Huic testimonium bonum reddebant fratres, qui Iconii et Lystris erant.* 3. *Hunc voluit Paulus secum proficisci: et assumens circumcidit eum propter Judæos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater ejus erat gentilis.*

Pauli prudentia. Omnia prosunt sanctis. — Vere stupore digna est Pauli prudentia. Qui tantopere pugnaverat propter circumcisionem, qui omnia moverat, et non prius destitit, donec rem perficeret, confirmato dogmate, circumcidit discipulum. Non modo alios non cohibet, sed hoc et ipse facit. Nihil Paulo prudentius: omnia, ut conducerent spectans, nihil temere et ex præjudicata opinione agebat. *Hunc voluit*, inquit, *secum proficisci.* Hoc mirabile est quod assumpserit eum. *Propter Judæos*, inquit, *qui erant in illis locis.* [Hæc causa circumcidendi fuit] (*a*): non enim tulissent audire verbum ab incircumciso. Et cur? Vide præclarum opus: circumcidit, ut circumcisionem tolleret: dogmata enim prædicabat apostolorum. Viden' pugnam, et per pugnam ædificationem? Non ab aliis impugnabantur; sed ipsi contraria facientes, ita Ecclesiam ædificabant. Dogma afferebant non circumcidendi, et circumcidit. *Et abundabant*, inquit, *numero quotidie.* Vidistin' utilitatem circumcisionis? Deinde non moratur ibi, quippe qui visitandi gratia venisset; sed quid? Ultra procedit. 4. *Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab apostolis et senioribus, qui erant in Jerusalem.* 5. *Itaque Ecclesiæ confirmabantur fide, et abundabant numero quotidie.* 6. *Transeuntes autem Phrygiam et Galatiæ regionem, prohibiti a Spiritu sancto loqui verbum in Asia*, 6. *relicta Phrygia et Galatia, in mediam regionem festinabant.* 7. *Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, et non permisit eos Spiritus.* Quare prohibiti fuerunt non dicit, sed tantum prohibitos fuisse, nos docens ut solum obtemperemus, nec causas inquiramus; ostendensque illos multa humano more fecisse. 8. *Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem.* 9. *Et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir quidam erat Macedo stans, deprecans eum et dicens, Transiens in Macedoniam, adjuva nos.* Cur visio, et cur Spiritus sanctus ipse non jussit? Volebat eos hoc quoque modo attrahere. Etenim sanctis quoque visiones per somnium apparuerunt: et initio quoque ipse visionem habuit hominis ingredientis et imponentis sibi manus. Deinde ideo ipsum illo trahit, ut prædicatio extenderetur. Alioquin vero propter hoc prohibetur morari in aliis civitatibus, Christo ipsum urgente. Hi namque Joanne fruituri erant multo tempore, et fortasse non multum habebant opus; illo autem migrare oportebat. Et pertransiens demum proficiscitur. 10. *Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus evangelizare eis.* 11. *Navigantes autem a Troade recto cursu venimus in Samothraciam, et sequenti die Neapolim*, 12. *et inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot conferentes.* Sic illi etiam Christus apparet dicens, *Cæsari te oportet sisti* (*Act.* 27. 24). Deinde loca recenset, historiam quippe texens, et ostendens ubinam moratus sit; indicatque illum in majoribus moratum, alias præteriisse. Dignitas est civitatis coloniam esse. Sed superiora repetamus. Necessitatem Barnabæ imponit, dicens: *Visitemus civitates, in quibus annuntiavimus verbum.* Licet non oporteret rogare eum, quem postea accusaturus erat.

4. *Adhuc de separatione Pauli et Barnabæ.* — Hoc etiam circa Deum et Moysem legimus. Ille rogat, Deus irascitur; ut quando dicit: *Si pater ejus exspuisset in faciem ejus* (*Num.* 12. 14); et rursum, *Dimitte me, et iratus delebo populum hunc* (*Exod.* 32. 32); et Samuel quando lugebat Saülem (1. *Reg.* 15. 35): per utrumque enim magna eveniunt bona. Sic et nunc ille irascitur, sed non iste. Hoc apud nos item evenit. Et dissensio apposite, ut ille erudiretur, nec videretur

(*a*) Uncinis clausa desunt in uno.

rem esse scenam. Neque enim qui semper cesserat, hic non cessisset, qui ita Paulum amabat, ut antehac quæreret eum Tarsi, et ad apostolos ipsum introduceret, et eleemosynam communem faceret, et quod ad dogma attinet, communiter susciperet. Itaque non propter hanc rem iratus fuisset. Sed separantur, ut doceant, et per separationem eos, qui doctrina sua egebant, instituant: ut etiam alibi facit dicens: *Vos autem ne defatigemini bonum facientes* (2. *Thess.* 3. 13). Et alios quidem increpat, jubet autem bene facere erga omnes. Hoc etiam in consuetudine habemus. Hic autem mihi videntur alii quoque indignati esse in Paulum. Et postea ille, ipsis seorsum adductis, omnia facit, monet, hortatur. Multa potest concordia, multa caritas: etiamsi pro re magna roges, etiamsi indignus sis, propter propositum audieris, ne timeas. *Perambulabat*, inquit, *civitates. Et ecce erat discipulus nomine Timotheus, qui testimonium habebat a fratribus, qui erant Lystris et Iconii.* Magna fides [1] Timothei, qui ab omnibus testimonium habet. Quando discessit Barnabas, alterum ipsi parem invenit. De hoc inquit: *Memor lacrymarum tuarum et fidei tuæ non simulatæ, quæ inhabitavit primo in avia tua Loide, et in matre tua Eunice* (2. *Tim.* 1. 4. 5). *Et assumens*, inquit, *illum circumcidit.* Qua de causa ipse addit, dicens: *Propter Judæos, qui erant in locis illis.* Ideo ergo circumciditur; vel etiam propter patrem, qui gentilis manebat. Ergo non circumcisus erat. Vide jam solutam legem. Quidam autem putant illum post prædicationem natum esse; sed forsan hoc non est. *Ab infantia enim*, inquit, *sacras literas nosti.* Illud igitur est dicendum; vel fortasse, quia illum ordinaturus erat episcopum, et non decebat incircumcisum esse. Jam autem gentibus nihil tale servandum erat. Neque hoc parvum erat, quando post tantum tempus hoc illis offendiculo erat. Initium abrogationis erat, quod gentiles hæc non servarent neque hinc læderentur, nihilque minus haberent circa fidem: sponte demum desistebant. Quia igitur prædicaturus erat, ne dupliciter pungeret Judæos, hunc circumcidit, quamvis ex dimidio tantum esset, patre gentili, matre fideli. Attamen quia magnum erat opus hoc, quod inter gentes hoc ageret, non curavit illud; oportebat enim verbum disseminari: ideo et ipse illum circumcidit. Hic etiam vide dum e contrario videtur agere, magnum peractum bonum. *Et abundabant numero*, inquit. Viden' quomodo non solum nihil nocuerit circumcisio, sed et plurimum profuerit? *Ut autem visionem vidit, statim*, inquit, *quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus.*

Visionum et somniorum distinctio. — Vide, non jam per angelum, ut Philippo et Cornelio; sed quid? Per visionem apparet ipsi deinceps humano more, non divino. Ubi enim facilius erat persuadere, humanius; ubi magna vis desiderabatur, divinius. Nam ubi prædicare festinabat solum, ibi somnium ipsi apparet; ubi vero prædicare non sustinebatur, ibi Spiritus revelat. Sic et illic Petro: *Surgens, descende.* Non enim facilia operabatur Spiritus, sed satis erat ipsi somnium. Josepho quoque facile credenti somnium apparet, aliis vero visio. Ita et Cornelio et huic ipsi. *Et ecce*, inquit, *vir Macedo stans, obsecrans et dicens.* Non dixit, Præcipiens, sed *Obsecrans*; id est, pro iis qui curatione opus habebant. Quid est, *Certi facti?* Hoc est, conjectantes, inferentes. Nam quod Paulus viderit et nemo alius, et quod prohibitus sit a Spiritu, et quod in terminis essent, ex his omnibus hæc inferebant. Alioquin navigatio illud indicabat: neque enim multum tempus erat, quo in illam Macedoniæ radicem venerant. Atque ita dissensio utiliter provisa fuit. Neque enim alias Spiritus sanctus operatus esset, neque Macedonia verbum suscepisset. Tantus vero ille profectus signum erat, rem gestam non fuisse humanam. Atqui non dixit, Barnabam exacerbatum fuisse; sed, *Inter illos dissensio fuit.* Si hic exacerbatus non est, neque ille.

5. Hæc cum sciamus, ne perfunctorie illa excipiamus, sed discamus et instituamur; neque enim temere scriptum est. Magnum malum est ignorare Scripturas: a quibus juvari oporteret, ab iis lædimur. Sic frequenter pharmaca vim medendi habentia, cum ejus usum nesciunt qui illa adhibent, nocent ac pessumdant: et arma quæ possunt tueri, nisi quis recte circumponat, iis utentem perimunt. Causa vero est, quod omnia magis quæramus, quam animæ utilitatem; et alia magis spectemus, quam utilitatem nostram. Domus certe firmitatem sæpe quærimus, nec patimur illam vetustate nutantem vel labentem videre, neque a tempestate periclitantem: de anima vero nulla cura: sed etiamsi fundamenta ejus infirma videamus, licet et structuram et tectum perinde habere; nullam horum rationem habemus. Item si armenta habeamus, quid illis prosit quærimus, ductoresque ac medicos, omnemque lapidem movemus [1]: domos quoque curamus, et eos quibus hæc commissa sunt hortamur, ut non temere vel perfunctorie jumenta abigant, neque onera imponant, vel intempesta nocte educant, vel alimenta venumdent, multæque leges apud nos sunt ad utilitatem jumentorum: de anima ratio nulla. Verum quid dico de brutis, quæ nobis utilia sunt? Multi sunt, qui passeres habent ad nihil utiles, sed qui solum recreant, multæque sunt circa illos leges, nihilque negligitur vel omittitur: omniaque magis curamus, quam nos ipsos. Sic omnibus sumus ignobiliores. Si quis contumeliose nobis dixerit, Canis, dolemus; cum vero nos ipsi nobis contumeliam inferimus, non verbo, sed re, nec tantam animæ curam habemus, quam canum, nihil nos pati putamus. Videte quantis omnia plena sint tenebris. Quot sunt qui student, ne canes plus æquo exsatientur; ut sint veloces et venatorii premente fame; de se vero nihil sollicitudinis habent, neque sibi præcipiunt, ne deliciis dent operam: et bruta quidem philosophari docent, se vero in brutorum feritatem labi patiuntur.

[1] Unus habet, *gratia*, pro, *fidei*.

[1] In Græco legitur, πάντα κάλων κινοῦμεν, quod est, ad literam, *omnem funiculum movemus*.

Brutorum philosophia quæ. — Ænigma est hæc res. Et ubinam sunt animalia philosophia, inquies? Annon tibi videtur magnæ esse philosophiæ, cum canis premente fame, postquam in venatu cepit, a præsenti esca abstinet, et urgente fame dominum exspectat? Pudeat vos: ventres docete vestros, ut ita sint philosophi. Nulla vobis excusatio est. Cum naturæ irrationabili, quæ nec loquitur nec ratiocinatur, tantam philosophiam indere possis, multo magis poteris tibi ipsi. Quod enim ex humana diligentia, non ex natura proficiscatur liquet; alioquin oporteret omnes canes hoc habere. Estote saltem sicut canes. Vos me cogitis hinc exempla ducere: oportuisset enim a cælestibus; quia vero si tale quidpiam dixero, dicitis illa magna esse: ideo nihil cælestium memoro. Si dixero Paulum, dicitis illum fuisse apostolum; ideo non dico Paulum. Si dixero hominem, dicetis, Ille potuit; ideo neque hominem dico, sed bestiam, et bestiam quæ hoc non ex natura sua habet, ne dicatis ipsam ex natura habere, non ex proposito suo; quodque mirum est, non proposito suo, sed cura tua. Non quod fatigata, non quod cursu discerpta, non quod proprio labore parta hæc cogitet; sed his omnibus foras missis, jussum domini servat et ventre fit superior. Etiam, inquies; exspectat enim laudari, exspectat majore frui mensa. Dic igitur tibi ipsi, canem spe futuræ voluptatis præsentem despicere; tu vero non vis spe futurorum bonorum præsentia contemnere. Sed ille quidem novit, si intempestive et præter placitum domini cibum degustet, illo etiam privandum esse, nec paratam escam habiturum esse, sed plagas pro cibo accepturum; tu vero ne hoc quidem potes videre: et quod ille a consuetudine didicit, hoc tu ratione non emendas. Imitemur canes. Hoc dicuntur et accipitres et aquilæ facere; et sicut inter feras et capreas canes, sic hi inter aves faciunt: hi vero etiam ex humana philosophia. Hæc nos damnare possunt, hæc nos capere. Aliud dicam: equos agrestes et indomitos, calcitrantes et mordentes, brevi tempore ita periti erudiunt, ut eques insidens ex composito incessu oblectetur: animam vero incomposite incedentem nemo curat, sed exsilit illa, calcitrat, deorsum trahitur ut puer, indecore millies agit, nemoque ipsi camum injicit et retinacula pedum, vel frena, neque admittit illa peritum equitem, Christum dico. Ideo omnia sus deque posita sunt. Cum enim canes doceas ventri imperare, et furorem leonis edomes, et ferociam equi, et doceas aves loqui: annon absurdum fuerit brutis naturis rationabilia opera indere, in rationabilia vero irrationabilium vitia inducere? Nulla nobis, nulla certe venia est. Omnes qui bene agunt, tam fideles quam infideles, nos accusabunt. Nam et infideles bene agunt, et feræ canesque; soli homines minime. Sed et nos ipsi nos accusabimus, qui cum volumus, recte agimus; cum vero negligimus, pertrahimur. Nam ex iis etiam, qui nequissimi sunt, multi sæpe cum vellent, sunt mutati. In causa est, ut dixi, quia circuimus, ea quærentes quæ aliis utilia sunt, non nobis. Si domum exstruxeris splendidam, domus commodo studes, non tuo: si vestem magnificam emeris, corporis decori consulis, non tuo: si equum bonum curaveris, similiter. Nemo curat ut sit anima bona: quamvis si illa bona sit, non sit illis opus; si bona non sit, nulla ex illis utilitas. Sicut enim cum de sponsa agitur, sive lecti sint ex velaminibus aureis, sive chori mulierum formosissimarum, sive rosæ adsint et coronæ, sive sponsus formosus, sive ancillæ, sive amicæ cunctæque decoræ sint, si illa deformis sit, nulla utilitas; ut neque damnum, si illa pulchra sit; imo contra. Nam si deformis sit, a formosis læditur; si formosa, a deformibus juvabitur. Sic et anima, si pulchra sit, non modo nullo horum opus habet, sed etiam illa obumbrat pulchritudo ejus. Philosophum enim non sic in divitiis, ut in paupertate fulgentem videbimus. Nam si dives sit, multi opibus adscribunt virtutem, utpote nullo egentem: si vero sit inops, et omnino splendeat, nec turpe quidpiam agere cogatur; nemo cum illo de philosophiæ corona contendit.

Anima ornanda plus quam alia omnia. — Animam igitur ornemus, si divites esse velimus. Quæ utilitas, si mulæ albæ sint, pingues et obesæ, tu vero qui sedes, gracilis, scabiosus et deformis? quod lucrum, si strata mollia et pulchra, varietate arteque plena; anima vero pannis laceris induta, vel nuda et fœda? quod lucrum, si equus composito gradu incedat, et tripudiantem magis referat, quam incedentem, et post hujusmodi choream sponsali sit ornamento decoratus; eques vero plus quam claudus claudicet, et plus quam ebriosus quis furiosusque distortus sit manibus pedibusque. Dic mihi, si quis tibi daret equum pulchrum, et corpus tuum distorqueret, quæ utilitas? Nunc animam distortam habes, nec curas. De nobis ipsis, quæso, tandem solliciti simus. Ne nos omnibus ignominiosiores constituamus. Si quis nos conviciis incessat, mordemur dolemusque; cum vero nos re ipsa contumeliis afficimus, non convertimur. Resipiscamus vel sero tandem, ut possimus, postquam animam curaverimus, et virtutem coluerimus, æterna consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXV.

Cap. 16. v. 13. *Die autem sabbatorum egressi sumus urbe versus fluvium, ubi solebat oratio esse: et sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant.* 14. *Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria, civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit: cujus Dominus cor aperuit, ut attenderet iis quæ dicebantur a Paulo.*

1. *Paulus judaizat. Lydiæ philosophia et humilitas.*

— Vide rursus Paulum judaizantem, et a tempore et a loco. *Ubi putabatur*, inquit, *oratio esse*. Neque enim tantum ubi synagoga erat, sed etiam foris precabantur : quasi locum quempiam assignantes, quia Judæi crassiores erant. *Die autem sabbatorum*, quando verisimile erat turbam convenire. *Et sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant. Et mulier quædam nomine Lydia, purpuraria, civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit : cujus Dominus cor aperuerat, ut attenderet iis quæ dicebantur a Paulo.* Vide rem a fastu alienam. Mulier et humilis erat, ut palam est ab arte : sed vide philosophiam ejus. Primo quidem hoc ipsi datur testimonium, quod coleret Deum, deinde quod invitaret apostolos. 15. *Cum ergo baptizata esset et domus ejus, deprecata est dicens : Domini mei, si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, et manete. Et coegit nos. Ut autem baptizata est*, inquit, *illa et domus ejus*. Considera quomodo suaserit omnibus : deinde vide prudentiam, quomodo obsecret apostolos, quam humilia proferat verba, cum quanta sapientia. *Si judicatis me*, inquit, *fidelem Domino.* Nihil ad persuadendum aptius. Quem non emollirent hæc verba? Non rogavit, non precata est tantum, non eorum arbitrio rem reliquit, sed etiam coegit : id enim significat illud, *Coegit nos*, id est, his verbis. Vide quomodo statim fructum ferat, et lucrum magnum putet vocationem. Quod me fidelem judicaveritis, liquet ex eo, quod mihi tanta mysteria tradideritis, non tradituri, nisi me talem judicassetis. Nec ausa est antea invitare, sed postquam baptizata est, hinc ostendens se non alio modo persuasuram fuisse. Cur Paulus et socii nolebant, sed renuebant, ita ut cogerentur? Ut illam ad majus studium concitarent; vel quia dixit Christus : *In quamcumque civitatem intraveritis, quis sit dignus interrogate, et illic manete* (*Luc.* 10. 8). Itaque omnia per œconomiam faciebant. 16. *Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando. 17. Hæc subsequuta Paulum et nos clamabat, dicens : Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant nobis viam salutis.* Cur et dæmon talia loquutus est, et Paulus prohibuit? Et ille maligne, et hic prudenter agebat : volebat enim non fide dignum reddere [1]. Nam si testimonium ejus Paulus admisisset, multos etiam fideles decepisset, ut ab illo approbatus : ideo illos prædicat, ut sua stabiliat, et demissius se gerit ad perniciem. Primo itaque non admisit Paulus, sed respuit, nolens tam facile signa edere : quia vero perseverabat illa multis diebus, et opus monstrabat : *Hi homines servi Dei altissimi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis;* tunc præcepit illi ut exiret. 18. *Dolens autem Paulus, et conversus, spiritui dixit : Præcipio tibi in nomine Jesu Christi, exire ab ea. Et exiit eadem hora.* 19. *Videntes autem domini ejus, quia exivit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum et Silam, adduxerunt in forum ad principes,* 20. *et offerentes eos magistratibus, dixerunt : Hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi,* 21. *et annuntiant mores, quos non licet nobis suscipere neque servare, cum simus Romani.* Ubique malorum causæ pecuniæ sunt. O paganorum inhumanitatem! Volebant puellam dæmoniacam esse, ut pecunias colligerent. *Apprehendentes*, inquit, *Paulum et Silam, dicebant : Hi homines conturbant civitatem nostram.* Quid facientes : cur non ante traxistis eos? *Judæi cum sint*, inquiunt : ita nomen illud male audiebat. *Et annuntiant mores, quos non licet nobis suscipere, neque servare, cum simus Romani.* Rem in læsæ majestatis crimen vertunt. 22. *Et simul insurrexit turba contra illos.* O insipientiam! Non examinarunt, non deliberarunt; quamvis eo edito miraculo adorare oporteret, et illos pro servatoribus et beneficis habere. Nam si pecunias volebatis, cur tantis inventis divitiis non accurristis? Posse dæmonas fugare, splendidiores reddit, quam ipsis obtemperare. Ecce signa, sed pecuniarum cupiditas plus valuit. *Et magistratus, scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi :* 23. *et cum multas eis plagas imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi, ut diligenter custodiret eos.* Itaque Paulus totum fecit, et miracula, et doctrinam; periculorum vero consors fuit Silas. Quid est *Dolens autem Paulus?* Malitiam, inquit, dæmonis videns, ut ipse alibi dicit : *Non enim cogitationes ejus ignoramus* (2. *Cor.* 2. 11). Cur non dixerunt, Dæmonem ejecerunt, in Deum impie egerunt; sed crimen læsæ majestatis intentant? Hic se victos videbant. Sic et de Christo dicebant : *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.* 19. 15). *Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari* (*Ibid.* v. 12). *Et conjecerunt eos*, inquit, *in carcerem.* Magnus furor. 24. *Qui cum tale præceptum accepisset, conjecit illos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno.* Vide, ille eos in interiorem conjecit carcerem : et hoc ex providentia factum. Quia enim miraculum magnum futurum erat, idoneus locus ad rem evulgandam extra urbem statuitur, tentationibus et periculis vacuus. Vide quomodo hic scriptor studia recensere non erubescat. Certe cum quies esset, magis attendebant iis, quæ dicebantur : neque urbs illa Philippensium magna erat. Hæc et nos scientes, neminem erubescamus. Apud coriarium manet Petrus, apud purpurariam [1] Paulus. Ubi est fastus? Igitur Deum precemur, ut cor aperiat : Deus autem corda quæ voluerint aperit; at excæcata corda videre est. Sed superiora repetamus. *Mulier*, inquit, *purpuraria, cujus Dominus cor aperuit, ut attenderet iis, quæ dicebantur a Paulo.* Aperire itaque Dei est, attendere vero illius : res igitur erat et divina et humana. *Cum autem baptizata fuisset*, inquit, *deprecata est dicens, Si judicastis me.* Vide et baptizatur, et recipit apostolos post tantam supplicationem, majorem quam illam Abrahami. Nec dicit aliud indicium, quam illud, quo servata fuerat. Non dixit, Si magnam, si piam mulierem judicastis me; sed quid? *Fidelem Domino.* Si Domino, multo magis vobis, nisi dubitetis. Nec dixit, Apud me, sed *In domo mea manete;* ut ostenderet se hoc cum magna alacritate fa-

[1] Alii habent, *volebat enim se fide dignum facere.*

[1] Quidam addit, *et alienigenam.*

cere. Vere fidelis mulier. Dic vero mihi, quis est hic dæmon? Deus, inquies, python : a loco sic vocatur. Viden' etiam Apollinem esse dæmonem? et quia volebat illos in tentationes injicere, ut magis excitaret, ad hoc loquendum induxit.

2. O scelestе, et scelestissime! Si ergo nosti illos viam salutis annuntiare, cur non egrederis lubens? Sed idipsum quod Simon volebat, cum diceret, *Date mihi, ut cui imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum* (*Act.* 8. 19) : hoc et iste faciebat : quia videbat illos celebrari, ita simulat, hac ratione sperans se relinquendum esse in corpore, si eadem prædicaret. Si vero apud hominem *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* 15. 9), multo magis apud dæmonem : si ab hominibus testimonium non accipit Christus, nec a Joanne; multo minus a dæmone. Prædicare enim non est hominum, sed Spiritus sancti. Quia igitur arroganter faciebant clamantes, clamore se stuporem allaturos sperabant, dicentes : *Hi homines conturbant civitatem nostram.* Quid dicis? credisne dæmoni? cur non hic etiam credis? Ille dicit, *Servi Dei altissimi; tu dicis, Conturbant civitatem nostram :* ille dicit, *Annuntiant nobis viam salutis;* tu vero dicis, *Tradunt nobis mores, quos non licet suscipere.* Vide illos neque dæmoni aures præbentes, sed unam spectantes avaritiam. *Traxerunt,* inquit, *eos in forum ad principes : et cucurrit plebs adversus eos.* Vide illos non respondere nec sese purgare; ut majore sint digni admiratione. Nam ait, *Cum infirmor, tunc potens sum. Sufficit tibi gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur* (2. *Cor.* 12. 10 *et* 9). Itaque ex mansuetudine admirabiles erant. Quanto diligentior custodia erat, tanto miraculum splendidius. Fortasse sic seditionem sedare volebant. Quia videbant instantem turbam, plagis quidem in præsenti furorem sistere volebant; cum autem in carcerem conjecerunt et præceperunt accurate servari, causam audire volebant. *Et strinxit ligno,* inquit; ac si diceret, in nervo. Quot lacrymis digna sunt, quæ nunc aguntur? Illi mala patiebantur, nos in deliciis agimus, nos in theatris. Unde pernicies accidit et submergimur, dum quietem undique quærimus, nec pro Christo volumus vel convicia sustinere, vel etiam verba. Hæc frequenter in memoriam revocemus, obsecro, quanta illi passi sint, quanta sustinuerint, quomodo nec turbati, nec offensi sint. Dei opus exsequebantur, et hæc passi sunt. Non dicebant : Cur hoc prædicamus, nec nobis præsidium affert Deus? Sed et hoc illis proderat, et absque ope ex ipsa re constantiores reddebat, fortiores, imperterritos. *Tribulatio*, inquit, *patientiam operatur* (*Rom.* 5. 4).

Nihil inutilius otioso. — Ne, quæso, fluxam et dissolutam quæramus vitam. Ut enim hic duplex bonum est, quod fortiores fiant, et quod magna sit merces : sic ibi duplex malum, quod molliores evadant, et quod ad nullam utilitatem, sed in malum. Nihil enim inutilius homine, qui in otio et deliciis totum transigit tempus. Vir, inquit, non probatus, etiam reprobus : reprobus, non in his tantum certaminibus, sed etiam in aliis omnibus. Res est inutilis desidia : atque in ipsis deliciis nihil ita fructu carens ut deliciari : id enim fastidium parit. Neque tanta est ciborum desidiæque voluptas; sed omnia defluunt et avolant. Ne hanc quæramus. Si enim considerare voluerimus, uter suavius agat, qui laborat et in ærumnis vivit, an qui deliciatur : illum suavius vivere deprehendemus. Nam primo illius corpus enerve et ineptum est : deinde corporis sensus non sunt sinceri neque sani, sed molles et languidi; ubi vero sic res habet, neque sanitatis voluptas apparet. Quis equus utilis, qui deliciatur an qui exercetur? quæ navis, quæ navigat an quæ otiatur? quæ aqua, quæ fluit an quæ quiescit? quod ferrum, quod movetur an quod nihil operatur? annon illud quidem splendet, et argento simile est; hoc autem rubigine consumitur, et inutile est, atque ex materia sua quidpiam amittit? Tale quidpiam accidit otiosæ animæ : rubigo quædam illam pervadit, et splendorem corrodit cæteraque omnia. Qua arte quis hanc rubiginem absterserit? Ærumnarum cote : illæ utilem reddunt animam et in omnibus expeditam. Quomodo enim, quæso, poterit vitia succidere, hebetata acie, et quasi plumbum reflexa? quomodo diabolum confodiet? cui non est ingratus homo qui pinguedini studet, ac velut phoca trahitur?

3. *Lauta mensa vituperatur.* — Non hoc dico de iis, qui natura tales sunt, sed de iis, qui ex ciborum deliciis talia sibi corpora parant, cum natura sua graciles essent. Ortus est sol, radios ubique splendidos effudit, singulos ad opera excitavit : agricola sumpto ligone exit, ærarius malleum apprehendit, singuli artifices quæ sibi congruunt; et quemque invenies instrumenta sua tractantem; mulier colum vel texturam arripit : ille autem summo mane quasi porcus ad pascendum ventrem exit, quærens quomodo lautam paret mensam. Atqui brutorum est tantum a summo mane cibum adire, quia ad nihil utilia sunt, nisi ad mactationem. Illa vero quæ dorso gestant, et operi apta sunt, ipsa quoque noctu ad opus egrediuntur. Hic autem a lecto surgens, sole forum replente, et omnibus labore satiatis, surgit se distendens quasi porcus saginatus, postquam optimam diei partem in tenebris consumpsit. Deinde multo tempore in lecto sedet, nec ferre potest sæpe vespertinam crapulam, in his consumpta maxima temporis parte. Hinc sese exornat, et procedit turpitudinis spectaculum, nihil habens hominis, sed omnia hominiformis bestiæ : oculi lippiunt, vinum os olet, misera anima quasi in lectum conjecta ob illatam sine modo ciborum sarcinam, carnis pondus circumferens sicut elephas. Deinde veniens in locis sedet, taliaque dicit et facit, ut melius esset dormire illum, quam vigilare. Si gravia nuntientur, puella quavis mollior est; si suavia, puelli cujusvis tenerior : frequentissime oscitat. Omnibus prostat mala inferre volentibus, si non hominibus, certe affectibus : talem hominem facile excitant ira, concupiscentia, invidia, omnia. Omnes adulantur, omnes ministrant, molliorem solito reddentes animam : et quotidie prodit cum magna accessione

morbi. Si in negotiorum difficultatem incidat, pulvis et cinis redditur; nihilque ei sericæ vestes prosunt. Hæc non sine causa a nobis dicuntur, sed ut doceamus, ne quis otiose et inutiliter vivat. Otium namque et deliciæ ad opus inutiles, ad gloriam solum et ad voluptatem sunt. Quomodo non omnes talem hominem damnent, domestici, amici, cognati? quis non jure dicat, Pondus terræ hic est, frustra in mundum prodiit; imo non frustra, sed in malum capitis sui, in perniciem suam, in damnum aliorum? quid dulcius otio videmus? illud enim est quod quæritur, otium et vacatio. Et quid ingratius fuerit homine nihil habente quod operetur? quid fœdius, quid miserius? annon hoc innumeris pejus est vinculis, oscitare semper in foro sedentem, ac prætereuntes spectare? Anima quippe ex natura habens, ut semper moveatur, quietem non fert. Ad operandum Deus hoc animal fecit: secundum naturam ejus est quod operetur, contra naturam quod sit otiosus. Ne ab ægris rem exploremus, sed operis experimentum capiamus. Nihil otio, nihil desidia deterius: ideo nobis Deus laborandi necessitatem imposuit. Omnibus quippe nocet otium, ipsisque corporis membris. Nam oculus si non operetur, itemque os, venter et quodvis membrum, in extremum incidit morbum: sed nihil ita labore eget ut anima. Sicut autem otium malum est, ita quoque operatio non congruens. Quemadmodum enim si quis non edat, in dentibus læditur; si quæ non competunt edat, ut obstupescant efficit: ita et hic, sive non operetur, sive operetur quæ non oportet, vim amittit suam. Ergo utrumque fugere studeamus, et otium et opus otio gravius. Quodnam illud est? Avaritia, ira, invidia, contentiones, cædes, æmulationes, et reliqua vitia. Ab his vacare debemus, et virtutum operationem cum omni diligentia persequi, ut promissa consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVI.

Cap. 16. v. 25. *Media autem nocte Paulus et Silas orantes laudabant Deum; et audiebant eos vincti. 26. Subito vero terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris: et statim aperta sunt omnia ostia, et universorum vincula soluta sunt.*

1. Quid his par fuerit animabus? Virgis cæsi multas plagas acceperant, contumelias et extrema pericula subierant, in ligno vincti erant, in carcere interiori: et ne sic quidem somnum capere volebant, sed pervigilium agebant. Videtis quantum sit afflictio bonum? Nos autem in mollibus lectis sine ullo terrore per totam dormimus noctem. Forte ideo pervigilium agebant, quia hoc in statu erant. Non illos somni tyrannis cepit, non dolor inflexit, non timor consternatos reddidit; sed hæc multo magis illos excitabant, et multa replebant voluptate. *Media autem nocte*, inquit, *orantes laudabant Deum: audiebant autem illos vincti.* Novum enim et stupendum videbatur esse. *Subito vero terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris: et statim aperta sunt ostia omnia, et universorum vincula soluta sunt.* Terræ motus factus est, ita ut custos excitaretur a somno; et ostia aperta sunt, ita ut res esset mirabilis. Hæc vincti non videbant; alioqui fugissent omnes. 27. *Expergefactus autem custos, et videns januas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. 28. Clamavit autem voce magna Paulus, dicens: Nihil tibi mali feceris: universi enim hic sumus.* Admiratus est magis benignitatem Pauli: obstupuit fortitudinem, quod cum fugere posset, non fugerit, et quod ipsum a cæde cohibuerit. 29. *Petito autem lumine ingressus est, et tremefactus procidit ante Paulum et Silam, 30. et producens eos foras, dixit: Domini, quid me oportet facere ut salvus fiam.* Viden' quanta illum ceperit admiratio? 31. *At illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum Christum, et salvus eris tu et domus tua. 32. Et loquuti sunt ei verbum Domini, et omnibus qui erant in domo ejus.* Quia statim loquuti sunt illi, declararunt misericordiam erga illum. 33. *Et assumptis illis in eadem hora noctis, lavit plagas eorum: et baptizatus est ipse, et omnis domus ejus continuo. 34. Cumque perduxisset eos in domum suam, apposuit mensam, et exsultavit cum tota domo credens Deo.* Lavit eos, quasi gratiam rependens, et sic illos honorans. 35. *Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos.* Cognoverant forte factum magistratus, et non audebant per seipsos dimittere. 36. *Nuntiavit autem custos carceris verba hæc Paulo, dicens: Miserunt magistratus, ut dimittamini. Nunc igitur exeuntes, ite in pace. Paulus autem dixit eis: 37. Cæsos nos publice, indemnatos, homines Romanos, miserunt in carcerem; et nunc occulte nos ejiciunt? Non ita, sed veniant, 38. et ipsi nos ejiciant. Nuntiarunt autem magistratibus lictores hæc verba: timueruntque audientes, quod Romani essent. 39. Et egressi deprecati sunt eos, et educentes rogabant, ut egrederentur e civitate. 40. Egressi autem de carcere, ingressi sunt ad Lydiam: et visis fratribus exhortati sunt eos, et profecti sunt.* Etiam magistratibus denuntiantibus Paulus non exit, forte propter Lydiam, et alios fratres: vel ut terreat illos, ne putarentur rogatu suo dimissi fuisse, ut etiam aliis fiduciam inderent. Triplex, dilecti, crimen erat: quod Romanos, quod non damnatos, quod publice in carcerem conjecissent. Vides illos plurima humano more fecisse. Exquiramus noctem illam, cum noctibus nostris comparando, ubi comessationes, ebrietas, lascivia; ubi somnus a morte nihil differens, ubi vigiliæ somno ipso graviores. Alii enim dormiunt, ita ut nihil sentiant; alii miserabiliter vigilant, dolos struentes, de pecuniis curantes, ut ulciscantur eos qui se læserunt studentes, inimicitias meditantes, verba contumeliosa transacto die secum reputantes;

sic iræ ignem succendunt, et intolerabilia perpetrant. Perpende quomodo Petrus dormiebat. Per dispensationem illud factum est: angelus enim advenit, neminemque rem gestam scire oportebat; et merito quidem, ut ne custos carceris seipsum interficeret. Et cur non aliud signum factum est? Quia illud maxime ipsum attrahere et confirmare poterat, siquidem ille periclitaturus erat, nisi ita factum esset: non enim ita signa trahunt, ut ea quæ ad salutem nostram attinent. Ne videretur terræ motum per se factum esse, sequutum est id, quod ipsi testimonio esset. Et noctu accidit: nihil enim ad ostentationem faciebant, sed ad salutem. Non malus erat carceris custos: conjecerat illos in interiorem carcerem, quod ita sibi jussum esset, non motu suo. Et cur non ante clamavit Paulus? Perturbatione plenus erat homo, nec admisisset verba. Ideo cum vidisset illum sese interfecturum, præoccupat et clamat, dicens: *Omnes hic sumus.* Ideo ille *Petito lumine insiliit, et ante Paulum,* inquit, *et Silam procidit.* Ad pedes vincti procidit custos. *Et eduxit illos foras, dixitque: Domini, quid me oportet facere, ut salvus sim?* Quidnam dixerunt? Vide illum non ob hoc diligere quod servatus esset, sed quod de virtute obstupesceret.

2. Vides quid illic, quid isthic factum sit? Illic puella liberata est a maligno spiritu, et in carcerem conjecerunt eos, quod illam a dæmone liberassent; hic solum januas apertas ostenderunt, et aperuit januas cordis illius, solvit vincula duplicia, accendit lumen illud: nam et in corde ejus lux fulgebat. Et insiliit et procidit: nec interrogat quomodo res facta sit, quid factum sit; sed statim ait: *Quid me oportet facere ut salvus sim?* Quid ergo Paulus? *Crede in Dominum Jesum Christum, et salvus eris,* inquit, *tu et domus tua.* Hoc maxime homines allicit, quod et domus salva sit. *Et loquuti sunt ei verbum, et omnibus qui erant in domo ejus.* Lavit eos, et lotus est: illos quidem a plagis abluit, ipse a peccatis ablutus est: nutrivit, et nutritus est. *Et exsultavit,* inquit. Atqui nihil erat nisi verba tantum et spes bona. Hoc signum erat, credidisse illum, sibi omnia remissa fuisse. Quid custode carceris pejus? quid crudelius, quid ferocius? Attamen cum multo illos suscepit honore. Non quod servatus esset, gavisus est, sed *Quod Deo crederet. Crede,* inquit, *in Dominum.* Ideo dixit, *Qui credidit Deo,* ut ne videretur quasi damnatus et peccator solvi. Idcirco dicunt: *Cæsos nos publice indemnatos homines conjecerunt in carcerem;* ut non modo gratiæ, sed etiam ipsorum esset opus. Vide ut varia dispenset gratia, quomodo ille egressus est, quomodo hic, etsi uterque apostolus esset. *Timuerunt,* inquit. Timent quia Romani sunt, non quia injuste conjecerunt. *Et rogaverunt illos, ut exirent ex civitate.* Hanc petiere gratiam. Illi vero ut venerunt ad Lydiam et confirmarunt eam, sic profecti sunt. Non oportebat enim hospitalem illam in agone et sollicitudine relinquere. Egressi autem sunt, non illis obtemperantes, sed ad prædicationem festinantes, cum civitas per miraculum illud satis adjuta fuisset. Non oportebat ultra manere. Nam miraculum majus apparet magisque clamat post profectionem eorum qui ipsum patraverant. Etenim custodis carceris fides pro voce erat. Quid huic rei par? Ligatur et solvit ligatus; solvit duplex vinculum; ligantem se solvit per hoc quod ipse ligatus sit. Hæc vere sunt gratiæ opera. *Nunc ergo,* inquit, *egressi, ite in pace:* id est, cum securitate, nihil timentes. Simul hunc volunt extra periculum fieri, ne post hæc accusetur. Et non dicunt, Cæsos nos conjecerunt in carcerem, quia miracula operati eramus: neque enim his attendebant; sed quod illorum animos concutere poterat, *Indemnatos* inquit, *et Romanos.* Hujus vincti semper memores simus, et non miraculi. Quid dicent gentiles, quomodo vinctus cum esset, suasit vincienti? Et quem, inquiunt, persuaderi oportebat, nisi scelestum hominem, miserum, qui mentem non haberet, mille malis onustum et captu facilem? Hæc insuper proferunt: Quis credidit, nisi coriarius, purpuraria, eunuchus, custos carceris, servi et mulieres? Quid ergo dicere poterunt, quando eos, qui in dignitatibus erant, producemus: centurionem, proconsulem, alios ex illo ad hoc usque tempus, imperatores, reges? Ego vero aliud majus dico: ipsos viliores illos videamus. Ecquid ibi mirum, inquies. Hoc certe mirum: etenim si de rebus vulgaribus crederet, non mirum esset; cum vero de resurrectione, de regno cælorum, de vita philosophica quis popularibus loquitur et persuadet, hoc mirabilius erit, quam si sapientibus persuasisset. Cum enim non est periculum, et quis suadet, e re stultitiam in medium proferunt; quando autem quis dixerit servo secundum te: Si mihi credas, periclitaris, omnes habebis tibi inimicos, oportet te mori, mille subire mala; sicque illius animam capiat: non jam hoc insipientiæ est. Nam si dogmata voluptatem haberent, jure quis hoc diceret; si vero id, quod nollent philosophi discere, servus discat, majus est miraculum. Et si vultis, coriarium ipsum in medium adducamus, et videamus quid ipsi Petrus loquatur; vel si placet, ipsum custodem carceris. Quid ergo ipsi dicit Paulus? Christus resurrexit, est resurrectio mortuorum et regnum; et statim persuasit facile credenti. Quid ergo? de vita nihil dixit, quod sapere oporteat, quod pecuniis imperare, quod non esse inhumanum oporteat, quod bona sua eroganda sint aliis? Neque enim hæc credidisse insipientis erat, sed magni animi. Esto enim ipsi dogmata ex insipientia acceperint; vitam illam philosophicam suscipere, an insipientis esset? Itaque quanto magis insipiens esset qui obtemperaret, et tamen ea susciperet, quæ philosophis persuadere philosophi non possent, majus esset miraculum: maxime vero cum mulieres et servi persuadentur, et per opera hæc exhibent, quæ nec Platones nec alii omnes ulli persuadere potuerunt. Et cur nulli dico? Ne sibi ipsis quidem. Nam Plato quidem persuasit pecunias non esse contemnendas, qui tantas facultates et opes annulosque aureos et phialas possedit (*a*). Quod vero

(*a*) Prædivitem fuisse Platonem asseverabant quidam;

gloriam popularem despicere non oporteret, Socrates ipse, qui tantopere philosophabatur, ostendit, qui omnia ad gloriam faciebat. Et si quidem illius sententiarum periti essetis, multum his de rebus sermonem moverem, ostenderemque multam apud illos esse ironiam, si quidem discipuli ejus dictis credere fas sit; et quomodo a vana gloria omnes ejus literæ argumentum habeant.

3. Sed missis illis, nobis ipsis loquamur. Nam supra dictis hoc quoque addendum, quod cum suo periculo his obtemperarent. Ne igitur impudens sis, sed cogitemus illam noctem, lignum, hymnos; et hoc nos facere studeamus, et aperiemus nobis non carcerem, sed cælum. Si precemur, cælum ipsum aperire poterimus. Elias et clausit et aperuit cælum precibus. Est quoque in cælo carcer. *Quæcumque*, inquit, *ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo* (*Matth.* 16. 19). Precemur noctu, et hæc vincula solvemus. Quod enim preces peccata solvant, nobis vidua persuadeat, illeque amicus qui intempesta nocte perseverat et pulsat : persuadeat et Cornelius : *Orationes tuæ*, inquit, *et eleemosynæ tuæ ascenderunt in conspectu Dei* (*Act.* 10. 4); persuadeat nobis Paulus dicens : *Quæ autem vere vidua est et solitaria, speravit in Deum, et perseverat in precibus nocte et die* (1. *Tim.* 5. 5). Si de vidua, infirma muliere, hæc ille dicit, multo magis de viris.

Orandum noctu. — Etiam dixi vobis, et nunc dicam : Excitemur nocte; etiamsi non multas orationes emittas, unam emitte cum vigilantia, et sufficit : nihil amplius peto. Si non media nocte, saltem diluculo. Ostende noctem non modo corporis esse, sed etiam animæ : ne sinas illam inutiliter transire, sed Domino hanc vicem repende; imo ipsa in te revertitur. Dic mihi, si in grave negotium incidimus, quem non precamur? et si petitionem cito impetramus, utique respiramus. Quis tibi det, ut is qui rogatur, paratus sit ad habendum tibi gratiam, quod rogas? quis tibi det, ut non circumeas, quærens a quo peteres, sed paratum invenias, nec aliis opus habeas, per quos petas? Quid hoc majus est? Hic quippe tunc maxime facit, cum non alios rogamus; ut sincerus amicus tunc maxime nos objurgat, quod non ejus amicitiæ fidamus, cum alios adhibemus qui ipsum precentur. Sic et nos facimus iis qui nos rogant : tunc maxime iis gratiam largimur, quando per seipsos, non per alios, ad nos accedunt. Quid ergo, inquies, si offenderim? Offendere desine et lacrymas funde; sic accede et cito in primis illum placatum invenies. Dic tantum : Offendi : dic ex animo et sincera mente, et soluta sunt omnia. Non adeo cupis remitti tibi peccata, ut ille cupit remittere. Quod autem tu non cupias, cogita; neque enim vigilias suscipis, neque pecunias effundis : ille vero ut peccata nostra dimitteret Unigenito non pepercit, genuino Filio ejusdemque throni consorte. Viden' eum magis cupere ut remissionem peccatorum consequaris? Ne ergo segnes simus, nec procrastinemus. Clemens est et bonus : solum ansam illi præbeamus; et hoc, ut nos non inutiles simus, etiamsi nobis ille sine hac conditione remitteret. Sed ut nos in ministris nostris millia confingimus et componimus, sic et ille ad salutem nostram facit. *Præoccupemus faciem ejus in confessione* (*Psal.* 94. 2), quia bonus et clemens est.

Invocare in veritate quid. — Si vero non invocaveris in veritate, nec ex corde dicere velis, Dimitte, sed ex ore tantum, quid ipse faciet? Quid est, invocare in veritate? Cum alacritate, ex animo sincero; ut de unguentis dicitur, Sincerum est, nihil adulterinum habet : sic et illic. Qui vere ipsum invocat et precatur, perseverat semper, nec desinit, donec accipiat : qui vero perfunctorie agit, licet sic legem impleat, non invocat in veritate. Quisquis sis, ne dicas tantum, Peccator sum, sed cura, ut ab hac existimatione te liberes : ne dicas tantum, sed et doleas. Si doles, operam adhibes; si non operam adhibes, non doles; si non doles, irrides. Quis dicens, Ægroto, non omnia agit, ut sanetur? Magnum telum est oratio. *Si vos*, inquit, *nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester* (*Luc.* 11. 13)? Cur non vis accedere? Te amat, plus potest quam omnes : et vult et potest; quid impedit? Nihil. Ergo cum fide accedamus : accedamus dona offerentes quæ vult, injuriarum oblivionem, benignitatem, mansuetudinem. Etsi peccator sis, cum fiducia ab ipso remissionem peccatorum petes, si possis ostendere hoc ipsum a te factum esse : si vero justus sis, nec injuriarum oblivionem habeas, nihil tibi prodest. Non potest qui proximo dimisit, non plenam veniam consequi : sine ulla enim comparatione clementior nobis est Deus : hoc cuivis palam est. Quid dicis? Si dixeris, Læsus fui, iram domui, furoris vim pertuli propter præceptum tuum, annon et ipse dimittet? Omnino certe dimittet. Itaque animam purgemus ab injuriarum memoria. Sufficit hoc nobis, ut exaudiamur, ac vigilanter et cum perseverantia precemur, ut copiose ejus clementia fruentes, promissa assequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

at secus suadere videtur Diodorus Siculus l. 16. cum ait eum a Dionysio tyranno venundatum a discipulis suis viginti minarum pretio redemptum fuisse.

HOMILIA XXXVII.

CAP. 17. v. 1. *Cum autem perambulassent Amphipolim et Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum.* 2. *Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos : et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis,* 3. *adaperiens et insinuans, quia Christum oportuit pati et resurgere a mortuis; et quia hic est Christus Jesus, quem ego annuntio vobis.*

1. Rursus parvas prætercurrunt civitates, et ad majores festinant, quod inde quasi ex fonte verbum

deberet in vicinas urbes manare. Pro more autem suo intravit Paulus in synagogam Judæorum. Quamvis dixerat, *Convertimur ad gentes* (*Act.* 13. 46), non relinquebat illos; sed magno illos studio prosequebatur. Audi enim illum dicentem: *Fratres, beneplacitum cordis mei, et precatio ad Deum pro Israel est ad salutem* (*Rom.* 10. 1); et, *Cupiebam anathema esse a Christo pro fratribus meis* (*Ibid.* 9. 3). Hoc autem faciebat propter promissionem Dei et gloriam, et ne hoc offendiculum esset gentibus. *Et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis, adaperiens et insinuans, quia Christum oportuit pati et resurgere a mortuis; et quia hic Jesus Christus, quem ego annuntio vobis.* Vides illum ante omnia passionem prædicare? Sic illi non erubescebant, sed sciebant hoc salutare esse. 4. *Et quidam ex eis crediderunt, et adjuncti sunt Paulo et Silæ, et de colentibus gentilibus multitudo magna, et mulieres nobiles non paucæ.* Summam dixit concionis: ita alienus est a superfluitate, nec ubique conciones totas recitat. 5. *Zelantes autem Judæi increduli, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, et turba facta concitaverunt civitatem; et invadentes domum Jasonis, quærebant eos producere in populum;* 6. *et cum non invenissent eos, traxerunt Jasonem et quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes: Hi sunt qui urbem concitant, et huc venerunt,* 7. *quos suscepit Jason; et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Jesum.* O accusationem! Rursus violatæ majestatis accusant eos, *Dicentes*, inquiunt, *esse alium regem Jesum.* 8. *Concitaverunt autem plebem et principes civitatis audientes hæc.* 9. *Et accepta satisfactione a Jasone et a cæteris, dimiserunt eos.* Admirandus ille vir erat, qui pericula adibat, et emiserat eos. 10. *Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum et Silam in Berœam. Qui cum venissent, in synagogam Judæorum introierant.* 11. *Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.* *Nobiliores*, inquit, id est, mansuetiores. Et vide, non perfunctorie, sed accurate scrutabantur Scripturas (id enim significat illud, ἀνακρίνοντες); volebant quippe ex ipsis certiores fieri de passione; jam enim crediderant. 12. *Et multi quidem crediderunt ex eis, et mulieres gentiles honestæ et viri non pauci.* 13. *Cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi, quia et Berœæ prædicatum est a Paulo verbum Dei, venerunt et illuc commoventes multitudinem.* 14. *Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, ut veniret usque ad mare: Silas autem et Timotheus remanserunt ibi.* Vide illum et cedentem et instantem, multaque humano more facientem. 15. *Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque Athenas; et accepto mandato ab eo ad Silam et Timotheum, ut quam celeriter venirent, profecti sunt.* Sed superiora repetamus. *Per sabbata tria*, inquit, *loquebatur eis, aperiens ex Scripturis.* Recte, quando vacabant. Sic Christus semper faciebat, a Scripturis ubique disserens, nec semper signa faciens. Quia enim in hoc contrarii erant, et quasi deceptorem et præstigiatorem ipsum calumniabantur, ideo ipse a Scripturis disserit. Nam qui per sola signa persuadere conatur, jure suspectus est: qui vero ex Scripturis persuadet, non venit in illam suspicionem. Et sæpe invenimus eum doctrina persuadere; cumque autem Antiochiæ doceret, congregata est ad illum civitas: ita magnum quoddam hoc est, nec signum minus, sed sane maximum. Et ne putarent se totum posse, permittit Deus ut pellantur. Duo enim hinc proveniebant: non altum sapiebant quasi ipsi superassent, neque terrebantur ut rei; ita ex œconomia erat, quod vocarentur. *Colentium gentilium*, inquit, *multitudo, et ex gentilibus honestis mulieribus et ex viris non pauci crediderunt.* Illi vero contra. Quomodo autem qui dicit, *Ut nos ad gentes, illi autem ad circumcisionem* (*Gal.* 2. 9), cum Judæis disserebat? Hoc ex abundanti faciebat. Sed si Judæis disserere oportebat, quomodo rursum dicebat: *Qui enim operatus est illi in circumcisionem, operatus est mihi inter gentes* (*Ibid. v.* 8)? Sicut etiam illi gentibus loquebantur, licet ad circumcisionem segregati: ita et hic sæpius cum gentibus agebat, nec tamen Judæos negligebat, ut ne viderentur divisi esse.

2. *Cur Paulus in synagogas intraret.* — Et quomodo, inquies, prius in synagogas intrabat? Sed gentilibus persuadebat per Judæos, et ex iis quæ Judæis dicebat. Sciebat enim hoc gentilibus ad fidem adducendis idoneum esse. Ideo dicebat: *In quantum ego sum gentium apostolus* (*Rom.* 11. 13). Epistolæque ejus omnes contra Judæos certamen præferunt. *Quia Christum*, inquit, *oportebat pati.* Si pati oportebat, ergo et resurgere; hoc enim longe mirabilius est, quam illud. Si enim eum, qui nihil injuste egerat, morti tradidit, multo magis suscitavit illum. *Judæi autem increduli, assumptis forensibus quibusdam, turbarunt civitatem*, inquit. Itaque plures erant gentiles. Et assumpserunt quosdam; quia non se putabant satis esse Judæi ad seditionem, et quia rationabilem causam non habebant. Ex tumultu semper hæc omnia perficiunt, et assumptis improbis hominibus. *Non inventis autem illis*, inquit, *traxerunt Jasonem.* O tyrannidem! Ab ædibus sine causa illos trahebant. *Hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Jesum.* Quia illi nihil decretis contrarium dicebant, nec civitatem concitabant, in aliud illos crimen ducunt, et læsæ majestatis falso accusant. Et quid timetis, siquidem mortuus est? Vide, quomodo persequutiones ubique prædicationem promoveant. *Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ*; id est, nihil mali faciebant. Sed alii quidem crediderunt; hi vero contrarium faciunt turbantes illos. *Multi autem ex illis et ex gentilibus mulieribus crediderunt.* Hic rursus gentiles credunt. Tu vero mihi consideres velim, ipsos per œconomiam fugisse, non præ metu: alioquin enim finem fecissent prædicandi, nec magis exacerbassent. Sed hinc duo eveniebant: et illorum furor exstinguebatur, et prædicatio augebatur. Condigne autem de illorum tumultu dicit, venisse eos illuc turbas concitantes; infrenem illorum

furorem subindicans. *Statim vero Paulum emiserunt fratres, ut iret*, inquit, *quasi ad mare*. Hi jam Paulum solum mittunt : metuebant enim ne quid ipsi mali accideret, quod illis summa cura erat : sic non ubique gratia operabatur, sed sinebat illos humana agere, illos excitans et expergefaciens, atque in sollicitudinem injiciens. Vide ergo, usque Philippos servavit eos, inde vero non item. *Et accepto mandato*, inquit, *ad Silam et Timotheum, ut quam celerrime venirent ad eum, profecti sunt*. Idque merito : etiamsi enim Paulus esset, opus habebat illis. Igitur in Macedoniam bene a Deo impellebantur; clara namque jam erat Græcia : alioquin et alia præter necessitatem faciebat. Christus jusserat de evangelio vivere (1. *Cor*. 9. 14); hic autem non faciebat : Christus non misit illum baptizare (1. *Cor*. 1. 17); hic vero baptizabat. Vide quomodo conferendus omnibus erat. Petrus ad circumcisionem, hic ad gentes, ad majorem partem. *Et accepta*, inquit, *satisfactione a Jasone, dimiserunt eos*. Vide quomodo satisfactione data Jason Paulum emisit; et ita animam suam pro illo posuit. *Hi*, inquit, *erant nobilissimi Thessalonicensium*; id est, virtute et fide erga Deum. *Qui susceperunt verbum cum omni alacritate*, inquit, *quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent*. Non temere ex impetu et zelo.

In majoribus civitatibus pejores homines.—Atqui major urbs erat, et forenses homines erant ibi : mirum autem non est, si in majore civitate pejores sunt. Certe in majore pejores esse verisimile est, ubi multæ sunt turbarum occasiones. Ut enim in corpore, cum morbus est gravior, plus habet materiæ et alimenti : ita et hoc loco, quod et Iconii factum est, et nunc quoque. Et egreditur Paulus, ut et aliorum perniciei pœnas dent. Ideo dicebat Paulus : *Prohibentibus nos loqui gentibus* (1. *Thess*. 2. 16). Et cur isthic, inquit, non manserunt? cur non signa fecerunt? Nam si illic, ubi lapidatus est, mansit multo tempore; multo magis hic manendum erat. Quare? Non semper volebat Deus illos hæc signa facere : neque enim minus signum est sine signis vincere, quam signa facere. Itaque, sicut nunc, absque signis prævalet : sic et tunc sæpe volebat vincere. Itaque nec apostoli ad signa currebant, ut et ipse ait : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum* (1. *Cor*. 1. 23). Signa quærentibus et sapientiam, hæc damus, quæ nec cum signis persuaderi possunt, et persuademus. Itaque magnum illud signum erat. Vide ergo jam extensa prædicatione, quam cito currant ad signa. Oportebat enim jam propter credentes plura esse signa, quam alibi : itaque fiunt; sed recedendo et accedendo illa faciebant. *Emiserunt illum*, inquit, *quasi ad mare*. Quare? Ut non possent illum facile apprehendere. Adeo per se ipsi magnum quid præstitissent, et cum illo multa bene gesserunt ac perfecerunt. Interim illum eruere volebant.

3. Vide quanta discipuli erga præcipuos utebantur cura : at non sicut nunc divisi sumus; dividimur namque parvi et magni : inter nos alii extolluntur, alii invident; ideoque invident, quia nos inflamur, nec patimur æqualiter agere cum illis. Idcirco in corpore concentus est, quia non est inflatio : non est autem inflatio, quia sic membra disposita sunt, ut aliud alio opus habeat : caput pedibus opus habet, et pedes capite. Et hoc nobis fecit Deus, neque sic sustinemus : oporteret enim, etiamsi hoc non esset, caritatem esse. Annon auditis externos, qui nos calumniantur, quando dicunt : Utiles amicitiæ? Laici nobis opus habent; nos vero rursum propter illos sumus. Sic nec doctor nec princeps esset, si non adessent discipuli et subditi, neque facerent quæ sua sunt : non enim possent. Quemadmodum et terra agricola, et agricola terra opus habet : ita et hic. Quam enim mercedem habet doctor, qui non potest ostendere ab se edoctos? quam ii qui docentur, qui non optima fruuntur doctrina? Itaque alter altero opus habemus, et principes subditis, et dux obsequentibus : principes namque multorum gratia sunt. Nemo enim sufficit per seipsum aliquid operari, sive ordinare oporteat, sive consilia et sententias explorare, sed honoratiores illi sunt a cœtu et multitudine. Exempli gratia, pauperes dantibus egent, dantes accipientibus. *Vos mutuo considerantes*, inquit, *ad incitationem caritatis et bonorum operum* (*Hebr*. 10. 24). Ideo plura potest Ecclesiæ cœtus; et quod singuli per se non possunt, cum aliis juncti possunt. Ideo hic maxime necessariæ sunt preces pro orbe, pro Ecclesia quæ in finibus est, pro pace, pro iis qui sunt in calamitate. Et hoc Paulus indicat, dicens : *Ut ejus, quæ in nobis est, donationis in personis multis per multos gratiæ agantur pro nobis* (2. *Cor*. 1. 11). Hoc est, ut multis gratia conferatur. Ac sæpe illorum preces requirit. Vide quid dicat Deus et Ninivitis : *Ego vero non parcam urbi, ubi sunt plus quam centum viginti millia* (*Jon*. 4. 11)? *Ubi duo vel tres*, inquit, *congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth*. 18. 20). Si autem duo multum possunt, quanto magis plures? Si vero etiam unus possit; at non æqualiter. Cur unus es? cur multos non facis? cur non es auctor caritatis? cur non amicitiam paras? Maximam virtutis laudem non habes. Sicut enim cum ex pacto mali sunt quidam, magis irritant Deum : sic in concordia bonos esse magis oblectat. *Non eris*, inquit, *cum multis in malum* (*Exod*. 23. 2). *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt* (*Psal*. 13. 3), et facti sunt quasi cantantes in nequitia sua. Para tibi amicos præ domesticis, præ aliis omnibus. Si pacificus, est filius Dei : quanto magis is qui amicitias parat? si is qui reconciliat, filius Dei vocatur : qui reconciliatos amicos facit, quo non erit dignus munere? Hanc faciamus negotiationem : inimicos mutuo amicos reddamus; et eos qui nec inimici nec amici sunt congregemus, et ante omnes, nosmetipsos. Quemadmodum enim qui domi inimicitiam habet, et cum uxore sua dissidet, non est fide dignus ut alios reconciliet, sed audiet : *Medice, cura teipsum* (*Luc*. 4. 23) : sic et iste audiet. Quæ igitur nobis est inimicitia? Animæ cum corpore, malitiæ cum virtute. Hanc solvamus,

hoc tollamus bellum; et tunc cum pace alios alloquemur et cum multa fiducia, non accusante nos conscientia nostra. Pugnat ira cum mansuetudine, pugnat pecuniarum amor cum ipsarum contemptu, pugnat invidia cum benignitate. Hoc solvamus bellum, hos dejiciamus inimicos, hæc erigamus tropæa, in civitate nostra pacem conciliemus. Civitas quippe nobis est et administratio, et cives et extranei multi: sed peregrinorum ejectionem faciamus, ut ne domestici corrumpantur. Nec alienum nec nothum dogma ingrediatur, nullaque carnalis sententia. Annon videmus quomodo, si quis inimicus in urbibus capiatur, quasi explorator judicatur? Ergo peregrinos ejiciamus; imo non peregrinos modo, sed etiam inimicos. Si quem videamus, tradamus principi menti, cogitationem, barbaram quidem, sed civili veste indutam. Multæ namque nobis insunt cogitationes hujusmodi, natura quidem inimicæ, sed ovili vellere indutæ. Quemadmodum et Persæ, sublata tiara, braccis calceisque barbaricis, veste nobis usitata induti, corpore rasi, et nobis consueta lingua loquentes, habitu bellum occultant; sed si tormenta statim adhibueris, eum qui latet manifestas : ita hic facito, hanc cogitationem millies explora, et cito videbis barbaricum sensum. Ut autem vobis exemplo monstrem hujusmodi exploratores, quos submittit diabolus, ut nostra dispiciant : age unum exuamus et ad tribunal diligenter examinemus : et si placet quosdam ex iis, quos Paulus deprehenderat, adducamus : *Quæ sunt*, inquit, *rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis* (*Col.* 2. 23). Exempli causa : judaismum volebat diabolus inducere; itaque si ipsum per se induceret, non persuaderet. Vide igitur quomodo illum apparavit. Oportet, inquit, abstinere corpus. Hoc philosophia est, non admittere cibum, sed cavere; hoc humilitas est. Et nunc item cum hæreticis volebat nos ad creaturam deducere. Vide igitur quomodo dolum paravit. Si dixisset, Creaturam adora, captus fuisset; sed quid ait? Deus creatus est. Sed nudam exponamus judicum calculo Scripturarum apostolicarum sententiam; illo ducamus eum : ipsi agnoscent et prædicationem et loquelam. Multi lucra lucrantur, ut habeant quod dent pauperibus, lucra injusta : et hæc cogitatio prava est. Sed exoneremus illam, confutemus, ut ne capiamur; sed omnes diaboli machinas effugientes, possimus sana dogmata strenue retinentes, secure præsentem transigere vitam, et promissa consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVIII.

Cap. 17. v. 16. *Paulus autem cum Athenis eos exspectaret, incitabatur spiritus ejus in eo, videns idololatriæ deditam civitatem.* 17. *Disputabat igitur in synagoga cum Judæis et colentibus, et in foro per omnes dies cum iis qui aderant.*

1. *Paulus quantas a Judæis tentationes habuerit, et quantum fuerit a fastu alienus.* — Vide Paulum majores a Judæis, quam a gentilibus tentationes habentem. Athenis enim nihil tale patitur, sed res tota in risum cessit, etiamsi aliquos persuaserit; apud Judæos autem multa gravia : adeo erant irritati. Ideo ait : *Paulus autem cum Athenis eos exspectaret, incitabatur spiritus ejus in eo, videns idololatriæ deditam civitatem.* Jure incitatur : nusquam enim tot idola videre erat. *Disputabat igitur in synagoga cum Judæis et colentibus, et in foro per omnes dies ad eos qui aderant :* Vide, iterum cum Judæis disserit, undique ora comprimens eorum, qui dicerent ipsum relictis Judæis ad gentiles se convertisse. Mirum quod philosophi sic illo loquente non statim deriserint eum cum contumelia, neque a prædicatione resilierint, dicentes: Procul hoc est a philosophia. Quia nihil fastus habebat : alioquin autem dicta nec capiebant, nec intelligebant. Quomodo enim intellexissent, cum alii Deum esse corpus, alii voluptatem esse felicitatem dicerent? 18. *Quidam autem Epicurei et Stoici disserebant cum eo, et quidam dicebant : Quid vult seminiverbius iste dicere? Alii vero, Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse; quia Jesum et resurrectionem annuntiabat eis.* Nam resurrectionem deum quemdam esse putabant, utpote soliti feminas colere. 19. *Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes : Possumus scire quæ est ista nova, quæ a te dicitur, doctrina?* 20. *nova enim quædam infers auribus nostris; volumus ergo scire quidnam velint hæc esse.* Duxerunt illum ad Areopagum, non ut discerent, sed ut punirent, ubi erant judicia sanguinis. Vide ergo, quomodo sub spe discendi et ubique novam doctrinam incusant. Loquacium civitas illa erat. 21. *Athenienses autem omnes et advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid novi.* 22. *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait : Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video.* 23. *Præteriens enim et videns simulacra vestra, inveni aram, in qua scriptum erat : Ignoto Deo. Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego annuntio vobis.* Ac si illos laudaret, videtur nihil molestum dicere. *Quasi superstitiosiores*, inquit, *vos video*; id est, quasi pios. *In qua scriptum erat : Ignoto Deo.* Quid est hoc? Athenienses, quia per multa tempora acceperant deos etiam extraneos; nempe templum Minervæ, Pana, aliosque aliunde; timentes, ne forte quis alius nondum notus sibi esset, qui tamen coleretur alibi, ad majorem securitatem huic quoque aram erexerunt. Quia vero non erat manifestus Deus, inscriptum erat, *Ignoto Deo.* Hunc ergo Jesum Christum esse, Paulus dicit, imo potius universorum Deum. *Quem ergo ignorantes*, inquit, *colitis, hunc ego annuntio vobis.* Vide quomodo ostendat, ipsos jam

pridem ipsum acceptavisse. Nihil extraneum, inquit, nihilque novum affero. Hoc illi perpetuo dicebant: *Quæ est ista nova abs te prolata doctrina? nova enim quædam ingeris auribus nostris.* Statim ergo eorum suspicionem tollit, et dicit: 24. *Deus qui fecit mundum et omnia quæ in illo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus.* Deinde, ne putent unum ex multis esse, hoc corrigit sic loquens: 25. *Non in manufactis templis habitat, nec manibus colitur humanis, indigens aliquo.* Viden' quomodo paulatim philosophiam inducit, quomodo irridet gentilium errorem? *Dans vitam et spiritum et omnia:* 26. *fecitque ex uno sanguine omne genus hominum habitare super universam faciem terræ.* Hoc Dei proprium est. Vide ergo annon hæc de Filio etiam dici possint. *Cœli*, inquit, *et terræ Dominus:* quæ illi putabant deos esse. Et creationem declarat et homines. *Definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum,* 27. *quærere Deum, si forte contrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum.* 28. *In ipso enim vivimus et movemur et sumus. Sicut quidam poetarum vestrorum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus.* Hoc Aratus poeta dixit. Vide ut demonstrationes afferat et ab iis, quæ ipsi fecerant dixerantque. 29. *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro et argento aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominis, Deum esse similem.* Atqui ideo, inquies, debemus. Minime: neque enim nos neque animæ nostræ similes. Cur ergo non statim philosophice loquutus est, nec dixit: Deus incorporeus natura, invisibilis est et sine figura? Quia superfluum videbatur hoc dicere hominibus, qui nondum didicerant, unum esse Deum. Ideo missis illis, in eo quod jam quæritur insistit, et ait: 30. *Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant,* 31. *eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in justitia, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Vide: postquam eorum mentem concusserat, cum diceret, *Statuit diem*, illosque terruerat; tunc opportune hoc inducit, *Suscitans eum a mortuis.* Sed superiora repetamus. *Cum Athenis illos exspectaret Paulus, incitabatur,* inquit, *spiritus ejus in eo.* Non iram vel indignationem hic significat incitatio illa, sed vigilantiam et zelum, ut et alibi: *Facta est,* inquit, *dissentio inter illos* (*Act.* 15. 39).

2. Vide autem quomodo provideatur, ut invitus illic maneat exspectans illos. Quid ergo est, *Incitabatur?* Id est, excitabatur: ab ira et indignatione procul erat hoc donum. Non ferebat, sed tabescebat. *Disputabat ergo in synagoga cum Judæis*, inquit, *et colentibus.* Vide rursus contra Judæos disputantem. Colentes autem vocat proselytos. Dispersi namque erant Judæi ubique ab adventu Christi: nam simul inde et lex solvebatur, et homines pietatem docebant. Sed nihil illi lucrabantur, nisi tantum calamitatum suarum testimonia habentes. *Quidam autem Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum eo.* Non jam legibus suis utebantur Athenienses, utpote Romanis subjecti. Et unde volebant illi disputare? Quia videbant alios disserentes, et virum in existimatione haberi. Et vide, statim contumeliose: *Animalis enim homo non suscipit ea quæ sunt Spiritus* (1. *Cor.* 2. 14). *Novorum dæmoniorum* (a), inquiunt, *videtur annuntiator esse.* Dæmonia deos suos vocabant: erant enim civitates idolis plenæ. *Apprehensum illum in Areopagum duxerunt, dicentes.* Cur in Areopagum ipsum traxerunt? Ut perterrefacerent: ibi enim capitales causas judicabant. *Possumus scire quæ sit nova illa, quæ a te dicitur, doctrina? nova enim quædam infers auribus nostris. Athenienses autem omnes et ibi versantes peregrini in nullo alio tempus terebant, quam ut quidpiam novi dicerent vel audirent.* Hic vero indicatur eos, etiamsi in hoc semper versarentur, ut loquerentur vel audirent, tamen illa putasse nova, quæ numquam audierant. *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim et videns simulacra vestra.* Non dixit, Dæmonas, sed viam parat sermoni; ideo dicit, *Superstitiosiores vos video*, propter aram. *Deus*, inquit, *qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt.* Una voce omnia philosophorum dogmata subvertit. Epicurei namque omnia per se exsistere dicebant, et ex atomis constare: Stoici vero corpus et conflagrationem. Hic vero dicit: mundum et omnia quæ in eo sunt, opus esse Dei. Viden' brevitatem, et in brevitate claritatem? Et vide quænam ipsis nova viderentur: quod Deus mundum fecisset. Quæ nunc infima plebs scit, ignorabant Athenienses, et Atheniensium sapientes. Si namque fecit, utique Dominus est. Vide, quid dicat esse argumentum deitatis, nempe creationem; id quod etiam Filius habet. Nam id ubique dicunt prophetæ, Dei esse creare; non vero sicut illi dicebant, alium conditorem, nec dominum esse, materiam non factam esse supponentes. Hic demum ænigmatice quod suum est, dicit et firmat; quod vero illorum est, purgat. *Non in manufactis*, inquit, *habitat.* Habitat quidem in templis, at non in talibus, sed in anima humana. Vide corporalem sustulit cultum. Quid ergo? annon habitabat in templo Jerosolymorum? Non utique, sed operabatur. Quomodo ergo colebatur manibus humanis apud Judæos? Non manibus, sed mentibus: nam illa non sic quærebat quasi iis opus haberet: *Numquid manducabo*, inquit, *carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo* (*Psal.* 49. 13)? Deinde cum dixisset: *Neque manibus humanis colitur, indigens aliquo;* quia hoc non satis erat, nullo egere, ut dixerat; nam divinum quidem illud est, sed aliud requiritur: adjicit: *Ipse dans omnibus vitam et spiritum et omnia.* Duo divinitatis indicia exhibet,

(a) Hic notat Dounæus in Savilianis notis: *Platonici distinguunt diligenter, Deos, dæmones et heroas. Deos enim in summo gradu ponunt, quos Cicero venuste* majorum gentium *appellat. Dæmones sunt illis, qui nobis angeli: Promiscue tamen usurpantur hæc vocabula, ut apud poetam Jupiter proficiscitur,* μετὰ δαίμονας ἄλλους, *quod Augustinus quoque affirmat de Civitate Dei, l.* 8: « *Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse;* » *hoc idem objectum est Socrati.* Homerus item deos interdum vocat dæmonas. Idem Dounæus de Stoicis: *Stoicorum opinio fuit, ut ad extremum, cum mundus conflagraret, absumptis quibus sol et astra aluntur humoribus, omnia ignescerent.*

quod nullo indigeat, et quod omnibus omnia præbeat. Huc confer omnia quæ de Deo Plato philosophatus est, quæ Epicurus, et hæc omnia illis comparata nugæ sunt. *Dans*, inquit, *vitam et spiritum.* Ecce animæ quoque ipsum creatorem facit, non genitorem. Vide rursum quomodo destruat sermonem de materia: *Fecitque*, inquit, *ex uno sanguine omne genus hominum, habitare super omnem faciem terræ.* Hæc meliora illis, et confutant atomos materiamque. Hic ostendit non esse partitam neque hominis animam. Quod vero illi dicunt, hoc non est esse conditorem. Cum dicit autem non manibus humanis coli Deum, subindicat illum animo et mente coli. *Hic*, inquit, *cœli et terræ cum sit Dominus.* Non ergo dæmones quidem peculiares. *Deus qui fecit mundum, et omnia quæ in illo sunt.* Cum prius ostendisset quomodo mundus sit factus, tunc declaravit, quod non in manufactis habitet; ac si diceret: Si Deus, omnia utique fecit; si non fecit, non Deus. *Dii*, inquit, *qui cœlum et terram non fecerunt, pereant.* Multo majora, quam illi, dogmata inducit (tametsi nondum magna dixit; nondum enim tempus erat; sed quasi pueris loquebatur), creationem, dominationem, non-indigentiam.

3. Cum dixisset autem illum ex uno sanguine omne genus hominum fecisse, omnium causam bonorum manifestavit. Quid huic sublimitati par? Nam mirabile quidem est ex uno tot fecisse; quod autem omnes ille simul contineat, adhuc longe mirabilius. *Dans*, inquit, *omnibus spiritum et vitam.* Quid est, *Definiens præstituta tempora et terminos habitationis eorum, quærere Deum, si forte attrectent eum aut inveniant?* Non cogebatur quis, inquit, circuire et quærere Deum: vel si non hoc, quia decrevit ut Deus quæratur. At non semper hoc faciendum definivit, sed præstitutis temporibus. Hoc vero dicit ostendens, neque nunc quærentes invenisse, etiamsi ita manifestus esset, ut inveniretur, ac si quid in medio positum palpemus. Neque enim hic erat cælum, alibi non; neque in hoc tempore erat, in alio non. Itaque et omni tempore, et in omnibus terminis potest inveniri. Sic dispensavit ut quæreretur, ut nec loco nec tempore prohibeamur. Certe hoc ipsum illis maxime profuisset, si quidem voluissent [1]; quod ubique sit cælum et stet omni tempore. Ideo sic dicit: *Quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum;* sed prope sit omnibus; hoc est: Non modo vitam et spiritum dedit et omnia, verum etiam, quod caput est omnium, ad sui cognitionem traxit, hæc dando, per quæ possimus illum invenire et apprehendere. Sed noluimus quærere, etsi ad pedes esset. *Non longe*, inquit, *ab unoquoque nostrum.* Papæ, omnibus prope esse dicit, qui sunt in orbe terrarum. Quid hoc majus? Vide quomodo *partitos* confutet. Quid dico procul? Ita prope est, ut sine ipso non vivatur. *In ipso enim vivimus et movemur et sumus.* Quasi corporeo exemplo hujusmodi quidpiam dicit: Sicut impossibile est ignorare aerem ubique diffusum, non procul ab unoquoque nostrum esse, imo et in nobis esse: ita etiam omnium Creatorem. Vide quomodo omnia ipsius esse dicat: providentiam illius esse dicit: conservationem, quod ab illo sint omnia, sperandi vim habeant, et non pereant. Nec dixit, Per illum; sed quod proprius est, *In illo.* Nihil tale dixit poeta ille, *Ipsius enim*, inquiens, *genus sumus;* sed ille de Jove dixit, hic vero de Creatore hoc accipit: nec eumdem ipsum indicat ille, absit; sed quæ de illo dicta erant, Deo cui competebant adscribens: nam aram hujus esse dicit, non illius, quem ipsi colebant. Quædam enim dicta et facta sunt ad verum Deum pertinentia; verum nesciebant Græci ad eum pertinere, sed de alio intellexere.

Illud, Ignoto Deo, quomodo sit intelligendum.— Dic enim mihi, de quo proprie dicatur, *Ignoto Deo;* de Creatore, an dæmone? Utique de Creatore: etiamsi illum quidem ignorarint, hunc vero noverint. Similiter etiam, quod omnia fecerit, de Deo proprie dicitur, non de Jove, scelesto et exsecrando homine ac præstigiatore. Paulus certe non simili atque ille modo dixit, *Ipsius enim et genus sumus;* absit, sed alia mente; genus enim ejus non esse dixit, hoc est, domesticos, proximos, et quasi quis dixerit, propinquos et vicinos. Ne enim rursus dicerent, *Nova ingeris auribus nostris* (nihil enim sic hominibus contrarium), poetam in medium adducit. Neque dixit, Non debetis putare auro aut argento Deum esse similem, o scelesti et exsecrandi! sed mitius, *Hoc non debemus æstimare*, inquit, sed super hoc. Quidnam est super hoc? Deus; sed neque hoc (est enim efficaciæ nomen), sed interim hoc: tantum negamus Deum huic esse similem: quis enim dixerit? Vide quomodo incorporeum introducit. Mens enim quando suspicatur corpus, etiam distantiam imaginatur. *Genus ergo cum simus Dei, non debemus*, inquit, *existimare auro aut argento aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominis, Deum esse similem.* At dixerit quispiam, Non hoc putamus: cur ergo hoc dicit? Sed ad multitudinem loquebatur ipse, ac sic bene dixit. Nam si nos secundum animam non sumus illis similes, multo minus Deus. Interim abducit illos a suspicione. Non modo sculpturæ artis non est similis Deus, sed neque ulli alii humanæ cogitationi subjicitur: nam vel ars vel mens invenit. Ideo sic dicit: Si id, quod ars vel mens hominis invenit, Deus est, et si in lapide substantia Dei: quomodo ergo si in ipso vivimus, ipsum non invenimus? Duplex ergo est accusatio, et quod illum non invenerint, et quod tales invenerint. Mens per seipsam nusquam fide digna est. Sed postquam illorum animos sic exagitavit, ostenditque inexcusabiles illos esse, vide quid subdat: *Tempora quidem ignorantiæ despiciens, nunc annuntiat omnibus hominibus, ubique ut pœnitentiam agant.* Quid ergo? nemone illorum pœnas dat? Nemo certe eorum, qui pœnitentiam agere velint. De his loquitur; non de iis qui defuncti sunt, sed de iis quibus annuntiat. Non exigit, inquit, a vobis rationem. Non dixit, Ille despexit; non dixit, Ille permisit; sed,

[1] Hæc, *si quidem voluissent*, desunt in quibusdam.

Vos ignorastis. Despexit; id est, non exigit pœnas quasi a supplicio dignis. Ignorastis. Nec dicit, Sponte male egistis; sed hoc per superiora monstravit, *Ut ubique pœnitentiam agant*, dicens. Hic totum orbem insinuavit.

4. Vide quomodo illos abducat a pluralitate deorum. *Quia statuit diem*, inquit, *in qua judicaturus est orbem in æquitate.* Vide rursus orbem dicit, sic homines vocans. *In viro in quo statuit, suscitans eum a mortuis.* Vide quomodo iterum passionem manifestavit, resurrectionem memorans. Quod autem verum sit judicium, palam est ex resurrectione; inde enim id arguitur: et quod omnia vera sint, inquit, palam est ex eo quod resurrexerit: quodque omnibus hanc præbuerint fidem, quod resurrexerit ex mortuis, et hoc denique manifestum est. Hæc dicta sunt Atheniensibus; et opportune nobis etiam dicantur, omnibus ubique agendam pœnitentiam esse, quia definivit diem in quo judicaturus est orbem. Vide etiam quomodo illum judicem inducat, et mundi providentiam habentem, benignum, misericordem, potentem, sapientem, omniaque prorsus quæ sunt Creatoris habentem. Confirmationem præbuerunt dicta, cum a mortuis resurrexisse. Pœnitentiam ergo agamus: omnino enim judicari oportet. Si non resurrexit Christus, non judicamur; si resurrexit, omnino judicamur. *In hoc enim et mortuus est, ut et vivis et mortuis imperet* (*Rom.* 14. 9), inquit; et rursum: *Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut unusquisque referat secundum ea quæ fecit* (*Ibid. v.* 10. et 2. *Cor* 5. 10). Ne putetis hæc verba solum esse: ecce et resurrectionem omnium memoravit; neque enim aliter judicatur orbis. Etiam illud, *Suscitans eum a mortuis*, de corpore dictum est: ipsum enim mortuum erat, hoc ceciderat. Apud gentiles, sicut creatio, ita et judicium contemnitur. Hæc autem puerorum commenta sunt, et ebriorum hominum. Sed nos qui hæc accurate didicimus, aliquid utile faciamus, studeamusque familiares esse Christo [1]. Usquequo ejus inimici erimus? usquequo minus suaviter erga illum affecti erimus? Absit, inquies: cur hæc dicis? Nollem hæc dicere, nisi vos faceretis; nunc vero quæ utilitas ex silentio, cum res ita perspicue clament? Quomodo igitur illum diligemus? Sexcenties dixi, sed nunc quoque dicam. Modum invenisse mihi videor magnum et mirabilem. Postea quam Dei beneficia communiter nobis et aliis data reputavimus, quæ tot tantaque sunt ut enumerari non possint, et pro iis omnibus gratias ipsi egimus: quæ singulis nostrum contulit cogitemus omnes, et quotidie in mentem revocemus. Quoniam igitur hæc magnam vim habent, unusquisque nostrum secum reputet, et accurate exploret, num aliquando in periculum lapsus, inimicorum manus effugerit, et quasi in libro Dei beneficia descripta habeat: exempli causa, num aliquando ante lucem viam capessens, periculum effugerit; num cum iniquis congressus hominibus, superior evaserit; num in morbum lapsus, desperantibus omnibus, convaluerit; multum enim hoc valet ad Deum nobis propitium reddendum. Nam si Mardochæus ille, ubi rex in mentem revocavit beneficia illa ab ipso sibi præstita, ita acceptus illi fuit, ut ad illum gloriæ splendorem veniret; multo magis nos, si memores fuerimus, et si duo illa diligenter exploremus, quid nos peccaverimus in Deum, et quæ nobis ille beneficia contulerit: sic et nos grati erimus, et omnia effundemus. Sed nemo hæc secum reputat; verum sicut de peccatis loquimur, dicentes nos peccasse, nulla facta speciatim peccatorum recensione: sic et de beneficiis Dei loquentes, dicimus Deum nos beneficio affecisse, nec speciatim beneficia exploramus: non dicimus, ubi, quanta, quo tempore. Sed abhinc multam adhibeamus diligentiam. Nam si quis etiam vetera repetere potest, omnia accurate in mentem revocet, quasi magnum reperturus thesaurum. Hoc etiam nobis utile est, ut non desperemus. Nam cum viderimus ipsum sæpe nobis patrocinatum esse, non desperabimus nec putabimus nos abjectos fuisse; sed magnum accipiemus pignus ejus erga nos providentiæ, cum cogitaverimus nos peccantes non puniri, sed ejus patrocinio frui.

5. *Historia pueri cujusdam ægri.* — Dicam ego aliquid, quod a quopiam audivi. Erat quidam puer, quem contigit cum matre in agro esse, cum nondum quindecim annorum esset: tunc gravi et corrupto ingruente aere, utrumque febris invasit: erat autem autumni tempestas. Tunc mater urbem ingredi præoccupavit: puer vero a medicis jussus illuc manere, cum febris flagraret, cœpit gargarizare, apud se ratiocinans, putansque sic febrim exstingui posse, si nihil omnino alimenti acciperet. Utpote puer, ex intempestiva contentione nihil accepit. Ut autem ad urbem venit, lingua paralysi tacta est, ita ut diu non loquens, nihil articulatim pronuntiare posset; sed legebat quidem, et magistros multo tempore adibat; sed frustra et absque signo ullo. Omnis ergo spes ab illo exciderat, materque ejus multum dolebat. Multa medici, multa alii excogitarunt, sed incassum: donec benignus Deus linguæ vinculum curavit, tuncque convaluit, et pristinam loquendi facultatem accepit. Narravit autem ipsius mater, cum puerulus esset, ipsum in nare morbum habuisse, quem vocant polypum; rursumque medicos desperavisse, optasseque matrem ut moreretur, patremque ipsi maledixisse (adhuc enim vivebat): omniaque denuo anxietate plena erant. Ille vero tussiendo, ex mucore feram illam spiritus impetu ex naribus ejecit, omniaque gravia soluta sunt. Hoc sedato malo fluxus per oculos acer et viscosus fluens, tales tamque crassas lemas efficiebat, ut pellicula pupillæ obduceretur, quodque grave erat, cæcitatem minabatur, omnesque futuram illam dicebant. Sed hoc etiam morbo per Dei gratiam cito liberatus est.

Historia alia ad ipsum Chrysostomum pertinens. — Et hæc quidem audivi; quæ vero ipse scio, narrabo vobis. Mota est tyrannorum suspicio in civitate nostra,

[1] Unus habet, *Deo*, pro, *Christo*.

dum adhuc adolescens essem: militibusque omnibus circum civitatem foris positis, forte libellos quærebant præstigiarum et magicos. Et qui scripserat librum, incompactum projecit in flumen, captusque est; et cum ab illo requireretur, dare non potuit, sed per urbem vinctus ducebatur. Cum autem auctis indiciis et probationibus, pœnas dedisset: tunc ego cum in martyrium [1] ire vellem, transibam per hortos juxta flumen cum alio quodam: qui ut vidit supernatantem librum, primo se linteum videre putavit, ac descendens recepit; ut accessit vero, librum esse vidit, et descendens cepit. Ego vero contendebam, quasi de re communi reperta, ridebamque. Sed videamus, inquit ille, quid sit: revolutaque paginæ parte magica descripta invenit. Accidit autem eodem tempore militem transire. Hinc vero socius illo occultato abiit, et timore tabescebat. Quis enim credidisset nos e flumine illum sustulisse, cum omnes etiam non suspecti detinerentur? Abjicere non audebamus, ne videremur, et pari timore cohibebamur ne divideremus. Deo tamen juvante projecimus, et ab extremis periculis erepti sumus. Innumera dicere possem si vellem: hæc autem in vestri gratiam dixi; ut si quis, si non in paria, in alia tamen incidat, eorum memoriam semper servet. Verbi gratia, si lapis, in te conjectus, teque recta impetens, non in te incidat, hujus semper sis memor: hoc nobis magnam Dei amicitiam conciliat. Si enim cum recordamur hominum, qui nos servarunt, magnopere dolemus, si non possimus ipsis vicem rependere: multo magis Deo gratias habere oportet. Id et alias utile est. Si itaque volumus non nimium dolere, dicamus: *Si bona suscepimus a Domino, annon mala feremus* (*Job* 2. 10)? Et Paulus ideo dicebat, unde liberatus esset, ut alios admoneret. Vide et Jacobum, quomodo illa omnia in mente habuit; ideo dicebat: *Angelus qui eripuit me a juventute mea* (*Gen.* 48. 16). Sed cogitemus non solum quod eruerit, sed etiam quomodo et qua in re. Vide igitur illum speciatim beneficia commemorantem. *In virga mea*, inquit, *transivi Jordanem* (*Gen.* 32. 10). Judæi vero etiam eorum, quæ majoribus suis evenerant, semper memores erant, repetentes ea, quæ in Ægypto acciderant. Et nos ergo multo magis eorum, quæ nobis acciderunt, memores simus, quoties in angustias et calamitates incidimus; et nisi Deus manum porrexisset, jamdiu periissemus. Hæc cogitantes omnes et quotidie repetentes, gratias semper Deo agamus, et in communi omnes gloriam ipsi referamus, neque illum celebrare cessemus, ut grati animi magnam recipiamus mercedem: gratia et miserationibus unigeniti ejus Filii, quicum et una Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Martyrium*, ecclesia martyrum, vel in qua reliquiæ martyrum habebantur. Vox frequens apud scriptores ecclesiasticos.

HOMILIA XXXIX.

Cap. 17. v. 32. *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, alii quidem irridebant, alii vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.* 33. *Et sic Paulus exiit de medio eorum.*

1. Cur Paulus, cum sic persuasisset, ut Athenienses dicerent, *Audiemus te de hoc iterum*, cumque nulla essent pericula, festinat Athenienses relinquere? Forte sciebat se non multum lucri facturum: alioquin etiam a Spiritu Corinthum ducebatur. 33. *Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis.* (*Cap.* 18). 1. *Post hæc autem egressus Paulus Athenis, venit Corinthum:* 2. *et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ex Italia, et Priscillam uxorem ejus* (*eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos Roma*), *accessit ad eos:* 3. *et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur: erant autem scenofactoriæ artis.* Jure Corinthum, ut dixi, a Spiritu ducitur, in qua manere oportebat. Athenienses enim, etsi novæ concionis amatores essent, non attendebant tamen: neque enim id curabant, sed ut semper quid dicendum haberent: id quod etiam fecit ut secederent. Si hoc autem illis in more erat, cur accusant illum, *Novorum dæmoniorum annuntiator esse videtur?* Sed hæc valde obscura illis esse videntur. Attamen persuasit Dionysio Areopagitæ et aliis quibusdam. Nam qui de vita recte agenda curabant, cito verbum acceperunt; cæteri vero non item. Videtur ergo Paulus satis habuisse, quod fidei semina jecisset: major enim pars vitæ illius jam transacta erat. Nam sub Nerone consummatus est; a Claudio autem tunc bellum contra Judæos moveri incipiebat, procul quidem, atque ut verisimile est, ut sese emendarent; ac Roma ut pestiferi pellebantur.

Paulus cur vinctus Romam ducitur. — Ideo ex dispensatione divina fit, ut Paulus vinctus illuc ducatur, ut ne quasi Judæus pellatur, sed quasi sub militibus agens, in custodia sit. *Et mansit*, inquit, *apud illos*. Papæ, quam justitiam invenit, ut cum illis habitet! Quia enim hic potissimum oportebat illum non accipere, ut ipse ait: *Ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos* (2. *Cor.* 11. 12); providetur ut illic maneat. 4. *Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, suadebatque Judæis, et Græcis.* 5. *Cum venissent autem de Macedonia Silas et Timotheus, coarctabatur spiritu Paulus, testificans Judæis Christum Jesum.* Id est, molesti erant illi, insurgebant in eum: sic illi agebant. Quid vero Paulus? Relinquit eos, multumque terret. Non ultra necessarium erat, inquit, vobis loqui verbum; sed obscurius loquitur. 6. *Contradicentibus autem eis et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit eis: Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad gentes vadam.* 7. *Et migrans inde, intravit in domum cujusdam, nomine Justi, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta synagogæ.* 8. *Crispus autem*

archisynagogus credidit Domino cum tota domo sua; et multi Corinthii audientes, credebant et baptizabantur. Vide quomodo iterum, cum dixisset, *Ab hoc tempore,* non illos tamen negligit: itaque hoc dixerat, ut illos excitaret. Et postea venit ad Justum, cujus domus erat conjuncta synagogæ. Vicinus erat, ut ex vicinia zelum haberent, si vellent. *Crispus autem*, inquit, *archisynagogus credidit Domino cum tota domo sua.* Et hoc utique satis erat ad illos adducendos. 9. *Dixit autem Dominus per visionem in nocte Paulo: Noli timere, sed loquere et ne taceas,* 10. *quia ego tecum sum, et nemo insurget in te ut noceat tibi, quia populus est mihi multus in hac civitate.* Vide quot rationibus illi suadet, et quomodo, quod illum maxime erigebat, hoc ultimo dicit: *Quia populus est mihi multus in hac civitate.* Quomodo ergo insurrexerunt in eum, dixerit quispiam? At non prævaluerunt, sed ad proconsulem tantum duxerunt. 11. *Sedit autem ibi annum unum et sex menses, docens apud eos verbum Dei.* 12. *Gallione autem proconsule Achaiæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, et adduxerunt eum ad tribunal,* 13. *dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum.* Viden' qua de causa illi semper publicas accusationes texebant? Vide jam, quomodo dicentibus illis, ipsum contra legem persuadere hominibus colere Deum, nihil horum curare proconsulem, imo potius Paulum defendere. Et audi, quomodo respondeat: *Si quidem esset ad civitatem spectans iniquum aliquid aut facinus pessimum, o Judæi, recte vos sustinerem.* Æquitatis amans mihi vir ille videtur, idque manifestum est ex iis, quæ prudenter respondet. 14. *Cum Paulus*, inquit, *os suum aperturus esset, dixit Gallio Judæis: Si quidem esset injustum aliquid aut facinus pessimum, o Judæi, recte vos sustinerem:* 15. *si vero quæstio est de verbo et nominibus et de lege vestra, vos ipsi videritis: judex ego horum nolo esse.* 16. *Et abegit eos a tribunali.* 17. *Apprehendentes autem omnes Græci Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: et nihil eorum Gallioni curæ erat.* Hinc rursum viri æquitas monstratur. Cum enim ille verberaretur, non putavit id ipsi contumeliæ esse: adeo petulantes Judæi erant.

2. Sed superiora repetamus. *Audientes autem resurrectionem mortuorum, alii quidem irridebant, alii vero dixerunt: Audiemus te iterum.* Quanta et quam sublimia audientes, ne attendebant quidem, sed ridebant. Resurrectionem irridebant: nam *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus* (1. *Cor.* 2. 14). *Et sic,* inquit, *exiit Paulus de medio eorum. Sic*: quomodo? Cum aliis persuasisset, ab aliis vero irrisus fuisset. *Secedens autem Athenis*, inquit, *venit Corinthum. Et invento quodam Judæo, cui nomen Aquila, qui Ponticus erat genere et nuper venerat ex Italia, mansit apud illos et operabatur.* Vide, quomodo lex jam solvi incipiat. Hic enim se postea, Judæus cum esset, totondit in Cenchreis, et in Syriam proficiscitur cum Paulo. Ponticus cum esset, nec Jerosolymam neque in vicina loca venire festinabat, sed procul erat. Apud illum ergo manet nec manere erubescit; imo ideo manet, quasi idoneum nactus diversorium, et quavis regia sibi commodius. Nec rideas hæc audiens, dilecte. Ut enim palæstra athletæ magis competit, quam strata mollia: sic bellatori gladius ferreus, magis quam aureus. *Et operabatur* prædicans. Erubescamus nos, qui etiam sine prædicatione vivimus otiose. *Disputabat autem,* inquit, *in synagoga per omne sabbatum, suadebatque Judæis et Græcis. Contradicentibus autem eis et blasphemantibus*, discessit. Hoc modo sperans illos allicere, discessit. Cur illa relicta domo, prope synagogam habitaturus venit? annon illa de causa? neque enim ibi periculum videbat. *Testificans illis.* Non jam docet, sed testificatur. *Contradicentibus autem illis*, inquit, *et blasphemantibus, excussis vestibus dixit: Sanguis vester super caput vestrum.* Hoc facit, ut non verbo tantum, sed etiam opere terreat: et vehementius disputat, utpote qui multis persuasisset. *Mundus*, inquit, *sum ego: ab hoc ad gentes vadam.* Et nos igitur rei sumus sanguinis eorum, qui nobis concrediti sunt, cum negligimus eos. Itaque cum dicit, *De cætero nemo mihi molestus sit* (*Gal.* 6. 17), ut exterreat loquitur: non enim perinde terrebat illos supplicium, ut illud mordebat. *Et migrans inde, venit in domum Justi.* Transit, volens illis persuadere, quod ad gentes festinet. *Crispus autem archisynagogus*, inquit, *credidit Domino cum tota domo sua.* Vide tunc fideles cum tota domo hoc fecisse. Post hæc autem alii quoque multi credentes baptizati sunt. Hunc Crispum dicit archisynagogum, de quo ait: *Nullum alium baptizavi, nisi Crispum et Gaium* (1. *Cor.* 1. 14). Puto autem hunc et Sosthenem dici, qui vir adeo fidelis fuit, ut percussus fuerit et semper Paulo adfuerit. *Dixit autem*, inquit, *Dominus per visionem in nocte Paulo: Noli timere, sed loquere.* Ideo multo ibi tempore manet: id enim illi suasit multitudo, sed familiaritas Christi magis. Majus enim tunc erat periculum, multis credentibus et ipso archisynagogo. *Noli timere*, inquit. Hoc satis erat ad illum excitandum, quia timere deprehensus fuit; nisi forte non timere sit deprehensus, sed confortetur ut nihil tale patiatur. Non enim semper illos male pati sinebat, ne infirmiores evaderent. Nihil enim ita Paulum mœrore afficiebat, ut increduli et contradicentes: hoc ipsis periculis molestius erat. *Et ne taceas*, inquit, *quia multus mihi populus est in hac civitate.* Ideo fortasse illi Christus apparet. *Gallione autem*, inquit, *proconsule Achaiæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum.* Vide, post annum et sex menses insurgunt in eum, quando jam non poterant suis uti legibus. Hoc maxime Corinthios extollebat, quod persuasi essent principem non sese demissurum esse. Non enim idem erat ex contentione vincere, et discere ipsum hæc negotia nihil curare. Et perpende quam prudens ille esset. Non enim statim respondit, Nihil curo; sed quid? *Si quidem esset iniquum aliquid aut facinus pessimum, o Judæi, recte vos sustinerem; si vero quæstio est de verbis et nominibus et de lege vestra, vos ipsi videritis: judex ego horum nolo esse. Exclusit eos a tribunali.* Splendida fuit victoria. *Apprehensum*

autem Sosthenem principem synagogæ, percusserunt ante tribunal Et nihil eorum Gallioni curæ erat. O turpitudinem, quam subiere! *Et nihil eorum*, inquit, *Gallioni curæ erat;* etsi totum in ejus contumeliam vergeret. Sed illi quasi potestate accepta percutiunt, pudore affecti, illegitimi furoris opus edentes. Et cur ille non vicissim percussit, etsi potestatem haberet? Sed philosophari edocebantur. Nec vicissim percutit, ut judex edisceret, quis mansuetior esset. Hoc præsentibus non parum profuit: docuit enim horum æquitas, illorumque ferocia, hæc judicis calculo opus habuisse. At hi omnia citra ordinem faciunt. Nec dixit ille, Non oportet, ne rursum percuterent illum, sed, *Nolo. Judex enim horum esse nolo:* adeo æquitatis amans erat. Hoc et Pilatus dicebat de Christo: *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate* (*Joan.* 18. 31). Ille secundum legem volebat illos judicare; illi vero quasi ebrii et furibundi affecti erant. Ideo ille Athenis secessit, *Quia populus illic erat multus.* Percutiebatur, et nihil dicebat.

3. *Mansuetudo commendatur. Contumelia afficiens magis contemnitur, quam contumelia affectus.* — Hunc et nos imitemur: percutientibus mansuetudine vicem rependamus, silentio, patientia. Hæc vulnera sunt graviora; major plaga et molestior est: non enim in corpore, sed in animo percuti grave est. Multos percutimus, sed quia ut amicos, delectantur ipsi; si vero quemvis cum contumelia percusseris, quia cor tetigisti, magnum intulisti mœrorem: ita magis cor ipsum percutimus. Quod autem lenitas magis feriat, quam ferocia, age pro virili demonstremus. Manifesta quidem demonstratio opere fit et experimento: si tamen placet, etiam sermone examinemus, quamvis id jam sæpe fecerimus. In contumeliis nihil ita nos male afficit, ut spectantium calculus: non enim par res est publice contumelia affici, atque seorsim; sed illas facile ferimus contumelias, quæ in deserto, quæ nemine teste vel sciente inferuntur. Sic non contumeliæ natura est, quæ male afficit, sed cum palam infertur: ut si quis publice honoret, et seorsim contumelia afficiat, ei gratiam habebimus. Itaque non in natura contumeliæ dolor est, sed in spectantium calculo, ne hinc in contemptum cadatur. Quid igitur si spectatores pro nobis sint? annon tunc is, qui contumeliam infert, illam accipit, cum spectatores pro nobis calculum ferunt? Dic mihi, utrum contemnunt illi, eumne qui contumeliam infert, an eum qui illam accipit et tacet? Ira certe suggerit illum esse, qui contumeliam accipit. Nunc vero, cum ab animi motu liberi sumus, perpendamus ne tunc abripiamur. Utrum ergo damnamus omnes? Procul dubio contumeliam inferentem; et si minor sit, etiam insanire illum dicemus: si æqualis, desipere; si major, neque sic approbabimus. Uter, quæso, approbatione dignus est, qui turbatur, agitatur, efferatur, contra communem naturam sic affectus; an is qui in tranquillitate degit, in portu et in philosophia multa? annon hic angelo similis est, ille ne homini quidem. Hic namque ne propria quidem potest mala portare, ille vero fert etiam aliena: hic ne seipsum quidem ferre potuit, ille potuit et alium: ille in naufragio est, hic in tuto navigat ac secundo cursu navis fertur: neque enim permisit furoris ventum in vela incidentem, animi navem submergere, sed lenis benignitatis aura, cum quiete multa illum in philosophiæ portum inducit. Et sicut in navi, quæ submergitur, nautæ nesciunt quæ abjiciant, an suorum an alienorum deposita, sed omnium pariter jacturam faciunt, pretiosorum, et minime talium; ubi vero tempestas sedata est, tunc secum reputantes quanta projecerint, lacrymantur, nec tranquillo aere fruuntur, ob jacturam: ita et hic, cum spirat furor et tempestas excitatur, nesciunt quæ debito ordine ejicere oporteat; ubi vero cessavit ira, tunc recogitantes quanta abjecerint, damnum considerans, et quietem non sentiunt, memores verborum, quibus se dehonestarunt, damnumque maximum passi sunt, non in pecuniis, sed in existimatione æquitatis et mansuetudinis. Veræ tenebræ sunt furor et ira. *Dixit insipiens in corde suo*, inquit, *Non est Deus* (*Psal.* 13. 1). Id forte de irato opportune dicatur: dixit iratus, Non est Deus. Nam *Secundum multitudinem iræ suæ non quæret* (*Psal.* 10. 4. *sec. Hebr.*), inquit. Pia enim cogitatio ingressa omnes depellit et pulsat, omnes transversos agit. Nisi tu magis doleas, quam is cui contumelia infertur, infer illam, etiamsi nullus sit qui accuset: nisi conscientiæ tribunal te seorsim ductum millies verberet. Cum ergo audieris contumelia affectum, amarum nullum verbum protulisse, nonne hinc magis doles? Dic mihi, quomodo hominem mitem, humilem, modestum mille conviciis onerasti? Hæc frequenter dicimus, neque opere completa videmus. Homo cum sis, hominem contumelia afficis? servus conservum? Sed quid hoc admiror, quando multi Deum ipsum contumelia afficiunt.

4. Hoc vobis contumelia affectis sit consolatio. Contumelia afficimini? Contumelia afficitur Deus; convicia fertis? Convicia fert Deus; conspuimini? Sic et Dominus noster. In his ergo nobiscum est, in contrariis non item. Neque enim umquam inique contumelia affecit; absit; neque temere exprobravit nec injuste agit. Itaque nos sumus qui consortes sumus, non vos. Contumeliam enim ferre, Dei est; contumeliam vero temere inferre, dæmonis. Videte duas partes. *Dæmonium habes* (*Joan.* 7. 20), audivit Christus: alapa cæsus est a servo principis sacerdotum (*Id.* 18. 22). Itaque qui contumelia injuste afficiunt, cum illis stant: merito. Nam si Petrus satanas audivit (*Marc.* 8. 33), ob unum dictum, multo magis hi Judæi audient, cum Judæorum acta facient, ut et illi diaboli filii audierunt (*Joan.* 8. 44), quia diabolica faciebant. Contumelia afficis, quis cum sis, dic mihi? Imo propterea contumelia afficis, quia nihil es: nullus enim qui homo sit, contumelia afficit. Atque ita, quod in pugnis dicitur, Tu quis es? ex adverso oportebat dici: verbi gratia, Contumelia affice, nihil enim es: nunc autem dicentibus nobis, Quis es tu qui contumelia afficis? Te melior, audiemus utique. Atqui

contrarium dici oportebat; sed quia nos male interrogamus, ideo illi male respondent: itaque nos in causa sumus. Ac si enim illi contumeliosi magni quidam viri essent, ita loquimur: Quis est qui contumeliam inferas? Ideo illi sic respondent. Contrarium vero oportebat dicere: Contumelia afficis? contumelia affice; nullus enim es. Ad illos vero, qui contumelia non afficiunt, potius dicendum erat: Quis es, qui contumelia non afficis? humanam naturam transcendisti. Hoc nobilitas est, nihil illiberale loqui, etiamsi quis audire sit dignus. Dic vero mihi, quot non sunt digni ut occidantur? neque tamen per se hoc judex facit, sed interrogat, neque per seipsum. Si autem homini improbo judex non dignatur per se loqui, sed medio quopiam utitur, multo magis nos oportet pares non contumelia afficere: non enim ita illis præponendi erimus, si illos contumelia afficiamus, ut si doceamur, quod nos ipsos contumelia affecerimus. Malos ergo ideo contumelia afficere non oportet, bonos autem alia quoque de causa, quod non contumelia digni sint; tertio autem quia contumeliosum esse non oportet. Nunc autem vide quanta fiant: contumelia et damno afficitur homo, necnon is qui lædit, et spectatores. Quid ergo? num feras in medium accedere oportet, et rem dissolvere? hoc enim restat. Cum enim homines sunt ii, qui in iniquitate delectantur, feris reconciliatio reservatur: quemadmodum heris domi pugnantibus, restat ut domestici illos reconcilient (hoc enim natura rei exigit, etiamsi forte hac ratione non fiat): sic et hoc casu, Contumelia afficis? et jure quidem; non enim homo es. Ideo magnum quidpiam esse visa est contumelia, et magnis congruere: servis autem magis competit, ut bene loqui liberos decet. Sicut enim male facere ad illos pertinet, sic ad hos mala pati. Exempli causa, ancilla raptrix est, quæ res domini raptim subripit: talis est et contumelia: et ut quis dixerit, fur ingressus studiose ubique observat, aliquid auferre curans: sic et iste omnia circumspicit, ut aliquid eripiat. Alio forte exemplo ipsum depingemus. Quemadmodum si quis vasa immunda domi furetur, et coram omnibus educat, non tam illum deturpat furtum, quam ipse semetipsum, dum hæc aufert: sic et iste, impura verba coram omnibus proferens, non alios verbis deturpat, sed seipsum, talia proferens fœdansque et se et linguam et mentem. Idipsum enim fit, quando adversus malos pugnamus, ac si quis in putredine versantem ut feriat, seipsum coinquinet, manus in cœnum demittens. Hæc omnia, quæso, cogitantes, fugiamus hoc damnum, et bonam habeamus linguam, ut puri ab omni contumelia, possimus vitam præsentem diligenter transigere, et promissa diligentibus Deum bona consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XL.

Cap. 18. v. 18. *Paulus autem cum adhuc mansisset dies multos fratribus valedicens, navigavit in Syriam, et cum illo Priscilla et Aquila qui sibi totonderat in Cenchreis caput; habebat enim votum.*

1. Vide quomodo lex soluta est; vide quomodo conscientia detinebantur: Judaicum enim erat caput tondere ex voto. Verumtamen oportebat etiam sacrificium fieri: quod non est oblatum post verberatum Sosthenem. Oportebat abire illum; ideo et festinat. Et rogatus apud illos Ephesi manere, non annuit. Cur ergo rursus Antiochiam concedit? Nam *Ascendens*, inquit, *cum salutasset Ecclesiam, descendit Antiochiam.* Humano quodam affectu civitatem illam prosequebatur: ibi enim appellati sunt discipuli Christiani, ibi traditus est gratiæ Dei, ibi dogmatis negotia perfecit. Et ille quidem in Syriam navigavit; illos vero Ephesi reliquit: et merito quidem, utpote docturos. Qui tanto tempore cum illo versantes, multa didicerant: attamen nondum illos a consuetudine Judaica abduxerat. Ecce mulier idem quod viri facit, et docet. Propterea prohibetur in Asiam venire, ad ea, opinor, quæ magis urgebant impulsus. Vide namque illum hic rogatum ut maneret, nec morem gerentem, quia urgebatur ut discederet. Nec simpliciter illos reliquit, sed cum promissu revertendi: quomodo autem, audi. 19. *Devenitque*, inquit, *Ephesum et illos ibi reliquit: ipse vero ingressus in synagogam, disputavit cum Judæis.* 20 *Rogantibus autem eis, ut ampliori tempore maneret apud illos, non annuit,* 21. *sed valedixit eis, dicens: Oportet me omnino festum, quod instat, agere Jerosolymis; iterum autem revertar ad vos, Deo volente: et solvit ab Epheso.* 22. *Et profectus Cæsaream, cum ascendisset, et salutasset Ecclesiam, descendit Antiochiam;* 23. *ibique aliquanto transacto tempore, exivit transiens deinde per Galaticam regionem et Phrygiam, confirmans omnes discipulos.* Vide, iterum venit ad loca, quæ ante adierat. 24. *Judæus autem quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in Scripturis.* Ecce et eruditi prædicare nituntur, et demum discipuli peregrinantur. Viden' incrementum prædicationis? 25. *Hic erat edoctus viam Domini, et fervens Spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea, quæ sunt Domini, sciens tantum baptisma Joannis.* 26. *Hic cœpit libere loqui in synagoga. Audientes autem illum Aquila et Priscilla, assumpserunt eum, et diligentius exposuerunt ei viam Domini.* Si hic baptisma Joannis tantum sciebat, quomodo fervebat Spiritu? Spiritus enim non ita dabatur. Si autem qui post illum fuerunt, opus habuere Christi baptismo, multo magis hic opus habuisset. Quid ergo dicendum? neque enim sine causa utrumque posuit scriptor. Videtur mihi hunc esse unum ex centum viginti (*Act.* 1. 15), qui cum apostolis baptizati sunt: vel si non ita sit, quod in Cornelio, in hoc quoque factum est. Sed non baptizatur, donec illi accuratius exposuerunt. Hoc mihi verum esse videtur, quia

baptizari illum oportebat, quoniam duodecim alii nihil perfecte noverunt, neque ea quæ Jesum spectabant. Verisimile est autem ipsum baptizatum fuisse. Cæterum si Joannis discipuli post acceptum baptisma denuo baptizabantur, oportebat etiam discipulos hoc facere. 27. *Cum vellet autem transire in Achaiam, exhortati fratres scripserunt discipulis ut reciperent illum. Qui cum venisset, contulit multum iis, qui crediderant per gratiam.* 28. *Vehementer enim Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas Jesum esse Christum.* (*Cap.* 19) 1. *Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos,* 2. *dixitque eis : Si Spiritum sanctum accepistis credentes? Illi autem dixerunt ei : Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus.* 3. *Dixitque ad illos : In quo ergo baptizati estis? Illi autem dixerunt : In Joannis baptismate.* 4. *Dixitque Paulus : Joannes quidem baptizavit baptismo pœnitentiæ, populo dicens, ut in eum, qui venturus erat post ipsum, crederent; id est, in Christum Jesum.* 5. *Audientes autem baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* 6. *Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super illos, loquebanturque linguis et prophetabant.* 7. *Erantque omnes viri quasi duodecim.* Multum hi ab illo differebant, qui neque sciebant Spiritum sanctum esse. Ili igitur qui diligentius illi exposuerunt viam Domini, præmittunt etiam literasque dant. Volebat igitur et ipse in Achaiam venire; sed antequam illum fratres exhortati essent, ac literas ei dedissent, non recedit. *Qui ut venit*, inquit, *contulit multum iis, qui crediderant : vehementer enim Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas Jesum esse Christum.* Hinc ostendit quam potens in Scripturis esset Apollo : Judæos enim vehementer reprimebat (hoc enim sibi vult illud, *Revincebat*); credentibus vero fiduciam indebat ut in fide starent. *Factum est autem*, inquit, *ut Paulus, peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum.* Sunt autem illæ juxta Cæsaream, et ultra. *Et invenit quosdam discipulos, dixitque eis : Si Spiritum sanctum accepistis credentes?* Quod autem hi non crederent in Christum, palam est ex eo, quod dicant, *In eum, qui venturus erat post ipsum, ut credant.* Neque dixit, Nihil est baptisma Joannis; sed, Imperfectum est. Neque illud sine causa addidit, sed ut doceret suaderetque eis, ut in nomine Jesu baptizarentur : quod etiam faciunt, et Spiritum accipiunt ex impositione manuum Pauli. *Cum imposuisset*, inquit, *illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.* Itaque ii Spiritum accipiebant, quibus manus imponebat. Verisimile igitur est illos Spiritum habuisse, nec apparuisse, nisi ex operatione, et ex eo quod loquerentur linguis.

2. Sed ea, quæ superius lecta sunt, repetamus. *Paulus autem navigavit in Syriam*, inquit, *et cum illo Priscilla et Aquila*, quos, cum pervenisset Ephesum, ibi reliquit. Vel quia nolebat illos circumducere, ideo reliquit : vel potius, ut doctores manerent Ephesiis. Ipsi vero postea Corinthi habitarunt, de quibus etiam magnifice testificatur, et Romanis scribens salutat ipsos. Quare videtur mihi ipsos postea venisse Romam, utpote qui libenter frequentarent loca, unde ejecti fuerant sub Nerone. *Et descendens*, inquit, *Cæsaream, cum ascendisset et salutasset Ecclesiam, descendit Antiochiam, exactoque ibi aliquanto tempore, exiit, pertransiens Galaticam exinde regionem et Phrygiam.* Videtur mihi fideles illic conventus egisse : non enim statim illos abstrahebant. Vide autem quomodo illos urgeat. Et has regiones iterum pertransit, ut præsentia sua discipulos confirmet. *Judæus vero quidam*, inquit, *Apollo nomine venit Ephesum, potens in Scripturis.* Homo diligens erat; ideoque peregrinabatur. *Qui cum venisset*, inquit, *in Achaiam, vehementer revincebat Judæos publice.* De quo Paulus dicebat : *De Apollo autem fratre* (1. *Cor.* 16. 12). Quod publice redargueret, hinc fiducia ostendebatur; quod vehementer facultas enitebat; quod ex divinis Scripturis ostenderet, experientia monstrabatur. Neque enim dicendi libertas aliquid perficit, absente facultate; neque facultas absente libertate. Ergo non sine causa Aquilam reliquit Ephesi, sed propter Apollo forsan Spiritus hoc dispensavit, ut fortior ascenderet Corinthum. Et cur huic nihil fecerunt, in Paulum autem insurgunt? Sciebant illum coryphæum esse; vel quia magnum erat viri nomen. *Assumentes autem illum*, inquit, *Aquila et Priscilla, diligentius exposuerunt ei viam Dei.* Vide quomodo omnia fide perficerentur et nusquam invidia, nusquam livor : Aquila docet; imo potius ipse docetur. Etenim aliquanto tempore cum illo versantes, sic edocti sunt, ut etiam alios docere possent. *Cum autem vellet ipse transire in Achaiam*, inquit, scripserunt discipulis, ut reciperent eum. Cur literas scribant indicat : *Ut illum recipiant*, inquit.

Quantum baptisma Christi præstet baptismati Joannis. — Et unde liquet illos, cum Ephesi essent, baptisma Joannis habuisse? Quia interrogati, *In quo baptizati estis?* dicunt : *In Joannis baptismate.* Forsan tunc Jerosolymam se contulerant, et abierunt et baptizati sunt; sed etiam baptizati, Jesum non sciebant. Nec dicit eis, Creditis in Jesum? sed quid? *Si Spiritum sanctum accepistis?* sciebat enim quod non haberent. Et vult id illos dicere, ut scientes quid sibi deesset, id peterent. *Et imponente*, inquit, *illis Paulo manus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant.* Ab ipso baptismo prophetant. Hoc autem Joannis baptisma non habebat; ideoque imperfectum erat. Ut porro his digni haberentur, præparavit illos. Itaque hoc volebat Joannes cum baptizabat, ut crederent in venturum post ipsum. Hinc ostenditur magnum dogma, quod qui baptizantur, perfecte a peccatis purgentur. Nisi enim purgarentur, Spiritum non acciperent, non statim charismatibus dignarentur. Et vide quod duplex tunc charisma sive donum fuerit, et linguæ et prophetiæ. Recte autem dixit baptisma Joannis pœnitentiæ esse, non autem remissionis : erigens illos suadensque eis, hoc vacuum fuisse baptismum illum : nam posterius dati baptismi opus erat remissio illa Et quomodo qui Spi-

ritum acceperant non docebant, cum Apollo, qui nondum acceperat, doceret? Quia non erant ita ferventes, nec instituti : ille vero et institutus erat et admodum fervens. Mihi autem videtur multam in viro fuisse dicendi libertatem. Sed etsi accurate loqueretur de Jesu, accuratiore tamen doctrina opus habebat : sic etsi non omnia sciret, ex fervore attrahebat Spiritum sanctum, ut etiam Cornelius. Fortasse multi desiderant, utinam etiam nunc esset Joannis baptisma! At multi virtutem negligerent; et forte crederetur singulos propter hoc, non propter regnum cælorum virtutem adire. Alioquin autem multi essent pseudoprophetæ, nec postea qui probati essent, multum apparerent, nec beati prædicarentur qui fidem simpliciter susciperent. Ut ergo *Qui non viderunt et crediderunt, beati sunt* (*Joan.* 20. 29), sic qui sine signis crediderunt, beati. Dic enim mihi, annon exprobrabat Christus Judæis, dicens : *Nisi signa videritis, non credetis* (*Joan.* 4. 48)? Itaque nihil hinc nobis damni, si nobis attendere voluerimus. Caput bonorum habemus per baptismum : peccatorum remissionem accepimus, sanctificationem, Spiritus participationem, adoptionem, vitam æternam. Quid amplius vultis? signa? Sed cessaverunt. Fidem habes, spem, caritatem, quæ manent : hæc quære, hæc signis sunt majora. Nihil par caritati; *Major omnium est caritas* (1. *Cor.* 13. 13), inquit. Nunc vero caritas periclitatur : solum quippe nomen ejus relictum est, opus vero nusquam, sed divisi sumus inter nos.

3. *Caritas amicitiæ vinculum, et discipulorum Christi tessera.* — Quid igitur agendum ut connectamur? nam reprehendere facile est, sed hoc dimidium tantum. Itaque monstrandum est, quomodo nectatur amicitia : hoc enim curandum quomodo membra divulsa connectamus. Neque hoc tantum quærimus, an unam Ecclesiam vel unum dogma habeamus; sed hoc grave est, quod cum in aliis mutuo communicemus, in necessariis non communicemus, et cum omnibus pacem habentes, inter nos dissentiamus. Ne enim, quod non quotidie pugnas moveamus, considera, sed quod sinceram et immobilem caritatem non habemus. Ligaminibus opus est et oleo. Cogitemus caritatem tesseram esse discipulorum Christi, et sine illa nihil valere alia, remque esse sine labore si velimus. Etiam, inquies, hæc novimus; sed quomodo id recte geretur? Quomodo fiet? quomodo nos mutuo diligemus? Primo ea; quæ caritatem tollunt, de medio abjiciamus, et tunc illam statuemus : nemo sit injuriarum memor, nemo invidus, nemo in malis gaudeat : hæc dilectionem impediunt. Alia autem sunt, quæ eam exhibent : non enim sufficit quæ illam impediunt tollere, sed etiam quæ illam statuant, sunt ostendenda. Sirach ergo dicit, ea quæ illam tollunt, et non ea quæ conciliant, exprobrationem esse et mysterii revelationem et plagam dolosam (*Eccli.* 22. 27). Sed illis utpote carnalibus merito talia proveniunt; nobis autem, absit : non ab his vos inducemus, sed ab aliis. Nihil nobis est utile absque dilectione. Sint millia bona : quid inde lucri? Sint divitiæ, sint deliciæ absque amicis : quid hinc utilitatis? Nulla possessio etiam in sæcularibus hac pulchrior, ut nihil inimicis molestius est. *Caritas operit multitudinem peccatorum* (1. *Pet.* 4. 8); inimicitia autem etiam ea, quæ non sunt, suspicatur. Non sufficit non esse inimicum, sed oportet etiam amare. Cogita id Christum jussisse, et hoc sufficit. Etiam afflictio amicitias facit et copulat. Quid igitur, inquies, nunc, cum afflictio non est? quomodo erimus amici? Annon alios habetis amicos, quæso? quomodo illorum estis amici? quomodo perseveratis? Interim nemo inimicum habeat; non est hoc parum : nemo invideat; non licet non invidum accusare. Unum habitamus orbem omnes, iisdem alimur fructibus. Sed hæc parva sunt : iisdem mysteriis, eadem spirituali esca fruimur. Hæc sane amicitiæ jura sunt. Quomodo igitur, inquies, ferventer affecti erimus? Quid facit corporum amorem? Corporis forma. Itaque et animas formosas efficiamus, erimusque mutuo amatores : non oportet enim solum amare, sed etiam amari. Primo id assequamur, ut amemur, et illud aliud facile erit. Quomodo amari poterimus? Simus pulchri et boni, et hoc operabimur, ut semper amatores habeamus. Nemo ita curet pecunias possidere, vel servos, vel domos, ut amari, ut bonum habere nomen. *Melius est nomen, quam divitiæ multæ* (*Prov.* 22. 1). Illud enim manet, hæ pereunt : et illud possideri potest, hæ vero minime. Nam qui malam habet famam, vix illam excutere poterit; pauper vero a nomine cito dives erit. Sit quis dena millia talenta habens, alius vero amicos centum : hic illo opulentior erit. Ne igitur hoc obiter curemus, sed quasi quamdam abundantiam [1] quæramus. Et quomodo, inquit, poterimus? *Faux dulcis multiplicat amicos, et lingua gratiosa* (*Eccli.* 6. 5). Os bene loquens possideamus et mores puros. Non potest latere qui sic affectus est.

4. Vide quanta amoris vincula externi excogitarint : adoptionem, viciniam, cognationes. Sed his omnibus nostra sunt majora : hæc mensa venerabilior. Multi autem ex iis, qui accedimus, neque nos mutuo novimus. Hoc multitudo facit, inquies. Nequaquam, sed ignavia nostra. Ter mille, et quinquies mille erant illi, et omnes habebant animam unam : nunc autem singuli fratrem suum ignorant, nec pudet eos multitudinem prætexere. Qui multos habet amicos, omnibus est inexpugnabilis, quovis tyranno fortior. Non ita illum alium satellites, ut hunc amici custodiunt : hicque clarior illo est. Illo namque a servis, hic ab æqualibus custoditur : ille ab invitis et timentibus, hic a lubentibus nec metuentibus; videreque est rem miram, in multis unum, et in uno multos. Atque ut in cithara diversi soni sunt, una vero symphonia, unusque musicus qui citharam pulsat : ita et hic : cithara quidem est caritas, soni vero verba caritate plena, dum omnes simul unam eamdemque harmoniam et symphoniam efficiunt; musicus autem est caritatis virtus : ipsa dulce melos pulsat. Vellem vos

[1] Alii legunt, *negotiationem*, pro, *abundantiam*. Utraque lectio quadrare potest.

in talem civitatem ducere, si fieri posset, ubi unus esset animus, et videres ibi symphoniam omni cithara et tibia suaviorem, nihilque absoni habentem. Hæc melodia et angelos et angelorum Dominum ac Deum delectat; hæc totum in cælo theatrum excitat; hæc et dæmonum furorem compescit et affectuum impetum demulcet [1]. Hæc melodia non modo affectus sedat, sed nec exsurgere sinit, magnumque facit silentium. Sicut enim in theatro musicorum omnes chorum cum silentio audiunt, nullusque ibi tumultus est: sic inter amicos, caritate pulsante, omnes affectus quiescunt et sedantur, ut feræ demulsæ et mitigatæ; sicut, ubi inimicitiæ sunt, ibi omnia sunt contraria. Sed nihil jam de inimicitia loquamur: de amicitia tantum dicamus. Si quid temerarium dicas, nemo est qui insurgat in te, sed omnes ignoscunt; si quid facias, nemo suspicatur, sed magna est indulgentia: cadenti omnes prompte manum porrigunt; omnes ipsum stare curant.

Amicitiæ ratio. — Murus vere inconcussus est amicitia, qui nec a diabolo capitur, nedum ab hominibus. Non potest in pericula incidere qui amicos habet multos: nulla adest iræ occasio, sed suavitatis tantum: in risu semper est ac deliciis: nulla ibi invidiæ occasio, nulla injuriarum memoria. Hunc vide et spiritualia et carnalia facile dirigentem. Quid huic par fuerit? Hic est ceu civitas undique muris cincta; ille vero alius quasi civitas sine muris. Magnæ sapientiæ est, posse amicitias conciliare. Tolle amicitiam et omnia sustuleris, omnia confuderis. Si autem amicitiæ imago tantam vim habet, ipsa veritas quanta erit? Amicos ergo nobis paremus, obsecro, et hanc artem quivis exerceat. Et ecce, inquies, ego conor; ille vero non curat. Major tibi merces sic erit. Etiam, inquies, sed res tunc difficilior est. Quomodo, quæso? Ecce testificor et dico, si decem tantum vos conjungeretis, et opus prædicandi sicut apostoli vobis constitueretis, et sicut prophetæ docebant, sic amicos facere studeretis, magnam vobis fore mercedem. Regias nobis imagines paremus: hoc enim discipulorum symbolum est. Et cur non majus quidpiam facimus, quam si nobis facultatem acquireremus mortuos suscitandi? Diadema et purpura regem indicant: si hæc non adsint, etiamsi aurea habeat vestimenta, nondum rex manifestatus est. Ita et tu nunc hanc tibi tesseram facito, et tibi et aliis amicos parabis. Nemo qui ametur, odio habere velit. Discamus colores illos qui miscentur, quibus imago illa constituitur: diserti simus: ne exspectemus proximos. Ne dicas: Si videro aliquem tardum, ego deterior fio: imo si videris, præoccupa, et ejus vitium exstingue. Ægrum vides, et morbum auges? Hoc maxime et ante omnia præstemus, ut honore nos mutuo præveniamus (*Rom.* 12. 10), nec putes te minui, cum putas alios te excellentiores. Si ipsum honore prævenias, teipsum magis honorasti tibique honorem attraxisti. Ubique primas aliis concedamus. Nihil eorum, quæ nobis illata sunt, malorum recordemur, sed bonorum tantum. Nihil sic facit amicum ut grata lingua, os bene loquens, anima sine fastu, vanæ gloriæ et honoris contemptus. Si hæc fecerimus, poterimus diaboli laqueis inaccessi esse; et virtutem accurate sectati, promissa diligentibus Deum bona consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Hæc, *et affectuum impetum demulcet,* desunt in quibusdam Mss.

HOMILIA XLI.

Cap. 19. v. 8. *Ingressus in synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans et suadens de regno Dei.*

1. *Synagogas frequenter adit Paulus, quare.* — Vide ubique, ut se in synagogas immittit, et sic demigrat: ubique enim ab illis volebat occasionem assumere, ut dixi. Nam gentes jam zelo fervebant, et libenter eum accipiebant; Judæi vero gentibus fidem suscipientibus, pœnitentiam agebant. Volebat discipulos illinc abstrahere, et ab illis incipere, ut ne cum illis congregarentur: neque sine causa hoc faciebat. Ideo frequenter cum illis disputabat, quia persuadebat. Ne igitur, quia dicendi libertatem audisti, asperitatem putes: de utilibus rebus disputabat, de regno: quis non audisset? 9. « Cum autem quidam indurarentur, et non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cujusdam. 10. Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini Jesu, tam Judæi quam Græci. » Viam merito vocabant prædicationem; vere enim hæc via est quæ ducit ad regnum cælorum. *In schola,* inquit, *Tyranni cujusdam disputabat. Et hoc factum est per biennium, ita ut omnes audirent sermonem tam Judæi quam Græci.* Vides quantum profuit assidue urgere? Et Judæi et Græci audiebant. 11. « Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli, 12. ut etiam super languidos deferrentur de corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recederent ab eis languores, et spiritus nequam exirent ab eis. » Non tangebant solum ferentes, sed accipientes imponebant. Ideo non sivit Christus illum ire in Asiam, hoc tempus observans, ut ego puto. 13. « Tentaverunt autem quidam ex circumeuntibus Judæis exorcistis invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuramus vos per Jesum, quem Paulus prædicat. » Ita omnia faciebant lucri causa. Vide: credere quidem nolebant, sed per hoc nomen volebant ejicere dæmonia. Papæ, quantum erat nomen Pauli! 14. « Erant autem quidam Judæi Scevæ, principis sacerdotum, septem filii, qui hoc faciebant. 15. Respondens autem spiritus nequam, dixit eis: Jesum novi, et Paulum scio; vos autem qui estis? 16. Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum et dominatus eorum, invaluit

contra eos, ita ut nudi et saucii effugerent de domo illa. 17. Hoc autem notum factum est Judæis atque gentilibus, qui habitabant Ephesi. » Igitur clam faciebant, deinde divulgata est illorum infirmitas. *Et cecidit timor super omnes illos, et magnificabatur nomen Domini Jesu. 18. Multique credentium veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos.* Quia tantam potestatem habebant, ut per dæmonia talia facerent, merito hæc fiunt. 19. « Multi autem ex iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus : et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. 20. Ita fortiter crescebat verbum Dei, et confirmabatur. » Videntes autem ex his deinceps nihil sibi utilitatis fore, exusserunt libros : quando ipsi dæmones hoc faciunt. Non ergo nomen quidpiam facit, nisi cum fide dicatur. Bene ergo dicebat, *Qui credit in me, majora faciet* (*Joan.* 14. 12.), has umbras insinuans. Vide quomodo armis contra seipsos usi sunt. *Et disputabat,* inquit, *in schola Tyranni cujusdam per annos duos.* Ubi fideles erant, admodum erant fideles. Ita nihil magnum putabant esse Jesum, quandoquidem et Paulum addidere, ipsum hinc magnum quidpiam esse putare ostendentes. Hic mirari subit, quomodo dæmon ille exorcistarum errori non cooperatus est, sed redarguit illum, et scenam eorum patefecit. Mihi videtur valde succensuisse, ac si quis de extremis periclitans, a misero quodam et ærumnoso refutetur, et furorem suum totum in illum exonerare velit. Ne videretur enim nomen Jesu despicere, primo ipsum confessus, tunc potestatem accepit. Ut autem probetur non ex debilitate nominis, sed ex illorum fraude totum accidisse, cur non Paulo tale quidpiam contigit? *Et insiliens*, inquit, *homo in illos.* Forte discidit illorum vestes, et capita dilaniavit : hoc enim indicavit dicens, *Insiliens;* id est, cum impetu irruens, ita ut hæc facere posset. Quid sibi vult, *Discedens ab eis, segregavit discipulos?* Illorum, inquit, maledicentiam succidit. Hoc autem facit et abscedit, quia nolebat illorum invidiam succendere, neque in majorem rixam incitare. Illud autem, *Fiducialiter agebat*, dicit, significans ipsum ad pericula paratum, clarius nec dogmata obumbrantem disputasse. Hinc discimus non nos immiscere cum maledicis, sed ab illis abscedere. Non maledixit ipse, cum male audiret, imo potius quotidie disputabat, et hac maxime ratione multos sibi concilians, quod quamvis mala audiret, non discederet neque separaretur. Et observa, postquam tentatio ab externis cessavit, a dæmonibus incepit.

Judæorum cæcitas. — Viden' cæcitatem Judaicam? Cum viderent vestes ejus operantes, non advertebant. Quid hoc majus esse possit? At illis in contrarium res versa est. Si quis gentilium non credat, videns umbram hæc operantem, credat. Sic ex eo, quod ab illis discederet, maledici et qui dogma calumniabantur, superantur (hoc enim viam vocavit) : ille vero discedit, ut neque discipuli secederent neque illos ad iram concitaret, ostendens illos ubique salutem repellere. Et jam illis non sese purgat, eo quod gentes ubique crederent. Et disputat, non quemvis locum quærens, sed ubi schola erat, quasi commodiorem, eo quod ibi congregarentur.

2. Papæ, quanta credentium virtus, quum et aliis quoque eadem ipsa facere concedatur! quanta vero cæcitas eorum, qui etiam dum virtus illa demonstraretur, in incredulitate manebant. Ut igitur Simon lucri causa gratiam Spiritus quærebat, sic et hi eadem de causa idipsum faciebant. Quanta cæcitas? Et quare Paulus non increpat? Quia visum fuisset hoc ex invidia fieri; ideo res ita dispensatur. Sic et Christo accidit; sed tunc non impediebatur (nam tunc initium rerum erat), siquidem et Judas fur non cohibebatur; Ananias vero et Sapphira interfecti sunt; multique Judæi obsistentes, nihil passi sunt; Elymas vero excæcatus est. *Non enim*, inquit, *veni, ut judicem mundum, sed ut salvetur mundus* (*Joan.* 3. 17). Vide rem exsecrandam : Judæi adhuc manentes, ex ipso nomine lucrari volebant : itaque omnia ad gloriam et lucrum faciebant. Undique vide homines non ita per utilia, ut per terribilia converti. Ex Sapphiræ exemplo terror incidit in Ecclesiam, et alii non audebant se conjungere illis (*Act.* 5. 13) : hic sudaria et semicinctia accipiebant et sanabantur; et postea veniebant ut confiterentur peccata sua. Ex eo, quod insiliret, ostenditur dæmonum magna quædam vis, cum contra infideles agunt. Et cur non dixit spiritus malus : Quis est Jesus? sed inutilia verba protulit? Timebat, ne ipse pœnas daret : sciebat enim hujus nominis virtute concessum sibi fuisse, ut illusores illos ulcisceretur. Cur autem miseri illi non dixerunt ei, Credimus? Timebant Paulum : quamquam multo clariores futuri erant, si Jesum Dominum agnovissent. Et alioquin id, quod Philippis contigit, illos emendavit. Tu vero mihi considera, quam modestus hoc loco sit scriptor, et quomodo historiam solum scribat, nec quempiam accuset. Hoc apostolos mirabiles reddebat. Et cujus essent filii dicit, et nomen et numerum, dans iis, qui tunc erant, certum narrationis suæ indicium. Cur autem circuibant illi? Lucri causa, non ut verbum annuntiarent : quomodo enim? Bene autem currebant postea, prædicantes per ea quæ patiebantur. Quare hoc declarans ait : *Et notum factum est omnibus tam Judæis quam gentilibus, qui habitabant Ephesi.* Nonne, quæso, etiam eos, qui duriores erant, convertere debuit? Sed non convertit; nec mireris : malitiæ enim nihil est quod persuadeat. Age vero, hoc exorcistarum opus videamus quantæ sit nequitiæ. Cur autem hoc sub Christo non contigerit, alterius, non præsentis temporis est disquirere; verum quod jam pulchre et utiliter accidit. Videtur enim illos irridendi causa hoc fecisse; ideoque plectuntur: ita ut posthac nemo auderet temere hoc nomen proferre. Hoc fidelium multos ad confessionem deduxit, hoc et timorem ipsis incussit, maximumque hoc argumentum fuit Deum omnia posse. Priusquam

a dæmonibus redarguerentur, seipsos accusabant, timentes ne eadem paterentur; et jure quidem. Quando enim adjutores dæmones, accusatores illorum erant, non auxiliatores, qualis spes supererat, nisi confessio per opera? Vide quanta brevi postea mala eveniant post tot facta signa. Talis quippe est humana natura: statim beneficiorum obliviscitur.

Terræ motus Constantinopoli. — Annon meministis, idipsum etiam nostris temporibus accidisse? Dic enim mihi: nonne anno superiore concussit Deus civitatem totam (*a*)? Quid vero? nonne omnes ad baptismum accedebant? nonne scortatores, molles et corrupti homines, relictis domibus et habitaculis, conversi et pii effecti sunt? Ubi autem tres dies transierunt, rursus ad pristinam reversi sunt nequitiam. Unde hoc contingit? Ex ignavia multa. Ecquid mirum, si ubi res transierunt, quando imaginibus perpetuo manentibus hoc ipsum evenit? Quæ in Sodomis, dic mihi, nonne perpetuo manent? Quid ergo? an vicini propterea meliores facti sunt? Minime. Quid et filius Noe? nonne talis erat? nonne tantam sub oculis habens solitudinem, malus tamen erat? Ne miremur ergo, si his ita gestis non crediderunt, quando ipsa fides illis sæpe in contrarium et in nequitiam vertitur; ut quando dæmoniacum esse dicebant Dei Filium. Annon videtis hoc nunc etiam fieri, et multos homines serpentibus similes, incredulos et ingratos qui instar viperarum cum beneficia accipiunt, beneficis infesti sunt? Hæc a nobis dicta sunt, ut ne quis miretur, quod tot editis signis non omnes conversi sint.

3. Nostris quippe temporibus acciderunt ea, quæ beatum Babylam spectant (*b*), quæ Jerosolymis gesta sunt, quæ in destructione templorum, neque tamen omnes conversi sunt. Quid opus est vetera recensere? Dixi vobis, quid anno proximo acciderit, et nemo attendit; sed rursus paulatim defluxerunt et collapsi sunt. Stat semper cælum clamans se Dominum habere, et hoc universum esse cujusdam opificis (de mundo loquor); et dicunt quidam non ita esse. Quæ circa Theodorum anno proximo gesta sunt, quem non obstupefecerunt? Et tamen nihil amplius factum est, sed ad tempus pii effecti, eo reversi sunt, unde pietatem inierant. Hoc etiam Hebræis tunc contigit: ideo dicebat propheta: *Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur et diluculo veniebant ad Deum* (*Psal.* 77. 34). Ecquid oportet generalia illa proferre? quot in morbos inciderunt? quot surgentes polliciti sunt se mores in melius mutaturos, et tamen iidem ipsi manserunt? Hoc maxime ostendit nobis naturalem nostram arbitrii libertatem, repentina nempe mutatio. Nam si naturalia mala essent, libertas non esset: quæ enim ex natura et necessitate fiunt, mutare non possumus. Atqui mutamur, inquies. Annon videmus interdum eos, qui a natura habent ut videant, præ metu excæcatos? Quoniam illud naturæ est, ut reprimatur, cum natura altera advenit: ita secundum naturam nostram est, ut perterriti non videamus. Secundum naturam item est, ut majore adveniente metu, alter metus recedat. Quid igitur, inquies, si temperantia secundum naturam sit, et metus invalescens illam ejiciat? Quid igitur, si ostendero, ne quidem tunc quosdam esse temperantes, sed in metu etiam petulantes esse? hoc naturale non est. An vetera dicam? an nova? Quot in ipso timore manserunt ridentes, et nihil tale passi sunt? Dic, quæso, Pharao nonne statim mutatus est, et ad pristinam recurrit nequitiam? Hoc autem loco dæmoniacis, quamvis ipsi non ignorarent, dixerunt simpliciter: *Per Jesum adjuramus vos, quem prædicat Paulus:* per ea enim, quæ respondent, ipsos scire probatur. Jesum vero dicunt illi simpliciter, cum oportuisset dicere, Servatorem mundi, qui resurrexit: sed noluerunt confiteri gloriam ejus. Ideo redarguit illos dæmon, insiliens in eos dicensque: *Jesum novi, et Paulum scio;* ac si diceret, Vos non creditis, sed illo abutentes nomine hoc dicitis. Igitur desertum templum est, expugnatu facilia arma: itaque non estis præcones, inquit, sed mei estis. Magnus furor dæmonis. Potuissent hæc apostoli facere, sed interim non faciebant. Nam qui imperabant illis, qui talia in ipsos operabantur, multo magis ipsis imperassent. Vide quomodo illorum mansuetudo monstratur, quod illi, qui pellebantur, talia faciebant; dæmones vero, quibus serviebant, contraria. *Jesum*, inquit, *novi*. Ergo erubescite vos, qui illum ignoratis. *Et Paulum scio*. Et hoc bene; noverat enim Dei esse præconem. Deinde insilit in eos, et vestes dilacerat; ac si per opera diceret illis: Ne putetis me ideo id facere, quod illos contemnam. Magnus timor dæmonis. Et cur non sine verbis istis vestes eorum discidit? ita enim et furorem implevisset, et errorem statuisset. Timebat, ut dixi, inaccessam potestatem: et non tantum potuisset, si hoc non dixisset. Vide ubique dæmones gratiores, quam Judæos, nec audentes contradicere, vel accusare apostolos, neque Christum. Illic dicunt: *Scimus te quis sis*; et, *Cur venisti huc ante tempus torquere nos* (*Matth.* 8. 29); et rursum, *Scio te quis sis, Filius Dei* (*Marc.* 1. 24): hic vero, *Hi homines servi Dei excelsi sunt* (*Act.* 16. 17); et rursum, *Jesum novi, et Paulum scio*. Multum enim formidabant et tremebant sanctos illos. Forte quis vestrum audiens, cupit hanc habere potestatem, ut ne ausint quidem dæmones adversus illum respicere, et sanctos illos ea de causa beatos prædicat, quia tantam habuere potestatem. Sed audiat Christum dicentem: *Nolite gaudere, quia dæmonia vobis subjiciuntur* (*Luc.* 10. 20); quia sciebat omnes homines ob vanam gloriam ea de re maxime gavisuros esse. Nam si id, quod placitum Deo est, quæris, et quod in communi prodest, alia major est via. Non ita magnum est a dæmone liberari, ut a peccato. Dæmon non impedit, quominus regnum cælorum consequamur; imo cooperatur, in-

(*a*) Hunc terræ motum, qui anno proximo, nempe 399 acciderat, sæpe memorat. Ea de re in Vita Chrysostomi actum est.

(*b*) Hæc fuse enarrantur in Homil. de S. Babyla, Tom. 2, col. 561 et seq.

vitiis quidem, sed tamen cooperatur, dum continentiorem reddit eum quem occupat: peccatum vero e regno ejicit.

4. ***Habere peccatum quam habere dæmonem gravius est.*** — At forte dicet quispiam: Absit, ut sic assequar continentiam. Neque ego velim, sed alio modo ut omnia facias ex amore Christi. Si vero hoc, quod absit, contingat, pro hoc est orandum. Si igitur dæmon non ejicit, peccatum vero ejicit, ab hoc liberari majus est beneficium. Ergo ab hoc proximum liberari curemus, et ante proximum, nos ipsos. Videamus ne dæmonem habeamus, diligenter nos ipsos examinemus. Dæmone gravius est peccatum; ille namque humiles reddit. Annon videtis dæmoniacos, quando a morbo recreantur, quam sint demissi, quam mœsti? quomodo vultus pudore suffundatur, quomodo non ausint obtueri? Vide absurditatem: illi de iis quæ patiuntur erubescunt, nos de actis nostris non erubescimus: illi injuria affecti verentur, nos injuria afficientes non veremur. Atqui illorum status non pudore dignus, sed misericordia et humanitate, venia, admiratione magna, innumeris laudibus, quando cum tali dæmone concertantes, omnia cum gratiarum actione patiuntur: nostra vero digna sunt risu, pudore, accusatione, supplicio, pœna, extremis malis, gehenna, nullaque venia. Viden' peccatum dæmone deterius esse? Et illi quidem ex iis, quæ graviter patiuntur, duplex lucrum reportant: unum quod temperatiores sint et magis philosophi, alterum quod, cum hic peccatorum pœnas dederint, puri ad Dominum migrent. Nam hac de re sæpe disseruimus et ostendimus, eos qui hic puniuntur, si benigne ferant, magnam peccatorum sarcinam verisimiliter deponere. A peccatis autem duplicia mala eveniunt: unum quod offendamus, alterum quod deteriores evadamus. Attendite dictis. Non in hoc tantum lædimur a peccato, quod peccemus; sed et in alio, quod anima habitum admittat; sicut et in corpore: clarius enim erit inde sumptum exemplum. Quemadmodum enim febricitans non in hoc solum læditur, quod infirmetur, sed etiam quod post morbum sit infirmior, etiamsi ex diuturno morbo in bonam valetudinem redeat: sic et de peccato dicendum, licet sanemur, adhuc tamen egemus fortitudine. Vide namque mihi quempiam, qui contumelia affecerit, nec pœnas dederit: non ideo solum lacrymari oportet, quod contumeliæ pœnas non dederit? Sed etiam alia de causa lugendum. Quare? Quia impudentior effectus est animus. Singulorum enim peccatorum, postquam delictum peractum est et cessavit, virus quoddam in anima inseritur. Non audis quosdam dicentes, postquam a morbo recreati sunt: Non ultra ausim aquam bibere; licet sani sint? sed morbus in hoc etiam læsit. Et illi quidem mala passi, gratias agunt; nos autem dum bene habemus, Deum blasphemamus, et ægre ferimus: plures enim invenias in sanitate ac divitiis hoc agentes, quam in paupertate et infirmitate. Instat enim dæmon quasi carnifex ardens minas intentans, sicut quidam pædagogus lorum erigens, et nusquam deflectere sinens. Quod si qui ne ita quidem sapiant, non dant illi pœnas. Non parum autem hoc est. Ut enim stulti, ut furiosi, ut pueri non dant pœnas, sic neque hi: eorum enim quæ inscienter acta sunt, nemo tam crudelis est ut pœnas repetat. Ergo peccantes multo deterius affecti sumus quam dæmoniaci. Sed non spumamus, nec pupillas distorquemus vel manus? Utinam hoc in corpore pateremur, non in anima. Vis tibi ostendam animam spumantem, impuram, et distortos oculos mentis? Cogita iratos et furore ebrios, qua spuma non immundiora proferunt verba? Profecto quasi fœtidum sputum emittunt. Et sicut illi nullum ex præsentibus norunt, sic neque hi. Obtenebrata enim illorum mente et distortis oculis, non amicum, non inimicum, non venerabilem, non despiciendum, sed omnes uno intuitu cernunt. Non vides hos tremere sicut illos? Sed non cadunt in terram? Verum anima eorum humi jacet et cadit palpitans: si enim recta staret, non pateretur illa quæ patitur. Annon videntur tibi abjectæ esse animæ, quæ vigilantiam suam perdiderit, ea quæ illi dicunt et faciunt animo ebrii? Est et aliud furoris genus hoc gravius. Quodnam illud? Quando neque iram remitti sustinent, sed apud se alunt, quasi domesticum carnificem ulciscendi se cupiditatem. Illos enim primos hæc cupiditas hic perdit, ut futura prætercam. Nam quantum putas esse tormentum hominis animo perculsi, singulis diebus meditantis, quo pacto inimicum ulciscatur? Primo seipsum punit, et inflatum plectit, contra seipsum pugnans et incensus. Necesse enim est ignem semper in te ardere: et febrim tantum intendens, non sinis decrescere, putasque te illi malum inferre; ipse vero teipsum tabefacis, flammam semper vigentem gestans, nec sinens animam quiescere, sed effcratus semper, et in perturbatione et tempestate mentem retinens.

5. Quid hoc furore deterius, semper ita dolere, inflari, ardere? Tales enim sunt vindictam meditantium animæ: ubi viderint eum, quem ulcisci cupiunt, statim concitantur; si vocem audierint, decidunt, tremunt; si in lecto decumbant, mille sibi depingunt ultionis genera, suspendentes, torquentes inimicum illum: ad hæc, si illum clarum et conspicuum viderint, papæ, quantum supplicium! Dimitte illi peccatum, teque a tormento exime. Cur semper cruciatus perseveras, ut illum semel ulciscaris et punias? quid paras tibi hecticum morbum? cur animum tuum liberari volentem detines? Ne usque ad vesperam maneat, inquit Paulus (*Ephes.* 4. 26). Sicut enim tabes quædam et tinea, sic mentis nostræ radicem rodit. Cur feram includis in visceribus tuis? Melius esset serpentem et viperam in corde esse, quam iram et ulciscendi cupiditatem: nam illa reptilia statim a nobis abscederent; hæc autem semper manet, semper dentibus laniat, virus immittit, molestarum cogitationum exercitum producit. At hæc facio, inquies, ne me rideat, ne contemnat. Miser homo et ærumnose, non vis a conservo irrideri, sed odio haberi a Domino

tuo [1]? non vis despici a conservo, sed Dominum despicis? despici ab illo non pateris, Deumque putas non indignari, quod ipsum derideas, quod ipsum spernas, dum non vis ipsi obtemperare? Quod autem ille non te deridebit, hinc manifestum est. Si te ulciscaris, hinc magnus risus, magnus contemptus; nam pusillanimitatis est opus: si vero dimiseris, magnum miraculum; magnanimitatis enim hoc opus est. At ille, inquies, id ignorat. Sciat Deus, ut majorem habeas mercedem. In fœnus date, inquit, iis, a quibus nihil accipere speratis (*Luc.* 14. 14). Sic beneficia præstemus iis, qui non sentiunt se beneficiis affici, ut ne vel laudem vel aliquid aliud nobis rependentes, mercedem nobis minuant. Cum enim nihil ab hominibus accipimus, tunc majora a Deo accipiemus. Quid autem risu dignius, quid frigidius anima quæ semper irascitur et se vult ulcisci? Muliebre ac puerile propositum est. Nam ut illa contra inanimata etiam irascitur, et si pavimentum non percutiat, non remittit iram: ita et hi eos, qui se afflixerunt, ulcisci volunt. Ergo et ipsi risu digni: nam iræ subjectum esse, puerilis est animi; iræ imperare, strenui viri est. Ergo non nos irridemur, si philosophi simus, sed illi. Non est illud contemptibilium hominum, a passione non vinci: contemptibilium hominum est exterorum risum timere, ita ut ideo extollaris, animi morbo subjiciaris, Deum offendas, et te ulciscaris. Hæc vere sunt risu digna. Hæc ergo fugiamus. Dicat se, qui nos sexcentis impetivit malis, nihil passum esse mali: dicat se, si in nos iterum debacchetur, nihil esse passurum. Non aliter nostram prædicaret virtutem, non alia quæreret verba, si nos laudare vellet, quam hæc, quæ ut nos mordeat profert. Utinam omnes hæc de me dicerent: Frigidus homo et miser est: omnes ipsi contumeliam inferunt, et ipse fert; omnes insiliunt, et ille non se ulciscitur. Utinam adderent: Neque si velit, potest; ut mihi laus esset a Deo, et non ab hominibus. Dicat, quod ob timiditatem non nos ulciscimur. Nihil hoc nobis nocet, quando Deus scit; sed thesaurum nostrum in majori ponit custodia. Si illos spectemus, ab omnibus excidemus. Ne videamus quid dicant, sed quid nos deceat. At illi, Ne me quis irrideat, inquiunt, ne quidam glorientur. O stultitiam! Nemo qui me læserit me irrisit, inquiunt; id est, ultus sum illum. Atqui hac de causa irridendus es, quia ipsum ultus es. Undenam hæc verba inducta sunt, turpia et perniciosa, quæ vitam nostram et rempublicam subvertunt? nonne, quia Deo adversantia loquimur? Quod enim Deo reddit æqualem, nempe non se ulcisci, id tu risum reputas esse. Nonne ideo risu digni sumus, et apud nos ipsos et apud gentiles, quod ita contra Deum loquamur?

[1] Alii legunt, *sed odio haberi a Domino tuo, et ab ipso despici?*

Historia reperti thesauri. — Volo quidpiam enarrare apud veteres gestum, non circa iram, sed circa pecuniam. Erat cuidam prædium, occultum thesaurum habens, inscio domino, quod ille vendidit: emptor vero cum foderet, ut plantaret et curaret, depositum thesaurum invenit. Quod cum didicisset is qui vendiderat, veniens emptorem cogebat ut thesaurum redderet, dicens se prædium vendidisse, non thesaurum. Ille contra repellebat eum dicens, se prædium cum thesauro emisse, et se hoc nihil curare. Res in litem inter ambos versa est, illo reddi sibi volente, alteroque negante. Incidentes autem in hominem quempiam litigabant; deindeque interrogarunt illum, cui deberet thesaurus adjudicari. Ille vero non sententiam tulit, dixitque se litem soluturum esse, quod ipse dominus esset. Et illis annuentibus accepto thesauro, innumera deinde mala passus est, et se didicit, jure illos ab hoc abstinuisse. Hoc et circa iram fieri oportet, ut et nos contendamus, non esse sumendam ultionem, et qui læserunt contendant, oportere se pœnas dare. Sed forsan hæc ridicula videantur. Quando enim hæc insania admodum occupat, qui modeste agunt irridentur, et inter insanientes multos, qui non insanit videtur insanire. Quamobrem obsecro, feramus, nosque contineamus, ut possimus hoc pernicioso morbo liberi, regnum cælorum assequi, gratia et miserationibus unigeniti Filii, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLII.

CAP. 19. v. 21. *His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia et Achaia, ire Jerosolymam, dicens: Postquam fuero ibi, oportet me et Romam videre.* 22. *Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi Timotheum et Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.* 23. *Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via.*

1. Satis moratus in illa civitate, vult iterum alio migrare: ideo mittit Timotheum et Erastum in Macedoniam, ipse vero manet Ephesi. Quomodo autem, initio volens in Syriam abire, in Macedoniam revertitur? Ut ostendat se non omnia ex propria virtute facere. Jam prophetat dicens: *Oportet me et Romam videre.* Hoc vero fortasse dicit, ut consoletur eos, ut qui non maneat quidem, sed rursus vicinus eorum futurus sit, et prophetia discipulorum animos excitat. Hinc mihi videtur Ephesi Corinthiis scribere ac dicere: *Nolo vos ignorare de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia* (2. *Cor.* 1. 8). Quia enim promiserat se Corinthum esse venturum, quod moras traxerit sese purgat, et tentationem memorat, quæ Demetrium spectant enarrans. Hunc enim subindicat cum dicit turbationem non minimam de via. Rursus periculum, rursus turbatio. Viden' quam sit conspicuus? Facta sunt signa duplicia: illi vero contradicebant. Sic per omnia res contexuntur. 24. *Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum.*

25. *Quos convocans, et eos qui hujusmodi erant opifices, dixit : Viri, scitis quia ex hoc artificio est nobis quæstus : 26. et videtis et auditis, quia non solum Ephesi, sed etiam fere totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit turbam multam, dicens : Non sunt dii, qui manibus humanis fiunt. 27. Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars, ne in confutationem veniat, sed et ne magnæ deæ Dianæ templum pro nihilo reputetur, destruaturque majestas ejus, quam tota Asia et orbis colit. Faciens*, inquit, *ædes argenteas Dianæ.* Et quomodo possunt ædes argenteæ fieri? Forte quasi ciboria parva : magnus enim ipsi honor erat Ephesi, ubi illorum incenso templo ita doluere, ut ne nomen quidem ejus, qui succenderat, proferri juberent. Vide ubique idololatriam a pecuniis constare. Et illi propter pecunias, et hic propter pecunias : non quasi religione periclitante, sed quasi quæstu materiam non habente. Et perpende viri malignitatem. Opulentus ille erat, et hinc illi non tantum damnum futurum erat; illis vero, utpote pauperibus multum, qui diurno quæstu victum pararent. Attamen hi nihil dicunt, sed ille tantum : artis vero socii cum essent, tumultus consortes assumit. Deinde etiam periculum exaggeravit, dicens : *Hæc periclitatur nobis pars, ne in confutationem incidat.* Hoc enim fere significat : Ab hac arte in famem delabi periclitamur. Atqui poterant dicta illa ipsos ad piam religionem adducere; sed miseri ac viles cum essent, insurgunt magis, nec cogitant, si hic homo talia possit, ut omnes convertat et dii periclitentur, quantus sit illius Deus : et quod multo magis ipse nobis illa dabit, pro quibus timemus. Jam præoccupaverat illorum animos, dicens : *Non sunt dii, qui manibus humanis fiunt.* Vide pro qua re indignentur gentiles : quia dixerat : *Qui ab hominibus facti sunt, non sunt dii.* Ubique in artem sermonem convertit. Deinde quod maxime in angorem conjicere poterat, dicit, *Non solum hæc pars periclitatur*; id est, aliorum nobis nulla cura est, sed quod magnæ deæ Dianæ templum destrui periclitetur. Deinde ne videatur lucri causa hæc dicere, vide quid addat : *Quam orbis colit.* Viden' quomodo majorem ostendat Pauli virtutem, omnes ærumnosos et miseros illos ostendens, si homo pulsus et tentoriorum artifex talia potest? Vide testimonia de apostolis ab ipsis inimicis reddita. Illic quidem dicebant : *Ecce implestis Jerusalem doctrina vestra* (*Act.* 5. 28); hic, *Futurum est, ut destruatur Dianæ majestas* : tunc audiebant, *Qui subverterunt orbem terrarum, hic adsunt* (*Ibid.* 17. 6); nunc, *Periclitatur nobis hæc pars in confutationem venire.* Sic Judæi de Christo dicebant : *Videte quod mundus post ipsum vadat*; et, *Venient Romani, et tollent nostram civitatem* (*Joan.* 12. 19. et 11. 48). *His autem auditis, repleti sunt furore.* Unde furor ille? Quando de Diana audierunt, quando de lucri jactura. Talis enim forensium mos est, levi de causa abripi et accendi. Idcirco cum examine omnia sunt agenda. Vide autem quam despiciendi essent, qui ab omnibus commoverentur. 28. *His auditis repleti sunt ira, et exclamaverunt, Magna Diana Ephesiorum. 29. Et impleta est civitas confusione : et impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto autem Gaio et Aristarcho Macedonibus, Pauli comitibus, traxerunt illos.*

2. Sine causa rursus invadunt sicut Jasonem Judæi, et ubique sunt parati : ita nullam vel gloriæ vel famæ rationem habebant. 30. *Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. 31. Quidam autem de Asiæ principibus, qui erant ejus amici, miserunt ad eum rogantes, ne se daret in theatrum.* Rogant quia incondita turba erat, quæ cæco impetu omnia audebat. Et Paulus obtemperat : neque enim erat vanæ gloriæ cupidus vel ambitiosus. 32. *Alii itaque aliud clamabant : erat quippe incompositus cœtus.* Talis est turba populi : temere sequitur, sicut ignis in stipulam incidens. *Plerique autem nesciebant cur convenissent. 33. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis.* Propellebant Judæi ex divina dispensatione, ut nihil possent ultra contradicere. Hic propellitur, loquitur, et quid dicat audi. *Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo. 34. Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta est una omnium, quasi ad duas horas clamantium : Magna Diana Ephesiorum.* Puerilis vero mens : quasi timentes, ne exstingueretur cultus eorum, frequenter clamabant. Ad duos annos ille sedit, et vide quot adhuc gentiles. 35. *Cum autem sedasset scriba turbas, dixit : Viri Ephesii, quis est hominum qui nesciat, Ephesiorum civitatem magnæ Dianæ esse neocorum et Diopetis?* Hoc primum furorem illorum exstinxit. *Et Diopetis.* Hoc dicit, cum non sit res manifesta. Aliud sacrum ita vocabatur Diopetes : vel idolum Dianæ Diopetes vocabant, quod ex Jove testa illa delapsa esset, nec ab homine facta fuisset : vel aliud idolum apud illos sic vocabatur. 36. *Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, et nihil temere agere. 37. Adduxistis enim viros hos neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram.* Atqui totum mendacium est : ista autem ad populum compescendum dixit. 38. *Quod si Demetrius, et qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, et proconsules sunt : accusent invicem. 39. Si quid autem de aliis rebus quæritis, in legitimo conventu solvetur. 40. Nam et periclitamur argui seditionis hodiernæ, cum nulla sit causa, unde possimus reddere rationem hujus tumultus. Et his dictis cœtum solvit.* Legitimum conventum dicit. Nam secundum legem tres conventus fiebant singulis mensibus : hic vero conventus illegitimus erat. Deinde terruit illos dicens : *Periculum est, ne accusemur seditionis.* Sed superius dicta repetamus. *His completis*, inquit, *proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia et Achaia, ire Jerosolymam.* Non jam humana ratione agit, sed Spiritu, quo transire decrevit : id enim sibi vult illud, *Proposuit*, et hic est dictorum sensus. Cur autem mittat Timotheum et Erastum, non dicit : videtur autem mihi etiam de hoc dici, *In Spiritu. Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis* (1. *Thess.* 3. 1). Et vide, duos ex mi-

magistris suis misit, ut et adventum suum annuntiarent et promptiores illos redderent. Maxime in Asia versatur: et merito: illic enim erat magnus philosophorum cœtus. Et veniens, rursus illos alloquebatur: magna quippe illic erat superstitio. *Demetrius enim quidam*, inquit, *argentarius collectis istius artis opificibus dixit: Viri, scitis et videtis et auditis;* ita manifestum illud erat: *quod hic Paulus suadens subvertit multam turbam.* Itaque non violenter, si suasit: ita persuadenda civitas est. Deinde adducit id, quod illos mordebat: *Quod non sunt dii, qui manibus humanis fiunt.* Quid est hoc? Subvertit, inquit, artem nostram. Ne vero cogitarent et dicerent, quod solus homo talia possit; et quod, si tantum possit, illi obsequi oporteat: addidit: *Quam tota Asia et orbis colit.* Vocem suam putabant divino Spiritui obfuturam, cum Græci pueri essent. Ex hoc, inquit, opificio lucramur. Et si ex hoc opificio vobis lucrum sit, quomodo homo vilis suadere potuit? quomodo tantæ consuetudini prævaluit? quid fecit, quid dixit? Non est Pauli, non est viri. Et hoc sufficit dixisse, *Non sunt dii.* Si ergo ita facile deprehenditur impia religio, jam olim damnatam oportebat; si vero solida sit, non tam cito tolli potest. *Non modo autem*, inquit, *hoc periclitatur nobis.* Quasi quid majus dicens, hoc subdidit. *His auditis repleti furore clamabant: Magna Diana Ephesiorum.* In singulis enim civitatibus dii proprii erant. Ac sic affecti erant, quasi voce sua cultum ejus restituerent, et quæ facta erant dissolverent.

3. Vide inconditam turbam. *Paulo autem*, inquit, *volente intrare in populum, non permiserunt discipuli.* Paulus igitur ingredi volebat concionandi causa: persequutiones enim ad doctrinam captabat; sed discipuli non permittebant. Perpende quanta erga ipsum semper providentia utantur. Et ab initio ipsum eduxerunt, ne letalem acciperet plagam: quamquam audierant, quod oporteret ipsum Romam videre; attamen prohibent. Non sine providentia autem prænuntiavit, ne de re gesta turbarentur. Ita nolebant illum aliquid pati. *Et quidam principum Asiæ*, inquit, *rogabant illum, ne intraret in theatrum.* Promptum ejus animum videntes obsecrabant: adeo illum fideles omnes amabant. Et cur, inquies, Alexander voluit rationem reddere? num et ipse accusabatur? Ut inventa opportunitate totum subverteret, et populi furorem exstingueret. Vidistin' furorem tumultuosum? Bene et increpantis more scriba: *Quis est*, inquit, *qui nesciat Ephesiorum civitatem?* Sic dicit, de quo timebant; ac si diceret, Nonne colitis illam? Neque dixit, Quis est qui non noverit Dianam? sed, *Civitatem* nostram, illos compescens. *Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse.* De his redarguit, ac si diceret: Quid ergo quæritis, quasi hæc incerta essent? palam est, contumeliam in deam illam transire. Religionis obtentu lucrum suum firmare volebant. Deinde leniter perstringit eos; ostendens illos absque ratione convenisse. *Et nihil*, inquit, *temere agere.* Ostendens eos petulanter egisse, hoc dixit. *Quod si Demetrius et qui cum eo sunt, habent adversus aliquem causam, proconsules sunt.* Hac de re culpat, et ostendens non oportere privatorum criminum causa communem fieri conventum. *Nam periculum est*, inquit, *ne accusemur.* Hac re illos in angustias conjicit. *Cum nulla sit causa*, inquit, *de qua possimus hujus tumultus rationem reddere.* Vide quam prudenter vel infideles rationem reddant, et quam sapienter. Sic furorem exstinxit. Ut enim facile accenditur, perinde facile exstinguitur. *Et his dictis cœtum solvit.* Viden' Deum tentationes permittere, ac per illas discipulos excitare et vigiles reddere, ac ferventiores efficere? Ne ergo concidamus in tentationibus: ipse namque exitum dabit, ut possimus sustinere.

Ærumna amicos devincit. Comparatio domus nuptiarum cum domo luctus. — Nihil ita amicos devincit et conjungit ut ærumna; nihil ita fidelium animos constringit et colligat; nihil nobis doctoribus opportunius, ut dicta nostra audiantur. Auditor enim tranquille agens mollis est et ignavus, et moleste ferre videtur oratorem; in ærumnis vero et angustiis positus, in multum audiendi desiderium incidit. Nam cum angitur animus, undique consolationem quærit; non minimam autem sermo affert consolationem. Cur ergo, inquies, Judæi cum affligerentur, ex pusillanimitate non audiebant? Quia Judæi erant, semper imbecilles et miseri: alioquin vero magna ibi angustia erat; nobis autem de mediocri est sermo. Vide porro: exspectabant illi liberari a malis præsentibus, et in graviora innumera incidebant: hoc autem non leviter animum in mœrorem trahit. Ærumnæ nos ab hujus mundi affectu abstrahunt: statim vero mortem petimus, nec sumus corporis amatores; quod est philosophiæ pars maxima, non deditum nec addictum esse præsenti vitæ. Afflicta anima non vult multis hærere, sed recreationem tantum quamdam et quietem amat: optat a præsentibus eripi, etiamsi nihil aliud sit. Ut corpus defatigatum et in miseria versans, non vult amare nec ventri servire, sed quiescere et tranquille agere: sic et anima innumeris macerata malis, ad quietem et tranquillitatem festinat. Illa, quæ in quiete agit, stupida est, turbatur, sublimis fertur; hæc vero nihil ad quod inhiet, nihil fluxum habens, tota constringitur, nec sublime sapit: et illa fortior, hæc puerilior est; illa gravior, hæc levior. Et sicut si quid in profundam aquam incidat, si leve sit fluctuat: sic et anima in gaudium multum incidens. Maxima vero peccata a multa voluptate nobis oriri videre est. Et, si placet, domos duas describamus; alteram nuptiarum, alteram luctus: in utramque mente ingrediamur: videamus utra sit melior. Luctus domus invenietur philosophia plena, domus vero nuptiarum turpitudine. Vide namque: turpia illic verba sunt, risus inconditus, gressus incompositi, vestis et incessus turpitudine plenus, gestus insania et stultitia multa: in summa nihil ibi, quam risus et derisio. Non de ipsis nuptiis dico, absit; sed de iis, quæ nuptias comitantur. Tunc natura debacchatur: qui adsunt ex hominibus bruta fiunt, alii ut equi hinniunt, alii ut asini calcitrant: magna dissolutio, magna

confusio : nihil strenuum, nihil generosum : multa isthic diaboli pompa, cymbala, tibiæ, cantica fornicationis et adulterii plena. At ubi luctus est, non item; sed omnia bene ordinata : magnum silentium, magna quies, magna demissio; nihil incompositum, nihil inordinatum : si quis loquatur, verba philosophiæ plena fundit; quodque mirum est, illo tempore non viri solum, sed etiam domestici et mulieres philosophantur. Talis enim est luctus natura. Et videntur quidem lugentem consolari, plurima autem dogmata proferunt philosophiæ plena. Preces statim, ut hic sistat afflictio, multique sunt qui afflictum consolantur, et enumerationes mille fiunt eorum, qui similiter lugent. Quid est enim homo? Naturæ nostræ perquisitio.

4. *Homo quid sit. Theatrorum turpitudo.*— Quid est ergo homo? Vitæ et vilitatis ejus accusatio, commemoratio futurarum rerum et judicii. Unusquisque autem recedit domum : qui a nuptiis, mœstus, quod non res prospera sit; qui a luctu, remissus et quietus, quia non similia passus est, et omni exstincto ardore discessit. Sed quid? vis carceres et theatra conferamus? Ille namque ærumnæ, hic voluptatis est locus. Age ergo videamus, quæ ex utrisque contingant. Illic philosophia multa : ubi enim mœror, ibi omnino philosophia. Qui antea dives erat, qui admodum inflatus, jam e vulgo quemvis se alloqui permittet, metu mœroreque igne vehementius in animam ejus incidente et duritiem emolliente : tunc humilis, tunc mœstus evadet, tunc sæcularem mutationem sentiet, tunc fortis erit ad omnia. In theatro autem omnia contraria sunt, risus, turpitudo, pompa diabolica, effusio, insumptio temporis, impensa dierum inutilis, apparatus ad absurdam concupiscentiam, adulterii meditatio, scortationis gymnasium, intemperantiæ schola, adhortatio ad turpitudinem, risus occasio, fœditatis exemplum. At non talis est carcer; sed illic humilitas, exhortatio, stimulus ad philosophiam, sæcularium contemptus : omnia conculcantur, omnia spernuntur, et metus quasi puero pædagogus adest, ad decora omnia illum instituens. Sed si vis iterum eadem loca alia ratione exploremus. Vellem occurreres viro ex theatro venienti, et alii cuipiam e carcere exeunti : videresque illius animam fastidientem, turbatam, vere vinctam; hujus vero quietam, solutam, liberam. Ille namque ex theatro recedit, oculis captus theatralium amore mulierum, ferro durioribus vinculis constrictus, id est, locis ipsis, verbis, gestibus : qui autem e carcere exit, omnibus solutus, non jam se putat quidpiam pati, sua cum alienis comparans. Quod non vinctus sit, id pro gratia habebit, res humanas despiciet, divites multos videns in calamitatibus, qui cum multa magnaque possint, isthic ligantur : etiamsi quid injuste patiatur, id tolerabit : hujusce namque rei multa habet exempla : memoria repetet futurum judicium, et exhorrescet, dum illa loca respiciet. Sicut enim hic in carcere inclusus, mitis erga omnes est : sic et illi ante judicium, ante futuram illam diem, erga uxorem, erga filios, erga domesticos erunt mansuetiores. Sed a theatro non sic revertuntur; sed vir injucundius videbit uxorem, durus erit erga domesticos, erga filios asper, efferabitur adversus omnes. Magna mala civitatibus theatra pariunt; magna, nec scimus quanta. Si autem non fatigamini, examinemus illa risus loca, convivia dico, ubi parasiti et adulatores et magnæ deliciæ; et loca alia, ubi claudi et mutili. Illic ebrietas, deliciæ, effusio; hic vero contraria. Vide et in corpore, quando pingue et vegetum est, tunc celerius in morbum cadit; cum vero castigatum est, non item. Ut autem id vobis clarius explicem, sit corpus sanguine et carnibus bene instructum ac vigens : hoc vel ex levi cibo poterit in febrim incidere, si quidem in otio sit. Sit et aliud, quod cum fame concertet et ærumnis : illud ab ægritudine difficilius capitur et superatur. Sanguis licet sanus sit in nobis, ex redundantia sæpe morbos peperit; si autem sit modicus, nec tamen sanus, facile curari potest. Sic et de anima dicendum : quæ in otio et in deliciis est, ad peccata proclivis fertur : nam arrogantiæ vicina est, voluptati, vanæ gloriæ; invidiæ, insidiis, sycophantiis : at non ea, quæ in ærumnis et frugalitate degit; hæc enim ab iis omnibus liberatur. En quam ampla est nostra civitas. Unde igitur nascuntur mala? nonne a divitibus? annon a gaudentibus? Quinam ad tribunalia trahunt, quinam facultates dilapidant? an miseri et abjecti, an illi qui multum inflantur et gaudent? Ab anima in ærumnis versante non potest aliquid mali oriri. Illius lucrum novit Paulus; ideoque dicit : *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit* (*Rom.* 5. 3-5). Ne ergo concidamus in ærumnis, sed in omnibus gratias agamus, ut multum lucremur; ut probati simus apud Deum, qui ærumnas permittit. Magnum est afflictio bonum : et hoc a pueris nostris discimus; nam sine castigatione nihil utile puer didicerit. Nos vero magis quam illi afflictione opus habemus. Nam si illi, cum animi motus sedati sunt, florent; multo magis nos, cum maxime tot tantisque detineamur. Sed nos magis pædagogis egemus : puerorum enim peccata non tanta sunt, nostra vero peccata maxima. Pædagogus noster est afflictio. Ne itaque illam attrahamus, et præsentem fortiter feramus, quæ semper est innumerorum causa bonorum; ut et Dei gratia fruamur, et bonis quæ reposita sunt iis, qui diligunt illum, in Christo Jesu Domino nostro, quicum Patri et Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIII.

CAP. 20. v. 1. *Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis iisque salutatis, profectus est ut iret in Macedoniam.*

1. Multa opus erat consolatione post tantum tumultum. Hoc ille curat, et ut discipulos consoletur, migrat in Macedoniam, deinde in Græciam. Et quod multum illos consolatus sit, audi. 2. *Cum autem perambulasset partes illas, et exhortatus fuisset eos multo sermone, venit in Græciam.* 3. *Et cum ibi fuisset mensibus tribus, cum essent illi structæ insidiæ a Judæis navigaturo in Syriam, consilium iniit, ut reverteretur per Macedoniam.* 4. *Comitatus est autem eum usque in Asiam Sopater Berœensis, Thessalonicensium vero Aristarchus et Secundus et Gajus Derbæus et Timotheus, Asiani vero Tychicus et Trophimus.* 5. *Hi cum præcessissent, nos exspectarunt in Troade.* Rursus persequutionem patitur a Judæis, et venit in Macedoniam. Quomodo autem Timotheum Thessalonicensem dicit? Non hoc dicit; sed, Hi, inquit, præcesserunt in Troadem, viam illi parantes. 6. *Nos vero navigavimus post dies Azymorum a Philippis, et venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem.* Nam videtur mihi illum dies festos transigere curavisse in magnis urbibus. A Philippis navigat, ubi res illa circa carcerem contigerat. Tertia autem vice in Macedoniam venit, et multum testificatur de Philippensibus; ideoque illic demoratur. 7. *Una autem sabbatorum, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus; protraxitque sermonem usque in mediam noctem.* Vide quomodo omnia posthaberentur prædicationi. Pentecoste tunc erat, et dies Dominica; ille vero usque ad noctis dimidium sermonem protraxit; adeo discipulorum salutem cupiebat, ut ne noctu quidem taceret; imo tunc magis dissereret, quod quies tunc esset. Vide quam multum dissereret, etiam post ipsum cœnæ tempus. Sed festum turbavit diabolus, nec tamen prævaluit, cum auditorem in somnum demersit et dejecit: quod ut contigerit, sic enarrat pergendo: 8. *Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati.* 9. *Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, et sublatus est mortuus.* 10. *Cum descendisset Paulus, incubuit super eum, et complexus dixit: Nolite turbari; anima enim ejus in ipso est.* 11. *Ascendens autem, frangensque panem et gustans, satisque alloquutus usque in lucem, sic profectus est.* 12. *Adduxerunt autem puerum viventem, et consolati sunt non minime.* Vide, quæso, theatrum, ut erant una coacti: Congregatis enim discipulis, inquit; etiamque signum quale fuerit perpende: in fenestra namque sedebat, inquit, et intempesta nocte. Tantum erat auditorum desiderium. Erubescamus nos, qui neque in die hoc facimus. Sed Paulus, inquies, tunc disserebat. Quid dicis? Nunc quoque Paulus disserit; imo vero neque tunc neque nunc Paulus, sed Christus, et nemo audit. Non fenestra nunc est, non fames, non somnus interturbat; et tamen non audimus: non est angustia loci, non aliud quidpiam simile. Quodque mirum est etiamsi adolescens esset, non erat piger, et somno gravatus non discessit, neque periculum formidavit, ne laberetur. Quod si dormitans deciderit, ne mireris; neque enim ex ignavia dormitabat, sed ex naturæ necessitate. Tu vero consideres, velim, illos tanto studio motos fuisse, ut etiam in tertio cœnaculo essent; nondum enim erat ecclesia. *Nolite turbari*, inquit; *anima enim ejus in ipso est*. Non dixit, Resurget, suscitabo enim illum; sed quid? *Nolite turbari*. Vide quam sit a fastu alienus, quam ad consolandum pronus. *Ascendens*, inquit, *et frangens panem et gustans*. Hoc sermonem interpellavit, nec læsit. Viden' cœnæ frugalitatem? *Et gustans*, inquit, *satisque alloquutus usque ad lucem, sic profectus est*. Viden' quomodo pernoctarent? Tales erant mensæ, ut sobrii discipuli abirent, et ad audiendum prompti. Quid nos a canibus differimus? Videte quantum sit discrimen. *Adduxerunt autem puerum viventem*[1], *et consolati sunt non minime*. Magnam accipiunt consolationem, tum quia vivum acceperunt, tum quia signum factum est. 13. *Nos autem ascendentes navim, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum: sic enim disposuerat ipse, per terram iter facturus.* 14. *Cum autem convenissemus in Asson, assumpto eo venimus Mitylenen.* Sæpe Paulus a discipulis segregatur. Ecce namque jam ille pedes iter facit, illi vero navi: quod levius erat illis cedit, quod molestius ipse assumit. Pedes ibat, tum ut multa dispensaret, tum ut doceret illos, ne ab se separarentur. 15. *Et inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium; sequenti vero appulimus Samum, et manentes Trogylii, sequenti die venimus Miletum.* Vide quomodo festinante Paulo pergunt, nec moras trahunt, sed prætereunt insulas. 16. *Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ut neque mora illi esset in Asia. Festinabat autem si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes ageret Jerosolymis.*

2. Quæ hæc festinatio? Non propter festum, sed propter multitudinem. Simul Judæos ex eo alliciebat, quod festivitates coleret; simul et inimicos rapere sibi cupiens, festinabat verbum annuntiare. Vide ergo quantum factum sit lucrum, omnibus præsentibus. Alias vero, ne Ephesii negligerentur, alio dispensavit modo. Sed superius dicta repetamus. *Et salutatis*, inquit, *discipulis, profectus est, ut iret in Macedoniam, et exhortatus eos sermone multo, venit in Græciam.* Et sic rursum recreavit, magnam dans consolationem. Vide ubique illum sermone omnia perficientem, non vero signis. *Navigaturum*, ait, *in Syriam*. Continuo nobis illum ostendit festinantem in Syriam. In causa erat Ecclesia et Jerosolyma; sic desiderabat et quæ illic erant ordinare. Atqui non magna Troas est;

[1] Hæc, *Adduxerunt autem puerum viventem*, desunt in quibusdam.

cur ergo per septem dies illic manent? Magna fortasse erat secundum fidelium numerum. Et cum dies septem ibi mansisset, sequenti noctem in docendo insumpsit: ita ægre ipse ab illis, illi ab ipso divellebantur. *Cum convenissemus*, inquit, *ad frangendum panem*. Ab ipso tempore, quo esurire monstrabatur (nec erat illud intempestivum), sermo cœptus extensus est: ita ut cum non præcipue convenissent ad doctrinam, sed ad frangendum panem, ubi in sermonem incidit, doctrinam extendit. Vide quomodo mensæ Pauli omnes participes essent. Videtur mihi, ipsum ad mensam sedentem disseruisse, nos docentem his omnia esse postponenda. Imaginamini domum illam, in qua lampades erant, ubi turba, ubi Paulus medius disserebat, ubi fenestras multi occupabant, ut tubam illam audirent, et gratiosum vultum inspicerent. Quales fuisse auditores, et quantam hinc accepisse voluptatem putas? Cur autem noctu disserebat? Quia migraturus erat, et non ultra ipsum visuri erant: verum hoc non illis, utpote infirmioribus, dicit, sed aliis dicebat. Quin et patratum miraculum id efficiebat, ut semper noctis illius memoriam servarent. Magna auditorum voluptas, quæ etiam interturbata magis adaucta fuit; atque ita in doctoris gratiam casus ille evenit. Alioquin vero ignavos omnes ille increpaturus erat, qui mortuus est, ut Paulum audiret. Et cur, inquies, singula recenset et unde venerint, et quo migrarint, et quare ille demoratus sit, ac quas etiam partes præternavigarit? Ut interim ostenderet, illum lentiore cursu navigasse, idque humana ratione, atque etiam præternavigasse. *Proposuerat enim præternavigare Ephesum, ut nec mora*, inquit, *illi esset in Asia*. Bene: non enim potuisset, si illo venisset, præternavigare, quia noluisset contristare illos, qui ipsum precaturi erant ut maneret. Vel hac de causa certe, vel quod festinaret. *Festinabat enim*, inquit, *ut si possible esset diem Pentecostes ageret Jerosolymis*. Ideo igitur manere non poterat. Vide illum etiam humana ratione moveri, cupere, festinare, et sæpe optatum non assequi. Ideo autem hæc fiunt, ut ne putemus ea fuisse supra humanam naturam. Sancti quippe et magni illi viri ejusdem erant, cujus nos, naturæ; ejusdem voluntatis non item: ideoque sæpe gratiam attrahebant. Vide ergo, quanta per seipsos provideant. Ideo dicebat: *Ne demus offensionem volentibus* (2. *Cor*. 6. 3); et rursum, *Ut non vituperetur ministerium nostrum*. Ecce et inculpata vita, et multa indulgentia. Hoc appellatur œconomia, in culmine et fastigio virtutis esse, et humilitatem exhibere. Et audi quomodo is, qui præcepta Christi transcenderet, omnium tamen humillimus esset. *Omnibus omnia factus sum*, inquit, *ut omnes lucrifaciam* (1. *Cor*. 9. 22). Idem etiam in pericula se immisit, ut alibi ait: *In patientia multa, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus* (2. *Cor*. 6. 4. 5). Magnus item erat ejus amor erga Christum. Nisi enim ita fuisset, omnia superflua futura erant, et dispensationes, et inculpata vita, et pericula. *Quis infirmatur*, inquit, *et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (2. *Cor*. 11. 29)?

5. *Omnia propter fratres subeunda. Dum retributio differtur, augetur donum.*— Hæc et nos, obsecro, verba sectemur, et propter fratres nostros in pericula nos conjiciamus. Sive ignis, sive ferrum adsit, teipsum conjice, dilecte, ut membrum tuum eruas; conjice te, ne timeas. Discipulus es Christi, qui propter fratres suos animam posuit: condiscipulus es Pauli, qui millia pati voluit pro inimicis et se impugnantibus: zelo repleris, imitare Moysem. Vidit ille injuste læsum et ultus est: regias delicias contempsit, et propter afflictos profugus fuit, erro, cognatis destitutus et domo: in aliena terra degit tanto tempore, nec seipsum reprehendit, neque dixit: Quid hoc est? Regnum despexi; tantum honorem et gloriam: malui læsos ulcisci, idque Deus despexit, neque modo me in pristinum honorem non reduxit, sed etiam quadraginta annis in aliena terra dego. Bene scilicet: non enim mercedem accepi. Sed nihil horum vel dixit, vel cogitavit. Sic et tu facito: etiamsi, dum beneficia præstas, aliquid patiaris, etiamsi ad multum tempus, ne offendaris neque turberis: omnino mercedem tibi Deus retribuet. Quanto magis retributio differtur, tanto magis augentur fœnora. Habeamus ergo animam commiserationi deditam, condolere scientem: nihil apud nos sit inhumanum vel crudele. Si nihil possis afferre, lacrymare, ingemisce, de iis quæ fiunt dole: hæc non tibi frustra cedent. Si iis, qui a Deo puniuntur, condolere oportet, multo magis iis, qui ab hominibus injuste patiuntur. *Non egrediebantur*, inquit, *Ænan ad plorandum domum suam vicinam. Accipient dolorem pro eo, quod ædificaverunt ad derisionem.* Hac de re accusat Ezechiel, quod non condoluerint. Quid dicis, propheta? Deus punit, et ego condolerem iis, qui puniuntur? Etiam: hoc enim vult is ipse qui punit: neque enim ille puniendo oblectatur, imo potius dolet. Quia igitur ille qui punit non lætatur, neque tu læteris. Sed si juste, inquies, puniuntur, non dolere oportet. Etiam propter hoc dolendum, quod digni supplicio visi fuerint. Dic vero mihi, cum videris filium tuum uri vel secari, nonne doles? Certe doles, et non dicis tibi ipsi: Quid hoc? ad sanitatem sectio spectat, et pro liberatione est ustio: attamen cum audis ululantem, nec dolores ferentem, doles; nec sufficit illa sanitatis spes ad tollendam naturæ perturbationem. Ita et in istis, etiamsi ad sanitatem puniantur, attamen circa illos fraternum affectum exhibeamus, paternamque voluntatem. Sectiones et ustiones sunt pœnæ a Deo illatæ; sed ideo flere debemus, quod ægrotaverint, quod tali opus habuerint medicina. Si quis pro coronis hoc patiatur, tunc ne doleas, ut Paulus et Petrus: quando autem jure dat pœnas, tunc lacrymare, tunc ingemisce. Tales erant prophetæ. Quapropter unus illorum dixit: *Hei mihi, Domine, delebis tu reliquias Israel* (*Ezech*. 9. 8)? Homicidas et sceleratos sæpe plecti videmus, et cruciamur dolemusque. Ne ultra

modum philosophi simus, sed misericordes [1], ut misericordiam consequamur: nihil huic bono par: nihil ita humanum ostendit characterem, ut misericordia. Ideo leges carnificibus omnia permittunt, judicem cogentes tantum usque ad sententiam ulcisci; illos vero ad opus educunt. Ita etsi juste fiat, non est animi philosophi punire, sed alio opus est: nam neque Deus per seipsum punit, sed per angelos. Carnifices ergo sunt angeli? Absit, non hoc dico; sed ultrices potestates sunt. Cum Sodoma subversa est, per illos omnia facta sunt; quando quæ in Ægypto acciderunt, per illos item. *Immissionem*, inquit, *per angelos malos* (*Psal.* 77. 49). Cum ergo servare oportet, per seipsum hoc facit: ita et Filium suum misit ad salutem generis nostri. Et rursum: *Tunc*, inquit, *dicam angelis: Congregate mihi eos, qui faciunt iniquitatem, et mittite in caminum* (*Matth.* 13. 41. 42). De justis vero non sic, sed, *Qui recipit vos, me recipit* (*Id.* 10. 40); et rursum, *Ligate manus ejus et pedes, et mittite in tenebras exteriores* (*Matth.* 22. 13). Vide illic servos, qui ministrant. Cum autem beneficia præstanda, ipse præstat, ipse vocat: *Venite benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum* (*Id.* 25. 34). Quando loquendum est cum Abraham, ipse venit: quando Sodomam abire oportet, servos mittit (*Gen.* 19. 1), sicut judex qui exsuscitat punituros. Et rursum: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam* (*Matth.* 25. 21). Huic quidem ipse benedicit; illum vero improbum non ipse, sed servi ligant. Hæc cum sciamus, ne gaudeamus de iis, qui puniuntur, sed doleamus: hos lugeamus, hos fleamus, ut et ideo mercedem habeamus. Nunc vero multi etiam de iis, qui injuste mala patiuntur gaudent. Sed non ita nos faciamus, omnemque commiserationem exhibeamus, ut et ipsi a Deo misericordiam consequamur, gratia et benignitate Unigeniti ejus, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Ita juxta Savil. legendum est, recte. In Montef. et Commelin. legitur..... *cruciamur dolemusque, nec dicimus: Ne ultra modum. Philosophi simus, misericordes.*

HOMILIA XLIV

CAP. 20. v. 17. *A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit presbyteros Ecclesiæ.* 18. *Qui cum venissent ad eum, dixit eis: Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim,* 19. *serviens Domino vobiscum cum omni humilitate et multis lacrymis et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum,* 20. *quomodo nihil subtraxerim utilium, quin annuntiarem vobis, et docerem vos publice et per domos;* 21. *testificans Judæis atque gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.*

1. *Pauli modestia.* — Vide quam urgeat ad prænavigandum, nec negligat, imo omnibus provideat, accersens principes, et cum illis sermonem habens. Et admiratione dignum est, quomodo in necessitate positus magna quædam de se dicendi, conetur modestia uti. Sicut enim Samuel traditurus imperium Saüli, Judæis dicit: *Num quidpiam a vobis accepi, vos testes estis et Deus* (1. *Reg.* 12. 5); et David cum fides non haberetur ei, ait: *In ovili eram pascens oves patris mei; et cum venit ursus, manibus ipsum discerpsi* (1. *Reg.* 17. 34. 35): et ipse Paulus Corinthiis ait: *Insipiens fui: vos me coegistis* (2. *Cor.* 12. 10). Deus quoque idipsum facit, non simpliciter de seipso dicens: sed quando ei non creditur, beneficia profert. Vide ergo quid hic faciat: primo illorum testimonium affert, ne putes hæc ad fastum dici, et auditores dictorum testes advocat, quod minime ipsis mentiatur. Hæc doctoris virtus est, quando bonorum operum testes habet discipulos. Quodque mirum est, non unam et alteram diem in hoc insumpsit, sed annos plurimos. *Vos enim scitis*, inquit, *quomodo vobiscum per omne tempus fuerim.* Vult igitur ipsos hortari ut fortiter ferant omnia, et separationem suam et futuras tentationes; ut de Moyse et de Jesu legimus. Et vide, quid addat: *Quomodo vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate.* Vide, quid maxime principes doceat: *Odientes*, inquit, *superbiam.* Id quod maxime principibus competit, eo quod facillime in arrogantiam tollantur. Hæc virtus est bonorum hypothesis, ut et Christus dicebat: *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* 5. 3). Nec solum, Cum humilitate, dixit; sed, *Cum omni humilitate.* Multæ enim sunt species humilitatis: est humilitas in verbo, in opere, erga principes, erga subditos. Vultis dicam vobis humilitatis modos? Sunt qui erga humiles sunt humiles, erga sublimes vero sublimes: hoc autem non est humilitas. Sunt etiam alii non tales, sed erga utrosque humilitatem et sublimitatem servant: quod etiam maxime humilitatis est. Docturus ergo illos talia, ut ne videretur arroganter efferri, prius fundamentum ponit, suspicionem tollens. Nam si cum omni humilitate fui, inquit, non ex arrogantia hæc dico. Deinde mansuetudinem declarat. *Vobiscum*, inquit, *fuerim serviens Domino*, illos boni operis socios ostendens. Sic ubique societas bona est. Communia ergo facit bona opera, et nihil sibi tribuit eximium. Quid enim, inquies? an contra Deum arrogans esse potuit? Atqui multi sunt, qui contra illum arrogantes sunt: hic vero ne contra discipulos suos quidem arrogans erat. Hoc bonum doctoris est opus, ex bonis operibus suis discipulos moderari. Deinde fortitudinem suam ostendit, quam carptim præterit. *Cum multis lacrymis et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum.* Viden' quomodo de gestis doleat? Hic vero commiserationem suam videtur indicare: mœrebat enim pro pereuntibus, pro facinorosis: nam de sibi illatis malis gaudebat. Erat enim ex illorum choro, qui gaudebant, quia digni habiti erant pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* 5. 41).

Et rursus alibi dicit : *Nunc gaudeo in passionibus meis pro vobis* (*Col.* 1. 24); et rursum : *Nunc momentanea levitas tribulationis supra modum æternum gloriæ pondus operatur nobis* (2. *Cor.* 4. 17). Verum hæc ex modestia dicit. Hic autem ostendit fortitudinem suam, nec tam fortitudinem, quam patientiam, ac si diceret : Male patiebar, sed vobiscum : quodque gravius est, a Judæis. Hic vide characterem doctrinæ : et caritatem ponit et fortitudinem. *Quod nihil subterfugerim*, inquit ; copiam simul et sedulitatem ostendit. *Eorum quæ utilia essent*. Bene certe dixit : erant enim quæ discere non oportebat. Ut vero quædam occultare, invidiæ fuisset, sic omnia dicere stultitiæ : ideo addidit, *Eorum quæ utilia essent :* ostendens se non modo dixisse, sed etiam docuisse; nec quasi perfunctorie. Quod autem hoc significet, audi sequentia, *Publice et per domos ;* et magnum laborem et studium perseverantiamque declarans. *Testificans Judæis atque gentilibus*. Non vobis solum, inquit, sed etiam gentilibus. Hic loquendi libertas adest : Etiamsi nihil proficiamus, ait, dicere tamen oportet : illud enim est testificari, quando non attendentibus loquimur : nam testificari hoc ut plurimum significat. *Testor*, inquit Moyses, *cælum et terram* (*Dan.* 4. 26) ; et nunc Paulus : *Testificans Judæis atque gentilibus in Deum pœnitentiam.*

2. Quid testificaris? Ut vitæ studium habeatur, ut pœnitentiam agant et ad Deum accedant. Neque enim Judæi noverant illum, quod Filium ignorarent, et quod nec opera haberent nec fidem in Dominum Jesum. Cur ergo hæc dicis? cur hæc commemoras? quid factum est? an quid accusandum suppetit? Postquam illorum mentem exagitavit, tunc adjicit : « 22. Et nunc ecce alligatus ego Spiritu, vado in Jerusalem, quæ in ea ventura sunt mihi ignorans : 23. nisi quod Spiritus sanctus per civitates mihi testificatur, dicens, quoniam vincula et tribulationes me manent. 24. At nihil horum vereor, neque ita animam meam pretiosam facio, ut consummare cursum meum cum gaudio, et ministerium, quod accepi a Domino Jesu, ut testificer evangelium gratiæ Dei. » Cur hæc dicit? Ut illos semper paratos reddat ad pericula et occulta et manifesta; ita ut in omnibus Spiritui obtemperent. Ostendit autem se ad magna adduci. *Nisi quod Spiritus sanctus*, inquit, *per civitates mihi testificatur, dicens*. Ut ostendat se lubentem abire, et ne vinculum aut necessitatem esse putes, *Per civitates*, dicit. Deinde subjicit : *Non ita pretiosam facio animam meam ut consummare cursum meum cum gaudio, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu*. Viden' non lamentantis esse verba, sed modeste agentis, ac docentis illos, et compatientis in iis quæ fiebant? Non dixit, Angimur, sed ferre necesse est ; sed neque, Censeo. Hoc item dicit, non sese extollens, sed illos docens, per priora quidem humilitatem, per hæc vero fortitudinem et loquendi libertatem : ac si diceret : Non amo illam præ hac : pretiosius habeo consummare cursum et testificari. Nec dixit, Prædicare, Docere ; sed quid ? *Testificari evangelium gratiæ Dei.* Quid molestius dicturus est : *Mundus ego sum a sanguine omnium :* Ideo præparat et ostendit nihil reliquum esse. Quia igitur illis totum onus et sarcinam impositurus erat, prius illorum animum emollivit, dicens : 25. *Nunc ecce ego scio, quod non amplius videbitis faciem meam.* Deinde subdidit : *Mundus sum a sanguine omnium.* Duplex est dolor, et quod faciem ejus non essent visuri, et quod illi omnes. *Non amplius*, inquit, *videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum.* 26. Itaque jure testificor vobis, utpote non ultra adfuturus, *Quia mundus sum a sanguine omnium.* 27. *Non enim subterfugi, quominus annuntiarem vobis omnem voluntatem Dei.* Vides, quomodo terret, et laborantes illorum animas afflictasque atterit? Bene, quia necessarium erat. *Non enim subterfugi*, inquit, *quominus annuntiarem vobis omnem voluntatem Dei.* Ergo qui non dicit, reus est sanguinis ; id est, cædis. Nihil hoc terribilius. Ostendit eos, si non id fecerint, reos esse sanguinis. Et videtur quidem rationem reddere, illos autem terret. 28. *Attendite igitur vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, ut pasceretis Ecclesiam Dei, quam acquisivit per proprium sanguinem.* Vides? Duo præcepit. Igitur neque alios corrigere solum habet quidpiam lucri (*Timeo* enim, inquit, *ne aliis prædicans, ipse reprobus efficiar* [1. *Cor.* 9. 27]); neque sui solius curam habere. Nam qui seipsum amat, quæ sua sunt tantum quærit, et similis est ei, qui talentum defodit. Hæc dicit, non quod pretiosior sit nostra salus quam gregis ; sed quia, si nobis ipsis attendamus, tunc et grex lucrum habet. *In quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, ut pasceretis Ecclesiam Dei.* Vide quantæ necessitates. A Spiritu ordinationem habetis, inquit : id enim sibi vult illud, *Posuit.* Una hæc est necessitas : deinde, *Ut pascatis Ecclesiam Dei.* Ecce et secunda : et tertia, *Quam acquisivit sanguine suo*, inquit. Multum ostendit, dum dicit pretiosam rem ; nec de parvis rebus esse periculum, siquidem Dominus pro Ecclesia neque sanguini suo pepercit, nos autem fratrum salutem contemnimus. Et ille quidem, ut inimicos reconciliaret, sanguinem effudit; tu vero neque amicos retinere potes. 29. *Ego enim scio hoc, quod ingredientur post discessionem meam lupi graves in vos, non parcentes gregi.* Rursus alio modo illos versat, a futuris : ut quando alibi dicit : *Non est nobis lucta adversus sanguinem et carnem* (*Ephes.* 6. 12). *Quia ingredientur*, inquit, *post discessionem meam lupi graves in vos.* Duplex malum : quod ipse non adsit, et quod futurum sit ut alii instent. Cur ergo abis, si hoc prævidisti? Spiritus me trahit, inquit.

3. Et vide, non simpliciter dixit, *Lupi*, sed addidit, *Graves*, illorum vehementiam et petulantiam subindicans; quodque gravius est, hos ex illis ipsis surrecturos esse dicit : quod certe gravissimum est, cum civile excitatur bellum. Et recte dicit, *Attendite*, ostendens rem maxime curandam esse (Ecclesia namque est), et magnum periculum (sanguine enim illam redemit), ac multum duplexque bellum. Hæc ergo significavit, dicens : 30. *Et ex vobis ipsis surgent viri*

autem apparuit Cyprus, relicta illa ad sinistram, navigamus in Syriam, et venimus Tyrum. Vide: venit in Lyciam, et trajiciens in Phœnicen, relicta Cypro, Tyrum navigavit; nam illic navis exoneranda erat. Hæc causa fuit cur Tyrum irent. 4. *Inventis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem: qui Paulo dicebant per Spiritum, ne ascenderet Jerosolymam.* Vide, prophetant illi afflictiones. Provisum autem fuit, ut et illi dicerent, ne quis putaret hæc frustra et jactandi causa Paulum dixisse. Iterum autem illic orantes, se mutuo reliquerunt. 5. *Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis usque foras civitatem: et positis in littore genibus oravimus.* 6. *Et cum valefecissemus invicem, ascendimus in navim: illi vero redierunt ad propria.* 7. *Nos autem navigatione expleta a Tyro descendimus Ptolemaidem; et salutatis fratribus, mansimus die uno apud illos.* 8. *Sequenti vero die profecti venimus Cæsaream, et ingressi in domum Philippi evangelistæ, qui erat unus ex septem, mansimus apud illum.* Cæsaream, inquit, venientes, apud Philippum, qui erat unus ex septem, mansimus. 9. *Huic autem erant quatuor filiæ prophetantes.* Sed non istæ prædicunt Paulo, licet prophetarent, sed Agabus: et quomodo audi. 10. *Et cum maneremus per dies aliquot, venit a Judæa propheta, nomine Agabus:* 11. *et cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli: et alligans sibi pedes et manus, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum, cujus est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, et tradent in manus gentium.* Qui olim famem prædixerat, hic ait: *Virum, cujus est zona hæc, sic alligabunt.* Quod prophetæ faciebant, oculis futura describentes, cum de captivitate dicebant ut Ezechiel: hoc et iste fecit. Et quod grave erat: *In manus gentium tradent.* 12. *Quod cum audissemus, rogabamus nos et qui loci illius erant, ne ascenderet Jerosolymam.* Et multi orabant, ne abiret, neque sic audivit. 13. *Respondit vero Paulus: Quid facitis flentes et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed etiam mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Domini Jesu.* 14. *Et cum ei suadere non possemus, quievimus dicentes: Voluntas Domini fiat.*

2. Vides? Ut ne audiens putes ex necessitate illud esse, *Alligatus Spiritu vado;* neve ipsum ignorantem incidisse credas; ideo hæc prædicuntur. At illi quidem flebant; hic vero consolabatur dolens de lacrymis eorum. *Quid facitis,* inquit, *flentes et affligentes cor meum?* Nihil Paulo amantius: quia lacrymantes videbat, dolebat, qui in propriis tentationibus nihil patiebatur. Me in hoc læditis, inquit: numquid ego doleo? Tunc quieverunt, quando dixit: *Quid facitis affligentes cor meum?* Super vobis ploro, inquit, non super passionibus meis: pro illis etiam mori volo. Sed supra dicta repetamus. *Argentum vel aurum vel vestem nullius concupivi,* inquit: *vos scitis, quia necessitatibus meis et iis, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Non ergo Corinthi tantum hoc fecerunt, qui corrumpebant discipulos, sed etiam in Asia. Nusquam hoc Ephesiis improperat. Quare? Quia non incidit in necessitatem. Sed et Corinthiis dicit: *Non infracta est gloriatio mea in regionibus Achaiæ* (2. *Cor.* 11. 10). Nec dixit, Non dedistis mihi; sed, *Argentum vel aurum vel vestem non concupivi;* ne videretur id esse eo, quod illi non dedissent. Neque dixit, Nullius concupivi necessaria; ut ne videretur accusatio illorum esse: sed illud subindicat, se jure non accepisse qui et alios nutriret. Vide quam studiose operaretur nocte et die colloquens cum lacrymis, singulos admonens. *Omnia ostendi vobis,* inquit, *quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos.* Hoc cum dixisset, iterum timorem incussit. Hoc autem indicat: Non potestis ad ignorantiam confugere: operibus ostendi sic oportere laborare. Nec dixit malum esse accipere; sed, melius esse non accipere. *Memores esse,* inquit, *sermonis Domini, quem dixit: Beatius est dare, quam accipere.* Et ubinam dixit? Forte illud sine scripto tradiderunt apostoli; vel ex aliis quis colligere possit. Etenim ostendit fiduciam in periculis, commiserationem erga subditos, doctrinam cum loquendi libertate, humilitatem, paupertatem: hoc autem est paupertate majus. Nam si illic ait, *Vende quæ habes, si vis perfectus esse* (*Matth.* 19. 21): cum non modo nihil accipiat, sed etiam alios nutriat, quid huic rei conferendum? Primus gradus igitur est, sua abjicere; secundus, sibi sufficere; tertius, aliis quoque; quartus, prædicantem et potestatem accipiendi habentem nihil accipere. Itaque iis, qui nihil haberent, hic multo melior erat. Ac recte dixit, *Sic oportet suscipere infirmos.* Hoc enim est commiserationis erga infirmos, ex propriis dare laboribus; ex alienis vero, non modo non bonum, sed etiam periculosum. *Et procumbentes super collum ejus,* inquit, *flebant.* Hoc illorum erga ipsum affectum ostendebat. Procumbebant autem in collum, utpote qui postremos amplexus darent, et multam ex concione dilectionem hausissent et amicitiam. Nam si nos, cum vulgo discedimus, ingemiscimus, etsi sciamus nos iterum conventuros, quomodo illi non sine doloris affectu a Paulo avulsi fuissent. Ego Paulum quoque flevisse puto. *Abstracti,* inquit. Violentiam monstrat, cum dicit, *Abstracti ab eis.* Et merito; in navim enim illi conscendere non poterant. Quid est, *Recto cursu venimus in Coum?* Ac si diceret, Non circuivimus, neque aliis in locis moras traximus. *Sequenti vero die Rhodum.*

Peregrinationum Pauli recensio. — Vide festinantem. *Et inventa navi trajiciente in Phœnicen.* Forte navis illic tunc erat, et in eam conscenderunt, non inventa alia, quæ iret Cæsaream. *Ubi autem apparuit Cyprus, relicta illa ad sinistram.* Hoc non sine causa dictum est, sed ut ostenderet, ne prope quidem illam accedere voluisse, cum recto cursu in Syriam pergerent: ita nempe festinabat. Deinde *Venimus Tyrum,* inquit; *inventisque discipulis, mansimus cum illis.* Cum essent prope Jerosolymam, non jam currunt, sed etiam manent apud fratres septem diebus. Vide jam dies enumerat. Post Azyma in Troadem venerunt diebus quinque; deinde ibi dies septem; suntque dies duodecim: deinde in Assum, Mitylenen, contra

Chium, in Trogylium, in Samum, Miletum; dies omnes sunt octodecim: postea in Coum, in Rhodum, Pataram; sunt viginti et una dies: deinde isthinc per dies quinque Tyrum; ut sint dies viginti sex: ibi postea septem dies: sunt dies triginta tres: hinc Ptolemaidem una die; sunt triginta quatuor: deinde Cæsareæ manet pluribus, quam alibi, diebus; et tunc demum inde illos abducit propheta. Sic completur dies Pentecostes, et ibi illam peragit. Vide illum, quando Spiritus non prohibebat, obsequentem. Dicebant, *Ne des te in theatrum*, et non dedit: sæpe illum educebant, et morem gessit: per fenestram iterum effugit: et nunc, ut ita dicam, innumeris rogantibus et Tyri et Cæsareæ, flentibus et innumera gravia prædicentibus, non cedit, quamvis non modo gravia prædicerent, sed etiam per Spiritum prædicerent. Si ergo Spiritus jussit, cur contradicebant? Quia nesciebant Spiritus scopum. Alioquin vero adhortationem illam per Spiritum non faciebant. Non modo enim gravia prædicebant, sed addebant, non ascendendum esse, parcentes illi. *Et perfectis diebus*, inquit, id est expletis: dies autem dicit præstitutos: *deducentibus nos omnibus cum uxoribus et liberis*.

3. Vide quanta consolatio esset: et rursus orantes divelluntur. Etiam Ptolemaide uno die manent, Cæsareæ vero plurimis diebus. Et quando audivit se innumera gravia passurum esse, tunc festinat, non sese in pericula conjiciens, sed putans Spiritus esse præceptum. 15. *Post dies autem hos*, inquit, *præparati ascendebamus in Jerusalem*; id est, acceptis iis, quæ ad iter necessaria erant. 16. *Venerunt autem nobiscum et ex discipulis a Cæsarea, adducentes secum apud quem hospitaremus, Mnasonem quemdam Cyprium, antiquum discipulum*. 17. *Et cum venissemus Jerosolymam, libenter exceperunt nos fratres*. Et vide, non dixit Agabus: Paulum ligabunt, ne videretur ex pacto dicere; sed, *Virum, cujus est zona hæc*. Ergo zonam habebat. Quia vero suadere non poterant, ideo flebant, deinde quieverunt. Vides philosophiam? vides amoris affectum? *Quievimus*, inquit, *dicentes, Voluntas Domini fiat. Adducentes*, inquit, *apud quem hospitaremur*. Igitur non in ecclesia. Tunc enim, cum pro dogmatibus ascendebant, in ecclesia hospitabantur, nunc vero apud discipulum quemdam antiquum. Ostendit jam fuisse longum prædicationis tempus: unde mihi videtur in Actis multos annos succidere, et quæ urgebant tantum dicere. Quid sibi vult illud, *Voluntas Domini fiat?* Dominus, inquit, quod placitum est in oculis suis, faciet. Quiescunt autem illi, neque cogunt illum: forte gnari, esse voluntatem Dei, quod ex Pauli fervore conjectabant: nam alioqui non tantus Pauli fervor fuisset, neque Deus permisisset, qui semper illum a periculis eruerat. Sic nolebant ecclesiæ oneri esse, cum alius esset, qui illos hospitio susciperet, neque honorem exigebant. *Libenter*, inquit, *exceperunt nos fratres*. Res tunc in pace erant apud Judæos, nec bellum ut prius erat. *Ducentes nos*, inquit, *apud quem hospitaremur*. Paulum ille hospitio excipiebat.

Hospitalitas commendatur.—Dicet fortasse vestrum quispiam: Si quis mihi Paulum hospitio excipiendum offerret, id prompte et alacriter facerem. Ecce Pauli Dominum tibi hospitio excipere licet, et non vis: nam ait: *Qui suscipit unum ex his minimis, me suscipit* (*Matth.* 18. 5. *Luc.* 9. 48). Quanto minor est frater, tanto magis Christus per ipsum advenit. Nam qui magnum quempiam excipit, per vanam sæpe gloriam id agit; qui vero parvum, pure propter Christum. Licet tibi etiam Patrem Christi excipere, et non vis: nam ait, *Hospes eram et collegistis me*, et iterum, *In quantum fecistis uni ex his minimis, mihi fecistis* (*Matth.* 25. 35. 40). Etsi Paulus non sit, si fidelis sit et frater, etiamsi minimus, Christus tamen per illum advenit. Aperi domum, excipe. *Qui recipit prophetam*, inquit, *mercedem prophetæ recipiet* (*Id.* 10. 41). Ergo qui recipit Christum, recipiet mercedem Christi peregrinantis. Ne fidem neges verbis ejus, sed esto confidens: ipse dixit, Per illos ego advenio: et ut ne sis incredulus, supplicium decernit non recipientibus, honores recipientibus: non hoc facturus, nisi ille vel honoratus vel contumelia affectus ipse esset. Suscepisti me, inquit, in diversorio tuo; suscipiam te in regnum Patris mei: solvisti mihi famem; solvam tibi peccata: vidisti me vinctum; videri te faciam solutum [1]: vidisti me peregrinum; faciam te civem cælorum: dedisti mihi panem; do tibi regnum totum, ut illud heres accipias et possideas. Ait enim, *Venite, possidete paratum vobis regnum* (*Id.* 25. 34). Non dicit, Accipite; sed, *Possidete*: quod dicitur de iis, qui vere possident, ut cum dicimus, Hoc hereditate possedi. Fecisti mihi in occulto; ego prædicabo in manifesto: et tua quidem dico, quia gratiæ erant; mea vero debiti sunt. Quia enim tu cœpisti, inquit, ego sequar: non pudet me fateri collata mihi beneficia, nec a quibus me liberaveris, a fame, nuditate, errore. Vidisti me ligatum; non videbis gehennæ ignem: vidisti me infirmum; non videbis tormenta nec supplicia. O manus vere benedictæ, quæ talibus ministeriis serviunt, quæ dignantur ministrare Christo! Pedes in carceres euntes propter Christum, facile contemnunt ignem; vincula non experiuntur manus, quæ ligatum illum viderunt. Induisti veste; et indueris veste salutari: fuisti cum illo in carcere; et in regno cum illo eris. Hæc confitetur non erubescens, sed sciens te illum invisisse. Nesciebat patriarcha se angelos excipere (*Gen.* 18. 3), et tamen excipiebat. Erubescamus, obsecro: in meridie sedebat in terra aliena, nondum pedis vestigium habebat cum peregrinus esset, et peregrinos excipiebat peregrinus: civis enim cælorum erat. Ideo nec peregrinus erat, cum in terra esset. Nos magis quam ille peregrini sumus, qui peregrinos non excipimus. Domum non habebat, et tabernaculum ipsi diversorium erat. Et vide, quam lautus sit: vitulum mactavit, et farinam miscuit. Audi fervorem: per se et per uxorem hoc facit. Perpende quam sit a fastu alienus: adorat et obsecrat.

[1] Unus legit, *videbo te solutum*.

4. *Hospitalitatis conditiones.* — Hæc quippe omnia oportet habere eum, qui peregrinos excipit : fervorem, hilaritatem, liberalitatem. Hospitis enim animus erubescit et pudibundus est, et si non gaudium monstret exceptor, quasi despectus abscedit, ac sic excepisse deterius est, quam si non excepisset. Ideo adorat, ideo se excipere dicit, ideo sellam offert. Quis enim dubitasset, videns hoc illi opus esse? Sed nos non in aliena terra sumus? Sed si velimus, poterimus illum imitari. Quot hospites sunt ex fratribus? Est communis domus ecclesiæ, quam xenona vocamus : curiose inquirite etiam vos, sedete ad fores, venientes suscipite : si non in domos vestras, aliter illis necessaria suppeditate. Quid ergo? inquies, an ecclesia non habet? Habet; sed quid hoc ad vos? an si a communibus ecclesiæ pecuniis alantur, id vobis prodesse poterit? an si alius precetur, tu non debes precari? cur non dicis : Quid enim? annon sacerdotes precantur? cur ego orabo? At ego, inquies, do isti, qui non potest illo venire. Da saltem illi : quod enim quærimus hoc est, ut omnino detur. Audi quid dicat Paulus : *Ut et iis, quæ vere viduæ sunt, sufficiant, et ne gravetur ecclesia* (1. *Tim.* 5. 16). Ut vis, fac; solum fac. Ego vero non dico, Ut non gravetur ecclesia; sed, Ut tu non graveris : hac enim ratiocinatione nihil facies, omnia ei remittens. Ideo commune domicilium est ab Ecclesia assignatum, ut hæc non dicas. Sed sumptus habet ecclesia, inquies : pecunias habet et reditus. Dic mihi, an sumptus non habet? quotidianam expensam non habet? Etiam, inquies. Cur ergo non adjuvas mediocritatem ejus? Me pudet hæc dicere : cæterum non cogo. Si quis putat lucrum esse quæ dicuntur, faciat sibi xenodochium in domo; isthic lectum statue, isthic mensam et lucernam. Quomodo non absurdum fuerit, si veniant milites, habere vos assignata domicilia, magnam gerere curam, omniaque ipsis subministrare, quia illi bellum hoc sensibile depellunt : hospites vero, ubi diversentur, non habere? Vince ecclesiam. Vis nos rubore perfundere? Hoc fac : liberalitate supera : habe domicilium quo Christus diversetur : dic, Hæc est cellula Christi; hæc domus illi seposita est : etiamsi vile domicilium sit, non dedignatur. Nudus et hospes Christus circuit, tecto solum egens : saltem huic præsta : ne sis crudelis nec inhumanus, neque in rebus sæcularibus ita vehemens, in spiritualibus vero frigidus. Hoc committatur famulo omnium fidelissimo, et is mutilos, mendicos, et eos, qui sine tecto sunt, introducat. Hæc dico, ut ad pudorem moveam. Oporteret enim sursum domi illos recipere; sin nolis, saltem infra, ubi muli, ubi famuli, Christum recipe. Forte exhorruistis audientes. Quid ergo, si ne hæc quidem feceritis? Ecce hortor, ecce dico : Hoc vobis curæ sit. At sic non vultis? Ergo alio modo facite : sunt multi pauperes utriusque sexus : segregate omnino, ut ibi aliquis maneat : sit saltem domus custos pauper : sit tibi murus et sepes, scutum et hasta. Ubi est eleemosyna, eo non audet accedere diabolus, neque malum quodpiam. Ne, quæso, despiciamus tantum lucrum. Nunc vero currui quidem assignatus locus est, et basternis alius; Christo autem erranti nullus. Abraham ubi ipse manebat, ibi hospites recipiebat; et uxor quasi ancilla stabat, illi vero quasi domini. Nesciebat se Christum, se angelos recipere; si scivisset, omnia erogasset. Nos vero licet sciamus a nobis Christum excipi, non tantam exhibemus curam, quantam ille, qui putabat se homines recipere. At multi sunt, inquies, deceptores et ingrati. Et hinc tibi major merces, quando nomine Christi accipis. Si nosti esse deceptores, ne recipe domi; sin non nosti, cur temere accusas? Ideo dico, Eant in xenodochium. Quæ vero defensio, quando ne eos quidem, quos novimus, recipimus, sed omnibus fores claudimus? Sit Christi pandocheum nostra domus : repetamus ab illis mercedem, non argentum, sed ut faciant domum nostram Christi receptaculum : circumcurseamus undique, trahamus, venatum abripiamus : majus beneficium accipimus, quam damus. Non jubeo mactare vitulum : da panem egenti, vestem nudo, tectum hospiti. Ne autem hæc prætexas, Est domicilium Ecclesiæ commune; illuc mittito, et tu suscipies. Nam ille etiam eorum, quæ a famulis acta fuerant, mercedem habuit. Ita erant instituti illius pueri : currebant, nec murmurabant sicut nostri; illos enim pios reddiderat : in bellum traxit, nec murmurabant; ita philosophi erant. Omnium enim curam gerebat ut sui ipsius : ac fere, ut Job dicebat : *Similiter formati sumus in eodem ventre* (*Job* 33. 6).

Domesticorum cura habenda. — Itaque et nos curemus salutem nostram, et magnam habeamus domesticorum sollicitudinem, ut sint probi et vigiles : sit etiam domesticus noster in iis, quæ ad Deum spectant, institutus. Non erit postea virtus nobis difficilis, si illos probe instituamus. Sicut enim in bello, cum milites sunt bene ordinati, dux facile pugnat; contra vero, si non ita sit : nautis item consentientibus, gubernator nullo negotio gubernacula regit : ita si sint famuli recte instituti, non facile exacerbaberis, non objurgabis, non irasceris, non conviciaberis. Fieri quoque potest, ut famulos reverearis, si sint admirabiles : ipsique te juvabunt, et ad bona hortabuntur. Ab his autem omnibus omnia Deo placita erunt, et sic tota domus implebitur benedictione, et sic ea, quæ Deo placent, facientes, magno fruemur superno præsidio : quod nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVI.

CAP. 21. v. 18. *Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum, omnesque presbyteri aderant.* 19. *Quos cum salutasset, narrabat per singula, quæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius.*

1. Hic frater erat Domini et episcopus Jerosolymorum, vir magnus et mirabilis. Ad hunc ingreditur Paulus, sicut et ante etiam ad illum mittitur : et quomodo, audi. *Sequenti autem die*, inquit, *introibat Paulus nobiscum ad Jacobum.* Vide quam sit a fastu alienus. *Omnesque presbyteri aderant. Quos cum salutasset, narrabat per singula, quæ fecerat Deus in gentibus per ministerium ipsius.* Iterum illis quæ ad gentes spectabant enarrat, non vanæ gloriæ studio, absit; sed ut Dei clementiam ostenderet, et multa ipsos impleret lætitia. Vide ergo quomodo audientes Deum glorificarent. Non illum extulerunt vel mirati sunt, sed *Deum glorificabant :* ita enim narrabat, ut illi rem adscriberet. 20. *At illi cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei : Vides, frater, quot sunt millia in Judæis, qui crediderunt ; et omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse eos, qui inter gentes sunt, omnes Judæos, dicens eos non debere circumcidere filios suos, neque his consuetudinibus incedere.* Vide cum quanta et hi modestia loquantur. Non quasi episcopus cum auctoritate loquitur, sed illum in consilii socium assumunt; ac si statim et ab initio rationem redderent, dicerentque : Non vellemus. Vides rei necessitatem ? *Vides*, inquiunt, *quot sint millia in Judæis qui crediderunt?* Nec dicunt. Quot millia instituerimus, sed *Sunt. Et hi*, inquiunt, *omnes æmulatores sunt legis.* Duæ causæ sunt, et multitudo et propositum. Neque enim, si pauci fuissent, contemnendi erant; neque si multi, et non omnes legem retinuissent, magnopere curandum erat. Accedit et tertia causa : « Et hi omnes edocti sunt de te, inquit, quod discessionem doceas a Moyse eos omnes, qui inter gentes sunt, Judæos, dicens non debere eos circumcidere filios suos neque in consuetudinibus illis incedere. » Non dicunt, Audierunt; sed, *Edocti sunt*, id est, instituti sunt et crediderunt, *quod discessionem a Moyse doceas, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque in consuetudinibus illis incedere.* Post hæc subdidit : 22. *Quid ergo est ? Utique oportet convenire multitudinem : audient enim te venisse.* 23. *Hoc ergo fac, quod tibi dicimus.* Quasi consilium dantes hoc dicunt, non quasi imperantes. « Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se. 24. His assumptis sanctifica te cum illis, et impende in illis, ut radant capita, et sciant omnes, quia quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem. » Consulunt ut re et opere, non sermone defensionem paret. *Ut radant*, inquit, *et sciant omnes, quia quæ edocti sunt de te, falsa sunt.* Non dixerunt, Tu doces, sed *Audierunt*, rursum hoc verbo significans, edocti sunt, et quod *Ambulas*, id est, ex abundanti ipse serves. Non enim hoc solum quærebatur, an alios doceret, sed etiam an ipse servaret. Quid ergo, si gentes didicerint, inquit, annon offendentur ? Quare, cum nos Judæi doctores illum ad gentes miserimus ? 25. « De iis autem, qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus, decernentes ne quid hujusmodi observent, sed abstineant ab iis, quæ immolata sunt idolis, a sanguine et suffocato et fornicatione. » Hic monendo loquitur; vult autem dicere, Ut nos ipsis præcepimus, etsi Judæis prædicantes : sic et tu, etsi gentibus prædices, cooperare nobiscum. Observa Paulum : non dicit, Possum utique Timotheum adducere, quem circumcidi, et possum hoc sermone persuadere ; sed obtemperavit eis, et omnia fecit : etenim sic expediebat. Non enim idem erat rationem verbis reddere, et nemine conscio hoc facere. Suspicione carebat, quod etiam impenderet. 26. *Tunc Paulus assumptis viris, postera die purificatus cum illis, intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro uno quoque eorum oblatio. Annuntians*, hoc est, declarans : itaque ipse erat qui sese manifestum faciebat. 27. *Cum autem septem dies jam implendi essent.*

2. Vide quomodo potissimum in illis moratur. *Ii qui erant ex Asia Judæi, cum vidissent eum in templo, concitaverunt totam turbam, et injecerunt in illum manus, clamantes :* 28. *Viri Israelitæ, adjuvate : hic est homo, qui adversus populum et legem et locum hunc omnes ubique docens, insuper et gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum.* Vide mores eorum ubique turbulentos, ipsosque in medio temere clamantes. 29. *Viderant enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem æstimaverant quod in templum introduxisset Paulus.* 30. *Commotaque est civitas tota, et facta est concursio populi : et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum : et statim clausæ sunt januæ. Viri Israelitæ, adjuvate*, inquiunt. *Hic est homo qui adversus populum et legem in locum istum.* Quæ illos maxime turbabant, templum et legem, hæc proferunt illi. Neque Paulus hæc patiens de his etsi tantis apostolos accusavit, quod ipsi in causa horum essent : adeo erat magnanimus. *Et trahebant eum*, inquit, *extra templum : et clausæ sunt januæ.* Volebant enim illum interficere; ideo foras illum trahebant, ut cum majore licentia hoc facerent. 31. *Quærentibus autem illis eum occidere, nuntiatum est tribuno cohortis, quod tota confunderetur Jerusalem :* 32. *Qui statim assumptis militibus et centurionibus decurrit ad illos. Qui cum vidissent tribunum et milites, cessaverunt percutere Paulum.* 33. *Tunc accedens tribunus apprehendit eum, et jussit eum alligari catenis duabus : et interrogabat quis esset et quid fecisset.* 34. *Alii autem aliud clamabant in turba.* Et cur examinaturus eum jussit ligari catenis duabus? Ut populi furorem mitigaret. *Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, jussit duci eum in castra.* 35. *Et cum venisset ad gradus, contigit ut portaretur a militibus propter vim populi :* 36. *sequebatur enim multi-*

tudo populi, clamans : Tolle eum. Quid est, *Tolle eum?* Mos erat Judæis, contra eos, quos damnarent, ita loqui, ut et contra Christum fecerunt, dicentes, *Tolle illum;* hoc est, de numero viventium dele. Quidam vero dicunt, id esse quod apud nos ex Romana consuetudine dicitur : Immitte illum in signa. 37. *Et cum cœpisset in castra induci Paulus, dicit tribuno : Si licet mihi loqui ad te.* Cum gestaretur in gradibus, petit quiddam tribuno dicere. Et vide quam mansuete : *Si mihi licet loqui ad te,* inquit. *Qui dixit, Græce nosti?* 38. *Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, et eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum?* Hic Ægyptius homo erat, quædam innovans et seditiosus. Hac de re sese purgat Paulus, et dictis suis tollit suspicionem. Verum superius lecta repetamus. *Sunt nobis*, inquit, *viri quatuor votum habentes super se : his assumptis purifica te cum illis.* Ad hæc non obnititur Paulus, sed morem gerit. Unde palam est hoc non necessario faciendum fuisse (ideoque persuadent illi), sed hoc per œconomiam et indulgentiam factum esse. Non erat ergo hoc prædicationis impedimentum, siquidem et apostoli hæc illis statuebant. Hoc itaque dispensans, ipse tamen Petrum deinceps incusat; nec sine causa hoc fecit : nam quod hic fecerat ipse, hoc ibi Petrus tacens et stabiliens dogma suum. Non dicebant : Non oportet gentiles docere; neque, Sufficiat quod non prædicetur illic : sed oportet quid amplius facere, ut persuadeantur illi te legem custodire. Attemperatio est res illa, ne timeas. Et vide : non prius persuadent illi, quam repræsentent et œconomiam et lucrum. Et quod Jerosolymæ fieret, tolerabile erat. Hoc igitur hic facito, ut illud extra civitatem hanc tibi facere liceat. *Tunc Paulus*, inquit, *assumptis viris sequenti die.* Non distulit, sed opere monstrans se persuasum esse, assumit eos quibuscum se purificaturus erat : tanti fervoris est œconomia hujusmodi. Et quomodo, inquies, Judæi Asiatici viderunt illum in templo? Verisimile est eos aliquot diebus isthic versatos esse. Vide autem rem ex dispensatione quadam factam esse. Postquam enim persuasi fuerant Judæi, tunc insurgunt in illum : et e re quidem, ut ne illi etiam in ipsum insurgerent. *Adjuvate*, inquiunt, *viri Israelitæ.* Ac si quis captu difficilis in eorum manus incidisset, *Adjuvate*, inquiunt. *Hic est, qui ubique omnes docet.* Non *Hic* solum, inquiunt, sed *Ubique.* Tum etiam accusatio major a præsentibus. Ad hæc, inquiunt, *Profanavit templum, viros gentiles inducens.* Atqui etiam Christi tempore ascenderunt adoraturi; sed hi loquuntur de iis, qui non adorandi causa veniebant. *Et assumentes*, inquit, *Paulum, trahebant illum foras.* Perpende, a templo ejiciunt illum : neque enim ultra legibus vel tribunalibus opus habebant; ideoque illum percutiebant : sic per omnia feroces et petulantes sunt. Ille vero tunc quidem non sese purgavit, sed postea; et jure quidem : tunc enim ne audissent quidem. Et cur clamabant, *Tolle eum?* Timebant, ne effugeret. Sed vide, cum quanta modestia Paulus cum Tribuno loquatur. Quid enim dicit? *Si mihi licet aliquid tibi dicere?* Ita erat humilis, ut ubique modeste agere sciret. *Nonne tu es*, inquit, *Ægyptius ille.*

3. Vide malignitatem diaboli. Deceptor erat et præstigiator Ægyptius ille, et sperabat se per illum rem obscuraturum esse, et hos illius scelerum consortes reddere, et Christum nempe et apostolos. Sed nihil potuit, imo hinc splendidior veritas facta est, nihil ex diaboli machinis læsa, imo magis illustrata. Nam si præstigiatores non fuissent, ac deinde hi vicissent, forte suspicio fuisset : cum autem illi apparuissent, hi vicerunt. Hoc autem mirum est. Ideo apparere non prohibentur, ut et sic magis fulgeant : ut etiam alibi dicit, *Ut qui probati sunt, manifesti fiant* (1. *Cor.* 11. 19). Tale quidpiam et Gamaliel dicebat : *Ante hos dies surrexit Theudas* (*Act.* 5. 36). Sicarios vero quidam dicunt esse genus latronum, sic appellatos a gladiis, quos gestabant, sicas dictos Romanis : alii vero putant, ex una Judæorum secta fuisse.

Magorum præstigia apostolorum miraculis majorem vim contulere. Sectæ Judæorum.—Tres namque sunt apud ipsos sectæ, Pharisæorum, Sadducæorum, et Essenorum qui et Sancti vocantur (hoc enim sibi vult hoc nomen Esseni), idque ob vitæ sanctitatem. Iidem vero et Sicarii dicti, quod essent zelotæ. Ne ergo doleamus quod sectæ sint, cum et pseudochristi fuerint, qui Christo insidiari voluerunt, et antehac et postea, ut obscurarent illum. Sed veritas fulget et splendet ubique. Hoc et prophetarum ævo factum est : fuerunt pseudoprophetæ, et veri ex comparatione magis effulgebant. Etenim morbus sanitatem conspicuam facit, et tenebræ lucem, tranquillitatemque tempestas. Non possunt gentiles dicere, quod illi deceptores et præstigiatores fuerint : illi enim convicti sunt. Hoc etiam Moysi accidit : concessit Deus ut magi essent, ne magus putaretur esse Moyses : permisit ut decerent omnes, quantum magia poterat comminisci; ultra autem non deceperunt, sed ipsi sese victos confessi sunt. Nihil nobis nocent deceptores; imo nos meliores reddunt, si quis attendere velit. Quid igitur, inquies, si illorum gloriæ consortes simus? Non apud nos gloriam habent, sed apud eos, qui judicio non valent. Ne multum curemus populi auram, ne ultra quam oportet illam sectemur. Deo vivimus, non hominibus; in cælo conversamur, non in terra : illic bravia et præmia laborum nostrorum jacent, inde laudes exspectamus, inde coronas. Eatenus curemus homines, quatenus ne ansam illis præbeamus. Quod si nobis non præbentibus, illi voluerint temere et frustra accusare, rideamus, non ploremus. Tu provide bona coram Deo et hominibus : si te bona providente, ille incessat, ne cures. Habes exempla in Scripturis. *Numquid enim hominibus suadeo an Deo* (*Gal.* 1. 10)? inquit; ac rursum : *Hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus* (2. *Cor.* 5. 11). Et Christus de iis qui offendebatur dicebat : *Sine illos, duces sunt cæci cæcorum* (*Matth.* 15. 14); ac rursum : *Væ vobis,*

dispersi sunt (*Act.* 5. 36. 37); sive etiam futuros pseudochristos qui multos postea seducturi erant. Ne dicerent enim, se quemdam ipsorum esse, longe se ab illis diversum ostendit. Primam differentiam affert, doctrinam ex Scripturis sumptam, quarum ductu illos agebat : alii vero secus. Secunda differentia erat ovium obedientia. Ipsi namque non viventi tantum, sed etiam mortuo crediderunt : illos vero statim reliquerunt. Tertiam nec modicam adjicere possumus. Illi ut tyranni ad defectionem omnia faciebant : ipse tantum a tali suspicione aberat, ut cum vellent ipsum regem facere, fugerit; et cum interrogarent an liceret censum dare Cæsari, solvere juberet, atque ipse etiam didrachma daret. Ad hæc ipse pro salute ovium venit, ut vitam haberent, et abundantius haberent : illi vero præsenti etiam vita suos privarunt. Illi eos qui sibi crediti erant prodiderunt, et fugerunt : Christus vero ita fortiter stetit, ut animam suam traderet. Illi inviti, coacti et fugientes passi sunt : hic libens et volens omnia pertulit. 6. *Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.* Cur obscure loquebatur? Ut attentiores redderet. Ubi autem illud effecit, obscuritatem tollit his verbis : 9. *Ego sum ostium : per me si quis introierit, ingredietur et egredietur, et pascua inveniet.* Hoc est, In securitate et libertate vivet (pascua autem hic vocat pabulum ovium, potestatemque et dominatum); hoc est, Intus manebit, et nemo inde expellet : quod etiam apostolis evenit, qui libere intrabant et exibant, quasi universi orbis domini; nemoque illos ejicere potuit. 8. *Omnes quotquot ante me venerunt, fures sunt et latrones; sed non audierunt eos oves.* Non de prophetis hic loquitur, ut aiunt hæretici (illos enim audierunt, et per illos crediderunt quotquot in Christum crediderunt); sed de Theuda et Juda aliisque seditiosis agit. Præterea verbum illud, *Non audierunt oves*, in earum laudem dicit : nusquam vero laudat eos qui prophetas non audierunt; imo illos admodum improbat et reprehendit. Hinc palam est illud, *Non audierunt*, de seditiosis illis dictum fuisse. 10. *Fur non venit, nisi ut furetur et mactet et perdat :* ut hic contigit; omnes enim mactati occisique sunt. *Ego autem veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Quid, quæso, vita abundantius? Regnum cælorum. Verum id nondum dicit, sed vitæ nomen affert, ut notum illis. 11. *Ego sum pastor bonus.* Hic demum de passione loquitur, ostendens illam pro mundi salute futuram esse, nec se invitum illam adire. Deinde exemplum rursus affert pastoris et mercenarii. *Bonus enim pastor animam suam ponit.* 12. *Mercenarius autem, qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et venit lupus, et rapit eas.* Hic se perinde atque Patrem imperantem exhibet; siquidem pastor ipse est cujus propriæ sunt oves. Viden' quomodo in parabolis sublimius loquatur, ubi obscurior est sermo, neque auditoribus carpendi ansam præbeat? Quid ergo facit mercenarius? *Videt lupum venientem, et dimittit oves, et venit lupus, et rapit eas.* Hoc illi fecerunt, ipse contra. Denique cum apprehensus fuit, dixit : *Sinite illos abire* (*Joan.* 18. 8), ut impleretur sermo, quod nullus eorum periret. Hic potest etiam spiritualis lupus intelligi, quem non sivit oves abripere. Non lupus tantum hic est, sed etiam leo. Nam *Adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit* (1. *Pet.* 5, 8). Hic serpens et draco est : *Calcate super serpentes et scorpiones* (*Luc.* 10. 19).

4. *Vox Christi audienda ipsique soli hærendum. Avaritia servitus omnium deterrima. Eleemosyna commendatur.* — Quare rogo, maneamus sub pastoris cura : manebimus autem si vocem ejus audiamus, si ipsi morem geramus, si alienum non sequamur. Ecqua vox ejus est? *Beati pauperes spiritu : beati mundo corde : beati misericordes* (*Matth.* 5. 3. 8. 7). Si hæc servemus, sub pastore manebimus, et lupus ingredi non poterit. Sed etiamsi irruat, id in perniciem suam faciet. Pastorem enim ita nos amantem habemus, ut animam suam pro nobis tradiderit. Cum ergo et potens sit et diligat, quid impedit quominus salutem consequamur? Nihil, nisi nos ipsi deficiamus. Quomodo deficiemus? Illum audi dicentem : *Non potestis duobus dominis servire, Deo et mamonæ* (*Matth.* 6. 24). Si ergo huic serviamus, illius tyrannidi subjecti non erimus. Nam tyrannide quavis acerbior est pecuniarum concupiscentia. Nullam habet voluptatem, sed sollicitudines, invidiam, insidias, odium, sycophantias, et mille virtutis impedimenta, desidiam, lasciviam, avaritiam, ebrietatem, quæ liberos in servitutem redigunt, et servis deteriores constituunt : servos, inquam, reddunt, non hominum, sed gravissimi omnium animi morborum. Hic multa audet quæ nec Deo nec hominibus placent, metuens ne quis se ab hac servitute liberet. O acerbam servitutem, et diabolicam potestatem! Hæc quippe est omnium gravissima, quod tot detenti malis delectemur, et catenas amplectamur, et quod tenebrosum carcerem habitantes, lucem fugiamus, sed nos malis constringamus, et in morbo oblectemur. Quare nec liberari possumus, et pejore quam qui metalla fodiunt conditione sumus, dum labore et miseria obruti, nullum inde fructum percipimus. Quodque omnium deterrimum est, si quis nos ab acerba hujusmodi captivitate eruere velit, id non patimur; imo etiam ægre ferimus et indignamur; nihil melius affecti quam qui insania capti sunt, imo longe miserabiliores illis, quod nolimus ab insania liberari. Numquid ea de causa in mundum venisti, o homo? an ideo homo factus es, ut hæc metalla operareris et aurum colligeres? Non ideo certe ad imaginem suam te formavit; sed ut ipsi placeres, ut futura consequereris, ut cum angelis choreas ageres[1]. Cur te ab hac nobilitate ejicis, et in extremam conjicis ignobilitatem et infamiam? Qui eodem quo tu partu natus est, partu dico spirituali, fame tabescit : tu copia rerum dirumperis. Frater nudum

[1] Hæc, *ut cum angelis choreas ageres*, deerant in Morel (Onze.)

corpus circumfert: tu vestes vestibus addis, tineis hunc amictum apparans. Quanto melius esset pauperum corpora his obtegere? Ita enim illa non consumerentur, te cura omni liberarent, et futuram tibi parerent vitam. Si nolis ea a tineis consumi, da pauperibus: illi namque hæc vestimenta probe sciunt excutere. Christi namque corpus qualibet arca pretiosius et tutius est; neque tantum ea custodit incorrupta, sed etiam splendidiora reddit. Arca sæpe cum vestibus abrepta extremo te affecit damno: hanc vero custodiam ne mors quidem potest labefactare. Neque enim portis aut vectibus hic nobis est opus, non servis vigilantibus, nec alia quavis cautione. Ab insidiis prorsus libera sunt, ut par est, quæ in cælis sunt recondita. Locus enim ille a nequitia nulla adiri potest. Hæc nos dicendi finem non facimus, vosque audientes non obtemperatis. Cujus rei causa est, quod pusilli simus animi, et terrenis inhiemus. Imo absit ut omnes vos damnem, ac si omnes incurabiliter ægrotetis. Etiamsi enim ii qui divitiis inebriantur, obstruant aures ne audiant; at ii qui in paupertate vitam agunt, dictis attendere poterunt. Et quid hæc ad pauperes, inquies, qui nec aurum, nec vestimenta hujusmodi habent? Verum illi panem habent et aquam frigidam; habent duos obolos et pedes, queis ægros invisant; habent linguam et sermonem, ut consolentur male affectum; habent domum et tectum, quo recipiant hospitem. Neque enim tot et tot talenta auri a pauperibus, sed a divitibus exigimus. Quod si ad pauperis ostium venerit Dominus, non pudebit eum vel obolum accipere; sed se plura accepisse dicet, quam ab iis qui multa deposuerunt. Quot nunc homines illo tempore fuisse optarent, quo Christus in carne terram obibat, ut colloquii et mensæ cum eo consortes essent! Ecce jam licet, possumus illum ad prandium vocare, cum ipso convivari, et cum majori lucro. Eorum enim qui cum illo convivabantur multi perierunt, ut Judas et hujusmodi homines; quicumque vero illum jam domum vocabunt, ut mensæ et tecti consortem efficiant, benedictione magna fruentur. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et suscepistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me* (*Matth.* 25. 34-36). Ut ergo hæc audiamus verba, nudum vestiamus, colligamus hospitem, nutriamus esurientem, sitienti potum demus, ægrum et carcere detentum invisamus, ut fiduciam et veniam peccatorum accipiamus, et illa bona quæ omnem sermonem et mentem superant consequamur: quæ utinam omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LX.

Cap. 10. v. 14. *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* 15. *Sicut novit me Pater, et ego cognosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis.*

1. *Pastor Ecclesiæ fortis esse debet. Pastores mali qui.* — Magnum quidpiam, magnum certe est Ecclesiæ præfectura, quæ multa egeat philosophia et fortitudine, ac quanta Christus dixit, ita ut animam ponat pro ovibus, numquam illas deserat, et contra lupum stet fortiter. In hoc differt pastor a mercenario. Hic enim contemptis ovibus propriæ saluti semper advigilat: ille vero, sua demissa, salutem curat ovium. Post data ergo pastoris indicia, duos gregi perniciosos memorat: furem mactantem et rapientem oves; et alterum qui non ipse perdit, sed furem non arcet nec impedit. Per illum autem Theudam significat, per hunc Judæorum doctores traducit, qui de commissis sibi ovibus nullam habebant curam; qua de re jam olim Ezechiel illos incusabat his verbis: *Væ pastoribus Israel! Nonne pastores pascebant semetipsos? nonne oves pascuntur a pastoribus* (*Ezech.* 34. 2)? Sed illi contrarium faciebant, quod malitiæ maximæ genus est, aliorumque causa malorum. Ideo namque dicit: Neque errantes oves reducebant, neque quod perierat quærebant (*Ibid. v.* 4), neque quod contritum erat alligabant, neque quod infirmum curabant, quia seipsos, non oves, pascebant. Idipsum Paulus alio verbo significabat: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi* (*Philip.* 2. 21); et rursum, *Nemo quæ sua sunt quærat, sed proximi unusquisque* (1. *Cor.* 10. 24). Ab utroque genere se Christus segregat: ab illis qui ad perniciem veniunt, cum ait, *Ideo veni ut vitam habeant, et abundantius habeant;* ab his vero qui nihil curant, si oves a lupis rapiantur; cum illas non relinquit, sed animam suam ponit ne illæ pereant. Cum enim consultarent illum occidere, neque a doctrina destitit, neque credentes prodidit; sed stetit, et mortem subiit. Ideo ubique dicebat, *Ego sum pastor bonus.* Deinde cum nullum adesse videretur rei testimonium (nam illud, *Animam meam pono,* brevi postea accidit; illud vero, *ut vitam habeant, et abundantius habeant*, post suum ex hac vita discessum futurum erat), quid facit? Alterum ab altero confirmat; nempe ex eo quod det animam, quod det etiam vitam. Quod et Paulus dicebat: *Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis reconciliati salvi erimus* (*Rom.* 5. 10). Et rursum alibi: *Qui etiam Filio suo non pepercit,* (a) [*sed pro nobis omnibus tradidit illum*,] *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit* (*Rom.* 8. 32)? Sed cur non jam accusant illum ut prius, dicentes: *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum* (*Joan.* 8. 13)? Quia sæpe illos silere coegerat; et a signis major accesserat fiducia, ut illis obsisteret. Deinde quia superius dixerat: *Et oves vocem ejus audiunt, et sequuntur eum;* ne quis diceret, Quid ad nos

(a) Uncinis clausa desunt in quibusdam mss.

credentes? audi quid addat: *Et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Quod et Paulus significavit: *Non repulit Deus populum suum quem præcognovit* (*Rom.* 11. 1); et Moyses: *Cognovit Dominus qui sunt ejus* (2. *Tim.* 2. 19): illos dico, inquit, quos præscivi. Deinde ne parem cognitionis modum putares, audi quomodo illud per sequentia corrigat. *Cognosco meas*, inquit, *et cognoscunt me meæ.* Sed non æqualis est cognitio: sed ubi æqualis est? In Patre et in me: nam *Sicut cognoscit me Pater, et ego cognosco Patrem.* Nisi enim hoc probare voluisset, cur id addidisset? Quia enim se frequenter in cæterorum ordine ponit, ne quis putaret se ita cognoscere Patrem ut homo cognoscit, subdidit: *Sicut cognoscit me Pater, et ego cognosco Patrem.* Ita perfecte ipsum cognosco, ut ipse me. Ideo dicebat, *Nemo cognoscit Filium, nisi Pater, et Patrem, nisi Filius* (*Luc.* 10. 22), peculiarem quamdam cognitionem indicans, et qualem nemo alius potest attingere. *Ego pono animam meam.* Id frequenter dicit, se non deceptorem esse declarans. Quandoquidem apostolus ut se verum magistrum ostenderet, seque falsis apostolis opponeret, ex periculis et mortibus sese commendat dicens: *In plagis supra modum, in mortibus frequenter* (2. *Cor.* 11. 23). Cum enim diceret, *Sum lux, Sum vita*, ex fastu loqui apud insipientes videbatur; cum vero dicebat, Mori volo, nullam sibi invidiam pariebat. Ideo hic non dicunt ei, *Tu testimonium perhibes de teipso, testimonium tuum verum non est.* Hoc verbo magnam exhibebat curam, siquidem pro lapidantibus volebat se tradere.

2. Propterea de gentibus opportune sermonem inducit. 16. *Etenim alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere.* En rursus vocem *Oportet* adhibet, quæ non necessitatem indicat, sed rem prorsus esse futuram; ac si diceret: Quid miramini, si hi me sequuturi sunt, et si oves vocem meam sint audituræ? Cum enim alias me sequentes videbitis, et vocem meam audientes, tunc magis obstupescetis. Etsi vero dicat, *Quæ non sunt ex hoc ovili*, ne turberis. Differentia enim in lege solum est, ut ait Paulus: *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium. Et illas oportet me adducere* (1. *Cor.* 7. 19). Declarat utrosque dispersos et commixtos esse, sine pastoribus, cum nondum pastor ille bonus venisset. Deinde futuram illorum conjunctionem prænuntiat: *Et erit unum ovile.* Quod ipsum Paulus significavit: *Ut duos condat in semetipso in unum novum hominem* (*Ephes.* 2. 15). 17. *Propterea me diligit Pater, quia ego animam meam pono, ut iterum accipiam eam.* Ecquid hoc verbo humilius? siquidem propter nos Dominus amandus est, quoniam pro nobis moritur. Quid ergo, dic mihi? an superiori tempore non diligebatur, sed nunc diligere incepit Pater, et nos in causa amoris ipsi fuimus? Viden' quantum nostræ se accommodet infirmitati? Quid hic ergo vult probare? Cum alienum illum a Patre et deceptorem dicerent, ipsumque in pestem ac perniciem venisse, dicit ille: Si non aliud, illud saltem me ad vos amandos induxit, quod vos, ut et ego, a Patre amemini, et ideo ab illo amemini, quia ego pro vobis morior. Præterea illud vult demonstrare, se non invitum mortem adire; (nam si invitus moreretur, quomodo id amoris vinculum fuisset)? et quod ea maxime sit Patris voluntas. Si autem ut homo hoc loquatur, ne mireris: sæpe namque hujus rei causam diximus, superfluumque et onerosum esset id repetere. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam:* 18. *et nemo tollit eam a me. Ego pono eam a meipso, Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo sumendi eam.* Quia enim sæpe consilium inierant ut illum interficerent, dicit: Me nolente, inutilis labor vester erit; et a priori secundum confirmat, a morte resurrectionem. Hoc enim stupendum admirandumque est. Etenim utrumque novum fuit et præter communem consuetudinem.

Christus quomodo potestatem habet ponendi et resumendi animam. — Dicto igitur diligenter attendamus. *Potestatem habeo*, inquit, *ponendi animam meam.* Ecquis potestatem non habeat ponendi animam suam? Quisque enim potest se interimere. Verum non hoc sensu loquitur. Quomodo ergo? Ita potestatem habeo ponendi eam, ut nemo possit me nolente id facere. Secus autem cæteri homines. Nos enim potestatem non habemus animam ponendi, nisi occidendo nos ipsos. Si autem in insidiatores incidamus, qui occidere possint, non ultra potestatem habemus ponendi, necne; sed invitis nobis illi occidunt. In Christo secus: nam aliis insidiantibus, poterat ille non ponere animam. Cum dixisset ergo, *Nemo tollit eam a me*; addidit, *Potestatem habeo ponendi animam meam*; id est, Ego solus possum ponere illam: quod vobis non competit. Nam multi alii possunt animam nobis abripere. Sed hoc in principio non dixit; neque enim id creditum fuisset, sed cum ex rebus ipsis testimonium accepit, ac sæpe insidiantes non potuerunt eum comprehendere (frequenter enim ex manibus eorum elapsus est), tunc demum ait: *Nemo tollit eam a me.* Si hoc verum est, hinc sequitur eum libenter ad hoc venisse; indeque confirmatur, illum posse cum voluerit eam resumere. Nam si ita mori plus quam humanum est, de reliquo ne dubites. Etenim cum solus sit vitam ponendi dominus, cum eadem potestate illam cum voluerit resumet. Viden' quomodo a priori secundum probet, et a morte resurrectionem indubitatam ostendat? *Hoc præceptum accepi a Patre* (*Joan.* 12. 49). Quodnam? Ut moriar pro mundo. Num exspectavit donec audiret, et tunc acquievit, et an opus habuit discere? Ecquis sanus hoc dixerit? Verum ut supra cum dicit, *Propterea me Pater diligit*, liberam ostendit voluntatem, et contrariam amovit suspicionem: sic et hoc loco cum dicit se præceptum accepisse a Patre, nihil aliud declarat, quam Patri placere quod ipse facit; ne occisum postea illum, a Patre putarent derelictum et proditum, nec exprobrarent, ut revera exprobrarunt: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere*; et, *Si Filius Dei es, descende de cruce* (*Matth.* 27. 42. *et* 40). Atqui ideo non descendit, quia Filius Dei est.

3. Deinde ne audiens, *Præceptum accepi a Patre*, alienum ab eo hoc opus esse putares, jam prius dixerat, *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus*, his ostendens oves esse suas, et opus gestum totum esse suum, nec se egere præcepto. Nam si præcepto opus habuisset, cur dixisset, *A meipso pono?* Nam qui a seipso ponit, non eget præcepto. Causam quoque addit cur hoc faciat. Quænam illa? Quod pastor sit, et bonus pastor. Bonus vero pastor non eget alio qui ad rem illam se hortetur. Quod si id in hominibus, multo magis in Deo. Ideo Paulus dicebat, *Semetipsum exinanivit* (*Philip.* 2. 7). Nihil ergo aliud hic sibi vult præceptum, quam concordiam cum Patre ostendere. Quod si tamen humano et humili more dictum sit, id auditorum imbecillitati tribuendum. 19. *Dissensio itaque facta est inter Judæos.* 20. *Dicebant alii, Dæmonium habet et insanit. Quid eum auditis?* 21. *Alii dicebant : Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* Cum enim plus quam humana essent quæ dicebantur, et præter communem consuetudinem, dæmoniacum illum dicebant, jamque quater (*a*) sic illum vocarunt. Nam antea dicebant : *Dæmonium habes: quis te quærit interficere?* ac rursum, *Nonne bene diximus quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* et hic, *Dæmonium habet et insanit; quid eum auditis* (*Joan.* 7. 20. *et* 8. 48)? Imo non quater, sed sæpius id illum audivisse constat. Nam quod dicunt, *Nonne bene diximus quia dæmonium habes?* non bis vel ter, sed sæpius illud dictum fuisse confirmant. *Alii dicebant*, inquit, *Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* Quia enim ex verbis non poterant illis silentium imponere, ex operibus id demonstrant. Certe verba non sunt dæmoniaci. Quod si verbis non obtemperatis, opera revereamini (*Joan.* 10. 38). Quod si non dæmoniaci, sed plus quam humana illa sunt, palam est a divina quadam virtute proficisci. Viden' syllogismum? Quod enim supra hominem essent, hinc palam erat quod dicerent, *Dæmonium habet:* quod vero dæmonium non haberet, ex iis quæ fecit demonstravit. Quid ergo Christus? Nihil ad hæc respondit. Prius enim responderat, *Ego dæmonium non habeo;* nunc vero non item. Quia enim ex rebus ipsis demonstrationem concinnaverat, demum tacuit. Neque enim responsione digni erant ii qui dæmoniacum dicebant, ex operibus quæ admirari oportebat, et Deum ipsum esse putare. Ecquid opus erat, ut illos confutaret, cum jam ipsi inter se dissidirent et digladiarentur? Ideo silebat et omnia æquo animo ferebat. Non ea solum de causa, sed ut nos institueret ad mansuetudinem et patientiam.

4. *Discipuli Christi officia.*—Hunc itaque imitemur. Neque solum enim tacuit, sed etiam iterum stat, et interrogatus respondet, et providentiæ suæ signa dat : atque dæmoniacus appellatus et insanus, ab hominibus qui mille ab se beneficiis affecti fuerant, idque non semel aut bis, sed pluries, non modo se non ultus est, sed etiam beneficia conferendi finem non fecit. Ecquid dico beneficia conferendi? Pro ipsis animam ponit, et crucifixus pro ipsis Patrem alloquitur. Hæc et nos imitemur. Hoc enim est Christi esse discipulum, si mansueti simus et mites. Unde autem ad hanc perveniemus mansuetudinem? Si peccata nostra frequenter cogitemus, si lugeamus, si lacrymemur. Anima quippe in dolore hujusmodi versans, non indignatur. Ubi namque luctus est, ibi ira esse nequit; ubi dolor, ibi iracundia eliminatur; ubi contritio animi, nulla ibi indignatio. Luctu affectus animus non spatium temporis habet ut excitetur; sed acerbe ingemiscet, amarius flebit. Scio multos hæc audientes ridere; at ego non finem faciam illos deplorandi qui rident. Luctus enim est præsens tempus, planctus et gemituum. Multa quippe et in verbis et in rebus peccamus. Talia vero perpetrantes excipient gehenna, fluvius ardens igneo alveo, regni cælorum amissio, quod est omnium gravissimum. Post hanc comminationem, dic mihi, rides, in deliciis vivis? ac Domino tuo irato et comminante, in lapsu perstas, nec times ne tibi sic ardentem fornacem compares? Non audis quid quotidie clamet? *Esurientem me vidistis, et non dedistis mihi manducare; sitientem, et non dedistis mihi bibere. Discedite in ignem paratum diabolo et angelis ejus* (*Matth.* 25. 42. *et* 41). Hæc quotidie comminatur. Sed cibum illi dedi, inquies. Quando et quot diebus? decem aut viginti? At non hoc satis habet ille; sed quanto tempore in terra versaris. Nam et virgines oleum habuerunt; sed non quantum ad salutem satis erat. Siquidem et ipsæ lampades accenderunt; exclusæ tamen sunt a thalamo, ac jure quidem : exstinctæ quippe sunt ante sponsi adventum. Propterea multo nobis opus est oleo, et magna liberalitate. Audi quid dicat propheta : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* (*Psal.* 50. 1). Itaque nos ita proximi oportet misereri, quanta possumus misericordia. Quales enim erga conservos fuerimus, talem experiemur Dominum. Quænam magna est misericordia Quando non ex superfluis dabimus, sed ex iis quibus egemus. Quod si ne ex superfluis quidem demus, quæ nobis spes supererit? unde a malis liberabimur? quo fugiemus ut salutem consequamur? Si enim virgines post tot sudores nullam prorsus invenere consolationem, quis nobis patrocinabitur cum illa tremenda verba Judicis exprobrantis audiemus : Esurientem non me nutrivistis; et, Quod non fecistis uni ex istis minimis, nec mihi fecistis (*Matth.* 25. 42. 40). Non de discipulis, neque de monachis tantum hæc dicit, sed et de quovis fideli. Nam qui talis est, etsi servus sit, etsi in foro mendicet, si modo credat in Deum, jure omni fruitur benevolentia. Si despiciamus illum nudum aut esurientem, hæc audiemus verba : et merito quidem.

(*a*) Hic notat Boisius : *Atqui tria tantum loca adducuntur, ut forte legendum sit* ter, *hoc loco et mox*. Verum licet tria loca tantum afferat, post tertium dicit alia suneresse. Quare cum *quater* dixisset, post allata tria loca quartum sic expresserit, *sæpeque alias*. Certe *quater* habent omnia exemplaria, et bis hic habetur.

Officia Christiana quam facilia. — Quid enim grave, quid onerosum a nobis exigit, quid non facillimum? Neque enim dixit, Infirmus eram, et non sanastis me; sed, *Non visitastis me.* Non dixit, In carcere eram, et non eduxistis me; sed, *Non venistis ad me.* Quanto igitur faciliora sunt præcepta, tanto majus supplicium non servantibus. Quid enim, quæso, facilius, quam carcerem adire? quid suavius? Cum videris alios vinctos, alios squalidos, comatos, et pannis indutos, alios fame tabescentes, et ad pedes canum more accurrentes, alios discerptis lateribus, alios ex foro ligatos revertentes, qui tota die mendicantes, ne cibum quidem necessarium collegerunt; vespere autem a custodibus ad laboriosum et immane ministerium coactos; etiamsi lapis esses, humanissimus hinc evades: etiamsi vitam mollem dissolutamque ducas, hinc plane philosophus evades, dum humanæ vitæ conditionem in alienis calamitatibus intueberis. Tunc in mentem veniet tremendus ille dies, variaque supplicia. Hæc animo versans, iram, voluptatem, sæcularium rerum amorem abjicies, et tranquillo quovis portu tranquilliorem animam efficies. De judicio illo philosophaberis, tecum reputans, si apud homines tantus ordo rerum, tantus terror, tantæ comminationes, multo magis apud Deum. *Nulla enim potestas est, nisi a Deo* (*Rom.* 13. 1). Qui principibus hæc ordinanda commisit, multo magis ipse exsequetur.

5. *Majus ex officio caritatis quam e theatralibus spectaculis gaudium percipitur. Visendi sunt incarcerati.* —Nam nisi ille instaret timor, omnia sane perirent: quando tot imminentibus suppliciis multi ad nequitiam sese conferunt. Hæc si philosopheris, ad eleemosynam eris promptior, magna frueris voluptate, et longe majore, quam qui a theatro descendunt. Nam qui a theatro surgunt, concupiscentia ardent. Cum vident enim illas in scena mulieres, ornatibus splendentes, mille affecti vulneribus, instar maris æstuantis erunt, dum earum aspectu, habitu, verbis, incessu, cæterisque omnibus animus obsidetur. Qui autem ab illo alio spectaculo egrediuntur, nihil tale patientur, imo magna fruentur tranquillitate. Compunctio enim ex vinctorum aspectu parta hujusmodi ignem totum exstinguit. Si exeunti ex carcere occurrat lasciva meretrix, nihil illi mali inferet. Nam fuco nulli obnoxius, aspectus hujusmodi retibus non capietur, cum contra talem aspectum metus judicii ob oculos versetur. Ideo ille qui omne voluptatis genus expertus erat, dicebat, *Melius est ire in domum luctus, quam in domum risus* (*Eccle.* 7. 3). Et hic talem sectatus philosophiam, illic beatissima audiet verba. Ne ergo illud negligamus opus. Etiamsi enim non possimus eo cibum inferre, nec argentum, at poterimus verbis lapsum animum consolari, et in aliis multis juvare, sive eos qui in carcerem truserunt alloquentes, sive custodes mansuetiores reddentes, et vel quantulumcumque opis afferemus. Si dixeris, nec frugi nec probos viros illic esse, sed homicidas, sepulcrorum effossores, fures, mœchos, lascivos, multisque sceleribus obnoxios, rursus mihi necessarium hunc aditum probas. Non enim jubemur bonos miserari, et malos punire; sed hujusmodi humanitatem omnibus impertire. Nam ait, *Estote similes Patri vestro, qui in cœlis est, qui oriri facit solem suum super malos et bonos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* 5. 45). Ne ergo alios acrius insecteris, neve sis judex vehementior, sed mitis et humanus. Nos etenim etsi non mœchi simus, non sepulcrorum effossores, non fures, sed aliis sumus obnoxii vitiis, quæ mille suppliciis digna sunt. Nam vel fratrem fatuum vocavimus, quod nos gehennæ obnoxios reddit; vel mulieres impudicis oculis aspeximus, quod est consummatum adulterium: quodque omnium gravissimum est, indigne mysteria participavimus, quod reos facit corporis et sanguinis Christi. Ne ergo acerbi aliorum scrutatores simus; sed nostra cogitemus, et sic inhumanitatem hanc et crudelitatem sedabimus. Ad hæc vero dicendum etiam, nos ibi probos viros multos reperturos esse, toti plerumque civitati exæquandos. Nam carcer ille, in quo Joseph erat, multos improbos continebat; et tamen omnium curam gerebat justus ille, et cum aliis occultus erat. Nam cum toti Ægypto esset exæquandus, in carcere tamen erat nemini notus. Nunc quoque verisimile est ibi multos esse probos et frugi viros, etsi non omnibus notos; et cura illis exhibita, officium aliis præstitum abunde tibi compensat. Etiamsi vero nullus ibi talis esset, magna tamen tibi reposita est merces. Certe Dominus tuus non justos modo alloquebatur, nec impuros fugiebat; sed et Chananæam cum multa benevolentia excepit, et Samaritanam scelestam et impuram, aliamque meretricem, quod Judæi exprobrarunt, excepit et curavit, passusque est ut impuræ mulieris lacrymis pedes sui rigarentur, ut nos doceret humane peccatores excipere. Hæc enim maxima humanitas est. Quid dicis? fures et sepulcrorum effossores carcerem occupant? Num, quæso civitatis incolæ omnes justi sunt? annon hic multi pejores sunt, qui impudentius furantur? Alii enim solitudinem saltem et tenebras obtendunt, et hæc clam faciunt: alii, posita larva, nudo capite, mala perpetrant, violenti, raptores, avari. Difficile namque est virum reperire insontem.

6. Quod si non aurum rapimus, si non tot et tot jugera terræ, at fraude et furto idipsum in minoribus pro virili facimus. Nam cum in commercio, vel in emendo et vendendo, minus quam oportet numerare contendimus, omnemque machinam movemus, annon illud latrocinium est? annon furtum et rapina? Ne mihi dixeris, te nec domum nec servum abstulisse. Injustitia namque non raptæ rei pretio, sed rapientis voluntate penditur. Justitia namque et injustitia in magnis et parvis rebus eamdem vim habent: et furem appello tam eum qui exsecta crumena aurum abripit, quam ementem, qui aliquid defraudat de pretio; et parietis effossorem voco, non eum modo qui, rupto pariete, aliquid intus furatur; sed etiam eum qui, jure violato, aliquid a proximo aufert. Ne ergo rebus nostris omissis, alienarum judices simus; neque dum humanitatis tempus est, nequitiam scru-

temur : sed cogitantes quomodo nos olim affecti fuerimus, simus tandem mansueti et benigni. Quomodo ergo affecti eramus? Audi Paulum dicentem : *Eramus enim aliquando et nos inobedientes, insipientes, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, odibiles, odientes invicem* (*Tit.* 3. 3) ; et rursum, *Eramus enim natura filii iræ* (*Ephes.* 2. 3). Sed Deus nos quasi in carcere detentos videns, et gravibus constrictos catenis, quæ ferreis longe graviores, non erubuit, sed venit in carcerem, et innumeris dignos suppliciis eduxit inde, et in regnum induxit; cæloque splendidiores effecit, ut et nos pro virili nostra hoc ipsum faciamus. Nam cum discipulis dicit : *Si ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes : exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (*Joan.* 13. 14) : non de lavandis pedibus tantum hic legem dat, sed et de aliis omnibus, quæ ipse nobis contulit. Homicida est in carcere? At nos bene facere ne desistamus. Sepulcrorum effossor est, aut mœchus? Sed ne malitiæ, verum calamitatis misereamur. Sæpe autem, ut dixi, reperietur ibi quispiam innumeris viris exæquandus; et si sæpe vinctos adeas, hunc venatum assequeris. Sicut Abraham, qui quosvis excipiebat, in angelos incidit : sic et nos in viros magnos incidemus, si id frequentemus. Si vero liceat quid admirandum dicere, non tanta laude dignus est, qui magnum quempiam excipit, quam is qui miserum et infelicem. Ille namque non parvum argumentum affert sui recipiendi, nempe vitam suam; homo autem omnibus abjectus et miser unum habet portum, nempe misericordiam ejus qui se bene excipit : itaque hæc humanitas pura est. Qui claro et conspicuo officia exhibet, sæpe ad ostentationem id facit : qui vero abjectum excipit despectumque hominem, ob solum Dei præceptum id facit. Quare si convivium paremus, claudos et cæcos excipere jubemur; si eleemosynam erogemus, minimis et vilissimis elargiri præcipimur : nam ait, *Quantum uni ex his minimis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* 25. 45). Cum ergo illic reconditum thesaurum sciamus, eo frequenter ingrediamur, et ibi negotiemur, ac theatrorum studium illo vertamus[1]. Si nihil aliud afferendum habeas, verborum consolationem adhibe. Non modo enim alentem, sed et intrantem Deus mercede donat. Nam si ingressus, trementem metuentemque animum confirmaveris, hortando, juvando, opem promittendo, philosophiam docendo, non parvam hinc mercedem recipies. Extra positi multi, te ita loquente, ridebunt, multis perfusi deliciis; sed qui in calamitate versantur, animo compuncto cum modestia multa dictis attendent, te laudabunt, et meliores evadent. Nam et Paulum prædicantem Judæi sæpe deriserunt, vincti autem cum sommo silentio audiebant. Nihil enim ita animum ad philosophiam præparat, ut calamitas, tentatio, ærumnæ. Hæc itaque cogitantes, quot nempe in carcere positis bona, quot nobis ipsis conferemus, si sæpe cum illis versemur, forenses illas et intempestivas consuetudines eo vertamus, ut et illos lucremur, et nobis ipsis lætitiam pariamus, ac Dei gloriam curantes, æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria simulque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Morel legit, *sepeliamus*, pro, *vertamus*.

HOMILIA LXI.

Cap. 10. v. 22. *Facta sunt autem encænia in Jerosolymis, et hiems erat.* 23. *Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis.* 24. *Circumdederunt ergo eum Judæi, et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis?*

1. *Christus mansuetudinem verbo et exemplo prædicavit. Malus Judæorum animus.* — Omnis quidem virtus bona est, maxime autem mansuetudo et clementia. Hæc nos homines esse demonstrat, et a feris dirimit : hæc nos angelis exæquat. Ideo Christus frequenter de hac virtute verba facit, cum mites et mansuetos esse jubet. Neque verba tantum facit, sed et operibus ad id nos instituit, modo alapas perferens, modo convicia et insidias, ac rursum cum insidiantibus versans. Nam qui dæmoniacum illum et Samaritanum appellaverant, qui sæpe occidere illum voluerant, qui lapidibus impetierant, hi circumsistunt et interrogant, *Si tu es Christus?* Neque illos post tot talesque insidias repulit, sed mansuete admodum respondit. At necessarium est hunc sermonem altius repetere. *Facta sunt*, inquit, *encænia in Jerosolymis, et hiems erat.* Magnus hic dies festus et solemnis erat. Qua enim die templum constructum fuerat, ex longa et Persica (*a*) reversi captivitate, hanc celebritatem solemniter agebant. Diei festo aderat Christus. Instante namque morte, frequenter in Judæam veniebat. *Circumdederunt ergo eum Judæi et dicebant : Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Non dixit, Quid a me quæritis? dæmoniacum sæpe vocastis, furiosum, Samaritanum : Deo adversarium et deceptorem me putastis esse : et nuper dicebatis, *Tu testimonium perhibes de teipso; testimonium tuum non est verum* (*Joan.* 8. 13) : cur ergo interrogatis et de me audire vultis, cujus testimonium rejicitis? Nihil horum dixit, etsi nosset malum interrogantium animum. Nam quod eum circumdederint, ac dixerint, *Quousque animam nostram tollis?* id videbatur ex amore quodam et discendi studio proficisci. Mens autem interrogantium corrupta et subdola erat. Quia enim opera calumniis non obvia erant, verbis capere quærebant, aliter quam prius interrogantes, ac frequenter sciscitantes, ex ipsis verbis eum confutare volebant; et cum opera carpere non possent, ex verbis

(*a*) Sæpe Chrysostomus Persidem vocat Babyloniam et Assyriam.

ansam quærebant. Ideo dicebant, *Dic* [illegible] sæpe dixit. Nam sic Samaritanam alloquutus est: *Ego sum qui loquor tecum* (*Joan.* 4. 26) et [illegible]: *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ille est* (*Ibid.* 9. 37) Illis quoque dixit, sed aliis verbis. Atqui si mente valuissent, et recte explorare voluissent, verbis ipsum confiteri debuissent, qui operibus hæc ipsum sæpe comprobaverat. Nunc vero illorum perversitatem considera. Cum concionatur et verbis docet, aiunt: *Quod signum ostendis?* Cum autem operibus demonstrationes profert, dicunt illi: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Dum opera clamant, verba quærunt; et cum verba docent, ad opera confugiunt, contrariisque semper insistunt. Quod enim non discendi causa interrogarent, exitus demonstravit. Quem enim ita fide dignum putabant, ut de seipso testificantem admitterent, vel pauca loquentem, statim lapidibus impetunt. Itaque quod circumdarent eum et instarent, id ex nequitia proficiscebatur. Modus quoque interrogandi multum præ se ferebat odium. *Dic nobis palam, si tu es Christus.* Atqui palam ille loquebatur in solemnitatibus, quibus semper aderat, nihilque clam dicebat; ideoque adulantes dicunt, *Quousque animam nostram tollis?* ut provocantes, aliquam criminandi ansam reperiant. Quod enim semper ille animo interrogarent, non ut discerent, sed ut dicta carperent, non hinc solum, sed et aliunde sæpe probatur. Nam cum accesserunt dicentes: *Licet censum dare Cæsari, necne* (*Matth.* 22. 17)? et cum de repudianda uxore agerent, cumque de illa sciscitarentur, quam dicebant septem habuisse viros, deprehensi sunt, non discendi studio, sed ex pravo animo sciscitari. Sed tunc illos coarguit his verbis, *Quid me tentatis, hypocritæ?* ostendens se illorum secretam mentem cognoscere. Hic vero nihil loquitur simile, ut nos doceat, insidiatores non semper esse arguendos, sed multa modeste et mansuete esse ferenda. Quia ergo stultum erat, ipsis operibus prædicantibus, verborum testimonia quærere, audi quomodo ipsis respondeat, simul subindicans hæc illos frustra quærere, non discendi causa, et significans, se jam verbis ipsis clariorem emisisse vocem, per opera scilicet. Nam ait: 25. *Sæpe dixi vobis, et non creditis mihi: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, illa testimonium perhibent de me.* Quod ii, qui apud illos moderatiores erant, sæpe mutuo dicebant: *Neque enim potest homo peccator hæc signa facere* (*Joan.* 9. 16); et rursum, *Non potest dæmonium cæcorum oculos aperire;* et, *Nemo potest talia signa facere, nisi sit cum illo Deus.* Et videntes signa quæ faciebat, dicebant: *Numquid hic est Christus?* Alii autem dicebant: *Quando venerit Christus, num plura signa faciet, quam hic fecit* (*Ibid.* 7. 31)? Iidem vero ipsi ex operibus volebant in illum credere dicentes: *Quod signum ostendis nobis, ut videamus et credamus tibi* (*Ibid.* 2. 18)?

2. *Quomodo Christus Judæos increpando simul alliciat et invitet. Eadem potentia Patris et Filii, eadem manus.* — Quia ergo tunc simulabant se ex solo verbo credituros, qui tot tantisque operibus non credide- [illegible] præpolitas? [illegible] nim, [illegible] na- [illegible] sit [illegible] r- [illegible] is [illegible] a [illegible] Patris mei. [illegible] verte [illegible] sequantur. [illegible] *estis oves;* qui [illegible] porro dicebat, ut [illegible] quid consequuturi sint [illegible] quendi desiderium [illegible] potentiam nemo rapit, [illegible] dire non vales? Minime. [illegible] *qui dedit mihi*, ideo dictum [illegible] Deo adversarium dicerent; [illegible] *rapit eas de manu mea*, pergit [illegible] manum unam esse. Nisi enim [illegible] erat: Pater qui dedit mihi, major [illegible] nemo potest eas rapere de manu mea. Verum [illegible] ita dixit, sed, *De manu Patris mei.* Deinde [illegible] ipsum esse infirmum, sed per Patris potentiam [illegible] in tuto esse, subdidit: *Ego et Pater unum sumus;* ac si diceret, Non ideo dixi, ob Patris potentiam neminem eas esse rapturum, quasi illas ego servare non valeam. Nam *Ego et Pater unum sumus;* id est, secundum potentiam: nam de illa hic sermo erat. Si autem eadem est potentia, palam est eamdem esse substantiam. Cum enim multa facerent Judæi, insidias pararent, extra synagogam ejicerent, dicit illos omnia incassum machinatos esse. Nam in manu Patris mei sunt oves, ut propheta dicit: *In manu mea depinxi muros tuos* (*Isai.* 49. 16). Deinde unam esse manum ostendens, illam modo suam, modo Patris esse dicit. Cum manum audis, nihil sensile cogites, sed virtutem, potentiam. Si autem nemo rapuit, quia Pater sibi potestatem indidisset, superfluum fuisset addere, *Ego et Pater unum sumus.* Nam si minor Filius esset, temerarium esset dictum. Nihil certe aliud declarat, quam potentiæ æqualitatem: quod cum Judæi intelligerent, lapidibus ipsum impetebant. Neque tamen ille hanc amovit opinionem. Atqui si id falso opinati fuissent, illos emendare oportuit ac dicere: Cur hoc facitis? non hæc dixi, ut parem paternæ meam potentiam indicarem. Nunc contra, illis ferocientibus, illam opinionem confirmat et probat. Non sese purgat, ut qui male et falso dixerit; imo illos increpat, ut qui non consentaneam de se habeant opinionem. Cum enim dicerent: 33. *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia homo cum sis, facis teipsum Deum;* audi quid dicat: 35. *Si illos dicit Scriptura deos, ad quos sermo Dei factus est,* 36 *quomodo vos dicitis quia blasphemo, quia dixi, Filius Dei sum?* Id est,

Si ii qui per gratiam hoc acceperunt, non accusantur cum se deos vocant; qui ex natura sua hoc habet, quo jure increpetur? Verum non ita dixit, sed demum id probavit, postquam demissius loquutus est his verbis: *Quem Pater sanctificavit et misit*; et postquam illorum furorem sedavit, tunc claram affert demonstrationem. Interim vero, ut admitteretur id quod dicebat, humilius loquutus est, ac demum ad majora ipsos adducit, dicens: 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi*; 38. *sin autem facio, etsi mihi non creditis, operibus meis credite.* Viden' quomodo probet, ut dixi, se Patre in nullo inferiorem esse, sed æqualem omnino? Quia enim non poterat substantia ipsius videri, ab operum æqualitate et identitate æqualis potestatis demonstrationem affert.

3. Ecquid, quæso, credemus? *Quod ego in Patre, et Pater in me sit.* Nihil enim aliud ego sum, quam Pater, manens Filius; nihil aliud est ille, quam quod ego, manens Pater: et qui me novit, novit et Patrem, Filiumque didicit. Quod si potentia minor esset, etiam cognitio falsa esset. Neque enim alia per aliam vel substantia vel potentia disci potest. 39. *Voluerunt ergo eum apprehendere: et exiit de manibus eorum*, 40. *et abiit trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans primum.* 41. *Et multi venerunt ad eum, et dicebant: Joannes quidem signum fecit nullum; omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera sunt.* Postquam enim magnum quidpiam et sublime dixit, statim secedit, illorum cedens furori, ut per absentiam illius sedetur et sopiatur. Quod etiam tunc fecit. Sed cur evangelista locum indicat? Ut discas ipsum ideo istuc abiisse, ut ipsis in memoriam illa revocaret, quæ Joannes illic fecerat dixeratque, necnon testimonium ipsius. Istuc ergo cum venissent, statim Joannis recordati sunt; ideo dicunt, *Joannes nullum fecit signum*; nam alias quid ad rem fecisset id addere? sed quia locus Baptistæ memoriam revocavit, necnon ejus testimonii. Vide autem quam certos syllogismos concinnent. Joannes, inquiunt, nullum fecit signum; hic signa facit: hinc ergo ejus præcellentia ostenditur. Si ergo illi nullum signum edenti credidimus, multo magis huic credemus. Deinde, quia Joannes erat qui testimonium perhibuerat, ne quia signum non fecerat, indignus fuisse putaretur qui testimonium ferret, adjiciunt, etiamsi signum non fecerit, vera tamen omnia de Christo dixisse, ita ut non Christus ex illo, sed ille ex operibus Christi fide dignus haberetur. 42. *Multi ergo crediderunt in eum.* Multa enim illos attrahebant. Nam recordati sunt verborum ejus, cum ipsum se fortiorem dicebat, lucem, vitam, veritatem cæteraque omnia; vocis quoque desuper allatæ, Spiritusque specie columbæ apparentis, ipsumque omnibus ostendentis. Ad hæc miraculorum demonstratio accedebat; qua confirmabantur. Nam si Joanni, inquiunt, credendum, multo magis huic. Si absque signis illi credidimus, multo magis huic, qui illius testimonio celebratus, et ex signis demonstratus est.

Tranquillitas quantum animæ prosit. Anima a negotiis vacans, in portu sedet. Mulierum officium.—Viden' quantum illis locus profuerit, quantum sequestratio a viris improbis? Ideo illos frequenter ab istorum consortio abducit. Quod etiam in veteri lege fecisse deprehenditur. Judæos procul ab Ægyptiis in deserto informans, et sic in omnibus instituens. Id quod etiam nobis faciendum suadet, jubens forum vitare, tumultumque et turbam, atque in cubiculo tranquille orare. Navicula enim tempestate non agitata, secundo vento navigat: animaque a negotiis vacans in portu sedet. Ideoque mulieres philosophiæ magis deditas esse oporteret, quam viros, quæ rei familiari ut plurimum incumbunt. Sic Jacob simplicior fuit, qui domi habitaret, a tumultibus liber. Neque enim sine causa hæc Scriptura dixit, *Habitans domum* (*Gen.* 25. 27). Atqui domi etiam, inquies, magnus tumultus. Siquidem tu vis, et multas tibi attrahis curas. Vir certe in medio foro, et pro tribunali, externis rebus quasi fluctibus agitatur: mulier vero, seu in quodam philosophiæ gymnasio, domi sedens, mentem colligens, poterit et precibus et lectioni cæterisque philosophiæ exercitiis incumbere. Ac quemadmodum ii qui desertum incolunt, a nemine turbantur: sic mulier semper intus manens, perpetua poterit frui tranquillitate. Si quando autem domo sit exeundum, nulla inde perturbationis causa. Sive enim in ecclesiam veniant, sive ad balneum sit pergendum, sæpe coguntur quidem mulieres exire: ut plurimum autem domi sedet mulier, potestque philosophari, adventantemque virum perturbatum sedare, compescere, superfluos ac molestos ejus cogitatus eliminare, et sic rursus emittere curis in foro susceptis vacuum, et bona quæ domi didicit secum ferentem. Nihil enim, nihil utique fortius muliere pia et prudente, ut virum informet, ejusque animam, ut voluerit, instituat. Non amicos, non doctores, non principes perinde feret, ut uxorem monentem, et consilium dantem. Monitio quippe talis cum quadam voluptate conjuncta est, quod illa multum ametur. Multos possem afferre viros asperos, immorigeros, ab uxoribus mitigatos. Uxor viri et mensæ et lecti et liberorum procreationis consors, ipsa conscia dictorum et arcanorum, ingressus et exitus, plurimorumque aliorum, in omnibus marito dedita, et sic illi juncta, ut par est corpus capiti copulari, si prudens sit et diligens, plus quam omnes alii conjugem fovebit et curabit.

4. *Uxoris christianæ agendi ratio qualis esse debeat; quale sit ipsius verum decus.*—Quamobrem hortor, ut operam illi rei dent, et quæ decent suadeant. Ut enim ad virtutem uxor, sic et ad nequitiam inducendam multam vim habet. Mulier Absalonem, mulier Amnonem perdidit, mulier Jobum perdere conata est: uxor Nabalem a cæde eripuit, mulier totam gentem servavit. Nam Debora et Judith, et aliæ multæ imperatorum probe functæ sunt officio. Ideo Paulus ait: *Quid enim scis, mulier, an virum salvum facies* (1. *Cor.* 7. 16)? Illisque temporibus Persida, et Mariam et Priscillam, apostolicis certaminibus se dedidisse scimus (*Rom.* 16). Quas et vos imitari debetis, nec verbis solum, sed etiam operibus conjuges infor-

mare. Et quomodo maritum operibus erudiemus? Cum te videbit nec improbam, nec curiosam, nec ornatus amantem, non superfluos sumptus expetentem, sed præsentibus contentam; tunc te consulentem feret. Si autem verbis philosopheris, rebus vero contraria feceris, tunc loquacitatem tuam damnabit. Sin verbis simul et operibus doctrinam inferas, tunc te excipiet atque magis obtemperabit: ut cum aurum non quæres, neque margaritas, neque vestimentorum magnificentiam; sed horum loco, modestiam, temperantiam, benevolentiam: utque ex teipsa hæc afferes, sic ab illo eadem exiges. Nam si quid ad placendum viro sit agendum, animam oportet, non corpus ornare, imo corrumpere. Neque enim ita te illi amabilem aurum reddet, ut temperantia et benevolentia, atque animus ad vitam pro marito ponendam paratus. Hæc viros capiunt. Nam cultus ille superfluus displicet illi, rem familiarem coarctat, et sumptum et curas parit. At quæ prius dicta sunt, virum uxori copulant. Benevolentia quippe, amicitia, desiderium, nec curas faciunt, nec impensam exigunt; imo contrarium omnino. Ornatus quidem ille a consuetudine fastidium ingenerat: animæ vero ornatus quotidie floret; et majorem accendit flammam. Itaque si viro placere velis, orna animam castitate, pietate, rei domesticæ cura. Hæc maxime alliciunt, et numquam desinunt. Hunc ornatum non senectus solvit, non morbus aufert; sed corporis cultum diuturnum tempus atterit, morbus consumit, aliaque multa perdunt. At animæ bona his omnibus sunt superiora. Ille ornatus invidiam parit et zelotypiam; hic vero a morbo quovis et a vana gloria liber est. Hoc pacto res domestica facilior erit, et proventus uberior, quando aurum non corpori tuo circumpositum erit, nec manus ligabit; sed pro necessariis expendetur usibus: ut in cibum servorum, filiorum curam necessariam, aliaque rationi consentanea. Alioquin si hæc in luxum præponantur, dum cor angitur, quod lucrum? quæ utilitas? Tantum cultum non sinit dolor aspicere. Scitis enim, scitis utique, quod si quis mulierem omnium ornatissimam videat, delectari non potest, si animus sit in mœrore: qui enim vult delectari, hilaris sit oportet. Si autem aurum totum ad ornandum uxoris corpus insumptum est, in angustia rei familiaris nulla potest esse heri voluptas. Quapropter si vultis placere viris, dabitis voluptati locum: dabitis porro, si talem cultum et ornatum tollatis. Hæc quippe omnia sponsalium tempore quamdam videntur habere voluptatem; demumque tempore marcescunt. Si enim cælum tam pulchrum, solem tam splendidum, cui nullum par esse corpus dixeris, ob consuetudinem non usque adeo miramur, quomodo ornatum corpus diu mirabimur? Hoc dico, quod velim vos ornari vero cultu, quem Paulus præcepit: *Non auro et margaritis, aut veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona* (1. *Tim.* 2. 9 *et* 10). Sed vis externis placere, ab iisque laudari? Certe non castæ mulieris est desiderium. At si velis, etiam illos habebis et amatores et castitatis laudatores. Illam enim talem mulierem nemo æquus æstimator laudabit, sed lascivi tantum et molles homines; imo ne hi quidem laudabunt, sed maledicent, cum mulieris lasciviam intuebuntur: probam vero hanc mulierem et hi et illi omnesque laudabunt; quippe qui nihil ab illa mali acceperint, sed philosophiæ doctrinam: magna apud homines laus aderit, magna apud Deum merces. Hunc ergo quæramus ornatum, ut et hic cum libertate vivamus, et futura consequamur bona: quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXII (*a*).

CAP. 11. v. 1. *Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, ex castello Mariæ et Marthæ sororis ejus.* 2. *Maria autem erat ea quæ unxit Dominum unguento.*

1. *Ærumnæ amicis Dei maxime competunt. De Maria sorore Lazari quæstio.* — Multi cum aliquos vident homines Deo acceptos, in ærumnam quampiam, ut morbum, paupertatem, aut quid simile incidisse, perturbantur, nescii Deo amicis id maxime competere. Nam Lazarus ex Christi amicis erat, et infirmabatur: id quod dicebant ii qui miserunt: *Ecce quem amas infirmatur.* Sed locum altius repetamus. *Erat,* inquit, *quidam languens Lazarus a Bethania.* Non abs re dixit unde esset Lazarus, sed ea de causa, quam postea dicturus est. Interim vero præsentia tractemus. Sorores utiliter indicat, et Mariam quæ in aliquo præstabat, hoc adjiciens, *Erat autem Maria quæ Dominum unxerat unguento.* Hic quidam quæstionem movent, cur Dominus hoc mulierem facere permiserit? Primo itaque discas oportet, non hanc esse meretricem de qua Matthæus et Lucas, sed aliam honestam mulierem. Illæ namque mulieres erant peccatis onustæ: hæc vero et honesta et studiosa. Nam Christum excipere curavit. Narrat autem evangelista, sorores quoque ipsum amavisse; et tamen Lazarum mori permisit. Quare non, ut centurio et regulus, relicto fratre ægrotante, Christum adeunt, sed mittunt? Admodum Christo fidebant, ipsique familiares erant. Alioquin mulieres erant infirmæ, et luctu detinebantur. Quod enim non ex contemptu sic fecerint, postea demonstrarunt. Quod igitur hæc illa non esset palam est. Sed illam, inquies, cur admisit Christus? ut solveret nequitiam, ut humanitatem exhiberet, ut discas nullum esse morbum, qui ejus bonitatem superet.

(*a*) Hanc homiliam et duas sequentes edidere olim Parisienses typographi Tomo secundo Bibliothecæ Patrum, Editione secunda, nomine sancti Basilii Seleuciæ episcopi, Latine versas per Theodorum Peltanum Societatis Jesu Theologum.

Ne itaque hoc tantum respicias quod illam admiserit, sed et illud considera, quomodo mutaverit. Et cur hanc memorat historiam evangelista? imo vero quid nos vult docere, cum ait: 5. *Amabat autem Jesus Martham et sororem ejus, et Lazarum?* Ne umquam indignemur vel ægre feramus, si viri virtute præditi et Dei amici, in morbum incidant. 3. *Ecce quem amas, infirmatur.* In commiserationem Christum pertrahere volebant. Adhuc enim hominem esse putabant, quod ex dictis eorum arguitur, *Si fuisses hic, non fuisset mortuus.* Neque dixerunt, Ecce Lazarus infirmatur; sed, *Ecce quem amas, infirmatur.* Quid ergo Christus? 4. *Hæc infirmitas non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Vide quomodo rursum eamdem dicat gloriam suam et Patris. Cum enim dixisset, *Dei*, subdidit, *Ut glorificetur Filius Dei. Hæc infirmitas non est ad mortem.* Cum enim illic biduo mansurus esset, remittit illos ut hæc nuntient. Qua in re mirandum est, quod sorores cum audissent non esse ad mortem, et postea mori vidissent, offensæ non fuerint, rem contra cessisse cernentes; verum accesserunt, nec putarunt mentitum illum esse. Illa autem particula, *Ut*, non causalis est, sed eventum significat. Alia namque fuit morbi causa; illo autem ad Dei gloriam usus est. 6. *Et cum hæc dixisset, mansit in eo loco duos dies.* Cur mansit? Ut expiraret ille et sepeliretur: ne quis diceret, Nondum defunctum suscitavit, sopitus tantum erat; vel, Solutus defecerat, non mors erat. Ideo tanto tempore manet, ut illo jam corrupto, dicere possent, *Jam fœtet* (*Joan* 11. 39). 7. *Deinde dicit discipulis*: *Eamus in Judæam.* Cur cum nusquam ita prædixerit, hic prædicit? Valde timebant: et quia sic affecti erant, prædicit, ne statim turbentur. Quid vero discipuli? 8. *Nunc quærebant te Judæi lapidare, et rursus eo vadis?* Timebant enim etiam ei, sed sibi magis; nondum enim perfecti erant. Quapropter timore exagitatus Thomas dicit ei: *Eamus, ut et nos moriamur* (*Ibid.* 16). Infirmior namque et magis incredulus[1] quam cæteri erat. Sed vide quomodo Christus dictis suis illos confirmet. 9. *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Vel hoc dixit, ut declararet, nihil timendum esse nullius sibi mali conscio; sed eum qui male fecerit puniendum (quare nobis nihil timendum, cum nihil morte dignum fecerimus): vel sic intelligas, Qui lucem hujus mundi videt, in tuto est; si autem ille in tuto est, multo magis is qui mecum est, nisi a me discesserit. His verbis illos confirmavit, et necessariam causam subdidit, cur illo migrandum esset: et postquam declarasset, non ituros Jerosolymam, sed Bethaniam, dixit: 11 *Lazarus amicus dormit, et vado ut illum excitem.* Hoc est, Non iterum vado cum Judæis disputaturus et congressurus, sed amicum nostrum excitaturus. 12. *Dicunt discipuli: Domine, si dormit, salvus erit.* Id vero non sine causa dixerunt, sed ut impedirent quominus iret. Dicis, inquiunt, illum dormire? ergo nihil cogit illo abire. Atqui ille ideo dixerat, *Amicus noster*, ut ostenderet necessariam esse profectionem.

2. Quia vero illi segniores erant, dixit tandem, 14. *Mortuus est.* Primo itaque ut fastum tolleret, sic loquutus fuerat; cum autem id illi non intelligerent, adjecit, *Mortuus est*, 15. *et gaudeo propter vos.* Cur, *Propter vos?* Quod absens prædixerim: itaque cum resuscitavero, nulla remanebit suspicio. Viden' quomodo adhuc imperfectiores essent discipuli, nec ejus virtutem ut par erat cognoscerent? Quod ex metu illorum animos turbante proveniebat. Et cum dixit, *Dormit*, addidit, *Vado ut excitem eum;* cum autem dixit, *Mortuus est*, non jam addidit, *Vado, ut suscitem eum.* Non enim volebat ex verbis prædicere, quæ opere confirmaturus erat, nos semper docens, vanam gloriam esse fugiendam, neque temere esse promittendum. Quod si rogatus hoc centurioni fecit (dixit enim, *Ego veniam; et curabo eum* [*Matth.* 8. 7]); id dixit, ut ejus fidem ostenderet. Si quis vero dixerit, Cur somnum suspicabantur esse discipuli, neque noverunt mortuum esse, cum diceret, Vadam et curabo eum? (stultum enim erat si putarent Jesum quindecim stadia confecturum esse, ut illum expergefaceret): respondebo, putasse illos hoc ænigma esse, ut alia multa quæ dicebat.

Thomas omnium infirmissimus postea fortissimus effectus est. — Omnes itaque Judæorum impetum formidabant; omnium maxime Thomas: ideo dixit, 16. *Eamus, ut et nos moriamur cum eo.* Quidam vero dicunt, ipsum mori optasse; sed non ita res est: nam potius ex timore loquebatur. Sed non increpatus fuit. Ejus enim infirmitatem adhuc tolerabat; demum certe his omnium fortissimus effectus est et insuperabilis. Nam, quod admiratione dignum est, is quem ita infirmum ante crucem vidimus, post crucem et post resurrectionis fidem ferventissimum omnium conspicimus. Tanta est Christi virtus. Nam qui cum Christo Bethaniam ire non audebat, hic Christo non præsente orbem fere percurrit, in mediis populis versabatur sanguinariis, qui illum interficere quærebant. Si autem stadiis quindecim distabat Bethania, quæ sunt milliaria duo, quomodo quatriduanus erat Lazarus? Mansit duobus diebus, et pridie venerat nuntius, eo ipso mortis die: deinde quarta die advenit. Ideo donec vocaretur exspectavit; neque non accersitus venit ne qua oriretur suspicio. Neque ipsæ, quæ amabantur, venerunt; sed alii mittuntur. 18. *Erat autem Bethania quasi stadiis quindecim.* Hinc significatur multos ex Jerosolymis adfuisse; nam statim adjicit, multos ex Judæis adfuisse qui consolarentur eas (*Joan.* 11. 19). Quomodo[1] a Christo dilectas Judæi consolabantur? Atqui convenerant ut si quis Christum confiteretur, extra synagogam fieret?

[1] In Morel. legitur, *timidior*, pro, *magis incredulus.*

[1] Omnes fere Mss. nostri locum, ut in textu jacet, efferunt; Editi vero sic..... « *quasi stadiis quindecim* ». *Neque illud sine causa notatur: sed ostendere voluit Evangelista locum esse proximum, et ex illa proximitate verisimilem fieri multorum præsentiam. Itaque subjunxit: « Multi autem ex Judæis venerant ut consolarentur eas. » Quomodo* etc.

Vel ob calamitatis magnitudinem, vel quia ut nobiliores venerabantur; vel forte qui non improbi erant, venerunt: multi enim ex ipsis crediderunt. Hæc porro dicit evangelista, Lazari mortem confirmans. Cur porro Christo obviam venit sine sorore comite? Vult seorsim illum adire, et rem nuntiare. Postquam autem Christus spem bonam indiderat, tunc abit, et Mariam vocat, et occurrit illi, luctu adhuc vigente. Viden' amoris magnitudinem? Hæc est de qua dicebat: *Maria vero optimam partem elegit* (*Luc.* 10. 42). Quomodo ergo, inquies, Martha nunc ferventior videtur? Non erat hæc ferventior; sed illa nihil didicerat: nam Martha imbecillior erat. Cum enim tot tantaque audisset, adhuc tamen dicit, *Jam fœtet; quatriduanus est enim*. Illa vero, etsi nihildum audisset, nihil hujusmodi loquuta est; sed statim credens dixit: 21. *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*.

3. Videte quanta sit mulierum philosophia, etiamsi imbecilla mente essent? Viso namque Christo non statim in luctum, in planctum, in gemitum erumpunt, ut nos solemus, quando notos quospiam ad luctum venientes conspicimus; sed statim illæ magistrum mirantur. Credebant utique ambæ in Christum; sed non ut par erat. Nondum enim perfecte sciebant, nec Deum esse, neque sua potestate et auctoritate hæc facere: quod utrumque ipsas edocuit. Quod autem ignorarent, patet ex eo quod his verbis, *Si fuisses hic, frater noster non esset mortuus*, addiderint, 22. *Quæcumque petieris a Deo, dabit tibi*; quasi de virtute prædito et conspicuo viro loquentes. Vide autem quid Christus respondeat: 23. *Resurget frater tuus*; illud confutans, *Quæcumque petieris*. Neque enim dixit, Petam, sed quid? *Resurget frater tuus*. Si dixisset enim: O mulier, adhuc terram respicis? alieno non egeo auxilio, a meipso omnia facio; hæc molesta fuissent, et mulierem offendissent. Nunc vero dicens, *Resurget*, medium tenuit modum, et per sequentia ea quæ dixi subindicavit. Dicente enim illa, 24. *Scio quia resurget in novissimo die*, clarius suam ostendit auctoritatem, dicens, 25. *Ego sum resurrectio et vita*; commonstrans se non alterius auxilio egere, siquidem ipse vita est. Quod si alterius egeret opera, quomodo ipse fuerit resurrectio et vita? Sed non tam clare dixit, subindicavit tamen. Rursum illa dicente, *Quæcumque poposceris*, ille reponit: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fierit, vivet*; ostendens se bonorum datorem esse, et a se petendum esse. 26. *Et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum*. Vide quomodo mentem ejus erigat. Non enim tantum quærebatur resurrectio Lazari, sed oportebat et hanc, et qui præsentes cum illa erant, resurrectionem ediscere. Propterea antequam suscitet eum, verbis philosophatur. Quod si resurrectio sit et vita, non loco circumscribitur, sed ubique sanare potest. Si vero dixissent ut centurio, *Dic verbo et sanabitur puer meus* (*Matth.* 8. 8), id profecto fecisset: quia vero illum ad se vocabant, et ut veniret rogabant, ideo obtemperavit, ut illas a tam humili, quam de se habebant, opinione retraheret, et ad locum venit: et tamen dum sese attemperat, ostendit posse se, etiam dum absens est, sanare; ideo tardat. Non enim vulgata fuisset gratia repente collata, nisi fœtorem emisisset. Et unde sciebat mulier futuram resurrectionem? Audierat Christum multa de resurrectione loquentem, sed nunc videre cupiebat; et vide quomodo adhuc humi versetur. Cum audisset enim, *Ego sum resurrectio et vita*, non respondit, Resuscita eum; sed quid? *Credo quia tu es Christus Filius Dei*. Quid ergo Christus illi? 25. *Omnis qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet*, si hac nempe morte mortuus fuerit; 26. *et omnis qui vivit et credit in me, non morietur*, illa videlicet morte. Cum igitur ego sim resurrectio, ne turberis si jam mortuus fuerit, sed crede. Hæc enim non mors est. Interim illam de eventu consolatus est, spemque adjecit, tum dicens eum esse resurrecturum, tum hæc proferens, *Ego sum resurrectio*; tum etiam quia, si resurgat et iterum moriatur, nihil mali passurus sit. Itaque non est hæc mors formidanda; hoc est, Neque ipse mortuus est, neque vos moriemini. *Credis hoc? Ait illa: Credo quia tu es Christus Filius Dei, qui in mundum venisti*. Videtur mulier Christi dictum non intellexisse. Novit certe magnum esse quidpiam, sed totum non intellexit. Ideo de alia re interrogata, de alia respondet. Id vero interim lucrata est, quod luctum poneret. Hæc quippe virtus est verborum Christi. Ideo illa prævenit, hæc sequuta est. Nam benevolentia erga magistrum re præsenti non multum affici permittebat. Itaque cum gratia mens quoque mulierum philosophabatur.

4. *Mulierum planctus et luctus immodestus*. — Verum nunc, præter alia mala, hic quoque mulierum morbus obtinet. Nam in luctu et planctu ostentationem affectant, brachia nudant [1], crines discerpunt, genas laniant; aliæ ob dolorem; aliæ ad ostentationem; aliæ impudico animo brachia nudant, viris intuentibus. Quid facis, o mulier? Te in medio foro turpiter nudas, quæ Christi membrum es, idque in foro viris præsentibus? Crines vellicas, vestem discindis, magnos ejulatus emittis, choream circum efficis, et mænadum illarum imaginem servas, nec te putas Deum offendere? Quæ illa insania? Annon gentiles ridebunt? Annon fabulas nostra esse putabunt? Dicent enim, Nulla est resurrectio; sed Christianorum dogmata ridicula sunt, fraudes, fallaciæ. Ac si enim nihil post hanc vitam supersit, ita lugent apud illos mulieres; nihil attendunt Scripturis quis. Figmenta sunt illa omnia, ut ipsæ comprobant. Si enim crederent eum qui mortuus est, non vere mortuum esse, sed ad meliorem vitam translatum; non illum quasi jam ultra non esset lugerent, non ita se macerarent, non illas emitterent voces incredulitatis

[1] Alii habent, *cruentant*, pro, *nudant*. More nempe gentilium, qui præficas in funera inducebant, quarum officia descripta sunt Tomo quinto Antiquitatis explanatæ sub initium.

plenas : Non te amplius videbo , non te recuperabo. Fabulæ apud illos omnia sunt. Quod si id quod caput omnium bonorum est non credunt, multo minus credent cætera. Non tam effeminati gentiles sunt : multi apud illos philosophantur. Audiens gentilis mulier filium in pugna cecidisse, statim sciscitata est, quomodo se res publica haberet (*a*) ; aliusque philosophus coronatus, ut audivit filium pro patria cecidisse, sublata corona sciscitatus uter ex duobus , cum quis esset didicisset, coronam statim reposuit. Multi in deorum suorum honorem filios filiasque mactandos tradidere. Lacænæ autem mulieres filios hortantur , ut scutum ex prælio referant, vel super ipsum mortui referantur. Pudet me ita gentiles philosophari , dum nos turpiter agimus. Qui nihil de resurrectione norunt , perinde agunt ac si nossent : qui norunt resurrectionem , ita se gerunt ac si illam ignorarent. Multi quod propter Deum non facerent ex humano pudore faciunt. Opulentiores enim mulieres capillos non vellunt , brachia non nudant ; quod quidem summopere improbandum , non quod non nudent, sed quia non pietatis causa , ac ne turpes videantur , hoc faciunt. Pudor luctum cohibet, Dei metus non cohibet ? Et quomodo hæc non admodum improbanda ? Oporteret ergo quod opulentæ faciunt quia opulentæ sunt, id pauperes ob Dei timorem facere. Nunc omnia inverso ordine fiunt : illæ ob vanam gloriam philosophantur ; hæ ob pusillanimitatem turpiter agunt. Quid hac inæqualitate deterius ? Omnia hominum gratia facimus. Verba quoque stultitiæ plena et ridicula proferunt. Dominus quidem dicit : *Beati qui lugent* , de iis loquens , qui peccata lugent : nemoque illo luget luctu , nec curat si pereat anima ; hoc non jussi sumus facere, et facimus [1]. Quid ergo , inquies , hominem deflere non licebit ? Hoc non veto , sed tunsiones , sed immoderatos fletus. Non sum ferinus , non inhumanus : scio naturam flecti, et quotidianam requirere consuetudinem. Non possumus non lugere, quod et Christus ostendit : lacrymatus enim est de Lazaro. Hoc et tu facito ! lacrymare , sed leniter , sed pudenter, sed cum timore Dei. Si sic lacrymeris, non lacrymaris quasi resurrectionem non credens , sed quasi separationem non ferens.

5. Nam illos etiam qui peregre proficiscuntur lacrymis prosequimur ; sed non quasi desperantes. Sic et tu lacrymas emitte , ac si proficiscentem præmitteres. Hæc non jubens , sed humanæ me infirmitati attemperans dico. Nam si peccator erat is qui defunctus est, qui sæpe Deum offenderit, deflendus utique est ; imo non deflendus tantum , cum id nihil ipsi afferat utilitatis , sed ea facienda sunt , quæ possint illum juvare , ut eleemosynæ , oblationes. Hinc etiam lætandum est, quod omnis malitiæ occasio ipsi ablata sit. Si vero justus sit , exsultandum , quod in tuto sit collocatus , et liber ab incerto futuro statu : si juvenis sit, gaudendum quod cito ereptus sit hujus vitæ malis ; si senex, quod eo diutius sit usus , quod maxime desiderabile videbatur. Tu vero his prætermissis omnibus, ancillas ad luctum incitas , quasi in defuncti honorem , quod extremum dedecus est. Honor enim defuncto sunt, non fletus , non ejulatus , sed hymnorum psalmorumque cantus , optimaque vita. Ille namque digressus cum angelis versabitur , etiamsi funeri nemo adsit : qui porro improbus moritur , etsi totam civitatem exsequiis præsentem habeat, nihil inde lucrabitur.

Defuncti quomodo sint honorandi.— Vis defunctum cohonestare ? Alia adhibe, eleemosynas , beneficia, ministeria. Quid ex tot fletibus lucri ? Ego aliud gravius audivi : multas nempe esse quæ per fletus amatores alliciunt , dum vehementia luctus maritalis amoris famam sibi comparant. O diabolicum inventum ! O satanicum artificium ! Usquequo terra et cinis , usquequo sanguis et caro erimus ? Respiciamus in cælos , spiritualia cogitemus. Quomodo gentiles arguemus ? Quomodo de resurrectione cum illis agemus , quomodo de virtutibus ? Qua securitate vivemus ? An ignoras ex mœrore provenire mortem ? Dolor enim mentem obtenebrans , non modo nihil ut par esset videre sinit , sed multum infert damni. Illo itaque modo Deum offendimus, ac neque nobis , neque defuncto prosumus : hac autem ratione Deo placemus , et ab hominibus celebramur. Nam si nos non concidamus , cito mœroris reliquias aufert : sin indignemur , nos dolori quasi dedititios reddit. Si gratias agamus, non dolebimus. Et quomodo potest , inquies, non lugere , qui filium, aut filiam , aut uxorem amisit ? Non dico non lugendum, sed non sine modo lugendum esse. Si enim cogitemus Deum abstulisse , nosque seu virum seu filium mortalem habere, cito consolationem admittemus. Indignari namque est eorum qui majus quidpiam requirunt , quam natura ferat. Homo et mortalis natus es , cur doles quod secundum naturam contigerit ? An doles quod comedas ad vitam servandam ? Num quæris sine cibo vivere ? Sic circa mortem facito , nec quæras immortalitatem, mortalis cum sis. Hoc semel definitum est. Ne doleas , ne te maceres , sed fer ea quæ omnibus statuta sunt. Dole de peccatis. Hic optimus luctus est , hæc maxima philosophia. Hæc ergo perpetuo defleamus , ut illic gaudium consequamur , gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi , cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] In aliis legitur, *non jussi sumus lugere et lugemus.*

(*a*) Hæc puto referri ad illud apophthegma Lacænæ mulieris apud Plutarchum p. 401 Edit. Paris , s. p. 241. Quæ cum filios quinque ad pugnam emisisset, et in suburbio pugnæ exitum exspectaret, nuntianti filios suos omnes in pugna cecidisse, *Vide mancipium,* respondit, *non hoc quærebam; sed quo loco essent res patriæ.* Respondet ille victoriam penes Spartiatas esse. *Nunc,* inquit illa, *filiorum cædem non invita audio.* Alius philosophus hic memoratus Xenophon est. Hanc porro historiam refert Diog. Laertius in Xenophonte versus finem. Hic memoriter loquens Chrysostomus, rem paulo secus narrat.

HOMILIA LXIII.

CAP. 11. v. 30. *Nondum autem venerat Jesus in castellum, sed erat in loco, ubi occurrit ei Martha. 31. Judæi autem, qui erant cum illa*, etc.

1. *Divitiarum contemptus etiam in hac vita utilis.* — Magnum bonum est philosophia: philosophiam dico nostram, non externam. Gentilis enim philosophia verba et fabulæ sunt: fabulæque illæ nihil ad philosophiam pertinent. Omnia quippe apud illos gloriæ causa fiunt. Magnum itaque bonum philosophia est, quæ nobis vel in hac vita vicem suam reddit. Nam qui divitias contemnit, jam hic utilitatem decerpit, superfluis inutilibusque curis vacuus. Qui gloriam calcat, jam hic mercedem suam recipit, cum nullius sit servus, sed vera libertate liber. Qui cælestia desiderat, hic præmium accipit, cum præsentia omnia nihil esse existimet, et dolorem omnem facile superet. En igitur mulierem philosophantem, quæ hic mercedem suam accepit. Cum enim lugenti et mœrenti omnes assiderent, non exspectavit ad se venientem Magistrum, neque dignitatem servavit, neque luctu detenta fuit. Nam præter hanc miseriam, quæ lugent, hoc morbo laborant quod velint a præsentibus in honore haberi. Secus illa, statim atque audivit, cito venit ad illum. Jesus autem nondum in vicum advenerat. Lento enim gradu veniebat, ne ad signum edendum accurrere videretur, sed rogatus venire. Vel hoc subindicare vult evangelista cum ait, cito surrexisse illam; vel declarat ita accurrisse, ut adventum ejus præverteret. Venit autem non sola, sed cum Judæis qui domi erant. Et perquam prudenter ei soror clam Magistri adventum significavit, ne cœtum turbaret: neque surgendi causam dixit: alioquin multi recessissent. Nunc autem illam omnes quasi ad luctum proficiscentem sequuntur: et forte hinc etiam mortuum fuisse Lazarum confirmatur. 32. *Et procidit ad pedes ejus.* Ferventior hæc erat, quam soror ejus. Non turbam reverita est, non suspicionem quam circa illum habebant (Multi enim ipsi erant inimici qui dicebant: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur* (*Joan.* 11. 37)? Sed præsente Magistro humanam omnem rationem expulit, unumque curabat Magistri honorem. Et quid dicit? *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* (*Ibid. v.* 21). Quid vero Christus? Nihil adhuc cum illa loquitur, neque dixit eadem quæ sorori dixerat (turba quippe multa aderat, et non erat hæc loquendi tempus); sed se attemperat ac dimittit, atque humanam sibi naturam esse declarans, tantisper lacrymatur, et signum differt interim. Quia enim magnum erat miraculum, et quale raro fecerat, multique per illud credituri erant [1], ne si turba absente factum esset, non crederetur, nihilque illis prodesset, multos attrahit testes, in hoc illis se attemperans, ne prædam amitteret. Humanam autem exhibet naturam: lacrymatur enim et turbatur. Solet [illegible]

[1] Alii habent, *magnum erant lucrum consecuturi.*

[illegible] lacrum [illegible] sepulcra [illegible] 34. Ubi [illegible] 35. Lacrymatus est [illegible] resurrectionis [illegible] ut suscitaturum, [illegible] gnificant Judæi, [illegible] *amabat eum. Quidam* [illegible] *poterat hic, qui aperuit* [illegible] *moreretur?* Ne in [illegible] presserant. Atqui [illegible] rem. Nam longe mirabilius [illegible] revocare, quam [illegible] ergo ejus virtutem mirari par erat. [illegible] tur; confitentur tamen [illegible] et cum oportuisset ideo mirari, illi contra [illegible] tur, quod hoc etiam non fecerit. Neque inde solum probatur illos perverso fuisse animo; sed quod cum nondum advenisset, nec quidpiam præstitisset, comminationibus prævertant, non exspectato [illegible] fine. Viden' quam corrupto essent judicio?

2. *Evangelistæ humana de Christo scribunt.* — Venit ergo ad monumentum, et rursus affectum corripit. Cur de industria identidem dicit evangelista lacrymatum illum esse, et infremuisse? Ut discas illum vere natura nostra indutum fuisse. Quia enim plura de se ipso, majoraque quam quivis alius palam dixerat, rursum in corporeis humiliora dicit. Nihil de ipsius morte, ut reliqui evangelistæ, narrat hic; quod tristis, quod in agonia esset (*Matth.* 26. 38. *Marc.* 14. 34); sed contra quod supinos prostraverit (*Joan.* 18. 6). Quod illic omissum, hic supplevit, dum luctum ejus memorat. Nam de morte disserens dicebat: *Potestatem habeo ponendi animam meam* (*Joan.* 10. 18): et nihil abjectum ibi loquitur. Ideo autem in passione multa illi humana adscribunt, hinc comprobantes veram incarnationem esse. Matthæus ab agonia, a perturbatione, a sudore (*Luc.* 22. 43. 44); hic a luctu id suadet. Si enim nostræ non fuisset naturæ, non a luctu semel et iterum correptus fuisset. Quid vero Jesus? A criminibus non se defendit: quid enim opus erat verbis confutare eos qui mox operibus erant confutandi? Id quod minus molestum erat, et magis poterat illos pudefacere. 39. *Ait autem: Tollite lapidem.* Cur non absens vocavit et surgere jussit? imo, cur non adhuc superposito lapide suscitavit? Nam qui poterat corpus mortuum voce movere et animatum ostendere, multo magis voce lapidem removisset; qui vinctum fasciis, et impeditum, voce ut ambularet effecit, longe facilius lapidem removisset (*Joan.* 11. 43. 44). Quid dico? Etiam absens hoc facere potuit. Cur ergo non fecit? Ut ipsos miraculi testes faceret, ne idipsum dicerent quod circa cæcum: *Hic*

est, non est hic. Ipsæ namque manus, et quod venisset ad sepulcrum, testimonio erant eumdem ipsum esse (*Joan.* 9. 8. 9). Quare si non eo advenissent, putatum erant aut phantasma esse, aut alium et non illum esse quem videbant. Nunc autem cum ad sepulcrum venerint, lapidem removerint, jussique ligatum a vinculis solverint, et amici qui ex sepulcro retulerant, ex pannis illum agnoverint, quod sorores non abscesserint, quod altera dixerit, *Jam fœtet, quatriduanus enim est;* jam hæc omnia abunde poterant improbos ipsi miraculi testes cohibere. Ideo præcipit illis ut lapidem a sepulcro amoverent, ostendens se ipsum suscitare: ideo etiam interrogat, *Ubi posuistis eum?* ut qui dixerant, *Veni et vide*, et qui duxerant illum, dicere non possint alium fuisse suscitatum: ut et vox et manus testificarentur (vox dicendo, *Veni et vide;* manus lapidem tollendo, et fascias solvendo); visus quoque et auditus (hic vocem audiendo, ille exeuntem videndo); olfactus quoque testis, qui odorem excepit; *Jam fœtet*, inquit; *quatriduanus enim est*. Jure ergo dixi, non intellexisse mulierem hoc Christi dictum, *Etiam si mortuus fuerit, vivet*. Vide ergo quid nunc dicat, quasi res ob diuturnitatem amplius fieri non possit. Res enim stupenda erat, quatriduanum et corruptum cadaver suscitare. Discipulis quidem dixit, *Ut glorificetur Filius Dei*, de seipso loquens; mulieri vero ait: *Videbis gloriam Dei*, de Patre verba faciens. Viden' auditorum differentiam diversi sermonis esse causam? In mentem revocat ea quæ mulieri dixerat, ac si redarguat, quod oblita sit; vel cum nollet adstantes percellere, placide dicit: 40. *Nonne dixi tibi, si credideris, videbis gloriam Dei?*

Fides quantum sit bonum. Apostoli quam præstantiores philosophis. — Magnum ergo bonum est fides, magnum utique, et multorum causa bonorum [1]; ita ut homines Dei opera in nomine ipsius edere possint. Nam, *Si habueritis fidem*, inquit, *dicetis monti huic, Transi hinc, et transibit* (*Matth.* 17. 19); ac rursum, *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora his faciet* (*Joan.* 14. 12). Quæ majora? Ea quæ discipuli postea fecere. Nam umbra Petri mortuum suscitavit (*Act.* 5. 15). Sic enim magis prædicabatur Christi potestas. Siquidem non tam mirabile erat ipsum viventem miracula edere, quam post mortem ejus alios in nomine ipsius majora præstare posse. Nam argumentum illud non dubium erat resurrectionis ejus: quæ si ab omnibus visa fuisset, non ita fuisset credita; potuissent enim dicere phantasma esse: quia autem videbat ex solo nomine ejus longe majora signa fieri, quam cum ipse inter homines versaretur, iidem negare non poterat, nisi admodum desiperet. Magnum itaque bonum fides est, cum ex ferventi animo, amore magno, ardenti corde procedit. Hæc nos philosophos ostendit: hæc humanam detegit vilitatem, et missis ratiociniis, de cælestibus philosophatur; imo potius ea quæ non potest humana sapientia reperire, ipsa capit et dirigit. Huic itaque hæreamus, neque ratiociniis nostra committamus. Cur, quæso, gentiles nihil reperire potuerunt? annon totam illam externam sapientiam noverant? cur piscatores et tentoriorum opifices superare non potuerunt? nonne qui illi ratiociniis, hi fidei totum commiserant? Ideo Platonem illi, Pythagoram et alios omnes errones longe superarunt; astrologos, mathematicos, geometras, arithmeticos, quavis disciplina instructos vicerunt [1], iique superiores effecti sunt; ita ut hi vere videantur philosophi, illi autem stulti ac deliri. Animadverte enim, hos dixisse animam immortalem; nec dixisse modo, sed etiam id suasisse. Illi vero primo quid esset nesciebant; postquam autem invenerant, et distinxerunt eam a corpore, divisi sunt inter se, aliis incorpoream illam, aliis corpus esse, et cum corpore dissolvi dicentibus. Cælum item illi animatum et deum esse dixerunt: piscatores vero opificium esse Dei et dixerunt et suaserunt. Sed quod gentiles ratiociniis utantur, nihil mirum: quod autem ii qui fideles esse videntur, animales inveniantur, hoc luctu dignum est [2]. Ideo hi quoque erraverunt, et alii quidem dicunt se ita nosse Deum, ut Deus seipsum novit, quod ne gentilium quidem quisquam dicere ausus est: alii dicunt non posse Deum sine passione gignere, nec plus illi tribuunt quam hominibus: alii dicunt nihil prodesse vitam probam, vel rectum institutum. Sed hæc confutare non licet per tempus.

4. *Fides nihil prodest improbo. Contra adulteros.* — Quod autem fides recta nihil prosit, si corrupta vita sit, et Christus et Paulus declarant, qui hoc maxime curant: Christus, cum sic docet [3]: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum* (*Matth.* 7. 21); et rursum, *Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? Et tunc confitebor illis, Quia nescio vos: discedite a me qui operamini iniquitatem* (*Ibid.* v. 22. 23). Qui enim [4] non sibi attendunt, facile ad nequitiam sæpe declinant, etiamsi fidem rectam habeant. Paulus autem Hebræis scribens, hæc dicit et monet: *Pacem cum omnibus persequimini, et sanctificationem, sine qua nemo videbit Dominum* (*Hebr.* 12. 14). Sanctificationem appellat castitatem, ut unusquisque sua uxore contentus sit, neque aliam adeat. Nam qui sua contentus non est, salvus esse nequit; sed pereat oportet, etsi mille bonis operibus sit instructus. Fornicantem enim impossibile est intrare in regnum cælorum; imo id jam non fornicatio est, sed adulterium. Sicut enim alligata viro, si cum altero coeat, adulteratur: sic alligatus uxori, si aliam habeat, adulter est. Hic vero non heres erit regni cælo-

[1] Editi habent, *magna res est fides, et magnos efficiens eos qui juxta illam vitam instituunt.*

[1] Alii habent, *quasi pulverem dissiparunt*, loco, *vicerunt*.
[2] Quidam legunt, *hoc ridiculum est.*
[3] In aliis legitur, *Christus plura de hoc loquitur dicitque.*
[4] Nonnulli hunc locum sic efferunt..... « *Quia nescio vos* », et iterum: « *Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus subjiciuntur vobis.* » *Qui enim*, etc.

rum, sed in gehennam incidet. Audi quæ de his dicit Christus: *Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Marc.* 9. 45). Nulla enim venia ei qui uxoris consolationem habens, illam, altera admissa, contumelia afficit: hæc quippe intemperantia vere est. Quod si multi jejunandi et precandi causa ab uxore abstinent; qui sua non contentus alteram admittit, quantum sibi ignem accumulat? Si non licet ei qui uxorem repudiavit et ejecit, cum altera coire; hoc quippe est adulterium; qui uxorem secum habens, alteram inducit, quantum scelus perpetrat? Nemo igitur hunc morbum in anima insidere sinat, sed radicitus evellat. Neque enim tam uxorem, quam seipsum lædit. Adeo grave, adeo venia indignum est hoc peccatum, ut si uxor, invito conjuge etiam idololatra, ab illo separetur, a Deo puniatur; si ab adultero, minime. Viden' quantum sit hoc malum? Nam *Si qua fidelis*, inquit, *habeat virum infidelem, et ipse consentit habitare cum illa, ne dimittat ipsum* (1. *Cor.* 7. 13). De adultera secus; sed quid? *Si quis dimiserit uxorem suam præter causam fornicationis, facit eam mœchari* (*Matth.* 5. 32). Nam si conjugium unum corpus facit; si quis cum meretrice coeat, unum cum illa corpus efficitur. Quomodo ergo honesta mulier, quæ est membrum Christi, talem virum admittat? aut quomodo sibi junget membrum meretricis? Et vide quam mira res sit. Quæ cum infideli habitat, non est impura (nam *Sanctificatus est*, inquit, *vir infidelis in muliere* (1. *Cor.* 7. 14): de meretrice non sic, sed quomodo? *Tollens* igitur *membra Christi*, *faciam membra meretricis* (*Ibid.* 6. 15)? Illic sanctitas manet, infideli cum illa habitante; hinc recedit. Grave namque malum est fornicatio, grave utique, et immortale afferens supplicium. Et in hac vita innumera attrahit mala, vitam miseram, nec meliorem, quam eorum qui supplicio afficiuntur, dum in alienam domum furtim et cum tremore ingreditur, omnesque suspectos habet, tam servos quam liberos. Quamobrem obsecro, hoc vos expedire morbo curetis. Sin non obsequamini, ne in sacra limina ingrediamini [1]. Nam scabiosas et morbidas oves non oportet in bene valentium grege versari, sed ab ovili exigendæ sunt, donec morbum deponant. Nam membra Christi sumus: ne efficiamur membra meretricis. Non est lupanar hic locus, sed ecclesia. Si membrum meretricis habeas, ne stes in ecclesia, ne locum contumelia afficias. Etiamsi enim gehenna nulla, nullum supplicium esset, post pacta illa et nuptiales lucernas, post justum lectum et liberorum procreationem, post tale consortium, quomodo audes alteri copulari? cur non vereris, nec erubescis? An ignoras eos qui post uxoris mortem, aliam ducunt, a multis improbari, etiamsi pœnas non daturi sint? Tu vero, uxore superstite, aliam inducis. Ecqua est illa incontinentia? Disce quæ hac de re dicta sint: *Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Marc.* 9. 45). Minas perhorresce, time supplicium. Non est tanta hic voluptas, quantum illic supplicium. Verum absit ut quis tali sit obnoxius supplicio; sed utinam sanctitatem sectantes videamus Christum, et promissis fruamur bonis: quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi quicum Patri gloria unaque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii habent, *si non vultis, ne in adyta ingrediamini.*

HOMILIA LXIV.

Cap. 11. v. 41. *Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* 42. *Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter turbam circumstantem dixi*, etc.

1. *Christus humilia sæpe loquitur, quare.* — Quod sæpe dixi, hoc et nunc dicam, Christus non tam suam dignitatem, quam salutem nostram respicit, nec quærit magnum quidpiam dicere, sed quod nos possit ad se trahere. Ideo pauca magna et sublimia, atque etiam subobscure dicit, humilia vero et abjecta frequenter sermonibus admiscet. Quia enim hæc auditores magis alliciebant, his utitur frequentius. Neque semper sic loquitur, ne postea credituris noceat; neque illa tacet, ne præsentes offendat. Nam qui abjectam illam mentem deposuerunt, vel ex uno sublimi dogmate totum intelligere potuerunt: qui vero demissiore animo semper erant, nisi hæc frequenter audissent, non utique accessissent. Neque tamen manent, postquam tot et tanta audierunt, sed lapidibus impetunt, persequuntur et occidere tentant, blasphemumque vocant: ac cum se Deo æqualem facit, dicunt, *Hic blasphemat* (*Marc.* 2. 7); cum autem dicit, *Remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* 9. 2. *Luc.* 5. 20), dæmoniacum vocant; ut etiam cum dixit, qui verba sua audiret, morte superiorem esse: cum autem sic loquitur, *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* 14. 10), ipsum relinquunt; rursusque offenduntur cum ait, se de cælo descendisse. Si ergo hæc, etsi rarius dicta, non ferebant tamen, vix certe attendissent, si sublimia semper loquutus fuisset. Quando igitur dicit: *Sicut mandavit mihi Pater, sic loquor* (*Ibid.* v. 31); et, *A meipso non veni* (*Id.* 7. 28), tunc credunt, ut palam significat evangelista cum dicit, *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum* (*Id.* v. 31). Si ergo humilia verba ad fidem trahebant, sublimia vero avertebant, annon extremæ dementiæ fuerit non cogitare humilia verba ad auditorum captum attemperata esse? Siquidem et alio loco, cum magnum quidpiam loqui vellet, tacuit, et causam silentii addidit: *Ne scandalizemus eos, projice hamum in mare* (*Matth.* 17. 26). Quod etiam hic facit. Nam postquam dixerat, *Ego sciebam quia semper me audis*; addidit, *Sed propter turbam circumstantem dixi, ut credant.* An nostra hæc sunt? an humana conjectura? Cum ergo quis ex scriptis se persuaderi non patitur, quod ipsi de sublimioribus offenderentur, is audiens Christum dicentem se ideo humilia loqui ne

scandalizentur, quomodo suspicari poterit[1] illum ex natura rei loqui, et non per indulgentiam quamdam? Sic et alibi voce superne delata dicit: *Non propter me hæc vox facta est, sed propter vos* (*Joan.* 12. 30). Atqui magno licet multa de se humiliter prædicare; vili autem et abjecto non licet magnum quidpiam et sublime de se dicere. Illud ex attemperatione quadam fit, ut ad audientium imbecillitatem accommodetur, imo magis, ut humilitatem illi exerceant, et vere indutum carne esse sciant; itemque ut doceat auditores, numquam magnum quidpiam de se loquendum esse; tum eo quod ipse putaretur Deo adversarius esse, et quod non crederetur a Deo venire, quodque suspicarentur ipsum solvere legem, quod auditores ipsi inviderent, ipsumque odio haberent, quia se dicebat æqualem Deo[2]. Quod autem is qui vilis abjectusque est, sublimia de se loquatur, nulla potest esse consentanea causa, sed id solum arrogantiæ et impudentiæ adscribatur, audaciæque nulla venia dignæ. Cur ergo humilia loquitur, qui ineffabilis illius et magnæ substantiæ est? Tum iis quas diximus de causis, tum ne putaretur ingenitus esse. Nam et Paulus tale quidpiam timuisse videtur. Ideo ait: *Præter eum qui illi cuncta subjecit* (1. *Cor.* 15. 27). Hoc enim vel cogitare impium esset.

Christus ejusdem substantiæ est ac Pater. — Si enim minor Patre et ex alia substantia fuisset, annon omnia fecisset, ne talis putaretur esse? Nunc vero contrarium efficit dicens: *Si non facio opera ejus qui misit me, nolite mihi credere* (*Joan.* 10. 37). Et cum dicit, *Ego in Patre, et Pater in me est*, æqualitatem nobis subindicat. Oportuisset enim cum vehementia illam opinionem avertere, si minor fuisset, et nusquam dicere: *Ego in Patre, et Pater in me*; et, *Unum sumus*; aut, *Qui videt me, videt et Patrem.* Nam cum de virtute sermo erat, dicebat, *Ego et Pater unum sumus* (*Ibid.* 10. 38. *et* 30); et cum de potestate, *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat: sic et Filius quos vult vivificat* (*Ibid.* 12. 45. *et* 5. 21). Quod non poterat facere, si alterius fuisset substantiæ. Quod si etiam potuisset, non id dicendum erat, ne suspicarentur unam eamdemque esse substantiam. Si enim, ne suspicentur ipsum esse Deo adversarium, etiam quæ sibi non conveniunt sæpe loquitur, multo magis tunc oportuit. Nunc vero cum dicit: *Ut honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (*Ibid.* 5. 23); et, *Opera quæ ipse facit, et ego similiter facio* (*Ibid.* v. 36); et se esse resurrectionem et vitam, lucemque mundi, sese Patri exæquantis verba sunt, ac suspicionem quam illi habebant confirmantis. Viden' quomodo sese purgat accusatus quod legem solvat; æqualitatis vero cum Patre opinionem non modo non tollit, sed firmat. Sic dicentibus illis, *quia Blasphemas facis teipsum Deum* (*Joan.* 10. 36), illud ipsum ab operum æqualitate statuit.

2. *Non solum Filius sed ipse etiam Pater se indigna locutus est. Christus cur oravit. Non indigebat precibus. Verbis humilitatem, operibus potentiam ostendebat.* — Ecquid dico Filium id fecisse, quando Pater qui non carnem assumpsit, idipsum facit? Nam et ipse passus est multa de se humilia dici ad audientium salutem. Illud enim, *Adam, ubi es* (*Gen.* 3. 9)? et illud, *Ut cognoscam si forte secundum clamorem eorum perficiant* (*Ibid.* 18. 21); et, *Nunc cognovi quod tu timeas Deum* (*Ibid.* 22. 12); et, *Si forte audiant* (*Ezech.* 3. 11); et, *Si intelligant*; et, *Quis det cor populi hujus sic esse* (*Deut.* 5. 29)? et, *Non est similis tui in diis, Domine*; et multa alia in veteri lege si quis colligat, indigna Dei majestate esse comperiet. Et de Achab dictum est, *Quis decipiet mihi Achab* (2. *Paral.* 18. 19)? Et quod facta cum diis gentilium comparatione se semper illis præponat, hæc omnia indigna sunt Deo; sed alia ratione digna sunt illo. Nam ita benignus est, ut propter salutem nostram verba dignitati suæ convenientia contemnat. Imo et quod homo factus sit, formamque servi acceperit, quod humilia verba loquatur, quod viliter sit amictus, indignum illo est, si quis majestatem ejus respiciat; dignum vero, si quis benignitatis ejus ineffabiles divitias secum reputet. Est et alia humilitatis verborum causa. Quænam hæc? Quia Patrem quidem et noverant et confitebantur, ipsum vero non noverant. Ideo frequenter ad Patrem refugit, quod ille in confesso esset, quasi ipse nondum fide dignus esset; non ex se, sed ex auditorum stultitia et imbecillitate. Ideo precatur et dicit: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Nam si quos vult vivificat, et ita vivificat ut Pater, cur precatur? Sed jam tempus est ad locum venire. Tulerunt ergo lapidem, ubi erat mortuus jacens. *Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quod semper me audis; sed propter turbam circumstantem dixi, ut credant quia tu me misisti.* Interrogemus ergo hæreticum (*a*): num per preces gratiam consequutus mortuum suscitavit? quomodo ergo alia sine precibus operatus est, ut cum ait, *Tibi dico dæmonium, Egredere ab eo* (*Marc.* 9. 24); et, *Volo, mundare* (*Ibid.* 1. 41); et, *Tolle grabbatum tuum* (*Joan.* 5. 9); et, *Remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* 9. 2); et mari, *Tace, obmutesce* (*Marc.* 4. 39)? quid plus habet quam apostoli, si et ipse precibus operatur? Imo ne ipsi quidem per preces omnia faciebant, sed sæpe sine precibus nomine Jesu utebantur. Si vero nomen ejus tantam virtutem habuit, quomodo ipse precibus opus habuerit? Si precibus eguisset, plane nomen ejus eam vim non habuisset. Cum autem hominem fecit, quibus est precibus usus? nonne multa ibi æqualitas? *Faciamus*, inquit, *hominem* (*Gen.* 1. 26). Quid autem

[1] Multi Mss. sic habent, *Cum enim ex ipsis rebus pateat illos de sublimioribus offendi, cumque præterea ipse dicat Christus, ego humilia loquor, ne scandalizentur, quis jam suspicari poterit*, etc.

[2] In quibusdam Mss. sic effertur hic locus..... *quod auditores ipsi inviderent, et quod sæpius in Veteri Testamento legeretur, Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* »

(*a*) Hæretici quidam dicebant Christum precibus opus habere.

injuste ipsi rapuit, in deliciis vivat: hic non modo pauperem non læsit, sed etiam ipsi profuit; sibi vero non modo non profuit, sed etiam damnum intulit. Quomodo? Primo quidem a mala conscientia verberatus, et quotidie cruciatus, ab omnibus damnatus; deindeque in futuro judicio. Sed quod hic lædatur, hinc palam est; quomodo autem ille utilitatem accipit, dicas. Quia male affici et fortiter ferre, magnum habet lucrum: est enim peccatorum solutio, graviter affligi, est philosophiæ gymnasium, virtutis doctrina. Videamus ergo uter in malis sit, hic an ille. Ille quidem si philosophus sit, fortiter feret; hic vero quotidie in tremore et suspicione erit: uter ergo læditur, hic an ille? Fabulas narras, inquies: quando quis quod edat non habet, et lamentari mendicareque cogitur, nec accipit, nonne simul et corpore et anima perit? Imo fabulas tu narras; ego res ipsas commonstro. Dic enim mihi, nullusne divitum fert cruciatum? Quid igitur? an id ex paupertate provenit? Sed non esurit? Et quid hoc est? Major erit ultio, quando cum divitiis hoc fecerit. Neque enim divitiæ fortem reddunt, neque paupertas imbecillum; alioqui nullus opulentorum miseram ageret vitam, nullusque pauperum sibi malediceret. Quod vero sermones vestri vere fabula sint, hinc palam faciam. Paulusne in divitiis erat, an in paupertate? fame laborabat, annon? Ipsum audire licet dicentem, *In fame et siti* (2. *Cor.* 11. 27). Prophetæ esuriebant? annon? Illi quoque in malis erant. Rursus Paulum mihi profers, rursus prophetas, decem aut viginti homines. Sed unde vis? Ex multitudine, inquies, ostende mihi quosdam qui fortiter ferant. Sed rarum semper hoc est, pauci boni sunt. Si vis autem, rem in seipsa examinemus. Videamus cujus sollicitudo major sit et gravior, cujus levior. Nonne hic pro necessario alimento sollicitus est, ille pro innumeris rebus ipsum cibum relinquit? Non famem timet dives, sed alia formidat; sæpe pro salute timet. Non vacat cibi sollicitudine pauper, sed aliis vacat sollicitudinibus, securitatem habet, quietem, tranquillitatem.

5. Alioquin vero, si injuste agere malum non est, sed bonum, cur confundimur? cur erubescimus? cur probris affecti indignamur, ægre ferimus? Si non bonum est injuste affligi, cur ea de re gaudemus et gloriamur, et nos justificamus ea de causa? Vis discere quomodo hoc illo sit melius? Vide ambos, hunc et illum. Cur leges sunt? cur tribunalia? cur supplicia? nonne propter illos ut ægrotantes? Sed multa voluptas est, inquies. Futura prætereamus, præsentia exploremus. Quid miserius homine talem habente suspicionem? quid ad ruendum proclivius? quid pudibus? [illegible] fecerit, [illegible] natus; [illegible] non amicitiis [illegible] gloriæ [illegible] consors. [illegible] ciosum, inimicum, [illegible] justum hominem. Si [illegible] affecit, non opus erit [illegible] quam accusatore quopiam [illegible] se habet is, qui injuste [illegible] patronos, condolentes, [illegible] ritate stat. Si bonum est et [illegible] teatur quis se injustum esse: sed si [illegible] ergo hoc ut bonum aggreditur? [illegible] quomodo etiam in nobis ipsis si hæc [illegible] mala. Dic quæso, si quid in nobis, superato [illegible] alterum invadat, si splen, relicto loco suo, [illegible] velit cum suo arripere, annon hoc morbus erit? [illegible] midum item quod in nobis est si omnia [illegible], nonne hydropisis erit? Præterea bilis latitudinem quærat, et ubique diffundatur sanguis. Quid autem in anima ira, concupiscentia et reliqua omnia, si transgrediantur mensuram, nonne se simul perdunt? Ita et cibus: si plus quam concoqui possit sumatur, morbis corpus infestat. Unde namque podagræ? unde paralysis et agitatio corporis? annon ex immoderato cibo? Rursus in corpore si plus velit oculus accipere, et plus videre quam definitum sit, vel si majorem accipiat lucem; quod supra mensuram est magis nocet, quam prosit. Si vero, cum lux bona sit, oculus, qui plus quam par sit vult videre, perit: quando quid splendidius respicit, cogita quantum sit malum. Auditus si magnam excipiat vocem, mens percellitur: mens si ea quæ se superant cogitet, attonita est, et id quod modum exsuperat perdit. Hoc est enim avaritia quam πλεονεξίαν vocant, plus habere, quam constitutum sit. Sic et in pecuniis cum volumus majorem sarcinam imponere, licet non sentiamus, gravem in nobis alimus feram, multa habentes, multis egentes, innumeris nos curis implicantes, multas diabolo ansas præbentes. Ideo in divitibus diabolus non opus habet labore: nam captu faciles illi sunt a divitiis. At non sic in pauperibus, imo contrarium. Ita res ipsæ per se perdunt. Quare rogo ab harum concupiscentia abstineamus, ut possimus maligni laqueos effugere, et apprehensa virtute æterna consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LII.

CAP. 25. v. 23. *Postera autem die cum venisset Agrippa et Bernice cum multa ambitione, et introissent in auditorium cum tribunis et viris principalibus civitatis, jubente Festo, adductus est Paulus.*

1. Vide qualis frequentia a Paulo congregetur: *Cum viris*, inquit, *principalibus civitatis*: omnibus enim convocatis satellitibus præfectus et rex accedunt. Cum ipsis etiam tribuni et primores civitatis adfuerunt: hos enim principales vocat. Et vide, quomodo ipse ductus prædicatur a Festo: non modo enim illum crimine liberum dicit, sed etiam defendit. Quid dicit? 24. *Agrippa rex, et omnes qui simul*

adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Jerosolymis et hic, acclamantes non oportere eum amplius vivere. 25. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Illo autem appellante ad Augustum, judicavi illum mittere. 26. De quo quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, et maxime ad te, rex Agrippa, ut interrogatione facta, habeam quod scribam. 27. Sine ratione enim mihi videtur, mittere vinctum, et causas ejus non significare. Vide quomodo illos quidem accusat, hunc vero absolvit. O justitiæ copiosa argumenta! Plurima facta perquisitione non invenit præses quomodo condemnet: illi vero morte dignum dicebant. Ideo dicebat ille: *Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse;* deinde adjicit: *De quo quid certum scribam ad dominum meum, non habeo.* Et hoc ex Pauli innocentia prodit, quod judex nihil habeat de illo dicendum. *Ideo produxi eum,* inquit, *ad vos. Sine ratione enim mihi videtur esse, mittere vinctum, et causas ejus non significare.* Vide in quantas angustias Judæi principes suos conjecerint. Quid vero Agrippa? De his volens aliquid discere[1], Paulo dixit: (*Cap.* 26) 1. *Permittitur tibi loqui pro temetipso.* Ex multo audiendi desiderio illi rex dicere permittit. Paulus vero cum fiducia deinceps loquitur, non adulando; sed ideo se beatum esse dicit, quod ei loquatur, qui omnia sciret: et quod ideo, audi quæ ipse profert: *Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere. 2. De omnibus, quibus accusor a Judæis, rex Agrippa, æstimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie, 3. maxime te sciente omnes, quæ apud Judæos sunt, consuetudines et quæstiones: propter quod obsecro patienter me audias.* Profecto, si male sibi conscius fuisset, turbari oportebat, dum apud eum, qui omnia sciret, causam diceret; sed illud est puræ conscientiæ, non recusare judicem res gestas accurate scientem, sed et gaudere. Unde ille se beatum putat, et dicit: *Obsecro patienter me audias.* Quia sermonem erat producturus et aliquid de seipso dicturus, ideo præoccupans rogabat, dicens: 4. *Et quidem vitam meam a juventute, quæ ab initio fuit in gente mea in Jerosolymis, noverunt omnes Judæi, 5. qui prius noverant me ab initio, si velint testimonium perhibere, quod secundum accuratissimam sectam nostræ religionis vixerim Pharisæus.* Id est: Quomodo seditiosus fuerim, tam juvenis et testimonium habens omnium? Deinde id probat a secta, addit enim: *Secundum accuratissimam religionis nostræ sectam vixi.* Et quia verisimile erat, quosdam dicturos esse: Quid ergo, si secta quidem mirabilis sit, tu vero malus? vide quomodo huic occurrat objectioni: testes enim advocat omnes Judæos, qui ejus vitam et conversationem norant. *Sciunt,* inquit, *omnes Judæi, qui me prius noverunt, si velint testimonium ferre. 6. Et nunc in spe repromissionis, quæ ad patres nostros facta est a Deo, sto judicio subjectus: 7. in quam duodecim tribus nostræ, nocte ac die deservientes, sperant devenire: de qua spe, rex Agrippa, accusor a Judæis. 8. Quid? incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?* Duas de resurrectione rationes ponit: alteram a prophetis; et nullum adducit prophetam, sed illam Judæorum esse opinionem dicit; alteram et fortiorem ex rebus ipsis. Quam illam? Quod Christus a mortuis suscitatus se alloquutus sit. Et illud ratiociniis probat, priscam insaniam suam accurate narrans: deinde etiam cum laude Judæorum. *Nocte et die colentes,* inquit, *sperant devenire.* Itaque etiamsi inculpatæ vitæ non essent, super his non oporteret judicari, rex Agrippa. Subditur alia ratio. *Quid? incredibile judicatur a vobis, si Deus mortuos suscitat?* Nam, si hæc non esset opinio, si in his dogmatibus educati non essent, et nunc ea efferrentur, forsan quis sermonem non recepisset. Deinde dicit, quomodo persequebatur: quod ad probandum idoneum est. Et principes sacerdotum adducit testes et externas civitates, et quod audierit dicentem sibi: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Deinde ostendit Dei clementiam quod etiam cum persequeretur ipsum Saulus, ipsi apparuit: Nec mihi solum, inquit, bene fecit, sed et aliis doctorem misit.

2. Ostendit item prophetiam quam audivit. *In hoc apparui tibi, eripiens te de populo et gentibus, ad quas misi te.* Hæc omnia ostendens dicebat: 9. *Et ego quidem existimaveram, me adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria facere. 10. Quod et feci Jerosolymis, et multos sanctorum ego in carceribus inclusi, a principibus sacerdotum potestate accepta: et cum occiderentur detuli sententiam: 11. et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare: et amplius insaniens in eos, persequebar usque in externas civitates. 12. Inter hæc dum irem Damascum cum potestate et permissu principum sacerdotum, 13. die media in via vidi, rex, de cælo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, et eos qui mecum simul erant. 14. Omnesque nos cum decidissemus in terram, audivi vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulos calcitrare. 15. Ego autem dixi, Quis es, Domine? Ille autem dixit: Ego sum Jesus, quem tu persequeris. 16. Sed exsurge et sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti, et eorum quibus apparebo tibi, 17. eripiens te de populo et gentibus, in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem, quæ est in me.* Perpende, quam mansuete loquatur. *Deus,* inquit, *dixit ad me: Apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti, et eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populo et gentibus, in quos nunc ego mitto te, 18. ut aperias oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem et a potestate satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum.* Ac si diceret: His credidi, hac visione me adduxit, et sic

[1] Hæc, *de his volens aliquid discere*, desunt in uno Cod.

persuasit, ut non differrem. 19. *Unde, rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti visioni ; 20. sed iis, qui sunt Damasci primum et Jerosolymis, et in omnem regionem Judææ, et gentibus annuntiabam ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Qui igitur alios erudiebam circa vitam optimam, quomodo seditionis et contentionis auctor fuissem? 21. *Hac ex causa me Judæi, cum essem in templo, comprehensum tentabant interficere.* 22. *Auxilio autem adjutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens, quam ea, quæ prophetæ loquuti sunt futura esse, et Moyses,* 23. *si passurus Christus, si primus ex resurrectione mortuorum lumen annuntiaturus est populo et gentibus.* Vide, ut sermo ejus adulatione careat, et totum adscribat Deo. Vide et dicendi libertatem, *Sed neque nunc desisto*; firmitatem : A prophetis confirmor, *An passurus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum lumen sit annuntiaturus*; ac si diceret : *Christus primus resurgens, jam non moritur* (*Rom.* 6. 9). Manifestum est ex eo, quod omnibus hoc denuntiet, et in semetipsis exspectent. Deinde Festus, ut loquendi libertatem vidit, qua regi loquebatur, non avertens se ab aspectu ejus, ac si aliquid pateretur, dicit : *Insanis, Paule.* Quod autem aliquid passus hoc dicat, audi sequentia : 24. *Hæc autem illo disserente, Festus magna voce dixit : Insanis, Paule; multæ literæ te ad insaniam convertunt.* Quid igitur Paulus? Cum mansuetudine respondens ait : 25. *Non insanio, optime Feste; sed veritatis et sobrietatis verba loquor.* Postea etiam causam docet, propter quam ad regem sermonem converteret : 26. *Scit enim de his rex, ad quem et constanter loquor : latere enim eum nihil horum arbitror : non est enim in angulo hoc gestum.* 27. *Credis, rex Agrippa, prophetis? Scio quod credis.* Hoc ita dixit, quasi traducens illos et dicens : Scio, quod omnia accurate sciat : et oportebat quidem vos hæc scire primos (id enim sequentia declarant : *Non est hoc in angulo gestum*) ; sed noluistis. *Credis, rex Agrippa, prophetis? Scio, quod credis.* 28. *Agrippa autem ad Paulum dixit : In modico suades me Christianum fieri.* 29. *Et Paulus : Opto apud Deum et in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt me, hodie fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his.* Vide quomodo precatur, dicens : *Opto apud Deum in modico*; hoc est, ut ne parum quidem absit. Et non solum orat, sed ferventer: *Tales*, inquit, *fieri omnes*, non modo te, sed omnes, *qualis sum ego.* Deinde ait, *Exceptis vinculis his* : non moleste ferens vincula, neque erubescens quod ligatus esset (hoc enim ipsi, si quid aliud, gloriosum erat) ; sed ad illorum opinionem respiciens, ita dixit. Ideo addidit, *Exceptis vinculis his.* Sed superius lecta repetamus. *Postera ergo die, ut in auditorium ingressi sunt, jubente Festo adductus est Paulus.* Destiterant jam Judæi, eo quod ille appellasset, et tunc ipsi splendidum adest theatrum : cum multo enim apparatu rex et omnis multitudo Judæorum adfuerunt : non alii aderant, alii aberant sed omnes præsentes

erant. [illegible]

3. Vide [illegible] dicentes. Hoc [illegible] Si enim nihil grave [illegible] bant, jure ad [illegible] cta habeam quod scribam, [illegible] causa examinetur? Et [illegible] sunt Judæi, [illegible] Romæ. *Super omnibus, de quibus [illegible] existimo*, inquit, *me beatum*, [illegible] *diturus sum.* Vide quomodo [illegible] et virtutis Pauli testes [illegible] ut magnificentius abduceretur [illegible] vinculis abiisset. Non enim [illegible] stigiator a tot judicibus dimissus [illegible] bus ergo relictis, apud quos [illegible] rat, non utcumque, sed omni suspicione [illegible] migrat. Neque dixit : Quid hoc est? [illegible] Cæsarem, millies judicatus sum : [illegible] quid? Iterum paratus erat reddere rationem [illegible] eum, qui res Judaicas maxime nosset. Quare cum magna libertate sese defendit, quia ii, qui se condemnabant, nullam jam habebant auctoritatem. Licet autem nihil possent, et sententia illa, qua dictum fuerat, *Ad Cæsarem ibis*, teneret, attamen dat ille rationem multiplicem de omnibus, nec de quibusdam solum. Et responsione sua hæc fere dicit : Accusant de seditione, accusant de hæresi et quod templum violaverim : de omnibus rationem reddo : *Vitam meam a juventute sciunt omnes Judæi* : quod a moribus meis abhorreat seditiones excitare, accusatores ipsi testes sunt. Quod etiam antea dixit, *Æmulator paternarum mearum traditionum*, id et hoc loco subindicat : *Vitam ab adolescentia mea.* Et quando populus totus aderat, tunc illorum advocat testimonium. Neque solum ad Lysiæ tribunal hoc fecit, etiam apud Festum : et rursus hic, cum plures aderant. Illic autem non multa defensione opus erat, cum literæ Lysiæ ipsum dimitterent. *Sciunt omnes Judæi*, inquit, *qui jam olim me noverunt.* Et non dixit, qualis sua vita; sed illorum conscientiæ relinquit, et totum in sectam rejicit : hinc ostendens se non illam delecturum fuisse, si malus fuisset et improbus. Pro secta igitur hac, inquit, sto judicium subiens. Hæc ab illis quoque defenditur, propter hanc precantur, propter hanc Deum colunt, ut hanc consequantur : hanc ego annuntio et de hac spe accusor, ergo insanientium est, omnia facere ad illam assequendam, et eum qui in illam credit persequi. *Mihi autem visum est*, inquit, *adversus nomen Jesu Nazareni oportere omnia contraria facere*; id est, Judicavi hæc facienda esse, quia non eram ex discipulis Christi, sed ex impugnantibus eum. Ideo fide dignus testis est, quia dum millia faceret, ut fideles impugnaret, dum blasphemare suaderet, omniaque moveret, civitates, principes, et per seipsum hæc faceret, sic derepente mutatus est. Deinde rursum testes, qui simul aderant : deinde ostendit se jure credidisse, a luce, a prophetis, ab eventibus, et ab iis quæ nunc facta

sunt : subdit enim : *Media die in via, et vidi lucem me circumfulgentem, et eos, qui mecum ibant.* Vide ergo, quomodo et a prophetis, et ab his, ipsis fidem faciat. Ne enim videretur innovare, etsi magna dicere posset, rursum ad prophetas confugit, et ipsos in medio ponit. Hoc fide dignius erat : utpote quod nunc evenerat; sed quia ipse solus viderat, rursum a prophetis confirmat. Et perpende illum non eodem modo in judicio, et in ecclesia disserere : nam illic quidem dixit, *Occidistis ;* hic vero nihil tale, ne amplius furorem succenderet, sed idem ipsum ostendit, dicens : *Si passibilis Christus.* Sic illos a crimine liberat. Igitur, id quod ego annuntio, num primus mortuorum resurrexerit, id ex prophetis demonstro : nam et prophetæ hoc annuntiant. Itaque sermonem meum accipite, ut qui est prophetarum. Quia autem visionem dixerat, demum cum libertate præclara gesta narrat. Quænam illa? *Ut aperias,* inquit, *oculos, et convertas a tenebris ad lucem, et a potestate satanæ ad Deum. Ad hoc enim,* inquit, *apparui tibi,* hoc est, non ut puniam, sed ut apostolum te faciam.

Fidelium bona quæ. — Vide, mala quæ incredulos detinent ostendit, satanam et tenebras; sicut fidelium bona sunt lux, Deus, sors sanctorum. Nec solum ad pœnitentiam hortatur, sed ad mirabilem agendam vitam. Et vide ubique gentes sermoni permixtas : nam qui aderant, ex gentibus erant. *Testificans,* inquit, *tum parvo tum magno.* Propter milites ita dixit. Deinde defendentis se ordine dimisso, doctoris ordinem accepit : ideo ait Festus illi : *Insanis.* Postea ne videretur ipse doctor esse, inducit prophetas et Moysem : *Si passibilis*, inquit, *Christus, si primus ex resurrectione mortuorum lucem annuntiaturus sit populo et gentibus. Festus magna voce dixit.* Sic furoris et iræ vox erat.

4. Quid ergo Paulus? *Non est in angulo gestum hoc*, ait. Hic de cruce loquitur et de resurrectione, et quod dogma ubique terrarum pervaserit. *Credis*, inquit, *rex Agrippa.* Non dixit, Resurrectioni, sed *Prophetis.* Deinde præoccupat illum, et dicit : *Scio, quod credis.* Cui Agrippa : *In modico mihi suades fieri Christianum.* Non intellexit Paulus, quid sit, *In modico;* sed putavit hoc significare, Ex modico : ideo sic respondet; ita idiota erat. Et non dixit, Vellem, sed, *Optarem, non solum te, sed etiam omnes audientes.* Vide adulationis expertem sermonem. *Optarem*, inquit, *hodie omnes fieri tales, qualis ego sum exceptis vinculis his.* Vide : qui gloriatur in vinculis, qui profert illa sicut catenam auream, illa nunc deprecatur. Et ne mireris : adhuc enim infirmiores erant, et illi attemperatus sermo erat. Nam quod vincula magni faceret, vide quomodo in Epistolis illa semper præponat aliis, dicens : *Paulus vinctus Jesu Christi* (*Ephes.* 3. 1); et rursum, *Ideo circumposita est mihi catena, sed verbum Dei non est alligatum;* et, *Usque ad vincula quasi malefactor* (*Coloss.* 4. 3; *et* 2. *Tim.* 2. 9). Vide, non modo vincula ponit; sed etiam *Quasi malefactor* addidit, augens vinculorum gloriam. Duplex supplicium, quod ligatus esset, et quod ut malefactor. Nam si ita alligatus fuisset, quasi pro bono opere, aliquam consolationem habuisset; nunc autem ut malefactor, et quasi in gravissimis deprehensus : et tamen nihil hæc curabat. Talis est anima cælesti amore sublimis effecta. Nam si ii, qui hoc turpi amore flagrant, nihil putant vel gloriosum vel pretiosum, sed ea solum, quæ concupiscentiæ suæ inservire possunt, gloriosa et pretiosa judicant, et amasia fit eis omnia : multo magis ii, qui hoc amore capti sunt, nihili faciunt pretiosa. Quod si dicta non intelligamus, nihil mirum : in hac quippe philosophia imperiti sumus. Si quis enim igne Christi capiatur, talis efficitur, qualis fuerit homo solus in terra habitans : sic nihil curat, non gloriam, non ignominiam; sed sicut is, quis solus habitaret, neminem curaret, sic neminem ille curat. Tentationes autem, flagella, carceres ita contemnit, ac si in alieno corpore hæc pateretur, et ac si adamantino esset corpore; ea autem, quæ suavia in hac vita sunt, ita deridet, et erga illa insensibilis est, ut nos erga mortua corpora, vel ac si ipsi mortui simus. Tantum porro abest, ut aliquo affectu capiatur, quantum aurum igne probatum et purum a sordibus liberum est. Sicut enim muscæ in mediam flammam non inciderint, sed fugiunt : sic nec animi affectus ad hunc ignem accedere audent. Et horum vellem exempla ex nobis ipsis proferre; quia vero inopes sumus, necesse est, ut ad illum ipsum confugiamus. Vide autem, quomodo ille ipse erga totum mundum affectus esset. *Mihi mundus crucifixus est*, inquit, *et ego mundo* (*Gal.* 6. 14); id est, Mortuus sum mundo, et ille mihi mortuus est. Et rursum : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Id.* 2. 20). Hæc dicere solius est Pauli. Nos autem qui tantum ab illo absumus, quantum cælum a terra, nos abscondamus ac neque os aperire audeamus. Quod autem quasi in solitudine esset, et sic præsentia respiceret, audi illum dicentem : *Non considerantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur* (2. *Cor.* 4. 18). Quid dicis? Atqui contra quam dicis, res se habet : nam invisibilia non videmus, et visibilia videmus. Quales habebas oculos, tales sunt, qui a Christo dati : sicut enim hi visibilia quidem vident, invisibilia vero non vident : sic illi contra : nemo qui invisibilia videat, visibilia videt; nemo qui visibilia videat, invisibilia videt. Annon etiam apud nos hoc fit? Quando enim conversa mente ex invisibilibus aliquid cogitamus, sublimes nobis sunt operationum oculi. Contemnamus gloriam; rideri magis, quam laudari velimus. Nam qui irridetur, nihil læditur; qui laudatur, multum. Ne magni faciamus ea, quæ homines terrent; sed iis ut de puerili lusu tractemus : neque enim, si quem videamus puerulos exterrentem, ipsum admiramur : nam quisquis terret, puerulos terret; virum namque terrere non possit. Et quemadmodum qui terrent, vel supercilia surrigunt, vel aliter vultum distorquent; at si sanum et mansuetum oculum habeant, hoc facere non possint : sic et hi perspicacitatem mentis distorquentes, hoc faciunt. Itaque mansuetum hominem et bonæ animæ nemo exterret, sed illum veneramur omnes, hono-

ramus, reveremur. Annon videtis, quomodo is, qui terribilis est, omnibus sit invisus et abominandus? Quid enim ex iis, quæ terrere possunt, non aversamur? nonne feras, nonne vultus, nonne loca, nonne aerem, quales tenebræ?

5. *Non ab hominibus timeri optandum. Quantum bonum sit virtus.* — Ne igitur magnum putemus esse, si homines nos timeant. Primum enim nullus vere homo nos timet: secundum, non magnum est timeri. Magnum bonum virtus est: et vide quomodo magnum. Etsi res illas, quibus constat, miseras existimemus, illam tamem mirabilem beatamque prædicamus. Quis enim non beatum prædicet philosophum, etsi paupertas et similia misera esse videantur? Cum ergo per ea, quæ misera esse videntur, ille fulgeat, vide excellentiam. Altum sapis de potentia, o homo? Et quæ potentia, quæso, ordinata est? Ab hominibus potens factus es: intus ordina teipsum. Princeps enim est, non qui vocatur, sed qui vere est. Sicut enim rex neque medicum neque rhetorem faciet, sic neque principem; neque enim vel literæ vel nomen principem faciunt. Nam, si vis, exstruat quis medicinæ officinam, habeat etiam discipulos, habeat instrumenta et pharmaca, et invisat ægrotos: an hæc possunt efficere medicum? Minime; sed arte opus est, et sine illa non modo nihil hæc prosunt, sed etiam nocent: eum enim, qui medicus non est, melius est pharmaca non habere. Qui non habet, neque servat neque perdit; qui autem habet, pessumdat, nesciens illis uti: siquidem non in pharmacorum natura tantum salus est, sed etiam in arte utentis: quæ si non adsit, omnia pereunt. Talis et princeps est: habet instrumenta, vocem, iram, lictores, exsilia, honores, dona, laudes; habet et pharmaca, leges; habet ægros, homines; habet officinam, tribunal; habet discipulos, milites: at si non adsit ars medica, hæc nihil illi proderunt. Judex medicus est animarum, non corporum: si autem corporum valetudo tanta eget cura, multo magis animarum, quia major anima corpore. Non ergo nomen habere principis, est esse principem: quandoquidem vocantur et alii magnis nominibus, verbi gratia Paulus, Petrus, Jacobus, Joannes; sed non ex nominibus ii sunt qui vocantur: ut et ego sum quidem beati illius homonymus sive cognominis, non autem synonymus: non sum Joannes, sed vocor. Sic et illi non sunt principes, sed vocantur. Sunt autem illi principes etiam sine his: sicut et medicus licet arte sua non utatur, si illam in anima habeat, medicus est. Sunt principes sui ipsorum principes. Tria enim hæc sunt animæ, domus, civitas, orbis; et via quadam res procedunt. Oportet igitur eum qui domui præficiendus, et ipsam recte ædificaturus est, primo animam suam componere: nam domus sua est. Si vero suam regere non possit, ubi una anima, ubi herus ipse, ubi semper secum est, quomodo alios ædificabit? Qui potest animam componere suam, qui aliud regere, aliud regi curat, hic et domum regere poterit; qui domum, etiam civitatem; qui civitatem, etiam orbem. Si animam regere non possit, quomodo orbem poterit? Hæc dixi, ut ne ad principatus inhiemus, ut videamus, quid sit principatus: hoc enim non est principatus, sed derisio, servitus, et mille similia quis dixerit. Dic mihi, quid est principi proprium? nonne subditis prodesse et bene facere? Quid ergo, si hoc non fiat? quomodo aliis proderit, qui sibi non prodest? qui sexcentis animi motibus agitatur, quomodo aliorum motus sedabit? Sic etiam deliciæ: non hæc sunt deliciæ, sed alia. Sicut enim demonstratum est principem esse non hunc sed alium: sic qui deliciis gaudet, alius est. Videntur enim deliciæ esse voluptati et gulæ servire; sed hoc non est, imo contrarium, nempe animam habere mirabilem, et sic in voluptate versari. Esto enim, comedat quis, bibat et lasciviat, deinde curam habeat ac mœreat: an potest hic in deliciis esse? Non ergo comedere et bibere sunt deliciæ, sed in voluptate esse. Esto, quis aridum manducet panem, et cum lætitia impleatur: annon hoc voluptas est? Ergo et hæc ciborum deliciæ. Videamus ergo, quibus hæc voluptas accidat, an divitibus, an non divitibus. Neque his, neque illis, sed iis, qui ita componunt animam suam, ut ne multas habeant mœrorum causas. Et qualis est hæc vita? dicet forte aliquis; video enim vos omnes audiendi studio flagrantes, quæ sit hæc vita, quæ nullum habeat mœrorem. Igitur in confesso sit apud vos primo hanc esse voluptatem, has delicias, quando mœror non turbat, nec petit a me carnes, vinum, condimenta, sericas vestes, lautam mensam. At si ostendero absque his talem haberi vitam, hanc voluptatem, hanc vitam dilige: multa enim nobis tristia accidunt, eo quod non, ut par est, ea nobiscum reputemus. Quis igitur magis dolebit, isne qui illa nihil curat, an is qui curat? qui vicissitudines metuit, an qui non metuit? qui livorem, invidiam, sycophantias, insidias, perniciem timet, an qui non timet? qui multis, an qui nullo indiget? qui innumeris, an qui nulli servit? qui multis opus habet, an qui liber est? qui unum timet dominum, an qui sexcentos? Ergo major hic voluptas est. Hanc itaque sectemur, neque præsentibus inhiemus; sed rideamus omnem vitæ fastum, et ubique modum servemus, ut possimus hanc vitam sine mœrore transigere, et promissa consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIII.

CAP. 26. v. 30. *Et exsurrexit rex, præses et Bernice, et qui assidebant eis: 31. et cum secessissent, loquebantur ad invicem, dicentes: Nihil morte aut vinculis dignum fecit hic homo. 32. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.*

1. Vide quomodo rursum pro illo calculum ferunt: etiam postquam Festus dixerat, *Insanis*, absolvunt illum, non solum a morte, sed etiam a vinculis; ac demum dimisissent nisi Cæsarem appellasset. Verum hoc ex providentia factum est; non solum autem hoc, sed etiam quod cum vinculis abiret. Ideo dicebat, *Usque ad vincula quasi male operans* (2. *Tim.* 2. 9). Si enim Dominus ejus cum iniquis reputatus est (*Marc.* 15. 28), multo magis hic; sed sicut ille gloriam non curavit, ita neque hic. Admirabile enim est, quod inter illos mixtus, nihil inde damni accepit. (*Cap.* 27) « 1. Ut autem decretum fuit, ut nos navigaremus in Italiam, tradiderunt Paulum et quosdam alios vinctos centurioni, nomine Julio, cohortis Augustæ. 2. Conscensa navi Adrumetina, navigaturi circa Asiæ loca solvimus, perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. 3. Sequenti autem die appulimus Sidonem. » Vide quousque comitatur Paulum Aristarchus. Bene etiam et utiliter adest Aristarchus, omnia in Macedonia narraturus. « Humaniter autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, et curam sui agere 4. Et inde cum solvissemus, subnavigavimus Cyprum, eo quod essent venti contrarii. » *Permisit*, inquit, *Julius, Paulum humaniter tractans*. Bene hoc permisit, ut ad notos profectus curaretur: verisimile enim est, eum male habuisse a vinculis, a metu, a raptationibus. Vide quomodo hoc non occultet, quod curam sui habuerit. Rursus tentationes, rursus venti contrarii. Vide per omnia vitam sanctorum sic contexi: effugerant tribunal, et incidunt in naufragium et tempestatem; quod indicans pergit: « 5. Et pelagus inter Ciliciam et Pamphyliam emensi, pervenimus Myram, quæ est in Lycia. 6. Et ibi centurio nactus navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transtulit nos in illam. » *Nactus*, inquit, *navem Alexandrinam*. Apposite invenitur, ut illi quæ Paulum spectabant in Asia nuntiarent, et hi in Lycia. Vide Deum nihil innovare, nihil mutare, sed permittere eum contrariis ventis navigare. Sed etiam sic miraculum operatur. Ut tuto navigent, non sinit eos in pelagus se immittere, sed semper juxta terram navigabant. « Et cum multis diebus tarde navigaremus et vix devenissemus contra Cnidum, prohibente nos vento, subnavigavimus Cretæ juxta Salmonen; 8. et vix prætergentes illam, pervenimus in locum quemdam vocatum, Boni portus, juxta quem prope civitas Lasæa. 9. Multo autem tempore peracto, et cum jam non esset tuta navigatio, eo quod jejunium jam præteriisset, admonebat eos Paulus, 10. dicens: Video, viri, quod cum injuria et multo damno non solum oneris et navis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse navigatio. 11. Centurio autem gubernatori et nauclero magis credebat, quam iis, quæ dicebantur a Paulo. » Jejunium hoc opinor dici Judæorum. Nam post Pentecosten exierant illinc post multum tempus, ut in ipsa fere hieme venerint in partes Cretæ. Et hoc quoque non parvum miraculum, quod illi propter hunc servati sint. *Viri, video quod cum injuria et multo damno*, inquit, *non solum oneris et navis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse navigatio*. Itaque Paulus jussit manere, et futura prædixit; illi vero festinantes, cum a loco prohiberentur, volebant in Phœnice hybernare.

2. Vide, quæso, dispensationem: primo quidem navim solverunt, abieruntque; deinde ut incidit ventus, dederunt se ferenti, et vix servabantur. 12. « Et cum aptus portus non esset ad hybernandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent, pervecti Phœnicen, illic hybernare, portum Cretæ respicientem ad africum et Chorum. 13. Aspirante autem austro, putantes propositum se tenere, cum solvissent Asso, prælegebant Cretam. 14. Verum haud multo post coortus est contra ipsam ventus typhonicus, qui vocatur Euroaquilo; 15. cumque correpta esset navis, nec posset vento resistere, data navi flatibus ferebamur. 16. In insulam autem quamdam devecti nomine Claudam, vix potuimus obtinere scapham. 17. Qua sublata, adjutoriis utebantur subcingentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent, demissis velis ita ferebantur. 18. Cum autem vehementi tempestate jactaremur, sequenti die jactum fecerunt: 19. ac tertio die nostris manibus armamenta navis projecimus. 20. Neque autem sole neque sideribus apparentibus per plures dies, et tempestate non exigua imminente, jam ablata erat omnis spes salutis nostræ. 21. Tunc stans Paulus in medio illorum dixit: » Vide; post tantam tempestatem non illis insultans hæc loquitur, sed ut vel in posterum sibi credant. Unde et quæ evenerant in testimonium assumit veritatis eorum, quæ dicturus erat. Et duo prædicit: et quod in insulam exscensuri essent, et quod navis peritura, vectores autem servandi essent (quod non conjectura erant, sed prophetia); quodque ipse Cæsari sistendus esset. Illud autem quod dixit, *Donavit tibi Deus omnes*, non arrogantiæ erat, sed volentis vectores ad fidem adducere: nam non ut sibi gratiam haberent, sed ut dictis suis crederent, sic loquutus est. Illud vero, *Donavit tibi Deus*, Paulo dictum est; ac si dixisset: Digni quidem morte sunt, quia non obedierunt; verum in tui gratiam hoc fit. « 21. Et cum multa inedia esset, » inquit, « stans Paulus in medio eorum dixit: Oportebat quidem, o viri, audire me, nec solvere a Creta, ac vitare hanc injuriam et jacturam. 22. Et nunc hortor vos, ut bono animo sitis: jactura enim animæ nulla erit ex vobis, sed tantum navis. 23. Adstitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cujus sum, et quem colo, 24. di-

cens : Ne timeas, Paule ; Cæsari te oportet sisti : et ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. 25. Ideo bono animo estote, viri : credo enim Deo, quod sic erit quemadmodum dictum est mihi. 26. In insulam autem quamdam oportet nos incidere. 27. Ut autem quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria circa medium noctis, suspicabantur nautæ apparere aliquam regionem ; 28. qui demissa bolide repererunt orgyias viginti : ac pusillum inde digressi, rursum jacta bolide, repererunt orgyias quindecim ; 29. timentesque ne in aspera loca incideremus, de puppi jactis anchoris quatuor, optabant diem oriri. 30. Nautis vero quærentibus fugere ex navi, cum demisissent scapham in mare, sub prætextu ac si ex prora anchoras extensuri essent, 31. dixit Paulus centurioni et militibus : Nisi hi in navi manserint, vos salvi esse non potestis. 32. Tunc milites absciderunt funes scaphæ, et passi sunt eam decidere. » Hic ostendit fugam facturos esse nautas dicto non credentes ; centurio autem credit cum militibus. Ideo ait : *Si hi fugerint, vos salvi esse non potestis*. Non ea de causa dixit, sed ut retineret eos, ne prophetia excideret. Vide illos quasi in ecclesia doceri philosophiam a Paulo, quos ex mediis periculis eripit. Et per providentiam non creditur Paulo, ut post rerum experientiam ipsi credatur, ut factum est. Ac rursum hortatur, ut sumant cibum, et obtemperant ; ipseque primus sumit, non verbo, sed et opere suadens nihil nocituram esse tempestatem, imo illorum animabus profuturam. « 33. Et cum dies inciperet oriri, hortabatur Paulus omnes sumere cibum, dicens : Dies decimus quartus est, quod exspectantes jejuni permanetis, nihil accipientes. 34. Propter quod hortor vos ut sumatis cibum : hoc enim ad salutem vestram pertinet : nullius enim vestrum capillus de capite cadet. 35. Et cum hæc dixisset, sumpto pane gratias egit Deo in conspectu omnium : et cum fregisset, cœpit edere. 36. Cum porro jam omnes bono animo essent, sumpserunt et ipsi cibum. 37. Eramus vero in navi omnes animæ ducentæ septuaginta sex. 38. Satiati autem cibo, alleviabant navem, ejicientes triticum in mare. 39. Cum autem dies fuit, terram non agnoscebant : sinum vero quemdam animadverterunt littus habentem, in quod cogitabant, si possent, impingere navem. 40. Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxatis juncturis gubernaculorum ; et sublato artemone ad auræ flatum tendebant ad littus. 41. Et cum incidissent in locum bimarem, impegerunt navem : et prora quidem infixa, manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi fluctuum. »

3. Rursus tentat diabolus prophetiæ eventum impedire : volebant quosdam interficere, sed non permisit centurio, ut Paulum servaret : ita illum jam diligebat. « 42. Militum autem concilium erat, ut vinctos occiderent, ne quis enatans effugeret. 43. At centurio volens servare Paulum, eorum consilium impedivit, jussitque omnes qui natare possent, abjicere se primos, et in terram evadere, 44. cæteros autem partim in tabulis, partim quibusdam navis fragmentis. Et sic factum est, ut omnes incolumes evaderent in terram. (*Cap.* 28.) 1. Et cum evasissent, tunc cognoverunt, quod Melite insula vocaretur. » Viden' quantum bonum ex tempestate evenerit ? Non igitur, quod derelicti essent, tempestas accidit. Et quomodo, inquies, ferebant jejuni, cum nullum cibum sumerent ? Timor tenebat illos, nec sinebat in appetitum cibi incidere de extremis periclitaturos. Igitur quod factum est, a tempore fuit : majus autem miraculum, quod tali tempore ex periculis erepti sint, tum ipse tum propter ipsum reliqui. *Et sublato artemone, ad venti flatum contendebat ad littus*. Hoc dixit, violentiam ostendere volens, quam jactati sustinebant : sæpe namque non ita faciunt. Ideo deduxerunt carbasa, id est, vela (cum enim vehemens ventus est, hoc fieri solet), ut venti violentia reprimatur. Hæc vero patiuntur in Adria, ubi servari difficile erat. *Eramus autem in navi animæ omnes ducentæ septuaginta sex*. Et unde palam est, quod tot essent qui simul navigabant ? Verisimile est illos interrogasse cur navigarent, et didicisse omnia. Nihil cibi sumebant, quia cibi nulla cura erat cum non leve instaret periculum. Et vide quomodo non infructuosa navigationis tarditas et intempestivitas Paulo fuerit, sed illam in doctrinæ tempus verterit. Non parum illud erat, si quidem hi omnes credidissent. Sed superiora repetamus. *Multo autem jam elapso tempore, cum esset jam periculosa navigatio, admonebat eos Paulus, dicens : Viri, video quod cum injuria et damno futura sit navigatio*. Vide quam sit alienus a fastu : ne prophetare videatur, sed quasi ex conjectura dicere : *Video*, inquit : non enim suscepissent, statim si hæc dixisset. Prius igitur prophetat et dicit : [1] [*Deus, cui servio*, inducens illis. Quomodo igitur sine jactura animarum res gesta est ? Jactura facta esset nisi servasset Deus.] Quantum enim ad naturam rei, omnes periissent, sed Deus impedivit. *Centurio autem*, inquit, *gubernatori magis credidit, quam iis quæ a Paulo dicebantur*. Ut ostenderetur eum non ex conjectura hæc dixisse, gubernator contraria dicit, cum rei peritus esset : sic non ex conjectura hæc dicebantur. *Et cum aptus*, inquit, *non esset portus*. Vide, locus ipse docet illa non ex conjectura dicta fuisse, cum aptus non esset : imo plurimi ex illis ex conjectura loquuti videntur, qui inde solvendum suadebant ; sed nihil ipsis profuit ; inciderunt enim in tempestatem, et jacturam eorum quæ vehebant faciunt. Ideo hæc ita declarat : *Cum autem vehementi tempestate jactaremur, propriis manibus armamenta navis projecimus*. Ne posthac essent increduli, hæc fieri permittuntur. Gravisque tempestas excitatur, multæque tenebræ fiunt. Deinde ne perirent, etiam triticum et omnia ejiciuntur : hoc enim sibi vult illud, *Armamenta navis ejecimus*. *Cum autem multa inedia esset, dixit Paulus : Oportebat morem*

[1] Loco eorum omnium quæ uncinis clauduntur non aliud efferunt Benedictini nisi illud, *Deus servavit*. Locum instauravimus e Codd. 2 et 4.

gerentes mihi vitare jacturam. Vides, quomodo non parum ad audiendum conferrent tempestas et tenebræ? Et vide, quomodo morem gerat centurio, ita ut scapham amittat et perdat. Quod si nautæ nondum crediderunt, sed postea, ne mireris; hoc enim genus hominum petulans est et durum ad credendum.

Pauli prudentia. — Tu vero etiam hinc mihi perpende Pauli prudentiam. Neque enim increpat vel exasperatur, sed mansuete ait, *Sic oportebat*. Sciebat enim in calamitate increpantem non esse acceptum; sed postquam maxima calamitatis pars præteriit, tunc esse acceptum. Tunc ergo instat, cum omnis salutis spes sublata est: tunc utilia prædicit. *Ut autem decima quarta nox advenit*, inquit, *timentes optabant advenire diem*. Ne quis diceret nihil evenisse, hoc dicit, ostendens omnia facta esse. Quod autem facta sint, timor ostendit: *Optabant enim*, inquit, *diem advenire timentes*. Et locus difficilis erat: etenim per Adriam hæc contingunt: et erat magna inedia: *Hic decimus quartus dies est, quod exspectantes jejuni permanetis*. Ergo undique in media morte erant: ideo subdit, *Obsecro vos, ut sumatis cibum;* hoc enim ad vestram salutem fuerit; hoc est, Ne forte fame pereatis, cibum sumite. *Sumpto autem pane*, inquit, *gratias egit Deo*.

4. Vide quod ille gratias agit de iis quæ acciderant, hoc non modo illos confirmavit, sed etiam animos indidit. *Eramus*, inquit, *omnes animæ in navi ducentæ septuaginta sex*. De his dicebat, *Jactura animæ nullius erit in vobis*. Hoc certo scientis est animæ, dicere salvos futuros esse. *Satiati autem cibo alleviabant navim, ejicientes triticum*. Viden'? ad sumendum cibum persuadentur tantum: sed sic jam totum rejiciebant in Paulum, ita ut et triticum ejicerent. Vide illos humana facientes, nec prohibentem Paulum. *Quando autem dies fuit*, inquit, *laxaverunt juncturas*. Solvitur navis in die, ne illi metu dissolvantur: ut videas prophetiam opere completam. *Militum autem concilium fuit, ut vinctos occiderent*. Vides, quod etiam in hoc Paulo gratiam habuerint? propter illum enim centurio non permisit ut occiderentur. Ita mihi videntur illi ex confesso scelesti fuisse, ita ut vellent ipsos occidere: sed prohibiti, non fecerunt; sed alii quidem natarunt, alii in tabulis ferebantur, et omnes ita salutem nacti sunt, ac prophetia finem accepit, etiamsi non a tempore clara esset: neque enim ante multos annos illam prænuntiarat, sed rerum naturam sequens: insperata enim erant omnia, et per propriam salutem discebant quis esset Paulus. Sed dixerit quispiam, Cur non etiam navim servavit? Ut discerent quantum periculum evaserint: quod non humani auxilii totum esset, sed Dei manus sine nave servantis. Itaque justi etsi in tempestate sint, etsi in mari vel in pelago, nihil grave patiuntur, imo et alios secum servant. Si navi periclitante et naufragium passa vincti a Paulo servati sunt: cogita, quid sit virum sanctum habere domi: multæ namque tempestates nos jactant, et his longe graviores; sed potest Deus et nos servare, modo credamus sanctis sicut illi, si faciamus quæ illi præcipiunt. Neque enim simpliciter servantur, sed etiam ipsi fidem attulerunt. Etiamsi vinctus sit sanctus, majora operatur, quam ii qui soluti sunt. Et hoc considera hic factum [1]. Solutus centurio vincto illo habebat opus: gubernator peritus eo, qui non gubernator erat, egebat; imo vero gubernatore. Non enim talem scapham gubernabat, sed orbis Ecclesiam, ab illo edoctus qui et maris dominus est, non humana arte, sed et spirituali sapientia. In hac scapha multa naufragia, multi fluctus, spiritus nequitiæ, *Intus pugnæ, foris timores* (2. *Cor*. 7. 5). Itaque vere gubernator ille erat. Vide autem totam vitam nostram, quomodo talis sit. Aliquando enim clementia fruimur, aliquando tempestate jactamur; modo ob inconsiderantiam et ignaviam in mille mala incidimus: imo hoc magis fit, quia Paulum non audimus, ubi festinamus aliquo ire, quo ille non jubet. Nobiscum enim etiam nunc navigat, sed non ut tunc vinctus: hortatur etiam nunc eos, qui in hoc mari navigant, dicitque: *Attendite vobis ipsis: ingredientur enim post discessum meum lupi graves in vobis* (*Act*. 20. 28. 29); et rursum: *In novissimis temporibus instabunt tempora gravia, et erunt homines sui amantes, avari, arrogantes* (2 *Tim*. 3. 1. 2). Hic enim omnium gravissimus spiritus est.

5. *Fides tutus portus.*—Maneamus igitur ubi ille jubet, in fide, in tuto portu: ipsum magis audiamus, quam gubernatorem qui est in nobis, rationem inquam. Ne faciamus ea quæ hic suggerit, nec quæ nauclerus, sed quæ Paulus: multas similes subiit tempestates. Ne experientia discamus; sed ante experientiam vitemus et injuriam et jacturam. Audi quid dicat: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem* (1. *Tim*. 6. 9). Credamus ergo ei: nam vide quid acciderit iis, qui non crediderunt. Et rursum alibi dicit, quid naufragia pariant. *Qui naufragaverunt circa fidem* (*Id*. 1. 19), inquit. Tu vero mane in iis, quæ didicisti et credidisti. Credamus Paulo: licet in media tempestate simus, omnino a periculis liberabimur; etiamsi quatuordecim diebus jejuni manserimus, etsi spes salutis exciderit, etsi in tenebris et caligine versemur, credentes ei a periculis liberabimur. Navim esse putemus totum orbem, et in illa improbos et sexcentis flagitiis obnoxios; et alios quidem principes, alios vero custodes, alios justos, ut Paulus, alios vinctos et peccatis constrictos: itaque si Paulo credamus, non vincti peribimus, sed solvemur: nos quoque illi donabit Deus. An negas peccata et affectus grave vinculum esse? non enim solæ manus vinctæ sunt, sed totus homo. Dic enim mihi, si quis multas pecunias possidens non eroget vel expendat, sed retineat: nonne gravius quam vinctus quivis parcimonia insolubili vinculo ligatur? Quid, si quis fato se subjiciat, nonne hic aliis ligatus est vinculis? quid, si observationibus? quid, si symbolis? nonne hæc omni vinculo sunt graviora? quid, si absurdæ cuidam concupiscentiæ vel amori? Quis

[1] Illud, *et hoc considera hic factum*, deest in quibusdam.

hæc vobis vincula disrumpet? Deo opus est ut solvantur. Et unum quidem horum sufficit ad periculum creandum : cum autem vincula et tempestas, cogita quanta sint pericula. Quid enim non sufficit ad perdendum? nonne sufficit fames? nonne tempestas? nonne vectorum nequitia? nonne tempus inopportunum? Verum ad hæc omnia stetit clarissimus Paulus. Ita et nunc : retineamus nobiscum sanctos, et non erit tempestas; imo etiam si sit tempestas, erit serenitas et tranquillitas magna, ac liberatio a periculis. Etenim vidua illa sanctum habebat amicum, et mors filii soluta est, puerumque redivivum accepit. Ubi pedes sanctorum versantur, nihil accidit triste : sin accidat, ad probationem et ad majorem Dei gloriam accidit. Fac ut domus pavimentum frequenter ab hujusmodi calcetur pedibus, nec ibi calcabit dæmon; et merito quidem. Sicut enim ubi fragrantia, ibi fœtor locum non habet : sic ubi unguentum sanctum, ibi suffocatur dæmon, simul agentes lætificat, recreat animam. Ubi spinæ, ibi feræ : ubi hospitalitas, ibi spinæ non sunt . nam ingressa eleemosyna falce acutior spinas succidit, et igne vehementius exurit eas. Ne timeas : timent sanctorum vestigia sicut leonem vulpes. *Justus enim*, inquit, *ut leo confidit* (*Prov.* 28. 1). Hos introducamus leones in domum, et feræ omnes fugabuntur, non illis occlamantibus sed simpliciter loquentibus. Non enim rugitus leonis bestias sic fugat, ut justi precatio dæmonas : si loquatur tantum, formidant illi. Et ubinam, inquies, nunc tales homines sunt? Ubique, si nos credamus, si quæramus, si curiose pervestigemus. Ubi quæsivisti, quæso? quandonam hoc curasti? Si non quæras, ne mireris, si non reperias : nam *Qui quærit, invenit* (*Matth.* 7. 7), non qui non quærit. Audi eos qui in solitudinibus sunt : abjice aurum et argentum; ubique terrarum sunt. Si non domi recipias, illum adi, cum illo versare, ad ejus domum accede, ut possis illo frui ejusque benedictione. Magna quippe est sanctorum benedictio, quam assequi curemus, ut eorum precibus adjuti, Dei [qui illos roborat] misericordia fruamur, gratia et benignitate Unigeniti ejus [Filii], quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIV.

Cap. 28. v. 1. *Barbari vero præstabant non modicam humanitatem nobis.* 2. *Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes, propter imbrem qui imminebat, et frigus.* 3. *Cum congregasset autem Paulus sarmentorum multitudinem et imposuisset in ignem, vipera a calore cum processisset, momordit manum ejus.*

1. Quomodo humanitatem præstarent barbari, interpretatur : *Accensa*, inquit, *pyra reficiebant nos* [*omnes*]. Quia enim nulla ex evasione utilitas fuisset, cum frigus illos interempturum esset, accendunt pyram. Hinc Paulus accepta sarmenta in rogum infert, ut ille subjungit : *Cum congregasset autem Paulus sarmentorum multitudinem.* Vide illum operantem; et nusquam frustra mirabilia patrantem, sed ob necessitatem: nam in tempestate quoque non sine causa prophetavit, et hic rursum sarmenta colligit et imponit. Vide illum non ad fastum vel superflue agentem, sed ut illi servarentur calore quodam fruentes. Deinde vipera ex calore egressa manum ejus invasit : et quod invaserit, palam est ex sequentibus. 4. *Ut vero viderunt barbari pendentem bestiam de manu ejus, inter se dicebant : Utique homicida est homo hic, quem servatum de mari ultio non sinit vivere.* Bene hoc permissum est, ut talia illi viderent et loquerentur, ut futuro miraculo fidem non negarent. Vide naturale judicium a barbaris prolatum, ipsosque honeste inter se loquentes, nec simpliciter damnantes. Ita hic prius vident, ut magis mirentur. 5. « At ille excussa bestia in ignem, nihil mali passus est : 6. illi vero existimabant eum in tumorem convertendum et subito casurum mortuum. Diu autem illis expectantibus, et videntibus nihil illi mali accidere, mutata sententia, dicebant ipsum esse deum. » Qui existimabant illum *In tumorem convertendum*, id est, dirumpendum; videntes hi cum nihil mali passum, dicunt esse deum. Rursus supra modum illum honorant, ut turbæ illæ in Lycaonia. 7. *In locis autem vicinis erant prædia principis insulæ nomine Publii; qui nos suscipiens, triduo nos benigne hospitio recepit.* Ecce iterum alius hospitalis Publius dives et opulentus : qui cum nihil vidisset, sed ob solam calamitatem misertus illorum, hospitio excepit et fovit. 8. *Contigit autem, patrem Publii febribus ac dyssenteria vexatum decumbere : ad quem Paulus ingressus oravit, impositisque illi manibus curavit eum.* Quia dignus erat beneficio, vicem illi hospitalitatis rependens, curavit patrem. 9. *Quo facto, omnes qui in insula habebant infirmitates, accedebant et curabantur :* 10. *qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, et solventibus imposuerunt quæ necessaria erant :* id est, et nobis solventibus necessaria dederunt et aliis. Vide illos a tempestate liberatos, non fuisse neglectos; sed etiam propter Paulum liberali hospitio susceptos : per tres enim menses alimenta omnibus suppeditata sunt. Quod enim tantum temporis ibi manserint, audi quomodo postea narret : 11. « Post menses autem tres, navigavimus in navi Alexandrina, quæ in insula hiemaverat, cui erat insigne Castor et Pollux. 12. Et cum venissemus Syracusas, mansimus ibi triduo. 13. Inde circumlegentes devenimus Rhegium : et post unum diem flante austro, secunda die venimus Puteolos : 14. ubi inventis fratribus, rogati sumus manere apud eos septem dies; et sic venimus Romam. 15. Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii forum et Tres tabernas. Quos cum vidisset Paulus, agens gratias Deo, accepit fiduciam. » Vide quomodo propter Paulum hæc omnia fiant, ut crederent vincti, milites, centurio. Nam etsi lapidei fuissent, et per ea quæ consulentem audierant, et per

ea quæ prædixerat, perque miracula quæ patrarat, et ex alimentis sibi suppeditatis, magna de illo concepissent. Vide quando rectum judicium est, nec affectu præoccupatum, quomodo statim rectas et probatas sententias accipiat. Jam in Siciliam pervenerat prædicatio; jam usque Puteolos pertigerat, ubi repertis quibusdam fratribus apud illos manent. Deinde alii, fama permoti, ipsis occurrerunt: tantus erat fratrum affectus, qui non turbati sunt, quod Paulus esset in vinculis, sed obviam venerunt. Vide autem illum humanum quidpiam passum esse. *Fiduciam*, inquit, *accepit videns fratres*. Quamvis tot signa fecisset, accepit tamen ex aspectu fiduciæ augmentum. Hinc discimus illum humano etiam more consolationem accepisse, et contra. 16. *Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere seorsum cum milite se custodiente*. Viden'? permissum est illi, ut seorsim maneret. Non parvum est et hoc argumentum illum in magna admiratione fuisse: non enim cum aliis ipsum annumerabant. *Post tres autem dies convocavit primos Judæorum*. Post triduum accivit primos Judæorum, ne aures illorum præoccuparentur. Et quid commune cum illis habuit? non enim illi accusaturi ipsum erant. At ille non hoc curabat, sed hoc docere volebat, ut ne ex dictis offenderentur.

2. Judæi ergo tot videntes miracula, persequebantur, pellebant; barbari vero, qui nihil viderant, ex sola calamitate misericordes erant. *Omnino*, inquiebant, *homicida est hic homo*. Non simpliciter pronuntiant, sed, *Omnino*, dicunt; id est, ut videre licet. *Et ultio*, inquiunt, *ipsum vivere non sinit*. Ergo providentiæ rationem habebant, et magis philosophi erant, quam ipsi philosophi. Hi enim ea, quæ sub luna fiunt, providentia frui non sinunt: illi vero ubique putabant Deum esse præsentem, et quod licet multa quis effugerit, non usque in finem tamen effugiet. Et vide, quomodo non insurgant in illum omnino, sed propter calamitatem interim revereantur; neque illa divulgant, sed inter se dicunt: nam vincula hanc injiciebant suspicionem: vincti enim erant. Erubescant ii qui dicunt, Ne benefacias eis, qui in carceribus sunt; pudorem nobis afferant barbari: non enim sciebant quinam illi essent, sed ex calamitate ipsos esse homines didicerunt; ideoque cum humanitate illos exceperunt. *Multum autem illis exspectantibus*, inquit; id est, diu exspectabant eum moriturum. Ille vero bestiam excussit in ignem, et manum nihil passam monstravit. Hoc videntes stupefacti et mirati sunt. Neque statim deprehensum est signum, sed aliquamdiu exspectarunt homines, ne videretur phantasia esse: sic non erat fallacia, non fraus. *In vicinis autem locis erant prædia primi insulæ, nomine Publii: qui nos suscipiens, benigne hospitio excepit*. Bene sic loquitur: benignitatis quippe magnæ est ducentas septuaginta animas hospitio excipere. Cogita quantum sit hospitalitatis lucrum. Non quod nec necessitas esset, neque quod invitus agat, sed quod lucrum putet, per tres dies hospitio illos excepit. Ideoque talis hospitalitatis mercedem jure accipit, imo longe dono majorem: nam patrem ejus curat a dysenteria male patientem; nec modo ipsum, sed multos etiam alios infirmos curat, qui vicem rependunt honoribus, commeatu: quod hic declaratur: *Qui multis honoribus nos prosequuti sunt, et solventibus imposuerunt quæ necessaria erant*. Non mercedem recepit, absit; sed impletur id quod scriptum est: *Dignus est operarius cibo suo* (*Matth*. 10. 10). Palam autem est eos, qui sic illum exceperunt, verbum prædicationis accepisse: neque enim trimestri tempore disseruisset, nisi illi vere credidissent et fructum exhibuissent. Itaque hinc indicium est, magnum fuisse credentium numerum. *Et solvimus*, inquit, *in navi Alexandrina, quæ hiemaverat in insula, cujus insigne Castorum*. Id fortasse in illa pictum erat; ita erant idolis dediti. Vide illos moras trahentes, et rursum festinantes. *Paulo autem permissum fuit seorsum manere*. Demum ita venerabilis erat Paulus, ut seorsum manere permitteretur. Neque id mirum est: nam si antehac benigne illum exceperunt, multo magis nunc. *Et flante austro, inquit, postridie venimus Puteolos, ubi inventis fratribus, rogati sumus apud illos manere septem diebus: et sic Romam venimus. Et inde ut fratres audierunt de nobis, exierunt in occursum nobis usque ad Appii forum et Tres tabernas*. Quod periculum metuentes exierint, vel hoc satis pro illis spondet. Vide quomodo in tanta navigatione ad nullam appellunt civitatem, sed ad insulam; et hiemem totam transigunt in navigatione: his ita dispositis, ut qui simul navigabant, ad fidem deducerentur. *Permissum est ei*, inquit, *ut permaneret solus cum milite ipsum custodiente*. Et opportune certe, ut nemini liceret ipsum insidiis appetere: neque enim isthic licebat seditiones movere. Itaque non illum custodiebat, sed curabat, ne illi aliquid molestum accideret: non enim licebat in tanta civitate, ubi Imperator erat, quem appellaverat Paulus, aliquid præter ordinem fieri. Ita semper per ea, quæ videntur contra nos esse, pro nobis omnia fiunt: custos enim Paulo erat. Et convocatis primis Judæorum, cum illis disserit: qui et contradicere verentur, atque ab illo increpantur et nihil audent dicere; nihil enim jam contra illum tentare licebat illis. Hoc enim mirabile est, quod non per ea, quæ videntur ad securitatem conferre, sed per contraria pro nobis omnia fiant. Quod ut discas, hinc perpende. Jussit Pharao pueros in flumen conjici. Nisi projecti fuissent pueri, nisi id jussisset Pharao, non servatus fuisset Moyses, non in regia educatus. Cum servabatur, non in honore erat; cum expositus fuit, tum in honore fuit. Hoc vero faciebat Deus, ut et potentiam et sapientiam suam ostenderet. Minatus est Judæus, dicens: *Num occidere me vis* (*Exod*. 2. 14)? et hoc illi profuit. Itaque ex providentia factum est, ut visionem illam videret in deserto, ut tempus congruens impleretur, ut philosopharetur in solitudine, et secure viveret. Et in omnibus quæ a Judæis ipsi parantur insidiis idipsum fit: tunc clarior efficitur: ut etiam Aaroni contigit. Insurrexerunt in illum, et clariorem reddi-

derunt; hinc enim illi sacerdotale indumentum paratur, tiara imponitur, et reliquus vestium ornatus, ut ordinatio ejus sine dubio sit [1]; ut deinceps admirationi habeatur a lamina ærea. Scitis probe historiam: ideoque prætercurro. Et si vultis, prisca ea de re adeamus. Cain fratrem occidit; sed sic illi magis profuit: audi enim quid dicat: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me* (*Gen.* 4. 10); et rursus alibi: *Sanguine melius loquente quam Abel* (*Hebr.* 12. 24). Liberavit illum ab incerto futuri, mercedem auxit: novimus omnes dilectionem, quam Deus erga illum habuit. In quo læsus est, citius morte sublatus? In nullo: quid enim, quæso, lucrantur ii qui tardius moriuntur? Nihil: neque enim felicitas ex vita vel longa vel brevi pendet, sed ex eo, quod vita bene utamur. Tres pueri injecti sunt in fornacem, et hinc clariores effecti sunt: Daniel in lacum, et inde splendidior ascendit.

3. *Tentationes magna pariunt bona.* — Vides ubique tentationes magna parere bona, etiam hic, quanto magis illic! In malitia autem idem evenit, ac si quis calamum habens, prælietur contra ignem: videtur enim ignem percutere, et ipsum fulgidiorem facit, et seipsum consumit. Malitia namque virtuti alimentum et splendoris occasio est: nam Deo injustitia ut opus est utente, res nostræ magis fulgent. Rursum diabolus cum tale quidpiam operatur, eos qui patiuntur splendidiores reddit. Cur ergo, inquies, in Adamo non tale quidpiam factum est, sed ille ignominiosior est redditus? Etiam illo ut par erat usus est Deus; si vero quid passus sit, ipse seipsum læsit: nam quæ ab aliis nobis inferuntur, magnorum nobis bonorum causæ sunt; quæ autem a nobis ipsis, non item. Quia enim ab aliis læsi dolemus, a nobis autem ipsis non item, ostendit Deus eum, qui ab alio injuste patitur, clarum esse, eum vero, qui seipsum lædit, damnum ferre: et jure quidem, ut illud fortiter feramus, et non hoc: alioquin vero totum ibi fuit Adami. Cur enim credebas mulieri? cur adversa consulentem non repulisti? Tu omnino in causa fuisti: nam si diabolus in causa esset, oporteret omnes qui tentantur perire: quod si non pereunt, in nobis causa est. At oporteret, inquies, omnes qui tentantur recte agere; vel, si nos in causa sumus, etiam absque diabolo perire? Hoc etiam evenit; nam multi etiam absque diabolo pereunt: neque enim ille omnia efficit, sed etiam multa fiunt ex ignavia nostra: quod si ille in causa sit, nobis utique ansam præbentibus. Dic enim mihi quandonam diabolus tantum valuit in Judam? Quando ingressus est, inquies, in eum satanas. Sed audi causam: quia fur erat, et quæ immittebantur portabat. Ipse dedit illi latum ingrediendi spatium: et ita non diabolus initium dat, sed nos illum recipimus et vocamus. Verum, inquies, si ille non esset, non gravia essent mala. Sed inevitabile nos supplicium maneret: nunc enim, dilecte, pœna nobis levior est; si vero ex nobis ipsis gravia patraremus, intolerabile esset supplicium. Dic enim, oro, si ea, quæ peccavit Adam, absque consilio peccasset, quis illum ex periculis eripuisset? Sed, inquies, non peccasset. Undenam hoc mihi dicis? Qui enim ita mollis erat et ignavus, atque ad insipientiam pronus, ut tale consilium acciperet, multo magis etiam ex se fecisset. Quis diabolus Josephi fratres in invidiam conjecit? Si vigilemus ergo, dilecti, nobis diabolus gloriæ auctor erit. Quid enim Jobo nocuit tantum illius artificium? Ne hoc, inquies, dixeris; sed qui infirmus est læditur. At infirmus, etiamsi diabolus non esset, perinde læditur. Verum reponies, magis cum illius operatione læditur. Sed si cum illius operatione peccaverit, minus punitur: neque enim omnium peccatorum pares sunt pœnæ. Ne nos ipsos decipiamus: non est nobis in causa diabolus, si vigilemus: ille nos magis somnolentos excitat. Dic enim mihi (interim hæc examinemus): non sint feræ, non sit aeris intemperies, non morbus, non dolores, non mœrores, nec quid simile: qui non factus esset homo? Porcus magis quam homo, ut videtur mihi, fuisset, gulæ et ebrietati se dedens, et a nullo eorum interturbaretur. Nunc vero curæ et sollicitudines, gymnasium et schola philosophiæ sunt illi, atque institutio optima. Hoc item perpende: educetur quis in regia sine dolore nec cura vel sollicitudine, neque iræ vel infortunii occasionem habeat, sed omnia quæ concupiverit faciat et assequatur, omnesque habeat sibi obsequentes: annon talis homo omni fera irrationabilior fiet?

Calamitatum utilitas. — Nunc vero sicut cos acuens nos sunt calamitates: ideo pauperes divitibus sunt ut plurimum sapientiores, utpote multis fluctibus vexati et exercitati. Nam corpus otiosum et immotum, morbis obnoxium est et deforme; quod autem movetur et laborat affligiturque, formosius est et sanius: hoc etiam in anima reperire est. Et ferrum si jaceat, rubiginem contrahit; si exerceatur autem, splendet: similiterque anima quæ movetur; motio autem animæ sunt calamitates: ortesque pereunt, si non moveatur anima; movetur autem, cum non omnia plana sunt: movetur enim a contrariis. Nisi contraria sint, nihil est quod moveat: exempli causa, si omnia essent pulchre facta, non inveniret ars in quo moveretur. Sic (*a*) [si omnia essent nobis juxta voluntatem nostram, non inveniret anima, unde moveretur:] si ubique gestaretur, ingrata esset. Non vides nos nutrices jubere non semper infantes gestare, ne in hanc consuetudinem deducant, neve imbecilles fiant? Ideo qui in conspectu parentum educantur, infirmiores sunt, eo quod intempestiva et immoderata cura illorum valetudinem pessumdet. Bonus est dolor moderatus, bona cura, bona talis egestas: fortes enim nos reddunt quæ bona et contraria sunt; sed eorum singula si immoderata sint, perdunt, aliudque emollit, aliud dirumpit. Nonne vides Christum discipulos suos sic instituere? Si illi

[1] Unus habet..... *reddiderunt, ut ordinatio ejus sine dubio sit*, omissis intermediis.

(*a*) Quæ inter uncinos clauduntur, non leguntur in Monif., suntque suppleta e Codd. et Savil.

his egebant, multo magis nos. Si nos egemus, ne indignemur, sed gaudeamus in tribulationibus: hujusmodi namque pharmaca sunt nostris vulneribus congruentia, alia quidem amara, alia vero blanda: utrumque autem illorum, si solum fuerit, inutile est. Gratiam ergo Deo habeamus de his omnibus: non enim sine causa hæc sinit accidere, sed ad utilitatem animarum nostrarum. Gratum ergo animum exhibentes, gratias agamus, glorificemus, fortiter resistamus, temporaneam eorum rationem cogitantes, et ad futura mentem nostram extendentes, ut et præsentia fortiter feramus, et futura bona consequi dignemur, gratia et benignitate Unigeniti ejus, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LV.

CAP. 28. v. 17. *Post tres autem dies convocavit Paulus primos Judæorum. Cumque convenissent, dicebat eis: Viri fratres, ego cum nihil contrarium fecissem populo vel patriis moribus, vinctus ab Jerosolymis traditus sum in manus Romanorum:* 18. *qui cum interrogationem de me habuissent, volebant me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me.* 19. *Contradicentibus autem Judæis, coactus sum appellare Cæsarem: non quasi habeam de quo gentem meam accusem.* 20. *Propter hanc ergo causam advocavi vos, ut viderem et alloquerer: propter spem enim Israelis catena hac circumdatus sum.*

1. Hoc bene et congruenter agit, cum primos Judæorum ad colloquium convocat. Volebat enim et se et alios a crimine liberare: se, ne accusaretur ab eis, et hoc illis noceret; illos vero, ne totum ipsorum videretur esse. Verisimile enim est percrebuisse famam, ipsum a Judæis traditum fuisse; idque sufficiebat ad terrendum illos. Statim ergo huic rei occurrit, et sic seipsum mansuete defendit. Vide porro quomodo defensionem suam texat, dicens: *Viri fratres, ego cum nihil contrarium fecissem populo vel patriis moribus, vinctus ex Jerosolymis traditus sum in manus Romanorum.* Deinde quia verisimile erat aliquos ex auditoribus dicturos esse: Quomodo credatur te sine causa traditum fuisse? addidit: *Qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere;* ac si diceret: Testantur Romanorum principes, qui et examinarunt me et voluerunt dimittere. Quomodo ergo non dimiserunt? *Contradicentibus Judæis,* inquit. Viden' quomodo illorum crimina minuit? Si enim augere voluisset, poterat vehementius carpere. Ideoque sic loquutus, subdidit: *Coactus sum appellare Cæsarem.* Itaque ad veniam omnia spectant. Deinde ne quis diceret: Quid igitur, an ut eos accuses, hæc fecisti? Per ea quæ addit, hoc corrigit, dicens: *Non quasi habeam, de quo gentem meam accusem;* sed ut periculum effugerem. Propter vos enim hac catena circumdatus sum. Tantum abest, inquit, ut inimico erga vos sim animo, ut hac catena circumdatus sim. Quid ergo illi? Sermone ejus ita capti sunt, ut non solum pro se, sed etiam pro cognatis suis defensionem pararent: quod declarans sic pergit: « Illi vero dixerunt ei: 21. Nos neque literas de te accepimus a Judæa, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit aut loquutus est aliquid de te mali. 22. Rogamus autem a te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis, quod ubique ei contradicitur. » Ac si dicerent: Neque per literas, neque per homines significarunt aliquid mali de te: attamen a te audire volumus. Sic præoccuparunt sententiam declarare suam, et aiunt: *Nam de secta hac notum est nobis, quod ubique ei contradicitur.* Non dicunt, Contradicimus; sed, *Contradicitur,* et se ab accusatione absolvunt. « 23. Cum constituissent autem ei diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi: quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex Moyse et prophetis, a mane usque ad vesperam. 24. Et alii quidem credebant iis, quæ dicebantur, alii vero non credebant. » Viden' quomodo non statim respondit, sed diem illis audiendi constituit: cum autem venissent, disserebat a lege Moysis et a prophetis: « Et alii credebant, alii vero non credebant. 25. Cum autem non essent consentientes inter se, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Bene Spiritus sanctus loquutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros, 26. dicens: Vade ad populum istum, et dic eis: Aure audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non percipietis. 27. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur et sanem eos » (*Isai.* 6. 9 *et* 10). Cum discedebant inter se dissentientes, tunc Isaiam prophetam affert, non ut illis convicietur, sed ut hos firmet. Quid ait ille? *Aure audietis, et non intelligetis.* Viden' quomodo illos omni venia indignos ostendit? siquidem prophetam habentes jam olim hæc prænuntiantem, non conversi sunt. Cum autem dicit, *Bene,* ostendit illos juste ejectos fuisse. Atque ita gentibus datum est, ut hoc mysterium cognoscerent. Nihil mirum igitur si contradicebant: hoc jam olim prædictum fuerat. Deinde zelum eorum provocat ex gentibus, hæc subjiciens: « 28. Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient. 29. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem. 30 Mansit autem biennio toto in suo conducto, et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, 31. prædicans regnum Dei, et docens quæ sunt de Christo Jesu cum omni fiducia, nemine prohibente. » Amen. Hic ostendit demum libertatem suam: Romæ namque sine impedimento prædicat, qui in Judæa prohibitus fuerat, et mansit biennio docens illic.

2. Sed superiora repetamus. *Propter hanc causam,* inquit, *advocavi vos ut viderem;* id est, ideo id volui

ne cuipiam liceret me accusare, et quæ in mentem venerint dicere : quia manus eorum effugi, et ad hoc veni. Non ut aliis mala inferrem, sed ut ipse mala effugerem, veni. Illi vero reponunt : *Rogamus a te audire quæ sentis.* Vide illos mansuetius loquentes. *Rogamus*, inquiunt, et volunt etiam pro illis rationem reddere : ideo constituta die venerunt. Hoc vero magnum erat argumentum, quod se ipsi damnarent neque sibi fiderent. Nam si fidissent, saltem convenissent, ut ipsum secum attraherent; nunc autem cum non fiderent, pigri fuerunt ad veniendum : alioquin vero etiam, quod sæpe tentaverint, ostenderunt se fiduciam non habere. *Et alii quidem dictis credebant*, inquit, *alii non credebant, et cum non concordes essent, discedebant;* id est, non credentes recedebant. Vide quomodo nunc non in illum struant insidias; sed in Judæa, ubi quasi in tyrannide erant. Cur ergo Deus providit, ut illo migraret dixitque : *Festina, exi ex Jerusalem* (*Act.* 22. 18)? Ut eorum nequitia ostenderetur, necnon veritas prophetiæ Christi, quod non sustinebunt : utque omnes discerent, ipsum ad patiendum esse paratum, idque ad consolationem vergeret eorum, qui erant in Judæa : nam et ibi multa mala passus est. Si vero Judaica prædicans, tanta passus sit, si prædicasset Christi gloriam, quomodo id tulisset? Cum se purificaret, non erat tolerabilis, quomodo autem prædicans tolerabilis fuisset? Cur accusatis nos? quid audistis? Nihil tale dixit. Visus est, et omnes exasperavit. Jure ergo gentibus salus concessa est, jure procul missus est, illic gentibus prædicaturus. Perpende autem, primos Judæos advocat; postea, ut res illis monstravit, tunc ad gentes venit. Quod vero dixerit, *Dixit Spiritus*, nihil mirum : nam angelus dicitur ea dicere, quæ Dominus loquitur. *Bene dixit*, inquit, *Spiritus Sanctus*. Sed hic sic, illic non item. Alioquin vero cum de quibusdam ab angelo dictis loquimur, non dicimus, Bene dixit angelus; sed Bene dixit Dominus, Bene dixit Spiritus; ac si diceret : Non mihi fidem negatis, sed Spiritui. Itaque hoc olim Deus prævideral. *Qui cum examinassent*, inquit, *volebant me dimittere;* id est, nihil damnatione dignum invenientes in me, absolvere volebant. Et cum debuissent illum eripere, tradiderunt in manus Romanorum; et tanta erat libertatis abundantia, ut etiam ipsi condemnare non possent, sed vinctum tradiderunt. *Coactus sum*, inquit, *appellare Cæsarem; non quasi habeam de quo gentem meam accusem;* id est, non ut mala aliis inferam, sed ut me a malis liberem, hoc feci, nec lubens, sed coactus. Vide verborum familiaritatem : non se alienum, sed proprium illis facit, cum dicit, *Gentis meæ*. Rursus autem dogma disseminat. Nec dixit, non accuso; sed, *Non habeo quod accusem*, etsi tam gravia passus. Nihil ergo horum dicit, ne onerosus esset : neque ad gratiam ipsis loqui videtur. Ideo non aperte loquitur, sed subindicat tantum et prætercurrit : hoc enim interim studebat ostendere, quod Romanis illum vinctum tradidissent. Illi vero cum illos damnare et accusare oportuisset, potius defendunt eos; sed per ea, quibus apologiam contexunt, ipsos accusant. *Notum est nobis*, inquiunt, *quod ubique contradicitur*. Sed etiamsi hoc contingat, attamen ubique creditis. *Quibus exponebat*, inquit, *a lege et prophetis*. Vide rursus illum non a signis, sed a lege et prophetis os illis obturare, et ubique hoc agere, etsi liceret signa facere; sed deinceps non fidei res fuisset : magnum enim erat signum a lege et prophetis disserere. Deinde, ne putes rem novam esse, quod illi increduli manerent, inducit prophetiam dicentem : *Aure audietis, et non intelligetis;* magis nunc, inquit, quam tunc : *et videbitis, et non percipietis;* magis nunc quam tunc. Contra incredulos illos hæc dicta fuerant, quæ non conviciantis erant, sed offendiculum tollentis. *Notum ergo sit vobis*, inquit, *quod in gentes missum est salutare Dei : qui et audient*. Cur ergo nobis loqueris? an hæc nesciebas? Etiam, sed ut credatis rationem reddo, et ut nemini dem ansam. *Mansit*, inquit, *Paulus toto biennio, docens cum omni fiducia, nemine prohibente*. Bene hoc addidit : contingit enim aliquando libere loquentem prohiberi. Fiduciam ergo Pauli nihil prohibuit, sed etiam nemine prohibente dixit. *Mansit autem Paulus*, inquit, *biennio toto in proprio conducto;* ita erat sedulus; imo ita magistrum suum imitabatur in omnibus, ut etiam domicilium haberet non ex alienis laboribus, sed ex suis : hoc enim significat illud, *In proprio conducto*. Quod autem Dominus quoque nullam haberet domum, audi illum recte dicentem ei, qui sibi dixerat : *Sequar te, quocumque ieris : Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet* (*Matth.* 8. 20). Sic per se docuit nihil esse possidendum, neque rebus terrenis hærendum esse. *Et excipiebat*, inquit, *venientes ad se, prædicans regnum Dei*. Vide illum nihil de præsentibus, sed omnia de regno Dei loquentem. Viden' Dei providentiam? Hic sermonem sistit auctor libri, ac relinquit auditorem sitientem, ut ex seipso deinceps ratiocinetur. Hoc et exteri faciunt : nam omnia scire, ignavum et negligentem reddit. Hoc autem facit, et, quæ sequuta sunt, non narrat, superfluum id putans iis, qui ea quæ scripta erant legerent, et hinc ediscerent quæ his adderent : plane enim qualia priora, talia quæ post sequuta sunt. Audi vero qualia postea scribens ad Romanos, dicat : *Cum proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos* (*Rom.* 15. 24).

3. Viden' quomodo omnia prævideat sacrum illud et divinum caput, ille qui animam habet omnia simul complectentem, qui primas partes occupat, Paulus? cujus solum nomen scientibus sufficit ad animam excitandam, ad vigilantiam, ad somnum excutiendum omnem. Excepit illum Roma vinctum, ex marino itinere littus tangentem, a naufragio servatum, et liberata est a naufragio erroris. Sicut enim rex post navalem pugnam et victoriam, in splendidam illam regiamque urbem ingressus est. De his scribens, dicebat : *Veniam*, et vobiscum quiescam *in plenitudine benedictionis evangelii* (*Rom.* 15. 29); et rursus, *Eo ministraturus in Jerusalem* (*Id.* v. 25.) Hoc est,

quod dicebat : *Eleemosynas facturus genti meæ, adveni* (*Act.* 24. 17). Jam prope erat ut coronam acciperet : excepit illum Roma vinctum, viditque coronatum et proclamatum. Illic *Vobiscum quiescam* (*Rom.* 15. 32). inquit Isthuc vado, ministraturus in Jerusalem. Hoc autem initium cursus iterum erat, et tropæa tropæis addebat, inexpugnabilis cum esset. Corinthus illum detinuit duobus annis, Asia tribus, Roma duobus, quo secundo venit, quando consummatus est. *In prima mea defensione*, inquit, *nullus mihi aderat* (2. *Tim.* 4. 16). Sic nunc effugit, et cum totum implesset orbem, sic vitam finivit. Quid volebas discere quæ sequuntur? Talia sunt, qualia priora : vincula, tormenta, pugnæ, carceres, insidiæ, sycophantiæ, quotidianæ mortes. Vidisti illius parvam partem? Sic cogites reliqua se habere. Sicut in cælo quamcumque videris partem, tales sunt aliæ partes ; si enim cæli unam partem videas, quocumque ieris, tantumdem videbis : vel sicut solis radios si ex parte videris, hinc conjicis qualis sol sit : sic de Paulo dicendum. Ejus acta partim vidisti : omnia alia similia sunt, periculis plena. Ille cælum erat solem justitiæ habens, non vulgarem illum ; atque adeo cælo melior vir ille erat. An hoc parum esse putas? Ego quidem non existimo. Cum Apostolum dixeris, statim illum omnes cogitabunt ; ut cum Baptistam dicis, statim Joannes cogitatur. Cui rei quis illius verba comparaverit? mari, an Oceano? Sed nihil par illis est. Hujus fluxus longe sunt marinis frequentiores, puriores, profundiores ; ut non aberraverit qui cor Pauli mare et cælum esse dixerit : cælum ob puritatem, mare ob profunditatem. Mare est, non quod navigantes ab urbe in urbem ducat, sed a terra in cælum : si quis hoc mare naviget, secunda aura navigabit. In hoc mari non venti sunt, sed vice venti Spiritus divinus et sanctus navigantes animas vehit : non sunt hic fluctus, non est scopulus, non belluæ : omnia tranquilla sunt. Mare est portu tranquillius et tutius, nihil salsum habens, sed fontem purum, dulcissimos latices emittentem, sole splendidius et pellucidius : mare est, non lapides habens pretiosos, nec purpuram, sed longe his meliora. Qui vult in hoc pelagus descendere, non opus habet urinatoribus vel oleo, sed philosophia multa : inveniet in ipso omnia bona, quæ sunt in regno cælorum. Qui talis est, poterit rex esse, et totum mundum accipere, esseque in honore maximo (*a*) : qui in hoc mari navigat, nunquam naufragium faciet, sed omnia bene sciet. Verum sicut ii, qui in hoc mari navigant, si imperiti sint, suffocantur : sic et in illo mari : id quod accidit hæreticis, qui plus quam ferant vires, attentant. Oportet ergo profunditatem ejus scire, vel non attentare. Navigaturi ergo hoc pelagus, bene accincti simus. *Non potui*, inquit, *vobis loqui ut spiritualibus, sed ut carnalibus* (1. *Cor.* 3. 1). Nul us impatiens in hoc pelago naviget. Paremus nobis naves ; id est, studium, alacritatem, preces, ut cum quiete illud trajiciamus : etenim hæc aqua vivens est. Ac si quis chalybem igneum capiat, sic qui Paulum novit, ut chalybs roboratur : ac si quis gladium acutum habeat, sic talis homo capi non poterit. Etiam ad intelligenda Pauli sensa vita pura est opus. Ideo dicebat : *In luctis necessitate estis, quia imbecilles auribus facti estis* (*Hebr.* 5. 12. 11). Est enim, est, inquam, infirmitas auditus. Sicut enim stomachus sanos et difficilis coctionis cibos non suscipit, si sit infirmus : sic et anima tumens et inflata, enervis facta et dissoluta, non potest spiritualem sermonem accipere. Audi discipulos dicentes : *Durus est hic sermo ; quis poterit eum audire* (*Joan.* 6. 61). Si vero fortis et sana sit, omnia levia, omnia facilia sunt ; excelsior illa et levior magis sublimis efficitur, et in altum tollitur. Hæc ergo cum sciamus, sanam constituamus animam nostram : æmulemur Paulum, imitemur fortem illam et adamantinam animam ; ut ejus vitæ vestigia sequentes, possimus præsentis vitæ pelagus trajicere, et ad tranquillum portum appellere, ac promissa diligentibus Deum bona consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Hic desinit Codex quem nominavimus 2.

Præfatio

AD HOMILIAS

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

Inter elegantiores et præstantissimas Chrysostomi conciones Homiliæ in Epistolam ad Romanos censentur. Ilis enim accuratius concinnandis operam dedit doctor noster, quia in hac epistola sua Paulus obscura humanumque ratiocinium exsuperantia multa admiscuerat, quæ ingenioso ac strenuo interprete opus habent. Explicandis arcanis illis mysteriis, quæ passim in hac Pauli epistola occurrunt, tantam Joannes noster adhibuit operam, ut vix parem in scriptis ejus deprehendas. Et certe multa in illa habentur circa gratiam et prædestinationem, quæ peritissimorum ingenia exerceant, quæque non sine errandi periculo tractari possunt, nisi magna cautio adhibeatur. Mirum quantum homilias hasce Isidorus Pelusiota celebraverit, qui sic habet lib. 5 in Epistola 32 ad Isidorum diaconum : « In commentario maxime

in Epistolam ad Romanos sagacissimi Joannis sapientiæ thesauri deprehenduntur. Puto enim; ac ne quis me ad gratiam loqui existimet: si divinus Paulus Attica usus lingua semetipsum interpretatus fuisset, non alio modo expositurum fuisse, quam memoratus conspicuus vir: ita nempe sensu, elegantia et verborum proprietate ejus interpretatio ornatur ».

Alii quoque docti viri eamdem de hisce concionibus sententiam proferunt. Omnes denique hic magnam ingenii subtilitatem, orandi vim et elegantiam deprehendunt, atque nativam ejus eloquentiam, stilumque cæteris Chrysostomi operibus sic affinem, ut non sit ovum ovo similius: ita ut ne unus quidem dubitaverit, quin hoc sit verum et germanum Chrysostomi opus.

Non par consensus scriptorum est circa locum, ubi hasce conciones habuit Chrysostomus. Quæritur enim, Antiochiæne an Constantinopoli hæc prædicaverit. Savilius Antiochiæ dictas Homilias ad Romanos fuisse opinatur, auctoritate ductus Photii, qui ait Antiochenas Chrysostomi homilias Constantinopolitanis ejusdem esse elegantiores. Cum videret ergo Savilius has conciones præstare salibus, nervis et eloquentia, Antiochiæ concinnatas et habitas fuisse pronuntiavit. Verum hæc Photii nota critica, quæ sæpe vera esse comprobatur, nonnullas habet exceptiones. Aliquando enim Constantinopolitanæ Chrysostomi conciones quædam homiliis aliquot Antiochenis elegantia sunt anteponendæ.

Tillemontius vero, qui majori accuratione et sagacitate res tractare solet, allatis hinc et inde Chrysostomi locis, et excussis utrinque rationibus, suspensus hæret, nec affirmare audet, utra in civitate hæ conciones dictæ fuerint. Verum Chrysostomus aperte dicit et se et auditores suos pastorem habere, utique Flavianum, queis significat se presbyterum Antiochiæ concionari. En ejus verba homilia octava, col. 464: « Quid ais? nos omnes vides intra eosdem parietes, in uno eodemque ecclesiæ septo, in eodem ovili concordissime versantes, neminem pugnantem, sub eodem pastore, simul clamantes, simul dicta audientes, simul preces emittentes, et pugnam seditionemque memoras? Pugnam memoro, nec insanio nec mente captus sum. Video enim illa quæ video, scioque nos sub eodem septo esse et pastore. » Quid clarius? Concionator ipse Chrysostomus perinde atque populus sub pastore est, nempe sub Flaviano episcopo, proindeque Antiochenos alloquitur, non autem Constantinopolitanos, quorum ipse, dum Constantinopoli esset, pastor præcipuus et episcopus semper fuit. In multis antehac homiliis, ubi pastorem supremum memorari animadvertimus, statim concionem Antiochiæ habitam fuisse cum Tillemontio pronuntiavimus.

Quid, quod etiam se Antiochiæ concionantem esse nec obscure alio in loco significat? Id certe ipso Tillemontio duce animadvertimus, homilia nempe trigesima, col. 666, ubi sic populum alloquitur: « Nam si nos post tantum temporis spatium illo ingressi, ubi Paulus manebat, ubi ligatus est, ubi sedit et disseruit, quasi alis assumptis erigimur, et ad diei illius recordationem ex locis ipsis remittimur: cum res ipsæ adessent, quo non affectu movebantur ii, qui cum pietate illum excipiebant? » In illa igitur civitate prædicabat, ubi Paulus manserat, ubi se adeuntes alloquebatur, unde facile adibantur loca, ubi Paulus ligatus fuerat; in duabus autem tantum civitatibus prædicavit Joannes Chrysostomus, Antiochiæ et Constantinopoli: annon conspicuum omnino est, hic de Antiochia sermonem haberi? Nam Byzantii numquam sedes habuit apostolus.

Hæret tamen adhuc Tillemontius et causam hærendi profert ex fine homiliæ vigesimæ nonæ, ubi Chrysostomus se pastorem dicit, et pastoris officia commemorans ita claudit: « Hæc porro a me dicta sunt de optimis pastoribus, non de meipso; sed si quis talis sit qualis Paulus erat, qualis Petrus, qualis Moyses. Hos itaque imitemur et præfecti et subdii. » Hoc uno abductus testimonio Tillemontius a judicio ferendo abstinuit, nec decernere voluit Antiochiæne an Constantinopoli has conciones habuerit.

Laudo equidem tanti viri consideratam in judicio ferendo tarditatem, quæ in scriptis suis in orbe Christiano tam celebratis passim deprehenditur; at hic certe videtur mihi nimiam adhibere cautionem. Dicit Chrysostomus se sub pastore esse, scilicet sub Flaviano Antiochiæ episcopo; non alio quippe modo intelligi potest: se in urbe illa esse, ubi venerabundi cives loca seu ædes, in queis Paulus manserat, invisebant. Annon idipsum erat, ac si dixisset se Antiochiæ concionari? At sese ille, inquies, in alia in Epistolam ad Romanos concione pastorem vocat. Sane utrum in supra memorato loco sese pastorem vocaverit, posset fortasse in controversiam vocari; sed etiamsi se talem dixerit, quid tum postea? annon sacerdotes alii, non episcopi, qui ovium Christi curam habent, pastores sunt et vocantur? Joannes vero Chrysostomus Homilia in Terræ motum et Lazarum Tom. 1, quæ haud dubie Antiochiæ habita fuit, sese non obscure pastorem et clare satorem, doctorem, medicum et speculatorem vocat.

En illius verba: « At dices mihi, Quid dicendo proficis? Proficio, si quis me audiat. Ego quod officium meum est, id præsto: seminator semino. Exiit qui seminat ad seminandum: quædam ceciderunt secus viam, quædam supra petram, quædam supra spinas, quædam in terram bonam: tres partes perierunt, et una servata est; nec tamen ab agricultura destitit, sed quoniam una conservata est, agrum colere non cessavit..... Quandoquidem et pastor ille, qui nonaginta novem reliquerat oves, ad unam cucurrit, quæ aberraverat. Hominem non contemno: licet unus sit, homo tamen est, animal Deo carissimum. » An se pastorem dicere non audeat is, qui ita loquitur; imo vero annon se clare pastorem dicit hæc proferendo? Paulo post autem hæc subjicit: « Non dicendi finem faciam, etiamsi nullus sit qui audiat: medicus sum, pharmaca adhibeo: doctor sum, et admo-

neo; ait enim: *Speculatorem dedi te domui Israel.* »

In aliis quoque homiliis Antiochiæ habitis illa munia se exercere dicit, quæ videntur ad præcipua episcoporum officia pertinere. Sic in vigesima homilia ad populum Antiochenum, tom. 2, col. 211: « Quadraginta dies jam præterierunt; si igitur sacrum quoque Pascha transeat, nulli ultra veniam dabo, non admonitionem, sed vim imperii et severitatem non contemnendam adhibebo... Omnibus itaque denuntio et protestor: quod si vos singulos conveniens, et experimentum sumens (nam haud dubie sumam), deprehendero quosdam hoc vitium non correxisse, pœnam irrogabo, edicam ut foras extra sacra mysteria consistat. » An pastoris nomen usurpare non audeat qui talia fatur? Verum hæc a judicio ferendo Tillemontium detinuere: et Antiochiæne an Constantinopoli Homiliæ in Epistolam ad Romanos habitæ fuerint, definire non ausus est. Nos autem quasi certum et exploratum habendum putamus, illas Antiochiæ habitas fuisse. Tillemontii enim objectio nos a tali ferenda sententia abducere non potest. Cum enim Chrysostomus, fatente Tillemontio, bis clare indicet se Antiochiæ concionari, quid ultra quæramus? et cur tam levi conjectura a Chrysostomi testimonio sequendo detineamur?

Annum, quo hasce homilias Joannes adornavit et dixit, ne conjectura quidem assequi valemus: hoc unum sine errandi periculo dicere possumus, nonnisi post annum 388 potuisse Chrysostomum his manum et operam admovere: annis namque illis prioribus, queis concionatoris officio functus est, tot edidit conciones et homilias, ut ipsis alias adjicere non licuerit.

Cum porro Julianus, qui Pelagii errores tuebatur, ad peccatum originale tollendum Chrysostomi auctoritate usus esset; Augustinus, qui hunc hæreseos propugnatorem egregie depulit, ex homilia decima Chrysostomi multa confertim attulit libro 1 contra Julianum, eaque Latine conversa, quæ nobis hic apponere visum est, annotatis in margine locis, unde hæc excerpsit Augustinus.

Lege etiam quemadmodum exponit (a) *idem ipse vir sanctus eumdem ipsum Apostoli locum, ubi scriptum est:* Per unum hominem peccatum intravit in mundum (*Rom.* 5. 12). *Ibi enim luce clarius in hujus fidei Catholicæ veritate versatur. Quod totum quia longum est huic operi intexere, paucis inde contingam:* Manifestum, *inquit*, quoniam non ipsum peccatum, quod ex legis transgressione, sed illud peccatum, quod ex Adæ inobedientia, hoc erat, quod omnia contaminavit. *Et paulo post:* Regnavit, *inquit*, mors ab Adam usque ad Moysen, et in eos, qui non peccaverunt. Quomodo regnavit? In similitudine transgressionis Adæ, qui est forma futuri (*Rom.* 5. 14). Propterea et forma est Christi Adam. Quomodo forma est, aiunt? Quoniam sicut ille ex semetipso nascentibus, quamvis non manducaverint de ligno, factus est causa mortis, quæ per cibum inducta est: ita et Christus iis, qui ex ipso sunt, tametsi nihil juste egerint, factus est provisor justitiæ, quam per crucem nobis omnibus condonavit (*a*). *Alio in loco eodem sermone:* Ut cum tibi dixerit Judæus, *inquit*, Quomodo unius virtute Christi mundus salvatus est? possis ei dicere, Quemadmodum uno inobediente Adam mundus damnatus est. Quamquam non sint æqualia, gratia atque peccatum, neque paria sint mors atque vita, non æqualis Deus ac diabolus (*b*). *Item post paululum:* Sed non quemadmodum delictum, *inquit*, ita et gratia. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in multos abundavit (*Rom.* 5. 15). Quod enim dicit, *inquit*, hujusmodi est: Si peccatum valuit, et peccatum unius hominis; gratia et Dei gratia, et non solum Patris, sed etiam Filii, quemadmodum non amplius prævalebit? Multo enim hoc rationabilius. Nam alium pro alio damnari, non valde videtur habere rationem: alium autem pro alio salvari, et decentius magis et rationabilius apparet. Si igitur illud factum est, multo magis hoc (*c*). *Itemque alibi in consequentibus:* Judicium, *inquit*, ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem (*Id.* *v.* 16). Hoc idem est, *inquit*, quod dicitur, quoniam quidem mortem et damnationem potuit peccatum inducere; gratia autem non unum illud tantummodo interfecit peccatum, sed etiam post illud introeuntia peccata. *Et paulo post de hoc ipso* (*Ibid.*): Quoniam ergo, *inquit*, plura introducta sunt bona, et non solum illud interfectum est peccatum, sed etiam omnia reliqua, ostendit dicens: Gratia autem ex multis delictis in justificationem. *Et post paululum ait:* (*Ibid.*) Primo enim dixit: Quoniam si unius peccatum interfecit omnes, multo magis et unius gratia poterit salvare. Post hæc autem ostendit, *inquit*, quoniam non illud solum interfectum est peccatum per gratiam, sed etiam omnia reliqua: et non solum peccata interfecta sunt, sed etiam et tributa justitia est: et non tantum solum profuit Christus, quantum nocuit Adam, sed multo amplius atque magis (*d*). *Post hæc in eodem cum de baptismo ageret, interposuit verba Apostoli, dicentis:* An ignoratis, *inquit*, fratres, quoniam quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti ergo sumus illi per baptismum in morte. Quid est In morte illius baptizati sumus? Ut et ipsi moriamur sicut et ille. Crux enim est baptisma. Quod ergo crux Christo et sepulcrum, hoc nobis baptisma factum est; tametsi non in eisdem ipsis. Ipse namque carne et mortuus est et sepultus; nos autem peccato in utroque. Quapropter non dixit, Complantati morti; sed, Similitudini mortis. Mors namque et hoc et illud, sed non eidem ipsi subjacet, sed hæc quidem carnis Christi,

(a) Augustin. contra Julianum, l. 1. cap. 27.

(a) Joannes Chrysost. Hom. 10. In Epist. ad Rom., col. 475.
(b) Ibid.
(c) Ibid., col. 476.
(d) Ibid.

nostra autem peccati. Quemadmodum ergo illa vera, et hæc (*a*).

Ilis adjicere visum est illa, quæ Savilius circa suam Homiliarum Chrysostomi in Epistolas Pauli Editionem, notis præmisit. Putat ille Homilias Chrysostomi in Epistolam ad Romanos Antiochiæ habitas fuisse, quam nos sententiam amplexi sumus. Verum ille non iisdem quibus nos *argumentis* ad illam propugnandam sententiam usus est.

(*a*) Joan. Chrysost., Hom. 10 in Epist. ad Rom. col. 480.

SAVILII IN TOMUM TERTIUM.

Cæterum de loco, ubi scriptæ vel dictæ sint hæ in beatum Apostolum a Joanne nostro elaboratæ Expositiones et homiliæ, a doctis video in varias itum esse sententias. Andreas Dounæus in notis suis doctissimis ad eum locum Chrysostomi, qui reperitur Tom. 4, pag. 126, 13: *Civitas nostra principis inimicitiam olim suscepit*, omnia hæc in beatum Paulum Antiochiæ scripta videtur asserere: cum tamen de illis ipsis in Epistolam ad Colossenses certissimum sit scriptas fuisse vel habitas Constantinopoli, ut ex sequentibus liquebit. Contra *biographi*, qui bellam nobis excogitarunt fabulam illam de Paulo in aurem dictante nostro Joanni, quæ scriberet, eamque rem Proclo (qui tum ministrabat Chrysostomo, et postea in episcopatu successit) per rimas visam, cuncta videntur vindicare Constantinopoli. Neutri, ut opinor, vere: rectissime Photius, qui pag. 201 editionis August. mediam secat viam, his verbis: *Quod autem ad ea quæ in Apostolum scripta sunt attinet, ex ipsorum lectione dignoscetur, quænam Antiochiæ fuerint elaborata, utpote accuratiora, et quænam ab ipso jam episcopo edita sint.* Ex quibus verbis quamvis nec ibi, nec usquam, quod sciam, ab ipso diserte exprimatur, quo quæque loco scripta fuerint, hoc tamen habemus Antiochenorum et Constantinopolitanorum *indicium*, nimirum *accurationem*. Quo tamen *indicio* certius habemus aliud et minus fallax in nonnullis, auctoris ipsius verba. Ubi autem hoc destituemur subsidio (neque enim in omnibus illud ex verbis Chrysostomi apparet), confugiendum erit ad prius illud *ex accuratione petitum*, hoc est, res probabilibus conjecturis expendenda. Ac ne longe abeamus, de priore ad Corinthios expressum habemus ex ipsius Chrysostomi verbis testimonium, scriptas fuisse homilias illas Antiochiæ. Locus est, homilia vigesima prima pag. 379, 7: *Et hæc Antiochiæ, ubi primum appellati sunt Christiani.* Et quidem Photii *distinctio* huic scripto perbelle convenit, cum nihil sit uspiam ab Joanne nostro illis sermonibus scriptum accuratius, nihil limatius. De Sermonibus in Epistolam ad Titum, plusquam probabile est, habitos itidem fuisse Antiochiæ. Sic enim loquitur homilia tertia, pag. 392, 43: *Quid de iis dixeris qui ad consecrata illa loca pergunt; in Daphnem, inquam, atque in speluncam Matronæ dictam:* est autem Daphne notissimum illud suburbanum Antiochenum. Jam de Sermonibus in Epistolam ad Colossenses, quicquid dicat doctissimus Dounæus, certum est Constantinopoli scriptos fuisse ab eodem jam episcopo: id quod ex multis locis ad finem ethici tertii luce clarius apparet, pag. 107, 14: *Num ego do pacem?* Atqui supra lin. 2 hoc dixerat proprium esse *ejus qui præest ecclesiæ*. Aut si presbyter dici potest *qui præest ecclesiæ*, quod non puto, in urbe episcopalem sedem habente, certe quod sequitur lin. 41: *Quamdiu autem in hac sede sedemus*, de presbytero dici non potest. Et illud pag. 108, 5: *Hæc est enim dignitas Episcopatus*, manifestissime convincit verum esse, quod dicimus de his in Epistolas ad Colossenses Homiliis. In utramque etiam ad Thessalonicenses Chrysostomi Homilias aio scriptas dictasve Constantinopoli. De priore, homil. undecima, pag. 217, 17: *Si enim sum obnoxius omnium vestrum curam gerere*, etc., de posteriore, homil. quarta, pag. 238, 22: *Tu autem vis populum precari pro duce;* et mox lin. 25: *Nunc autem, cum... inter subditos inveniamus multos... qui imperantem longe superant:* quæ non nisi episcopo convenire possunt. Sermone quarto in Epistolam ad Hebræos, pag. 454, loquitur ut episcopus, de iis agens, qui præficas ad planctum ciendum conducunt: *Eum longo tempore*, inquit lin. 30, *arcebimus ab ecclesia, tamquam idololatram;* et lin. 38: *Si non vultis, nos perniciosos ejusmodi mores non sinimus in ecclesiam inducere.* Quin et in ipso titulo editi dicuntur sermones illi in Epistolam ad Hebræos *post ejus obitum*, ut verisimile sit extremis temporibus dictos fuisse. De posteriore ad Corinthios subdubitare me cogit dictio, quam in proxime memoratis, paulo *accuratior*. Si tamen *genuinum* est ethicon illud vigesimæ sextæ, quod inter doctos disceptari video, verba certe illa pag. 687, 28: *Nam et hic quoque Constantinum magnum*, Constantinopoli clare indicant. Atque hæc sunt, quæ ex ipsis Chrysostomi verbis, utcumque pro tempore, elicere potuimus. Ad reliqua adhibito Photii *indicio*, quod alterum nos, si recte observavi, dehinc destituerit, Homiliæ in Epistolam ad Romanos, et Expositio in Galatas Antiochenis *propter accurationem*, accensendæ: Homiliæ in Epistolas ad Ephesios, Philippenses, utramque ad Timotheum et Philemonem *propter extemporalem dictionem*, Constantinopolitanis. Atque hæc quidem nos extemporaliter scribentes, meliora monentem haud illibenter sequuturi.

SANCTI PATRIS NOSTRI
JOANNIS CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,
COMMENTARIUS IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

ARGUMENTUM [(a)] EPISTOLÆ
AD ROMANOS [1].

1. Dum Epistolarum S. Pauli lectionem frequenter, ac sæpe ter quaterve per singulas hebdomadas audio, quando sanctorum martyrum memoriam celebramus, gaudeo et exsulto, tuba fruens spirituali, desiderioque ardeo, cum amicam mihi vocem ausculto, fereque mihi videor illum præsentem et disserentem conspicere; sed angor ac discrucior, quod non omnes tantum virum ut par esset cognoscant, et usque adeo quidam ignorent, ut nec numerum quidem epistolarum ejus sciant. Illud vero non hinc evenit, quod discere non valeant, sed quod nolint cum sancto viro frequenter versari. Neque enim nos quæ scimus, si qua tamen scimus, ex ingenii acrimonia novimus, sed quod ejus scripta assidue tractemus, illumque affectu maximo complectamur. Nam qui amant, amatorum acta plus quam alii omnes norunt, utpote qui de illis solliciti sint: id quod hic vir beatus ostendens, Philippensibus dicit: *Sicut mihi justum est hoc sentire de vobis, eo quod vos in corde habeam in vinculis meis, et in defensione et confirmatione evangelii* (*Philipp.* 1. 7). Itaque si vultis lectioni diligenter attendere, non aliud requirendum vobis erit: verum quippe est Christi dictum illud: *Quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* (*Matth.* 7. 7). Verum quia plerique ex iis, qui huc nobiscum convenere, liberos, uxorem alendam, ædesque curandas suscepere, nec sese totos huic studio dare possunt: ad ea, quæ alii collegerunt, excipienda vos comparate, tantumque studium dictis audiendis adhibete, quantum colligendæ pecuniæ. Etsi namque turpe est nihil a vobis plus exigere, utinam vel tantum adhibeatis.

Scripturarum ignorantia quanta pariat mala. Ordo temporis in singulis epistolis Pauli. — Nam a Scripturarum ignorantia innumera orta sunt mala: hinc multa hæreseon lues, hinc ignava vivendi ratio et infructuosi labores. Sicut enim qui luce privantur, recta incedere nequeunt: sic qui divinarum radiis Scripturarum non fruuntur, necessario peccant et errant frequenter, utpote qui in densissimis tenebris ambulent. Id ne eveniat, ad apostoli dictorum fulgorem oculos aperiamus: ejus quippe lingua plusquam sol lucet, cæterosque omnes doctrina verbi superat. Quia enim plus quam illi laboravit, magnam sibi attraxit Spiritus gratiam: idque non ex epistolis tantum ejus, sed etiam ex gestis contenderim. Nam si concionandi tempus esset, illas ipsi partes ubique concedebant: ideoque apud incredulos Mercurius esse putabatur (*Act.* 14. 11), quod in eloquentia princeps esset. In hanc autem epistolam ingressuri, necesse est ut tempus, quo scripta fuit, assignemus. Non enim, ut multi existimant, ante alias omnes scripta fuit; sed prima quidem est earum, quæ Roma missæ fuere, omnium, at posterior aliis, etsi non omnibus. Etenim ambæ ad Corinthios epistolæ hanc præcesserunt. Id liquidum est ex iis, quæ in fine hujus scripsit his verbis: *Nunc autem proficiscar Jerosolymam, ministrans sanctis. Visum est enim Macedoniæ et Achaiæ communicationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt Jerosolymis* (*Rom.* 15. 26). Corinthiis autem scribens ait: *Quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum proficiscentur* (1. *Cor.* 16. 4); de iis loquens, qui illuc pecunias deportaturi erant. Unde liquet, cum scriberet Corinthiis, incertum fuisse an eo profecturus esset; cum vero Romanis, rem constitutam et certam fuisse. Qua re comprobata, certum est hanc post illas scriptam fuisse. Etiam epistola ad Thessalonicenses videtur mihi præcessisse epistolam ad Corinthios. Nam cum illis prius scripsisset de eleemosyna his verbis, *De fraterno autem amore non opus est ut scribamus vobis: vos enim a Deo docti estis ut diligatis invicem: etenim hoc facitis erga cunctos fratres* (1. *Thess.* 4. 9. 10); tunc ad Corinthios scripsit; id quod ipse probat dicens: *Scio enim ego promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones; quoniam et Achaia parata est ab anno præterito: et vestra æmulatio provocavit plurimos* (2. *Cor.* 9. 2). Quibus commonstrat se primum illis hac de re loquutum esse. Hæc igitur epistola, quæ prima est earum, quas Romæ scripsit, illis epistolis posterior est. Nondum enim Romam venerat, cum hanc

[1] Unus habet ex Savilio, *In omnes Pauli epistolas prologus*. Initio prologi de omnibus Pauli Epistolis agit.
(*a*) Collatum cum Codice Regio 1954 et Colbertino 993.

scripsit epistolam ; id quod his verbis indicat : *Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiam vobis gratiæ spiritualis* (*Rom.* 1. 11). Roma autem ad Philippenses scripsit : ideo ait : *Salutant vos omnes sancti, maxime qui de Cæsaris domo sunt* (*Philipp.* 4. 22). Hebræis quoque isthinc scripsit, aitque salutari ipsos ab iis, qui in Italia erant (*Hebr.* 13. 24). Epistolam item ad Timotheum Roma vinctus misit, quæ postrema mihi videtur omnium Pauli epistolarum, ut ex ejus fine liquet : *Ego enim jam immolor*, inquit, *et tempus resolutionis meæ instat* (2. *Tim.* 4. 6). Quod autem istic finem vivendi fecerit, nemini non notum est. Epistola quoque ad Philemonem inter postremas est; in extrema enim senectute scripsit illam : ideo dicebat : *Ut Paulus senex, nunc autem vinctus in Christo Jesu* (*Philem.* 9). Hæc porro præcessit epistolam ad Colossenses, ut ex ejus fine arguitur, ubi sic loquitur : *Tychicus omnia vobis narrabit, quem misi cum Onesimo fideli et dilecto fratre* (*Col.* 4. 7). Onesimus autem erat, cujus gratia ad Philemonem scripsit epistolam. Quod vero non alius esset ipsi cognominis, patet ex Archippo : quem enim in epistola ad Philemonem adjutorem accepit ad rem pro Onesimo impetrandam, hunc quoque in epistola ad Colossenses excitat his verbis : *Dicite Archippo : Vide ministerium, quod accepisti, ut illud impleas* (*Ibid.* v. 17). Videtur autem mihi epistolam ad Galatas eam, quæ ad Romanos est, præcessisse. Si autem in libris alium habent ordinem, nihil mirum : quandoquidem et duodecim prophetæ non secundum temporis ordinem, sed longe ætate distantes, in Bibliis collocati sunt. Aggæus, Zacharias et alii post Ezechielem et Danielem prophetaverunt; et multi post Jonam et Sophoniam cæterosque omnes, et tamen illis omnibus conjuncti sunt, a quibus tanto temporis spatio sunt dissiti.

2. Nemo hunc laborem extra rem esse, neque hanc disquisitionem superfluam et ex curiositate fieri putet: nam epistolarum tempus non parum ad quæsita solvenda confert. Cum enim video Paulum Romanis et Colossensibus de iisdem rebus scribere, neque tamen simili modo, sed illis cum indulgentia magna, ut cum dicit, *Infirmum vero in fide assumite, non in disceptationibus ratiociniorum : alius quidem credit se comedere posse omnia ; qui autem infirmus est, olera manducat* (*Rom.* 14. 1. 2); Colossensibus autem de iisdem rebus non ita loquitur, sed cum majori libertate : « Si mortui estis, » inquit, « cum Christo ab elementis mundi, cur adhuc tanquam viventes in mundo decernitis : Ne tetigeris, ne gustaveris, ne contrectaveris? quæ sunt omnia in interitum ipso abusu, non in honore aliquo, ad saturitatem carnis (*Col.* 2. 20-23) : » non aliam hujus differentiæ causam invenio, quam rerum et temporis conditionem. Initio quippe indulgentia uti oportebat, sequenti vero tempore non item. Alibi quoque illum sic agere vides. Sic facere solent medicus et doctor : neque enim medicus ægrotare incipientes, et eos, qui demum a morbo recreantur ; neque doctor puerulos simul, et eos qui perfectiori egent doctrina, pari modo curant. Paulus igitur aliis alia de causa et argumento adductus scribebat (et hoc declarat, cum Corinthiis dicit : *De iis autem, quæ ad me scripsistis* (1. *Cor.* 7. 1); Galatis vero statim ab exordio et per totam epistolam idipsum significat) : his vero cur et qua de causa scribat dicit : ac testificari videtur ipsos esse bonitate et scientia omni instructos, qui possent alios monere. Cur ergo epistolam misit? *Propter gratiam Dei*, inquit, *quæ data est mihi, ut sim minister Jesu Christi* (*Rom.* 15. 14) Ideoque in principio dixit : *Debitor sum, ut pro virili mea parte vobis, qui Romæ estis, evangelium prædicem* (*Ibid.* 1. 14. 15). Nam dicta ejus, verbi gratia, quod possint alios admonere, et similia, laudem præcipue et exhortationem præ se ferunt : ac necessaria etiam his erat emendatio per literas. Quia enim nondum isthuc venerat, duplici ratione viros instituit, et literarum utilitate, et adventus sui exspectatione, talis quippe erat sancta illa anima : totum complectebatur orbem, et omnes secum circumferebat, cognationem maximam illam esse putans, quæ secundum Deum est : atque ita illos omnes amabat, ac si peperisset, imo majorem præ se ferebat, quam quivis pater, dilectionem. Talis enim est gratia Spiritus : carnales partus superat, et ardentiorem exhibet affectum. Id in primis videre est in anima Pauli, qui quasi volucris ex caritate factus, omnes frequenter circumiit, nusquam manens vel consistens. Quia enim audierat dixisse Christum, *Petre, amas me? pasce oves meas* (*Joan.* 21. 15), atque hunc maxime caritatis terminum pronuntiasse supra modum exhibebat illum. Hunc igitur et nos æmulantes, si minus orbem aut integras civitates vel gentes, saltem quisque domum suam, uxorem filios, amicos, vicinos recte componat. Nec mihi quispiam dixerit, Imperitus sum et rudis. Nihil indoctius Petro, nihil imperitius Paulo. Illud ipse quoque fatetur, nec pudet illum dicere : *Etsi imperitus sum sermone, sed non scientia* (2. *Cor.* 11. 6). Attamen imperitus hic, indoctus ille, sexcentos vicerunt philosophos, innumeros rhetores ad silentium compulerunt, suo studio et Dei gratia totum peragentes. Quam ergo nos excusationem habebimus, qui ne viginti quidem nominibus seu personis sufficimus, nec contubernalibus utiles sumus? Obtentus hæc sunt et inanes excusationes : neque enim ignorantia et imperitia doctrinam impediunt, sed ignavia et somnolentia. Hoc igitur excusso somno, cum omni studio propria membra curemus, ut et hic multa fruamur tranquillitate, dum secundum timorem Dei necessarios nostros instituemus, et illic innumera consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

attraxit. Hoc item mihi consideres velim, quomodo Pauli anima omni expers sit adulatione. Romanos enim quasi in vertice totius orbis constitutos alloquens, nihil amplius illis concedit, quam cæteris gentibus; neque etiamsi cæteris imperarint ac regnarent, in spiritualibus plus habere dicit; sed sicut gentibus omnibus, inquit, prædicamus, ita et vobis cum Scythis et Thracibus ipsos enumerans : quandoquidem nisi hoc significare voluisset, supervacaneum esset dixisse, *In quibus estis et vos.* Hæc autem facit, illorum fastum et superbiam deprimens, ipsosque cæteris pares esse docens. Quapropter hæc subjungit : 6. *In quibus estis et vos vocati Jesu Christi;* id est, cum quibus estis et vos. Et non dixit, Alii vobiscum; sed, Vos cum aliis. Si enim in Christo Jesu non est servus neque liber, multo magis neque rex neque privatus : etenim et vos vocati estis, neque sponte vestra accessistis. 7. *Omnibus, qui sunt Romæ, dilectis Dei vocatis sanctis, gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* Vide quam frequenter nomen *vocati* usurpet, *Vocatus apostolus*, dicens; *In quibus estis et vos vocati; Omnibus qui sunt Romæ vocatis.* Illud autem non superflue repetens facit, sed ut illis beneficium in memoriam revocet. Quia enim verisimile erat, inter credentes ex præfectis et consularibus quosdam fuisse, itemque pauperes et privatos, dignitatum inæqualitatem tollens, omnibus unam mittit compellationem. Si vero in rebus magis necessariis et spiritualibus communia omnia servis et liberis prostant; ut caritas Dei, vocatio, evangelium, adoptio, gratia, pax, sanctificatio, cæteraque omnia : quomodo non extremæ dementiæ fuerit, eos, quos Deus conjunxit et in majoribus pares fecit, a terrenis negotiis distinguere? Ideoque ab exordio hic vir beatus gravem hunc depellens morbum, in matrem bonorum omnium humilitatem ipsos inducit. Hoc servos meliores efficiebat, quod ediscerent nihil sibi damni ex servitute fore, cum vera libertate fruerentur : hoc etiam dominos instituebat, cum edocerentur, nihil sibi emolumenti a libertate ferri, nisi quæ fidem spectabant præcederent. Atque ut discas Paulum hoc facientem, non confusionem inducere, nec omnia miscere, sed optimam distinctionem novisse, non simpliciter scripsit, Omnibus qui Romæ estis, sed cum distinctione, *Dilectis Dei.* Hæc enim optima est distinctio, ostenditque unde sit sanctificatio.

4. *Sanctificatio a caritate. Dignitas quæ pecunia venditur non proprie dignitas.* — Unde ergo est sanctificatio? A dilectione. Cum dixisset enim, *Dilectis*, tunc addidit, *Vocatis sanctis*, ostendens hunc nobis esse fontem bonorum omnium : sanctos autem vocat fideles omnes. *Gratia vobis et pax.* O salutationem innumera bona afferentem! Hoc Christus apostolos in domos intrantes primo pronuntiare verbum jubet : ideoque Paulus sic ubique orditur, a gratia nempe et pace. Neque enim Christus modicum perfecit bellum, sed varium, omnimodum et diuturnum; idque non ex laboribus nostris, sed per gratiam suam. Quoniam igitur dilectio gratiam, gratia pacem dedit : hac salutationis forma prolata, precatur manere perpetua et immota, ne rursus aliud excitetur bellum, et datorem rogat, ea firma conservet, his verbis : *Gratia vobis et Pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.* Ecce hoc loco illud, *a*, commune est Patri et Filio; quod perinde est ac si diceret, Ex quo. Neque enim dixit, Gratia vobis et pax a Deo Patre per Dominum nostrum Jesum Christum; sed, *A Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo.* Papæ quantum potuit Dei dilectio! Inimici et reprobi repente sancti et filii sunt [1] effecti. Cum enim Patrem vocat, filios indicat; cum filios dicit, omnem bonorum thesaurum revelat. Perseveremus bono tanto dignam vitam exhibentes, et pacem sanctitatemque servantes. Cæteræ quippe dignitates temporaneæ sunt, ac cum præsenti vita avolant; pecunia quaque venduntur : unde non dignitates quis dixerit, sed dignitatum nomina tantum, quæ in vestium magnificentia et satellitum adulatione vim habent. Hoc autem, utpote a Deo collatum, donum sanctificationis et adoptionis, morte non tollitur; sed et hic splendidos efficit, et ad futuram vitam nobiscum demigrat. Nam qui adoptionem servat, et sanctificationem accurate custodit, illo, qui diademate redimitur et purpura induitur, longe splendidior feliciorque est, atque in præsenti vita tranquillitate fruitur magna, spe bona fretus, nullamque habens tumultus et perturbationis occasionem, sed voluptate perpetua gaudens. Hilaritatem enim et lætitiam non imperii magnitudo, non vis pecuniarum, non potentiæ fastus, non robur corporis, non lauta mensa, non vestium ornatus, non aliud quidpiam humanum parere solet, sed recte factum spirituale tantum et bona conscientia. Qui puram illam servat, etiamsi laceris pannis induatur, etsi cum fame luctetur, lætior est iis, qui in summis deliciis versantur; ut vice versa, qui malorum sibi conscius est, etiamsi omnibus opibus circumfluat, omnium miserrimus est. Ideoque Paulus in assidua fame et nuditate versans, flagellis quotidie cæsus, plus quam reges gaudebat et lætabatur : Achab vero regnans et lautis fruens deliciis, quia peccatum illud admiserat, gemebat, anxius erat, et vultus ejus conciderat, et ante peccatum et post peccatum. Si velimus ergo voluptate frui, ante omnia nequitiam fugiamus, virtutemque sectemur, quod non possimus alio modo voluptatem assequi, etiamsi in ipsum solium regium ascendamus. Quamobrem Paulus dicebat : *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax* (*Gal.* 5. 22). Hunc ergo fructum apud nos servemus, ut hic lætitia fruamur, et futurum regnum assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, una cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Alii legunt, *fiunt*, pro, *sunt*.

HOMILIA II.

Cap. 1. v. 8. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in toto mundo.*

1. Beatæ animæ congruens exordium, quod possit omnes instituere, ut operum et sermonum bonorum initia Deo offerant; neque solum pro suis, sed etiam pro alienis recte factis gratias agant; quod animam invidia et livore vacuam et puram reddit, Deique majorem benevolentiam gratias agentibus attrahit. Quamobrem alibi ait : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali* (*Ephes.* 1. 3).

Gratiæ Deo quando agendæ. — Gratias autem agant oportet, non divites tantum, sed etiam inopes; non sani, sed et ægroti ; non ii solum, qui prospere agunt, sed ii quoque, quibus adversa contingunt : Deo enim gratias agere cum secundo cursu res feruntur, nihil mirum : sed cum gravi suborta tempestate, jactata navis periclitatur, tunc patientiæ et grati animi significatio accepta admodum est. Ea de causa Job coronatus est, et os impudens diaboli obturavit, clareque ostendit, se cum prospere ageret, non pecuniarum causa, sed Dei amore motum gratias egisse. Vide autem, qua de causa Paulus gratias agat : non de imperio, de potentia, de gloria ; hæc enim nihili habenda sunt; sed de iis, quæ vere bona sunt, de fide, de loquendi libertate : et quanto cum affectu gratias agit : non enim dixit, Deo ; sed, *Deo meo* ; quod etiam prophetæ faciunt, id quod commune est sibi vindicantes. Ecquid mirum, si hoc prophetæ faciunt? Ipse namque Deus erga servos suos idipsum agit, se Deum Abraham, Isaac et Jacob seorsim dicens. *Quia fides vestra annuntiatur in toto mundo.* Quid ergo? universane terra Romanorum fidem audivit? Universa ab illo; et nihil non verisimile : non enim obscura urbs erat, sed quasi in quodam culmine sita, clara undique erat. Tu vero mihi perpende vim prædicationis, quo pacto brevi tempore publicanorum et piscatorum opera urbium caput invaserit, ac Syri homines Romanorum doctores præceptoresque fuerint. Duo igitur ipsis recte facta testificatur, et quod crediderint, et quod cum fiducia crediderint, et quidem tanta, ut rei fama per totum volaret orbem. *Fides enim vestra*, inquit, *annuntiatur in toto mundo.* Fides, non disceptationes, non quæstiones, non syllogismi : quamquam multa illic erant, quæ doctrinam impedirent. Etenim Romani, qui nuper imperium orbis adepti erant, altum sapiebant, in divitiis ac voluptatibus vitam agentes : prædicationem vero afferebant piscatores Judæi et ex Judæis orti, quæ gens invisa et exsecranda omnibus erat, et crucifixum adorare jubebant, qui in Judæa educatus fuerat; ac cum doctrina vitam duram præscribebant doctores hominibus voluptati deditis, et ad præsentia solum inhiantibus. Ad hæc, qui ista nuntiabant, pauperes erant, idiotæ, ignobiles ex ignobilibus orti. At horum nihil verbi cursum impedivit : tanta erat crucifixi potentia, ut verbum undique spargeret. *Annuntiatur*, inquit, *in toto mundo.* Non dixit, Manifestatur; sed, *Annuntiatur*, ac si omnes in ore ferrent. Id vero Thessalonicensibus, testificans aliud addit : cum dixisset enim, *A vobis personat verbum Dei*, subdit, *Ita ut non opus sit nobis loqui aliquid* (1. *Thess.* 1. 8). Discipuli namque in doctorum gradu, cum fiducia loquendi omnes instituebant et ad se trahebant. Nusquam prædicatio sistebat, sed igne vehementius totum pervadebat orbem. Hoc autem loco solum dicitur, quod annuntiatur. Bene dixit, quia *Annuntiatur*, ostendens nihil addendum dictis esse, nihil demendum : nuntii enim hoc opus est, ut ea solum quæ dicta sunt afferat. Ideoque sacerdos nuntius seu angelus vocatur, quia non sua, sed ea, quæ mittentis sunt, annuntiat. Atqui Petrus illic prædicavit; sed ipsius acta, et sua esse ducit : sic, ut supra dixi, ab invidia omnimoda liber. 9. *Testis enim est mihi Deus, cui servio in spiritu meo, in evangelio Filii ejus.*

2. Ex apostolicis visceribus hæc verba proficiscuntur, paternæ curæ sententia est. Quid vero sibi vult, et qua de causa Deum vocat testem ? De affectu suo sermo erat. Quia igitur nondum illos viderat, ideo nullum hominem, sed eum, qui in corda penetrat, vocavit testem. Postquam enim dixerat, Amo vos, et signum attulerat quod frequenter precaretur, et quod vellet ipsos adire : cum hoc palam non esset, ad fide dignum testimonium confugit. An poterit quisquam vestrum gloriari, quod memoriam faciat domi precans plenitudinis Ecclesiæ ? Non puto. Sed Paulus non pro una civitate, sed pro toto orbe Deum precabatur; idque non semel, non bis, non ter, sed assidue. Quod si assidue in memoria quempiam circumferat, nonnisi ex caritate magna fieri possit : nam in precibus circumferre, idque indesinenter, cogita quanti sit affectus et amoris. Cum autem dicit, *Cui servio in spiritu meo, in evangelio Filii ejus*, Dei gratiam simul, et humilitatem suam nobis exhibet. Dei gratiam, quod tantam rem ipsi commiserit ; humilitatem suam, quia non studio suo, sed Spiritus auxilio totum adscribit. Cum autem evangelium addit, ministerii genus indicat. Nam multi et diversi sunt ministerii modi, cultusque similiter. Quemadmodum enim apud reges omnes sub uno sunt principe, sed non idem omnes ministerium exercent : alius enim exercitui imperat, alius urbes regit, alius in penuariis pecunias servat : sic et in spiritualibus, alius per fidem Deum colit ipsique servit, vitamque suam recte instituit : alius hospites excipit, alius inopum curam gerit : quemadmodum etiam apud apostolos Stephanus per viduarum præsidium et curam Deo serviebat ; alius per doctrinam verbi ; ex quorum numero Paulus erat, qui in prædicatione evangelii Deo serviebat ; et hic erat ipsius servitutis modus : hoc enim ipsi commissum fuerat. Ideo non modo Deum testem vocat, sed id sibi concreditum esse dicit, declarans se cui talia commissa

HOMILIA I (*a*).

CAP. 1. *Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in evangelium Dei,* 2. *quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis.*

1. Moyses libris quinque a se scriptis nusquam nomen suum apposuit, neque illi qui res post illum gestas scripserunt : sed neque Matthæus, neque Joannes, non Marcus, non Lucas. At beatus Paulus omnibus epistolis suis nomen suum præmittit. Quare? Quia illi præsentibus scribebant, et inutile fuisset se præsentes declarare; hic vero procul literas mittebat epistolæ forma : quapropter necessaria erat nominis additio. Si autem in Epistola ad Hebræos id non faciat, prudenter et consilio facit. Quia enim perosus erat ipsis : ne a principio, audito nomine, sermoni aditum occluderent, illo suppresso, uti se audirent, arte pellexit. Si vero prophetæ et Salomon nomina sua apposuere, vobis exquirendum relinquo, cur alii nomen apposuerint, alii secus : neque enim opus est, ut omnia a me ediscatis; sed laborandum et perquirendum vobis est, ut ne segniores evadatis. *Paulus servus Jesu Christi.* Cur nomen ejus immutavit Deus, et Saulum vocavit Paulum? Ne hac etiam in parte apostolis inferior haberetur; sed ut idipsum prærogativæ haberet, quod discipulorum coryphæus, hincque arctius cœtui jungeretur. Christi vero servum se non sine causa dixit : multi namque sunt servitutis modi : alius secundum creationem, de quo dicit : *Omnia serviunt tibi* (*Psal.* 118. 91); itemque, *Servus meus Nabuchodonosor* (*Jer.* 25. 9); opus namque opifici servum est. Alius modus est a fide, de qua ait : *Gratia autem Deo, quia servi eratis peccato, obedistis autem ex corde, in quam traditi estis doctrinæ formam, et liberati a peccato, servi facti estis justitiæ* (*Rom.* 6. 17). Alius a vitæ instituto, de quo ait : *Moyses servus meus mortuus est* (*Jos.* 1. 2) : quamquam et Judæi omnes servi erant; sed Moyses in primis ex vitæ instituto splendebat. Quoniam igitur Paulus omnibus servitutis modis servus erat, dignitatis maximæ loco ponit illud, *Servus Jesu Christi :* et dispensationis nomina obtendit, ab inferioribus ad superiora ascendens Nomen quippe Jesu ferens angelus venit de cælis, quando ille natus est de Virgine; Christus autem ab unctione dicitur, quod etiam carnis erat. Et quo, inquies, oleo unctus est? Oleo quidem non unctus est, sed Spiritu : solet autem Scriptura hujusmodi uncto vocare christos. In unctione quippe, quod præcipuum, Spiritus est; ideo et oleum assumitur. Et ubinam christos vocat eos, qui non sunt oleo uncti? Ubi dicit, *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Psal.* 104. 15). Tunc enim nullus erat ad unctionem olei apparatus. *Vocatus apostolus.* Ubique se vocatum appellat, gratum animum exhibens, indicansque se non quærentem invenisse, sed vocatum obedivisse. Fideles vero sic appellat, *vocatos sanctos.* Illi namque ad fidem vocati sunt; huic vero aliud concreditum, apostolatus nempe, res innumeris plena bonis, dona omnia superans illaque complectens. Ecquid est ultra dicendum, nisi quod ea, quæ Christus veniens fecit, demigrans illis commisit? Id est quod etiam Paulus clamans et apostolorum dignitatem extollens dicit : *Pro Christo legatione fungimur, quasi Deo exhortante per nos* (2. *Cor.* 5. 20); id est, vice Christi. *Segregatus in evangelium Dei.* Quemadmodum in domo ad diversa opera singuli segregati sunt : sic in Ecclesia diversa sunt distributa ministeria. Videtur porro mihi hic non ipsam sortem significari, sed jam olim ipsum ad hoc deputatum fuisse innui. Quod etiam Jeremias ait de se dixisse Deum : *Antequam exires de vulva, sanctificavi te, prophetam in gentibus posui te* (*Jer.* 1. 5). Quia enim ad arrogantem et fastu plenam urbem scribebat, his omnibus ostendit Dei esse ordinationem : etenim ipse vocavit, et ipse segregavit. Hoc autem facit, ut fide dignam et acceptam reddat epistolam. *In evangelium Dei.* Non ergo Matthæus tantum et Marcus sunt evangelistæ, ut neque hic solus est apostolus, sed etiam illi; etsi per excellentiam hic apostolus, illi evangelistæ vocentur. Evangelium vero ipsum vocat non ob jam illata bona tantum, sed etiam ob futura. Quomodo autem Deum per ipsum evangelizari ait? nam dicit, *Segregatus in evangelium Dei :* Pater enim ante evangelia notus erat. Verum etsi notus erat, Judæis tantum, et ne his quidem omnibus, ut par fuisset : neque enim ipsum esse Patrem sciebant, et multa illo indigna tunc imaginabantur. Ideo dicebat Christus : *Venient veri adoratores;* et, *Pater tales quærit sui adoratores* (*Joan.* 4. 23). Demum autem ipse cum Filio orbi toti manifestatus est. Quod prænuntians Christus, dicebat : *Ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Id.* 17. 3). Evangelium autem Dei vocat, ab exordio erigens auditorem. Neque enim venit triste quidpiam nuntiaturus, ut prophetæ, convicia, accusationes, increpationes; sed evangelia et evangelia Dei, firmorum et immutabilium bonorum thesauros infinitos. 2. *Quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis. Dominus* enim *dabit*, inquit, *verbum evangelizantibus virtute multa* (*Psal.* 67. 12); et rursum, *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem* (*Isai.* 52. 7)!

2. Viden' diserte evangelii et nomen et modum in Veteri Testamento positum? Non enim verbo tantum, inquit, illud prædicamus, sed etiam operibus; siquidem non humanum erat, sed divinum, arcanum et omnem superans naturam. Quia vero novitatis ipsum accusabant, ostendit illud esse Græcis antiquius, et a prophetis prius descriptum fuisse. Quod si non ab initio dedit, in causa sunt qui id noluerunt admittere nam qui voluerunt, audiere. *Abraham pater vester* inquit, *exsultavit, ut videret diem meum; et vidit gavisus est* (*Joan.* 8. 56). Quomodo igitur ait : *Mul*

(*a*) Savilius homilias hasce inscribit *sermones*. Manuscripti alii *sermones*, alii *homilias*. Bene autem Homiliæ inscribuntur, ut et cæteræ ad populum conciones.

prophetæ et justi voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt (*Matth.* 13. 17)? Ita scilicet, inquit, ut vos videtis et auditis, ipsam carnem, ipsa signa, oculis percepta. Tu vero mihi consideres velim, quanto antea tempore hæc prædicta fuerint: nam cum Deus magna quædam apparaturus est, ea multo ante tempore prænuntiat, aures præparans ad illa excipienda. *In Scripturis sanctis.* Non tantum enim dicebant prophetæ, sed scribebant etiam illa, quæ loquebantur: nec scribebant solum, sed per res figurabant; ut cum Abraham Isaac duceret, et Moyses serpentem exaltaret, manus extenderet adversus Amalec, et agnum paschalem immolaret. 3. *De filio suo, qui natus est de semine David secundum carnem.* Quid facis, Paule? postquam animos nostros in sublime subvexisti, ac magna arcanaque imaginationi obtulisti, et evangelium memorasti, ac Dei evangelium, ubi item chorum prophetarum induxisti, omnesque multis ante annis futura prænuntiasse ostendisti: quorsum rursus nos adducis ad Davidem? de quonam, quæso, homine loqueris, cui patrem das Jesse filium? quomodo possunt hæc digna esse iis, quæ dicta sunt? Admodum certe digna: non enim de mero homine, inquit, sermo nobis est. Ideoque illud adjeci, *Secundum carnem*, subindicans etiam secundum Spiritum generationem ejus esse. Et cur hinc incœpit, et non illinc a sublimioribus? Quoniam hinc etiam et Matthæus et Lucas et Marcus. Nam is qui ad cælum ducturus est, ab inferioribus ad superiora necessario ducet. Hoc enim ordine res constituta fuit. Primo igitur viderunt illum hominem in terra, et hinc intellexerunt esse Deum. Qua igitur ipse doctrinam impertiit, eadem ratione discipulus ejus viam secat illuc ferentem. Primo igitur generationem secundum carnem memorat, non quod prima sit, sed quia ab hac ad illam vult auditorem ducere. 4. *Qui definitus est filius Dei in virtute et Spiritu sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi.* Ex verborum complicatione obscurum est quod dicit, quapropter distinguamus oportet. Quid sibi vult ergo: Eum qui ex Davide natus est prædicamus, inquit, sed hoc quidem apertum est. Sed undenam? Quia hic incarnatus filius Dei est. A prophetis primum discitur, ideo ait: *Quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis.* Non parva autem demonstrandi ratio hæc est. Deinde, ex modo etiam generationis; quod et ipse declarat his verbis. *Ex semine David secundum carnem:* naturæ quippe legem solvit. Tertio a miraculis quæ patravit, magnæ potentiæ argumentum præbens; hoc enim sibi vult illud, *In virtute.* Quarto, a Spiritu quem dedit credentibus in se, et per quem omnes sanctos effecit; ideo ait, *Secundum spiritum sanctificationis.* Dei enim solius erat talia dona largiri. Quinto, a resurrectione Domini. Hic enim primus et solus seipsum a mortuis excitavit. Quod et ipse ait signum omnium maxime idoneum esse ad impudentiores confutandos. Nam ait: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* 2. 19); *et cum exaltaveritis me de terra, tunc cognoscetis quia ego sum* (*Joan.* 8. 28); et rursum, *generatio hæc signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ* (*Matth.* 12. 39). Quid sibi vult illud, definitus? Ostensus, declaratus, indicatus, confessus, omnium judicio et calculo, a prophetis, ab inexspectato ortu secundum carnem, a potentia signorum, a Spiritu, per quem sanctificationem dedit, a resurrectione, qua mortis tyrannidem solvit. 5. *Per quem accepimus gratiam et apostolatum in obedientiam fidei.* Vide gratum famuli animum; nihil suum esse vult, sed omnia Domini. Atqui hunc quoque Spiritum dedit; ideo dicebat. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem* (*Joan.* 16. 12). Et rursum? *Segregate mihi Paulum, et Barnabam* (*Act.* 13. 2). Et in epistola ad Corinthios ait: *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* (1. *Cor.* 12. 8). Et, *ipse omnia dividit sicut vult* (*Act.* 20. 28). Et Milesiis concionans dicit. *In quo posuit vos Spiritus sanctus pastores et episcopos.* Viden' quomodo ea quæ Spiritus sunt, Filii esse dicat; et quæ Filii sunt, Spiritus? *Gratiam et apostolatum;* id est, non nos hoc effecimus ut essemus apostoli. Non enim labore et opera nostra hanc dignitatem sortiti sumus; sed gratiam accepimus, et ex superno dono hoc munus datum nobis est. *In obedientiam fidei.*

3. Non ergo apostoli hæc efficiebant, sed præveniens illos gratia. Illorum quippe erat circuire et prædicare; persuadere autem Dei erat, in illis operantis, ut et Lucas dicit: *Aperuit cor ipsorum;* et rursum, *quibus datum erat audire verbum Dei. In obedientiam.* Non dixit in perquisitionem vel in argumentum; sed in obedientiam. Neque enim missi sumus, inquit, ut syllogismos afferamus, sed ut quod accepimus reddamus. Cum enim Dominus aliquid pronuntiat; non debent auditores curiose scrutari vel indagare, sed solum accipere. Nam apostoli ideo missi sunt, ut quæ audierunt dicant, non ut aliquid de suo addant: et nos solum ut credamus. Quid credamus? *De nomine ejus* (*Act.* 3. 6), non ut de substantia ejus curiose perquiramus, sed in nomen ejus credamus: illud enim signa faciebat: Nam ait, *In nomine Jesu Christi surge et ambula* (*Rom.* 15. 19). Et in hoc fide opus est, nihilque eorum ratiocinio capere possumus. *In omnibus Gentibus, in quibus estis et vos vocati Jesu Christi.* Quid ergo? An omnibus Gentibus prædicavit Paulus? Quod enim ab Jerosolymis ad Illyricum peragraverit, indeque rursum ad extrema terræ pervaserit, palam est ex iis quæ Romanis scripsit. Etsi vero non ad omnes pervenerit, ne sic quidem falsum est quod dicit. Non enim de se tantum loquitur; sed etiam de duodecim apostolis, et de iis qui cum illis verbum annuntiaverunt. Alioquin autem etiamsi de Paulo id intelligendum arguas, non contra dicere possis, si fervorem ejus consideres; et quod ne post mortem quidem cesset ubique terrarum prædicare. Perpende quomodo extollat donum, ostendatque magnum illud esse et priori sublimius: vetera siquidem gentem unam spectabant; hoc autem donum terram et mare

ter fructum, sed, *Aliquem fructum* : rursus ea quæ se spectant comprimens, ut superius dixit, *Ut aliquid impertiam.* Deinde illos quoque ut jam dixi, comprimens, ait, *Quemadmodum et inter reliquas gentes.* Non enim, quia divites estis, et plus quam cæteri habetis, minus erga reliquos studium adhibeo : non divites quærimus, sed fideles. Ubi nunc sunt sapientes illi Græcorum, densas habentes barbas, palliis amicti et magnopere tumescentes? Græciam et barbarorum terram omnem tentoriorum artifex convertit. Ille vero qui apud illos proponitur et circumfertur Plato, ter in Siciliam profectus (*a*), cum tanto illo verborum fastu, cum illa tanta, quam de ipso habebant, opinione, ne unum quidem tyrannum superavit; imo tam misere ille clapsus est, ut etiam a libertate exciderit. At tentoriorum artifex non Siciliam modo, non Italiam tantum, sed totum peragravit orbem ; ac neque, dum prædicaret, artem intermisit, sed etiam tunc pelles consuebat, et officinæ præerat : neque illud consularibus offendiculo fuit; idque jure merito. Non enim artes ac studia, sed mendacium et conficta dogmata despicabiles reddunt doctores. Ideoque illos quidem jam derident Athenienses; huic vero attendunt barbari, inculti homines et idiotæ. Communis quippe omnibus doctrina prostat : non dignitatis discrimen novit, non gentis excellentiam, non aliud quidpiam simile : fide namque tantum eget, non syllogismis. Ideoque maxime admiranda est, non modo quod utilis et salutaris sit, sed etiam quia facilis, et ab omnibus nullo negotio excipitur : id quod maxime Dei providentiæ opus est, qui sua omnibus communia proponit. Nam quod in sole, luna, in terra, in mari cæterisque fecit, non plura ex illis tribuens divitibus et sapientibus, nec pauciora pauperibus, sed æqualem omnibus usumfructum proponens; hoc et in prædicatione fecit, imo multo majus, quoniam hoc magis necessarium quam illa est. Ideoque Paulus frequenter ait, *Omnibus gentibus.* Deinde ostendens se nihil illis largiri, sed præceptum Domini implere, et remittens illos ad reddendas Deo universorum gratias, ait : 14. *Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum.* Quod et ad Corinthios scribens ita dicebat, omnia Deo attribuens. 15. *Ita quantum in me est, et vobis, qui Romæ estis, evangelizare.*

6. O generosam animam! Rem tot periculis plenam suscipiens, marinam peregrinationem, tentationes, insidias, seditiones; nam in tanta urbe concionanti, sub impietatis tyrannide posita, tentationum grandines exspectandæ erant; sic et vitam in ista urbe clausit, jussu tyranni tunc regnantis capite truncatus; attamen cum tot tantaque se passurum exspectaret, non ideo segnior reddebatur, sed festinabat, parturiebat, promptusque erat. Ideoque ait : *Quantum in me est, paratus sum vobis quoque, qui Romæ estis, evangelizare.* 16. *Non enim erubesco evangelium.* Quid ais, Paule? Cum oporteret dicere, Glorior, mihi gratulor; non hoc dicis, sed quod illo minus est, quod non erubescas; id quod in rebus insignibus dicere non solemus. Quid igitur dicit? cur sic loquitur, etsi magis de evangelio quam de cælo glorietur? Ad Galatas enim scribens, ait : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* 6. 14). Cur ergo hic non dicit, Glorior; sed, *Non erubesco?* Romani ad res hujus mundi inhiabant, ob divitias, ob imperium, ob victorias, ob imperatores, quos diis pares existimabant (sicque illos vocabant); unde et templis et aris et sacrificiis illos colebant. Cum igitur ita fastu pleni essent, et Paulus prædicaturus esset Jesum, qui fabri filius esse putabatur, in Judæa natus, et in domo tenuis mulieris educatus fuerat; qui satellites non habuerat, non divitias, sed etiam ut damnatus mortuus fuerat cum latronibus, multasque alias ignominias passus fuerat; ac verisimile erat Romanos tunc pudore suffusos fuisse, cum nihildum scirent rerum arcanarum et magnarum : ideo ait, *Non erubesco*, illos interim docens, ne erubescerent : sciebat enim eos, si id tandem assequerentur, cito eousque perventuros esse ut gloriarentur. Et tu igitur si audieris quempiam dicentem : Crucifixumne adoras? ne erubescas nec oculos demittas; imo gloriare et tibi gratulare, liberisque oculis et erecta facie, confessionem admitte. Si rursum dixerit : Crucifixumne adoras? repone illi : Sed non mœchum, non parricidam, non filiorum interfectorem (tales enim sunt omnes illorum dii); sed eum, qui per crucem dæmonibus ora obstruit, atque innumeras illorum præstigias abstulit. Etenim crux propter nos ineffabilis benignitatis opus magnæque curæ symbolum est. Ad hæc vero, quia eloquentiam suam venditant, et externa philosophia muniti altum sapiunt, Ego, inquit Paulus, his syllogismis longum valere jussis, crucem prædicatum venio, neque ideo erubesco. *Potentia enim Dei est ad salutem.* Quia enim potentia Dei est etiam ad pœnam inferendam (nam cum Ægyptios puniebat, dixit : Hæc est potentia mea magna); et potestas ad exitium (nam ait : *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* [*Matth.* 10. 28]) : ideo ait : Hæc veniens affero, non quæ ad pœnam et supplicium, sed quæ ad salutem. Quid ergo? nonne hæc annuntiabat etiam evangelium, de gehenna, de tenebris exterioribus, de verme venenato? Atqui non aliunde hæc novimus, nisi ex evangelio : quomodo igitur inquies, *Potentia Dei ad salutem?* Sed audi sequentia : *Omni credenti, Judæo primum, et Græco.* Non enim omnibus, sed suscipientibus. Etiamsi enim Græcus sive gentilis fueris, etiamsi nequitiam omnem adieris; etsi Scytha, barbarus, imo fera fueris, ratione omnino destitutus, et mille peccatorum sarcinis onustus : simul atque sermonem de cruce suscepisti, et baptizatus es, omnia illa delevisti. Cur autem hic dicit, *Judæo primum, et Græco?* quid sibi vult illa differentia? Atqui sæpe dixit, Neque circumcisio quidquam est, neque præputium : quomodo igitur hic distinguit, Judæum Græco anteponens? Ecquid hoc? neque enim quia primus est, majorem accipit gratiam (idem enim ipsum donum et

(*a*) De Platone, qui ter in Siciliam appulit, pluribus agit Diogenes Laertius in ejus vita.

huic et illi tribuitur), sed ordinis solum est illud, *primus*. Neque id plus habet, quod majorem acceperit justitiam; sed in hoc solum honoratur, quod primus acceperit. Nam ii, qui illuminantur (scitis, initiati, quod dicitur), omnes ad baptisma currunt, sed non omnes eadem hora, sed alius primus, alius secundus: neque tamen primus plus accipit quam secundus, neque secundus quam tertius, sed omnes iisdem fruuntur. Primus igitur hic, nominis solum est honor, non gratia major. Deinde, postquam dixit, *Ad salutem*, rursus auget donum, ostendens non præsentis temporis solum esse, sed et ulterius progredi; hoc enim significavit his verbis : 17. *Justitia enim Dei in ipso revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivet* (*Habac.* 2. 4). Qui ergo justus effectus est, non in præsenti solum sæculo, sed et in futuro vivet. Neque hoc solum; sed et aliud subindicat, hujusmodi nempe vitæ splendorem et claritatem. Quia enim potest quis cum dedecore servari: ut multi ex regia clementia a supplicio eripiuntur; ut ne quis salutem audiens hoc suspicetur, addidit: *Et justitiam;* et justitiam non tuam, sed Dei; ejus largitatem et facilitatem subindicans. Neque enim ex sudore et labore illam perficis, sed ex superno dono accipis, hoc unum ex teipso afferens, quod credas. Deinde, quia vix credibilis sermo videtur esse, quod mœchus, mollis, sepulcrorum effossor, præstigiator, confestim non modo a supplicio eripiatur, sed etiam justus fiat, et justus suprema justitia; a Veteri Testamento sermonem confirmat, ac primo quidem brevi dicto immensum historiarum pelagus intueri valenti aperit. Cum dixisset enim, *Ex fide in fidem*, auditorem remisit ad œconomias illas, a Deo in Veteri Testamento factas, quas ad Hebræos scribens, cum multa sapientia enarrat, atque etiam tunc et justos et peccatores justificatos ostendit: quapropter et Raab et Abraham memoravit. Postea autem, cum hic solum id subindicasset (nam ad aliam contemplationem cursu veloci festinabat), a prophetis rursus sermoni fidem conciliat, in medium adducens Habacuc clamantem et dicentem, non posse vivere eum qui victurus est, nisi per fidem. Nam *Justus*, inquit, *ex fide vivet*, de futura loquens vita. Quia enim quæ Deus elargitur, omnem cogitationem superant, jure fide opus habemus. Vir autem pervicax, contemptor et arrogans, nihil perficiet. Audiant hæretici spiritualem vocem. Talis est enim cogitationum natura: labyrintho cuidam et griphis similis est nullum finem habens, nec sinens in petra cogitationem consistere, principiumque habens ab arrogantia. Cum enim pudeat illos fidem accipere, ne videantur ignorare cælestia, sese in mille cogitationum pulverem conjiciunt. Itane, miser et infelix, atque infinitis dignus lacrymis, si quis te interroget, quomodo cælum factum sit, quomodo terra; quid dico cælum et terram? quomodo ipse natus sis, quomodo nutritus et auctus, non te pudet ignorantiæ? si vero de Unigenito sermo sit, præ pudore te in barathrum perniciei conjicis, quod te indignum putes non omnia scire? Atqui indigna potius res est contentio et intempestiva curiositas. Ecquid de dogmatibus loquor? Ex præsentis vitæ nequitia non alio modo liberamur, quam per fidem. Sic omnes prisci illi viri claruere, sic Abraham, sic Isaac, sic Jacob; sic et meretrix salutem consequuta est, et in Veteri et in Novo Testamento. Nam ait: *Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, exploratores excipiens* (*Hebr.* 11. 31). Non dixit in semetipsa, Et quomodo poterunt hi captivi, fugitivi et errones, qui nomadum more vivunt, nos superare, qui urbem, mœnia et turres habemus? Si vero hæc apud se dixisset, et seipsam et illos perdidisset: ut et fecere majores eorum, qui tunc servati sunt. Illi enim conspectis viris magnis et proceris, victoriæ modum quæsiere, ac sine bello et acie omnes perierunt. Vidistin' quantum sit incredulitatis barathrum, et quantus fidei murus? Illa enim innumera millia pessumdedit; hæc vero meretricem non modo servavit, sed tanti populi patronam effecit.

Mandatorum Dei ratio non quærenda. — Hæc et multo plura cum sciamus, a Deo factorum rationem numquam exigamus, sed quidquid ille jusserit excipiamus: non curiose inquiramus vel exploremus, etiamsi id quod jubetur secundum humana ratiocinia absurdum videatur. Quid enim, quæso, absurdius videatur, quam cum pater unigenitum filium occidere jubetur? Attamen justus ille jussus, non curiose jussum exploravit, sed ob jubentis dignitatem mandatum accepit et obedivit. Alius quoque jussus a Deo prophetam percutere, quia rem absurdam esse putans, curiose perquisivit, nec simpliciter obsequutus est, extremas dedit pœnas (3. *Reg.* 20. 35); qui vero percussit, acceptus fuit. Et Saül qui præter Dei placitum homines servavit, a regno excidit, et intolerabilia passus est. Multo plura exempla quis invenire possit: quibus omnibus docemur, mandatorum Dei numquam rationem esse quærendam, sed cedendum et obsequendum esse. Si autem illa quæ præcipit scrutari, periculosum est, et extremum supplicium scrutantibus est deputatum: qui ea, quæ sunt illis longe secretiora et horribiliora scrutantur, nempe quomodo genuit Filium, et qua ratione, et quænam sit substantia, quam defensionem habebunt? Hæc cum sciamus, fidem bonorum omnium matrem cum omni benevolentia suscipiamus, ut quasi in tranquillo portu navigantes, recta dogmata servemus, et vitam nostram cum securitate dirigentes, æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, imperium, honor et adoratio una cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

CAP. 1. v. 18. *Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem et injustitiam hominum, qui veritatem in injustitia detinent.*

1. Vide Pauli prudentiam, quomodo a mitioribus hortatus, ad terribiliora sermonem vertat. Cum dixisset enim evangelium salutis et vitæ causam esse; itemque Dei potentiam et salutem justitiamque operatam esse, jam dicit ea, quæ non attendentibus terrorem incutere possint. Quia enim solent plerique hominum non tam promissione bonorum, quam tristium timore ad virtutem pertrahi; utrinque ipsos allicit. Idcirco Deus non modo regnum promisit, sed etiam gehennam comminatus est: et prophetæ Judæis ita loquuntur, mala bonis perpetuo admiscentes. Ideoque Paulus sic sermonem variat, non utcumque, sed mitia primum, deindeque tristia adhibet; ostendens, illa quidem ex prævia Dei sententia manare, hæc vero ex negligentium nequitia. Sic et propheta primo bona profert, dicens: *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis; si nolueritis, nec audieritis me, gladius vos absumet* (*Isai.* 1. 19. 20). Ita et Paulus hic sermonem profert: Venit Christus, inquit, remissionem ferens, justitiam, vitam: nec simpliciter, sed per crucem affert; quodque maximum et admirandum est, non quod talia largitus sit solum, sed quod talia passus sit. Si igitur ipsa dona contumelia affeceritis, tunc tristia vos manebunt. Et vide quomodo sermonem extollat: *Revelatur enim*, inquit, *ira Dei de cælo*. Undenam hoc liquet? Si fidelis hoc dixerit, Christi sententias proferemus; si vero infidelis, a sequentibus illi Paulus os obstruit, ubi de judicio Dei agitur, ex gestis ipsorum insuperabile argumentum in medium adducens: id quod maxime stupendum est; cum eos, qui veritati adversantur, ex iis, quæ quotidie dicunt et faciunt, veritatis dogmata probare declarat. Verum hæc in sequentibus; interim propositam rem tractemus. *Revelatur enim ira Dei de cælo.* Atqui in hac vita id sæpe accidit in fame et peste et bellis: nam privatim singuli et in communi omnes puniuntur. Quid igitur tunc novi erit? Quod majus futurum sit supplicium, quod commune et non earumdem rerum causa: nunc enim ad emendationem hæc fiunt, tunc autem ad ultionem: quod significans Paulus dicebat: *Corripimur nunc, ut non cum mundo damnemur* (1. *Cor.* 11. 32). Et nunc quidem non ex superna ira, sed ab hominum injuria hæc a multis accidere putantur: tunc vero manifesta erit Dei ultio, quando Judex sedens in tremendo solio, alios ad caminos trahi jubebit, alios ad tenebras exteriores, alios ad alia inevitabilia et intoleranda supplicia. Et cur non sic aperte dicit, Filium Dei venturum esse cum innumeris angelis, et rationem a singulis repetiturum; sed ait, *Revelatur ira Dei?* Neophyti adhuc erant auditores; ideoque ab iis, quæ omnino in confesso erant apud eos, primum ipsos allicit. Præterea vero gentiles alloqui mihi videtur; ideoque hinc orditur, postea autem de judicio Christi sermonem inducit. *Super omnem impietatem et injustitiam hominum, qui veritatem in injustitia detinent.*

Error varius, veritas una. — Hic ostendit multas esse impietatis vias, veritatis autem unam. Etenim varia, multiformis et confusa res est error; veritas autem una. Postquam vero de dogmatibus dixit, de vita loquitur, injustitiam hominum memorans. Etenim injustitiæ variæ sunt: et alia quidem circa pecunias est, ut cum quis in iis proximum lædit; alia mulieres spectat, ut quando quis relicta uxore, alterius nuptias dirimit. Hoc certe fraudem vocat Paulus, dicens: *Ne quis opprimat vel fraudet in negotio fratrem* (1. *Thess.* 4. 6). Alii rursum non uxorem vel pecuniam, sed gloriam proximi labefactant: et hoc injustitia est. Nam *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ* (*Prov.* 22. 1.) Quidam vero dicunt hoc quoque de dogmatibus a Paulo intelligi: cæterum nihil vetat de utroque dictum fuisse. Quid autem sit, *Veritatem in injustitia detinent*, ex sequentibus disce. 19. *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit.* Sed hanc gloriam lignis attribuerunt et lapidibus.

2. *Natura ipsa prædicat Creatorem.* — Quemadmodum igitur is, cui regiæ pecuniæ creditæ sunt, jussus illas in regis gloriam impendere, si in fures, in scorta et in præstigiatores illas impenderit, exque regiis opibus splendidos illos reddiderit, tamquam qui maxime regem offenderit, pœnas dat: ita et hi cum notitiam Dei et gloriæ ejus accepissent, deindeque idolis illam attribuissent, veritatem in injustitia detinuerunt, et, quantum in ipsis erat, cognitionem injuria affecerunt, non ut par erat illa utentes. An vobis clarum est id, quod dictum fuit, an clarius denuo explicandum est? Forte necessarium fuerit ultra progredi. Quid ergo est illud, quod dicitur? Cognitionem sui Deus hominibus a principio indidit; sed illam cognitionem gentiles lignis et lapidibus attribuentes, veritatem, quantum in ipsis fuit, injuria affecerunt: illa enim immutabilis manet, gloriam suam habens immotam. Et unde notum est, o Paule, quod Deus ipsis cognitionem indiderit? *Quia*, inquit, *quod notum est ejus, manifestum est in illis.* At hoc sententia est, non demonstratio; tu vero mihi proba et ostende, cognitionem Dei manifestam fuisse illis, sed sponte illos prætermisisse. Unde ergo manifesta erat? vocemne illis emisit? Minime: verum id effecit, quod magis illos quam vox quælibet attrahere poterat: creatum orbem in medio posuit: ita ut sapiens, idiota, Scytha, barbarus ex solo visu visibilium pulchritudinem edoctus, ad Deum conscendere posset. Ideo ait: 20. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur*; quod etiam propheta dicit: *Cæli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* 18. 1). Quid enim dicent in illa

die gentiles? ignoravimus te? Itane cælum non audistis ex solo aspectu vocem emittens? rerum omnium harmoniam et concentum, clarius quam tuba clamantem? noctis et diei leges, immotas perpetuo manentes? hiemis et veris et aliarum tempestatum ordinem firmum et immotum? maris commodum in tot procellis et fluctibus? omnia in ordine manentia, ac per pulchritudinem et magnitudinem Creatorem prædicantia? Hæc quippe omnia, et etiam his plura compendio Paulus dixit: *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus potentia et divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Etsi non in eum finem fecerit illa Deus, quamvis ita acciderit. Neque enim ut illos excusatione privaret, doctrinam tantum in medium protulit, sed ut ipsum cognoscerent: ingrati autem cum essent, se ipsi defensione privarunt. Deinde ostendens quomodo defensione careant, ait: 21. *Quia cum cognovissent Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Unum hoc crimen maximum est; alterum quod idola adoraverint: qua de re accusans illos Jeremias, dicebat: *Duo mala fecit populus hic: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas* (*Jer.* 2. 13). Deinde signum affert, quod Deum cognoscant, nec cogitione sua ut par esset utantur, quod scilicet deos cognoverint: quare intulit: *Quia cum cognovissent Deum, non ut Deum glorificaverunt.* Causamque apponit cur in tantam amentiam delapsi sint. Quænam illa est? Ratiociniis suis omnia commiserunt. At non ita dicit, sed longe vehementiori modo: *Evanuerunt enim*, inquit, *in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum.* Sicut enim in nocte illuni, si quis peregrinum iter carpere conetur, vel in mari navigare, non modo non pervenit ad finem, sed cito perit: sic et isti viam ad cælum ferentem aggressi, sibique lucem adimentes, et illius loco ratiociniorum suorum tenebris sese committentes, in corporeis incorporeum, in figuris figura expertem quærentes, naufragium gravissimum fecerunt. Cum iis autem, quæ dicta sunt, aliam erroris illorum causam ponit cum ait: 22. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Magnum enim quidpiam de se imaginantes, nec sustinentes hanc, quam jusserat Deus, viam ingredi, in amentiæ cogitationibus demersi sunt. Deinde tempestatem illam describens, quam gravis fuerit, et omni venia indigna, subjunxit: 23. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum et quadrupedum et serpentium.*

3. *Contra Philosophos gentiles.* — Prima accusatio, quod Deum non invenerint; secunda, quod occasiones magnas et conspicuas habentes; tertia, quod cum se sapientes dicerent; quarta, quod non modo non invenerint, sed etiam cultum illum ad dæmonas, ad lapides et ligna derivarint. Illorum vero fastum deprimit in Epistola ad Corinthios; sed non perinde illic ut hic. Illic enim a cruce plagam ipsis infligit, dicens: *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* (1. *Cor.* 1. 25); hic vero sine comparatione sapientiam eorum in seipsa traducit, ostendens stultitiam esse et arrogantiæ tantum ostentationem. Deinde ut discas illos Dei notitiam habentes, sic illam prodidisse, dicit, *Mutaverunt:* qui vero mutat, ut aliud habens mutat. Voluerunt enim quid amplius invenire, datis terminis non contenti; ideoque etiam his exciderunt: novitatem enim desiderabant. Etenim hujusmodi omnia Græcorum fuere. Ideo etiam sibi mutuo adversati sunt: Aristoteles insurrexit contra Platonem, Stoici in hunc infremuere, et alter alteri hostis fuit. Itaque non ita admirandi sunt ob sapientiam ut aversandi et odio habendi, quia ob hoc ipsum stulti facti sunt. Nisi enim ratiociniis et syllogismis atque sophismatibus sua commisissent, non in talia incidissent. Deinde criminationem augens illorum, idololatriam totam traducit. Certe vel quod mutaverint, ridiculum est: quod autem in talia mutaverint, omni excusatione caret. In quænam ergo mutaverint, et qua in re gloriam posuerint, perpende. Cogitandum de illo erat, quod esset Deus, quod omnium dominus, quod eos, qui non erant, fecerit, quod provideat et curam gerat: hæc gloria Dei sunt. Quibusnam ipsi illam attribuerunt? Non hominibus, sed similitudini imaginis corruptibilis hominis. Neque hic steterunt, sed et ad bruta animalia delapsi sunt, imo et ad illorum imagines. Tu vero mihi Pauli sapientiam perpendas velim, quomodo duo extrema posuerit; Deum supremum omnium, et reptilia infima; imo non reptilia, sed reptilium similitudines, ut apertam illorum insaniam clare ostenderet. Cognitionem enim illam, quam habere oportebat circa eum, qui sine comparatione omnium excellentissimus est, hanc omnium haud dubie vilissimo applicuerunt. Et quid hæc, inquies, ad philosophos? Ad hos maxime omnia supra dicta spectant. Nam hi Ægyptios horum inventores magistros habent: et Plato, qui cæteris præstantior esse videtur, de hisce gloriatur; ejusque doctor idolis istis addictus fuit, qui gallum jubet Æsculapio sacrificari (*a*). Hic videas brutorum et reptilium imagines, et cum his Apollinem et Bacchum pari cultu dignatos. Quidam vero philosophi in cælum invexere tauros, scorpios, dracones et hujusmodi quisquilias: ubique enim diabolus curavit ad reptilium similitudinem homines demittere, et irrationabilioribus eos subjicere, quos Deus supra ipsum cælum extollere voluit. Neque hinc tantum, sed et aliunde illorum coryphæum videbis supra dictis obnoxium. Cum enim poetas in unum colligit, et dicit oportere illis habere fidem in iis, quæ de Deo dicunt, utpote qui probe norint, nihil aliud quam nugarum congeriem inducit, et res tam ridiculas veras existimandas esse dicit. 24. *Ideo tradidit illos Deus in desideria cordis sui, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Hinc ostendit impietatem violatarum legum fuisse causam. Illud vero *Tradidit*, hic significat, permisit. Quemadmodum enim dux exercitus si ingravescente pugna discesserit,

(*a*) Platonis doctor Socrates moriturus gallum jubet Æsculapio sacrificari. Vide Platonem in Phædone de morte Socratis. Hæc postrema vox fuit celeberrimi philosophi.

milites hostibus tradit, non ipse impellens, sed auxilio suo privans; sic Deus eos, qui noluerunt sua accipere, sed primi resilierunt, dimisit, postquam sua omnia impleverat. Perpende autem : pro doctrina mundum in medio posuit; mentem et cogitationem dedit, quæ posset id, quod conveniens erat, intelligere. Nulle horum homines, qui tunc erant, usi sunt ad salutem, sed in contrarium quod acceperant inverterunt. Quid igitur facere oportebat? vi et necessitate trahere? At non est hoc facere virtute præditos. Reliquum erat ut desereret, quod et fecit; ut vel sic illa, quæ concupierant, experti, turpitudinem fugerent. Nam si quis regis filius, contempto patre, cum prædonibus, sicariis et sepulcrorum effossoribus se conferat, et illorum consortium paternæ domui præferat, relinquit eum pater, ut stultitiæ suæ magnitudinem experientia ediscat.

4. Cur autem nullum aliud memoravit peccatum, ut cædem, avaritiam et alia similia, sed intemperantiam? Auditores tantum, et eos qui epistolam accepturi erant, indicare mihi videtur. *In immunditiam, ut corpora sua contumelia afficiant in semetipsis.* Vide emphasin maxime perstringentem. Non aliis egebant, inquit, quibus contumelia afficerentur : sed quæ inimici intulissent, eadem contra se patrabant. Deinde causam resumens ait : 25 *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium; ac cultum præstiterunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori.* Quæ admodum ridicula erant, in specie ponit; quæ vero graviora erant, generaliter : ac per hæc omnia ostendit, creaturæ cultum ad gentiles pertinere. Et vide quomodo sermonem explicaverit : non enim simpliciter dixit, Coluerunt creaturam, sed addidit, *Potius quam Creatorem :* ubique hac ratione crimen attollens, et hoc additamento illos venia privans. *Qui est benedictus in sæcula. Amen.* Verum hoc nihil illi nocuit, inquit : est enim ille benedictus in sæcula. Hic ostendit illum non ut se ulcisceretur deseruisse ipsos, quandoquidem nihil passus est. Etiamsi enim illi ipsum contumelia affecerint; at ille contumeliam non passus est, neque gloria ejus imminuta fuit, sed manet semper benedictus. Nam si plerumque vir qui philosophatur, nihil patitur ab iis, qui contumeliam inferunt, multo minus Deus, immortalis et immutabilis illa natura, invariabilis et immota gloria. Etenim homines hæc in re Deo similes fiunt, cum nihil patiuntur ab iis qui molestiam inferre volunt, nec contumeliam accipiunt, percussi non percutiuntur, aliis ridentibus non vere irridentur. Et quomodo, inquies, hoc fieri possit? Potest, utique potest, si non doleas de iis quæ accidunt. Et quomodo, inquies, possum non dolere? At quomodo potes dolere? Dic enim mihi : Si puerulus tuus te contumelia afficeret, an illud pro contumelia haberes? an doleres? Minime : si doleres, annon ridiculus esses? Sic erga proximum affecti simus, et nihil ingrati patiemur (pueris enim, qui contumeliam inferunt, insipientiores sunt); nec quæramus contumeliis non affici, et iis affecti, fortiter feramus : hic est enim verus honor. Quare? Quia tu hujus honoris dominus es, illius vero alius. Annon vides adamantem cum percutitur repercutientem? Sed hæc est, inquies, ejus natura. At potes tu ex proposito voluntatis talis effici, qualis ille ex natura est. Quid autem? annon vidisti pueros in fornace non adustos? Danielem in lacu nihil mali patientem? Idipsum jam fieri potest : adsunt etiam nobis leones, ira, concupiscentia, acerrimis dentibus instructi, qui obvia discerpunt. Esto igitur similis Danieli, et ne sinas passiones dentes infigere in animam tuam. At ille, inquies, gratiam totam habuit secum operantem. Bene, quia hanc ducebat propositum voluntatis. Itaque si velimus nos tales comparare, adest et nunc gratia : etiamsi feræ esuriant, non latus tuum tangent. Nam si servile corpus videntes reveritæ sunt; cum membra Christi videbunt (hoc enim nos fideles sumus), quomodo non quiescent? Si vero non quiescant, id ex culpa eorum qui injecti fuerint eveniet. Etenim multi sunt, qui leonibus hisce sumptum suppeditant, meretrices nutrientes, nuptias violantes, vindictam in inimicos exercentes : ideoque prius quam ad solum perveniant, dilacerantur. At non id Danieli contigit; at nec nobis continget si velimus, imo et quid melius quam tunc accidet.

Injuriæ utiles patienter ferenti. — Illic enim leones non nocuerunt; nobis autem, si vigilemus, utiles erunt ii qui injuriam inferunt. Ita et Paulus splendidus evasit ab iis, qui ipsi molestias et insidias inferebant; sic Job a multis plagis, sic Jeremias a lacu luti, sic Noe a diluvio, sic Abel ab insidiis, sic Moyses a sanguinariis Judæis, sic Elisæus, sic magnorum illorum singuli, non a quiete et voluptate, sed ab ærumnis et tentationibus splendide coronati sunt. Ideo Christus hanc cum nosset rei eximie gerendæ rationem, discipulis dicebat : *In mundo tribulationem habetis; sed confidite, ego vici mundum* (*Joan.* 16. 33). Quid ergo? inquies; annon multi ab ærumnis subversi sunt? Non ob tentationum naturam, sed ob suam ignaviam. Qui autem facit cum tentatione proventum, ita ut possimus sustinere, ipse adsit omnibus nobis et manum porrigat, ut splendide celebrati, æternas consequamur coronas, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, honor, imperium nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV

CAP. I. v. 26. *Ideo tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum mutaverunt naturalem usum in eum, qui est contra naturam.* 27. *Similiter et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem.*

1. Passiones omnes ignominiosæ sunt, maxima

vero insania erga masculos: etenim anima plus patitur et rubore suffunditur in peccatis, quam corpus in infirmitatibus. Perpende autem quomodo hic illis veniam deneget, perinde atque in dogmatibus: de mulieribus quidem dicens: *Mutaverunt naturalem usum.* Non enim dicere possunt, inquit, se prohibitas ab eo, qui secundum legem est, coitu, ad hoc processisse; neque se, cum non possent concupiscentiam suam implere, ad hanc alienam rabiem impegisse: nam mutatio eorum est, qui jam tenent: quod etiam de dogmatibus loquens dicebat: *Mutaverunt veritatem Dei in mendacium.* De masculis vero rursus alio modo idipsum significavit, dicens: *Relicto naturali usu feminæ.* Pari modo his et illis nullum relinquit sese purgandi modum: accusans illos, non modo quod suum habentes fruendi modum, illo relicto ad alium venissent; sed etiam quod spreto illo, qui secundum naturam erat, ad alium contra naturam confugerent. Difficiliora autem et ingratiora sunt illa contra naturam; ita ut non possint voluptatem prætendere: genuina quippe voluptas, secundum naturam est; sed cum Deus derelinquit, omnia sus deque vertuntur. Ideo non dogma tantum ipsorum satanicum erat, sed etiam vita diabolica. Cum igitur de dogmatibus dissereret, mundum et humanam mentem in medium attulit, dicens ex prudentia a Deo sibi data, potuisse homines per visibilia ad Creatorem duci: deindeque, nolentes, venia indignos mansisse. Hic autem mundi loco voluptatem, quæ secundum naturam est, posuit, qua poterant cum libertate ac majori lætitia frui, atque a turpitudine liberari; sed noluerunt; unde ab omni venia exclusi sunt, ipsam naturam dehonestantes: quodque turpius est, cum et mulieres eos appeterent coitus, quos cum majori pudore adire par erat, quam si cum viris coiissent. Hic vero admiratione digna est Pauli prudentia, quo pacto cum in res duas contrarias incideret, utramque cum omni accuratione perfecerit. Volebat enim et caste loqui, et mordere auditorem: hæc autem ambo facere non licebat, sed alterum alteri officiebat. Si enim caste loquaris, non poteris perstringere auditorem; sin velis vehementer incessere, rem, quam ducis, nude et clare proferre cogeris. Verum prudens illa et sancta anima utramque potuit cum accuratione facere, in naturæ nomine et accusationem augens, et quasi involucro quodam illo utens, ut castus esset loquendi modus.

Libido contra naturam horrenda. — Deinde postquam mulieres primum perstrinxerat, ad viros procedit, dicens: *Similiter et masculi, relicto naturali usu feminæ:* quod extremæ perniciei exemplum est, cum uterque sexus corruptus est, et vir, qui mulieris magister est constitutus, et femina, quæ adjutrix viri esse jussa est, quæ inimicorum sunt, utrinque mutuo agunt. Perpende autem cum quanta emphasi verba adhibeat. Non enim dixit ipsos se mutuo amasse et concupivisse; sed, *Exarserunt in desideriis suis in invicem.* Viden' totum fuisse ex nimia concupiscentia, quæ non poterat intra terminos suos contineri? Quidquid enim excedit leges a Deo positas, aliena concupiscit, nec stat in constitutis terminis. Sicut enim multi sæpe, relicto alimentorum appetitu, terram et lapides parvos comedunt; et alii ardenti correpti siti, lutum plerumque appetunt: sic et illi in amorem illum iniquum exarserunt. Quod si dixeris: Et unde illud tantum concupiscentiæ augmentum? Ex eo, quod Deus dereliquerit. Dei autem derelictio unde? Ex iniquitate eorum, qui dereliquerunt eum: *Masculi in masculos turpitudinem operantes.*

2. Ne quia audisti, *Exarserunt*, putes in concupiscentia tantum sisti morbum: nam ut plurimum ab eorum ignavia accenditur concupiscentia. Ideoque non dixit, Pertracti, vel Præoccupati, ut alibi ait, sed quid? *Operantes.* In opus deduxere peccatum; et non solum in opus, sed etiam cum studio et fervore. Nec dixit, Concupiscentiam; sed proprie, *Turpitudinem:* nam et naturam deturparunt, et leges conculcavere. Et vide confusionem multam ex utraque parte ortam. Neque modo enim caput inferne positum est, sed etiam pedes superne, atque inimici et sui et mutuo facti sunt, gravem quamdam, multiplicem, variam, ac quovis bello civili iniquiorem pugnam inducentes. Etenim in quatuor illam species vanas et iniquas diviserunt: non enim duplex aut triplex, sed etiam quadruplex hoc bellum erat. Perpende autem: oportebat duos, virum et mulierem, unum esse: nam ait, *Erunt duo in carne una* (*Gen.* 2. 24). Illud porro efficiebat consortii concupiscentia, et sexus mutuo jungebat. Hac autem sublata diabolus concupiscentia, et in alium modum derivata, sic sexus a mutuo consortio divisit, et id effecit, ut quod unum erat duæ essent partes, idque contra Dei legem; ipse namque dixit: *Erunt duo in carne una:* ille vero unam in duas divisit. Ecce bellum unum. Rursusque has duas partes, ut bellum et sibi ipsis et mutuo inferrent, effecit: mulieres enim contumeliam inferebant mulieribus, nec modo viris; viri quoque contra viros insurrexerunt, et contra muliebrem sexum, quasi in quadam nocturna pugna. Vidistin' secundum et tertium bellum; imo et quartum et quintum? Est enim et aliud: nam cum supradictis, in ipsam quoque naturam inique egerunt. Ubi vidit enim diabolus hanc concupiscentiam sexus maxime copulare, hoc vinculum discindere nisus est: ita ut non tantum ex defectu seminis genus dissolveretur, sed etiam ex eo, quod bellum sibi mutuo inferrent et altercarentur. *Et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* Vide quomodo rursum ad fontem mali veniat, impietatem nempe ex dogmatibus; et hanc mercedem esse dicit iniquitatis illius. Quia enim de gehenna et supplicio loquens, impiis et vita vivere volentibus non videbatur nunc fide dignus esse, imo potius ridiculus, ostendit in ipsa voluptate hoc supplicium esse. Quod si id non sentiant, imo sibi placeant, ne mireris: nam furentes et qui phrenitide capti sunt, se multum lædentes et miserabilia facientes, dum aliorum lacrymas excitant, rident ac de gestis a se lætantur. Sed non ideo dicimus illos a supplicio exem-

ptos, sed ideo in graviore damno et pœna versari, quia quo in statu sint nesciunt. Non enim ab ægris, sed a benevalentibus calculum ferri oportet : quandoquidem antiquitus res et in legem versa videbatur, et quidam legislator apud illos jusserat, ne quis servus apud illos vel unctione sicca uteretur (*a*), vel pueros amaret ; liberis tantum hanc prærogativam, vel potius hanc turpitudinem concedens. Attamen illi non turpitudinem esse putabant; sed rem honestam et majorem, quam ferret servorum conditio, liberis illam concesserunt : et hoc sapientissimus Atheniensium populus, et magnus apud illos Solon. Et alios quoque multos philosophorum libros hoc morbo plenos reperias : neque tamen ideo rem esse statutam dicimus, sed eos, qui hanc accepere legem, miseros et lacrymis dignos esse multis. Eadem enim hi patiuntur, quæ mulieres fornicantes; imo et miserabiliora. Illarum enim coitus, etsi illegitimus, secundum naturam tamen est; hic vero et illegitimus et contra naturam. Etiamsi enim nec gehenna esset, nec supplicii comminatio, hoc omni supplicio pejus esset. Quod si id ipsis placeat, augmentum supplicii narras mihi. Neque enim, si quem viderem nudum currentem toto corpore fœdatum ex luto, nec pudore affectum, sed sibi gratulantem, gratularer et ego ipsi : imo potius illum deplorarem, quod non ipse sentiret se turpiter agere. Ut autem contumeliam evidentiorem reddam, liceat mihi aliud vobis exemplum afferre. Si quis virginem in thalamo versantem damnaret, ut cum brutis animalibus commisceretur, illa vero in tali coitu delectaretur : annon ideo lacrymis dignior esset, quod non posset ab hoc morbo liberari, imo nec illum sentire? Id certe nemini non palam est. Si autem grave illud sit, hoc non minus grave : nam a suis contumelia affici, miserabilius est, quam ab alienis. Hos ego homicidiis pejores dico : melius quippe est mori, quam sic contumelia affectum vivere. Homicida enim animam a corpore separat; hic vero animam cum corpore perdit. Et quodcumque dixeris peccatum, non æquale dixeris huic iniquitati : et si ii, qui hæc patiuntur, rei sensum haberent, millies mori præoptarent, ne hoc paterentur.

3. Nihil est, nihil utique est hac contumelia irrationabilius et gravius. Si enim de fornicatione loquens Paulus, dicebat : *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui vero fornicatur, in proprium corpus peccat* (1. *Cor*. 6. 18); quid dixerimus de hac insania, quæ tanto deterior est fornicatione, quanto dici nequit? Neque enim hoc tantum dico, quod factus sis mulier, sed etiam quod cesses esse vir, neque mutatus sis in istam naturam, neque illam serves quam habuisti; sed utriusque communis proditor effectus sis, et dignus qui a viris et mulieribus expellaris et lapideris, utpote qui utrumque sexum injuria affeceris. Et ut ediscas quantum hoc sit : si quis accedens offerret tibi, se ex homine te canem esse facturum, annon illum ut perniciosum effugeres? Atqui te non canem ex homine fecisti, sed animal cane longe vilius : canis quippe utilis est, amasius vero ad nihil utilis. Quid autem, quæso te, si quis comminaretur effecturum se ut viri parerent, annon ira repleremur? At nunc ecce longe graviora faciunt, qui tantopere insaniunt : non enim par res est in mulierem mutari, et virum manentem mulierem fieri; imo neque hoc neque illud. Quod si aliunde mali tanti magnitudinem scire velis, interroga cur legislatores puniant illos, qui eunuchos faciunt; et disces non alia de causa, quam quod naturam exscindant et minuant. Atqui illi non tantum injuriæ inferunt; nam exsecti illi plerumque post excisionem utiles fuerunt : viro autem in meretricem converso nihil inutilius fuerit : neque enim anima solum, sed etiam corpus viri talia passi, ignominia plenum est, et dignum quod undique pellatur. Quot gehennæ illis sufficient? Si vero gehennam audiens rides et incredulus es, recordare ignis illius Sodomorum : vidimus enim, vidimus et in præsenti vita gehennæ imaginem. Quia enim multi iis, quæ resurrectionem sequentur, fidem habituri non erant, nunc audientes ignem inexstinguibilem esse, Deus illos a præsentibus ad sanam mentem reduxit. Talis igitur est Sodomorum ignis et incendium : et sciunt illi, qui eo se contulerunt, et plagam illam divinitus immissam et supernorum fulminum opus viderunt. Cogita quantum sit peccatum, quod vel ante tempus gehennam apparere coegerit. Quia enim multi verba illa despiciebant, gehennæ imaginem novo modo ostendit illis Deus. Etenim stupenda erat pluvia illa, quia coitus ille præter naturam erat; et inundavit terram quia illorum etiam animas concupiscentia inundaverat. Ideo consuetudini contraria erat pluvia : non modo enim terræ viscera non excitavit ad fructus proferendos, sed illam ad seminum susceptionem ineptam reddidit. Talis enim erat coitus virorum in terra Sodomorum, tale corpus inutilius reddens. Quid enim viro meretricem agenti exsecrabilius et infamius? O furorem! o stuporem! Quomodo hæc concupiscentia grassata est, quæ humanam naturam quasi hostes bello invasit; imo hostibus ipsis tanto molestior, quanto anima melior est corpore? O vos irrationabilibus irrationabiliores, et canibus impudentiores! Nusquam enim apud illos talis coitus, sed natura suos terminos agnovit; vos vero genus vestrum ignobilius effecistis per injuriam tantam. Undenam hæc orta sunt mala? A voluptate, ab eo quod Deum non cognosceretis : cum enim quidam ejus timorem ejecerint, omnia demum bona avolant.

4. Ne igitur id accidat, timorem Dei assidue præ oculis habeamus. Nihil enim, nihil ita hominem perdit, ut cum a tali excidit ancora, neque ita illum servat, ut si perpetuo illuc respiciatur. Nam si hominem præ oculis habentes, segniores sumus ad peccata admittenda; imo sæpius famulos modestiores reverentes, nihil absurdi facimus, cogita quanta fruamur securitate, si Deum præ oculis habeamus. Nunquam enim nos diabolus ita affectos invadet, utpote

(*a*) Unctio sicca extra balnea sumebatur ab athletis et in palæstra. Hæc vero servis prohibebatur.

qui inutiliter laboraret : si vero extra vagantes, et sine freno circumeuntes viderit, a nobis arrepto initio ubique nos deinceps a grege dejicere poterit. Et quod inter servos ignavi in foro patiuntur, qui ministeria necessaria relinquunt, pro quibus ab heris missi fuerant, temere et sine causa iis qui superveniunt hærentes, et otium ibi consumentes : hoc et nobis accidit, cum a præceptis Dei discedimus. Stamus enim deinceps divitias admirationi habentes, et pulchritudinem corporis, et cætera quæ nihil ad nos attinent : quemadmodum illi servi mendicantibus præstigiatoribus, qui mirabilia patrant, attendunt; deinde cum tardius redeunt, domini plagis excepti extremas dant pœnas. Multi vero propositam viam prætermittunt, alios qui indigne se agebant sequentes. Sed nos ne hoc faciamus : etenim missi sumus ad multa quæ urgent perficienda; et si missis illis stemus, inutilia illa hianti ore respicientes, omni tempore nobis frustra insumpto, extremas dabimus pœnas. Si enim te exercere velis, habes quæ mirari debeas, et ad quæ inhiare omni tempore possis, quæ non risu, sed admiratione et laudibus multis digna sunt : quemadmodum contra is, qui ridicula admiratur, ipse talis erit, et risum movente deterior : quod ne tibi accidat, cito resilias.

Divitiarum usus malus quam miseriam inferat. — Quid, quæso, stas divitiis inhians? quid admirabile vides, quod possit oculos tuos detinere? equos auro ornatos, famulos, alios barbaros, alios eunuchos, splendidas vestes, animam in his emollitam, sublatum supercilium, circumcursationes, tumultus? An hæc admiratione digna? in quo autem differunt hi a mendicis saltantibus et sibilantibus in foro? Nam et hi multa virtutis fame detenti, choream ducunt illa ridiculiorem, acti et circumacti, nunc ad lautas mensas, nunc ad diversorium amasiarum mulierum, nunc ad adulatorum et parasitorum agmina. Si vero aurum gestant, ideo maxime miserabiles sunt, quia illa, quæ nihil ad se attinent, magis sibi curæ sunt. Ne mihi vestimenta illorum respicias, sed eorum animam retege, et perpende annon mille sit vulneribus confossa, et laceris pannis induta, annon sit deserta et sine patrocinio. Quæ utilitas illius externæ insaniæ? Multo melius est pauperem esse et in virtute vitam ducere, quam cum nequitia regem esse. Pauper enim apud se omni secundum animam voluptate fruitur, neque in sensum venit illius externæ paupertatis, ob internas divitias : rex vero in deliciis vivens, in iis, quæ non ipsi congruentia sunt, in iis quæ maxime ad ipsum attinent cruciatur, in anima, in cogitationibus, in conscientia, quæ una secum illo commigrabunt. Hæc igitur cum sciamus, vestimenta quidem aurea deponamus, virtutem assumamus et voluptatem ex illa partam. Sic enim et hic et illic multa fruemur voluptate, et promissa consequemur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

Cap. 1. v. 28. *Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit eos Dominus in reprobum sensum, ut facerent ea quæ non conveniunt.*

1. Ut ne videretur illos subindicare, postquam diu circa puerorum amorem versatus fuerat, ad alia deinde peccatorum genera transivit : ideoque ad alias personas totum sermonem transfert. Et ac si semper fideles de peccatis alloqueretur, ut illa fugienda esse commonstret, gentes in medium producit, dicens : *Non in passione desiderii, sicut et reliquæ gentes, quæ Deum non noverunt* (1. *Thess.* 4. 5) : et rursum, *Ne contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent* (*Ibid. v.* 13) : sic et hoc loco illorum peccata exhibet, illosque ab omni venia deturbat : non enim per ignorantiam admissa, sed meditata dicit esse facinora. Quapropter non dicit : Et sicut non cognoverunt; sed, *Sicut non probaverunt Deum habere in notitia;* ex corrupto judicio et ex contentione potius quam ex rapina dicens esse peccatum, et ostendens non ex carne, ut quidam hæreticorum dicunt, sed ex animo et mente malæ concupiscentiæ peccata proficisci, et hunc esse malorum omnium fontem. Postquam enim mens reproba facta est, auriga corrupto, omnia demum labefactantur et subvertuntur. 29. *Repletos omni iniquitate, nequitia, avaritia, malitia.* Vide, omnia confertim : nam *Repletos* illos dicit, et *Omni;* et cum malitiam in genere nominasset, jam partes ejus prosequitur, et has cum hyperbole, dicens, *Plenos invidia, cæde.* Hoc enim ex illo oritur, ut in Abele et in Joseph monstratum est. Deinde cum dixisset, *Contentione, dolo, malignitate,* 30. *susurrones, detractores, Deo perosos, contumeliosos,* etiam ea, quæ multis indifferentia esse videntur, in criminum ordine ponens; auget rursus accusationem, postquam in arcem malorum ascendit, et dixit *Arrogantes.* Gravius est enim altum sapere post peccatum, quam peccare : ideo Corinthios incusat his verbis : *Et vos inflati estis* (1. *Cor.* 5. 2). Nam si quis de recte facto inflatus est, totum perdit : qui cum peccatis inflatur, quo non dignus fuerit supplicio? qui enim talis est, resipiscere non poterit. Deinde ait, *Inventores malorum,* significans non sat ipsis fuisse illa, quæ jam exstabant, sed et alia invenisse : quod meditantium et studentium erat, qui a nullis subriperentur et attraherentur. Cum autem malitiam minutatim dixisset, et ostendisset ipsos in eadem ipsa stetisse natura (nam ait, *Parentibus non obedientes*), ad pestis tantæ radicem sic demum pergit, 31. *Sine affectione, absque fœdere* dicens illos. Hanc enim et Christus causam esse nequitiæ dicit : *Cum abundaverit iniquitas, refrigescet caritas multorum* (*Matth.* 24. 12). Hoc igitur hic dicit Paulus, *Incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia* vocans, ostendensque ipsos hoc naturæ donum prodidisse. Habemus

enim naturalem quemdam ad invicem affectum, ut et ipsæ feræ habent. *Nam omne animal*, inquit, *sibi simile diligit, et homo proximum suum* (*Eccli.* 13. 19). At illi feris feróciores fuere. Morbum igitur qui ex pravis dogmatibus orbem invasit, his nobis ostendit, et declaravit utrumque morbum ex ægrorum negligentia prodire. Significat demum, ut de dogmatibus jam fecerat, etiam illos venia carere; ideo ait : 32. *Qui cum justificationem Dei cognoscerent, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; non solum ipsi faciunt, sed etiam facientibus consentiunt.* Cum duas posuisset antitheses, hic ambas præcipue de medio tollit. Quid enim dixeris, inquit, te nescire ea, quæ facienda sunt? Certe si non nosses, tu in causa esses, relicto Deo, qui tibi hæc nota fecerat : nunc vero multis probamus te illa scire, et sponte peccare. Sed ab affectu traheris? Cur ergo cooperaris et laudas? *Non solum enim illa faciunt*, inquit, *sed et facientibus consentiunt.* Priore igitur posita, quæ venia indigna est, ut illam de medio tollat (peccante enim is, qui peccatum laudat, longe nocentior est); hoc, inquam, primum posito, hinc vehementius in sequentibus illum arguit et carpit his verbis : (*Cap.* 11) 1. *Propterea inexcusabilis es, o homo, quisquis judicas : In quo enim alterum judicas, teipsum condemnas* (*Matth.* 7. 2). Hæc principes respiciens dicit, quia urbi illi tunc temporis imperium in totum orbem traditum fuerat. Sic igitur ordiens ait : Defensionem tibi aufers, quisquis sis : dum enim mœchum damnas, et tu ipse mœcharis, etiamsi nullus homo te judicet et damnet, sententiam illam, quam in sontem tulisti, in teipsum tulisti. 2. *Scimus enim, quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt.* Ne quis enim diceret, Interim effugi : ut terreat, ait [1], non ita se rem habere apud Deum ut apud nos : hic enim alius punitur, alius effugit, qui eadem admiserat; illic vero non item. Quod ergo justa noverit, is qui judicat, dixit; unde vero noverit, non item : superfluum enim fuisset. Circa impietatem quidem utrumque demonstrat, et quod ille Deum cognoscens, impie egerit; et unde noverit, nempe ex rebus creatis. Quia enim non omnibus notum erat, causam etiam dixit; hic vero, quia res in confesso erat, præterit. Cum autem dicit, *Omnis qui judicat*, non principibus loquitur tantum, sed etiam privatis et subditis.

2. Etenim omnes homines, etiamsi thronum non habeant, non carnifices nec lignum, attamen et ipsi de iis, qui peccant, judicant in colloquiis et cœtibus, ex conscientiæ nempe calculo : et nemo dicere ausit mœchum non esse dignum punitione. Sed alios, inquit, damnant, non seipsos. Ideo in illos vehementer insurgit, dicens : 3. *Existimas autem hoc, o homo, qui judicas illos qui talia agunt, et facis ea, quod tu effugies judicium Dei.* Quia enim ostendit ingens peccatum orbis et a dogmatibus et a facinoribus, et quod sapientes cum essent, et quod cum haberent creaturam se manu ducentem, quod non modo Deum reliquissent, sed etiam elegissent imagines reptilium, quod etiam virtutem spernerent, et quod alliciente natura ad nequitiam se sponte conferrent, quodque contra naturam agerent : ad illud deinde se confert ut ostendat eos, qui talia perpetrant, supplicio tradi. Jam memoravit supplicium cum de facinore ageret : Nam *Mercedem*, inquit, *erroris sui in seipsis recipiunt* : verum quia non sentiunt illam, addit et aliam, quam maxime timebant. Jamque illam ostenderat : cum enim dicit, judicium Dei secundum veritatem esse, nihil aliud quàm hoc declarat : attamen illud hic pluribus probat, sic dicens : *Existimas autem hoc, o homo, qui judicas illos qui talia agunt, et facis ea, quod tu effugies judicium Dei?* Tuum non effugisti, et judicium Dei effugies? et quis hoc dixerit? Atqui tu teipsum judicasti. Verum postquam tanta fuit hujus tribunalis auctoritas, nec tu tibi parcere potuisti, quomodo Deus, qui impeccabilis est, summe justus, non multo magis hoc faciet? Sed tu teipsum damnasti, et Deus te approbabit et laudabit? Ecqua ratione hæc dicantur? Atqui tu longe supplicio et quidem majore dignior illo, quem damnasti. Non enim idipsum est simpliciter peccare, et postquam alium peccantem punivisti, in eadem peccata incidere. Viden' quomodo crimen auxerit? Si enim tu, inquit, eum qui minus peccavit plectis, etiamsi teipsum deturpaturus sis, quomodo Deus te majora peccantem, neque sibi pudorem illaturus, non magis et gravius damnabit te, qui jam a tuis cogitationibus damnatus es? Quod si dixeris : Novi quidem me supplicio dignum esse; sed propter Dei patientiam despicis, et quia non statim pœnas das, confidis : hinc certe jure timere ac tremere debueris. Non enim ut non pœnas des, sed ut des graviores, differtur, si inemendabilis maneas; quòd utinam ne tibi contingat! Ideo subjungit : 4. *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducat?* Postquam Dei patientiam laudavit, et ostendit ex ea maximum lucrum attendentibus accedere (hoc autem erat peccantes ad pœnitentiam trahere); timorem auget. Sicut enim iis, qui ejus patientia ut par est usi fuerint, causa est salutis : sic et contemnentibus majus supplicium affert. Hoc enim est quod circumfertur, Deum benignum et patientem pœnas non repetere : cum autem hoc dicis, nihil dicis aliud, quam quod supplicium augeatur. Nam benignitatem Deus exhibet, ut a peccatis te eximas, non ut peccata accumules; si non id feceris, terribilior erit ultio. Quamobrem quia patiens est Deus, ideo peccare non oportet, neque beneficium ingrati animi causam efficere : etsi enim patiens sit, at omnino punit. Undenam hoc liquet? Ex iis quæ sequuntur. Si enim ingens nequitia est, nec pœnas improbi dederunt, procul dubio dabunt. Etenim si hæc non negligunt homines, quomodo negliget Deus? Itaque inde sermonem de judicio induxit. Nam cum ostendat multos esse pœnæ obnoxios nisi pœnitentiam egerint, et non hic puniri, judicium certe futurum, et gravissimum esse statuit; ideo ait :

[1] Quidam legunt, *interim effugi timorem, ait.*

5. *Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram.* Cum enim neque mansuetudine emolliatur, nec timore flectatur, quid illo durius fuerit? Postquam autem Dei benignitatem ostendit, tunc supplicium exhibet : quod nempe sit intolerabile ei, qui neque sic conversus sit. Et vide quam proprie verbis utatur : *Thesaurizas*, inquit, *tibi iram*, omnino repositam iram ostendens, et non judicem, sed eum qui judicatur, illius causam esse. *Tibi ipsi*, inquit, *thesaurizas*, non Deus tibi. Hic enim omnia quæ par erat præstitit, et tibi bonorum malorumque cognitionem impertiit, patientiam suam exhibuit, ad pœnitentiam te vocavit, diem terribilem comminatus est, per omnia te ad resipiscentiam alliciens : quod si inflexus maneas, *Thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis et justi judicii Dei.* Ne putes enim audita ira, passionem esse, addit : *Justi judicii Dei.* Ac recte dixit, *Revelationis :* tunc enim, hoc revelat, cum secundum meritum singuli accipiunt. Nam hic sæpe multi præter jus molestiam inferunt et insidias struunt; illic vero non item. *Qui reddet unicuique secundum opera ejus; iis quidem, qui secundum patientiam boni operis.*

3. Postquam se terribilem et severum exhibuit, cum de judicio et de futuro supplicio loqueretur, non se statim ad supplicium, ut exspectandum videbatur, conjecit, sed ad rem suaviorem, nempe retributionem bonorum, sermonem convertit hoc pacto : *Iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Hic eos, qui in tentationibus animo defecerant, erigit, ostenditque non oportere in fide sola fiduciam habere : nam tribunal illud acta examinat. Perpende illum, cum de futuris loquitur, non posse clare bona illa explicare, sed gloriam et honorem dicere. Quia enim bona humana longe superant, nullam habet imaginem quam possit adhibere; sed ab iis, quæ apud nos splendidiora videntur, illa utcumque exprimit, a gloria, ab honore, a vita : illa enim inter res humanas expetuntur. Verum cælestia non hujusmodi sunt; sed his eo sunt præstantiora, quod sint incorruptibilia et immortalia.

Resurrectio corporum.—Viden' ut nobis de resurrectione corporum fores aperuerit, cum incorruptionem dicit? incorruptio enim illa corrupti corporis est. Deinde quia hoc non satis erat, addidit gloriam et honorem. Omnes enim resurgemus incorrupti, sed non omnes ad gloriam, sed alii ad supplicium, alii ad gloriam. 8. *Iis vero, qui ex contentione*, inquit. Rursus enim venia privat eos, qui in nequitia vivunt, et ostendit eos ex contentione quadam et ignavia ad nequitiam decidisse. *Et non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati.* Ecce aliam rursus accusationem. Quam enim excusationem habuerit is, qui lucem fugit et tenebras deligit? Neque dicit, Vi impulsos, vel tyrannide, sed *obtemperantes iniquitati;* ut ediscas voluntatis esse lapsum, non necessitatis crimen. 9. *Tributatio et angustia super omnem animam hominis operantis malum.* Id est, licet opulentus quis fuerit, licet consul, licet rex, neminem reveretur judicii ratio : non hic locum habent dignitates. Cum ergo morbi vehementiam exhibuisset, et causam addidisset, nempe ægrotantium ignaviam; et finem quoque, quod scilicet pernicies illos exceptura sit, necnon emendationis facilitatem : Judæum rursus in supplicio aggravat. *Judæo primum et Græco.* Nam qui majore imbutus fuit doctrina, majori supplicio dignus fuerit, si inique agat. Itaque quanto prudentiores potentioresque sumus, tanto magis punimur si peccemus. Etenim si dives es, plures a te exigentur pecuniæ, quam a paupere; si prudentior, major obedientia; si potentia valeas, illustriora opera : in aliisque omnibus pari ratione pro virili et pro modulo conferes. 10. *Gloria, honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco.* Quem Judæum hic memorat, et de quibus Græcis loquitur? De iis, qui ante Christi adventum fuere : nondum enim ad gratiæ tempus pervenit sermo, sed de superiori tempore loquitur, jam prius de medio tollens differentiam Græcum inter seu gentilem et Judæum; ut cum in gratiæ tempore id faceret, non res nova aut onerosa videretur. Si enim in prisco illo tempore, cum nondum tanta gratia effulserat; cum res Judæorum honorandæ, illustres et celebres apud omnes habebantur, nullum erat discrimen : quam demum rationem afferre poterant post tantam gratiæ exhibitionem? Ideoque magno cum studio id probat. Etenim auditor edoctus id jam priscis temporibus valuisse, multo magis post acceptam fidem id admissurus erat. Græcos autem seu gentiles hic vocat, non idololatras, sed eos qui Deum colebant, qui naturali legi parebant, qui præter Judaicas observationes omnia, quæ ad piam religionem spectarent, observabant : quales erant Melchisedech et Job, quales erant Ninivitæ, qualis Cornelius. Jam itaque distinctionem inter circumcisionem et præputium suffodere incipit, et procul illam differentiam aggreditur; ita ut et sine ulla suspicione id faciat, et ex alia necessitate in eam rem se conjiciat, quod apostolicæ prudentiæ semper proprium fuit. Nam si id gratiæ temporibus ita se habuisse docuisset, multa suspicione plenus sermo habitus fuisset : quod autem de malitia et perversitate loquens, quæ tunc mundum occupabat, ex quadam serie in hunc sermonem incidisset, non suspectam doctrinam reddebat.

4. Quod autem illud in scopo habeat Paulus, et sic ideo rem composuerit, hinc palam est. Nisi enim id probare studuisset, postquam dixerat, *Secundum duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ*, id satis fuisset, et re perfecta claudendum erat hoc argumentum. Verum quia non illi in proposito erat de futuro judicio tantum agere, sed ostendere volebat nihil plus habere Judæum, quam Græcum hujusmodi; ne Judæus altum saperet, ultra progreditur, et ordine utitur. Perpende autem : auditorem terruit, tremendam illam diem quasi intonuit, dixit quantum esset malum in nequitia vivere, ostendit neminem ex ignorantia peccare, neque impune, sed etiamsi nunc pœnas non det, daturum omnino esse.

Hinc demum probare vult, legis doctrinam non esse rem admodum urgentem : nam in operibus sita est pœna, situm præmium, non in circumcisione et præputio. Postquam igitur dixerat, Græcum omnino pœnam esse subiturum, idque in confesso fuit, et inde probavit etiam honorandum esse, superfluam deinde ostendit legem et circumcisionem : nam hic Judæos maxime impugnat. Quia enim illi contentiosiores erant; primo præ fastu non dignantes se cum gentilibus annumerare; secundo irridentes eos qui dicerent fidem peccata omnia delere : ideo prius Græcos incusavit, de quibus agebatur, ut sine suspicione et cum fiducia Judæos adoriretur. Deinde cum ad supplicii examen venit, ostendit Judæum non modo nihil utilitatis a lege accipere, sed etiam aggravari : et hoc jam superius probare incœpit. Si namque Græcus ideo inexcusabilis est, quia et natura et cogitationibus ipsum inducentibus, melior non evasit; multo magis Judæus, qui cum his doctrinam quoque a lege accepit. Cum persuasisset ergo illi, ut in aliorum peccatis hoc ratiocinium admitteret, vel invitum cogit illum deinceps ut in iis, quæ ad ipsum spectarent, idem faceret. Et ut facilius sermo accipiatur, ad mitiora illum ducit his verbis : *Gloria, honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco.* Hic enim quantacumque quis habeat bona, cum perturbatione magna habet, licet dives sit, licet potens, licet rex ; etsi non cum alio, secum saltem sæpe dissidet, et multum vel in cogitationibus habet bellum : illic autem nihil simile, sed omnia tranquilla et a perturbatione libera, cum vera adjuncta pace. Cum ex supra dictis ergo probasset, etiam eos qui legem non habent, eadem ipsa bona assequuturos esse, ratiocinando pergit : 11. *Non enim est personarum acceptio apud Deum.* Cum enim dicit et Judæum et Græcum peccantes puniri, non habet ratiocinio opus; cum vero statuere vult honorari Græcum, tunc probatione opus habet. Nam mirum et stupendum videbatur esse, si is qui nec legem nec prophetas audierat, bona operans honoraretur. Ideo, ut jam dixi, in temporibus gratiam præcedentibus illorum auditum exercet, ut facilius deinceps cum fide, illorum in his consensum induceret. Hic enim suspectus minime est, utpote qui non intentum suum probet. Cum dixisset ergo, *Gloria, honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco* ; pergit, *Non est enim personarum acceptio apud Deum.* Papæ, quanta cum exuberantia vicit! ostendit enim, re in absurditatem adducta, non secundum Deum fore, si res ita non esset; nam id personarum acceptio esset : quod in Deum cadere non potest. Neque dixit, Nisi res ita se habeat, personarum acceptor est Deus ; sed dignius loquens, *Non est personarum acceptio apud Deum* ; id est, non personarum qualitatem, sed rerum differentiam examinat. Hinc vero declarat non re, sed persona Judæum a Græco differre. His consequens erat dicere : Non enim, quia ille quidem Judæus, hic Græcus ; ideo ille quidem honoratur, hic vero contumelia afficitur : sed ex operibus utrumque fit. Verum non ita dixit ; nam Judæi animum concitasset ; sed quid amplius addidit, illorum fastum dejiciens ac comprimens, ut illud admitterent. Quid illud est? Id quod sequitur. 12. *Quicumque enim*, inquit, *sine lege peccaverunt, sine lege peribunt : et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Hic, ut jam dixi, non modo æqualitatem inter Judæum et Græcum indicat, sed etiam Judæum a lege valde gravatum esse demonstrat : Græcus enim sine lege judicatur. Hic autem, *Sine lege*, non gravius, sed minus quidpiam indicat, id est, non habet accusantem se legem. Illud enim, *Sine lege*, id est, sine damnatione ex lege facta, et ex naturalibus solum ratiociniis condemnatur. Judæus vero ex lege ; id est, lege cum natura incusante : quanto enim majore cura dignatus est, tanto majores dabit pœnas.

5. Viden' quanto majorem Judæis necessitatem intulerit, ut ad gratiam accurrerent? Quia enim dicebant se non egere gratia, per legem solam justificatos ; ostendit ipsos magis quam Græcos illa egere, siquidem magis puniendi sunt. Deinde aliud inducit ratiocinium, quo jam dicta propugnet. 13. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum.* Recte addidit, *Apud Deum* : nam apud homines fortasse possunt honorandi videri, et sese magnopere jactitare; apud Deum vero contra omnino *Factores legis tantum justificantur*. Vides cum quanta rationum vi sermonem in contrarium vertat? Si enim per legem, inquit, servari rogas, te hac in re præcedet gentilis, qui ea quæ scripta sunt exsequutus videtur. Et qui fieri potuit, inquies, ut qui auditor non fuerit, factor fuerit? Potest, inquit, fieri, non hoc tantum, sed et aliud longe majus. Non solum enim sine auditione potest esse factor, sed etiam post auditionem potest non factor esse ; id quod postea clarius exprimit cum majore vi verborum : *Qui doces alium, teipsum non doces?* Hic autem interim primum illud probat. 14. *Cum enim gentes*, inquit, *quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt ; hi legem non habentes, sibi ipsis sunt lex.* Non ejicio legem, inquit, sed hinc gentes justifico. Viden' quomodo Judaismi gloriam suffodiens, nullam sui accusandi ansam præbet, quasi legem dehonestet, imo contra, quasi exaltans et magnam ostendens illam, sic totum probat? Cum autem dicit, *Naturaliter*, secundum naturalia ratiocinia intelligit : et ostendit alios esse meliores, et quod majus est, ea de causa meliores, quod non acceperint legem, nec habeant illam, qua videntur Judæi præstare. Ideo enim, ait, mirabiles sunt, quia lege non opus habuere, et quæ legis sunt omnia exhibuere : opera, non literas, animis suis insculpentes. Hoc enim ait : 15. *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia, et cogitationibus inter se accusantibus aut etiam excusantibus : 16. in die, quo judicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum, per Jesum Christum.* Viden' quomodo repræsentet illum diem et prope adducat, illorum mentem exagitans, et ostendens, illos potius honorandos esse, qui sine lege, quæ legis erant, perficere conati sunt? Quod autem maxime admirandum

est in apostolica illa prudentia, id nunc merito dicatur. Cum enim probatione allata demonstrasset majorem esse Græcum Judæo, in collectione et conclusione rationum hoc non ponit, ut ne Judæum exasperet. Ut autem id, quod dixi, clarius reddam, ipsa verba referam apostolica. Quia enim dixit : *Non enim auditores legis, sed factores legis justificabuntur ;* consequens erat ut diceret, *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*, hinc meliores sunt illis qui a lege docentur. Verum non hoc dicit, sed in gentilium laude consistit, neque interim sermonem per comparationem prosequitur, ut et sic Judæus quod dicitur admittat. Ideo non sic loquutus est, ut dixi ; sed quomodo ? *Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt ; hæ legem non habentes, sibi ipsis sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia.* Sufficit enim pro lege conscientia et cogitatio. His ostendit rursum, Deum fecisse hominem ad virtutem eligendam et vitium fugiendum sibi sufficientem. Et ne mireris, si aut bis aut ter aut pluries id probet : admodum enim ipsi hoc caput necessarium erat propter eos qui dicebant : Cur nunc Christus advenit ? et ubinam priscis temporibus tanta illa providentia erat ? Adversus hos nunc cum carptim pugnasset, ostendit etiam quod priscis temporibus, et antequam lex daretur, hominum natura omnimoda providentia gaudebat. Nam *Quod notum est Dei, manifestum erat in illis ;* sciebantque quid bonum, quid malum esset, per quæ de aliis judicabant. Id illis exprobrans dicebat : *In quo judicas alium, teipsum condemnas* (*Matth.* 7. 2). Quantum ad Judæos, cum iis, quæ supra dicta sunt, lex aderat, nec solum ratiocinatio vel conscientia. Cur autem hoc affert, *Accusantibus vel etiam excusantibus ?* Si enim legem habent scriptam, et opus exhibent, quid est quod accusare possit ratiocinium ? At non de illis tantum dicitur illud, *Accusantibus*, sed etiam de tota natura. Tunc enim adsunt ratiocinia ; alia accusant, alia defendunt : atque in illo tribunali non habet opus homo alio accusatore. Deinde timorem augens, non dixit, Peccata hominum, sed, *Occulta hominum.* Postquam enim dixit : *Existimas qui judicas eos qui talia faciunt, et facis ea, quod effugies judicium Dei ?* ut ne talem accipias calculum, qualem ipse fers, sed intelligas, sententiam Dei tua longe exactiorem esse, subjunxit, *Occulta hominum ;* et adjecit, *Secundum evangelium meum, per Jesum Christum.* Homines enim rerum manifestarum tantum judices sedent. Atqui supra de Patre tantum loquebatur : cum autem illos timore emollivisset, de Christo sermonem induxit ; neque hunc simpliciter, sed etiam hic cum Patrem memorasset, sic illum induxit : et prædicationis dignitatem per illos attollit : Hæc enim, inquit, prædicatio hæc prænuntiat, quæ antevertens natura exhibuit.

6. *Judicium futurum quam tremendum. Offensio Dei gravior quam ultio.* — Vidistin' quam prudenter ipsos et evangelio et Christo admovens alligaverit, et ostenderit nostra non esse præsentium limitibus circumscripta, sed ultra procedere ? Id quod etiam supra probavit, dicens, *Thesaurizas tibi iram in die iræ*, et hic rursum, *Judicabit Deus occulta hominum.* Unusquisque igitur in suam conscientiam veniens, et peccata recogitans, rationem accurate ab se repetat, ne tunc cum mundo damnemur. Horrendum quippe est judicium illud, tremendum tribunal, terroris plenæ rationes reddendæ, fluvius ignis manat. *Frater non redimit, redimet homo* (*Psal.* 48. 8) ? Recordare eorum quæ in evangelio dicuntur, angelorum circumcursantium, clausi thalami, lampadum non exstinctarum, potestatum in fornaces trahentium. Et illud tecum reputa, si nostrum cujuspiam occultum facinus aliquod in medium hodie afferretur in ecclesia tantum, annon mallet interire et terram sibi dehiscere potius, quam tot nequitiæ testes habere ? Quid ergo tunc patiemur, cum coram orbe toto omnia afferentur in tanto, tam splendido theatro, et notis et ignotis omnia conspicientibus ? At væ mihi, undenam territare vos cogor ? Ab hominum existimatione, cum a timore Dei oporteret, et ab ejus condemnatione ? Quinam, quæso te, erimus, cum vincti, dentibus stridentes, in exteriores tenebras ducemur ? imo quid faciemus, quod omnium terribilissimum est, cum Deo occurremus ? Si quis enim sensum et mentem habeat, certe jam gehennam sustinuerit, cum a facie Dei expulsus erit : quia vero id illi grave non est, ideo ignem comminatus est. Etenim oporteret, non cum punimur, sed cum peccamus, dolere. Audi ergo Paulum dolentem et flentem de peccatis, pro quibus pœnas daturus non erat. *Non enim sum dignus*, inquit, *vocari apostolus, quia persequutus sum Ecclesiam* (1. *Cor.* 15. 9). Audi etiam et Davidem, a supplicio quidem exemptum, sed quia se putabat Deum offendisse, ultionem in se evocantem et dicentem : *Sit manus tua super me et domum patris mei* (2. *Reg.* 24. 17). Gravius quippe est offendere Deum, quam puniri. Nunc autem tam misere affecti sumus, ut nisi gehennæ timor adsit, quid boni facere vix eligamus. Quapropter, etsi non alia de causa, ideo gehenna digni fuerimus, quod illam magis quam Christum timeamus. Verum non ita beatus Paulus, sed contrario modo. Quia vero nos aliter affecti sumus, ideo ad gehennam damnamur. At si Christum ut par est amaremus, sciremus utique gehenna gravius esse amatum offendere : quia vero non amamus, supplicii tanti magnitudinem non novimus. Et hac de re maxime doleo et lugeo. Atqui quid non fecit Deus, ut diligeretur a nobis ? quid non molitus est ? quid prætermisit ? Ipsum nihil nos lædentem contumelia affecimus, imo mille beneficiis ab illo acceptis, vocantem et undique attrahentem aversati sumus ; et neque sic ille nos ultus est, verum accurrit ipse, ac fugientes detinuit ; at nos excussimus, et ad diabolum transfugimus : neque sic tamen ille destitit, sed sexcentos misit, qui nos advocarent, prophetas, angelos, patriarchas ; nos autem non modo legatio-

nem illam non admisimus, sed venientes contumelia affecimus. Neque tamen ille nos respuit; sed instar vehementissimorum amatorum, qui despiciuntur, circuiens apud omnes conquerebatur, apud cælum, terram, Jeremiam, Michæam; non ut oneri esset, sed ut sese purgaret: ac cum prophetis ipse illos adibat, qui sibi adversabantur, rationes reddere paratus, et rogans ut secum rationes inirentur, et surdos ad colloquium alliciens. *Popule mi*, inquit, *quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi* (*Mich.* 6. 3). Post hæc omnia prophetas occidimus, lapidavimus, innumera alia perpetravimus mala. Quid ergo horum causa fecit? Non ultra prophetas, non angelos, non patriarchas, sed ipsum Filium misit. Veniens Filius occisus est: neque tamen ille amorem exstinxit, sed magis accendit, et post occisum Filium hortando perseverat, precatur, nihilque non agit, ut ad illum convertamur. Clamat vero Paulus, dicens: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo per nos exhortante: reconciliamini Deo* (2. *Cor.* 5. 20).

7. At nihil horum nos reconciliavit. Ille vero neque sic nos dereliquit, sed pergit semper et gehennam comminari, et regnum polliceri, ut nos vel sic attrahat: nos autem quasi stupidi adhuc manemus. Quid hac feritate deterius? Si enim homo talia fecisset, annon in servitutem ejus sæpe versi essemus? Deum autem id facientem aversamur? O ignaviam! o ingratum animum! qui semper in peccatis et sceleribus vivimus; si vero quandoque tantillum boni faciamus, instar ingratorum servorum, accurate illud examinamus et computamus pro mercede accipienda, si tamen id mercedem mereatur. Atqui major est merces, cum non mercedis causa hoc facis. Nam illa dicere et accurate computare, mercenarii potius est, quam grati famuli. Oportet enim omnia propter Christum facere, non propter mercedem: ideo enim gehennam comminatus est, et regnum promisit, ut a nobis amaretur. Amemus itaque illum ut amare oportet: hoc magna merces est, hoc regnum et voluptas, hoc deliciæ et gloria et honor, hoc lux, hoc immensa beatitudo, quam nec oratio declarare, nec mens capere possit. Verum nescio quo pacto in hujusmodi sermonem deductus sim, qui jubeam homines, nec principatum, nec gloriam præsentem despicientes, regnum præsens propter Christum despicere; etiamsi illi magni et generosi viri ad hanc amoris mensuram pertigerint. Audi igitur quomodo Petrus pro illo ardeat, illumque et animæ et vitæ suæ et omnibus præferat. Et cum illum abnegasset, non propter supplicium lugebat, sed quia dilectum negaverat: quod omni supplicio acerbius ipsi erat. Hæcque omnia ante Spiritus gratiam exhibuit: sæpeque instabat, dicens: *Quo vadis?* et antea, *Ad quem ibimus?* ac rursus, *Sequar te quocumque ieris* (*Joan.* 13. 36. *et* 6. 69; *Matth.* 8. 19). Omnia enim ipse illis erat, ac neque cælum neque regnum cælorum dilecto præferebant. Tu enim mihi illa omnia es, inquit. Et quid miraris, si Petrus ita affectus erat? Nam audi quid propheta dicat: *Quid enim mihi est in cælo? et a te quid volui super terram* (*Psal.* 72. 25)? Id est, non eorum quæ sursum, nec quæ deorsum sunt aliud volo præter te. Hoc amor est, hoc dilectio: si ita amemus, nec præsentia, nec futura quidquam esse præ amore illo putabimus, et hinc regnum consequemur, in ejus amore lætantes. Et quomodo, inquies, hoc erit? Si cogitemus quomodo illum contumelia affecerimus post innumera collata bona, ipse vero hortando perseveraverit: quoties illum prætereamus, ipse vero nos non negligat, sed accurrat et alliciat atque ad se trahat. Si enim hæc et similia cogitaverimus, hunc succendere amorem poterimus. Nam si qui ita amat esset homo vilis, qui vero ita amatur rex esset; nonne hic amoris magnitudinem revereretur? Certe maxime. Cum vero contra, ineffabilis illa pulchritudo et gloria et divitiæ ejus, qui nos amat, tales sint, nos vero admodum viles, quomodo non mille suppliciis digni fuerimus, ita viles et abjecti, qui a tanto et tam admirando supra modum amamur, et illius amorem sic repudiamus? Ille nullo nostrorum eget, nec tamen nos amare desinit; nos ejus bonis admodum egemus, ac neque sic ejus amorem retinemus, sed divitias illi præferimus, et hominum amicitias, corporis requiem, potentiam, gloriam; dum ille nihil nobis anteponit? Unum quippe Filium habuit, unigenitum et genuinum, neque illi pepercit in nostri gratiam; nos autem multa illi præferimus. Annon ergo gehennam et supplicium meremur, etsi illud duplo, triplo, imo sexcenties majus esset? Quid enim dicere possimus, quando satanæ præcepta Christi legibus præferimus, et saluti nostræ non parcamus, dum nequitiæ opera ei, qui omnia pro nobis passus est, præferimus? Et qua venia hæc digna fuerint? qua defensione? Nulla. Stemus igitur deinceps, non per præcipitia acti; sed resipiscamus, et hæc omnia nobiscum reputantes, gloriam referamus ei per opera; verbis enim tantum non sufficit: ut et gloria ab illo manante fruamur, quam utinam nos consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

CAP. 2. v. 17. *Ecce tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo*, 18. *et nosti voluntatem, et probas utilia, institutus ex lege.*

1. Postquam dixerat nihil deesse Græco seu gentili ad salutem, dummodo legem servet, et admirandam illam comparationem fecerat: quæ honorabilia apud Judæos erant ponit, ex quibus adversus Græcos efferebantur. Et primo ipsum nomen, quod admodum

honorabile erat, ut est nunc Christianismus : ab appellatione enim multa differentia tunc erat : quare et hinc orditur. Et vide quomodo illud deeutiat. Non enim dixit, Tu Judæus es, sed, *Cognominaris et gloriaris in Deo*, id est, quasi dilectus ab illo, et præ aliis hominibus honoratus. Hic autem mihi videtur illorum arrogantiam et vanam gloriam perstringere; quod dono illo non ad salutem suam, sed ut in alios insurgant, atque illos despiciant, abusi sint. *Et nosti voluntatem, et probas utilia.* Atqui hoc sine opere est vitium; attamen prærogativa videbatur esse : ideoque accurate illud apponit. Non enim dixit, Facis; sed, *Nosti et probas,* non aggrederis nec agis. 19. *Confidis te esse ducem cæcorum.* Rursum hic non dicit illum ducem esse cæcorum; sed, *Confidis*, inquit, te venditas : multa enim erat Judæorum arrogantia. Ideo eadem fere verba usurpat, quæ illi sese jactitantes. Vide namque quid in Evangelio dicant : *In peccatis natus es totus, et tu doces nos* (*Joan.* 9. 34)? et altum sapiebant adversus omnes. Id quod Paulus arguendo perseveravit, hos attollens, illos dejiciens, ut magis illos perstringeret, et graviorem proferret accusationem. Ideo progreditur hoc augens et amplificans diverse narrando. *Confidis enim te esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt*, 20. *eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ et veritatis in lege.* Non dixit iterum, In conscientia et in operibus, in recte factis; sed, *In lege.* Et his dictis, quod circa gentiles fecit, hic facit. Sicut enim illic ait : *In quo enim judicas alium, teipsum condemnas;* sic et hoc loco dicit : *Qui ergo doces alium, teipsum non doces?* Verum illic rigidius, hic mitius sermonem temperat. Non enim dicit : Atqui ideo majori es supplicio dignus, quia cum tot tibi sint concredita, nullo eorum ut par est uteris, sed per interrogationem agit, pudorem incutiens sic, et dicens : *Qui ergo doces alium, teipsum non doces?* Perpende autem mihi etiam aliunde Pauli prudentiam : eas enim Judæorum prærogativas ponit, quæ non ex eorum studio, sed ex superno dono erant, ostenditque non modo superfluas esse, ipsis negligentibus, sed etiam supplicii additamentum afferre. Non enim bonum opus eorum est, quod Judæi vocentur, neque quod legem acceperint, neque alia quæ numeravit, sed ex superna gratia erant. Ac principio quidem dixit, nihil juvare si lex audiatur, nisi opus addatur : *Non enim auditores legis*, inquit, *justi sunt apud Deum :* nunc autem multo magis ostendit, non modo auditionem, sed etiam quod illa majus est, doctrinam, non posse docenti patrocinari, si non faciat illa quæ docet; nec modo non patrocinabitur, sed etiam majorem attrahet ultionem. Recte autem illis dictionibus usus est : non enim dixit, Accepisti legem, sed, *Requiescis in lege.* Neque enim laboravit Judæus circumeundo, ut quæreret ea quæ agenda erant; sed facile habuit legem, quæ viam ostenderet ad virtutem. Etiamsi enim gentes naturæ ratiocinium habeant, unde illos superant, utpote qui sine auditione omnia faciant; attamen illic major facilitas erat. Quod si dicas, Non solum audio, sed etiam doceo; illud quoque additamentum supplicii est. Quia ergo hac in re altum sapiebant, hinc maxime illos ridiculos ostendit. Cum vero dicit, *Ducem cæcorum, eruditorem insipientium, magistrum infantium*, illorum fastum exprimit : magnopere enim proselytis abutebantur, et hoc illos nomine vocabant.

2. Ideo Paulus varie illas quæ videbantur esse laudes eorum refert, sciens illas majoris accusationis esse causam. *Habentem formam scientiæ et veritatis in lege.* Ac si quis regiam imaginem habens, nihil in illa depingit; ii vero quibus illa concredita non est, sine prototypo accurate illam imitantur. Postquam enarravit prærogativas, quas a Deo habebant, illorum vitia recenset, eadem ipsa in medium afferens, de quibus prophetæ accusabant : *Qui ergo doces alium, teipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris;* 22. *qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis?* Etenim valde prohibitum erat, ne quis res idolorum contingeret ob exsecrationem : et amatæ pecuniæ tyrannis, inquit, hanc quoque conculcare legem vobis persuasit. Deinde quod gravius erat, demum intulit, dicens : 23. *Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras?* Duo crimina posuit, imo potius tria, quod dehonestent, quod per ea, queis honorati sunt, quod se honorantem inhonorent : quod erat animi summe ingrati. Deinde ne videretur ex se accusare, prophetam accusatorem inducit; nunc quidem paucis et summatim, deinde vero per partes : nunc Isaiam, postea Davidem, quando plures retulit confutationes. Quod enim non ego vobis exprobrans hæc proferam, inquit, audi quid dicat Isaias : 24. *Nomen Dei propter vos blasphematur in gentibus* (*Isai.* 52. 5). Ecce aliam duplicem accusationem. Non solum enim ipsi, inquit, contumelia afficiunt, sed et alios ad id apparant. Quæ igitur doctrinæ utilitas, quando vos ipsos non docetis? Verum hoc tantum superius dixit, hic vero in contrarium vertit. Non solum enim non vos ipsos, sed nec alios docetis ea quæ agenda sunt : et quod longe gravius est, non solum ea, quæ legis sunt, non docetis; sed contraria docetis, blasphemare Deum, quod legi contrarium est.

Vera circumcisio, quæ. — At circumcisio, inquies, magna res est. Id fateor; sed tunc, cum circumcisio intus habetur. Et vide prudentiam, quam opportune ejus mentionem intulerit. Non enim statim ab illa orsus est, quoniam magna erat de illa opinio; sed postquam ostendit illos a majori offendisse, et blasphemiæ in Deum causam esse : tunc demum auditorem habens jam illos damnantem, et illis a primatu exclusis, de circumcisione agit, confidens neminem fore qui illi suffragetur; et ait : 25. *Circumcisio quidem prodest, si legem observes.* Atqui poterat aliter illam ejicere, dicereque : Quid enim est circumcisio? num opus bonum est ejus, qui illam habuerit? num boni propositi argumentum? Atqui in ætate fit immatura : et qui in deserto erant, multo tempore manserunt incircumcisi : atque aliunde mul-

tisque ex locis videre est, illam non fuisse valde necessariam. Attamen non ideo illam rejicit, sed unde maxime oportebat, ab Abrahamo. Nam hinc victoria celebrior est, si inde despicabilis videatur, unde ipsis venerabilis erat. Quamquam dicere poterat, prophetas Judæos vocare incircumcisos; verum non est hoc circumcisionis vitium, sed eorum, qui illa male utebantur. Id quod quæritur est, ut ostendatur illam in optima vita nihil roboris habere: hoc autem ille deinceps probat. Et hic quidem patriarcham non adducit, sed alia ex parte prius illam dejiciens, postea illum observat, cum de fide verba facit, sic dicens: *Quomodo igitur imputata est fides Abrahæ? cum esset in circumcisione, an cum esset in præputio* (*Rom.* 4. 10)? Donec enim hæc adversus gentilem et præputiatum decertat, nihil horum vult dicere, ne valde onerosus sit: cum autem circumcisio adversus fidem pugnat, tunc contra illam accingitur. Interim adversus præputium pugna est: quapropter mitius loquitur, et ait: *Circumcisio quidem prodest, si legem observes; si autem prævaricator legis fueris, circumcisio tua in præputium versa est.* Duas enim hic ait circumcisiones et duo præputia, ut et duas leges. Est enim lex naturalis, et lex scripta; sed est etiam media inter duas, lex per opera. Et vide quomodo has tres leges ostendat, et in medium adducat. *Cum enim gentes, quæ legem non habent,* inquit. Quam, quæso, legem? Scriptam. *Naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt.* Cujus? Ejus, quæ per opera. *Hi legem non habentes.* Quam? Scriptam. *Sibi ipsis sunt lex.* Quomodo? Naturali lege usi. *Qui ostendunt opus legis.* Cujus? Ejus, quæ per opera est. Lex literis scripta exterior est; hæc autem interior, quæ per naturam est; alia vero in actibus: et illam quidem literæ dictant, aliam natura, tertiam actus. Hac autem tertia est opus, propter quam aliæ duæ, naturalis et literalis. Quod si hæc non adsit, illarum nullus usus est, sed nocumentum maximum. Et hoc ostendit, de naturali quidem dicens: *In quo enim judicas alium, teipsum condemnas;* de scripta vero, *Qui prædicas non furandum, furaris.* Sic et præputia duo: naturale unum, alterum ex opere: et circumcisio una in carne, altera a voluntate. Exempli causa, circumcisus quis est octavo die; hæc est carnalis circumcisio: exsequutus est quis legalia omnia; hæc est spiritualis circumcisio, quam maxime quærit Paulus, imo et ipsa lex.

3. Vide igitur, ut verbo illam concedens, re illam sustulerit. Non enim dixit, Superflua est circumcisio, inutilis, infructuosa; sed quid? *Circumcisio enim utilis est, si legem serves.* Admisit interim illam dicens, confiteor, et non contradico bonam esse circumcisionem; sed quando? Cum legis observationem habet. *Si vero prævaricator legis fueris, circumcisio tua præputium facta est.* Non dixit, Non ultra prodest, ne videatur illam contumelia afficere; sed ubi illa Judæum denudavit, tunc demum illam impetit: quod non jam est circumcisionis contumelia, sed ejus, qui ob ignaviam illam amisit. Sicut igitur viros in dignitatibus constitutos, deinde in magnis sceleribus deprehensos, judices prius ablato dignitatum honore, tunc supplicio tradunt: sic et Paulus fecit. Cum enim dixisset, *Si autem prævaricator legis fueris,* addidit, *Circumcisio tua præputium facta est;* et cum incircumcisum ostendisset, illum sine metu damnat. 26. *Cum igitur præputium justificationes legis servat, nonne præputium ejus in circumcisionem convertetur?* Vide quid faciat: non dicit, quod præputium circumcisionem vincat; hoc enim valde molestum auditoribus esset; sed quod præputium circumcisio factum sit. Ac deinde quærit, quid sit circumcisio, quid præputium; et dicit circumcisionem esse opus bonum, et præputium rem malam: et cum prius in circumcisionem mutasset præputiatum bonis operibus instructum, et circumcisum corrupte viventem in præputium impulisset: sic victoriam dat præputiato. Nec dicit tamen, Præputiato; sed ad ipsam rem transit, sic dicens: *Nonne præputium tuum in circumcisionem convertetur?* Non dicit, Imputabitur, sed, *Convertetur,* quod majorem emphasim habet: sicut nec superius dixit, Circumcisio tua præputium reputatur, sed *Facta est.* 27. *Et judicabit quod est ex natura præputium.* Viden' illum duo nosse præputia, aliud ex natura, aliud ex voluntate? Hic vero illud, quod ex natura est, dicit, neque hic gradum sistit, sed addit: *Legem consummans, te qui per literam et circumcisionem transgressor es legis?* Vide subtilissimam ejus prudentiam. Non dicit, præputium quod ex natura est, circumcisionem judicaturum esse; verum ubi victoria erat, eo præputium introducit; ubi vero vincitur, non ultra circumcisionem victam esse dicit, sed circumcisum Judæum, cavens ne auditorem percellat. Nec dixit: Te qui legem habes et circumcisionem, sed adhuc mitius: *Te qui per literam et circumcisionem transgressor es legis;* hoc est, et circumcisionem ulciscitur tale præputium; nam illa læsa est: et auxiliatur legi; incommodum enim passa est; splendidumque erigit tropæum. Victoria enim tunc splendida est, cum non a Judæo Judæus, sed a præputiato vincitur; ut cum ait: *Viri Ninivitæ surgent, et condemnabunt generationem hanc.* (*Matth.* 12. 41). Itaque non legem inhonorat; illam enim magnopere veneratur: sed eum, qui legem contumelia afficit. Deinde postquam hæc clare probavit, fidenter definit quid sit Judæus; ostenditque non se Judæum nec circumcisionem, sed non Judæum et incircumcisum ejicere. Ac videtur quidem illam defendere, sed ejus existimationem solvit, a rei eventu calculum ferens. Ostendit enim non modo nullum esse discrimen inter Judæum et præputiatum; sed etiam superiorem esse præputiatum, si sibi attendat, eumdemque vere esse Judæum: ideo ait: 28. *Non enim qui in manifesto, Judæus est, nec quæ manifesto in carne, est circumcisio.* Hic illos perstringit, utpote qui ad ostentationem omnia facerent. 29. *Sed qui in abscondito, Judæus est; et circumcisio cordis in spiritu, non litera.*

4. His excludit corporalia omnia. Nam circumcisio in manifesto erat, necnon sabbata, sacrificia, purga-

tiones; quæ omnia uno verbo subindicavit: *Non enim qui in manifesto, Judæus est.* Verum quia circumcisionis magna ratio erat, quandoquidem ipsi sabbatum cedebat, jure pluribus circa illam extenditur. Cum dicit autem, *In spiritu*, viam præparat deinceps ad Ecclesiæ institutum, et fidem inducit: etenim illa in corde et spiritu laudem a Deo habet. Et cur non ostendit bene agentem gentilem bene agente Judæo non esse inferiorem; sed bene agentem gentilem transgressore Judæo esse meliorem? Ut indubitatam redderet victoriam. Hoc enim cum in confesso est, circumcisio carnis necessario excluditur, et ostenditur ubique esse bona vita opus. Cum enim gentilis sine his salvus sit, et Judæus cum his puniatur, cessat Judaismus. Gentilem vero dicit non idololatram, sed pium et virtute præditum, a legalibus observationibus liberum. (*Cap.* 3). 1. *Quid ergo amplius Judæo est?* Quia omnia exclusit, conciones, doctrinam, nomen Judæi, circumcisionem et cætera omnia, cum dixit, *Qui in manifesto, Judæus non est, sed qui in abscondito;* videt deinceps objectionem exsurgentem, et adversus illam stat. Quænam illa objectio? Si hæc nihil juvant, cur vocata gens fuit, cur circumcisio data? Quid ergo facit? et quomodo illam solvit? Ut superiora solvit. Sicut enim illic non illorum laudes prædicavit, sed Dei beneficia, non illorum recte facta; nam quod Judæi vocarentur, quod voluntatem Dei nossent, quod examinarent utilia, non illorum, sed Dei gratiæ opus erat: quod illis exprobrans propheta dicebat: *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis* (*Psal.* 147. 9); et Moyses rursum, *Interrogate*, inquit, *si fuit secundum verbum hoc, si audivit gens vocem Dei viventis ex medio ignis, et vixit* (*Deut.* 5. 26): hoc ipsum hic quoque facit. Sicut enim cum de circumcisione loqueretur, non dixit, Hæc circumcisio sine bona vita nihil prodest; sed, Circumcisio cum bona vita prodest, idipsum significans, sed mitius; ac rursum, *Si autem prævaricator legis fueris*, non addidit, Nihil proficis tu, qui circumcisus es; sed *Circumcisio tua præputium facta est;* et post illud rursus, *Judicabit*, inquit, *præputium non circumcisionem, sed te prævaricatorem legis*, legalibus parcens, et homines feriens: ita et hic facit. Cum enim hoc objecisset sibi, et dixisset, *Quid amplius habet Judæus?* non dixit, Nihil, sed id sermone innuit, et per sequentia hoc ipsum sustulit, ostenditque illos ob hujusmodi prærogativam plexos fuisse. Et quomodo? Ego dicam, ipsa objectione in medium adducta. *Quid enim amplius Judæo est, aut quæ utilitas circumcisionis?* 2. *Multum per omnem modum. Primo quia concredita sunt illis eloquia Dei.* Viden', ut jam dixi, illum nusquam eorum recte facta, sed Dei beneficia enumerare? Quid sibi vult illud, *Concredita sunt?* Quia illis tradita est lex, quod tanti illos fecerit Deus, ut superna illis oracula concrederet. Et scio quosdam, illud, *Concredita sunt*, non de Judæis, sed de eloquiis dictum putare; hoc est, quia commissa est lex: sed quod sequitur non permittit, ut sic intelligatur. Primo enim, accusans illos hoc dicit, et ostendens illos multa a Deo beneficia accepisse, sed ingratum valde animum exhibuisse. Deinde sequentia quoque illud indicant; nam subjungit, 3. *Quid enim, si quidam non crediderunt?* Si non crediderunt, quo pacto, dicunt quidam, ipsis concredita sunt eloquia? Quid ergo ait? Quod Deus ipsis illa crediderit: non quod ipsi verbis crediderint: nam quomodo staret id quod sequitur? *Quid, si quidam non crediderunt?* Hoc etiam ex sequentibus declaratur; adjicit enim: *Numquid incredulitas eorum iram Dei evacuabit? Absit.* Hoc igitur ipsum, quod illis concreditum est, Christi donum prædicat. Tu vero mihi etiam hic Pauli prudentiam perpende. Accusationem enim illorum rursum non a seipso inducit, sed quasi ex objectione; ac si diceret: At fortasse dices: Ecqua utilitas circumcisionis hujus? neque enim illa, ut par erat, usi sunt: concredita illis lex est, et non crediderunt. Atque interim non vehemens accusator est, sed quasi Deum a criminatione vindicans, totam illam in ipsos convertit. Cur accusas, inquit, quod non crediderint? et quid hoc ad Deum? num ejus beneficentiam subvertit illorum qui beneficia acceperunt ingratus animus? aut facit, ut honor non sit honor? Id enim indicat illud: *Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? Absit.* Ac si quis diceret: Ego illum talem honore affeci; si vero honorem ille non admisit, hinc accusandus non sum; neque id benignitatem meam lædit, sed illius stupiditatem arguit. Paulus vero non hoc solum dicit, sed longe amplius, quod non modo criminationem Deo non inferat incredulitas eorum, sed majorem ostendat ejus honorem et benignitatem, cum eum qui se inhonoraturus est honore afficit.

5. Vidistin' quomodo illos criminibus obnoxios effecerit ex iis, de quibus glorlabantur? siquidem Deus tantum illis intulit honorem, ut etsi futura prævidens, a benevolentia sua non desisteret: illi vero se honore afficientem, per ipsum illatum honorem contumelia affecerunt. Deinde quia dixit, *Quid ergo, si quidam non crediderunt?* et omnes non credidisse videntur; ne secundum historiam loquens, vehemens illorum accusator tanquam inimicus esse videatur, modo ratiocinii et syllogismi ponit id quod in rei veritate factum est, his verbis: 4. *Sit autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Id est: Non dico, quod quidam non crediderint, sed si vis, pone omnes fuisse incredulos, quod vix factum fuerat concedens, ut nec molestus nec suspectus esse videretur. Nam sic, inquit, magis justificatur Deus. Quid est, Justificatur? Si judicium statuatur et examen eorum, quæ ipse Judæis contulit et quæ Judæi ipsi retulerunt, victoria penes Deum erit, et in omnibus justus ille apparebit. Ac cum id clare ostendisset ex iis, quæ prius dicta sunt, tunc prophetam attulit his suffragantem et dicentem: *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris* (*Psal.* 50. 3). Ipse enim omnia sua fecit: illi vero neque sic meliores evasere. Deinde objectionem aliam hinc exsurgentem in medium adducit, et ait: 5. *Si autem iniquitas nostra*

Per legem enim cognitio peccati. Rursus in legem insilit, remissius tamen; neque enim id quod dicitur legem incusat, sed Judæorum ignaviam : attamen hic contendit, quia de fide loquuturus est, demonstrare legem valde infirmatam esse. Nam si de lege gloriaris, inquit, ipsa te magis pudore afficit : hæc peccata tua traducit. Verum non ita aspere loquitur, sed remisse rursus, *Per legem enim cognitio peccati.* Igitur et supplicium majus, sed a Judæis subeundum. Nam lex quidem id effecit, ut peccatum tibi pateficret; tuum erat effugere : cum vero non fugeris, majus tibi attraxisti supplicium, legisque opus viaticum tibi fuit ad majorem ultionem.

2. Postquam igitur timorem auxit, tunc ea, quæ ad gratiam spectant, inducit, multum ingerens remissionis peccatorum desiderium; atque ait : 21. *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est.* Magnum hic rem profert, multaque probatione opus habentem. Si enim ii, qui in lege vixerunt, non modo supplicium non effugerunt, sed et graviori plexi sunt, quomodo potest sine lege non modo supplicium effugi, sed etiam justitia acquiri? Duo hic summa posuit, et justificari, et sine lege hæc bona assequi. Ideo non simpliciter, Justitia, dixit : sed, *Justitia Dei;* a dignitate personæ majus ostendens donum, et promissionem impleri posse demonstrans : omnia quippe ipsi possibilia sunt. Neque dixit, Data est; sed, *Manifestata est,* innovationis accusationem resecans : nam quod manifestatum est, et vetus et absconditum fuisse declaratur. Neque hoc solum, sed etiam sequentia ostendunt hoc novum non esse. Cum enim dixisset, *Manifestata est,* subjunxit, *Testificata a lege et prophetis.* Etenim, ne quia nunc data est, inquit, neve quasi res nova et peregrina sit, turberis : jam olim enim illam et lex et prophetæ prædixerunt. Et alia quidem jam probavit hoc argumento, alia probaturus est; in superioribus Habacuc adducens dicentem : *Justus ex fide vivit* (*Rom.* 1. 17); in sequentibus vero Abrahamum et Davidem, de iisdem nos alloquentes. Magna enim apud illos harum personarum erat auctoritas : ille namque erat patriarcha et propheta, hic vero rex et propheta : ac promissiones quoque his de rebus emissæ, ad utrumque factæ fuerant. Ideoque Matthæus Evangelium ordiens, amborum primo mentionem facit, ac deinde seriem ac progenitores adducit. Cum dixisset enim, *Liber generationis Jesu Christi* (*Matth.* 1. 1); non exspectavit ut post Abraham diceret, Isaac et Jacob; sed cum Abrahamo Davidem memoravit : quodque mirabile est, ante Abrahamum Davidem posuit, ita dicens : *Filii David, filii Abraham;* et tunc cœpit enumerare Isaac, Jacob, et sequentes omnes. Quapropter apostolus hic illos frequenter versat et dicit : *Justitia autem Dei testimonium habens a lege et prophetis.* Ne quis vero diceret : Et qui fieri potest, ut cum nihil ad rem propositam contulerimus, salutem consequamur? ostendit, nos non parum ad eam rem conferre, fidem nimirum. Cum dixisset ergo : 22. *Justitia Dei,* addidit, *Per fidem, in omnes et super omnes qui credunt.* Rursus hic turbatur Judæus, nihil prærogativæ præ cæteris habens, et cum orbe toto annumeratus. Ut igitur ne hoc patiatur, illum timore rursus reprimit, addens : *Neque enim est distinctio :* 23. *omnes enim peccaverunt.* Ne mihi dixeris : Ille Græcus est, ille Scytha, ille Thrax : omnes quippe eadem conditione sunt. Etiamsi enim legem acceperis, unum tantum a lege accepisti, ut peccatum cognosceres, non ut illud fugeres. Deinde ne dicerent : Si peccavimus, at non perinde atque illi, subjunxit : *Et destituuntur a gloria Dei.* Itaque etiamsi non tantum, quantum alii, peccaveris; attamen perinde gloria privaris; es quippe ex offendentium numero; qui autem offendit, non inter glorificatos, sed inter pudore suffusos censendus est. Verum ne timeas; ideo enim hæc dixi, non ut te in desperationem conjicerem, sed ut tibi Domini benignitatem ostenderem. Quare subdidit : 24. *Justificati gratis per ejus gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu,* 25. *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus, in ostensionem justitiæ ipsius.* Vide quot probationes afferat illius, quod dictum est. Primo a dignitate personæ : non enim homo est is, qui hæc facit, ut deficiat; sed Deus qui omnia potest : *Dei est* enim *justitia,* inquit. Secundo a lege et prophetis, ne enim, quod *Absque lege* audieris, timeas : nam ipsi legi ita videtur. Tertio, a sacrificiis Veteris Testamenti : ideo namque sic dixit, *In sanguine ejus,* in mentem revocans illis oves illas et vitulos. Etsi enim brutorum cædes, inquit, peccata solvebant, multo magis hic sanguis. Nec simpliciter dixit, Liberationem, sed *Redemptionem;* ut non ultra redeamus in illam ipsam servitutem : et ideo vocat *propitiationem,* ostendens, si typus tantam vim habuerit, multo magis veritatem id præstituram esse. Ac rursus ostendens id non novum nec recens esse, ait, *Proposuit.* Et postquam dixit, *Proposuit Deus,* et ostendit Patris esse opus, idem ipsum declarat esse Filii : nam Pater proposuit, Christus vero in sanguine suo totum perfecit. 26. *In ostensionem justitiæ suæ.* Quid est, ostensio justitiæ? Ut divitiarum ostensio, quatenus non ipse solus dives sit, sed alios quoque divites reddat; et vitæ pariter, quod non ipse solus vivat, sed etiam mortuos vivificet; et potestatis, quod non ipse solum potens sit, sed etiam infirmos corroboret : sic et ostensio justitiæ est, quod non solus ipse sit justus, sed etiam alios in peccatis corruptos, statim justos faciat. Hoc igitur et ipse interpretans, subjunxit quæ sit ostensio : *Ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu.*

3. Ne itaque dubites : non enim ex operibus, sed ex fide. Neque a Dei justitia fugias : duplex enim illius bonum est, quod videlicet et leve sit, et omnibus propositum. Ne te pudeat, nec erubescas : nam si ipse hoc facere ostenditur, et ut ita dicam, ostentat se, et sibi gratulatur, quomodo tu erubescis et te occultas, in qua re Dominus tuus glorificatur? Cum ergo erexisset auditorem dicendo ea, quæ facta sunt, esse ostensionem justitiæ Dei, rursum segnem et recusantem timore ad accedendum impellit, his verbis : *Propter remissionem præcedentium peccatorum.* Viden'

quam frequenter illis peccata in memoriam revocet? superius quidem cum dicit : *Per legem enim peccati cognitio*; postea vero, *Quia omnes peccaverunt*; hic autem vehementius. Non enim dixit, Propter peccata; sed, *Propter relaxationem*, hoc est, propter mortificationem. Non enim ultra spes sanitatis erat; sed quasi corpus paralyticum superna egebat manu : sic et anima mortificata. Quodque gravius est, et quod in causa esse dicit, majorem accusationem mereri indicat. Quid illud est? Quod in tolerantia Dei illa remissio facta sit. Neque enim dicere potestis, inquit, vos non multam tolerantiam ac benignitatem nactos esse. Illud autem, *In præsenti tempore*, ejus est, qui magnam tolerantiam et humanitatem exhibuit. Cum enim in desperationem acti essemus, inquit, ac sententiæ tempus adesset, malaque aucta essent ac peccata ad cumulum ascendissent : tunc ille potestatem suam exhibuit, ut discas quanta apud illum sit justitiæ copia. Neque enim illud, si in principio factum fuisset, tam mirum ac stupendum visum fuisset, ut nunc, cum medicinæ omnis modus superatus est. 27. *Ubi igitur gloriatio? Exclusa est*, inquit. *Per quam legem? factorum? Non; sed per legem fidei*. Magnopere laborat Paulus ut ostendat, tantum valuisse fidem, quantum lex numquam vel imaginari potuit. Postquam enim dixit, quod Deus hominem justificet a fide, legem rursus assumit. Neque dicit : Ubi ergo præclara Judæorum opera? ubi justitiæ exercitium? sed, *Ubi gloriatio?* ubique ostendens illos sese magnifice jactantes, quasi quid plus haberent quam alii; sed nullum opus proferre. Ac cum dixisset : *Ubi ergo gloriatio?* non respondit : Abscessit et periit; sed, *Exclusa est:* quod extra tempus suum esse denotat; non ultra enim tempus ejus est. Ut enim adveniente judicio non ultra tempus habent ii, qui pœnitentiam agere vellent : sic sententia demum prolata, cum omnes perituri essent, illeque advenisset, qui mala illa per gratiam sublaturus erat; non ultra tempus habuerunt illi, ut emendationem ex lege faciendam obtenderent. Si enim oportuisset his se confirmare, id ante adventum ejus factum oportuit : veniente autem illo, qui per fidem servat, sublatum tandem erat certaminum tempus : utpote enim confutatis omnibus, sic per gratiam salutem dat. Quapropter nunc ille venit, ut ne dicerent, Si in principio venisset, potuisse fieri ut per legem salus obtineretur propriis laboribus et operibus. Hanc igitur illorum impudentiam cohibens, diuturno tempore distulit, ita ut postquam per omnia deprehensum esset ipsos non sibi sufficere, tunc per gratiam suam salutem illis daret. Ideo cum supra dixisset, *Ad ostensionem justitiæ*, intulit, *In præsenti tempore*. Quod si quidam contradixerint, idipsum faciunt, ac si quis post multa admissa peccata, cum non possit in judicio sese purgare, sed damnatus supplicio tradendus sit, deinde per regis gratiam dimissus, impudenter postea glorietur dicens, se nihil peccavisse. Oportuisset enim id demonstrare, antequam gratia veniret; postquam venit autem, non ultra tempus est gloriandi. Id quod etiam apud Judæos accidit. Quia enim ex se ipsi proditi erant, ideo venit, et adventu suo illorum jactantiam sustulit. Qui enim se dicit infantium præceptorem, et in lege gloriatur, ac se stultorum magistrum appellat, perinde atque illi doctore ac servatore indigens, nullam gloriandi causam habuerit. Si enim antea circumcisio præputium facta est; multo magis nunc : nam illa ab utrisque temporibus ejecta est. Cum dicit autem illam exclusam esse, ostendit quomodo id factum sit. Quomodo ergo exclusa est? *Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei.*

4. Ecce fidem appellavit legem, libenter in hisce nominibus versans, ita ut emolliat eam, quæ novitas esse videbatur. Quænam autem est fidei lex? Ut per gratiam salus obtineatur. Hic Dei potentiam ostendit, quod non solum servaverit, sed etiam justificarit, et in gloriationem deduxerit, non egens operibus, sed fidem tantum requirens. Hæc autem dicit etiam, ut credentem Judæum ad modestiam præparet, et non credentem reprimat, ita ut illum pertrahat. Nam qui salutem nactus est, si legi attendens altum sapiat, audiet, quod illa ipsi os obturet, ipsa illum accuset, ipsa ejus salutem impedierit et gloriationem excluserit : qui vero non credidit, per hæc ipsa humilis effectus, ad fidem accedere poterit. Vidistin' quanta fidei vis? quomodo a prioribus removerit, in illis gloriari non sinens? 28. *Arbitramur ergo per fidem justificari hominem sine operibus legis*. Ubi ostendit eos a fide, sine operibus legis, Judæis esse superiores; tunc demum cum multa fiducia circa illam edisserit, et ei, quod hic turbare videbatur, medelam affert. Etenim hæc duo Judæos turbabant; unum quidem, si ii qui cum operibus servati non fuerant, possent sine operibus servari; aliud vero, si justum esset præputiatos iisdem ipsis frui, queis ii, qui tanto tempore in lege enutriti erant; id quod longe magis illos turbabat, quam prior illa difficultas. Ideo postquam illud probaverat, ad hoc demum procedit : quod sic Judæos turbabat, ut post acceptam fidem Petrum hac de causa incusarent, ob Cornelium et ea quæ ad ipsum spectabant. Quid ergo ait? *Arbitramur ergo fide justificari hominem sine operibus legis*. Non dixit, Judæum, vel eum qui sub lege esset; sed orationem in latius spatium educens, et orbi salutis portas aperiens, dicit, *Hominem*, commune naturæ nomen usurpans. Deinde occasione hinc sumpta, non positam objectionem solvit. Quia enim verisimile erat Judæos, omnem hominem a fide justificari audientes, id ægre ferre et hinc offendi, adjecit : 29. *Num Judæorum Deus tantum?* ac si diceret : Cur enim hoc tibi absurdum esse videtur, quod omnis homo salutem consequatur? num Deus parti uni tantum favet? hinc ostendens illos, dum gentibus molesti esse volunt, Dei gloriam potius labefactare, si non sinunt illum omnium esse Deum. Si autem omnium Deus est, omnibus etiam providet : si omnibus providet, omnes similiter per fidem servat; ideo ait : *Num Judæorum Deus tantum? nonne gentium? imo et gentium.* Non est enim partim Deus, ut Græcorum fabulæ ferunt, sed

communis omnium et unus; ideo subjungit: 30. *Quoniam unus est Deus.* Hoc est, idem ipse et horum et illorum Dominus.

Providentia communis omnibus. — Si autem vetera mihi dicis, tunc quoque providentia communis erat, etsi diverso modo: etenim tibi lex scripta data fuit, illis vero lex naturalis; et hi nihil minus habebant, si voluissent, sed vincere poterant: quare idipsum subindicans, adjecit: *Qui justificabit circumcisionem ex fide, et præputium per fidem;* priora de præputio et circumcisione dicta illis in mentem revocans, queis demonstravit nullam esse differentiam. Quod si tunc nulla erat differentia, multo magis nunc: id quod clarius jam probans, ostendit utrumque similiter fide opus habere. 31. *Legem ergo,* inquit, *destruimus per fidem? Absit, imo legem statuimus.* Viden' prudentiam variam et ineffabilem? Nam eo ipso, quod dicit, *Statuimus,* ostendit eam non stare, sed solutam esse. Et vide quanta sit Pauli virtus et vis ingenii, et cum quanta facilitate ea quæ vult probet. Hic enim ostendit fidem non modo a lege non labefactari, sed etiam ab illa juvari, atque etiam legem fidei viam parare. Sicut enim lex prævertens fidei testificata est (nam ait, *Testificata a lege et prophetis*): sic et fides legem deficientem stabilivit. Et quomodo, inquies, stabilivit? quodnam erat legis opus, et cur omnia faciebat? Ut hominem justum faceret. Verum lex id non potuit: nam, *Omnes peccaverunt,* inquit; fides autem veniens id præstitit; simul enim ut quis credidit justificatus est. Igitur legis voluntatem stabilivit, et id cujus causa omnia lex faciebat, gratia ad finem deduxit. Non ergo illam abrogavit, sed perfectam reddidit. Tria igitur hic demonstravit, et quod sine lege possit homo justificari, et quod id lex non potuerit, quodque fides cum lege non pugnet. Quia enim hoc maxime Judæos turbabat, quod fides legi contraria videretur, plus ostendit, quam Judæus vellet, quod non modo non sit contraria, sed etiam cum illa pugnet et cooperetur; quod maxime illi cupiebant audire.

5. *Caritas mater bonorum omnium. Contra invidiam.* — Sed quia post gratiam hanc, per quam justificati sumus, bona vita opus est, dignum dono tanto studium exhibeamus: exhibebimus autem si matrem bonorum omnium caritatem cum magna diligentia servemus. Est autem caritas non nuda verba et salutationes, sed præsidium et exhibitio operum; verbi gratia, paupertatem solari, ægris opitulari, a periculis liberare, in calamitate versantibus adesse, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus: nam et hoc ex caritate proficiscitur: etsi parvum quid videatur esse, gaudere cum gaudentibus, magnum id certe est, et animi philosophi opus. Multosque invenias, qui, quod molestius est, probe faciant, sed hoc lenius officium vix præstent. Multi namque flent cum flentibus, nec gaudere volunt cum gaudentibus, sed aliis gaudentibus lacrymantur; id quod ex invidia et livore proficiscitur. Non parvum ergo officium est, fratre gaudente gaudere, sed et altero præstantius, non tantum illo officio flendi cum flentibus, sed etiam illo alio, quo fratres in periculo constitutos juvamus. Multi namque cum periclitantibus periculum subeunt, sed fratribus prospere agentibus mordentur et cruciantur: tanta est invidiæ tyrannis: licet illud cum labore et sudore perficiatur, hoc autem ex proposito et ex sola voluntate proficiscatur. Sed multi quod molestius est ferentes, quod facilius, non perficiunt, sed tabescunt et pereunt, cum vident alios clare et prospere agentes; cum Ecclesiam cernunt totam aut verbo aut alio quodam modo juvari et rem bene gerere: quo quid deterius fuerit? Neque enim cum fratre tantum, sed etiam cum voluntate Dei pugnat qui talis est. Hoc ergo considerans, compesce morbum hunc; et si non proximum vis, saltem teipsum a sexcentis erue malis. Cur bellum infers in cogitationes tuas? cur tumultu animam reples? cur tempestatem excitas, et res sus deque vertis? quomodo sic affectus peccatorum veniam petere valebis? Nam si Deus peccata non remittit iis, qui sibi illatas injurias non remittunt, quam veniam dabit iis, qui nihil se lædentibus damna inferre conantur? Illud certe extremæ nequitiæ argumentum est; qui tales sunt, cum diabolo Ecclesiam oppugnant. Fortasse vero etiam longe deterius malum est: a diabolo enim cavere possumus; hi autem amicitiæ larvam ferunt clam ignem succendunt, seque primos in caminum injiciunt, et morbo premuntur, qui non modo misericordiam movere nequeat, sed etiam multum risum excitet. Cur pallescis, quæso, tremis, et formidolosus es? quid mali accidit? quod clarus frater sit, quod splendidus et probatus? Atqui te coronam assumere oportebat, gaudere, Deo gloriam referre, quod membrum tuum splendidum et illustre sit: sed doles, quod Deus glorificetur. Viden' quo tendat bellum? At non doleo, inquies, quod Deus, sed quod frater gloria afficiatur. Verum per hunc ad Deum gloria ascendit; proinde et bellum a te exortum. At non hoc mihi displicet, inquies, sed per me vellem Deus gloria affici. Ergo gaude florente fratre, et per te Deus glorificabitur, omnesque dicent, Benedictus Deus, qui tales habet famulos, invidia omni liberos, qui de aliorum bonis mutuo gaudent. Et quid dico fratrem? Si enim inimicus esset et hostis, ac Deus per illum glorificaretur, ob id amicum illum tibi facere oporteret. Tu vero amicum facis tibi inimicum, quia Deus per illius clara gesta glorificatur. Si quis corpus tuum ægrum curaverit, etsi inimicus fuerit, inter præcipuos amicos illum postea habebis: illum vero qui corpus Christi, id est Ecclesiam, ornat, amicum tibi, inimicum ideo reputas? Et quomodo possis clarius contra Christum bellum suscipere? Ideo etsi quis miracula patret, etsi virginitatem et jejunia servet, humi cubet, et sic ob virtutem ad angelos usque perveniat; si hoc vitio laboret, omnium scelestissimus erit, et mœcho, fornicatore, fure, sepulcrorum effossore pejor.

6. Et ne quis me damnet, quod rem ultra modum tollam, illud libens vos interrogaverim: Si q

ignem et ligonem tenens, hanc ædem incenderet aramque suffoderet, annon ut sacrilegus et scelestus lapidibus obrueretur? Quid vero, si quis flammam ferat hoc igne voraciorem, invidiam dico, quæ non ædificia diruit, non auream aram suffodit, sed quod et parietibus et ara longe pretiosius est, doctorum ædificium subvertit et pessumdat; qua ille venia dignus erit? Ne mihi quis dixerit, quod sæpe conatus non potuerit : nam a voluntate res judicantur : quandoquidem Saül quoque Davidem interfecit, etiamsi rem non perfecerit. Annon cogitas, quæso, te ovibus Christi insidiari, quando cum pastore pugnas, ovibus, inquam, pro quibus sanguinem suum Christus effudit, ut omnia nos facere et pati jussit? non recordaris quod Dominus tuus gloriam tuam quæsierit, non suam? Tu vero non illius gloriam, sed tuam quæris. Atqui si illius gloriam quæreres, tunc tuam consequereris : dum vero illa posthabita tuam quæris, numquam hanc assequeris. Quænam erit hujus morbi medela? Conjunctim omnes precemur, unamque pro illis emittamus vocem, quasi pro energumenis. Nam hi miserabilius affecti sunt quam illi, quia furor ille ex proposito manat : precatione quippe opus habet hic morbus, et multa supplicatione. Nam si is, qui fratrem non amat, si pecunias effundat, si martyrio illustretur, nihil magis proficit : qui bellum infert ei, qui nihil sibi mali intulit, cogita quanto sit supplicio dignus. Hic gentilibus deterior est. Nam si, cum nos amantes diligimus, nihil plus habemus, quam illi : qui amantibus se invidet, quo, quæso, in loco erit?

Invidia bello perniciosior. — Bello namque perniciosior est invidia. Nam qui bellum gerit, causa belli sublata, inimicitiam deponit; invidus autem numquam possit amicus esse. ille quidem manifesto bello impetit, hic occulto : ille causas multas et probabiles suscepti belli proferre potest; hic nonnisi furorem et satanicam voluntatem. Cui ergo talem animam comparaveris? cui viperæ? cui aspidi? cui vermi? cui cantharo? Nihil enim scelestius, nihil deterius hujusmodi anima. Hoc enim, hoc, inquam, Ecclesias subvertit, hoc hæreses peperit, hoc fraternam armavit manum et effecit ut in sanguine justi dextera mergeretur, legesque naturæ pessumdedit, et morti portas aperuit, ac maledictionem illam ad opus deduxit; nec permisit ut infelix ille recordaretur partus sui neque parentum neque alterius cujusquam; et tanto furoris insaniæque œstro movit, ut hortante Deo ac dicente : *Ad te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius* (*Gen.* 4. 7), ne sic quidem cederet. Atqui et crimen illi remisit, et fratrem ipsi subjecit : verum ita insanabilis est hic morbus, ut etiam mille adhibitis pharmacis, saniem semper emittat. Cur enim doles, o omnium miserrime? quod honoratus sit Deus? At hoc est animi satanici. An quod frater admodum acceptus fuerit? Sed licet tibi eum superare. Itaque si vincere velis, ne occidas, ne de medio tollas; sed sine manere, ut certaminis occasio servetur, et viventem supera : sic enim splendida tibi corona futura est : nunc autem si occidas, majorem contra te calculum feres, quam si victus esses. At nihil horum invidia novit. Cur autem gloriam amas in tanta solitudine? ipsi namque soli tunc terram habitabant. At nihil horum ipsum cohibuit; sed omnibus ex animo rejectis, cum diabolo stetit et aciem instruxit : nam ille tunc dux erat cum Caino. Quia enim non sufficiebat illi, quod homo mortalis esset effectus, ex mortis etiam modo majorem tragœdiam efficere tentabat, et persuasit illi ut fratrem occideret. Festinabat enim et desiderabat videre sententiam in opus deductam, qui numquam nostris satiatur malis. Ac si quis inimicum vinctum habens, et sententia damnatum ad mortem videns, antequam ex urbe exeat, festinet ut illum intus mortuum videat, nec congruens tempus exspectet : sic et diabolus tunc : etsi audisset hominem in pulverem esse reversurum, cupiebat aliquid amplius videre, filium nempe ante patrem morientem, et fratrem occidentem fratrem suum, immaturam rem et violentam mortem.

7. Viden' ad quantas res inservierit invidia? quomodo insatiabilem diaboli animum impleverit, tantamque illi mensam apposuerit, quantam illi videre cupiebat? Fugiamus ergo hunc morbum. Non possumus enim, non possumus utique ignem illum effugere paratum diabolo, nisi ab hac ægritudine liberemur : liberabimur autem, si cogitemus quantum Christus nos amaverit, qui præcepit ut nos invicem diligeremus. Quo igitur modo nos amavit? Pretiosum sanguinem suum dedit pro nobis inimicis, qui ipsi ingentes intuleramus injurias. Ita et tu facito erga fratrem tuum : ideo dicit ille, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos* (*Joan.* 13. 34). Imo vero non in his ille terminis consistit : ipse namque pro inimicis hoc fecit. Sed non vis sanguinem tuum dare pro fratre? Cur ergo etiam ejus sanguinem effundis, præceptum ex diametro violans? Etiamsi ipse Christus non ex debito hoc fecerit, tu vero si facias, debitum imples : quando et ille cum decem millia talenta accepisset, centum denarios exigens, non ideo solum punitus fuerit, quod exigeret, sed etiam quod ex accepto beneficio non melior evaserit, quodque cum dominus suus cœpisset, ille debitum non remiserit : nam debitum erat illud a servo præstitum, si modo præstitum fuisset. Etenim quæcumque facimus, debitum implentes facimus. Ideo et ipse dicebat : *Cum omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus : quæ enim debuimus facere, fecimus* (*Luc.* 17. 10). Licet ergo caritatem exhibeamus, licet pecunias egentibus erogemus, debitum implemus : non modo, quod ille prior beneficia conferre cœperit, sed quod nos quæ ipsius sunt distribuamus, si erogemus. Cur igitur te illis privas, quorum ille te dominum esse vult? Ideo enim te jussit illa dare alteri, ut tu illa possideas. Donec enim illa retines, nec tu ipse habes : cum vero das alteri, tunc ipsa recepisti. Num quidquam est, quod hunc amorem exæquare possit? Ipse sanguinem pro inimicis effudit, nos vero ne pecunias quidem pro benefactore : ipse sanguinem suum, nos neque pecunias, quæ nostræ non

sunt: ipse ante nos, nos autem nec post ipsum; ipse pro salute nostra, nos nec pro nostra utilitate; neque enim illi quidquam accedit ex nostra benignitate; sed lucrum totum ad nos revertitur. Ideo jubemur illa dare, ne ab illis excidamus. Sicut enim cum quispiam argentum dat puerulo, jubet illum accurate servare, vel famulo tradere custodiendum, ut ne cuilibet volenti liceat abripere: sic et Deus facit. Da egenti, inquit, ut ne quis illa a te auferat, aut sycophanta, aut diabolus, aut fur, aut post omnes mors. Donec eas detines, non tuto detines; si autem illas mihi per pauperes dederis, ego tibi omnia accurate custodiam, et opportuno tempore tibi illas magno cum fœnore restituam. Non enim ut auferam accipio, sed ut augeam et tuto custodiam et tibi ad illud usque tempus asservem, quo nullus erit, qui fœnori det, nec qui misericordia moveatur. Quid immanius est nobis, qui post tot promissiones, ne quidem ipsi mutuo dare volumus? Ideo deserti, nudi et pauperes ad ipsum migramus, ea quæ nobis concredita sunt non habentes, quia non illa apud eum, qui accuratius omnibus servat, deposuimus. Ideoque extremas dabimus pœnas. Quid enim accusati dicere poterimus pro pernicie vitanda? Quam defensionem afferre, quam purgationem? Cur enim non dedisti? diffidis te rursus eas accepturum? Qui id ratione constare possit? qui enim dat ei, qui non dedit, quanto magis dabit cum acceperit? Verum earum te aspectus delectat? Ergo multo magis ideo largire, ut illic magis delecteris, cum nemo illas auferre poterit; cum contra, si nunc retineas, innumera passurus sis mala. Nam velut canis diabolus in divites insilit, ac si cibum aut placentam velit de manu puelli abripere. Demus itaque illa patri. Quod si id viderit diabolus, statim aufugiet: illo autem recedente, tunc tibi pater illa omnia tuto dabit, cum non poterit ille turbas dare in futuro sæculo. Nunc vero a puerulis, quibus catelli infesti sunt, nihil differunt divites, omnibus circa illos latrantibus, discerpentibus, trahentibus, non hominibus tantum, sed etiam affectibus, gula, ebrietate, adulatione, lascivia omni. Jam si quid mutuo dare velimus, diligenter exploramus eos, qui multum dare parati et grati animi sint. Hic vero secus facimus: Deo namque relicto liberalissimo, qui non centesimam (a), sed centuplum dat, eos requirimus, qui ne sortem quidem reddant.

8. Quid enim nobis reddet venter, qui maximam absumit partem? Stercus ac corruptionem. Quid vana gloria? Invidiam et livorem. Quid parcimonia? Curam et sollicitudinem. Quid lascivia? Gehennam et vermem venenatum. Hi sunt divitum debitores, qui de ipsa sorte hæc nobis fœnora solvent, præsentia damna et futura mala. Hisne, quæso, fœnori dabimus, tantum supplicium relaturis, et Christo non credemus, qui cælum offert et immortalem vitam, arcana illa bona? et quam habebimus defensionem? Cur enim non das reddituro et plurima reddituro? Fortasse quia post multum temporis redditurus est? Atqui et in hac quoque vita dat; mentiri enim nequit ille qui dicit: *Quærite regnum cælorum, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* 6. 33). Viden' liberalitatem ingentem? Illa, inquit, tibi asserventur, nec minuentur; hæc vero præsentia quasi additamentum adjicio. Ad hæc diuturnitas exspectationis auget tibi divitias; nam crescit fœnus. Apud fœneratores enim id fieri videmus, qui libentius illis commodant, qui post diuturnum tempus soluturi sunt. Nam qui statim sortem reddit, fœnoris cursum intercipit: qui vero diuturnius retinet, quæstum majorem efficit. Itane apud homines moram non ægre ferimus, sed majorem fieri curamus, et apud Deum ita pusillanimes erimus, ut ideo segnes simus et tergiversemur; etsi, ut dixi, et hic det ea, qua dixi, de causa et aliud quiddam majus præparans in cælo totum recondat? Magnitudo quippe doni, et pulchritudo ejus, vitæ præsentis vilitatem longe superat. Non enim fieri potest, ut in mortali et fluxo corpore immarcescibiles illæ coronæ accipiantur, neque in hac præsenti et tumultu plena vita, mutationibusque plurimis obnoxia, immota illa stabilisque sors obtineri potest. Jam vero si quis tibi in aliena terra degenti, ubi nullos haberes famulos, neque posses in patriam quid transferre, fœnora dare polliceretur, obnixe precareris, ne id tibi in peregrina terra, sed domi reverso numeraret; bona vero illa spiritualia et arcana hic vis recipere? et quanta isthæc amentia? Nam si hic accipis, mortalia prorsus accipis; si vero tempus illud exspectes, incorruptibilia et non fluxa dabit tibi: si hic accipias, plumbum accepisti; si illic, aurum probatum. Verum neque præsentibus bonis te privavit. Post illam enim promissionem, aliam addidit sic dicens: Quisquis cælestia amat, centuplum recipiet in hoc sæculo, et vitam æternam possidebit (*Matth.* 19. 29).

Non doni magnitudo, sed animus spectatur.—Si vero centuplum non accipimus, nos in causa sumus, qui non mutuo damus ei, qui tantum dare potest: quotquot enim dederunt, tot tantaque receperunt, licet pauca dederint. Quid enim magni, quæso, dedit Petrus? nonne rete scissum, et calamum et hamum? Sed tamen Deus ipsi universi orbis domos aperuit, terram et mare expandit et omnes illum ad sua evocabant; imo sua vendentes ad illius pedes afferebant, non ad manus conjicientes (neque enim audebant), tantum illi cum munificentia honorem tribuentes. Sed ille Petrus erat, inquies. Et quid hoc, o homo? Neque enim Petro tantum hæc pollicitus est; neque dixit, Tu vero, Petre, centuplum recipies solus, sed, *Quicumque reliquerit domum, vel fratres, centuplum recipiet.* Neque enim personarum differentiam ille novit, sed rerum merita. At me, inquies, liberorum chorus circumsistit, cupioque illos divites relinquere. Cur ergo illos pauperes reddis? Si enim illis omnia reliqueris, non tutæ custodiæ tua omnia committis; si vero Deum constituas ipsorum coheredem et curatorem, infinitos illis thesauros relinquis. Sicut enim cum nos ipsos ulciscimur, Deus nos non defendit; cum vero nos ipsi committimus, plus quam exspecta-

(a) Centesima, ut alibi diximus, usuræ genus erat, quo singulis mensibus centesima pars sortis solvebatur.

bamus accipimus : sic et in pecuniis accidit : si nos illas curemus, desinet ipse illarum curam habere ; si in illum totas conjiciamus, et ipsas et filios in omni securitate constituet. Ecquid miraris, si id in Deo usu veniat, cum apud homines idipsum videas? Nam si moriens propinquorum neminem liberorum curatorem advoces ; pudore et verecundia plerumque detinetur is, qui admodum cupit in tutelam illam involare : sin autem in illum curam hujusmodi rejeceris, utpote maximo cultus honore, maximam et ipse reddet vicem.

9. *Qualis hæreditas filiis relinquenda. Divitiarum quis usus bonus.* — Si vis ergo liberis divitias multas relinquere, Dei providentiam illis relinquito. Qui enim, nihil te agente, animam tibi dedit et corpus efformavit, vitamque largitus est ; cum videbit te tantam liberalitatem exhibere, et bona cum filiis ipsi tradere : annon illis divitias omnes aperiet? Si enim Helias modica farina nutritus, quia vidit mulierem illam ipsum filiis suis prætulisse, arcas et torcularia in domuncula viduæ exhibuit ; cogita quantam tibi Heliæ Dominus benevolentiam exhibiturus est. Ne igitur illud spectemus, quo pacto filios divites relinquemus, sed quomodo virtute præditos. Nam si illi in divitiis confidant, nihil aliud curabunt, utpote qui morum improbitatem sub pecuniarum copia quasi sub umbra tegere possint : si autem viderint se opum solatio destitutos, nihil non agent, ut ex virtute multam sibi in paupertate consolationem pariant. Ne igitur opes illis relinquas, ut relinquas virtutem. Nam extremæ dementiæ fuerit dum vivimus nullum ipsis tradere facultatum omnium dominium, et post mortem nostram juventuti multam parare licentiam. Atqui, dum vivimus, possumus ab illis rationes repetere, et male facultatibus usos emendare frenareque ; post mortem vero, si illi, nobis vita functis, juventuti divitias reliquerimus, in sexcenta præcipitia miseros impellimus, ignem in ignem conjicientes, et in caminum ardentem oleum infundentes. Itaque si vis illos sine periculo divites relinquere, relinque ipsis debitorem Deum, ipsique trade chirographum. Illi namque si pecunias accipiant, cui tradant nescient, et in multos incident sycophantas atque ingratos : si vero tu prævertens illa Deo mutuo dederis, tutus manebit thesaurus, ac multa cum facilitate reddetur. Etenim gratiam nobis habet Deus, cum debitum reddit, ac fœneratores suos libentius quam eos, qui non fœnerati sunt, videt, eosque maxime diligit, quibus maxime debet. Itaque si vis illum perpetuo amicum habere, multorum illum debitorem constitue. Neque enim ita gaudet fœnerator, qui debitores habet, ut lætatur Christus de fœneratoribus suis : ab illis aufugit, quibus nihil debet ; ad illos accurrit, quorum debitor est. Nihil ergo non agamus, ut illum habeamus debitorem : hoc enim tempus, fœnorum tempus est, et nunc illa in usu sunt. Si ergo nunc illi non dederis, post tuum ex hac vita exitum te opus non habebit. Hic enim sitit, hic esurit ; sitit salutem tuam ; ideoque mendicat, ideo nudus circuit, ut tibi vitam immortalem negotietur. Ne itaque illum despicias : non enim ali vult, sed alere ; non indui, sed induere, et aureum illud vestimentum tibi parare, stolam regiam. Non vides medicorum studiosiores, cum ægrotos lavant, et ipsos quoque lavari, etsi lotione non egeant? Sic et ipse propter te laborantem nihil non agit. Ideo a te nulla cum violentia exigit, ut tibi copiosius retribuat ; ut discas illum non opus habentem postulare, sed ut necessitati tuæ provideat. Ideo vili in habitu te adit, et dexteram extendit : si obolum des, non aversatur ; si contemnas, non abscedit, sed rursus se admovet : amat enim valde, amat certe salutem nostram. Pecunias ergo contemnamus, ut ne a Christo contemnamur : pecunias contemnamus, ut et ipsas pecunias assequamur. Nam si illas hic servemus, illas omnino et hic et illic perdimus ; si distribuamus liberaliter, in utraque vita multa fruemur opulentia. Qui vult ergo dives fieri, sit pauper, ut fiat dives ; expendat, ut colligat ; spargat, ut congreget. Si autem hæc nova et inexspectata sunt ; serentem respice, et tecum reputa, non posse illum alio modo plura colligere nisi quæ habet spargat, et quæ parata habet effundat. Seramus itaque et nos, et cælum ut agrum colamus, ut cum multa copia metamus et æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Cap. 4. v. 1. *Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? 2. Nam si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.*

1. Postquam dixerat, quod mundus obnoxius factus sit Deo, quod omnes peccaverint, et quod non possit salus obtineri aliunde, quam per fidem ; probare studet salutem illam non dedecoris, sed gloriæ causam esse, et majoris ea, quæ per opera acquiritur. Quia enim cum dedecore quopiam salutem consequi aliquam affert tristitiam, hanc quoque deinceps suspicionem tollit ; quamquam et hoc jam subindicavit, cum illam vocavit, non salutem modo, sed et justitiam : *Justitia enim Dei*, inquit, *in ipso revelatur* (*Rom.* 1. 17). Qui enim ita servatur, ut justus cum fiducia salvus est. Nec justitiam solum dicit, sed et ostensionem Dei : Deus enim in gloriosis ostenditur, in splendidis et magnis. Cæterum etiam ex propositis hoc probat, per interrogationem disserere pergens; uti semper solet facere tum perspicuitatis causa, tum quod dictis confidat. Nam ita fecit et supra, dicens : *Quid igitur amplius habet Judæus?* et, *Quid igitur amplius habemus?* ac rursum, *Ubi gloriatio? Exclusa est ;* et hic, *Quid igitur dicemus Abraham pa-*

trem nostrum? Quia enim Judæi hoc sus deque versabant, quod patriarcha et Dei amicus circumcisionem prius accepisset, vult ostendere ipsum quoque ex fide justificatum esse: quod magnæ victoriæ exuberantia erat. Quod enim aliquis sine operibus ex fide justificetur, non absimile vero est: quod vero in recte factis eximius, non hinc, sed ex fide fiat justus, illud mirabile est, et fidei vim demonstrat. Quare aliis prætermissis omnibus, in hunc sermonem convertit, patrem vero illum secundum carnem vocavit, ejiciens illos ex germana ejus cognatione, et viam parans gentibus ad propinquitatem cum illo habendam. Deinde ait: *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Cum dixisset igitur, quod Deus circumcisionem ex fide justificet, et præputium item per fidem, et cum illud in præmissis sufficienter probasset; per ipsum quoque Abraham melius illud demonstrat, quam promiserat, et quamdam efficit pugnam inter fidem et opera, totumque certamen circa ipsum justum statuit; nec sine causa. Ideo etiam magnopere honorat illum, progenitorem vocans, necessitatemque illis imponens ut in omnibus ipsi obtemperent. Ne mihi, ait, Judæum dixeris, neve hunc vel illum in medium adducas: ego enim ad ipsum fastigium, et unde initium accepit ipsa circumcisio, ascendo. *Si enim Abraham ex operibus justificatus est*, inquit, *habet gloriam, sed non apud Deum.* Obscurum est dictum illud; ideoque necessarium est ipsum clarius reddere. Duæ enim sunt gloriationes, alia ab operibus, alia a fide. Cum dicit ergo, *Si ex operibus justificatus est, habet gloriam*, sive gloriationem, *sed non apud Deum*, ostendit illum etiam a fide posse gloriationem habere, et multo majorem. Magna enim Pauli vis in hoc maxime ostenditur, quod in contrariam partem rem propositam verterit, ita ut quod salus illa per opera habet, ut glorietur et fidenter agat, id longe magis fidem habere ostendat. Nam qui in operibus gloriatur, labores suos proferre potest; qui autem sibi gratulatur, quod Deo credat, multo majorem gloriandi ansam ostendit, utpote qui Dominum glorificet et magnificet. Quæ enim non dictavit rerum visibilium natura, a fide in Deum accipiens, sinceram etiam erga eum caritatem exhibuit, et splendidam ejus potentiam prædicavit. Illud vero generosissimi est animi, philosophicæ sententiæ, mentisque sublimis. Nam non furari, non occidere, vulgarium hominum est; credere vero quod impossibilia possit Deus, magno admodum animo eget, et erga ipsum optime affecto: etenim germanæ caritatis hoc signum est. Deum certe colit qui præcepta implet; multoque magis hic, qui per fidem philosophatur. Ille quidem ipsi obedivit; hic vero convenientem de illo opinionem accepit, et magis quam per operum ostensionem ipsum glorificavit et admiratus est. Illa ergo gloriatio recte operantis est; hæc vero Deum glorificat, totaque ipsius est. Gloriatur enim, quod magna de illo concipiat, quod in illius gloriam transit. Ideo ait illum habere gloriationem in Deo: non hac vero solum, sed et alia de causa. Gloriatur enim rursum fidelis, non modo quod Deum sincere amet, sed quod magno ejus honore et amore fruatur. Sicut enim ipse illum amavit, magna de illo imaginatus (hoc enim amoris argumentum est): sic et Deus illum amavit sexcentis peccatis obnoxium, nec modo a supplicio liberavit, sed etiam justum effecit. Habet igitur gloriandi causam, utpote qui magna dilectione dignatus sit. 3. *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum meritum.* Ergo, inquies, hoc majus est? Nequaquam: nam et credenti imputatur; non imputaretur autem, nisi ipse aliquid attulisset.

2. Itaque hic etiam debitorem habet Deum, nec vulgarium rerum debitorem, sed magnarum et sublimium. Postquam enim ostendit illius animi sublimitatem et spiritualem mentem, non simpliciter dixit, Credenti, sed, 5. *Credenti in eum qui justificat impium.* Imputatur fides ipsius in justitiam. Cogita enim quantum hoc sit, credere et certiorem fieri, quod possit Deus eum, qui in impietate vixerit, repente non a supplicio tantum liberare, sed etiam justum facere, et immortalibus illis dignari honoribus. Ne itaque putes hunc minorem esse, quoniam illi non secundum gratiam imputatur. Hoc enim ipsum facit ut fidelis sit splendidus, quod tanta fruatur gratia, quod tantam exhibeat fidem. Et vide majorem quoque retributionem. Illi enim merces datur, huic vero justitia: multo autem major est justitia mercede: multas quippe complectitur justitia mercedes. Cum ergo ex Abrahamo hoc ostendisset, Davidem deinde inducit dictis adstipulantem. Quid ergo dicit David, et quem beatum prædicat? eumne qui in operibus gloriatur, an eum qui gratiam accepit, ac qui remissionem et donum sortitus est? Beatitudinem cum dico, culmen bonorum omnium dico. Sicut enim mercede major est justitia, sic justitia major est beatitudo. Cum ostendisset ergo justitiam majorem esse, non quod Abraham illam acceperit tantum, sed etiam a ratiociniis (*Habet enim gloriationem*, inquit, *sed non apud Deum*); alio etiam modo illam honorabiliorem demonstrat, Davidem adducens ipsi suffragantem: Nam hic, inquit, eum qui ita justificatus est beatum prædicat his verbis: 7. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates* (*Psal.* 31. 1). Ac videtur quidem non congruens testimonium proferre: neque enim dixit, Beati quorum fides in justitiam reputata est: id quod ille prudens facit, non ignorans, ut majorem ostendat hyperbolen. Si enim beatus est hic, qui remissionem accepit per gratiam; multo magis qui justificatus est, qui fidem exhibuit. Ubi autem beatificatio est, dedecus omne sublatum est, et magna est gloria: nam beatificatio augmentum est et mercedis et gloriæ. Quapropter id, in quo ille præstat, non scripto exprimit cum dicit: *Ei enim, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam*; illud vero, in quo fidelis præcellit, ex scripto testimonio probat dicens: *Sicut dixit David: Beati, quo*

rum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. Quid enim dicit, inquies, quod non secundum debitum, sed secundum gratiam remissionem accipias? Sed ecce, hic est qui beatificatur : non beatum dixisset autem, nisi illum videret gloria frui multa. Nec dicit, Remissio autem hæc in circumcisionem; sed quid? 9. *Beatitudo autem hæc* (quod majus est) *in circumcisionem, an in præputium?* Quæritur enim deinceps, utrum hoc bonum et magnum cum circumcisione an cum præputio consistat. Et vide hyperbolen : ostendit enim illud non solum non a præputio removeri, sed libenter cum illo consistere ante circumcisionem. Quandoquidem qui beatum dicit, nempe David, circumcisus erat, et circumcisus disserebat, vide quam studuerit Paulus dictum illud ad præputiatum ducere. Cum enim justitiæ beatificationem junxisset, ostendissetque utrumque unum esse; quærit quomodo justificatus sit Abraham. Si enim beatitudo justi est, et Abraham justificatus est, videamus quomodo justificatus sit, an cum præputiatus, an cum circumcisus esset. Cum præputiatus, inquit. 10. *Quomodo ergo reputatum est ei? circumcisione an præputiato? Non circumciso, sed præputiato: dicimus, enim, quod imputata est Abrahæ fides in justitiam.* Superius ex Scriptura loquutus (*Quid enim ait Scriptura? dicit : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi in justitiam*), hic loquentium quoque judicium assumit, et ostendit in præputio justitiam exstitisse. Deinde hinc objectionem aliam insurgentem solvit : Si enim præputiatus cum esset, inquit, justificatus est, cur circumcisio introgressa est? 11. *Signum accepit*, inquit, *et signaculum justitiæ, quæ est per fidem, quæ cum præputiatus esset, inerat ipsi.* Vidistin' ut ostenderit Judæos quasi in parasitorum ordine esse, vel ipsos præputiatos ipsis adjectos fuisse? Si enim ille præputiatus justificatus est et coronatus, posteaque circumcisionem accepit, postremoque Judæi introgressi sunt : ergo præputiatorum primo pater est Abraham, eorum, inquam, qui per fidem cognati ejus sunt, et tunc eorum, qui in circumcisione erant : duplex enim est progenitor. Vidistin' fidem splendentem? Donec enim illa accessit, patriarcha ille non justificatus est. Vidistin' præputium impedimentum non afferre? Nam ille præputiatus erat, nec impedivit illud quominus justificaretur. Fide ergo posterior est circumcisio.

3. Et quid miraris, si fide posterior sit circumcisio, quando et præputio quoque? Nec posterior tantum est fide, sed etiam admodum inferior, et tanto inferior, quanto signum re significata inferius est : verbi gratia, quanto insigne militis inferius est milite. Cur, inquies, signaculo egebat? Non ipse egebat. Cur ergo illud accepit? Ut esset pater communis credentium per præputium, et eorum qui in circumcisione erant; sed non simpliciter eorum, qui in circumcisione; ideo subjungit, *Non iis tantum, qui ex circumcisione.* Si enim præputiatorum, non quia præputiatus erat, ideo pater est, etsi in præputio justificatus, sed quia illi fidem ejus sunt æmulati : multo minus circumcisorum, licet circumcisus sit, progenitor erit, nisi fides accesserit. Circumcisionem enim accepit, inquit, ut utrique illum haberemus progenitorem, nec præputiati circumcisos expellant. Vide quomodo illi ipsum progenitorem primi habuerint. Si autem veneranda circumcisio est, quia justitiam prædicat, non parvam præputium prærogativam habet, quod ante circumcisionem acceperit fidem. Tunc illum poteris progenitorem habere, cum in fidei vestigiis incedes, neque contendes vel tumultuaberis legem introducens. Quam, quæso, fidem dicis? 12. *Quæ est in præputio.* Rursus Judæorum fastum reprimit, justitiæ tempus in memoriam revocans. Et bene dixit, *Vestigiis*, ut perinde atque ille credas in resurrectionem corporum mortuorum. Etenim ille circa hanc rem fidem exhibuit. Itaque si præputium ejicis, disce clare, nihil tibi ex circumcisione utilitatis accedere. Nisi enim fidei vestigiis insistas, etiamsi millies circumcisus esses, non esses ex Abrahæ filiis : quandoquidem ideo ille circumcisionem accepit, ne te præputiatus ejiceret. Ne tu quoque id ab illo exigas : id enim tibi auxilio fuit, non illi erit. Sed illud, inquit, signum justitiæ est. Et hoc propter te, quandoquidem nunc neque hoc est : tunc enim tu corporeis indigebas signis; nunc non opus illis est. Num a fide, inquies, poterat ejus animæ virtus agnosci? Poterat utique, sed tu egebas hoc additamento. Quia enim animæ virtutem non æmulatus es, nec videre potuisti, data est tibi sensibilis circumcisio, ut postquam in hac re corporea exercitatus esses, paulatim ad animi philosophiam ducereris, atque illa cum studio magno excepta, ut maxima dignitate, docereris imitari et venerari progenitorem. Idque non in circumcisione modo Deus instituit, sed etiam in aliis omnibus, ut in sacrificiis, in sabbatis et festis. Quod autem propter te circumcisionem acceperit, audi in sequentibus : cum dixisset enim ipsum accepisse signum et signaculum, causam apponit, dicens : *Ut ipse esset pater circumcisionis*, iis qui illam spiritualem assumunt : si enim hanc solum habueris, nihil tibi plus accedet. Nam tunc signum est, cum ipsa res cujus est signum, apud te conspicitur, id est fides; ita ut si hanc non habeas, signum non possit ulterius signum esse. Cujus enim erit signum? cujus signaculum, cum non sit qui obsignetur? ac si nobis marsupium ostenderes signo munitum, in quo nihil esset. Itaque ridicula circumcisio est, cum fides intus non habetur. Si enim sit justitiæ signum et justitiam non habeas, neque signum habes. Ideo namque signum accepisti, ut rem quæreres, cujus signum habes : ita ut si signum sine re exquireres, non illo opus haberes. Circumcisio autem non modo justitiam prædicat, sed etiam justitiam illam, quæ in præputio est. Nihil aliud ergo circumcisio prædicat, quam quod non opus sit circumcisione. 14. *Si enim ii, qui ex lege, heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio.* Ostendit necessariam esse fidem circumcisione vetustiorem, fortiorem lege, quod legem stabiliat. Si enim omnes peccavere, necessaria;

si ille præputiatus justificatus est, vetustior est; si per legem cognitio peccati, sine lege autem manifestata est, fortior; si legis testimonio probatur et legem firmat, non adversaria, sed amica et socia in bello. Ostendit iterum et aliunde non posse per legem hereditatem accipi : cumque comparasset illam cum circumcisione, ac victoriam reportasset, eamdem rursus legi opponit, sic inquiens : *Si enim, qui ex lege, sunt heredes, exinanita est fides.* Ne quis enim dicat fieri posse, ut quis fidem habeat et legem servet; demonstrat impossibile illud esse. Qui enim legi adhæret, quasi ea salutem afferat, is vim fidei dehonestat. Ideo ait : *Exinanita est fides;* id est, non est opus salute, quæ per gratiam obtinetur : neque enim potest illa vim suam ostendere; et abolita est promissio. Etenim Judæus fortasse dixerit : Quid mihi opus est fide? Ergo si hoc verum est, cum fide, quæ ad promissionem spectant, sublata sunt.

4. Vide ut in omnibus ostendat illos a patriarcha ab initio impugnari. Cum ostendisset enim justitiam fidei consortem esse; jam declarat promissionem similiter se habere. Ne diceret enim Judæus; Quid mea interest, si Abraham ex fide justificatus est? dicit Paulus, ne id quidem, quod ad te maxime pertinet, nempe promissionem hereditatis, posse sine illa ad opus duci : quod maxime illis timorem incutit. Quam, inquies, promissionem? Ut mundi heres sit, et in illo omnes benedicantur. Et quomodo abolita sit illa promissio, dicit : 15. *Quia rex iram operatur : cujus enim lex non est, hujus neque transgressio.* Si vero iram operatur, et transgressioni obnoxios reddit; etiam, ut liquet, maledictioni : qui vero maledictioni, supplicio et transgressioni sunt obnoxii; hi non digni sunt qui hereditatem accipiant, sed qui pœnas dent et ejiciantur. Quid fit igitur? Venit fides per gratiam attracta [1], ita ut promissio ad opus deducatur. Ubi enim est gratia, ibi et remissio; ubi remissio, ibi nullum supplicium : sublato autem supplicio, et justitia a fide accedente, nihil impedit, quominus nos heredes simus promissionis, quæ a fide est. 16. *Ideo igitur ex fide,* ait, *ut secundum gratiam, et ut firma sit promissio Dei universo semini, non ei quod ex lege est tantum, sed etiam ei quod ex fide Abrahæ, qui est pater omnium nostrum.* Viden' quod fides non solum legem stabiliat, sed etiam quod promissionem Dei non sinat excidere; lex vero contra fidem etiam irritam faciat ultra tempus observata, et promissionem impediat?

Fidei necessitas. — His ostendit non modo non supervacaneam esse fidem, sed ita necessariam, ut non possit sine illa salus obtineri. Lex enim iram gignit, quia omnes illam transgressi sunt : fides autem non sinit iram vel initio consistere. *Cujus enim non est lex,* inquit, *hujus neque transgressio.* Viden' quo pacto non modo peccatum deleat, sed ne oriri quidem sinat. Ideo ait, *Secundum gratiam.* Qua de causa? Non ut nos pudeat, sed *Ut firma sit promissio universo semini.* Duo bona hic ponit, quod firma sint quæ data sunt, et quod data sint universo semini, eos qui ex gentibus accesserunt colligens, Judæosque ostendens extra positos esse, si contra fidem contendant. Hoc namque firmius illo est : non enim fides tibi damno est; ne contendas; sed te ex lege periclitantem servat. Deinde quia dixit, *Universo semini,* determinat cuinam semini. *Quod est ex fide,* inquit, connectens cognationem cum gentibus, et ostendens non posse consentire cum Abrahamo illos, qui non credunt ut ille. Ecce aliud tertium fides operata est : nam cognationem cum justo accuratiorem fecit, et plurium nepotum progenitorem illum declaravit : ideo non simpliciter dixit, Abrahami, sed *Patris nostrum fidelium.* Deinde testimonio dictum obsignans, 17. *Sicut scriptum est,* inquit, *Multarum gentium patrem te constitui* (*Gen.* 17. 4). Viden' hæc jam olim dispensata? Quid ergo, inquies, si de Ismaelitis, de Amalecitis et de Agarenis hæc dicat? Progressus certe ulterius, clarius ostendit non de illis dici; sed interim ad aliud festinat, quo illud quoque ostendit, talis cognationis modum definiens, et magno cum consilio id probans. Quid enim dicit? *Ante Deum, cui credidit;* id est, ut Deus non est unius partis Deus, sed omnium pater : sic et ipse. Ac rursum, ut Deus pater est non secundum naturalem cognationem, sed secundum fidei necessitudinem : sic et ille : obedientia enim facit illum patrem omnium nostrum. Quia enim illam cognationem nihil esse putabant, crassiorem illam retinentes, ostendit hanc esse magis propriam, sermonem ad Deum adducens. Atque cum his hoc etiam declarat, quod hanc fidei retributionem acceperit. Itaque nisi hoc adfuerit, etiamsi pater sit omnium, qui terram incolunt; illud, *Ante,* locum non habet, sed succisum et imminutum est Dei donum : illud enim, *ante,* significat, similiter. Qui, quæso, mirum fuerit, quod pater sit eorum, qui ex ipso sunt? hoc enim singulorum hominum est. Quod stupendum, illud est, quos non habuit ex natura, hos ex Dei dono illum accipere.

5. Itaque si vis credere honoratum fuisse patriarcham, crede ipsum omnium esse patrem. Cum dixit autem, *Ante Deum, cui credidit,* non hic substitit, sed adjecit: *Qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt :* cum nempe jam de resurrectione agere cœpisset : quod ei etiam ad præsens institutum utile erat. Nam si potest mortuos ad vitam revocare, et ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, producere, potest etiam eos, qui ex illo nati non sunt, filios ipsius facere. Ideo non dixit, Qui producit ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, sed *Qui vocat;* majorem facilitatem significans. Sicut enim nobis facile est ea quæ sunt vocare, ita et ei facilius, et longe facilius est, ea quæ non sunt producere. Cum Dei donum magnum et ineffabile memorasset, et de ejus potentia disseruisset, ostendit Abrahæ fidem dono dignam esse, ne putes eum immerito honoratum fuisse. Et postquam auditorem excitaverat, ut ne turbaretur, neve Judæus hæc objiceret : Et qui fieri potest ut ii, qui filii non sunt, filii efficiantur? sermonem transfert in patriar-

[1] Unus legit, *gratiam attrahens.*

cham, et ait : 18. *Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum.*

Abraham quomodo contra spem in spem credidit. — Quomodo contra spem in spem credidit? Contra spem humanam, in spem Dei. Ostendit enim rei magnitudinem, nec sinit dicto fidem abrogari : quæ inter se contraria sunt fide ipsa temperante. Si vero de iis, qui ex Ismaele orti erant, loquutus fuisset, superfluus hic sermo esset : illi namque non secundum fidem, sed secundum naturam orti sunt. Sed etiam Isaac in medium adducit : non enim pro illis gentibus credidit, sed pro eo, qui ex sterili muliere nasciturus erat. Si ergo merces est, quod multarum gentium pater fiat, de illis gentibus intelligitur pro quibus credidit. Ut enim discas ipsum de illis loqui, audi ea quæ sequuntur : 19. *Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ.* Viden' ut impedimenta ponat, et altum justi animum omnia superantem? *Præter spem*, inquit, quod promissum erat. Hoc primum impedimentum : neque enim habuit ille alterum Abrahamum, quem videret ita suscepisse filium. Nam qui post illum fuere, ad illum respexere; ille autem ad nullum, sed ad Deum solum : ideoque *Præter spem* dixit. Deinde corpus emortuum; hoc secundum est; et emortua vulva Saræ; hoc tertium et quartum. 20. *In repromissione autem Dei non hæsitavit diffidentia.* Neque enim demonstrationem dedit, neque signum fecit Deus, sed verba erant simplicia solum, promittentia ea, quæ natura non pollicebatur. Attamen *Non hæsitavit*, inquit. Non dixit, Non credidit; sed, *Non hæsitavit;* id est, non dubitavit, etiamsi tot impedimenta essent. Hinc discimus quod, etiamsi Deus innumera impossibilia promittat, nec qui audit admittat illa, infirmitas illa non ex rerum natura, sed a non admittentis stultitia proficiscatur. *Sed confortatus est fide.* Vide Pauli philosophiam. Quia enim de operantibus et credentibus sermo erat, ostendit eum, qui credit, magis operari quam illum, et majori virtute opus habere multaque fortitudine, nec parvum subire laborem. Etenim illi fidem vilipendebant, ut quæ laborem non sustineret. Adversus illud stans ergo ostendit eum, qui temperantiam servat aut aliquid simile, sed etiam eum, qui fidem exhibet, majori virtute opus habere. Sicut enim ille fortitudine opus habet, ut lasciviæ cogitationes depellat : ita et hic forti animo, ut incredulitatis cogitationes eliminet. Quomodo igitur fortis effectus est? Fide, inquit, neque ratiociniis rem permisit; nam ita concidisset. Quomodo autem credidit? *Dans gloriam Deo*, inquit, 21. *plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est et facere.* Ergo non curiose scrutari, est Deum glorificare; ut curiose inquirere, est scelus perpetrare. Si vero cum inferiora disquirimus et scrutamur, Deum non glorificamus; multo magis cum Domini generationem curiose scrutamur, ut qui contumeliam inferamus, extrema patiemur. Si enim resurrectionis formam exquirere non oportet, multo minus arcana illa et horrenda. Nec dixit, Credens simpliciter; sed *Plenissime sciens.* Nam hujusmodi fides est clarior quam demonstratio per syllogismos, magisque persuadet; neque potest aliud accedens ratiocinium illam submovere. Etenim is, qui verbis persuadetur, potest sententiam mutare; qui vero fide firmatus est, auditum suum munivit adversus illa pestifera ratiocinia. Cum dixisset ergo illum ex fide justificatum fuisse, ostendit illum per fidem gloria affecisse Deum : quod per bonam vitam maxime fieri solet : nam, *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est* (*Matth.* 5. 16). Ecce hoc ad fidem pertinere visum est. Rursus sicut opera virtute et robore opus habent, ita et fides. Hic enim plerumque corpus etiam in partem sudoris venit; illic vero animæ solius est opus. Ita ut major sit labor, corpore non simul pugnante.

6. *Fidei vis magna.* — Viden' ut omnia, quæ in operibus exstant, cum majori copia in fide esse demonstret; exempli causa, gloriari apud Deum, fortitudine et labore opus habere, Deum rursus glorificare? Cum dixit autem, posse Deum quod promiserat facere, videtur mihi futura prænuntiare : non enim præsentia solum, sed et futura promisit : hæc enim illorum typus erant. Non credere ergo mentis est infirmæ, exiguæ et miseræ. Itaque si nobis quidam fidem vitio vertant, illis contra vitio vertamus incredulitatem, ut miseris, pusillanimibus, stultis et infirmis, et asinis nihilo melius habentibus. Sicut enim credere est sublimis et magni animi : sic non credere irrationabilis et vilissimi et ad jumentorum amentiam dejecti. Ideoque, missis illis, patriarcham imitemur, et glorificemus Deum, ut ipse Deo gloriam dedit. Quid sibi vult illud, Dedit illi gloriam? Illius justitiam cogitavit, immensam potentiam; et convenientem de illo sententiam sibi assumpsit, sic certior factus est de promissis. Et nos igitur illum glorificemus et per fidem et per opera, ut et in mercedem ab illo glorificemur : nam ait, Eos qui me glorificant, glorificabo. Quamquam etsi nulla proposita esset merces, hoc ipsum, quo dignaremur Deum glorificare, gloria esset. Nam si ii homines, qui reges laudibus celebrant, hoc ipso ornantur et ipsi, etsi nihil aliud carpere valeant : cogita quanta gloria fuerit, si Dominus noster propter nos glorificetur; et contra quantum supplicium mereamur, si propter nos ille blasphemetur : quamquam ille in nostri gratiam vult glorificari : ille quippe glorificatione non eget. Quantum enim esse putas Deum inter et homines discrimen? an quantum inter homines et vermes? Verum nihil dixi, tantum afferens discrimen? neque enim dici potest quantum. An velles tu a vermibus gloriam accipere magnam? Minime. Si ergo tu, qui gloriam amas, non hoc velles; qui ab hoc affectu liber est, et hoc longe superior, quomodo tua egeat gloria? Attamen etsi illa non egeat, se dicit illam propter te cupere. Si enim servus propter te fieri dignatus est, quid miraris, si eadem de causa alia suscipit? Nihil enim indignum se

putat, quod ad nostram salutem conducat. Hæc cum sciamus, omne peccatum, per quod ille blasphematur, fugiamus. Nam ait, *Ut a facie serpentis, a peccato fuge* (*Eccli.* 21. 2). Si ad illud accedas, mordebit te: neque enim illud ad nos venit, sed nos illud sponte adimus. Deus quippe id ita providit, ut ne diabolus per suam tyrannidem superet; alias enim nemo contra illius robur staret. Ideo illum semovit, quasi latronem quemdam et tyrannum; ac nisi quempiam inveniat nudum et solum in latibulis suis, non audet irruere: nisi nos per desertum iter facientes viderit, non audet accedere; desertus autem ille diaboli locus nihil aliud est, quam peccatum. Opus ergo habemus scuto fidei, galea salutis, gladio spiritus; non modo ne malum patiamur, sed etiam ut, si insilire velit, ejus caput abscindamus. Frequentibus egemus precibus, ut sub pedibus nostris conteratur. Impudens enim est et exsecrandus, etsi ab inferiori loco pugnet; attamen sic etiam vincit. In causa autem est, quod nos non studeamus plagis illius esse superiores: neque enim potest admodum efferri, sed deorsum repit. Hujusque figura est serpens. Si autem illum sic a principio constituit, multo magis nunc. Si ignoras autem quid sit ex inferiore loco pugnare, ego tibi hujusce belli modum explicare conabor. Quid ergo est, ex inferiore loco pugnare? A rebus inferioribus decertare, a voluptate, a divitiis, a sæcularibus omnibus. Ideo, si quempiam viderit ad cælum volantem, primo quidem in illum insilire non poterit; secundo, etiamsi id tentet, cito cadet; neque enim pedes habet, ne formides; non habet alas, ne timeas: supra terram repit et supra res terrenas. Nihil ergo tibi cum terra sit commune, nec labore indigebis. Neque enim adversam pugnam novit, sed tamquam serpens in spinis occultatur, in divitiarum fallacia frequenter latitans. Si spinas excideris, formidolosus facile fugiet; si incantare in illum scias divinas illas incantationes, statim vulnerabitur. Sunt enim nobis, sunt, inquam, incantationes spirituales, nomen Domini nostri Jesu Christi, crucis potentia. Hæc incantatio non modo draconem a latibulo ejicit et in ignem conjicit, sed etiam vulneribus medetur.

7. Quod si multi hoc dicentes sanati non sunt, id ex illorum modica fide, non ex dicti infirmitate provenit. Nam ipsum Jesum multi pellebant et premebant, nec quidpiam lucrabantur: at quæ sanguinis fluxu laborabat, nec tacto quidem corpore, sed tantum fimbria, diuturnos sanguinis fontes cohibuit (*Matth.* 9. 22). Hoc nomen et dæmonibus et passionibus et morbis est terribile. Hoc igitur nomine ornemur, hoc nos muniamus. Sic Paulus magnus effectus est, etsi eadem qua nos natura constans; sed fides illum alium ex alio fecit, et tanta erat potestate, ut vestimenta etiam ejus magnam haberent virtutem. Qua igitur excusatione digni fuerimus, si cum illorum umbra et vestimenta mortem depellerent, nec orationes quidem nostræ passiones reprimant? Quid igitur in causa est? Magna animi differentia, licet quæ ad naturam spectant, æqualia et communia sint: nam eodem ille quo nos modo natus et eductus est, et in terra habitavit aeremque respiravit: sed in illo alia longe meliora et præstantiora erant quam nostra, zelus, fides, caritas. Imitemur ergo illum: id agamus, ut per nos loquatur Christus: id ille maxime a nobis desiderat, atque ideo hoc organum apparavit, nec vult ut inutile maneat, sed semper manibus tractare cupit. Cur ego non apparas illud ad manum artificis, sed etiam chordas demittis, et voluptate molliores efficis, atque inutilem ipsi paras totam citharam, cum oporteret illam stringere et ad cantus tendere, ac spirituali sale constipare? Si enim hac ratione aptatam Christus viderit, per nostram animam pulsabit. Quo facto, angelos videbis saltantes, et archangelos et Cherubim. Digni ergo inculpatis manibus efficiamur: rogemus eum, in corde nostro pulset: imo neque rogatu opus habet, tactu solum dignum efficito illud, et ipse prior ad te accurret. Nam si procrastinantibus occurrit (Pauli enim nondum talis effecti encomium texuit); cum paratum viderit, quid non faciet? Quod si Christus insonuerit, Spiritus omnino adveniet, eritmusque cælo præstantiores, non solem et lunam habentes corpori impressos, sed solis, lunæ et angelorum Dominum inhabitantem et ambulantem in nobis.

Caritas signis omnibus præferenda. — Hæc autem dico, non ut mortuos suscitemus, non ut leprosos mundemus; sed ut signum his omnibus majus exhibeamus, caritatem: ubicumque enim hoc bonum fuerit, statim Filius adest cum Patre, et Spiritus gratia advenit. Nam ait: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* 18. 20). Quod magni affectus est admodum amantium, cum amati utrinque adsunt. Ecquis ita miser est, inquies, qui nolit Christum medium habere? Nos qui mutuo rixamur. Et fortasse me quispiam irridebit ac dicet: Quid ais? nos omnes vides intra eosdem parietes, in uno eodemque ecclesiæ septo, in eodem ovili concordissime versantes, neminem pugnantem, sub eodem pastore, simul clamantes, simul dicta audientes, simul orationes emittentes; et pugnam seditionemque memoras? Pugnam memoro, nec insanio. Video enim illa, quæ video, scioque nos in eodem septo esse unaque pastorem: ideoque maxime lugeo, quia cum tot res nos una congregent, seditionem excitamus. Ecquam seditionem, inquies, hic vides? Hic quidem nullam; sed concione soluta alius alium accusat, alius aperte contumeliam infert, alius invidet, alius vel avarus et rapax, vel violentus est, alius turpi amore tenetur, alius sexcentos consuit dolos. Et si possent animæ nostræ detegi, tunc hæc omnia accurate nossetis, ac me non insanire videretis.

8. Annon videtis in exercitibus, pacis tempore, milites arma ponentes, iis nudatos et inermes et ad hostium castra transmeantes? At ubi armis sese muniunt, et custodiæ sunt et speculæ, insomnes noctes, assidui ignes, hæc non pacem indicant, sed bellum. Idipsum apud nos videre est: nos enim in-

vicem custodimus, et alii ab aliis cavemus, ad aurem proximo loquimur, et alio superveniente tacemus, ac de medio omnia tollimus et supprimimus : quod non fidentium, sed admodum caventium est. Verum hoc facimus, inquies, non ut injuriam inferamus, sed ut ne patiamur. Ideo lugeo, quod cum inter fratres vivamus, custodia opus habeamus, ne lædamur, et tot ignes accendamus, ac custodias speculasque ponamus. In causa autem est mendacium frequens, dolus, caritas de medio sublata, inexpiabile bellum. Ideo multos inveneris, gentilibus magis fidentes, quam Christianis. Atqui hæc quanto pudore digna, quantis lacrymis, quantis ejulatibus? Et quid faciam, inquies? moribus asper ille talis est et improbus. Et quorsum abiit philosophia tua? quorsum apostolicæ leges, quæ jubent alterum alterius onera portare? Nam si fratre uti nescis, quo pacto bene uti poteris alieno? si membrum tuum contrectare nescis, quomodo extraneum attrahere tibique conjungere valeas? Sed quid faciam? Ex amaritudine ad lacrymas fundendas mire propensus sum, fontes ex oculis emitto, secundum prophetam illum, bella innumera hoc in campo videns externis bellis graviora. Ille namque barbaros irruentes videns, dicebat : *Ventre meo doleo* (*Jer.* 4. 19) : ego vero sub uno Imperatore instructos videns, deinde contra se mutuo stantes, mordentes, discerpentes alios aliorum membra, alios pecuniarum, alios gloriæ causa, alios sine causa ac temere irridentes ac subsannantes, et mille vulnera sibi mutuo infligentes, mortuos iis, qui in bello, gravius cæsos, fratrumque nomen nudum et vacuum relictum, lamentum nullum reperio hac tragœdia dignum. Revereamini igitur, revereamini hanc mensam, cujus participes sumus omnes, Christum pro nobis occisum, sacrificium huic mensæ impositum. Prædones unius salis participes, non ultra prædones sunt erga eos, quibuscum communicant, sed mensa mores mutat, et feris ipsis efferatiores, ovibus mansuetiores reddit. Nos vero qui talis mensæ, talis cibi participes sumus, alii adversus alios arma sumimus, cum oporteret contra diabolum nos omnes oppugnantem armis instrui. Ideoque nos infirmiores, ille fortior quotidie evadit. Non enim mutuo omnes contra illum armamur, sed cum illo contra fratres stamus, et illo duce in tali acie utimur, cum oporteret illum solum oppugnare. Nunc autem illo relicto, contra fratres tela vertimus. Quæ tela, inquies? Quæ ab ore et lingua proficiscuntur. Non enim sagittæ et tela tantum, sed etiam verba acerbiora quam sagittæ vulnera infligunt. Et quomodo, inquies, poterimus hoc bellum solvere? Si cogitaveris te, cum contra fratrem loqueris, lutum ex ore effundere; si cogitaveris, quod membrum Christi calumniaris, quod carnes tuas comedis, quod tibi tribunal illud horrendum et incorruptum acerbius reddis; quod telum non eum qui ictus est, sed te qui emisisti occidat. Verum me injuria et malo affecit? Ingemisce, nec male loquaris; lacrymare, non ob injuriam acceptam, sed ob illius perniciem, ut Dominus tuus Judam lacrymatus est, non quod ipse crucifigeretur, sed quod ille proderet. Injuria et contumelia te affecit? Deum precare, ut illi cito propitius fiat. Frater est tuus, eodem partu natus, membrum tuum, ad eamdem vocatus est mensam. Sed magis, inquies, mihi insultat. Igitur major et amplior erit merces. Hac de causa maxime iram deponere par est, quia lethalem ille plagam accepit, quia vulneravit illum diabolus.

9. Ne igitur, tu quoque ferias, neque te cum illo dejicias. Donec enim stas, potes et illum servare : si vero te dirumpas ut contumeliam contumelia ulciscaris, quis vos deinceps eriget? illene vulneratus? At non poterit jacens. An tu, qui cum illo cecidisti? Et quomodo qui tibi non potuisti manum porrigere, alteri poteris? Sta igitur generose, clypeum opponens, et mortuum fratrem per patientiam ex pugna extrahe. Ira confodit illum? Ne tu quoque confodias, sed prius telum avelle. Si namque sic mutuo versemur, cito sani omnes erimus; si vero alter contra alterum armetur, non jam diabolo opus erit ad perniciem nostram. Omne quippe bellum perniciosum est, sed maxime intestinum. At hoc bellum intestino deterius est, quanto majora sunt hujus nostræ vitæ rationis, imo etiam cognationis jura. Occidit olim Abelem frater, et cognatum effudit sanguinem : at hæc cædes illa est iniquior, quanto et major est affinitas, et mortis gravior ratio. Ille namque corpus confodit; tu vero contra animam gladium acuisti. Sed tu prior male passus es? Verum non pati, sed facere, male pati est. Attende autem : jugulavit Cain, jugulatus est Abel : uter ergo mortuus erat? Qui post mortem clamabat : nam *Vox sanguinis Abel fratris tui clamat ad me* (*Gen.* 4. 10), inquit; an is qui vivus tremebat timebatque? Hic enim, hic quovis mortuo miserabilior erat. Viden' quod melius sit injuria affici, etiam ad cædem usque? Disce quomodo pejus sit injuria afficere, etiamsi usque ad sanguinem quis prævaleat. Percussit et prostravit fratrem suum ille; sed ille quidem coronabatur, hic contra puniebatur : præter jus occisus et jugulatus est Abel; sed ille moriens accusabat, occidebat, et comprehendebat; ille vivens tacebat, pudore afficiebatur, comprehendebatur : et contra quam volebat res cecidit. Interficiebat enim, quia illum dilectum videbat, exspectans illum a dilectione depellere : auxit magis dilectionem, et morientem Deus magis requirebat, cum diceret : *Ubi est Abel frater tuus* (*Ibid.* v. 9)? Non enim amorem per invidiam exstinxisti, sed potius incendisti : non ex cæde honorem minuisti, sed auxisti. Antea enim illum tibi subdiderat Deus; postquam vero illum occidisti, etiam mortuus ille te ulciscetur : tanta est mea erga illum dilectio. Uter ergo damnatus est, qui punivit, an qui punitus est? qui tantum a Deo honorem assequutus est, an qui novo cuidam et inexspectato supplicio traditus est? Illum, inquit, vivum non timuisti; ergo time mortuum : non inhorruisti gladium impacturus; tremore perpetuo corriperis, postquam sanguinem effudisti : vivens servus

tuus erat; jam tremendus tibi dominus effectus est. Hæc ergo cogitantes, dilecti, fugiamus invidiam, exstinguamus malitiam, caritatem mutuo retribuentes, ut bona illius decerpamus, et in præsenti et in futura vita, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Cap. 4. v. 23. *Non scriptum est autem propter illum tantum, quia reputatum est illi ad justitiam; 24. sed etiam propter nos, quibus reputabitur, credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Dominum nostrum a mortuis.*

1. Postquam multa magnaque de Abrahamo dixerat, necnon de fide ejus, de justitia deque honore quem a Deo acceperat; ne auditor diceret, Et quid hoc ad nos? ille namque est qui justificatus est: nos ille prope patriarcham collocat. Tanta est spiritualium verborum vis. Nam eum qui ex gentibus, qui recens accesserit, qui nihil fecerit, non modo nihil minus habere dixit, quam Judæus fidelis, sed nec quam patriarcha: imo vero, si quid admirabile sit dicendum, etiam multo magis. Tanta est enim nostra nobilitas, ut illius fides nostræ fidei sit typus. Nec dixit, Si autem illi reputatum est, verisimile est ut etiam nobis, ne id in syllogismum verteret; sed ex auctoritate divinarum legum loquitur, efficitque ut id totum Scripturæ sententia sit. Cur enim scriptum est, inquit, nisi ut discamus, quod nos quoque sic justificati simus? eidem quippe Deo credidimus pro iisdem rebus, etsi non in iisdem personis. Cum autem fidem nostram dicit, Dei quoque ineffabilem benignitatem dicit, quam semper circumversat, crucem in medium afferens: quod et nunc declaravit his verbis. 25. *Qui traditus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.*

Resurrectio Christi probatur. — Vide quomodo, postquam causam mortis dixit, eamdem resurrectionis causam afferat. Cur, inquit, crucifixus est? Non ob proprium peccatum, ut liquet ex resurrectione. Si enim peccator erat, quomodo resurrexit? si resurrexit, palam est non peccatorem fuisse: si peccator non fuit, cur crucifixus est? Pro aliis. Si pro aliis, omnino resurrexit. Ne diceres enim, Quomodo tot peccatis obnoxii, possumus justificari? ostendit eum, qui peccata omnia delevit; ut et ex fide Abrahæ, per quam ille justificatus est, et ex fide salutaris passionis, per quam a peccatis liberati sumus, sermonem confirmaret. Postquam autem ejus mortem dixerat, de resurrectione loquitur. Non enim ideo mortuus est, ut supplicio obnoxios haberet, et damnatos, sed ut benefaceret: ideo enim mortuus est et resurrexit, ut justos efficeret. (*Cap.* 5) 1. *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* Quid sibi vult illud, *Pacem habeamus?* Quidam ita explicant: Ne seditiones moveamus, contendentes ut legem introducamus. Mihi autem videtur de vivendi ratione nobiscum hic disseri. Quia enim ubi plura de fide disseruerat et de justitia per opera, hanc adjecit; ne quis putaret hæc dicta ignaviæ occasionem fore, ait: *Pacem habeamus;* id est, Ne ultra peccemus, nec ad priora revertamus: hoc enim est, bellum habere contra Deum. Et quomodo inquies, fieri potest, ut ne ultra peccemus? Quomodo illud prius fieri potuit? Si enim tot peccatis obnoxii, ab omnibus per Christum liberati sumus; multo magis illius ope fiet, ut in hoc statu maneamus. Non par enim res est pacem, quæ non erat, accipere, et datam servare; quia acquisitio facilior est, quam conservatio: attamen quod difficilius erat, facile fuit et in opus exiit. Ergo id, quod facilius est, nullo negotio perficiemus, si hæreamus ei, qui illa nobis perfecit. Hic vero non facilitatem tantum mihi indicare videtur, sed etiam id, quod rationabile sit. Si enim nos debellatos reconciliavit, in reconciliatione persistere par est, et hanc illi vicem rependere, ut ne videatur ille pravos et ingratos cum Patre reconciliasse. 2. *Per ipsum enim*, inquit, *habuimus accessum ad fidem.* Si ergo procul positis accessum præbuit, multo magis prope stantes retinebit.

2. Tu vero mihi consideres velim, quomodo ubique duo illa ponit, et quæ ab ipso, et quæ a nobis sunt. Sed quæ ab ipso, sunt varia et multa et diversa: nam mortuus propter nos, reconciliavit nos, adduxit, gratiam dedit ineffabilem; nos vero fidem solam attulimus: ideo ait: *In fide in hanc gratiam, in qua stamus.* Quam, quæso, gratiam? Qua dignamur Dei cognitione, qua ab errore liberamur, qua veritatem cognoscimus, qua omnia per baptismum bona consequimur: ad hoc enim nobis accessum præbuit ut hæc accipiamus dona. Neque enim fecit tantum, ut peccatorum remissionem obtineremus, sed et ut innumeras consequeremur dignitates. Neque hic stetit, sed etiam alia promisit, ineffabilia illa mentem et rationem superantia bona. Ideo utraque posuit. Cum enim dicit, *Gratiam*, præsentia significavit, quæ accepimus; cum autem dicit: *Et gloriamur in spe gloriæ Dei*, futura revelavit omnia. Ac bene dixit, *In qua stamus.* Talis quippe est gratia Dei; finem non habet, non novit terminum, sed ad majora semper procedit: quod apud homines non est. Exempli causa: accepit quis principatum et gloriam et potentiam, sed non in hac perpetuo stetit, verum cito ab illa excidit; atque etiamsi nemo auferat, mors superveniens omnino tollet. Quæ vero Dei sunt, non talia: non enim homo, non tempus, non rerum conditio, non ipse diabolus, non mors adveniens, ab iis nos depellere poterit; sed quando morimur, tunc illa firmius tenemus, et in progressu semper pluribus fruimur. Quapropter, si non credis futuris, a præsentibus et ab iis, quæ jam accepisti, crede illis. Ideo enim ait: *Et gloriamur in spe gloriæ Dei*,

ut discas, quam oporteat esse fidelis hominis animam. Neque enim de datis tantum, sed etiam de iis, quæ danda sunt, ac si jam data essent, certiorem esse oportet: gloriatur enim quis super iis, quæ jam accepit. Quia igitur et futurorum spes ita firma et explorata est, ut eorum quæ jam data sunt; Et in illa similiter, inquit, gloriamur: ideoque illa gloriam vocavit. Si enim ad Dei gloriam conferant, omnino evenient; etsi non propter nos, propter ipsum tamen. Et quid dico, inquies, futura bona digna esse, ut ob ea gloriemur? Ipsa quoque præsentia mala satis sint, ut de iis nos congratulari oporteat: ideo subjunxit: 3. *Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus.* Cogita igitur quanta sint futura, quando de iis, quæ tristia esse videntur, altum sapimus: tantum est Dei donum, et sic in illo nihil ingratum est.

Certamina pro Christo voluptatem afferunt. — In rebus exterioribus certamina laborem habent, dolorem et miseriam; coronæ vero et præmia in voluptatem conjiciunt: hic vero non sic, sed certamina non minorem quam præmia voluptatem afferunt. Quia enim multæ tunc erant tentationes, regnum autem in spe erat, et graviora præ manibus, bona autem in exspectatione; hoc autem infirmiores frangebat: ideo ante coronas jam illis præmia largitur, dicens oportere in tribulationibus gloriari. Nec dixit, Oportet vos gloriari; sed, Nos gloriamur, inquit, in propria persona adhortationem inducens. Deinde quia dictum illud novum inopinatumque esse videbatur, quod cum fame luctantem, cum catenis, cum tormentis, cum contumeliis et opprobriis gloriari oporteret, illud demum probat; quodque majus est, hæc gloriatione digna dicit, non tantum propter illa futura, sed propter præsentia: nam ipsæ per sese tribulationes bonæ sunt. Quare? Quia ad patientiam excitant. Quapropter cum dixisset, *Gloriamur in tribulationibus*, causam adjecit dicens: *Scientes, quod tribulatio patientiam operatur.* Vide rursum contentionem Pauli, quomodo in contrarium sermonem vertit. Quia enim tribulationes efficiebant, ut illi animum desponderent circa futura, et desperarent, dicit propter illas ipsas fidendum, nec de futuris desperandum esse. *Tribulatio* enim *patientiam operatur*, inquit, 4. *patientia vero probationem, probatio vero spem*, 5. *spes autem non confundit.* Non modo enim tribulationes spem hujusmodi non tollunt, sed etiam adstruunt. Ante futura enim magnum fructum tribulatio habet, nempe patientiam, et quod probatum faciat eum, qui tentatur. Confert autem etiam aliquid ad futura: facit enim, ut spes in nobis vireat. Nihil quippe ita apparat ad bene sperandum, ut bona conscientia.

3. Nemo itaque eorum, qui probe vixerunt, de futuris desperat; ut et multi qui bonam vitam non curant, mala gravati conscientia, neque judicium neque retributionem esse vellent. Quid ergo? an in spe nobis bona sunt? In spe certe; sed non humana, quæ cadit et sæpe sperantem pudefacit, illo a quo præsidium sperabatur vel mortuo, vel vivente quidem, sed mutato animo. Verum nostra non sunt talia; sed firma semper et immota spes est. Qui enim promisit, semper vivit; nos vero, qui bonis illis fruemur, etsi moriamur, at resurgemus: et nihil omnino est, quod nos confundere possit, ut qui frustra et temere fluxam spem amplexi simus. Cum ergo his dictis ab omni prorsus dubitatione illos liberasset, hic non sistit gradum, sed futura rursum inducit, gnarus infirmiores, qui præsentia quærunt, neque his contentos esse. Illis autem futuris fidem facit per ea, quæ jam data sunt. Ne quis enim dicat: Quid ergo, si nobis nolite Deus gratificari? quod enim possit et maneat et vivat omnes scimus: unde vero scimus quod etiam volet? Ab iis, quæ facta sunt. Quænam facta sunt? Amor ille, quem circa nos exhibuit.

Donum Spiritus Sancti maximum omnium. — Quid fecit, inquies? Spiritum Sanctum dedit. Quapropter cum dixisset, *Spes non confundit*, hujus rei demonstrationem addidit, dicens: *Quia gratia Dei diffusa est in cordibus nostris.* Non dixit, Data est, sed, *diffusa est in cordibus nostris*, largitatem indicans. Quod enim maximum erat donum, hoc dedit: non cælum, terram et mare, sed quod his omnibus pretiosius erat, angelos ex hominibus, filios Dei et fratres Christi fecit. Quid hoc est? Spiritus sanctus. Nisi autem vellet nos post labores magnis donare coronis, non ante labores tot bona dedisset: nunc vero amoris sui fervorem per hæc indicat, quod non sensim et pedetentim nos honoraverit, sed fontem bonorum simul dederit; et hoc ante certamina. Quapropter, etiamsi non sis admodum dignus, ne desperes, cum apud judicem patronum habeas, nempe caritatem. Ideo ille cum dixisset, *Spes non confundit*, non operibus nostris, sed Dei dilectioni totum retulit. Postquam Spiritum datum dixit, transit rursus ad crucem, sic dicens: 6. *Adhuc enim Christus, cum infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est.* 7. *Vix enim pro justo quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.* 8. *Commendat autem caritatem suam Deus erga nos.* Id est: Si enim pro viro virtute prædito, nemo forte mori velit, cogita Domini tui dilectionem, qui non pro virtute præditis, sed pro peccatoribus et inimicis crucifixus visus est; id quod etiam postea dicit: *Quia si, cum nos peccatores essemus*, 9. *Christus pro nobis mortuus est; multo magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.* 10. *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Hæc dicta repetita videntur, non sunt tamen, si quis attente consideret. Considera autem: vult illis fidem facere de futuris: et primo a justi sententia illos pudefacit, cum dicit, Adhuc certior factus est ille, quia quod promisit Deus potest exsequi; deinde a gratia data; postea a tribulationibus, quia possunt illæ nos in spem inducere: ac rursum a Spiritu, quem accepimus, demumque a morte et a pristina nequitia nostra illud probat. Et videtur quidem, ut dixi, unum idemque esse quod

dicitur, sed duo et tria et multo plura reperiuntur: primum, quod mortuus sit; secundum, quod pro impiis; tertium, quod reconciliaverit, salutem dederit, justificaverit, immortales reddiderit, quod filios et heredes fecerit. Non igitur a morte tantum corroborari oportet, ait, sed etiam a dono per mortem nobis collato: quamquam, si mortuus esset tantum pro nobis qui tales sumus, maximum amoris argumentum esset, id quod factum est; cum autem constet illum morientem dona, et tanta dona largitum esse, talibus hominibus, omnem hyperbolen superant ea, quæ facta sunt, et vel stupidissimum ad fidem deducant. Neque enim alius salutem nobis daturus est, quam is, qui nos peccatores sic amavit, ut et seipsum traderet. Viden' quantam locus hic probationem afferat ad spem futurorum adstruendam? Antehac enim duo nobis erant ad salutem difficilia: quod peccatores essemus, et quod per mortem Domini salutem consequi oporteret: quod creditu difficile erat antequam fieret, multaque opus habebat caritate ut fieret. Nunc vero, postquam hæc evenere, reliqua faciliora sunt. Etenim amici facti sumus, nec ultra morte opus est. Qui igitur inimicis ita pepercit, ut Filio suo non parceret, nunc amicis non patrocinabitur, cum jam nulla sit necessitas ut Filius tradatur? Vel enim quis salutem non affert, quod non velit; vel quod sæpe, etiamsi velit, non possit: neutrum vero possit de Deo dici. Nam quod voluerit, inde liquet, quod Filium suum tradiderit; quod vero possit, etiam demonstravit, quando peccatores justificavit. Quid igitur prohibet; quominus nos futura consequamur? Nihil. Deinde rursus, ne peccatores, inimicos infirmos, impios audiens, pudore afficiaris et erubescas, audi quid dicat: 11. *Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Quid est illud, *Non solum autem?* Non solum salutem consequuti sumus, inquit, sed etiam de hoc ipso gloriamur, de quo quispiam putaverit nos erubescere. Quod autem in tanta nequitia viventes salvi fuerimus, signum est nos multum diligi ab eo, qui salvos nos fecit. Non enim per angelos aut archangelos, sed per Unigenitum salutem nobis contulit. Itaque et quod salutem dederit, et quod talibus dederit, quodque per Unigenitum, neque modo per Unigenitum, sed per sanguinem ipsius, id mille nobis gloriæ coronas nectit. Nihil enim ad gloriam et fiduciam excitandam ita confert, quam quod amemur a Deo, et quod illum vicissim amemus. Hoc angelos splendidos reddit, hoc principatus et potestates, hoc regno majus est. Ideo Paulus hoc præferebat regno: ideo etiam incorporeas potestates beatas dico, quod ament eum et in omnibus ei obediant. Hinc igitur illas propheta mirabatur, dicens: *Potentes virtute, facientes verbum illius* (*Psal.* 102. 20): hinc et Seraphinos Isaias celebrabat, ac magnam ipsorum virtutem, quod starent prope gloriam illam, id quod dilectionis maximæ signum erat.

4. Imitemur ergo et nos supernas illas potestates, et non modo prope solium stare curemus, sed etiam eum, qui in solio sedet, in nobis habitantem habere. Ille namque et se odientes amavit, et amare perseverat: etenim *Solem oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* 5. 45). Tu ergo te amantem ama; te quippe amat. Et quomodo, inquies, ille qui amat, gehennam, pœnam et supplicium comminatus est? Ex eo ipso quod amet. Nam malitiam rescindens, et timore tamquam freno tuum coercens ad pejora impetum, nihil non agit, ut per bona et molesta pronum tuum ad infima animum retineat, et ad se reducat et abducat ab omni nequitia, quæ est gehenna gravior. Quod si de jam dictis rideas, et omnino malis in nequitia vivere, quam uno affligi die, nihil mirum: nam hoc imperfecti animi tui signum est, et ebrietatis insanabilisque morbi. Nam et pueruli cum vident medicum ignem vel sectionem inducentem, fugiunt et resiliunt, ejulantes et sese lacerantes, maluntque in perpetua corporis purulentia perire, quam temporaneum sustinendo dolorem, sanitatem postea assequi. At qui mente valent, sciunt gravius esse ægrotare, quam aliqua sectione affici, quemadmodum etiam improbum esse pejus est, quam puniri: hoc enim est curari et postea bene valere, illud vero perire et in perpetua ægritudine versari. Quod autem bona valetudo ægritudini sit præferenda, nemini non notum est: quandoquidem et fures, non quando ipsorum latera perfodiuntur, sed quando muros perfodiunt et occidunt, lacrymis digni sunt. Si enim melior est anima corpore, ut revera melior est; illa mortua magis lugendum et gemendum est: quod si illa minime sentiat, ideo magis lugenda est. Nam qui impuro amore amant, magis sunt deplorandi, quam ii qui febri laborant; similiterque ebriosi magis, quam ii qui tormentis applicantur. At si illa graviora, inquies, cur potius illa eligimus? Quia plerisque hominibus secundum proverbium pejora placent, illaque diligunt, meliora prætermittentes. Id quod etiam in cibis videre est, atque in vitæ institutis, in æmulatione, et in voluptatibus, in mulieribus, in domibus, in mancipiis, in agris, in aliisque omnibus. Utrum enim dulcius, quæso te, cum feminis an cum masculis congredi, cum feminis an cum mulabus? Attamen multos invenimus, qui cum brutis coeunt, et masculorum corpora deturpant: quamquam ea, quæ secundum naturam sunt, iis, quæ contra naturam, suaviora sint.

Supplicium non malum quomodo. Ærumnæ cum laude Dei ferendæ. — Attamen multi sunt, qui risu digna, injucunda, et supplicium habentia, ut suavia persequuntur. Illis enim hæc suavia videntur esse, inquies. At hac ipsa de causa miseri sunt, quod suavia putent ea esse, quæ minime suavia sunt. Sic etiam supplicium peccato deterius esse putant. At non sic est, sed contrarium omnino. Nam si supplicium peccatis inflictum malum esset, Deus malis mala non addidisset, neque illos pejores reddere voluisset: qui enim omnia facit, ut malitiam exstin-

gnat, non illam augeret. Ergo non malum est delinquenti quod puniatur, sed eidem malum est, si non puniatur; ut ægrotanti malum, si non curetur. Nihil enim ita malum est ut absurda concupiscentia : cum absurdum dico, de deliciis loquor, de gloria intempestiva, de principatus amore, deque omnibus uno verbo, quorum necessitas nulla est. Nam qui talis est, qui mollem et solutam vitam agit, videtur quidem omnium felicissimus esse, sed est omnium miserrimus : qui molestas et duras dominas inducit in animam suam. Ideo laboriosam nobis Deus hanc vitam reddidit, ut nos a tali servitute liberaret, et in puram libertatem adduceret : ideo supplicium comminatus est, et vitam nostram laborum consortem fecit, mollitiem constringens. Sic Judæi cum luto et laterilio operi adstricti essent, mansueti erant, Deumque frequenter invocabant; postquam autem libertatem adepti sunt, murmuravere, et Deum irritaverunt, sexcentisque se malis involverunt. Quid igitur dixeris, inquies, de iis, quos sæpe ærumna transversos egit? illud non ex ærumna provenisse, sed ex illorum infirmitate. Neque enim si quis stomachum infirmum habens acre pharmacum accipiat, quo purgari possit sed etiam ab illo alteratur, non id pharmaco tribuemus, sed membri infirmitati : idipsum quoque de animi debilitate dicemus. Nam qui ab ærumna subvertitur, id multo magis a desidia patietur : si enim is vinctus cadit (hoc quippe ærumna est), multo magis solutus ceciderit; si constrictus subvertitur, multo magis relaxatus. Et quomodo, inquies, potero non subverti, si adsit ærumna? Si cogites te, velis nolis, illam laturum esse; sed si cum gratiarum actione, magnum quidpiam te lucraturum esse; sin invitus, mœrens et blasphema proferens, non minorem redditurum calamitatem, sed majorem facturum tempestatem. Hæc cogitantes, id quod necessario accidit, ex proposito voluntatis admittamus. Exempli causa, filium quis genuinum amisit, alius facultates omnes; si cogites, id vitari non posse, sed ex inevitabili calamitate fructum decerpi posse, illam generose ferendo, et blasphemiæ loco laudem Domino referas, sic mala, te non volente illata, in propositi et voluntatis merita vertentur. Vidistin' filium immaturæ ætatis abreptum? Dic, *Dominus dedit, Dominus abstulit* (*Job.* 1. 21). Vidisti facultates pessumdatas? Dic, *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar* (*Ibid.*). Vidisti improbos prospere agentes, et justos infeliciter rem gerere, et innumeris affligi malis, nec potes horum causam explorare? Dic : *Ut jumentum factus sum apud te : ego tamen semper tecum* (*Psal.* 72. 23). Si vero causam quæras, cogita diem a Deo constitutum esse, quo judicaturus est orbem, et omnem excuties dubitationem : tunc enim unusquisque secundum meritum accipiet; ut Lazarus et dives. Recordare apostolorum : illi enim flagellati, pulsi, et millia patientes, gaudebant, quod digni essent pro nomine Christi contumeliam ferre. Et tu itaque, si ægritudine labores, id fortiter feras, et Deo gratias reddas; sicque eamdem quam illi mercedem accipies. Quomodo autem in morbo, in doloribus poteris Domino gratiam habere? Si illum sincere ames. Nam si tres pueri in fornacem conjecti, et alii vinculis constricti, vel innumeris afflicti malis, non destiterunt a gratiarum actione : multo magis ii, qui morbis et duris infirmitatibus affliclantur, hoc facere poterunt. Nihil enim est, nihil certe, quod amor non vincat : cum porro Dei amor est, omnibus est sublimior, neque ignis neque ferrum, non paupertas, non infirmitas, non mors, non quidvis aliud grave videbitur ei, qui hoc amore detentus est; sed omnia irridebit, et ad cælum volabit, nec alio modo affectus erit quam ii, qui illic degunt; nihil aliud respiciens, non cælum, non terram, non mare, sed unam attendens pulchritudinem, gloriæ nempe illius : neque præsentis vitæ ærumnæ illum deprimere, neque prospera et voluptatem ferentia inflare poterunt. Hunc ergo diligamus amorem, cui par nihil est, et propter præsentia et propter futura; imo vero et in primis, propter ipsam amoris naturam. Sic enim liberabimur et a præsentis et a futuræ vitæ suppliciis, et regno fruemur. Cæterum neque liberatio a gehenna, neque regni illius possessio magnum quidpiam est, si comparetur cum illo, quod dicturi sumus : illis omnibus majus est, Christum et amatum et amatorem habere. Si enim apud homines hic amor mutuus omni voluptate superior est, cum apud Deum hic mutuus amor concurrit, quis sermo, quæ mens possit istius animæ felicitatem declarare? Nulla id potest mens, sed experientia tantum. Ut ergo et spiritualem hanc lætitiam, et beatam vitam, et mille bonorum thesaurum experientia ediscamus, relictis omnibus, hunc amorem amplectamur, et ad lætitiam nostram et ad amati Dei gloriam : quia ipsi gloria et imperium cum Unigenito et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

CAP. 5. v. 12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors : sic et in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

1. Quemadmodum optimi medici radicem semper morborum explorant, et ad ipsum mali fontem semper veniunt : sic et beatus Paulus. Cum dixisset enim nos justificatos fuisse, idque ostendisset a patriarcha, a Spiritu et a morte Christi (neque enim mortuus fuisset, nisi justificaturus esset) : probat demum aliunde ea, quæ per hæc demonstraverat, et a contrariis propositum statuens, id est, a morte et a peccato, quærit quomodo et unde mors intraverit, et qua ratione dominata fuerit. Quomodo ergo intravit mors, et dominata est? Per peccatum unius. Quid sibi vult illud, *In quo omnes peccaverunt?* Illo lapso,

ii etiam, qui de ligno non comederant, effecti sunt ex illo omnes mortales. 13. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputatur, cum non est lex.* Illud, *Usque ad legem*, quidam tempus illud ab ipso indicari putant, quod ante legem datam fuit; nempe quo Abel, Noe et Abraham vixerunt, donec Moyses natus est. Quod ergo tunc erat peccatum? Quidam dicunt, illud quod in paradiso admissum est significari : nondum enim erat solutum, inquit, sed ejus fructus florebat : nam communem illam mortem attulit, quæ dominabatur et tyrannidem exercebat. Cur ergo subjungit, *Peccatum autem non imputatur, cum non est lex?* Ex objectione Judæorum, inquit, ii qui nobiscum sentiunt et loquuntur, hoc ipsum posuisse dicunt : quod si non sit peccatum sine lege, quomodo mors omnes, qui ante legem erant, absumpsit? Mihi autem videtur id, quod dicturi sumus, rationi magis consentaneum esse, et cum apostolica mente consentire. Quid illud est? Cum dixisset, usque ad legem peccatum fuisse in mundo, hoc mihi videtur dicere, quod post datam legem peccatum ex transgressione ortum dominatum sit, et tamdiu dominatum sit, donec lex esset : neque enim consistere potest peccatum, inquit, cum lex non est. Si ergo, inquies, hoc peccatum ex legis transgressione mortem peperit, quomodo qui ante legem fuerunt, omnes mortui sunt? Si enim ex peccato mors radicem habuit, et si non exstante lege peccatum non imputatur, quomodo mors dominabatur? Unde palam est, non peccatum illud, quod est legis transgressio, sed illud Adami peccatum inobedientiæ, ipsummet fuisse quod omnia perdidit. Et quænam hujus rei probatio est? Quod ante legem omnes morerentur. 14. *Regnavit enim mors*, inquit, *ab Adam usque ad Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt.* Quomodo regnavit? *In similitudinem prævaricationis Adæ, qui est figura futuri.* Ideo enim typus est Christi Adam. Quomodo, inquies, typus? Quia sicut ille ex se ortis, licet non comederint de ligno, causa fuit mortis per cibum illum inductæ : ita et Christus suis, licet non juste egerint, justitiæ conciliator fuit, quam per crucem nobis omnibus largitus est. Quapropter semper et ubique huic rei insistit, et frequenter hoc in medium adducit, dicens : « Sicut per unum hominem mors intravit in mundum (*Rom.* 5. 12); » et, « Unius peccato multi mortui sunt (*Ibid. v.* 15); » et, « Non sicut per unum peccatorem, ita donum; » et, « Judicium ex uno in condemnationem; » et rursus, « Si enim per unius delictum mors regnavit per unum; » et, « Itaque si per unius delictum; » et rursum, « Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores effecti sunt multi (*Ibid. v.* 16 *et sqq.*) : » neque ab hoc uno desistit; ut cum tibi dixerit Judæus, Quomodo uno Christo recte operante, orbis salutem est adeptus? possis ipsi dicere : Quomodo uno inobediente Adamo, orbis condemnatus est? quamquam non par sit peccatum gratiæ, nec par sit mors vitæ, nec diabolus Deo, sed immensum sit discrimen. Cum igitur et ex natura rei, et a rem suscipientis potestate, et ab ipso decoro : Deo quippe multo decentius est servare, quam punire : cum ex his inquam, præstantia et victoria pariatur, quam, quæso, incredulitatis rationem habeas? Quod igitur id quod factum est ratione nitatur, ostendit dicens : « 15. Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. » Id est, si peccatum tantum valuit, atque unius hominis peccatum; gratia, imo Dei gratia, nec modo Patris, sed etiam Filii, quomodo non longe superabit? hoc enim multo magis rationi consonum. Alterum enim pro altero pœnas dare, non æquum videtur; alterum vero propter alterum servari, id certe magis decorum et consentaneum. Si ergo illud, multo magis hoc factum est.

2. Quod ergo id decorum et congruens sit, his ille probavit : illo enim commonstrato, hoc postea facile admittebatur : quod vero etiam necessarium, ex sequentibus probat. Quomodo id probat? 16. *Non sicut per unum peccantem, ita et donum*, inquit : *nam judicium quidem ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Ecquid hoc sibi vult? Quod peccatum mortem et damnationem inducere potuerit; gratia vero non illud modo peccatum abstulerit, sed alia quoque omnia, quæ post illud admissa sunt. Ne enim illud, *sicut*, et illud, *ita*, parem inducerent bonorum et malorum mensuram; neve putares, audita Adami voce, ipsius duntaxat peccatum abstersum esse, dicit ille delicta multa sublata fuisse. Undenam hoc liquet? Quia post innumera illa peccata, quæ post illud in paradiso admissum sequuta sunt, in justificationem res deducta est. Ubi autem est justitia, ibi vita et infinita bona necessario consequuntur; sicut ubi est peccatum, ibi mors quoque est.

Justitia vitæ radix. — Justitia enim plus est quam vita, quandoquidem radix vitæ est. Quod igitur plurima inducta sint bona, neque illud modo peccatum, sed etiam cætera omnia sublata sint, id ipse declarat: *Gratia ex multis delictis ad justificationem.* Unde necessario illud quoque ostensum est; mortem radicitus avulsam fuisse. Probandum vero restat, quoniam secundum primo majus esse dixit, ut hoc quoque adstruatur. Primo quippe dixit : Si unius peccatum omnes morti tradidit, multo magis unius gratia servare poterit : postea ostendit, non illud modo peccatum per justitiam sublatum fuisse, sed etiam cætera omnia; neque solum abstersa peccata fuisse, sed datam quoque fuisse justitiam; nec modo tantum profuisse Christum, quantum Adam nocuerat, sed longe magis. Quia igitur tanta pronuntiavit, hic majore opus est probatione. Quomodo igitur illud adstruit? 17. *Si enim unius delicto*, inquit, *mors regnavit per unum, multo magis ii, qui abundantiam gratiæ et donationis justitiæ*[1] *acceperunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Id est : quid mortem contra mundum totum armavit? Quod unus tantum homo

[1] Quidam habent, *et donationis et justitiæ.*

de ligno comedisset. Si ergo mors ex uno delicto tantam vim accipit; cum quidam inventi sint, qui multo majorem peccato illo gratiam et justitiam acceperunt, quomodo poterant deinde morti esse obnoxii? Ideo non hic dixit, gratiam, sed, *Abundantiam gratiæ.* Non modo enim quantum opus erat ad peccatum tollendum, ex gratia illa accepimus, sed multo amplius. Nam a supplicio liberati sumus, et nequitiam omnem exuimus, ac primo regenerati, resurreximus, sepulto veteri homine: redempti sumus et sanctificati, atque in adoptionem adducti, justificati, ac fratres Unigeniti effecti, et coheredes, ejusdem corporis et carnis consortes, sicut caput corpori, ita ipsi juncti sumus. Hæc itaque omnia abundantiam gratiæ Paulus vocavit, ostendens nos pharmacum accepisse non modo par vulneri, sed etiam sanitatem, pulchritudinem, honorem, gloriam et dignitates longe naturam nostram superantes. Quæ singula sola poterant mortem solvere: cum autem omnia simul concurrunt, neque vestigium, neque umbra illius videri potest, cum radicitus deleta fuerit. Quemadmodum ergo si quis hominem obolos sibi decem debentem, in carcerem tradat; neque ipsum solum, sed etiam uxorem, filios et famulos propter ipsum; alius vero accedens, non decem tantum obolos numeret, sed etiam decies mille talenta auri, et vinctum in regias ædes inducat, atque in solium celsissimum collocet, consortemque supremi honoris et splendoris reddat; qui decem obolos commodaverat, eorum ultra reminisci non poterit: sic et in nobis contigit. Longe plura enim quam debeamus solvit Christus, et tanto plura, quanto immensum pelagus ad stillam aquæ collatum majus est. Ne itaque dubites, o homo, cum tantas bonorum divitias videas, nec quæras quomodo illa mortis et peccati scintilla exstincta sit, cum in illam tot charismatum mare immissum fuerit. Hoc enim et Paulus subindicavit dicens, *Qui abundantiam gratiæ et justitiæ acceperunt, in vita regnabunt:* et postquam illud clare commonstravit, rursus primum syllogismum refert, et repetitione confirmat dicens: si propter delictum illius omnes dedere pœnas, hinc posse illos justificari. Quamobrem ait: 18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem: sic et per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ.* Et hac de re iterum concertat his verbis: 19. *Sicut enim per unius hominis inobedientiam homines multi peccatores effecti sunt: sic et per unius obedientiam justi constituentur multi.* Ac videtur quidem dictum illud non parvam inferre quæstionem; si quis vero studiose attenderit, illa facile solvetur. Quænam igitur illa quæstio est? Nempe dicere, per inobedientiam unius multos effici peccatores. Quod enim illo peccante et mortali facto, qui ex illo orti sunt, tales efficiantur, id a verisimili non abhorret; quod autem ex inobedientia illius alter peccator fiat, id quam consequentiam habuerit? Invenietur quippe ille ita nec pœnas debere, nisi ex se peccator fuerit.

3. Quid igitur hic significat illud, *Peccatores?* Mihi quidem videtur, supplicio obnoxios et ad mortem damnatos. Quod igitur Adamo mortuo, omnes simus mortales effecti, id clare et pluribus ostendit: quod quæritur autem est, cur ita factum sit. Sed nondum illud adjicit; neque enim id ad rem præsentem pertinet: nam contra Judæum decertatur, qui dubitat ac deridet illam per unum hominem justitiam. Ideo postquam ostendit supplicium ab uno in omnes derivatum, cur id factum sit, non addit: neque enim superflue loquitur, sed circa necessaria tantum insistat. Hoc enim non magis illum, quam Judæum, dicere cogebat certaminum lex: quapropter rem insolutam relinquit. Quod si quis vestrum quærat, hoc dicemus, nos a morte hujusmodi ac condemnatione non modo nihil læses fuisse, si advigilemus, sed etiam lucratos esse, cum mortales effecti sumus: primo, quod non in corpore immortali peccemus; secundo, quod innumeras philosophiæ ansas hinc mutuemur. Nam ut modum servemus, ut temperantes simus et nos reprimamus, utque ab omni nequitia abstineamus, et præsens et exspectata mors suadet. Ad hæc vero, imo potius ante hæc, alia plurima nobis intulit bona. Hinc enim martyrum coronæ, apostolorum bravia: sic Abel justificatus est, sic Abraham mactato filio, sic Joannes propter Christum occisus, sic tres pueri, sic Daniel. Si enim velimus, nec mors, nec ipse diabolus nobis nocere poterit. Ad hæc illud quoque dici potest, immortalitatem nos excepturam esse, et ad modicum tempus admonitos, futuris nos fruituros esse bonis: postquam in hac vita, quasi in litterario ludo, ex morbis, ærumnis, tentationibus, paupertate, et aliis, quæ gravia videntur esse, instituti et idonei facti fuerimus ad futurorum bonorum adeptionem.

Lex morbum auxit. — 20. *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum.* Postquam enim ostendit ab Adamo damnatum orbem, et a Christo salute donatum, atque a supplicio liberatum; opportune de lege quærit, opinionem quam de illa habebant deprimens. Non modo enim, inquit, nihil profuit nec juvit, sed etiam illa subintrante auctus est morbus. Illud vero, *Ut*, hic non causam indicat, sed eventum. Non enim ideo data est, ut abundaret, sed ut minueret et tolleret peccatum; contrarium autem evenit, non ex naturæ lege, sed ex accipientium ignavia. Cur vero non dixit, Lex data est; sed, *Lex subintravit?* Temporaneum ostendens illius usum, non autem proprium vel præcipuum: quod etiam in Epistola ad Galatas diverso modo dicit: *Antequam enim veniret fides, a lege*, inquit, *custodiebamur, conclusi ad fidem, quæ revelanda erat* (*Gal.* 3.23). Itaque lex non sibi, sed alteri gregem custodiebat. Quia enim Judæi illiberales erant ac dissoluti et ad ipsa dona supini, ideo lex data est, ut illos magis coargueret, et clare doceret quo in statu essent, atque accusationem augens, illos magis constringeret. Verum ne timeas: neque enim ut majus supplicium esset, id factum est, sed ut major appareret gratia. Ideo subjicit: *Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.* Non

dixit, Abundavit; sed, *Superabundavit.* Non modo enim a supplicio liberavit, sed etiam peccatorum remissionem et vitam dedit, aliaque etiam, quæ sæpe diximus: ac si quis febricitantem non solum a morbo liberaret, sed etiam formosum, fortem, honoratum redderet; aut esurientem non modo aleret, sed multis pecuniis donaret, atque ad imperium maximum eveheret. Et quomodo, inquies, abundavit delictum? Innumera dedit lex præcepta: quia ergo illa omnia transgressi sunt, abundavit delictum. Viden' quantum intersit gratiam inter et legem? Lex enim additamentum damnationis facta est: gratia vero doni redundantia.

4. Postquam immensum Dei erga nos studium dixerat, rursus quærit principium et radicem mortis et vitæ. Quænam igitur mortis radix est? Peccatum: ideo dixit: 21. *Ut sicut regnavit peccatum in mortem: ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum.* Hæc autem dixit, ostendens peccatum quidem quasi regem fuisse, mortem vero quasi militem sub ipso stantem et ab ipso armatum. Ergo si peccatum mortem armavit, palam est justitiam, quæ peccatum tollit, quæque per gratiam inducitur, mortem non modo armis spoliare, sed etiam de medio tollere, et illius regnum totum auferre, quatenus ipsius regnum majus illo est: quæ non per hominem vel per diabolum, sed per Deum et per gratiam inducitur, et ad meliorem finem vitam nostram adducit et infinitum bonum: neque enim amplius finem habebit, ut hinc magis ediscas. Illud quidem nos a præsenti vita ejecit; gratia autem veniens, non præsentem, sed immortalem et æternam nobis vitam donavit. Horum autem omnium conciliator nobis est Christus. Ne itaque de vita dubites, cum justitiam habeas: justitia quippe major est quam vita, quia mater ejus est. (*Cap.* 6) 1. *Quid ergo? manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit.* Rursus ad moralem transit sermonem, non quasi data opera illum inducens, ne videatur onerosus et molestus multis esse; sed ex dogmatum serie. Nam si sermonem ita varians cavebat, ne forte isti ægre ferrent (ideoque dicebat: *Audacius autem vobis scripsi ex parte*) (*Rom.* 15. 15); nisi hoc fecisset, asperior illis visus fuisset. Postquam ergo monstravit, magnam esse gratiam peccata gravia curandi; cum hinc insipientibus videretur hoc dictum adhortationem esse ad peccandum: Si enim ideo, aiebant, major visa est gratia, quia magna peccata admisimus, peccare ne desinamus, ut amplior gratia ostendatur: ne igitur hæc dicerent vel opinarentur, vide quomodo objectionem subvertat, primo negatione, dicens, *Absit;* ut solet in iis, quæ absurda esse in confesso est: deinde ratiocinium adhibet, cui repugnari nequeat. Quare illud? 2. *Qui mortui sumus*, inquit, *peccato*, *quomodo adhuc vivemus in illo?* Quid est illud, *Mortui sumus?* Vel quod, quantum ad illud spectat, sententiam accepimus omnes? an quod mortui sumus illi, credentes et illuminati, id quod certe potius dicendum: hoc enim ostendit etiam id quod sequitur. Quid autem est, mortuos esse peccato? In nullo deinceps ipsi obsequi. Hoc enim semel fecit baptisma; nos peccato mortuos reddidit. Oportet autem hoc studio nostro in perpetuum exsequi, ut quantacumque imperet, non ultra dicto audientes simus, sed quasi mortui, immoti maneamus. Atqui alibi quoque ait, ipsum peccatum mortuum esse; sed ibi, ut facilem ostendat virtutem, hoc profert; hic vero quoniam auditorum excitare festinat, ad ipsum mortem transfert. Deinde, quia dictum illud obscurum erat, illud explicat vehementiore utens sermone: ait enim: 3. *An ignoratis, fratres, quod quicumque in Christum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus?* 4. *Consepulti igitur ipsi sumus per baptismum in mortem*, Quid sibi vult illud, *In mortem ipsius baptizati sumus?* Ut ipsi moriamur sicut et ille: Crux enim baptisma est. Quod igitur Christo fuit crux et sepulcrum, hoc nobis baptisma fuit, etsi non iisdem in rebus: ipse namque carne mortuus ac sepultus est, nos autem peccato utrumque. Quapropter non dixit, *Complantati cum morte*; sed *Cum similitudine mortis.* Mors enim est et hoc et illud, sed non ejusdem subjecti; mors enim carnis, Christi est, mors peccati, nostra. Quemadmodum illa, sic et hæc vera est. At etsi vera sit, ea quæ penes nos sunt conferamus oportet: ideo subjungit: *Ut quemadmodum Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Hic cum recte vivendi studio resurrectionem quoque subindicat. Quomodo? Credidisti, inquit, Christum mortuum fuisse et resurrexisse? Ergo et quod ad te pertinet credito; hoc enim illi simile est, quoniam ad te quoque spectat et crux et sepulcrum. Nam si in morte et in sepulcro consors ipsi fuisti, multo magis in resurrectione et vita: soluto namque majore, nimirum peccato, de minore, nempe mortis exitio, non est quod dubitetur. Verum hæc interim Paulus auditorum conscientiæ consideranda relinquit; ipse vero proposita futura resurrectione, aliam a nobis resurrectionem exigit, novum institutum in præsenti vita, quod ex morum mutatione fiat. Nam cum fornicator castus efficitur, avarus misericors, asper mansuetus, hic quoque resurrectio fit, quæ futuræ procemium est. Et quomodo resurrectio est? Mortuo peccato, et justitia exsurgente; pristina vita deleta, nova autem hac et angelica vigente. Cum audis vitam novam, multam quære diversitatem et mutationem magnam.

5. *Peccatum senectutem affert.*—Verum in lacrymas erumpo et in gemitus magnos, cum cogito quantam a nobis philosophiam exigat Paulus, et in quantam nos ignaviam conjecimus, post baptismum ad priorem senectutem reversi, atque in Ægyptum redeuntes, et post manna, allia in memoriam revocantes. Decem enim aut viginti diebus post baptismum mutati, pristina rursum aggredimur At non statum dierum numerum, sed totam vitam expetit Paulus hoc vivendi institutum: nos autem ad pristinum vomitum reversi, post juventutem a gratia acceptam

a peccatis senectutem paramus. Nam pecuniarum amor et absurdarum cupiditatum servitus, omneque tandem peccatum, senectutem operanti afferre solet: quod autem ad vetustatem senectutemque declinat, interitui proximum est. Neque enim ita potest corpus per senectutem dissolvi, ut animæ peccatis corrupta ac delapsa: ad extremas enim tunc nugas deducitur, futilia loquens, quemadmodum senes et deliri, atque pituita referta, necnon stupore, atque oblivione, lippis instructa oculis, hominibus abominanda, et diabolo captu facilis est: tales enim sunt peccatorum animæ. Justorum vero animæ contra juvenescunt ac vigent, et in ipso ætatis flore sunt semper, ad pugnam et luctam semper paratæ. Peccatorum vero animæ in quam minimo conflictu statim cadunt et pereunt: id quod declarans propheta dicebat: *Tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* 1. 14), ita sunt versatiles, et damnum parantibus aditu faciles, qui in peccatis vitam agunt. Neque enim clare vident, nec sincere audiunt, nec articulatim loquuntur: singultu multo gravantur, ingentem in ore salivam circumferunt. Atque utinam salivam; non enim id absurdum esset; sed jam cœno putidiora verba proferunt: quodque gravius est, ne spuere quidem hujusmodi verborum spumam possunt, sed manu excipientes, exsecrando modo rursus illam atterunt, cum sit densa, nec facile solvi possit. Forte cum nausea et fastidio narrationem hanc excipitis: quanto magis rem ipsam fastidiretis! Nam si in corpore hæc ingrata et insuavia sunt, multo magis in anima. Talis erat juvenis ille, qui omnia sua consumpserat, et in extremam nequitiam devenerat, ita ut deliro omni et ægrotante debilior esset. At quando voluit, derepente novus factus est, ex una animi voluntate ac mutatione. Postquam enim dixerat, Revertar ad patrem meum (*Luc.* 15. 18): hæc una vox omnia ipsi contulit bona; imo vero non verbum tantum, sed opus cum verbo conjunctum. Non enim dixit, Revertar, et ibi mansit; sed, Revertar, et reversus ac viam totam illam emensus est. Sic et nos faciamus: etiamsi extra patriæ fines deportati fuerimus, ad paternam tamen domum redeamus, nec nos longioris viæ pigeat. Nam si voluerimus, facilis erit reditus ac celerrimus, modo peregrinam terram deseramus: hoc enim ipsum est peccatum, quod nos a paterna domo abducit. Illam itaque relinquamus, ut ad paternam revertamur domum. Nam prolis amans est pater, nec nos immutatos minus diliget, quam eos, qui vitæ probitate florent, imo plus amabit: siquidem illum pater plus in honore habuit, magisque delectatus est filio recuperato. Et quomodo revertar, inquies? Rem incipe tantum, et totum factum est: peccare desine, nec ultra procedas, et jam totum accepisti. Sicut enim iis, qui morbo laborant, non pejus habere initium est convalescendi: sic et in nequitia contingit: ne ulterius progrediaris, et nequitia finem habebit. Si per biduum hoc feceris, tertio die facilius abstinebis, ac tribus decem addes; hinc viginti, postea centum, denique totam vitam. Quanto enim magis progressus fueris, faciliorem cernes viam, et ad ipsum culmen adductus, complurium simul bonorum fructum decerpes. Nam tunc quoque, cum prodigus ille reversus est, et tibiæ et citharæ et chori, thaliæ et celebritates aderant: atque is, qui a filio de tam intempestivo sumptu deque diuturna fuga rationes repetiturus esse videbatur, nihil hujusmodi fecit; imo illum quasi præclare sese gessisset conspexit: nec modo illum verbis non increpavit, nec pristinæ vitæ mentionem fecit; sed perfusus gaudio osculatus est, vitulum mactavit, et stola ipsum induit, multumque addidit ornatum. His ergo exemplis instructi, confidamus et ne desperemus. Neque enim ille ita lætatur cum Dominus, ut cum Pater vocatur; mavultque filium, quam servum habere. Propterea illa omnia fecit, Unigenito suo non pepercit, ut filiorum adoptionem reciperemus (*Rom.* 8. 23), utque illum non modo ut Dominum, sed etiam ut Patrem diligeremus. Id quod si a nobis obtineatur, ac si gloriam adeptus, hoc effert, omnibusque lætabundus declarat, qui nullo nostrorum indiget. Hoc erga Abrahamum effecit, qui passim dicit: Ego Deus Abraham et Isaac et Jacob. Atqui in his servos gloriari oportebat; at nunc ipse Dominus hac de re gloriatur. Idcirco Petro dicit: *Diligis me plus his* (*Joan.* 21. 17)? ostendens se nihil perinde a nobis expetere. Ideoque Abrahamum jussit filium suum immolare, ut omnibus palam faceret se multum a patriarcha amari. Illud porro, quod se multum amari cupiat, ipsum etiam multum amare significat. Ideoque apostolis dicebat: *Qui amat patrem et matrem plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* 10. 37).

6. *Christus quantum a nobis amorem exigat. Pro ipso pati lucrum parit.* — Idcirco quod omnium nobis carissimum est, animam nempe, jubet secundam in amore poni; quia ipse majorem in modum et super omnia vult a nobis amari. Etenim et nos eum non admodum erga aliquem afficimur, illius amorem non multum curamus, etsi magnus sit et illustris; cum vero quempiam sincere amamus, etsi vilis tenuisque sit, ejus mutuum amorem magni facimus. Ideo ille non solum a nobis amari, sed etiam pro nobis contumeliosa illa pati, gloriam vocabat. Verum illa ob dilectionem tantum gloria erant: quæ autem nos pro ipso passi fuerimus, non propter amorem tantum, sed etiam propter amati gloriam et dignitatem, gloria vere vocentur et fuerint.

Quasi ergo ad coronas maximas, ad pericula pro ipso subeunda curramus, nec paupertatem, vel morbum, vel molestiam, vel sycophantiam, vel ipsam mortem gravem et molestam esse putemus, cum hæc propter illum sustinenda sint. Nam si sapiamus, magnum inde fructum decerpemus; quemadmodum nisi sapiamus, ne a contrariis quidem aliquid boni lucrabimur. Perpende autem: tibi quispiam molestus est, et adversatur? Ad vigilandum te ille provocat, occasionemque tibi præbet, ut sis Deo similis. Si insidiantem tibi diligas, similis eris ei, *Qui solem oriri facit super malos et bonos* (*Matth.* 5. 45). Alius

tibi pecunias abripit? Si generose feras, eamdem recipies mercedem, quam si qui omnia pauperibus largiuntur. *Nam rapinam facultatum vestrarum*, inquit, *cum gaudio excepistis, scientes vos meliorem habere et manentem in cælis substantiam* (*Hebr.* 10. 34). Maledictis et conviciis te quispiam incessit? Seu vera, seu falsa illa sint, coronam tibi maximam nexuit, si æquo animo feras. Nam sycophanta magnam nobis mercedem conciliat (*Gaudete*, inquit, *et exsultate, cum omne malum dixerint adversum vos, mentientes; quia merces vestra copiosa est in cælis* (*Matth.* 5. 12. 11) : cumque vera dicit etiam, multum prodest, si tamen dicta patienter feramus. Etenim Pharisæus ille vera contra publicanum proferebat (*Luc.* 18. 11); at de publicano justum effecit. Quid opus est singula prosequi? nam Jobi certamina perpendenti licet omnia accurate discere. Ideoque Paulus dicebat. *Si Deus pro nobis, quis contra nos* (*Rom.* 8. 31)? Ut ergo si studium adhibeamus, ab iis qui nobis molestiam inferunt, lucrum reportamus : sic si ignavi simus, ne ab iis quidem, qui prodesse volunt, meliores efficimur. Quid Judæ, quæso, profuit Christi contubernium? quid Judæis lex? quid Adamo paradisus? quid iis, qui in deserto erant, Moyses? Quamobrem his dimissis, id unum spectare debemus, quomodo nostra recte componamus. Si hoc faciamus, ne ipse quidem diabolus nobis umquam superior erit; sed magis nobis proderit, dum nos ad vigilandum inducit. Sic Ephesios Paulus excitavit, dum diaboli feritatem narraret (*Ephes.* 6). Verum nos somno dediti stertimus, cum rem habeamus contra tam malignum hostem. Sane si serpentem prope lectum nostrum latitare sciremus, nihil non ageremus ad illum occidendum; Diabolo autem in ipsis animis nostris latitante, nihil nos adversi pati putamus, sed concidimus : cujus rei causa est, quod ipsum oculis corporis non videamus : quamquam ideo magis vigilare et cavere oporteret. Nam a sensibili hoste facile quis caverit; ab invisibili vero, nisi undique armati simus, facile effugere non poterimus; maxime autem quia ille non recta via nos aggredi solet; alias enim cito caperetur; sed sæpe sub amicitiæ specie, crudelitatis venenum immittit. Sic Jobi uxorem induxit, ut assumpta dilectionis larva, perniciosum illud consilium proferret : sic Adamum alloquens, se curam et patrocinium ipsius suscipere simulat, dicens : *Aperientur oculi vestri, qua die de ligno comederitis* (*Gen.* 3. 5). Sic pietatem simulans Jephthæ suasit, ut filiam immolaret, et iniquum sacrificium offerret. Viden' ejus insidias? viden' ejus varium bellum? Cave igitur, et te undique munito spiritualibus armis, illiusque machinamenta accurate disce, ut ne te ille capere valeat, et tu illum capias. Quandoquidem Paulus sic illum devicit, hæc probe edoctus; ideo dicebat : *Non enim illius cogitationes ignoramus* (2. *Cor.* 2. 11). Nos itaque illius insidias ediscere et effugere curemus, ut reportata de illo victoria, et in præsenti et in futuro sæculo victores prædicemur, et immortalia assequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri, unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Cap. 6. v. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.*

1. Quod jam supra dixi, nunc etiam dicam, ipsum frequenter in moralem orationem digredi, non ut in aliis epistolis, quas in duo dividit : ac priorem partem dogmatibus deputat, alteram morum curæ. Hic vero non item : per totam enim epistolam permixtim de utroque agit, ut accepta sit oratio. Duas ergo hic ait mortificationes duasque mortes; et aliam quidem a Christo factam esse in baptismate, alteram vero a nobis fieri oportere per subsequens studium. Nam quod priora peccata sepulta fuerint, ex illius dono factum est; quod autem post baptismum peccato mortui maneamus, id studii nostri opus esse debet, etsi videamus Deum in hisce nos multum juvare. Baptisma enim non modo priora delicta delere potest, sed etiam adversus futura firmare. Quemadmodum ergo ibi fidem adhibuisti, ut illa delerentur : sic et in sequentibus studii mutationem exhibe, ne rursus teipsum contaminaveris. Hæc et similia consulens dicit : *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.* Viden' quomodo auditorem erigat, ad Dominum suum statim illum adducens, et multam conatus ostendere similitudinem? Propterea non dixit, Morti, ut ne contradicas; sed, *Similitudini mortis* : neque enim substantia ipsa mortua est, sed homo ex peccatis natus, id est, malitia. Nec dixit, Si enim participes facti sumus similitudinis mortis; sed quid? *Si enim complantati sumus* : plantationis nomine fructum ejus in nobis subindicans. Sicut enim corpus ejus sepultum in terra fructum orbis salutem attulit, ita et nostrum in baptismate sepultum fructum tulit justitiam, sanctificationem, adoptionem, innumera bona : feret etiam demum resurrectionis donum. Quia igitur nos in aqua, ipse in terra; nos per peccati rationem, ille per corporis sepultus est : ideo non dixit, Complantati morti, sed, *Similitudini mortis* : mors enim et hoc et illud, est, sed non ejusdem suppositi. Si ergo, inquit, in morte complantati facti sumus, et resurrectionis erimus; resurrectionem hic futuram dicens. Nam cum superius de morte disserens, ac dicens : *An ignoratis, fratres, quod quicumque in Christo baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus?* Nihil de resurrectione clare disseruerit, sed de vitæ instituto post baptisma, jubens in novitate vitæ ambulare : ideo hic eodem resumpto sermone, illam nobis demum resurrectionem prænuntiat. Et ut discas, illum non de hac loqui, quæ ex baptismo est, sed de illa : ubi dixit, *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus*, non

addidit, Similitudinis resurrectionis erimus, sed, *Ipsius resurrectionis*. Ne diceres enim, Quomodo, nisi moriamur ut ille mortuus est, resurgemus ut ille resurrexit? cum mortem memoravit, non dixit, Complantati morti, sed, *Similitudini mortis;* cum autem de resurrectione loquitur, non dicit, Similitudini resurrectionis, sed, Ipsius resurrectionis erimus. Nec dixit, Facti sumus, sed, *Erimus;* hinc declarans illam nondum factam resurrectionem, sed futuram. Deinde, ut fide dignum sermonem constituat, alteram ostendit resurrectionem, quæ ante illam hic facta est, ut a præsenti futuræ fidem habeas. Cum dixisset enim, nos complantatos fore resurrectioni, addit: 6. *Hoc scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati;* simul et causam et demonstrationem futuræ resurrectionis ponens. Nec dixit, Crucifixus est, sed, *Simul crucifixus est*, proxime admovens baptisma cruci. Ideo superius dicebat: *Complantati facti sumus similitudini mortis ejus, ut destruatur corpus peccati;* non hoc corpus sic appellans, sed universam malitiam. Sicut enim veterem hominem dicit universam malitiam (*Coloss.* 3. 9), sic et corpus hominis illius vocat malitiam diversis nequitiæ partibus constantem. Quod autem id non ex conjectura dicatur, a Paulo hoc ipsum deinceps explicante audi. Cum dixisset enim, *Ut destruatur corpus peccati*, subjunxit: *Ut non ultra serviamus peccato.* Huic enim ipsum volo esse mortuum, non ita ut deleatur et moriatur, sed ut non peccet. Ac progressus, illud adhuc clarius efficit: 7. *Qui enim mortuus est*, inquit, *justificatus est a peccato.* De omni homine hoc dicit, quod quemadmodum qui mortuus est, a peccando demum desistit, mortuus cum jaceat: sic qui ascendit a baptismo. Quia enim illic semel mortuus est, oportet ut omnino mortuus peccato maneat.

2. Si ergo mortuus es in baptismo, mane mortuus: etenim quisquis mortuus est, non ultra peccare potest: si autem pecces, Dei donum labefactas. Postquam ergo tantam a nobis philosophiam exegit, coronam statim adjecit, dicens: 8. *Si autem mortui sumus cum Christo.* Atqui et hæc ante coronam magna corona est, communicare cum Domino: verumtamen et aliud, inquit, do tibi præmium. Quodnam illud? Vitam æternam: nam ait: *Credimus, quia simul etiam vivemus cum illo.* Et undenam hoc liquet? 9. *Scientes, quod Christus, qui resurrexit ex mortuis, jam non moritur.* Ac vide rursus illius contentionem, et quomodo a contrariis illud probet. Quia enim verisimile erat, quosdam a cruce et morte conturbari, ostendit ob hoc ipsum habendam fiduciam esse. Ne putes enim, inquit, quia semel mortuus est, ipsum esse mortalem: ideo namque immortalis permanet: mors quippe ejus, mors mortis facta est; et quia mortuus est, ideo non moritur: etenim illa morte, 10. *Peccato mortuus est.* Quid est illud, *Peccato?* Id est, neque illi obnoxius erat, sed propter peccatum nostrum: nam ut illud tolleret, et ejus nervos vimque omnem abscinderet, ideo mortuus est. Viden' quomodo terruerit? Si enim non secundo moritur, secundum lavacrum non est: si secundum lavacrum non est, cave ne ad peccatum declines. Hæc enim omnia dicit, ut contra illud pugnet: *Faciamus mala, ut veniant bona;* et illud quoque: *Perseverabimus in peccato, ut abundet gratia.* Hanc igitur opinionem radicitus evellens, hæc omnia ponit. *Quod autem vivit, vivit Deo*, inquit; hoc est, indissolubiliter, ut non ultra dominetur illi mors. Nam si priorem mortem, insons subiit, propter aliorum peccatum: multo magis nunc non morietur, cum peccatum solverit. Id quod etiam in Epistola ad Hebræos dicebat: *Semel enim in consummatione sæculorum ad abrogationem peccati per hostiam suam manifestatus est* (*Hebr.* 9. 26). Et quatenus statutum est hominibus semel mori: sic et Christus semel oblatus, ut multorum abstolleret peccata, secundo sine peccato apparebit iis, qui ipsum ad salutem exspectant. Ostendit autem et vitæ secundum Deum actæ vim, et peccati item potentiam: vitæ secundum Deum actæ, quia non ultra morietur; peccati vero, quia si impeccabilem ad mortem deduxit, sibi obnoxios quomodo non perdet? Deinde quia de ipsius vita loquutus est, ne quis dicat, Quid ad nos dictum illud? subjungit: 11. *Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo.* Bene dixit, *Existimate*, quia id quod dictum est, aspectu repræsentare jam non licet. Et quid, inquies, existimamus? Nos *Mortuos esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.* Nam qui ita vivit, omnem apprehendet virtutem, ipsum habens belli socium Jesum: hoc enim significat illud, *In Christo.* Nam si nos mortuos suscitavit, multo magis viventes continere poterit. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis ei in concupiscentiis ejus.* Non dixit, Ne ergo vivat caro, neque operetur; sed, *Ne regnet peccatum:* neque enim venit ut naturam destrueret, sed ut propositum voluntatis dirigeret. Deinde ostendens, nos non vi et necessitate a malitia detineri, sed sponte agere; non dixit, Ne tyrannidem exerceat, quod necessitatis esset; sed, *Ne regnet.* Etenim absurdum esset ad regnum cælorum ductos regem peccatum habere, et vocatos ad regnandum cum Christo, peccati captivos esse malle: ac si quis diadema projiciens ex capite, dæmoniacæ mulieri, mendicæ et pannosæ servire velit. Deinde quia grave est peccatum superare, vide quam facile illud esse ostendat, et laborem emolliat, dicens, *In mortali vestro corpore:* hoc enim declarat temporanea certamina esse, et cito transitura; simulque pristina mala in mentem nobis revocat, ipsiusque mortis radicem: hinc enim et ab ipso initio mortale fuit. At fieri potest, ut qui mortale corpus habet non peccet. Viden' gratiæ Christi potentiam? Adam cum nondum mortale corpus haberet, lapsus est; tu vero mortuum cum acceperis, coronari poteris. Et quomodo, inquies, regnat peccatum? Non ex propria virtute, sed ex ignavia tua. Ideo, cum dixisset, *Ne regnet*, regni hujusce modum ostendit, hæc adjiciens, *Ut obediatis ei in concupiscentiis ejus.* Non est enim honor corpori omnia cum potestate concedere, imo potius extrema servitus et ingens

ignominia : nam cum ea quæ vult facit, tunc libertate omni privatur; cum autem cohibetur, tunc maxime suam servat dignitatem. 13. *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ.*

3. Itaque medium corpus est inter malitiam et virtutem, quemadmodum et ipsa arma : utraque autem opera fiunt ab iis, qui ipsis utuntur : quemadmodum miles pro patria decertans, et fur contra habitatores domus armatus, iisdem utuntur armis : non enim armaturæ culpa est, sed eorum, qui illa ad malum utuntur. Id quod etiam in carne videre est, quæ hoc vel illud efficitur secundum animi sententiam, non secundum propriam naturam. Si enim alienam pulchritudinem curiosius intueatur, arma iniquitatis factus est oculus, non a propria operatione (oculi enim est videre, non male videre) ; sed a jubentis cogitationis nequitia : si vero illum refrænaveris, tunc justitiæ telum erit. Sic de lingua dicendum, de manibus et de reliquis omnibus. Recte autem peccatum iniquitatem vocavit : peccator enim aut sibi aut proximo iniquus est; imo potius sibi ipsi, quam proximo. Postquam igitur a malitia abduxit, ad virtutem ducit his verbis : *Sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes.* Vide quomodo nudis verbis hortatur, illic peccatum dicens, hic Deum. Cum ostendisset enim, quantum esset inter regnantes discrimen, militem illum omni venia exclusit, qui Deo relicto, sub regno peccati mereri concupivit. Non hinc tantum, sed etiam ex sequentibus hoc adstruit dicens : *Tamquam ex mortuis viventes.* His enim ostendit et peccati perniciem et doni Dei magnitudinem : Cogitate enim, inquit, et qui fueritis et qui facti sitis. Quinam ergo eratis? Mortui et perditi pernicie nullo modo emendabili : non erat enim qui opem ferre posset. Et quinam ex illis mortuis facti estis? Viventes vita immortali. Et cujus opera? Per eum, qui omnia potest Deus. Ergo æquum est, ut sub illo militetis cum tanta animi alacritate, quanta par est eos, qui ex mortuis viventes facti sunt, *Et membra vestra arma justitiæ Deo.* Ergo non malum est corpus, siquidem arma justitiæ fieri possit. Arma autem dixit, ostendens bellum instare gravissimum. Quapropter armatura forti opus habemus, generosoque animo, rei militaris hujusce perito; præ omnibus autem duce. Verum dux ille semper adest, ad commilitium paratus, inexpugnabilis manens : et arma fortia apparavit nobis. Opus est demum proposito voluntatis, quo illa ut par est tractentur, ita ut duci pareat, et arma pro patria sumat. Postquam ergo ad magna illa hortatus est, et arma, pugnam et bella memoravit, vide quomodo militi rursus animos faciat, dicens : 14. *Peccatum enim vobis non ultra dominabitur ; non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Si ergo peccatum non ultra nobis dominaturum sit, cur tot tantaque præcipis, dicens : *Ne regnet peccatum in vestro mortali corpore ;* et, *Ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato?* Quid ergo sibi vult dictum illud? Sermonem hic quasi semen spargit, quem deinceps explicaturus est, et cum multo apparatu probaturus. Quis ergo est hic sermo? Corpus nostrum ante Christi adventum peccato captu facile erat. Nam post inductam mortem affectuum quasi examen inductum est : quapropter non valde expeditum erat ad virtutis cursum suscipiendum. Neque enim aderat Spiritus qui juvaret, neque baptismus, qui mortificare posset; sed velut effrenis equus currebat quidem, sed sæpe aberrabat, quandoquidem lex quæ agenda et quæ non agenda essent edicebat quidem, sed nihil præter verborum monita certantibus suppeditabat : postquam autem Christus advenit, certamina deinde faciliora fuerunt. Quapropter majora nobis proposita sunt certamina, utpote qui majori fulciremur auxilio. Idcirco dicebat Christus : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum* (*Matth.* 5. 20). Verum hoc quidem in sequentibus clarius explicat ; interim vero hic illud paucis subindicat, ostendens, si nos ipsos non admodum dejecerimus, peccatum nos non superaturum esse. Neque enim tantum lex est quæ præcipiat, sed etiam gratia, quæ et præterita condonet, et ad futura muniat et confirmet. Etenim lex post labores coronas pollicebatur ; gratia vero prius coronavit, ac deinde ad certamina traxit. Mihi autem videtur non tota hic fidelis viri vita subindicari, sed comparationem fieri baptismi cum lege : id quod alibi quoque dicit : *Litera quidem occidit, Spiritus vero vivificat* (2. *Cor.* 3. 6). Lex enim prævaricationem arguit, gratia vero prævaricationem tollit. Ut igitur illa redarguens, peccatum constituit : ita gratia condonans non sinit esse sub peccato; ita ut duplici modo sis ab hac tyrannide liberatus, et quod sub lege non ultra sis, et quod gratia fruaris.

4. Postquam vero per hæc fecit, ut auditor respiraret, rursus illum roborat, ex objectione admonitionem inducens his verbis : 15. *Quid ergo? peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.* Primo negatione, quod valde absurdum sit illud, usus est : deinde in admonitionem sermonem convertit, ostendens admodum facilia esse certamina, ita loquens : 16. *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ ad justitiam?* Nondum gehennam dico, inquit, neque grande illud supplicium, sed præsentem turpitudinem, quando et servi estis, et sponte servi, et peccati servi; idque tali cum mercede, ut rursum moriamini. Si enim ante baptismum mortem intulit corpoream, vulnusque tanta medela opus habuit, ut Dominus omnium ad mortem descenderet, et sic malum tolleretur : post tantum donum, post acquisitam libertatem, peccatum te jam succumbentem invadens, quid non faciet? Ne itaque ad tantum barathrum accurras, neque ultro te prodas. In bellis enim sæpe milites inviti produntur : hic autem, nisi sponte transfugias, nemo te superabit. Postquam ex decore pudorem intulit, jam a præmiis

terret, et ponit utriusque mercedem, justitiam et mortem; mortem vero vulgari non similem, sed longe graviorem. Si enim Christus non ultra moriturus est, quis illam solvet mortem? Nemo. Ergo pœna atque supplicium est necessario subeundum: neque enim ultra mors advenit sensibilis, ut hic, quæ corpus quiescere et ab anima separari curet: *Postremus enim inimicus aboletur mors* (1. *Cor.* 15. 26). Unde immortale supplicium erit; sed non obsequentibus Deo; illis namque justitia, bonaque inde germinantia, præmia erunt. 17. *Gratia autem Deo, quia eratis servi peccati; obedistis autem ex corde in eam doctrinæ formam, in quam traditi estis.* Postquam a servitute pudorem, a præmiis terrorem intulit et hortatus est; erigit rursum illos ex beneficiorum memoria. His enim ostendit illos ab ingentibus malis liberatos esse, nec ex propriis laboribus; atque faciliora esse ea, quæ futura sunt. Quemadmodum enim si quis captivum a crudeli tyranno liberaverit, adhortans illum, ne ad ipsum revertatur, gravissimam illam tyrannidem commemorat: ita et Paulus cum emphasi præterita mala describit, dum gratias agit Deo. Neque enim, inquit, humanæ fortitudinis erat, ab illis nos malis eruere; sed gratia Deo, qui id et voluit et potuit. Ac recte dixit, *Obedistis ex corde:* neque enim coacti fuistis, neque per vim, sed sponte cum alacritate abscessistis. Hoc autem et laudantis est simul et corripientis. Nam qui sponte, et sine ulla illata necessitate accessistis, qua venia, qua excusatione digni eritis, si ad pristina revertamini? Deinde ut discas, non ex illorum probitate tantum, sed Dei gratia totum factum fuisse; postquam dixerat, *Obedistis ex corde,* addidit, *In eam doctrinæ formam, in quam traditi estis.* Obedientia enim ex corde liberum arbitrium denotat; quod autem traditi sint, id Dei auxilium subindicat. Quænam autem est forma doctrinæ? Recte et cum optimo instituto vivere. 18. *Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ.* Duo hic dona Dei ostendit: quod a peccatis liberaverit, et quod justitiæ subdiderit; quod omni libertate præstantius est. Idipsum enim fecit Deus, ac si quis puerum orphanum accipiens, a barbaris in terram aliam abreptum, non modo a captivitate liberet, sed sese patrem illius et curatorem constituat, ad magnamque dignitatem evehat: quod erga nos factum est. Non modo quippe nos a veteribus malis eripuit, sed etiam ad angelicam vitam deduxit, et optimi instituti viam nobis aperuit, justitiæ tutelæ tradens, vetera mala tollens, veteremque hominem mortificans, atque ad vitam nos manu ducens immortalem. Exspectemus igitur illam viventes: multi enim qui spirare et incedere videntur, miserabilius jacent, quam mortui.

5. *Mortis genera diversa.* — Varia quippe sunt mortis genera. Est quippe mors corporis, secundum quam Abraham, mortuus cum esset, non erat mortuus: *Deus enim,* inquit, *non est Deus mortuorum, sed vivorum* (*Matth.* 22. 32). Alia est mors animæ, quam subindicans Christus dicebat: *Sine mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* 8. 22). Alia, illaque laudabilis, per philosophiam advenit, de qua dicit Paulus: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram* (*Col.* 3. 5). Alia, quæ hujus causa fuit, in baptismo fit: Nam *Vetus homo noster,* inquit, *crucifixus est* (*Rom.* 6. 6); id est, mortificatus est. Hæc cum sciamus, illam fugiamus mortem, secundum quam viventes morimur; hanc vero non timeamus, quæ mors communis omnibus est. Duas alias, quarum altera beata est, a Deo data; altera laudabilis, a nobis simul et a Deo parta, deligamus et æmulemur. Ex his duabus alteram beatam dicit David his verbis: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates* (*Psal.* 31. 1); alteram vero miratur Paulus, ad Galatas scribens: *Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt* (*Gal.* 5. 24). Ex aliis vero duabus alteram contemnendam esse Christus ait dicens: *Nolite timere ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* 10. 28); alteram vero terribilem: *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehenna* (*Ibid.*). Quapropter hanc fugientes, illam deligamus mortem, quæ beata et admirabilis prædicatur, ut aliarum alteram fugiamus, alteram timeamus. Nihil enim nobis profuerit solem videre, comedere, bibere, nisi adsit vita per bona opera. Quid, quæso, prosit regi purpura indui, arma habere, sed neminem subditum; ita ut quisque impune possit illi insultare, injuriamque afferre? Sic et Christiano nihil lucri accedet, si fidem et baptismi donum habeat, sed omnibus sit affectibus subditus: major enim sic contumelia erit et majus dedecus. Quemadmodum enim ille, qui diademate et purpura ornatus est, non modo ex hujusmodi ornatu nihil lucratur honoris, sed illum quoque per proprium dedecus contumelia afficit: sic qui credit, et corruptam ducit vitam, non modo non venerabilis ex fide erit, sed etiam ridiculus: *Quicumque enim,* inquit, *sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; et quicumqne in lege peccaverunt, per legem judicabuntur* (*Rom.* 2. 12). Et ad Hebræos scribens, dicebat: *Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla misericordia, duobus vel tribus testibus moritur* (*Hebr.* 10. 28). Quanto graviore putatis supplicio plectetur is, qui Filium Dei conculcaverit? Et jure quidem merito: nam per baptisma, inquit, omnes tibi animi affectus subdidi. Quid actum est, ut tantum donum contumelia afficeres et alius pro alio fieres? Peremi atque sepelivi priora delicta tua tamquam vermes: cur ergo tu alia peperisti? nam vermibus deteriora sunt peccata: hi namque corpus, illa animam labefactant, ac majorem pariunt fœtorem. At nos id non sentimus; ideoque illam expurgare negligimus. Neque enim is qui ebrius est novit, quantus sit vini putrescentis fœtor; sed qui ebrius non est, id probe novit. Sic et in peccatis accidit: qui temperanter vivit, cœnum illud et maculam optime novit; qui vero nequitiæ sese dedidit, quasi ebrietate obrutus, id non novit, quod nempe ægrotet. Atqui hoc maximum gravissimumque

est nequitiæ malum, quod eos, qui in illam incidunt, propriæ suæ perniciei magnitudinem videre non sinat : verum illi, dum in luto jacent, unguentis se frui putant : quapropter nec sese inde eximere possunt, sed dum vermibus scatent, ita sese efferunt, ut si pretiosis lapidibus ornati essent. Ideoque vermes illos interimere nolunt, sed nutriunt illos, et in seipsis augent, donec illos ad futuri sæculi vermes transmittant. Nam hi illorum sunt conciliatores ; nec modo conciliatores, sed etiam patres illorum, qui numquam moriuntur. *Vermis* enim *eorum non morietur* (*Marc.* 9. 43), inquit. Hi gehennam accendunt numquam exstinguendam. Ut ne igitur hæc fiant, fontem malorum tollamus, fornacem exstinguamus, et radicem iniquitatis ab imo exstirpemus. Nam si malam arborem a summo excideris, nihil fecisti, radice infra manente, et eadem rursum emittente. Quænam ergo malorum radix est? Disce a bono plantatore, qui hæc accurate novit, et spiritualem vineam colit, ac totius orbis agricola est. Quam ergo dicit ille esse malorum omnium causam? Pecuniarum concupiscentiam. *Radix enim omnium malorum*, inquit, *est avaritia* (1. *Tim.* 6. 10). Hinc pugnæ, inimicitiæ, bella : hinc contentiones, convicia, suspiciones, contumeliæ : hinc cædes, furta, sepulcrorum effossiones : propter hanc non urbes et regiones modo, sed etiam viæ, et orbis habitatus et non habitatus, montes, saltus, colles, uno verbo omnia sanguine cædibusque plena sunt. Ne mare quidem hac peste vacat, sed illic etiam cum furore magno grassatur, piratis illud undique obsidentibus, ac novum quemdam latrocinii modum excogitantibus. Per hanc naturæ leges eversæ sunt, cognationis statuta concussa, substantiæ ipsius jura corrupta sunt.

6. *Pecuniarum cupiditas quantum malum.* — Nam pecuniarum tyrannis non contra vivos modo, sed etiam contra mortuos tales dexteras armavit : ac neque cum illis per mortem pacta iniri possunt : nam fractis sepulcralibus thecis ; contra mortua corpora sceleratas extendunt manus, nec ex hac vita migrantes sinunt ab insidiis suis liberari. Ac quotquot mala inveneris, domi, in foro, in tribunalibus, in curiis, in regia, et ubicumque velis, hinc omnia pullulare videbis. Hoc utique, hoc malum est, quod omnia sanguine et cædibus implevit : hoc gehennæ flammam accendit, hoc effecit ut civitates nibilo melius, imo longe deterius haberent, quam deserta. Nam ab iis, qui secus vias insidiantur, cavere facile est, utpote qui non continenter adoriantur : qui vero in mediis urbibus illos imitantur, tanto pejores illis sunt, quanto difficilius est ab illis cavere, quia id palam audent quod clam alii. Leges enim contra illorum nequitiam latas ad commilitium sumentes, cædibus ac sceleribus civitates repleverunt. Annon cædes est, quæso te, imo cæde pejus, pauperem fami tradere et in carcerem trudere, et cum fame tormentis et mille cruciatibus exponere? Licet enim hæc tu non facias, cum faciendo occasionem præbeas, id plus quam ministri tui perpetras. Homicida enim gladium infigit, et cum brevi tempore dolorem intulerit, non ultra cruciatum adhibet : tu vero sycophantiis, molestiis, insidiis lucem illis in tenebras convertens, idque efficiens ut sexcenties mori mallet, cogita quot mortes pro una perpetres. Quodque omnium gravissimum est, abripis, divitias acquiris, non paupertate pressus, non fame cogente, sed ut equi frenum, domus tectum, et columnarum capitella multo oblinantur auro. Ecqua gehenna hæc digna non fuerint, quando fratrem, et eum, qui arcanorum bonorum tecum particeps est, atque eousque a Domino honoratus est tuo, ut pavimentum domus et lapides ornes, necnon brutorum animalium corpora, quæ hoc ornamentum non sentiunt, in mille calamitates conjicis? Canis tibi multæ curæ est; homo autem, imo potius Christus, ob canem et omnia supradicta, in extremam conjicitur famem. Quid hac confusione deterius? quid hac iniquitate gravius? quot ignei fluvii tali animæ sufficient? Is, qui ad imaginem Dei factus est, stat indecorus ob tuam inhumanitatem ; mulorum autem uxorem tuam gestantium capita multo fulgent auro, itemque pelles et ligna, queis tectum illud texitur : si solium, sive sella, si suppedaneum ornandum, auro et argento omnia decorantur; Christi vero membrum, et is cujus causa de cælo descendit, et pretiosum sanguinem effudit, ob avaritiam tuam ne cibo quidem necessario utitur. Sed lecti undique argento ornati sunt, sanctorum vero corpora necessario tegumento carent : apud te Christus minori in pretio habetur, quam cætera omnia, quam domestici, quam muli, quam lectus, quam solium, quam suppedaneum. Mitto cætera his viliora vasa, et vobis cogitanda relinquo. Quod si horrescis hæc audiens, abstine ab agendo : et quæ dicta sunt nihil tibi damni inferent: abscede, et huic insaniæ finem imponito : nam insanum prorsus est hujusmodi studium. Idcirco his dimissis, vel sero tandem in cælum respiciamus, futuram illam diem in mentem revocemus, cogitemus tremendum illud tribunal et rationes reddendas atque incorruptum judicium : consideremus Deum omnia videntem non e cælo fulmina mittere, licet hæc gesta plus quam fulminibus digna sint. Attamen non id ille facit, neque mare in nos immittit, neque ut media terra hiscat efficit, non solem exstinguit, non cælum cum stellis dejicit, non omnia demum de medio tollit; sed in suo ordine relinquit, ut creatura omnis nobis ministret. Hæc ergo cogitantes, benignitatis magnitudinem exhorrescamus, et ad nobilitatem nostram redeamus. Nunc certe non melius quam bruta sumus affecti, sed multo pejus : illa namque quæ sui sunt generis diligunt, et communis natura sufficit illis ad mutuum amorem.

Tu vero, qui præter naturam communem plurima alia habes, quæ te cum membris tuis conjungant : quod ratione sis honoratus, quod religione conjunctus, quod bonis illis innumeris participes, feris immanior factus es, inutilibus quidem curam multam adhibens, templa vero Dei fame et nuditate pereuntia despiciens, imo

sæpe malis multis obruens. Si enim ad gloriam respiciens hoc facias, multo magis fratrem quam equum curare oporteret. Nam quanto major est is qui beneficio fruitur, tanto splendidior tibi pro tali beneficio nectitur corona. Jam vero cum in contraria incidas, non advertis te innumeros tibi attrahere accusatores. Quis enim te non maledictis impetet? quis te non summæ crudelitatis et inhumanitatis accusabit, videns te genus quidem hominum vilipendere, brutorum vero genus hominibus anteponere, et brutis domum atque supellectilem addere? Non audisti apostolos dicentes, quod primi qui verbum acceperunt, domos et agros venderent ut fratres alerent? Tu vero domos et agros abripis, ut equum, ligna, pelles, muros et pavimentum exornes. Quodque gravius est, non viri tantum, sed etiam mulieres hac insania tenentur, quæ etiam viros excitant ad vanum hujusmodi laborem, illos ad omnia plus, quam ad necessaria, sumptus facere cogentes. Si quis vero de his redarguerit, defensionem parant criminatione dignam: Et hæc, aiunt, et illa fiunt. Quid dicis? non times, dum hæc profers, et equos, mulos, lectos, suppedanea cum Christo esuriente annumeras? imo potius ne cum his quidem illum, sed majorem partem hisce, ipsi vero vix tantillum impertiens. Nescis omnia ipsius esse et te et tua? an ignoras illum et corpus efformavisse et animam largitum esse, et mundum totum distribuisse? Tu vero tantillum quidem ipsi retribuis; sed si parvam domunculam locaveris, condictam summam exigis; et cum creaturis illius omnibus fruaris, et tantum orbem inhabites, ne parvam quidem illi mercedem dare sustines, sed ad vanam gloriam et te et tua omnia expendis: ex vana enim gloria omnia pendent. Neque enim equus melior vel robustior est hoc cinctus ornatu, nec eques præstantior, sed nonnumquam hinc magis despectui habetur. Multi namque misso sessore ad ornatum equi oculos convertunt, necnon ad famulos sequentes et præeuntes, eosque qui turbam depellunt: eum vero qui illis stipatur oderunt, et ut communem hostem aversantur. At non hoc contingit eum animum exornas; sed homines, angeli et angelorum Dominus, denique omnes tibi coronam nectunt. Itaque si gloriam amas, ab iis quæ nunc facis absiste, nec domum, sed animam exorna, ut sis splendidus et illustris. Nunc certe nihil te vilius fuerit, qui desertam habes animam, et domus pulchritudinem ostentes. Si vero dicta mea non sustines, audi quid exterorum quispiam fecerit, et te pudeat vel exteræ philosophiæ. Narratur illorum quempiam in domum splendidam venisse, fulgentem marmoribus et columnarum pulchritudine; cum autem pavimentum etiam vidisset tapetibus stratum, in faciem domini ædium conspuisse: (*a*) improperante autem illo respondisse, quia in nulla alia domus parte id facere licebat, coactum se fuisse vultui ipsius hanc contumeliam inferre. Viden' quam ridiculus sit is, qui externa ornat, et quam apud omnes mente valentes despectui habeatur? Et quidem jure merito. Neque enim si quis, uxore tua in lacero et vili habitu relicta, ancillas splendida veste circumdaret, id æquo animo ferres, sed excandesceres, idque pro summa contumelia haberes. Hoc et de anima tua cogita. Cum enim muros, pavimentum, supellectilem et reliqua omnia exornes, largam vero eleemosynam non eroges, nec aliam philosophiam exerceas, nihil aliud, quam id quod dixi, facis; imo quidpiam longe gravius. Nam ancillam inter et dominam nullum est discrimen, inter animam vero et carnem magna est differentia. Quod si ita est, multo magis inter animam et domum, inter animam et lectum ac suppedaneum. Qua ergo dignus defensione fueris, qui hæc omnia argento contegas, illam vero negligas pannis laceris opertam, squalidam, esurientem, plagis refertam, a mille canibus discerptam; et postea putes te gloria affici ex ornatu circumposito? id quod summæ est amentiæ; quod nempe cum irridearis, contumelia atque probro afficiaris, et in dedecus et in extremum hinc supplicium incidas, in his adhuc tibi placeas. Quamobrem oro et obsecro, hæc omnia cogitantes vel sero tandem resipiscamus, et ad nos redeamus, ornatumque illum ab externis ad animam transferamus: sic enim intactus manebit, ac nos angelis pares reddet, immobiliaque conciliabit bona: quæ nobis omnibus assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Erat ille Aristippus. Vide Diogenem Laertium in Aristippo.

HOMILIA XII.

CAP. 6. v. 19. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra carnis vestræ servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem: sic et nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

1. Postquam magnam exegit vitæ curam, jubens esse mortuos mundo ac malitiæ, et immotos manere adversus peccatorum operationem, visusque est magnum quidpiam et grave loqui, quod humanam superet naturam; ut ostendat se nihil onerosum expetere, neque quantum præstare oporteret eum, qui tanto dono fruitur, sed valde moderatum et leve postulare: jam a contrariis hoc ipsum probat, et ait *Humanum dico*; ac si diceret, ab humanis cogitationibus, ab iis quæ consueta sunt: modum namque nomine humani declarat: nam et alibi dicit: *Tentatio vos non invasit nisi humana* (1. *Cor.* 10. 13); hoc est, moderata et parva. *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ ad sanctificationem.* Atqui multum est dominos inter discrimen; attamen parem servitutis modum requiro. Oportebat quidem multo plus afferre, et tanto plus, quanto dominatus hic major meliorque est illo: attamen

nihil amplius peto propter infirmitatem. Ne dixit, Propositi vestri vel alacritatis, sed *Carnis vestræ*, orationem minus onerosam reddens. Atqui illud quidem immunditia, hoc vero sanctificatio; illud iniquitas, hoc vero justitia. Ecquis ita miser et infelix est, ut non tantam in Christi servitute curam adhibeat, quantam in servitute peccati et diaboli? Itaque audi sequentia, et clare disces, nos ne hoc quidem pusillum afferre. Quia enim illud ita simpliciter dictum non videbatur credibile esse neque acceptabile, nec audire quisquam sustinuisset, se non tantum Christo servire, quantum servivit diabolo, ex sequentibus hoc ipsum probat et credibile reddit, servitutem illam in medium afferens, et quomodo servierint, dicens. 20. *Cum enim essetis*, inquit, *servi peccati*, *liberi eratis justitiæ;* id est, cum in nequitia viveretis, in impietate, in extremisque malis, tanta cum obedientia vivebatis, ut nihil omnino boni ageretis: hoc enim sibi vult illud, *Liberi eratis justitiæ;* id est, non eratis ipsi subjecti, sed alienati ab illa prorsus; neque enim servitutis modum dividebatis partim justitiæ, partim peccato, sed vos totos malitiæ dedebatis. Itaque et nunc, quia ad justitiam vos transtulistis, vos totos virtuti tradite, nihil prorsus malitiæ patrantes, ut saltem parem exhibeatis mensuram. Atqui non tantum dominii multum est discrimen, sed etiam servitutis ipsius magna est differentia. Quod et ipsum admodum clare explicat, ostenditque in quibusnam tunc obedirent, in quibus etiam nunc. Necdum tamen dicit damnum inde partum, sed interim turpitudinem enuntiat. 21. *Quem enim fructum habuistis tunc in illis, quibus nunc erubescitis?* Talis enim erat servitus, ut etiam ejus commemoratio pudorem afferat. Quod si ejus commemoratio pudore afficit, multo magis opus ipsum. Itaque duplici modo nunc lucrati estis, cum et a pudore liberati sitis, et didiceritis in quibus eratis: quemadmodum etiam tunc duplici damno affecti fuistis, et quod pudore digna feceritis, et quod ne erubescere quidem sciretis; quod priore gravius est: attamen servientes manebatis. Cum ostendisset ergo damnum grande ex gestis ortum a pudore, ad ipsam rem venit. Quænam illa erat? *Nam finis illorum mors est.* Quia enim pudor non admodum onerosus esse videtur, ad id quod valde terribile est accedit, ad mortem dico: quamvis satis esset id, quod prius dictum fuerat. Cogita enim quantum esset malitiæ culmen, quando a supplicio liberati, a pudore liberari non poterant. Quam igitur, inquit, mercedem exspectas ab opere, cum ex sola rei memoria, a supplicio tamen liberatus, pudore suffundaris et erubescas, etsi in tanta gratia constitutus? At quæ Dei sunt, non ita se habent. 22. *Nunc vero*, inquit, *liberati a peccato*, *servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem vero vitam æternam.* Illorum fructus pudor est etiam post liberationem, horum vero fructus est sanctificatio: ubi autem est sanctificatio, ibi fiducia multa. Illorum finis mors est, horum vita æterna.

2. Viden' quomodo alia quidem data ostendat, alia in spe esse? Atque ab iis, quæ data sunt illis, fides conciliatur; a sanctificatione vita confirmatur. Nam, ne diceres omnia in spe esse, jam te fructum tulisse ostendit; primo, quod a nequitia et a talibus malis liberatus sis, quorum memoria pudorem affert; secundo, quod servus sis justitiæ; tertio, quod sanctificatione fruaris; quarto, quod vitam consequaris, et vitam non temporaneam, sed æternam. Attamen cum hæc ita sint, saltem ex æquo, inquit, servite. Etsi enim Dominus admodum præcellat, et magnum sit discrimen servitutem inter et præmia, pro quibus servitis; nihil tamen interim postulo. Deinde quia arma commemoravit et regem, in metaphora perstat, dicens: 23. *Stipendia enim peccati mors; gratia autem Dei vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.* Cum stipendia peccati dixisset, de bonis agens non eumdem servavit ordinem. Non enim dixit, Merces bonorum operum vestrorum; sed, *Gratia Dei*, ostendens illos non per seipsos liberatos esse, neque debitum accepisse, neque mercedem vel retributionem laborum, sed hæc omnia per gratiam facta fuisse. Itaque hinc excellentia est, non modo quod liberaverit, nec quod ad meliora transtulerit, sed quod nec laborantes, nec fatiscentes: nec quod liberaverit tantum, sed quod multo majora dederit, atque per Filium dederit. Hæc porro omnia interseruit, quia de gratia verba fecit, et jam legem dejecturus erat. Nam ne hæc ambo segniores efficerent, media interseruit ea, quæ ad accuratam vitam pertinent, ubique auditorem excitans ad virtutis curam et studium. Cum autem stipendia peccati mortem vocat, rursus terret, et adversus futura confirmat. Per ea enim, queis illis priora commemorat, et ad gratum animum movet et confirmatiores reddit contra ea omnia, quæ accidere possunt. Cum ergo hic finem fecisset sermonis de rebus moralibus, ad dogmata rursus transit his verbis: (*Cap.* 7) 1. *An ignoratis, fratres? scientibus enim legem loquor.* Postquam enim dixit, nos mortuos esse peccato, ostendit hic non modo peccatum non illis dominari, sed neque legem. Si vero lex non dominatur, multo minus peccatum. Sermonem vero emolliens, hoc humano declarat exemplo. Ac videtur quidem unum dicere, sed duo ponit ad rem propositam argumenta: alterum quidem, quod mortuo viro, mulier viri legi non subdita sit, nec cohiberi possit, quominus alteri nubat; alterum vero, quod hic non modo vir mortuus sit, sed etiam mulier: ita ut duplici illa fruatur libertate. Nam si mortuo viro, ab ejus potestate liberata est, cum et ipsa mortua apparuerit, multo magis liberata est. Etenim si, uno accidente, a potestate ipsa liberatur; multo magis, cum hæc ambo concurrunt. Horum ergo demonstrationem initurus, cum auditorum laude incipit, dicens: *An ignoratis, fratres? scientibus enim legem loquor.* Hoc est, rem quæ apud omnes in confesso est, et claram loquens, et hæc omnia illi accurate norunt. *Quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit.* Non dixit, In viro, neque in muliere, sed, *In homine;* quod est commune utriusque animantis nomen. *Qui enim mortuus est*, inquit, *justificatus est a peccato.* Ergo viventibus lex

data est; mortuis vero non item. Viden' quomodo autem duplicem libertatem declaravit? Deinde postquam hæc in prooemiis subindicavit, ad mulierem in argumento sermonem convertit, dicens: 2. *Nam quæ sub viro est mulier, viventi viro alligata est per legem: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri.* 3. *Ergo vivente viro, adultera vocatur, si juncta fuerit alteri viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, libera est a lege, ut non sit adultera, si se junxerit alteri viro.* Frequenter hoc ipsum versat et cum multa accuratione, quia admodum confidit suæ argumentationi. Atque in viri ordine ponit legem, in ordine autem mulieris eos omnes, qui crediderunt. Deinde conclusionem adducit non secundum propositionem; consequenter enim dicendum erat: Itaque, fratres mei, non dominabitur vobis lex; mortua enim est. Verum non ita dixit, atque id in propositione subindicavit; sed in inductione demum, ut non onerosum sermonem faceret, uxorem inducit mortuam, dicens: *Itaque, fratres, et vos mortui estis legi.* Cum enim et hoc et illud eamdem afferret libertatem, quid prohibebat, quominus legi gratificaretur, cum res ipsa nihil læderetur? *Nam quæ sub viro est mulier, viventi viro alligata est lege.* Ubi sunt nunc illi, qui legem calumniantur? Audiant illi, quomodo Paulus in necessitatem lapsus, ejus dignitatem non tollat, sed de potestate ipsius magna loquatur: si illa vivente, alligatur Judæus; et adulteri appellantur ii, qui illam transgrediuntur et relinquunt: sin autem mortuam dimisit, nihil mirum: nam apud homines non improbatur qui hoc facit. *Si vero mortuus fuerit vir, liberata est a lege viri.*

2. Viden' ut in exemplo legem ostendat mortuam? Sed id non facit in inductione. *Ergo vivente viro, adultera appellatur mulier.* Vide, quomodo immoratur in accusatione eorum, qui viventem legem transgrediuntur. Cum autem illam abrogavit, cum securitate omni illam fidei gratificatur, nihil inde læsionis afferens. *Vivente enim viro*, inquit, *adultera appellabitur mulier, si fuerit cum altero viro.* 4. *Itaque, fratres mei, et vos.* Consequens erat dicere, Lege mortua, adulterii non damnamini, si cum altero viro fueritis: verum non ita dixit, sed quomodo? *Mortui estis legi.* Si mortui estis, non estis sub lege. Si enim mortuo viro non est obnoxia mulier, multo magis illa mortua ab illo liberata est. Viden' Pauli sapientiam, quomodo ostenderit hoc legem ipsam velle, ut a se deficiatur, et cum altero viro jungi sit facultas? Non enim prohibet, inquit, cum altero viro jungi, priore mortuo. Quomodo enim prohiberet, cum etiam illo vivente permittat libellum repudii accipere? Verum hoc non adjicit, quod potius mulierum tunc crimen erat; etiamsi enim permitteretur, attamen non culpa vacabat. Cum enim a necessariis et probatis rebus victoriam referat, supervacanea non quærit: neque enim est ita tenax. Hoc itaque mirum est, quod ipsa lex nos, ab ipsa deficientes, a culpa liberat; ita ut ipsa velit, ut nos Christi efficiamur. Etenim ipsa mortua est, et nos quoque mortui sumus, ac dupliciter sublata potestas est. Neque his contentus ille est, sed et causam addit: neque enim simpliciter mortem posuit, sed rursus crucem hæc operantem induxit, hac ratione nos obnoxios reddens. Non enim simpliciter, inquit, Liberati estis, sed, *Per mortem Domini. Mortificati enim estis legi*, inquit, *per corpus Christi.* Neque hinc tantum hortatur, sed etiam a secundi viri excellentia: ideo subjungit: *Ut sitis vos alterius, qui ex mortuis resurrexit.* Deinde ne dicant, Qui ergo, si nolumus cum altero viro copulari? lex enim viduam quæ conjugium iterat, adulteram non facit, nec tamen iterare cogit: ne igitur hoc dicant, ostendit ex iis, quæ accepimus, nos id velle oportere: quod alibi clarius effert, dicens, *Non estis juris vestri*; et, *Pretio empti estis* (1. *Cor.* 6. 19. 20); et, *Nolite fieri servi hominum* (*Ibid.* 7. 23); et rursus, *Unus pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est* (2. *Cor.* 5. 15). Hoc ergo hic quoque subindicavit dicens, *Per corpus.* Deinde per meliorem spem hortatur, dicens: *Ut fructificemus Deo. Tunc enim fructificabatis morti*, inquit, *nunc autem Deo.* 5. *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris ad fructificandum morti.* Vidistin' prioris viri lucrum? Non dixit, Cum essemus in lege, semper cavens ne ansam det hæreticis; sed, *Cum essemus in carne*; id est, in malis operibus, in carnali vita. Non enim hoc dicit, quod prius in carne fuerint, nunc vero incorporei circumeant. Hoc dicens, non legem peccatorum esse causam dicit, neque tamen illam ab odio liberat: acerbi enim accusatoris ordinem tenet, peccata revelans. Nam si quis ei, qui in nullo vult parere, mandata multiplicet, is auget delictum. Ideo non dixit, Passiones peccatorum, quæ sub lege facta sunt; sed, *Quæ per legem*; neque adjecit, Facta sunt; sed simpliciter, *Per legem*, id est, per legem apparuerunt aut declarata sunt. Deinde, ut ne carnem accusaret, non dixit, Quæ membra faciebant, sed, *Quæ operabantur in membris nostris*; ostendens aliunde profectum esse malitiæ principium, a cogitationibus operantibus, non a membris agitatis. Anima quippe artificis ordinem tenebat; carnis vero natura citharæ, cogente artifice sonantis. Si quid ergo absonum emittat, id non illi, sed artifici imputandum est. 6. *Nunc autem*, inquit, *soluti sumus a lege.* Viden' quomodo hic quoque et carni parcat et legi? Non enim dixit, Soluta est lex, nec Soluta est caro; sed, *Nos soluti sumus.* Et quomodo soluti sumus? Veteri homine, qui a peccato detinebatur, mortuo atque sepulto: hoc enim significat his verbis: *Mortui ei, in quo detinebamur.* Ac si diceret: Vinculum quo detinebamur, mortuum et dissolutum est, ita ut nihil jam detineat, nempe peccatum. Verum ne concidas, neque segnior evadas: solutus namque es, ut iterum servias, non eodem tamen modo; sed, *Ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate literæ.* Quid autem sibi vult? necesse est enim illud aperire, ut ne, cum in locum inciderimus, turbemur. Cum peccavit Adam, inquit, corpusque ejus factum est mortale atque passibile, multaque

naturalia damna accepit, equus molestior et effrenis factus est: at Christus veniens, per baptisma leviorem illum nobis reddidit, ala Spiritus illum excitans.

4. *Christianæ vitæ perfectio.* — Ideo non eadem nobis et priscis illis stadia sunt, quandoquidem non ita facilis tunc cursus erat. Ideoque ille non modo postulat, ut a cædibus puri simus, ut illis præceptum erat, sed etiam ab ira; neque ab adulterio tantum, sed etiam ab impudico aspectu abstinere jubet; neque ut a perjurio solum abstineamus præcipit, sed etiam a juramento; et inimicos perinde atque amicos diligere jubet: atque in cæteris omnibus longiora fecit stadia. Si non pareamus, gehennam comminatus est: ostendens hæc non requiri quasi ex ardentiore certantium æmulatione, ut virginitas et voluntaria paupertas, sed omnino exigi: nam necessaria prorsus esse; ita ut qui non faciat, extremas det pœnas. Ideo dicebat: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum* (*Matth.* 5. 20). Qui vero regnum illud non videt, in gehennam omnino incidet. Ideo Paulus dicebat: *Peccatum enim vobis non dominatur: non enim estis sub lege, sed sub gratia*; et hic iterum: *Ut serviamus in novitate spiritus, non in vetustate literæ.* Non enim est litera damnans, id est, lex vetus, sed spiritus adjuvans. Ideo apud priscos illos, si quis virginitatem coleret, res mira prorsus erat; nunc autem ubique terrarum sparsa res est: tunc pauci viri mortem spernebant; nunc in vicis et in urbibus martyrum cœtus innumeri, non virorum tantum, sed etiam mulierum. Deinde postquam hæc dixerat, objectionem rursus emergentem solvit, in solutione id quod vult probans: quapropter solutionem non statim inducit, sed per contradictionem, ut ex solutionis necessitate occasionem optata dicendi arripiat, minusque onerosam accusationem inducat. Quia enim dixit, *In novitate spiritus, non in vetustate literæ*, subjungit: 7. *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit.* Etenim prius dixerat, *Passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris;* et, *Peccatum vobis non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia*; et, *Cujus non est lex, neque transgressio est*; et, *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum*; et, *Lex iram operatur.* Quia igitur hæc omnia legem calumniari videbantur, quasi hanc suspicionem corrigens, objectionem ponit et ait: *Quid ergo? lex peccatum est? Absit.* Antequam ad probationem veniat, id respicit, ut auditorem sibi conciliet, et offensum curet. Nam cum audisset, ac de affectu ipsius certior factus esset, cum illo quærit quid dubii inesset, nec suspectum habet dicentem: quapropter objectionem illam prius attulit. Neque enim dixit, Quid ergo dixerim? sed, *Quid dicemus?* ac si in consilio et in cœtu Ecclesiæ rem ageret, et quasi objectio illa, non abs se, sed a dictorum serie, et a rerum veritate prodiret. Quod enim litera occidat, et quod spiritus vivificet, et hoc nemo negabit, inquit; clarum est, nemoque contradixerit. Si ergo hæc in confesso sunt, quid dicemus de lege? an quod sit peccatum? Absit. Solve igitur difficultatem. Viden' ut secum adversarium statuat, et assumpta doctoris dignitate, ad solutionem veniat? Quæ est illa solutio? Peccatum certe non est, inquit. *Peccatum autem non cognovissem, nisi per legem.* Vide sapientiam grandem. Id quod lex non est, ex objectione posuit, ut hoc sublato, et hoc in Judæi gratiam, persuadeat illi, quod minus est admittere. Quid vero est illud minus? Quod *Peccatum non cognovissem, nisi per legem. Et concupiscentiam*, inquit, *non cognovissem, nisi lex dixisset, Non concupisces.* Vides quomodo paulatim non modo legem accusare peccatum dicat, sed etiam illud sensim introducere? non tamen culpa sua, sed ex ingrato Judæorum animo id evenire demonstrat. Etenim Manichæorum etiam ora obturare conatus est, qui legem incusabant. Cum dixisset enim, *Peccatum non cognovissem, nisi per legem; et concupiscentiam nescivissem, nisi lex diceret, Non concupisces*, adjecit: 8. *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.*

5. Viden' quomodo legem a criminationibus liberet? *Occasione accepta*, inquit, peccatum, non lex, auxit concupiscentiam, et contra evenit, quam lex optaret: id quod infirmitatis erat, non malitiæ. Cum enim aliquid concupiscimus et prohibemur, magis attollitur cupiditatis flamma; verum non per legem; illa namque prohibuit, ut te abduceret; sed peccatum, id est, segnities tua et mala voluntas, bono in contrarium usa est. At non culpa hoc medici, sed ægroti, qui pharmaco male usus est. Non enim ideo legem dedit, ut concupiscentiam accenderet, sed ut exstingueret; contrarium autem evenit; at non ipsius, sed nostra culpa. Si quis enim febricitanti et potum frigidum intempestive cupienti, non potestatem bibendi faceret, et sic perniciosam cupiditatem augeret, non ideo posset jure reprehendi: medici quippe erat prohibere, ægri vero abstinere. Quid enim, si peccatum occasionem ab ipsa lege acceperit? Plerique enim improbi a bonis præceptis iniquitatem suam augent: siquidem et diabolus Judam ita perdidit, in amorem pecuniæ conjiciens, furemque rerum pauperibus destinatarum esse suadens: non enim concreditum ipsi marsupium id effecit, sed animi nequitia. Et Eva item Adamum ad comedendum de ligno impulit, atque ex paradiso ejecit: at non in causa fuit lignum, etsi ab ipso occasio fuerit. Quod si vehementius de lege loquatur, ne mireris: ad illud enim quod urget Paulus consistit, non permittens ut vel iis, qui aliter suspicantur, hæc dicta occasionem præbeant, multo autem studio curans rem præsentem corrigere. Ne igitur hæc dicta nuda examines, sed adde causam, ob quam ita loquitur, ac Judaicam insaniam considera, perpetuamque illorum contentionem, quam evertere studebat. Videtur autem multum contra legem spirare, non ut illam calumnietur, sed ut illorum contentionem solvat. Si enim crimen est legis, quod propter illam peccatum occasionem sumat, invenietur id etiam in Novo Testamento. In illo quippe leges sunt innumeræ de multis majoribusque rebus; et idipsum

hic accidere videas, non in concupiscentia tantum, sed etiam in omni malitia. Nam *Si non venissem*, inquit, *et loquutus fuissem eis*, *peccatum non haberent* (*Joan.* 15. 22). Igitur hinc peccatum et pœna major occasionem accepit. Et rursus de gratia Paulus disserens, ait: *Quanto putatis majori dignus supplicio erit is, qui Filium Dei conculcavit* (*Hebr.* 10. 29)? Ergo gravius supplicium hinc occasionem accipit, a majori nempe beneficio. Ac gentiles ideo ait inexcusabiles esse, quod ratione præditi, et creaturæ pulchritudinem edocti, cum ea possint ad Creatorem deduci, sapientia Dei, ut par erat, non usi sint. Vide quomodo ubique a bonis rebus improbi majoris supplicii occasiones accipiant. Verum non ideo beneficia Dei accusabimus; sed illa postea magis admirabimur, illorumque consilia magis criminabimur, qui bonis in contrariam partem usi fuerint. Hoc itaque et circa legem faciamus. Verum illud quidem facile est; sed hæc dubitandi causa est: Quomodo ait Paulus, *Concupiscentiam nescivissem*, *nisi lex diceret*, *Non concupisces?* Si enim concupiscentiam nescivisset homo, antequam legem acciperet, undenam diluvium accidit? undenam Sodoma exusta fuit? Quid ergo sibi vult? Concupiscentiam auctam et majorem. Ideo non ait, Effecit in me concupiscentiam, sed, Omnem concupiscentiam, vehementiam hic subindicans. Ecqua, inquit, legis utilitas, si passionem auxit? Nulla, sed multum damnum: verum non legis culpa est, sed segnitiei eorum, qui legem acceperunt. Peccatum enim illud effecit, sed per legem; verum lege non illud, sed contrarium curante. Longe itaque fortius fuit peccatum: verum non illud legis culpa fuerit, sed illorum ingrati animi. *Absque lege enim peccatum mortuum erat:* id est, non ita notum. Sciebant enim ii, qui ante legem erant, se peccavisse, accuratius vero id noverunt post datam legem: ideoque majori erant crimini obnoxii. Neque enim perinde erat naturam accusatricem habere, atque cum natura legem etiam omnia aperte dictantem. 9. *Ego autem vivebam sine lege quondam*. Quandonam, obsecro? Ante Moysem. Vide quam nitatur ostendere, legem tam ab iis quæ fecit, quam ab iis quæ non fecit, humanam aggravasse naturam. Cum enim sine lege vivebam, inquit, non sic condemnabar. *Ubi autem venit mandatum, peccatum revixit.* 10. *Ego autem mortuus sum.* Hoc videtur legis accusatio esse; sed si quis accuratius examinaverit, laus ejus esse videbitur. Non enim peccatum, quod non esset, produxit, sed occultum ostendit: quod legis laus est: siquidem antea sine ullo sensu peccabant; ubi autem illa venit, si non aliud, hoc saltem lucrati sunt, quod accurate didicerint se peccavisse: quod non parum fuerit, ut sese a peccato eximerent. Quod si sese a malitia non exemerint, nihil hoc ad legem, quæ pro hac re omnia fecit; sed omnis accusatio in illorum voluntatem cadit, quæ præter spem omnem corrupta fuit.

6 Non enim rationi consonum erat, quod ab iis, quæ utilia esse poterant, læderentur. Ideo dicebat: *Et inventum est mihi mandatum*, *quod erat ad vitam*, *esse ad mortem*. Non dixit, Factum est mors, neque, Peperit mortem; sed, *Inventum est*, novam et inopinatam absurditatem sic explicans, et totum in illorum caput rejiciens. Si enim scopum ejus, inquit, respicere voluisses, ad vitam ducebat, et propterea datum fuerat; quod si mors inde evenit, ejus qui mandatum accepit culpa est, non vero mandati ad vitam ducentis. Clarius autem hoc ipsum per sequentia declaravit his verbis: 11. *Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit.* Viden' ut ubique peccatum insectatur, legem ab omni crimine liberans? Ideo subjungit: 12. *Itaque lex sancta est*, *et mandatum sanctum*, *justum et bonum*. Sed, si placet, eorum, qui has expositiones adulterant, sermonem in medium afferamus: sic enim clariora erunt quæ diximus. Quidam enim dicunt ipsum non de lege Moysis hic agere; sed alii dicunt de lege naturali, alii de præcepto quod in paradiso datum est. Atqui ubique scopus Pauli est, ut hanc legem abroget, illarumque nullam habet rationem, et jure merito. Hanc enim Judæi legem timentes, et exhorrescentes, contra gratiam contendebant. Præceptum autem in paradiso datum, nusquam visus est legem appellasse, neque ille, neque alius quispiam. Ut autem ex ipsius dictis hoc clarius evadat, verba percurramus, dicta paulo altius resumentes. Cum de vitæ instituto accuratius illis loquutus fuisset, hæc subjunxit: *An ignoratis*, *fratres*, *quia lex dominatur in homine quanto tempore vivit? Itaque vos mortui estis legi.* Igitur si de naturali lege id dicat, inveniemur naturalem legem non habere: quod si hoc fuerit, brutis irrationabiliores sumus. Sed non ita se res habet, non ita certe. De lege enim in paradiso data non contendendum, ut ne inutile bellum assumamus, contra ea quæ in confesso sunt nos accingentes. Quomodo igitur ait: *Peccatum non cognovissem*, *nisi per legem?* Non omnimodam dicit ignorantiam, sed accuratiorem cognitionem intelligit. Si enim hoc de naturali lege dictum esset, quomodo sequentia rationi consentanea essent? *Ego enim*, inquit, *vivebam sine lege quondam*. Neque enim Adam neque quivis homo umquam videtur sine naturali lege vixisse: ubi enim illum efformavit Deus, illam ipsi legem indidit, contubernalem illam faciens universæ naturæ. Præter hæc autem nusquam deprehenditur legem naturalem præceptum appellare; legem vero Moysis et mandatum et justum et sanctum vocat, et legem spiritualem. Naturalis vero non a Spiritu nobis data est: nam et barbari et Græci et omnes homines hanc legem habent. Unde palam est, illum ubique locorum de lege Mosaica disserere. Ideoque illam sanctam vocat, dicens; *Itaque lex quidem sancta est*, *mandatum sanctum*, *justum et bonum*. Licet enim Judæi post legem impuri, injusti, avari fuerint, id tamen legis virtutem non irritam fecit, ut Dei fidem non tollit eorum incredulitas. Ex his itaque omnibus planum est, hæc de lege Mosaica disserere. 13. *Quod ergo bonum erat*, inquit, *mihi factum est mors? Absit: sed peccatum*, *ut appareat peccatum*. Id est, ut ostendatur quantum malum sit peccatum, ignava voluntas,

et ad pejora impetus, ipsaque actio ac mens corrupta: hæc enim causa malorum omnium est. Auget autem illud, ostendens Christi gratiæ magnitudinem, docensque a quanto malo humanum genus liberaverit, quod malum per medicorum pharmaca pejus evadebat, et per eos qui illud arcebant, augebatur. Ideo subjungit: *Ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.* Viden' ubique quomodo huic se complicet? Et per quæ illud accusat, rursum magis ostendit legis virtutem. Neque enim parum præstitit, cum ostendit quantum malum sit peccatum, illiusque virus omne revelavit et in medium protulit: hoc enim declaravit, dicens: *Et fiat supra modum peccatum per mandatum.* Id est, ut appareat quantum malum, quanta pernicies sit peccatum: hoc autem per mandatum ostensum est. His excellentiam quoque gratiæ ostendit supra legem, non vero pugnam. Neque enim hoc respicias, quod ii, qui legem acceperunt, deteriores facti sunt; sed id consideres, legem non modo non augere malitiam voluisse, sed eam quæ prius erat exscindere studuisse. Quod si non potuerit, illam tamen coronato a voluntate; Christi vero virtutem magis adora, quia tam varium, tam expugnatu difficile malum delevit, et radicitus evulsit. Cum autem peccatum audis, ne putes esse vim quamdam exsistentem, sed malam actionem, semper accedentem et recedentem, quæ non erat antequam fieret, et postquam facta est, rursum deletur. Ideo namque et lex data est: lex vero numquam ad naturalium interitum datur, sed ad emendationem mali secundum voluntatem actus.

7. *Quæ naturæ cohærent, non mutari possunt. Voluptas desinit in mortem, virtus in vitam.*—Hoc externi quoque legislatores sciunt, necnon universa hominum natura. Ea enim tantum coercent mala, quæ ex segnitie facta sunt, non vero ea, quæ naturæ cohærentia sunt, se exscindere profitentur: neque enim id fieri potest. Nam quæ naturalia sunt, immota manent, ut sæpe vobis in aliis colloquiis dixi. Quapropter his missis certaminibus, moralem rursus sermonem excutiamus: imo vero hæc illorum certaminum maxima pars est. Nam si nequitiam depellamus, virtutem inducamus; et hinc clare ostendemus vitium non esse natura malum, et eos qui unde mala sint quærunt, non modo verbis, sed etiam operibus poterimus ad silentium cogere, quod cum ejusdem simus naturæ, a malitia eorum exempti simus. Ne vero illud consideremus, laboriosam esse virtutem, sed potius posse illam a nobis exerceri; si vero studeamus, eam nobis omnino facilem fore. Si autem mihi nequitiæ voluptatem opponas, ejus quoque finem dicito: in mortem enim illa desinit; quemadmodum virtus in vitam nos manuducit. Imo, si videtur, utramque etiam ante finem examinemus: videbimus enim nequitiam multum doloris secum ferre, virtutem vero multam voluptatem. Quid enim, quæso, miserabilius prava conscientia? quid dulcius bona spe? Nihil enim, nihil certe nos ita pungit, et premit ut exspectatio mala: nihil ita nos erigit, ac pene volatiles reddit, ut conscientia bona: id quod ex iis, quæ apud nos eveniunt, edisci potest. Nam ii, qui in carcere clausi tenentur, et sententiam se damnantem exspectant, etiamsi abundanti cibo fruantur, miserius vivunt, quam ii, qui per vicos stipem cogunt, nullius sibi mali conscii: exspectatio namque malorum non sinit eos voluptatem, quam præ manibus habent, advertere. Ecquid de vinctis loquor? Iis qui liberi sunt et divites, malorum tamen conscii, meliore conditione sunt artifices, qui ex diurno labore vivunt. Gladiatores quoque, quos in cauponis videmus ebrietati, voluptati et ventri operam dantes, omnium miserrimos esse dicimus, quia longe major voluptate illa est exspectatæ mortis calamitas. Quod si illis hæc vita dulcis esse videatur, mementote dicti, quo vos frequenter alloquor, nihil mirum esse, si is qui in nequitia vivit, amaritudinem doloremque non fugiat. Ecce enim res ita detestanda amabilis videtur iis, qui in illa versantur. Sed non ideo illos beatos dicimus, verum hoc ipso miseros prædicamus, quod quo malorum devenerint nesciant. Quid vero dixeris de mœchis, qui propter modicam voluptatem ad indecoram servitutem, ad pecuniarum sumptum, et perpetuum timorem se dedunt, et vitam Caini subeunt, imo illa graviorem, dum et præsentia timent et futura formidant, et amicos, inimicos, scios, inscios suspectos habent? Ac neque cum dormiunt, ab hoc angore liberi sunt: dum mala conscientia somnia ipsis confingit terroribus plena, quibus illi pavidi torquentur. At non sic habet vir temperatus et castus, sed in tranquillitate et libertate multa hanc transigit vitam. Confer igitur modicæ voluptati multos illos terrorum fluctus, et brevi continentiæ labori vitæ perpetuæ tranquillitatem, et videbis hanc illa suaviorem esse. Qui vero rapere vult, et alienas invadere pecunias, annon, quæso, innumeros sustinet labores, circumcursans, servis, liberis, ostiariis adulans, terrens, comminans, impudenter agens, vigilans, tremens, anxius, omnia suspecta habens? At non talis est, qui pecunias contemnit: hic enim multa fruitur voluptate, in tranquillitate et securitate vitam agens. Quod si quis cæteras nequitiæ partes percurrerit, magnos tumultus, multos scopulos videbit. Quodque majus est, in virtute quidem prima laboriosa sunt, quæ vero sequuntur, suavia; ita ut hinc labor minuatur: in nequitia vero secus: post voluptatem dolores et supplicia accidunt, ita ut hinc voluptas evanescat. Quemadmodum enim, qui coronas exspectat, onerosa præsentia ne quidem sentit: sic is, qui post voluptatem supplicia exspectat, non potest puram lætitiam excerpere, metu omnia turbante; imo si quis rem accurate examinet, ante supplicium exspectatum in ipso ausu suo dolorem experitur.

8. *Concupiscentiæ malum.*—Et, si placet, hoc in iis qui aliena rapiunt exploremus, vel etiam in iis, qui quomodocumque divites sunt: missisque timoribus, periculis, tremore, angore, cura, et similibus, supponamus esse quempiam sine ullo negotio divitem, et de facultatum custodia securum, quod tamen esse nequit; attamen id supponatur: quam ille volupta-

tem percipiet? Quod multis circumdetur bonis? At hoc non sinit eum lætari: quamdiu enim plura concupiscet, cruciatus augetur. Nam concupiscentia cum stat, nec ultra progreditur, tunc parit voluptatem. Etenim cum sitimus, tunc nos recreamus, cum quantum libet bibimus; donec autem sitimus, etsi fontes omnes exhauriamus, major nobis adest cruciatus; etiamsi mille flumina exhauriremus, gravius tormentum esset. Et tu quoque si omnia quæ in mundo sunt acciperes; si adhuc concupisceres, quo plura perciperes, eo major esset cruciatus. Ne igitur putes te, si multis affluas bonis, aliquam inde voluptatem esse percepturum; sed id assequeris, si ditescere nolis: sin divitias concupiscas, numquam finis tormentorum erit. Hic enim amor expleri nequit; sed quo magis viam carpes, tanto magis a termino semotus eris. Annon hoc ænigma est, annon dementia et extrema insania? Absistamus ergo a prima illa malorum radice, imo talem concupiscentiam ne attingamus quidem; si vero tangamus, a principio resiliamus: id quod admonet Proverbiorum auctor de meretrice sic loquens: *Abscede, ne moram feceris, et ne accedas ad januam domus ejus* (*Prov.* 5. 8). Hoc etiam tibi ego de pecuniæ amore dico. Si enim paulatim incidas in pelagus insaniæ illius, vix emergere poteris. Nam ut in vorticibus, si millies contendas, non facile superabis: sic, imo gravius, in profundum concupiscentiæ demersus, teipsum cum omnibus tuis perdes. Propterea obsecro, a principio caveamus, et pusilla fugiamus mala; magna quippe ex his generantur. Nam is, quia ad singula peccata hoc dicere edoctus est, Nihil hinc eveniet, paulatim omnia perdet. Hoc nequitiam introduxit, hoc portas latroni aperuit, hoc urbis mœnia dejecit, cum ad singula dicitur: Nihil hinc eveniet. Sic et in corporibus magnæ ægritudines augentur, quando parvæ contemnuntur. Esaü, nisi primogenita vendidisset, non indignus benedictionibus habitus fuisset: si se benedictionibus indignum non reddidisset, non ad fraternam cædem progredi concupivisset. Cain nisi primas tenere voluisset, sed Dei arbitrio rem permisisset, secundas non habuisset: si cum secundas haberet, monitioni paruisset, cædem non parturiisset: rursus cæde patrata, si ad pœnitentiam venisset, Deo ipsum vocante, et non impudenter respondisset, non gravia subinde passus esset.

Vitia quomodo corrigenda. — Si vero ii, qui ante legem erant, ex segnitie sua paulatim in ipsum malitiæ profundum venerunt, cogita quid patiemur nos, qui ad majora vocati sumus stadia, nisi cum diligentia nobis attendamus, et scintillas malorum antequam rogus accendatur præreptas exstinguamus. Verbi gratia, pejeras frequenter? Ne hoc solummodo cures, sed etiam juramentum tolle, neque ultra labore opus habebis: longe namque difficilius est jurantem non pejerare, quam non omnino jurare. Conviciator es, contumeliosus, percussor? Legem tibi scribe, ne umquam irascaris vel clames, et una cum radice fructum sustulisti. Lascivus es et luxuriei deditus? Pone tibi legem ne umquam mulierem respicias, nedum in theatrum ascendas, neque in foro alienas formas curiose explores. Longe enim facilius est, ne respicere quidem formosam mulierem, quam illa conspecta, et percepta cupidine, tumultum inde ortum sedare. Leviora quippe sunt in ipso primordio certamina; imo potius neque ineunda certamina erunt, si hosti fores non aperuerimus, neque mali semina susceperimus. Quamobrem Christus illum pœna plectit, qui lascivis oculis mulierem respexerit; ut nos a majori labore eriperet, jubens adversarium domo ejicere antequam fortior evadat, quando nempe facile ejici potest. Quæ necessitas enim negotia superflua inire et cum adversario confligere, cum sine conflictu possis tropæum erigere, et ante pugnam bravium rapere? Non enim tantus labor est formosas mulieres non respicere, quam post aspectum se continere; imo vero ne labor quidem ille primus fuerit, sed post aspectum illum grandis sudor et labor adest.

9. Cum ergo minor labor sit; imo ne omnino labor ullus, et lucrum majus, cur studemus in pelagus innumerabilium malorum incidere? Neque enim tantum facilius vir, qui non respicit mulierem, sed etiam sic purior ab hujusmodi concupiscentia evadet: cum contra is, qui respicit, et cum majori labore et cum macula evadat, si quidem evadat. Nam qui formosam faciem non videt, a tali concupiscentia liber et purus est: qui autem videre concupivit, cum primo hanc cogitationem admiserit, seseque millies maculaverit, tunc illius concupiscentiæ maculam ejicit, si tamen ejiciat. Ideo Christus, ut ne id patiamur, non cædem modo prohibet, sed et iram quoque; non fornicationem tantum, sed et lascivum aspectum; non perjurium, sed et quodvis juramentum. Neque in hoc virtutis modo consistit, sed postquam eam legem posuit, ad majorem progreditur. Postquam enim a cædibus avertit, iramque prohibuit, jubet paratum esse ad mala sustinenda, neque modo ad tanta subeunda, quanta vult insidiator, sed etiam ad procedendum ulterius, ita ut per philosophiæ tuæ excellentiam ejus insaniæ magnitudinem superes. Neque enim dixit: Si quis te percusserit in maxillam dexteram, fer generose et quiesce; sed addidit, ut alteram ei præbeas: *Verte* enim, inquit, *illi et alteram* (*Matth.* 5. 39). Hæc splendida est victoria, plus illi præbere, quam ipse velit, et pravæ voluntatis illius terminos patientiæ largitate superare. Sic illius insaniam sedabis, et prioris facti mercedem ex posteriore facies, illiusque iram mitigabis.

Penes nos est, ut ne mala patiamur. — Viden' penes nos semper esse, ut ne mala patiamur, non penes illos qui mala inferunt? Imo non ut mala non patiamur tantum, sed etiam ut beneficio afficiamur, potestatem habemus, id quod est maxime admirandum, quod non modo non lædamur, si vigilemus; sed etiam beneficio afficiamur ab iis, qui nos lædunt, et ab aliis. Rem perpende; te injuria quispiam affecit? In potestate tua est hanc injuriam in laudem tuam vertere. Nam si injuriam injuria repellas turpitudinem auxisti; sin

benedixeris ei, qui te injuria affecit, videbis omnes, qui præsentes sunt, te coronantes et celebrantes. Viden' quomodo a quibus injuria afficimur, ab iis beneficia accipiamus, si velimus? Hoc ipsum in pecuniis, hoc in plagis, hoc in cæteris omnibus deprehendere est. Nam si contraria ipsis rependamus; et ex malis quæ perpessi sumus, et ex beneficiis quæ præstitimus, duplicem nobis coronam contexemus. Cum ergo accedens quispiam dixerit: Ille talis te injuria affecit, et male de te apud omnes loqui non cessat; apud hæc loquentem lauda eum, qui injuriam intulit: sic enim, si illum ulcisci velis, potes ab eo pœnas repetere. Nam qui audiunt, etiamsi sensu careant, te laudabunt, illum vero ut fera quavis immaniorem odio habebunt: quoniam ille nihil læsus, mala intulit; tu vero etiamsi male affectus, contraria rependisti. Sic dicta illa omnia ut futilia exhibere poteris. Etenim qui mordetur si doleat, oblati criminis se sibi conscium esse declarat: qui autem hæc deridet, hoc ipso se præsentibus vel suspicione liberum demonstrat. Perpende igitur quot bona inde colligas: primo te ipsum a perturbatione et commotione liberas; deinde (hoc vero primum censeri debet) si in peccatis sis, illa abstergis, ut publicanus ille, qui Pharisæi accusationem patienter tulit. Ad hæc, per hujusmodi exercitationem animum tuum philosophum reddis, et mille laudibus apud omnes frueris, et dictorum vel suspicionem amoves. Quod si illum ulcisci cupias, hoc ex abundanti sequetur, Deo criminationis ab illo pœnas exigente, philosophiaque tua ante pœnas illas plagam ipsi gravem inferente. Nihil enim ita eos, qui nobis injuriam inferunt, mordere solet, ut cum nos illas, quibus affecti sumus, injurias deridemus. At sicut, si philosophice agamus, tot tantaque bona aderunt: sic si rixas et simultatem exerceamus, contraria omnia contingent. Etenim nos ipsos dedecore afficimus, et nos iis, quæ dicta sunt, obnoxios esse a præsentibus existimamur; animam tumultu replemus, et inimicos gaudio afficimus, Deum irritamus, et peccatis prioribus hoc addimus. Hæc itaque omnia cogitantes, et multatum barathrum vitemus, et ad portum tolerantiæ confugiamus, ut et hic inveniamus requiem animabus nostris, ut Christus pronuntiavit, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

CAP. 7. v. 14. *Scimus autem, quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.*

1. Postquam dixerat magna fuisse mala, et peccatum admissum potentius fuisse lege, et contra quam lex satagebat accidisse, et cum in magnam dubitationem auditorem conjecisset; rationem postea dicit, per quam hæc advenere, cum prius legem a prava suspicione vindicasset. Etenim ne quis audiens, peccatum occasionem per mandatum accepisse, et quod eodem mandato accedente peccatum revixit, et quod per illud decepit atque interfecit; ne quis, inquam, legem horum malorum causam putaret esse, primo illius defensionem affert uberrimam; non modo illam ab accusatione liberans, sed laudem ipsi maximam texens. Hocque adhibet non quasi ipse in ejus gratiam loquatur, sed quasi communem omnium sententiam exponens. *Scimus enim*, inquit, *quod lex spiritualis sit*. Ac si diceret, hoc in confesso et manifestum est, quod sit spiritualis: tantum abest, ut sit causa peccati, et malis quæ advenerunt obnoxia. Et vide quo pacto non modo illam ab accusatione liberet, sed etiam supra modum laudet. Nam cum spiritualem illam dicit, magistram virtutis ostendit esse, et nequitiæ adversariam: hoc est enim esse spiritualem, et ab omni peccato abducere; quod lex faciebat, terrens, admonens, puniens, corrigens, quæ ad justitiam pertinent omnia consulens. Unde ergo, inquit, peccatum exstitit, si tam admirabilis sit præceptor? A discipulorum segnitie. Quapropter hæc subjunxit: *Ego autem carnalis sum*, eum qui in lege et ante legem vixerat hominem indicans. *Venumdatus sub peccato*. Cum morte enim, inquit, affectuum turba ingressa est. Cum enim corpus mortale effectum est, necessario accepit concupiscentiam, iram, dolorem, cæteraque omnia, quæ multa opus habebant philosophia, ne exundantia in nobis, rationem in peccati profundum submergerent. Illi namque affectus peccatum non erant; sed illorum immoderatio, si non frenetur, hoc efficiebat. Verbi gratia (ut unum illorum in exemplum adducam), concupiscentia peccatum non est; at si immoderata sit, nec velit intra connubii legem se continere, sed alienas etiam mulieres appetat, tum res adulterium efficitur, non a concupiscentia, sed ab illius immoderata cupiditate. Ac perpende Pauli sapientiam. Postquam legem laudibus tulerat, statim ad illud priscum tempus accurrit, ut cum ostendisset, quomodo tunc genus nostrum affectum esset, etiam cum legem accepit, proinde gratiæ adventum necessarium fuisse; quod ubique demonstrare curavit. Cum enim dicit, *Venumdatus sub peccato*, non de iis, qui in lege erant, loquitur tantum, sed etiam de iis, qui ante legem vixerant, et de hominibus in principio conditis. Deinde etiam modum dicit venditionis et deditionis. 15. *Quod enim operor*, inquit, *non intelligo*. Quid est, *Non intelligo*? Ignoro. Et quandonam hoc factum est? nemo enim in ignorantia peccavit. Viden' quomodo, si non cum decenti reverentia voces deligamus, nec apostolicum scopum respiciamus, innumera absurda sequuntur? Si enim ignorantes peccabant, nec pœnas dare debebant. Ut igitur ille superius dicebat: *Sine lege enim peccatum mortuum est*; non hoc declarans, quod illi nescientes peccarent, sed quod scirent quidem, at non tam accurate: ideoque puniebantur

quidem, sed non tam acerbo : ac rursum, *Concupiscentiam nescivissem;* non omnimodam ignorantiam significans, sed clarissimam cognitionem non adfuisse denotans : dixitque, *Operata est in me omnem concupiscentiam;* non hoc sensu, quod mandatum concupiscentiam effecerit; sed quod augmentum concupiscentiæ peccatum per mandatum induxerit : ita et hic non omnimodam ignorantiam significat dicens : *Quod enim operor non intelligo :* quomodo enim in lege Domini sibi complaceret secundum interiorem hominem? Quid ergo significat, *Non intelligo?* In tenebris sum, inquit, abripior, damnum sustineo, nescio quomodo supplantor. Quod et nos dicere solemus : Nescio quomodo ille veniens surripuit ; non ignorantiam profitentes, sed fraudem quamdam, circumventionem et insidias declarantes. *Non enim quod volo, id facio, sed quod odi, facio.* Quomodo ergo non nosti id quod facis? Si enim bonum expetis, si malum odisti, id perfectæ cognitionis est. Unde liquet illum hoc dixisse, *Quod nolo,* non liberum arbitrium tollens, neque necessitatem quamdam et vim inducens. Si enim non sponte, sed ex necessitate peccamus, certe supplicia pro factis illata non ratione nituntur. Sed sicut cum dixit, *Non intelligo,* non ignorantiam significavit, sed id quod dicebamus : sic illud additum, *Quod nolo,* non necessitatem denotat, sed quod facta non laudet. Nisi enim hoc sibi vellet cum dicit, *Quod nolo facio,* cur non addidit, Sed ex necessitate cogor, et vi hoc facio? hoc enim voluntati et potestati oppositum est. Nunc autem hoc non dicit, sed hujus loco posuit, *Quod odi ;* ut discas ipsum quando dixit, *Quod nolo,* potestatem sibi non ademisse. Quid est ergo illud, *Quod nolo?* Quod non laudo, quod non probo, quod non amo; ad cujus rei comparationem sequentia addidit, *Sed quod odi, hoc facio.* 16. *Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi quod bona sit.*

2. Viden' interim non corruptam mentem, sed in opere nobilitatem suam servantem? Quod si nequitiam adit, ut odio habens adit, id quod legis et naturalis et scriptæ maxima laus fuerit. Quod enim bona sit lex, inquit, hinc palam est, quod me ipsum accusem, quod legi non obsequutus sim, et quod factam rem odio habeam. Atqui si lex causa peccati esset, quo pacto is, qui ipsi consentiret, jussum ejus odio haberet? *Consentio enim legi,* inquit, *quia bona est.* 17. *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum.* 18. *Novi enim quod non inhabitet in me, id est, in carne mea, bonum.* Hic instant ii, qui carnem calumniantur et illam a Dei opificiis amovent. Quid ergo dicemus? Ea quæ de lege nuper dicebamus, quod ut illic totum ad peccatum refert, sic et hoc loco. Non enim dixit, Caro illud operatur; sed contrarium, *Jam non ego illud operor, sed quod inhabitat in me peccatum.* Quod si dicat, quod non habitet in ipsa bonum, nondum hoc carnis crimen est : non enim quod bonum non habitet in ipsa, hoc probat illam non esse bonam. Nos autem minorem quidem fatemur anima carnem ipsique inferiorem, non illi contrariam nec adversantem, nec malam; sed ut citharædo citharam ut gubernatori navem, sic illam animæ subjicimus : quæ non sunt adversaria agentibus et iis utentibus, sed admodum convenientia, non paris tamen cum artifice honoris. Ut ergo qui dicit, Non in cithara, non in navi ars residet, sed in gubernatore et in citharœdo, non ipsa improbat, sed ostendit quantum intersit inter illa et artificem : sic et Paulus cum dicit, *Non habitat in carne mea bonum:* non corpus calumniatur, sed animæ excellentiam declarat : ipsa enim est, cui et gubernatio et citharæ usus committitur. Quod et Paulus hic declarat, animæ auctoritatem tribuens : et in hæc duo hominem dividens, animam et corpus, dicit quidem carnem ratione et intelligentia destitutam agi et non agere; animam vero sapientiorem esse, quæ possit intelligere quæ agenda, quæ non agenda sint ; neque tamen posse equo pro arbitrio suo imperare : id quod non carnis modo, sed etiam animæ crimen fuerit, quæ novit quidem quid sit agendum, sed quod sibi agendum videtur non exsequitur. *Nam velle adest mihi,* inquit, *perficere autem bonum non invenio.* Hic rursus cum dixit, *Non invenio,* non ignorantiam significat, non dubitationem, sed damnum quoddam et insidias peccati ; quod et apertius declarans addit : 19. *Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc facio.* 20. *Si ergo quod ego nolo, hoc facio, non jam ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum.* Viden' quomodo et naturam animæ et naturam carnis a crimine liberans, totum in malam operationem transfert? Si enim non vult malum, liberatur anima ; si ipse non illud operatur, liberatur et corpus, et solius mali propositi totum est. Non enim idipsum natura sunt anima, corpus et propositum ; sed illa quidem sunt opera Dei, hoc autem propositum ex nobis ipsis et motus quispiam est, quocumque illum ducere voluerimus. Nam voluntas quidem naturalis est, et a Deo; talis vero voluntas a nobis et propositi nostri est. 21. *Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quia malum mihi adjacet.* Obscurum est hoc dictum : quid ergo sibi vult? Laudo legem, inquit, secundum conscientiam, et illam mihi volenti facere bonum patronam invenio, quæ voluntatem meam intendat : sicut enim in ipsa mihi complaceo, sic et illa sententiam meam laudat. Viden' quomodo bonorum malorumque cognitionem a principio nobis inditam ostendit, legemque Moysis laudare illam dicit, et laudari ab illa? Neque enim supra dixit, Doceor a lege; sed, *Consentio legi,* neque dixit, Erudior ab illa, sed, *Mihi complaceo in illa.* Quid sibi vult illud, *Complaceo mihi?* Bene habere confiteor, sicut et illa me volentem facere bonum. Itaque illud et velle bonum et nolle malum, jam ab initio fundatum est : lex autem veniens, et in malis accusatrix fuit plurimorum, et in bonis laudatrix majorum. Viden' ubique extensionem quamdam et augmentum ipsius testificantem tantum, et præterea nihil? Illa enim laudante, et me complacente et volente bonum, malum adhuc adjacet, et actio ejus non sublata est. Itaque lex proponenti bonum quid facere

impeccabilem autem, et natura eamdem quam nostram. Itaque hinc palam est, naturam carnis non fuisse malam : neque enim aliam loco illius prioris accepit Christus, neque hac secundum substantiam mutata, sic peccatum expugnare agressus est ; sed illa in natura sua relicta, contra peccatum coronari illam curavit ; et tunc illam post victoriam suscitavit et immortalem effecit. Quid hoc ad me, inquies, si hæc illa carne facta sunt ? Ad te certe maxime pertinet : idcirco addidit : 4. *Ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus*. Quid est, *Justificatio ?* Finis, scopus, præclarum gestum. Quid enim ille volebat, et quid præcepit ? Ut sine peccato esses. Hoc ergo jam per Christum nobis præstitum est : ac contra stare ac vincere penes illum fuit ; victoria frui, nostrum. Itaque non jam amplius peccabimus ; non certe peccabimus, nisi admodum fracti et soluti simus : ideo addidit, *Qui non secundum carnem ambulamus*. Ne enim audiens, quod te Christus liberaverit a bello peccati, et quod justificatio legis perfecta sit in te, peccato in carne damnato, totum apparatum dejiceres ; ideo postquam ibi dixerat, *Nulla ergo condemnatio*, adjecit : *Iis qui secundum carnem non ambulant ;* et hic cum dicit, *Ut impleretur justificatio legis in nobis*, hoc ipsum adjecit ; imo non hoc tantum, sed multo amplius. Cum dixisset enim : *Ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus*, subjunxit, *Sed secundum Spiritum ;* ostendens non a malis abstinendum esse tantum, sed in bono præclare esse agendum. Nam coronam tibi dare, illius est ; data retinere, tuum. Etenim id, quod justificatio legis erat, nempe non esse obnoxium maledictioni, hoc tibi perfecit Christus.

6. Ne igitur tantum donum prodas ; sed hunc pulchrum thesaurum custodire persevera. Hic enim te docet lavacrum non sufficere nobis ad salutem, nisi post illud vitam tanto dono dignam ducamus. Itaque rursum legi patrocinatur, hæc dicens. Nam postquam Christo crediderimus, nihil non agendum est, ut justificatio illa, quam implevit Christus, maneat in nobis, et non corrumpatur. 5. *Qui enim secundum carnem sunt*, inquit, *quæ carnis sunt sapiunt : qui vero secundum spiritum, quæ sunt spiritus*. 6. *Nam sensus carnis, mors est ; sensus vero spiritus vita et pax*. 7. *Quoniam sensus carnis inimicitia est in Deum : legi enim Dei non subditur ; neque enim potest*. At ne hoc quidem est criminatio carnis. Donec enim suum servarit ordinem, nihil absurdi efficitur : cum autem illi omnia permittimus, ac suos transgrediens terminos, contra animam insurgit ; tunc omnia perdit et corrumpit, non ex natura sua, sex ex moderationis et ordinis inversione. *Qui vero secundum spriritum, quæ sunt spiritus : nam sensus carnis, mors est*. Non dixit, Carnis natura, neque Substantia corporis, sed *Sensus :* qui corrigi potest et tolli. Hoc porro dicit, non quod carni propriam cogitationem tribuat : absit ; sed crassiorem mentis impetum indicans, et a pejori illam vocans, ut etiam sæpe carnem totum hominem animam habentem vocare solet. *Sensus autem spiritus*. Rursus hic spiritualem mentem dicit, ut infra : *Qui autem scrutatur corda, novit quid sit sensus spiritus* (*Rom.* 8. 27) ; ostenditque multa hinc bona oriri in præsenti et in futuro. Multo namque plura bona affert sensus spiritualis, quam carnalis sensus mala inferat : quæ ipse significavit dicens, *Vita et pax :* alterum quidem ad differentiam prioris ; nam *Sensus*, inquit, *carnis mors est ;* alterum vero ad differentiam sequentis : cum dixisset enim, *Pax*, subjunxit : *Quoniam sensus carnis inimicitia est in Deum :* quod certe morte deterius est. Deinde ubi ostendit, quomodo et mors et inimicitia sint : *Legi enim Dei non subjecta est*, inquit ; *neque enim potest*. Verum ne turberis cum audis, *Neque enim potest :* hæc enim difficultas facilem habet solutionem. Sensum enim carnis hic dicit terrenam cogitationem, crassam et ad sæcularia malaque opera inhiantem : hanc dicit cogitationem non posse subjici Deo. Ecqua demum salutis spes, si non possit malus fieri bonus ? Non hoc dicit : nam quomodo Paulus talis factus est ? quomodo latro ? quomodo Manasses ? quomodo Ninivitæ ? quomodo David, postquam lapsus est, sese erexit ? quomodo Petrus post negationem ad se reversus est ? quomodo qui fornicatus erat, in Christi gregem receptus est ? quomodo Galatæ, qui ex gratia exciderant, ad pristinam rediere nobilitatem ? Non ergo dicit non posse eum, qui malus sit, fieri bonum ; sed, si malus maneat, non posse subjici Deo ; si vero mutetur, bonum fieri et subjici Deo facile posse. Non enim dicit hominem non posse subjici Deo ; sed malum opus non posse bonum esse, ac si diceret, Fornicatio non potest esse castitas, neque malitia virtus. Quod etiam in Evangelio dicitur : *Non potest arbor mala fructus bonos facere* (*Matth.* 7. 18) ; transitum et mutationem a nequitia in virtutem non cohibens, sed dicens in malitia perseverantem non posse bonos ferre fructus. Non enim dixit, Non potest arbor mala bona fieri, sed, Mala manens non potest bonos ferre fructus. Quandoquidem fieri posse, ut quis mutetur, et hinc et ex alia parabola ostendit, cum inducit zizania triticum esse facta (*a*) : ideoque illa exstirpare vetat : *Ne forte*, inquit, *cum illis exstirpetis et triticum* (*Ib.* 13. 29) ; id est, triticum quod ex illis eliciendum est. Sensum ergo carnis malitiam dicit, sensum vero spiritus gratiam datam et operationem bona voluntate temperatam ; nusquam hic de substantia et natura loquens, sed de virtute et nequitia. Quod enim non potuisti in lege, inquit, hoc nunc poteris, recta nempe incedere, et sine offensione, si Spiritus opem obtineas. Non enim satis est, non secundum carnem ambulare, sed oportet secundum spiritum incedere : siquidem non satis nobis est ad salutem, declinare a malo, sed bonum etiam facere oportet. Hoc autem erit, si spiritui animam dederimus, et si carni suadeamus ut suum servet ordinem. Sic enim illam spiritualem faciemus ; contra vero, si ignavi simus, etiam animam carnalem faciemus.

(*a*) Hæc de zizaniis dicta cum Evangelio non omnino consonare videntur.

7. *Gratia Spiritus quomodo omnia renovaverit.* — Quia vero non necessitas naturæ donum intulit, sed libertas propositi largita est; in te demum situm est, ut hoc vel illud efficiaris. Omnia enim, quæ ab illo erant, perfecta sunt: neque enim peccatum pugnat contra legem mentis nostræ, neque captivam illam ut ante efficit; sed omnia, quæ penes ipsum erant, cessavere solutaque sunt, passionesque repressæ sunt metuentes ac trementes Spiritus gratiam. Si vero tu lumen exstinguas, et aurigam dejicias, gubernatoremque expellas, tibi postea tempestatem imputa. Quod enim nunc facilior virtus facta sit, ideoque multum sit philosophiæ argumentum, disce quomodo, quando lex dominabatur, res mortalium se haberent; quomodo etiam nunc, cum gratia effulsit. Quæ enim ante nemini possibilia videbantur, virginitas, mortis contemptus, compluresque alii labores, hæc ubique terrarum jam præstantur, non apud nos tantum, sed etiam apud Scythas, Thraces, Indos, Persas, aliosque barbaros multos; et virginum chori, martyrum populi, monachorum sodalitates jam plures sunt quam eorum, qui connubio junguntur. Jejunii frequentis et paupertatis studium ingens: quæ tamen ipsa, uno aut duobus exceptis, ne in somniis quidem imaginari potuerunt ii, qui in lege vivebant. Videns itaque tuba clarius clamantem rerum veritatem, ne emolliaris, neve tantam prodas gratiam. Ne fide quidem accepta salutem consequi potest is, qui segniter agit. Facilia quippe sunt certamina, ut decertans vincas, non ut dormias, non ut magnitudine gratiæ ad ignaviæ occasionem abutaris, in pristino luto rursum volutatus. Ideo subjungit: 8. *Qui vero in carne sunt, Deo placere non possunt.* Quid ergo? an corpus discerpemus, ut Deo placeamus, atque a carne exeamus, nosque homicidas esse jubes, dum ad virtutem ducis? Viden' quot absurda nascantur, si simpliciter dicta exceperimus? Carnem hic non corpus dicit, neque naturam corporis, sed carnalem vitam, mundanam, voluptate et luxu plenam, quæ totum hominem carnem esse facit. Sicut enim ii, qui spiritu ceu alis attolluntur, corpus etiam spirituale efficiunt: sic illi, qui ab illo quidem resiliunt, ventri autem et voluptati serviunt, animam carnem efficiunt, non substantiam mutantes, sed nobilitatem ejus perdentes. Talis dictionis modus sæpe in Veteri Testamento jacet, carnem vocans crassam et luteam vitam, absurdis voluptatibus repletam. Nam Noæ dixit: *Non permanebit spiritus meus in hominibus his, quia caro sunt* (*Gen.* 6. 3). Atqui ipse quoque Noe carne circumdatus erat; sed non crimen erat carne circumdari: hoc enim naturæ est; sed carnalem diligere vitam. Ideo dicit Paulus: *Qui in carne vivunt, Deo placere non possunt;* et adjicit: 9. *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu;* non simpliciter carnem dicens, sed talem carnem a passionibus raptatam, tyrannide oppressam. Et cur, inquies, non ita dixit, nec differentiam posuit? Auditorem erigens, et ostendens neque in corpore futurum esse eum, qui recte vivit. Quia enim, eum qui in peccato est non esse spiritualem, omnibus liquidum erat, hic quod majus est ponit, quod non solum in peccato, sed ne in carne quidem est spiritualis homo, jam hinc angelus effectus, ad cælum evectus, corpusque simpliciter circumferens. Quod si ideo carnem calumniaris, quia ejus nomine carnalem vocat vitam: mundum quoque sic calumniaberis, quia hoc nomine sæpe malitia appellatur, ut discipulis suis dicebat Christus: *Vos non estis de hoc mundo* (*Joan.* 15. 19); et fratribus suis rursum dicebat: *Non potest mundus vos odisse, me autem odit* (*Id.* 7. 7). Anima quoque a Deo aliena esse dicetur, quia eos, qui in errore vivunt, animales appellavit. Verum non ita est, non ita. Non enim vocibus simpliciter, sed dicentis menti necesse est semper attendere, et accuratam dictorum scire distinctionem. Alia enim sunt bona, alia mala, alia media: verbi gratia, anima et caro media sunt, quæ possint et hoc et illud fieri; spiritus vero semper ex bonorum numero est, nec umquam aliud fieri potest. Rursum sensus carnis, id est, actio mala, ex malorum semper numero est: legi enim Dei non subjicitur. Si ergo meliori dederis animam et corpus, ex illius portione eris; si pejori, tunc perniciei consors eris, non ex natura animæ et carnis, sed ex proprio tuo arbitrio, quod potest alterutrum eligere. Hæc certe ita se habent, et quæ dicta sunt non carnis sunt calumnia. Hanc rursus dictionem tractantes, accuratius examinemus. *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu*, inquit.

8. Quid ergo? non erant in carne, sed incorporei ambulabant? ecqua ratione hæc esse possint? Viden' illum carnalem vitam subindicasse? Et cur non dixit: Vos autem non estis in peccato? Ut disceres Christum tyrannidem peccati non exstinxisse tantum, sed etiam carnem leviorem et spiritualiorem fecisse: non naturam mutando, sed illam ceu alis quibusdam instruendo. Ut enim ferrum diu in igne versans, igneum evadit, in propria manens natura: sic et fidelium et spiritum habentium caro demum in illam transfertur efficientiam, tota spiritualis effecta, undique crucifixa, et cum anima quasi alis instructa: quale erat corpus ejus, qui hæc dicebat. Quapropter delicias omnes et voluptatem deridebat; delectabatur autem in fame, flagellis, carceribus, nec dolebat illa patiens. Et hoc significans, dicebat: *Momentaneum et leve tribulationis nostræ* (2. *Cor.* 4. 17); ita pulchre carnem erudierat, ut cum spiritu concurreret. *Si quidem Spiritus Dei habitat in vobis* (1. *Cor.* 3. 16). Illud, *Si quidem*, sæpe non ambigens ponit, sed admodum credens, et loco illius vocis, *quandoquidem:* ut cum dicit: *Si quidem justum est apud Deum, retribuere iis, qui tribulant vos, tribulationem* (2. *Thess.* 1. 6); rursus, *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa* (*Gal.* 3. 4). *Si quis vero Spiritum Christi non habet.* Non dixit, Si autem vos non habetis; sed in alios rem molestam transtulit. *Hic non est ejus*, inquit.

Spiritu præsente semper adest Christus.— 10. *Si au-*

tem Christus in vobis. Rursus Christum in illis esse ait. Et quod molestum erat, breve et medium posuit : quod vero optabile erat, utrinque et multis verbis ; ita ut illud obumbraret. Hoc autem dicebat, non quod Spiritum Christum diceret : absit ; sed ostendens eum, qui Spiritum habet, non modo Christi esse dici, sed etiam ipsum habere Christum. Non potest enim, Spiritu præsente, non adesse Christus. Ubi enim una Trinitatis hypostasis adest, tota adest Trinitas : non potest enim omnino separari, et accuratissime unita sibi est. Ecquid erit, inquies, si Christus fuerit in vobis? *Corpus quidem mortuum propter peccatum ; spiritus vero vita propter justitiam.* Viden' quot mala sint ex eo, quod Spiritus non habeatur, mors, inimicitia in Deum, non posse illius legibus placere, non Christi esse ut oportet, non habere illum inhabitantem? Perpende igitur quot bona conferantur ex eo, quod Spiritus habeatur? nimirum Christi esse, ipsum habere Christum, cum angelis decertare. Hoc est enim carnem mortificavisse, vita nempe immortali vivere, inde etiam resurrectionis pignora habere, cum facilitate virtutis cursum tenere. Neque enim dixit, corpus demum a peccato cessare, sed etiam mortuum esse, cursuum facilitatem intendens. Sine ullis negotiis et laboribus ille talis coronatur demum. Ideoque illud, *Peccato*, addidit : ut discas, ipsum malitiam, non naturam corporis, semel occidisse. Nam si hoc fiat, multa etiam eorum, quæ animæ utilia esse possunt, sublata sunt. Non igitur hoc ait ; sed corpus vivens et manens, mortuum esse vult. Hoc quippe signum est, quod Filium habeamus, quod Spiritus in nobis sit, cum corpora nostra ab iis corporibus nihil differunt, quæ in tumulis jacent, quod ad corporis[1] operationem. Verum ne timeas, cum mortificationem audis : habes enim in te vitam, quam nulla excipiet mors. Talis enim est Spiritus vita : non jam morti cedit, sed jam mortem consumit et expendit, et quod accepit, immortale servat. Quapropter ubi dixit corpus mortuum, non dixit Spiritus vivens, sed vitam, ut ostendat illum aliis quoque hoc præbere posse. Deinde auditorem adstringens, et vitæ causam dicit et probationem affert : hæc vero est justitia. Peccato enim non existente, neque mors comparet ; morte non comparente, indissolubilis est vita. 11. *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis : qui suscitavit Dominum, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem ejus Spiritum in vobis.* Rursus sermonem de resurrectione movet : quia ipsa maxime spes auditorem acuit, et firmat illum ex iis, quæ Christo acciderunt. Ne timeas, inquit, quod mortali corpore circumderis : Spiritum habeto, et omnino resurget. Quid ergo? an corpora, quæ Spiritum non habent, non resurgunt? quomodo ergo oportet omnes sisti ante tribunal Christi (*Rom.* 14. 10)? quomodo gehennæ sermo fide dignus erit? Nam si ii, qui Spiritum non habent, non resurgunt, neque gehenna erat. Quid ergo sibi vult illud dictum? Omnes quidem resurgent, sed non omnes ad vitam, sed alii ad supplicium, alii ad vitam (1. *Cor.* 15). Ideo non dixit, Suscitabit, sed *Vivificabit;* quod majus resurrectione erat, et justis solum datur. Atque hujusce honoris causam apponens, addidit, *Propter inhabitantem Spiritum in vobis.* Itaque si dum vivis, Spiritus gratiam ejeceris, neque illam salvam habens decesseris, omnino peribis, etiamsi resurrexeris. Sicut enim, dum Spiritum suum in te splendens respicit, non te supplicio unquam tradit : ita si exstinctum illum videat, non te in thalamum suum introducet, sicut nec virgines illas. Ne itaque nunc corpus vivere sinas, ut tunc vivat : fac illud mori, ne tunc moriatur. Si vivens maneat, non tunc vivet ; si moriatur, tunc vivet. Hoc etiam erit in illa universa generatione : prius enim oportet illud mori et sepeliri, et tunc immortale fieri. Hoc etiam in lavacro evenit : crucifixum prius ac sepultum est, et tunc resurrexit. Hoc et in Dominico etiam corpore : crucifixum namque illud fuit et sepultum, tuncque resurrexit.

9. *Mortificatio commendatur. Non vivit* qui vitiis subjectus est. — Hoc itaque et nos faciamus : in ipsis operibus perpetuo ipsum mortificemus. Non substantiam ejus dico, absit, sed impetus ad prava opera ducentes. Nam et hoc vita est ; imo hoc solum vita est, nihil humanum pati, neque voluptatibus servire. Nam qui se illis subdidit, ne vivere quidem ultra potest ob mœrores, timores, ac pericula ex illis parta, necnon ex infinito affectuum examine. Nam si mors exspectetur, ante obitum ex metu moritur : si morbum, si contumeliam, si paupertatem, si aliud quid inexspectatum suspicatus fuerit, periit et absumptus est. Quid ergo hac vita miserius fuerit? At non perinde se habet is, qui in Spiritu vivit ; sed metu, dolore, periculis, et mutatione omni superior est, non quod nihil patiatur ; sed, quod longe majus est, quod omnia quæ ingruunt despiciat. Quomodo autem illud erit? Si Spiritus semper habitet in nobis : neque enim dixit ad breve tempus habitare, sed perpetuo. Ideoque non dixit, Spiritus qui habitavit, sed, *Qui habitat*, perpetuam mansionem significans. Igitur ille maxime vivit, qui huic vitæ mortuus e[st]. Ideo dicebat : *Spiritus vita est propter justitiam.* Et [ut] dictum illud clarius evadat, duos producamus homines, alium luxui, voluptatibus et fallaciæ vitæ deditum, alium his mortuum ; et videamus uter ex his maxime vivat. Ex his duobus alter sit admodum di[-]ves, illustris, parasitos et adulatores nutriens, [et] totam his in rebus diem absumat ; gulæ et crapulæ deditus; alter in paupertate degens, in jejunio, [et] reliqua vitæ duritie atque philosophia ; vespere necessarium tantummodo cibum capiat, aut si mavis, duos tresve dies jejunus maneat : uter ex his duobus maxime vivere dicatur? Multi, hoc bene novi, æstimabunt illum exsultantem et sua spargentem ; ... vero illum, qui moderate bonis fruitur. Itaque cum inde controversia oriatur, in utriusque ædes ing[...]

1 Alias legitur, *peccati*, pro, *corporis*.

diamur, et tunc intremus, cum dives ille maxime vivere tibi videtur, in ipso voluptatis tempore; et ingressi contemplemur quo in statu uterque sit: nam ex gestis deprehenditur uter vivat, uter mortuus sit. Alterum certe inveniemus inter libros, in oratione, in jejunio, aut alteri cuipiam rei vigilantem ac deditum, cum Deo loquentem: alterum ebrietate obrutum, ac mortuo nihilo melius affectum videbimus. Si ad vesperam usque maneamus, mortem magis illum invadentem videbimus, et postea succedentem somnum: alterum vero etiam noctu vigilantem. Utrum ergo dicemus potius vivere, eumne qui sine sensu jacet, ad risum omnibus expositum; an eum, qui operatur et cum Deo loquitur? Illum enim si adeas, et ipsi quidpiam necessarium dicas, nihil audies loquentem, sed quasi mortuum; hunc vero sive noctu sive interdiu convenias, angelum magis quam hominem videbis, de cælestibus rebus philosophantem. Viden' illum plus quam omnes viventes vivere; hunc vero vel mortuis miserabilius jacere? Quod si operari videatur, alia pro aliis videt, ac furentibus similis est; imo illis miserior. Furentem enim si quis contumelia affecerit, nos miseramur, lædentemque increpamus: in hunc vero si quem insilientem videamus, non solum non ad misericordiam flectimur, sed illum jacentem damnamus. Hoccine, quæso, vita est? annon mille mortibus deterius? Viden' non modo mortuum esse eum, qui deliciatur, sed etiam mortuo pejus se habentem et dæmoniaco miseriorem? Hic namque misericordiam attrahit, ille odio habetur; hic venia fruitur, ille de morbo suo pœnas dat. Quod si exterius ita ridiculus est, putrefactam salivam emittens, et putre vinum olens; miseram animam cogita, quæ in corpore ceu in sepulcro obruta jacet, quomodo illa se habere putetur. Idipsum enim videre est, ac si puellæ ornatæ, castæ, liberæ, nobili atque formosæ, ancillam barbaram, turpem, impuram insultare, ipsique contumelias inferre quis cum potestate juberet. Etenim tale quidpiam est ebrietas.

10. *Contra ebrietatem et avaritiam.* — Quis ergo, si mente valeat, non sexcenties mori malit, quam vel unam diem sic transigere? Etsi enim illucescente die, ex tali comœdia surgens ille sapere videatur, neque tunc pura fruitur temperantia, nube illa ab ebrietatis tempestate immissa adhuc ob oculos stante. Si vero concedatur illum pure sapere, quæ hinc utilitas? Nihil enim ipsi prodest hæc sobrietas, nisi ut eos qui se incusant videat. Nam dum turpiter se gerit, hoc tantum lucratur, quod nullum se irridentium sensum habeat: die autem subsequente hanc amittit consolationem, cum domesticos murmurantes, uxorem pudore affectam, amicos incusantes, inimicos rridentes sentit. Quid hac vita miserabilius fuerit, er diem risui omnibus esse, et vespere eamdem in urpitudinem recidere? Sed quid visne avaros in medium proferamus? Hæc enim est altera gravior ebrietas; si autem ebrietas, est etiam mors illa deterior, uia hæc ebrietas gravior est illa. Etenim non ita grave est vino temulentum esse, ut pecuniæ cupiditate: illic enim damnum in ipso morbo consistit, atque in stupiditatem et ipsius ebrii perniciem desinit; hic vero in mille animas detrimentum transit, varia undique bella succendens. Age itaque et hunc cum illo comparantes videamus, in quibusnam ipsi consors sit, et in quibusnam illum superet, et ebrios inter se mutuo comparemus. Nam cum beato illo, qui in Spiritu vivit, non ultra conferantur isti, sed inter se invicem examinentur. Rursus mensam in medium adducamus, mille cædibus refertam. In quibusnam igitur conveniunt et inter se similes sunt? In ipsa morbi natura; nam ebrietatis species diversa est: illa quippe vino, hæc pecunia constat: morbus autem similis est; uterque enim similiter absurda cupiditate tenetur. Nam qui vino est ebrius, quanto plures calices hauserit, tanto plures appetit: qui pecunias amat, quanto plures acquisierit, tanto magis flammam cupiditatis accendit, gravioremque sibi sitim parit. In hoc igitur similes sunt: in altero autem avarus superior est. In quo? Quia ille quidem rem patitur secundum naturam: vinum enim cum sit calidum, et insitam siccitatem intendat, sic ebrios in sitim conjicit: ille vero undenam plura semper appetit? Unde? Cum magis dives est, tunc maxime in paupertate versatur: nam intellectu difficilis est hic morbus, et ænigmati similis. Sed videamus illos etiam post ebrietatem; imo avarum numquam videre est post ebrietatem, quia semper ebrius est. Itaque utrumque ebrium dispiciamus, et consideremus uter magis sit ridiculus, ipsorumque modum et morem accurate describamus. Videbimus itaque eum, qui ex vino insani more fertur, appetente vespera apertis oculis neminem videre et temere ferri, in obvios impingentem et vomentem, dilaceratum turpiterque nudatum: sive uxor adfuerit, sive filia, sive ancilla, sive quivis alius, effuse irridebitur. Age avarum in medium adducamus. Hic enim, quæ aguntur, non risu modo digna sunt, sed etiam exsecratione et ira multa, sexcentisque fulminibus: interim tamen risum videamus. Etenim hic perinde atque ille omnes ignorat, amicos et inimicos; similiterque apertis oculis excæcatus est, ac sicut illius oculis omnia vinum, sic hujus omnia pecuniæ sunt. Vomitus vero longe gravior est: neque enim cibos emittit, sed verba convicii, contumeliæ, belli, mortis, quæ mille de cælo contra caput suum fulmina attrahunt: ac sicut ebrii corpus lividum est ac diffluens, sic est et avari anima: imo vero neque corpus ejus ab hoc morbo exemptum est, sed etiam magis capitur, cum magis quam vinum illum absumant curæ, ira, vigiliæ, et paulatim illum arrodant. Certe qui a vinolentia detinetur, potest tamen noctu sobrie agere: hic vero perpetuo ebrius est, et die et nocte, et vigilans et dormiens, majores dans pœnas, quam vincti, et ii qui in metallis laborant, et si qui majori cruciatui deputantur.

11. Hoccine, quæso, vita est? annon mors, et quavis morte miserabilius? Mors enim quietem cor-

pori affert, et a risu, turpitudine, peccatis liberat: hæ autem ebrietates in hæc omnia conjiciunt, aures obturantes, oculos excæcantes, mentem in caligine multa detinentes. Neque enim audire vel loqui aliud potest quam fœnora et ex fœnoribus fœnora, lucra turpia, odiosos quæstus, illiberales et serviles negotiationes: quasi canis adversus omnes latrans, omnes odio habens, omnes aversans, omnes impugnans nulla de causa; contra pauperes insurgens, divitibus invidens, cum nemine placide agens. Si uxorem, si liberos, si amicos habeat, nisi sibi ubique lucrari liceat, hos sibi magis hostes ducit, quam eos, qui natura hostes sunt. Hac ergo insania quid deterius fuerit? quid miserabilius, cum ipse sibi ubique scopulos, saxa latentia, præcipitia, milleque barathra paret, unum corpus habens ac ventri uni serviens? Si quis vero te ad publica ministeria injiciat, effugies, expensam timens; tibi vero mille attrahis opera omnibus illis graviora, et non sumptuosiora modo, sed etiam periculosiora subis, Mamonæ initiatus, nec pecunias modo improbo huic tyranno, neque modo laborem corporis, animi cruciatum doloresque, sed etiam ipsum corpus affers, ut quid tibi amplius, miser et infelix, proveniat ex hac barbara servitute. Non vides, eos qui quotidie ad sepulcra deferuntur, quomodo nudi rebusque omnibus destituti ad sepulcra abducantur, nihil ex domesticis rebus secum auferre valentes, sed et ea, quibus amiciuntur, vermi afferentes? Hos quotidie contemplare, et fortasse quiescet morbus, nisi ex sumptibus ad funeralia deputatis magis insanire deprehendaris: gravis quippe morbus est, ægritudo ingens. Ideo in singulis conventibus hac de re vobis disserimus, ac frequenter aures vestras pulsamus, ut ex assiduitate quidpiam lucri accedat. Verum ne contendatis: neque enim in futura illa die tantum, sed et ante illam hic multiformis morbus plurima importat supplicia. Nam si eos qui in vinculis manent perpetuo, si diuturno morbo detentum, si cum fame pugnantem, sin quemvis alium commemorem; neminem ostendere possim talia patientem, qualia ii tolerant qui pecunias amant. Quid enim gravius sit, quam ab omnibus odio haberi? omnes odio habere, cum nemine placide versari, numquam exsatiari, semper sitire, cum fame perpetua pugnare, et quidem graviore, quam illa vulgaris fames sit? doloribus premi quotidianis, numquam sano esse animo, semper in tumultu vivere? Hæc quippe omnia et his plura avari patiuntur. Dum lucrantur, etiamsi omnium bona sibi attrahant, nullam sentiunt voluptatem, eo quod plura concupiscant: si vero jacturam faciant vel unius oboli, se omnium gravissima passos, a vita etiam excidisse putant. Quis sermo hæc tanta mala patefacere queat? Quod si talia sunt ea, quæ hic patiuntur, futura cogita: regni cælestis jacturam, gehennæ dolores, perpetua vincula, tenebras exteriores, vermem venenatum, stridorem dentium, tormenta, angustiam, fluvios igneos, fornaces numquam exstinguendas: hæcque omnia colligens, et cum pecuniarum voluptate comparans, radicitus hunc morbum evelle, ut veras nactus divitias, et ex hac gravi paupertate ereptus, et præsentia et futura bona assequaris, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria unaque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

Cap. 8. v. 12. *Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* 13. *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

1. Cum ostendisset quantum sit vitæ spiritualis præmium, quod Christum inhabitantem faciat, quod mortua corpora vivificet, quod ad cælum quasi alis additis extollat, ac virtutis viam faciliorem reddat, necessario demum admonitionem inducit dicens: Ergo non debemus secundum carnem vivere. At non ita dixit; sed acrius et validius loquitur, Debitores sumus Spiritui: nam cum ait, *Non debitores sumus carni*, hoc significavit. Atque idipsum ubique probat, ostendens ea, quæ Deus nobis contulit, non debita, sed ex mera gratia fuisse: quæ vero a nobis postea facta sunt, non liberaliter dari, sed debita esse. Etenim cum dicit: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum* (1. *Cor*. 7. 23), idipsum significat: et cum scribit, *Non estis vestri* (1. *Cor*. 6. 19), hoc ipsum indicat. Et alibi rursum hæc commemorat his verbis: *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant* (2. *Cor*. 5. 14. 15). Hoc ipsum hic adstruens ait, *Debitores sumus*. Deinde cum dixisset, *Non sumus debitores carni*, ne hoc de carnis natura intelligeres, non tacuit, sed adjecit: *Ut secundum carnem vivamus*. Nam multa ipsi debemus, ut alere illam, fovere, quietem dare, ægram curare, induere, et alia innumera ipsi subministrare. Ne putares ergo illum hujusmodi ministerium tollere, postquam dixerat, *Non debitores sumus carni*, id interpretatur dicens: *Ut secundum carnem vivamus*. Illam enim, inquit, curam tollo, quæ ad peccatum ducit; nam quæ ad illius curam pertinent fieri volo: quod etiam postea significavit. Cum dixisset enim carnis curam non habendam esse, non siluit, sed adjecit, *Ad concupiscentias*: quod hic etiam docet: Curetur quidem, hoc debemus, sed non secundum carnem vivamus; hoc est, Ne illi imperium in vitam nostram deferamus. Illam sequi necesse est, non præire, neque vitam nostram ordinare, sed Spiritus leges accipere. Itaque cum definivisset, et probasset nos debitores esse Spiritui, ubi ostendit quorum beneficiorum debitores essemus, non jam præterita dicit, ubi maxime prudentia admiranda est, sed futura. Atqui præterita illa satis erant; attamen non nunc illa affert, sed

ineffabilia illa beneficia memorat, sed futura. Neque enim jam collatum beneficium ita multos movere solet, ut quod futurum exspectatur. Cum hoc adjecisset, primo a tristibus terret, et a malis inde ortis, quod secundum carnem vivatur, sic dicens: *Si enim secundum carnem vixeritis, morituri estis;* mortem illam nobis immortalem subindicans, gehennæ cruciatum et supplicium. Imo, si quis hæc accurate examinaverit, in hac quoque vita talis homo mortuus est, ut in præcedenti concione clare vobis commonstravimus. *Si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Viden' illum non de corporis natura loqui, sed de carnalibus operibus? Non enim dixit, Si autem Spiritu naturam corporis mortificaveritis, vivetis; sed, *Facta*, neque tamen omnia, sed prava; quod palam est ex sequentibus: Si enim hoc feceritis, vivetis, inquit. Et quomodo posset fieri, si de actibus omnibus intelligeretur? nam videre, audire, loqui, ambulare, corporis acta sunt; et si illa mortificemus et exstinguamus, tantum aberit ut vivamus, ut etiam homicidii pœnas demus. Quænam vero facta dicit esse mortificanda? Illa quæ ad malitiam moventur, quæ ad malum pergunt, quæ non possunt alio mortificari modo, quam per Spiritum. Nam alia si exstinguas, teipsum occidis, quod non licet; has vero per Spiritum solummodo. Si enim ille adsit, omnes fluctus sedabuntur, animi morbi reprimentur, nihilque contra nos insurget. Viden' quomodo nos a futuris, ut jam dixi, hortetur, et ostendat debitores esse, non solum ab iis, quæ jam facta sunt? Non enim hoc solum est, inquit, beneficium Spiritus, quod præterita peccata nobis remiserit, sed etiam quod ad futura inexpugnabiles reddiderit, et immortali vita dignatus sit. Deinde aliam apponens mercedem, addidit: 14. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.*

2. Hæc rursus corona longe major est priore. Ideo non simpliciter dixit: Quicumque enim Spiritu Dei vivunt; sed, *Quicumque Spiritu Dei aguntur;* ostendens sic illum velle dominum esse vitæ nostræ, ut gubernatorem navigii, et aurigam bigæ equorum. Nec modo corpus, sed et ipsam animam his habenis subjicit; neque enim vult illam auctoritatem habere, sed illius potentiam virtuti Spiritus subjicit. Ne enim lavacri dono confisi, subsequens vitæ institutum negligerent, dicit, te, etiamsi baptismum acceperis, neque postea Spiritu ducaris, collatam dignitatem et adoptionis prærogativam perdidisse. Ideo non dixit, Quicumque Spiritum acceperunt; sed, *Quicumque Spiritu Dei aguntur:* id est, quicumque per totam vitam ita se gerunt, *hi sunt filii Dei.* Deinde quia hæc dignitas Judæis quoque data fuerat: nam ait: *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* 81. 6); et rursus, *Filios genui et exaltavi* (*Id.* 2. 7); et, *Primogenitus meus Israel* (*Exod.* 4. 22); et Paulus ait, *Quorum adoptio* (*Rom.* 9. 4); probat deinde quantum sit inter illum et hunc honorem discrimen. Etsi enim eadem ipsa nomina sint, inquit, at non eædem res. Et claram horum demonstrationem affert (*a*), [tum ab eis qui recte agunt, tum] etiam ex donis ipsis, et a futuris comparationem inducens: ac primo ostendit quænam illis data fuissent. Quænam autem erant? Spiritus servitutis: quare subjunxit: 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Deinde prætermittens id quod servituti oppositum erat, id est, spiritum libertatis, quod multo majus erat posuit, *Spiritum adoptionis*, per quem libertas afferebatur. *Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Sed hoc quidem manifestum est; spiritus vero servitutis quid sit, non liquet. Quapropter necesse est illud explicare: neque enim obscurum solummodo est, sed etiam valde dubium. Spiritum enim non accepit Judæorum populus: quid ergo hic ait? Literas ita vocavit, quia spirituales erant, ut etiam legem spiritualem, et aquam ex petra manantem, et manna. Nam ait: *Omnes eamdem escam manducaverunt, et omnes eamdem potum spiritualem biberunt* (1. *Cor.* 10. 3. 4). Sic etiam petram appellavit: *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra* (*Ibid*). Quia enim supra naturam hæc erant, spiritualia ipsa vocavit, non quod illi qui horum participes fuerunt, Spiritum accepissent. Et quomodo literæ illæ servitutis erant literæ? Totam illorum vitæ formam proferto, et tunc hoc clare videbis. Etenim supplicia illos e vestigio excipiebant, et merces statim sequebatur, mensuram suam habens, et quasi annona quotidiana domesticis data, magnus undique timor ob oculos versabatur, et circa corpora purgationes, et usque ad actiones continentia. Apud nos autem non sic, sed et cogitatio et conscientia purgatur. Non enim solum dixit, Ne occidas; sed, Ne irascaris; nec, Ne mœcheris, sed, Ne lascive respicias: ut ne ultra ex timore præsentis pœnæ, sed ob ipsius amorem tum virtutis habitus tum cætera recte facta procedant. Nec promittit terram fluentem lac et mel; sed Unigenito coheredem efficit, a præsentibus nos per omnia abstrahens, et illa maxime dare pollicens, quæ filios Dei effectos accipere par est; sensibile vel corporeum nihil, sed omnia spiritualia. Itaque illi, etsi filii Dei vocarentur, at ut servi; nos vero ut liberi effecti, adoptionem accepimus, et cælum exspectamus: illis per alios loquebatur, nobis per seipsum: illi ex timore supplicii omnia faciebant, at spirituales ex desiderio et amore; id vero ostendunt ex eo, quod etiam præcepta superent. Illi ut mercenarii et ingrati numquam finem faciebant murmurandi; hi autem ad beneplacitum Patris: illi beneficiis acceptis blasphemabant, nos in periculis gratias agimus. Si etiam peccatores puniendi sint, multum hic quoque discrimen est. Non enim ut illi, lapidati, combusti, et a sacerdotibus truncati, ita et nos convertimur; sed sufficit a paterna ejici mensa, et ad certum dierum numerum absentes esse. Apud Judæos verbi tantum honos erat adoptio; hic autem res ipsa sequitur, purgatio per baptismum, Spiritus donum, aliorum bonorum largitio. His plura dici possent, quæ nostram ostendant nobilitatem, ipsorumque vilitatem. Quæ omnia cum per Spiritum, per timorem, per adoptionem subindicasset, aliud

(*a*) Quæ uncinis clausimus, desunt in Morel.

affert argumentum, quod spiritum adoptionis habeamus. Quodnam illud? *In quo clamamus, Abba Pater.*

3. *Precationis catechumenorum initium.* — Hoc autem quantum sit sciunt initiati, quod in mystica precatione hæc primo dicere jubeantur. Quid ergo, inquies, annon et illi Deum vocabant Patrem? non audis Moysem dicentem: *Deum qui te genuit dereliquisti* (*Deut.* 32. 18)? non audis Malachiam exprobrantem ac dicentem: *Deus unus creavit nos, et unus Pater est omnium nostrum* (*Malach.* 2. 10)? Verum licet hæc et multo plura dicta fuerint, nusquam invenimus eos hoc nomine Deum vocantes, neque sic precantes. Nos autem omnes, et sacerdotes et idiotæ, et principes et subditi, sic precari jussi sumus, et hanc primam emittimus vocem, post mirabiles illos natales, post novam et stupendam incunabulorum legem. Alioquin vero etsi illi nonnumquam sic vocarunt, sed ex propria mente: qui autem in gratia vivunt, ex spirituali operatione moti. Quemadmodum enim spiritus sapientiæ est, per quem insipientes sapientes effecti sunt, id quod a doctrina indicatur; et spiritus virtutis est, per quem infirmi mortuos suscitarunt et dæmonas ejecerunt; et spiritus est gratiæ curationum, et spiritus prophetiæ, et spiritus linguarum: sic et spiritus adoptionis. Ac sicut novimus spiritum prophetiæ, quatenus qui habet illum, futura prædicit, non ex propria mente loquens, sed a gratia motus: sic et spiritus adoptionis, quatenus is, qui accepit eum, Patrem vocat Deum, a Spiritu motus. Ilic vero ut genuinum esse ostenderet, Hebraica usus est lingua: non enim tantum dixit, Pater, sed, *Abba Pater*, quod verbum a genuinis filiis dicitur, patrem vocantibus. Cum dixisset ergo differentiam quæ ex instituto vitæ, ex data gratia, ex libertate est; aliam inducit demonstrationem excellentiæ adoptionis hujus. Qualem illam? 16. *Idem Spiritus*, inquit, *testimonium perhibet spiritui nostro, quod simus filii Dei.* Non enim a voce solum confirmor, inquit, sed et a causa, a qua hæc vox nascitur: Spiritu enim dictante, hæc dicimus. Quod alibi clarius dicebat: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater* (*Gal.* 4. 6). Quid sibi vult illud, Spiritus una cum spiritu testatur? Paracletus, inquit, cum dono nobis dato: non enim doni tantum vox est, sed etiam Paracleti, qui donum dedit: ipse enim per gratiam nos ita loqui docuit. Cum autem Spiritus testificatur, quæ tandem ambiguitas? Nam si homo, aut angelus, aut archangelus, aut alia similis potestas hoc promitteret, posset fortasse dubitari; sed cum suprema potestas, quæ hoc largitur, per precationem quam fieri jubet testificetur nobis, quis demum de dignitate dubitaverit? Rege namque aliquem eligente, et apud omnes honorem prædicante, an quis ex subditis contradicere auderet? 17. *Quod si filii*, inquit, *et heredes.* Viden' quomodo paulatim donum augeat? Quia enim fieri potest, ut qui filii sunt, heredes non sint (neque enim omnes filii sunt heredes), illud adjicit, quod sint heredes. Judæi vero, præterquam quod talem adoptionem non habuerunt, ab hereditate ejecti sunt. *Malos enim male perdet, et vineam suam tradet aliis agricolis* (*Matth.* 21. 41). Antea vero dixerat: *Multi ab oriente et ab occidente venient, et recumbent cum Abraham: filii autem regni ejicientur foras* (*Matth.* 8. 11. 12). Verum non hic consistit, sed majus quidpiam ponit. Quid hoc est? *Dei heredes*; ideo adjicit, *Heredes quidem Dei.* Et quod adhuc majus est, non simpliciter heredes; sed etiam *Coheredes Christi.* Viden' quomodo contendit nos prope Dominum adducere? Quia enim non omnes filii heredes sunt, ostendit nos et filios et heredes. Quia vero non omnes heredes magnarum rerum heredes sunt, ostendit id etiam assequutos, qui heredes simus Dei. Rursum quia contingit quempiam heredem quidem Dei esse, neque tamen omnino esse Unigeniti coheredem, nos hoc etiam habere ostendit. Et vide sapientiam: nam quæ tristia erant supprimens cum diceret, quid passuri sint ii, qui secundum carnem vivunt, nempe quod morituri sint; ubi ea quæ lætiora erant attigit, latiorem in statum sermonem educit, mercedis retributionem commemorans, et varia magnaque dona ostendens. Nam si filium esse, ineffabilis sit gratia, cogita quantum sit, esse etiam heredem. Si vero hoc magnum est, multo majus est, esse et coheredem. Deinde postquam ostendit non gratiæ solum esse donum, simul dictis suis fidem concilians, subdit: *Si quidem compatimur, ut et conglorificemur.* Si enim in doloribus ut ille fuimus, multo magis in bonis id erit. Qui eos, qui nihil boni fecerant, tot bonis donavit; cum viderit et labores subiisse et tanta passos esse, quomodo non majora retribuet?

4. Cum ostendisset ergo rem esse mercedem, ut fides dictis haberetur et nemo dubitaret, ostendit rursus illam et gratiæ vim habere; tum ut ab ambigentibus dicta crederentur, et eos qui acciperent non puderet, quasi gratis semper servarentur; tum ut disceres Deum semper labores retributione superare. Certe illud quidem significavit, dicens, *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur*; hoc vero hæc addens, 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* In præcedentibus enim morum emendationem requirit a spirituali, cum dicit: Non debetis secundum carnem vivere; nempe ut qui talis est, et concupiscentiam et iram et pecuniam et vanam gloriam et invidiam superet: hic vero postquam illi totum donum commemoravit, tum jam solutum tum futurum, atque illum spe extulit et exaltavit, ac prope Christum constituit, atque Unigeniti coheredem declaravit, bono animo jubens esse, ad pericula demum evocat. Neque enim par res est, affectus nostros superare, et tentationes illas sustinere, flagella, famem, exsilia, vincula, catenas, abductiones: egent quippe illa generosiore ac vividiore anima. Et vide quomodo concertantium sensum simul reprimat et attollat. Cum enim ostendit majora esse præmia laboribus, magis hortatur, nec sinit altum sapere, utpote qui vincantur coronarum retributione. Et alibi quidem ait: *Momentaneum enim et leve tribulationis, supra modum in sub*

mitate æternum gloriæ pondus operatur (2. *Cor*. 4. 17). Eos enim, qui in philosophia præcellunt, hic alloquitur: hic non levia illa patitur esse; consolationem autem affert per futuram retributionem, dicens: *Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis.* Nec dixit, Ad futuram quietem, sed quod longe majus erat, *Ad futuram gloriam.* Ubi enim quies est, non omnino gloria; ubi gloria, ibi certe quies. Deinde quia futuram illam dixit, ostendit illam jam esse: non enim dixit, Ad eam quæ futura est, sed, Ad futuram quæ revelanda est, utpote quæ nunc quidem sit, sed occulta: quod et alibi clarius dicebat: *Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo* (*Col*. 3. 3). De illa igitur confide: jam enim parata est, tuos exspectans labores. Quod si de mora dolet tibi, hoc ipsum te delectet: nam quod magna sit et ineffabilis, et quod præsentem statum longe superet, illic recondita servatur. Neque enim sine causa posuit, *Passiones hujus temporis*; sed ut ostendat illam non qualitate solum, sed etiam quantitate superare. Passiones enim illæ, qualescumque sint, vita præsenti terminantur; futura autem bona ad immortalia sæcula extenduntur: quæ quia sigillatim dicere non potuit, neque sermone explicare, ab eo quod apud nos desiderabilius videtur, nempe a gloria, ipsa indicavit: culmen namque et caput bonorum hoc videtur esse. Alio item modo auditorem erigens, ab ipsa creatione sermonem attollit, duo apparans per ea quæ dicenda sunt, et contemptum præsentium, et desiderium futurorum: ac cum his tertium, quod potius primum fuerit; ut ostendat quantam curam Deus gerat generis humani, et in quanto honore naturam nostram habeat. Post hæc, dogmata philosophorum omnia de hoc mundo edita, tamquam araneæ telam et puerorum ludos, hoc uno dogmate dejicit. Sed ut clariora illa sint, ipsa apostolica dicta audiamus: 19. *Nam exspectatio creaturæ*, inquit, *revelationem filiorum Dei exspectat.* 20. *Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe*: id est, Hæc creatura admodum dolet, hæc exspectans bona, quæ nunc diximus: nam ἀποκαραδοκία est vehemens exspectatio. Itaque hic cum emphasi loquitur, et mundum totum in personam convertit: quod et prophetæ faciunt, fluvios manibus plaudentes inducunt, et colles salientes montesque exsultantes; non ut illa animata esse putemus, neque ut cogitationem quamdam ipsis indamus, sed ut bonorum exsuperantiam ediscamus, quasi ad ea quæ sensu carent pertingant.

5. Hoc ipsum etiam in tristibus sæpe faciunt, vineam inducentes plorantem, et vinum et montes et templi laquearia ejulantia, ut hinc malorum magnitudinem intelligamus. Hos apostolus imitatus, creaturam in personam vertit, aitque illam ingemiscere et parturire; non quod gemitum quempiam audierit, a terra et cælo emissum, sed ut futurorum bonorum immensitatem declaret, et desiderium excedendi a malis se detinentibus. *Vanitati creatura subjecta est, non volens, sed propter eum qui subjecit illam.* Quid est illud, *Vanitati creatura subjecta est?* Corruptibilis facta est. Quare? Propter te hominem. Quia enim corpus accepisti mortale et passibile, et terra maledictum accepit, ac spinas tribulosque emisit. Quodque etiam cælum cum terra veterascens, in meliorem sortem demum reducendum sit, audi prophetam dicentem: *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent: et velut amictum convolves eos, et mutabuntur* (*Psal*. 101. 26. 27). Isaias quoque eadem dicebat: *Inspicite in cælum sursum, et in terram deorsum: quia cælum tamquam fumus firmatum est, terra autem quasi vestimentum veterascet, qui autem habitant illam, ut hæc peribunt* (*Isai*. 51. 6). Vidistin' quomodo vanitati creatura servivit, et quomodo liberatur a corruptione? Ille quidem ait, *Quasi amictum convolves eos et mutabuntur*; Isaias vero: *Qui autem habitant eam, ut hæc peribunt*, non omnimodam dicens perniciem; non enim qui habitant eam homines talem interitum patientur; sed temporaneum, ac per illum ad immortalitatem transferentur, ut et creatura. Quæ omnia significavit cum dixit, *Ut hæc*: id quod etiam Paulus postea dicit; interim vero de illa servitute loquitur, et ostendit quare talis facta sit, et nos in causa esse ponit. Quid ergo? an illi damnum illatum est, cum pro alio id patiatur? Minime: nam propter me facta est. Quæ igitur propter me facta est, quid injuriæ accipiat, si ad emendationem meam hæc patiatur? Alioquin vero justi et injusti rationem ne movere quidem oportet, cum de inanimatis et insensibilibus agitur. Verum Paulus postquam illam ut personam induxit, nulla rationum, quas dixi, usus est; sed alia auditorem admodum consolari studet. Quanam? Quid dicis, inquit? male affecta propter te, et corruptibilis facta est? In nullo certe læsa est: nam propter te incorruptibilis rursum futura est: hoc enim sibi vult illud, *In spe*. Cum vero dicit, *Non libens subjecta est*, non hoc dicit, ut illud penes voluntatem ejus esse ostendat, sed ut discas totum ex Christi cura factum fuisse, non illius opera. Dicito, qua spe? *Quia et ipsa creatura liberabitur.* Quid est illud, *Et ipsa?* Non tu solum, sed et quod te inferius est, et quod nec cogitationem nec sensum habet: hoc etiam bonorum tecum consortium habebit. *Liberabitur enim*, inquit, *a servitute corruptionis*; id est, non ultra corruptibilis erit, sed corporis tui pulchritudinem sequetur. Sicut enim te corruptibili effecto, ipsa quoque corruptibilis facta est: sic cum incorruptibilis eris, ipsa quoque sequentur: quod ut ostendat subjungit: *In libertatem gloriæ filiorum Dei*: id est, propter libertatem. Ut enim nutrix infantem alens regium, cum ille ad paternum imperium pervenerit, ipsa quoque simul bonis fructur, ita et creatura, inquit. Viden' hominem ubique præcedere, et propter eum omnia fieri? Vidistin' quomodo decertantem consoletur, ostendatque ineffabilem Dei erga homines amorem? Quid enim doles, inquit, in tentationibus? Tu propter te pateris, creatura item pro-

pter te. Nec te modo consolatur, sed et dicta fide digna ostendit. Si enim creatura propter te omnino facta sperat, multo magis tu, propter quem natura bonis illis omnibus fruetur. Sic et homines, quando filius cum dignitate aliqua proditurus est, servos splendidiore induunt veste in filii sui gloriam : quemadmodum et Deus creaturam incorruptione circumdat, in libertatem gloriæ filiorum. 22. *Scimus enim, quoa omnis creatura simul ingemiscit et simul parturit usque nunc.*

6. Viden' quomodo auditorem in pudorem conjiciat, ac si diceret : Ne sis ipsa creatura deterior, nec præsentibus te dedas ? Non modo enim illis hærere non oportet, sed etiam ingemiscendum est, quod hinc tardius sit emigrandum. Nam si hoc creatura facit, multo magis te ratione ornatum id oportet facere. Sed hæc nondum tantum inferunt pudorem ; quare addit : 23. *Non solum autem, sed et ipsi primitias Spiritus habentes, et nos ipsi in nobis ipsis gemimus :* hoc est, futura jam gustavimus. Etsi enim quis omnino lapideus fuerit, ea quæ data sunt, satis sunt ad illum excitandum, ut a præsentibus absistat, et ad futura advolet : duplici de causa, et quod magna sint dona, et quod hæc tot et tanta primitiæ sint. Nam si primitiæ tantæ sunt, ut per illas a peccatis liberemur, atque justitiam et sanctificationem consequamur ; illi vero, qui tunc erant, etiam dæmonas pellerent, mortuos suscitarent per umbram ac vestimenta : totum illud cogita quantum sit. Et si creatura mente et sermone carens, et hæc ignorans gemit, multo magis nos. Deinde ne det hæreticis (*a*) ansam, neu videatur præsentia calumniari, *Ingemiscimus*, inquit, non præsentia incusantes, sed majora desiderantes : hoc enim significat his verbis, *Adoptionem exspectantes.* Quid, quæso, dicis ? Hoc perpetuo versas et clamas, Jam filii facti sumus ; et nunc hoc bonum in spe tantum ponis, scribens ipsam excipi oportere ? Hoc igitur corrigens adjicit : *Redemptionem corporis nostri*, id est, perfectam gloriam. Nunc enim in occulto nostra sunt usque ad extremum halitum : multi enim qui filii erant, facti sunt canes et captivi. Quod si bona cum spe decesserimus, tunc immotum erit donum, et clarius et majus, non ultra mortis et peccati mutationem timens : tunc firma erit gratia, cum corpus nostrum liberabitur a morte, et ab innumeris malis. Hoc est enim redemptio, nec simpliciter solutio ; sed ita ut non ultra in priorem revertamur captivitatem. Nam ut ne hæsites, dum frequenter gloriam audis, et nihil clare nosti, ex parte futura aperit, corpus tibi immutans, et cum ipso creaturam totam ; quod et alibi clarius dixit : *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, ut sit conforme corpori gloriæ suæ* (*Philipp.* 3. 21). Et alibi rursum ita scribit : *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoriam* (1. *Cor.* 15. 54. *Osee.* 13. 14). Ut ostendit autem, cum corruptione corporis, sæcularium rerum statum abscessurum esse, scripsit etiam alibi : *Præterit enim figura hujus mundi* (1. *Cor.* 7. 31) 24. *Spe enim salvi facti sumus*, inquit. Quia enim in futurorum promissione diu moratus est, hocque videbatur imbecilliori auditori molestum esse, si in spe tantum bona essent, cum prius probasset illa præsentibus et visibilibus longe esse clariora, et multa de jam præmissis donis disseruisset, ostendissetque jam nos primitias ipsorum accepisse : ut ne omnia hic quæramus, neu nobilitatem nostram, quam ex fide accepimus, prodamus, ait : *Spe enim salvi facti sumus :* id est, non oportet omnia hic quærere, sed sperare. Hoc enim dumtaxat donum Deo obtulimus, quod credamus ipsi futura promittenti, et hac solum via salvi facti sumus. Si ergo illam perdamus, totam oblationem nostram amisimus. Interrogo enim te, inquit, nonne innumeris obnoxius eras malis ? nonne deploratus ? nonne sententiæ subjectus ? annon omnes simul salutem tibi restituere frustra tentabant ? quid ergo te salvum fecit ? Spes in Deum sola, et quod fidem habeas ipsi pro iis, quæ promisit et dedit, et nihil aliud offerendum habuisti. Si hæc igitur fides te salvum fecit, hanc et nunc retine. Quæ enim tot tibi contulit bona, tibi procul dubio circa futura non mentietur. Ea enim quæ mortuum, perditum, captivum et inimicum, amicum effecit, filium, liberum, justum et coheredem ; ipsique tanta præbuit, quanta numquam quis exspectavisset : quomodo post tantam liberalitatem et benevolentiam, tibi in posterum non aderit ? Ne igitur mihi dicas, Rursus spes, rursus exspectationes, rursus fides. Ita enim a principio salvus factus es, et hanc dotem sponso solam attulisti. Retine illam et conserva. Si enim hic omnia requiras, recte factum tuum amisisti, a quo splendidus effectus es. Ideo hæc subjungit : *Spes autem quæ videtur, non est spes : nam quod videt quis, cur et speret ?* 25. *Si autem quod non videmus, speramus, id per patientiam exspectamus.* Id est, Si omnia hic quæras, quid spe opus ? Quid igitur est spes ? De futuris confidere. Quid enim magni abs te postulat Deus, qui ex se tibi omnia largitus est dona ? Unum abs te postulat solum, spem, ut etiam quidpiam habeas, quod ad salutem tuam conferas : quod ille subindicans intulit : *Si autem quod non videmus, speramus, id per patientiam exspectamus.* Nam ut laborantem in miseria et mille malis versantem, sic sperantem Deus coronat : etenim patientiæ nomen, sudorum nomen est et tolerantiæ multæ. Attamen hoc largitus est speranti, ut fatiscentem animam consolaretur.

7. Deinde ostendens nos etiam ad hunc levem laborem multo frui auxilio, pergit : 26. *Similiter autem et Spiritus auxiliatur infirmitatibus nostris.* Aliud tuum est, nempe patientia ; aliud ex Spiritus dono, qui te ad spem acuit, et per eam labores tuos allevat. Deinde ut discas, non in laboribus tantum et periculis tibi gratiam adesse, sed eam etiam in iis, quæ faciliora videntur, tecum cooperari, et ubique suam conferre opem, subjungit : *Nam quid ut oportet oremus, nescimus.* Hæc porro dixit, tum ut multam Spi-

(*a*) Manichæos indicat.

ritus erga nos providentiam ostenderet, tum ut nos doceret, non illa omnino nobis utilia censenda esse, quæ humanis ratiociniis talia videntur esse. Quia enim verisimile erat illos, flagellatos, pulsos, mille gravia patientes, quietem quærere, et sibi utile fore putare, si illam abs Deo gratiam postularent, dicit : Ne putetis illa, quæ vobis utilia videntur, vere talia esse : etenim ad eam rem Dei ope egemus : usque adeo homo infirmus est et ex se nihil. Ideo dicebat : *Quid ut oportet oremus, nescimus.* Ut ne enim ultra discipulum ignorantiæ puderet, ostendit doctores etiam eodem in statu esse : non enim dixit, Nescitis; sed *Nescimus*. Quodque non per modestiam sic loqueretur, per alia indicavit. Indesinenter enim in precibus suis Romam videre orabat; nec licet precaretur, hoc assequutus est : et pro stimulo sibi in carne dato, id est, pro periculis sæpe rogavit, nec impetravit, ut nec Moyses in veteri lege, ut Palæstinam videret obsecrans, nec Jeremias pro Judæis supplicans, nec Abraham pro Sodomitis rogans. *Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Obscurum est hoc dictum, quia multa, quæ tunc flebant miracula, jam cessarunt. Quapropter necesse est docere vos, qui tunc status rerum esset, et sic demum apertior vobis sermo erit. Quis ergo tunc status erat? Diversa iis, qui baptizabantur, tunc dona concedebat Deus, quæ etiam spiritus vocabantur : *Spiritus enim prophetarum, prophetis subjecti sunt*, inquit. Et alius quidem prophetiæ donum habebat, et futura prænuntiabat; alius sapientiæ, et multos docebat, alius curationum, et ægros curabat; alius virtutum, et mortuos suscitabat; alius linguarum, et diversis loquebatur vocibus. Cum his omnibus erat et orationis donum, quod ipsum spiritus dicebatur; et qui illud habebat, pro tota multitudine precabatur. Quia enim multa eorum, quæ nobis utilia sunt, ignorantes, inutilia postulamus, donum orationis ad quempiam eorum, qui tunc erant, veniebat, et quod toti Ecclesiæ conducebat, id ille stans postulabat, aliosque docebat. Spiritum ergo hic vocat hujusmodi donum, et animam quæ illud acceperat, quæque Deum orabat et ingemiscebat. Nam qui tali dignatus erat gratia, stans cum multa compunctione et multis gemitibus animi, ante Deum procumbens, quæ utilia omnibus essent postulabat. Cujus nunc symbolum est diaconus, qui pro populo preces effundit. Hoc igitur significans Paulus, dicebat : *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* 27. *Qui autem scrutatur corda.* Viden' non hic de Paracleto agi, sed de corde spirituali? Nam si non hoc ita esset, dixisse oportuit : Qui autem scrutatur Spiritum. Sed ut discas hic de spirituali homine sermonem haberi, qui donum precandi habeat, addidit : *At qui scrutatur corda, novit qui sit sensus spiritus;* id est, hominis spiritualis : *qui secundum Deum postulat pro sanctis.* Neque enim, ait, ignorantem docet Deum : verum hoc fit, ut nos discamus ea quæ oportet precari, et a Deo petere ea quæ ipsi placita sint; hoc enim significat illud, *Secundum Deum.* Itaque hoc erat ad accedentium consolationem et doctrinam optimam : nam qui et dona illa et infinita bona largiebatur, Paracletus erat. *Hæc enim omnia*, inquit, *operatur unus et idem Spiritus.* Et institutionis nostræ causa hoc fit, atque ut Spiritus dilectio declaretur, qui eo usque indulgentiæ procedat. Indeque eveniebat ut is, qui precabatur, exaudiretur, quia oratio secundum Deum emittebatur. Viden' quantis eos doceat amorem erga illos suum, honoremque ipsis exhibitum.

8. Quid enim non pro nobis fecit Deus? Mundum corruptibilem propter nos, et incorruptibilem propter nos fecit; male affici prophetas propter nos permisit; in captivitatem propter nos misit; in fornacem propter nos permisit incidere, atque mille subire mala. Prophetas illos propter nos fecit, et apostolos item propter nos; Unigenitum propter nos tradidit; diabolum propter nos punit; nos in dextera sedere voluit; opprobria propter nos passus est : nam ait: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* (*Psal.* 68. 10). Attamen nos ab ipso post tot tantaque deficientes non deserit, sed nos rursum hortatur, et alios parat, qui pro nobis intercedant, ut nobis gratiam largiatur : quod in Moyse factum est. Illi namque ait: *Dimitte me, et delebo eos* (*Exod.* 32. 10); ut illum adduceret ad precandum pro illis. Nunc quoque idipsum facit: ideo donum precationis largitus est. Illud vero faciebat, non quod ipse obsecratione opus haberet; sed ne nos, quod salvi simus, deteriores evadamus. Ideo sæpe et propter David et propter alium et alium se illis reconciliari ait : hoc ipsum apparans, ut formam reconciliationi addat; quamquam benignior appareret ipse, si non per alium et alium, sed per seipsum diceret se indignationem suam ipsis remittere. Verum non tam hoc ille voluit, quam ut ne iis, qui salvi fierent, reconciliationis modus ignaviæ causa foret. Ideo Jeremiæ dicebat: *Ne preceris pro populo hoc, quia non exaudiam te* (*Jer.* 11. 14); non quod vellet illum precandi finem facere (salutem quippe nostram desiderat); sed quod illos terrere cuperet : quod intelligens propheta, precari non cessavit. Et ut discas, Deum, non ut illum averteret, sed ut illum pudefaceret, hæc dixisse, audi quid dicat: *Annon vides, quid illi faciunt?* Adversus civitatem vero cum dicit: *Si laveris te nitro et accumulaveris tibi herbam, maculata es in conspectu meo* (*Jer.* 2. 22); non ut in desperationem conjiceret dicit, sed ut ad pœnitentiam excitaret. Sicut enim apud Ninivitas, cum indefinite sententiam dixisset, nec bonam spem subindicaret, magis illos terruit et ad pœnitentiam deduxit: sic et hoc loco facit, illos excitans et prophetam venerabiliorem reddens, ut saltem sic illum audirent. Deinde quia incurabili morbo laborabant, ac ne aliis quidem immissis resipiscebant, primo monet illos, ut ibi maneant: cum autem id noluissent, sed confugissent in Ægyptum, hoc quidem concessit, petiit autem ab ipsis, ut ne cum Ægypto ad impietatem declinarent. Cum vero ne in hoc quidem obsequuti essent, cum illis prophetam

mittit, ut ne omnino illi impingerent. Quia enim illi vocanti non obsequebantur, illos ipse sequitur corrigens, et impediens ne ulterius in nequitia procedant, velut pater prolis amans, qui filium infeliciter in omnibus agentem ubique circumducit et sequitur semper. Ideo non modo Jeremiam in Ægyptum, sed etiam Ezechielem misit Babylonem. Illi vero non contradixerunt. Quia enim Dominum suum videbant valde illos amantem, ipsi quoque hoc assidue fecerunt: ac si quis servus probus inutilem filium videns, misereretur ejus, patrem cernens de illo dolentem, seseque excruciantem. Quid enim non patiebantur prophetæ propter illos? Secabantur, pellebantur, conviciis onerabantur, lapidabantur et millia patiebantur gravia: post hæc autem omnia ad illos rursum accurrebant. Nam Samuel non cessavit lugere Saulem, etsi graves ab illo passus contumelias resque intolerabiles; sed tamen nullius injuriæ memor erat. Jeremias vero lamentationes scriptas Judæorum populo composuit: cumque Persarum dux concessisset illi cum securitate et libertate ubicumque vellet habitare, domui suæ prætulit infelicis populi consortium et miseram in terra aliena habitationem Sic et Moyses regiis ædibus in queis degebat relictis, ad Hebræorum calamitates accurrit. Daniel vero per dies viginti sex jejunus mansit, hac se gravissima abstinentia macerans, ut Deum illis placaret. Et tres pueri in fornace et in tanto igne, supplicationem pro illis emittebant. Non pro se illi dolebant, qui salvi erant; sed quia tum maxime putabant se fiduciam habere posse, ideo pro illis precabantur. Quapropter dicebant: *In anima contrita et spiritu humilitatis suscipiamur* (*Dan.* 3. 39). Propter hos et Josue vestimenta sua scidit: propter hos Ezechiel lugebat et lamentabatur illos trucidatos videns: et Jeremias dicebat: *Sinite me, amare flebo* (*Isai.* 22. 4). Antehac vero, cum pro venia scelerum ipsorum impetranda precari non auderet, terminum quærebat dicens, *Usquequo, Domine* (*Id.* 6. 11)? sanctorum quippe genus omne amore proximi tenetur. Idcirco et Paulus dicebat: *Induimini ergo, ut electi Dei sancti, viscera misericordiæ, probitatem, humilitatem* (*Col.* 3. 12).

9. *Eleemosyna commendatur.*— Viden' verbi accurationem, et quomodo nos perpetuo misericordes esse vult? Non dixit enim tantum, Miseremini, sed *Induimini*, ut sicut indumentum nobiscum semper est, ita et misericordia sit. Nec simpliciter dixit, Misericordiam, sed *Viscera misericordiæ*, ut naturalem imitemur dilectionem. Verum nos contraria facimus: si quis obolum petiturus accedat, contumeliis et conviciis oneramus, aggressorem (*a*) vocamus. Non horrescis, o homo, non erubescis, dum aggressorem pro emendicando pane vocas? Quod si hic aggressionem faciat, hac certe de causa misericordia dignus est, quia sic a fame premitur, ut talem personam assumat. Estque hoc inhumanitatis nostræ crimen. Quia enim non facile erogamus, mille excogitare machinas coguntur, ut immanitatem nostram decipiant, et duritiem emolliant. Alioquin vero si argentum vel aurum peteret, suspicandi locum haberes: si autem pro necessario tantum cibo te adit, cur intempestive philosopharis et superflue disputas, otium et pigritiam illi imputans? Nam si hæc dicere oporteat, non aliis certe, sed nobis dicenda sunt. Cum ergo ad Deum accedis, peccatorum veniam postulatum, hæc tibi verba in mentem veniant, et intelliges hæc te a Deo justius auditurum esse, quam a te pauperem. Attamen numquam hæc tibi verba dixit Deus, *Abscede*: nam aggressor es, in ecclesiam frequenter intrans, legesque meas audis; in foro autem aurum, concupiscentiam, hominum amicitiam, et omnia mandatis meis anteponis: et nunc quidem humilis videris, post precationem autem ferox eris, crudelis, inhumanus: abscede igitur hinc, nec me ultra adeas. Hæc enim et his plura audire meremur: attamen numquam ille quid simile exprobravit, sed patienter fert; quæ sua sunt omnia implet, et plus quam petimus largitur. Hæc itaque cogitantes, inopum paupertatem solvamus; etiamsi aggressiones faciant, ne accurate rationes exposcamus. Eodem quippe modo nos quoque salute indigemus, cum venia, cum benignitate et misericordia magna. Non possunt enim, non possunt utique ii homines, quorum vita accuratius examinatur, salutem consequi; sed necesse esset plecti ac perire omnes. Ne itaque simus aliorum severiores judices, ne a nobis quoque accuratiores rationes exigantur: peccatis enim onusti sumus, venia omni indigni. Itaque illos maxime misereamur, qui venia indigni videntur, ut et ipsi parem nobis attrahamus misericordiam: etsi quantumcumque studeamus, numquam poterimus benignitatem tantam exhibere, quanta nos a benigno Deo opus habemus. Quomodo igitur non absurdum fuerit, nos in tanta indigentia constitutos, tam accurate conservos nostros examinare, et contra nos ipsos nihil non agere? Non enim ita illum beneficio tuo indignum declaras, ut teipsum Dei benignitate. Nam qui conservum suum tam accurate examinat, multo magis Deum idipsum facientem experietur. Ne igitur adversum nos loquamur, sed etiamsi propter ignaviam et otiositatem accedant, erogemus ipsis. Nam in multis nos per ignaviam peccamus, imo in omnibus: nec a nobis statim Deus pœnas repetit, sed tempus dat ad pœnitentiam, alens nos quotidie, instituens, docens, cætera omnia subministrans, ut et nos misericordiam ejus æmulemur. Deponamus itaque hanc inhumanitatem, severitatem ejiciamus, ut post qui nobis magis quam cæteris beneficia præstemus. Illis enim argentum damus, panem, vestem, nobis vero maximam paramus gloriam, quæ sermone explicari nequit. Nam corporibus resumptis incorruptibilibus, una cum Christo glorificabimur et regnabimus. Hoc quantum sit hinc sciemus; imo potius numquam clare nunc sciemus. Ut autem a bonis illis

(*a*) In Græco legitur ἐπιθέτην. Porro ἐπιθέτης in Glossis dicitur, *impostor, stellionator*. Eodem hic sensu vox hæc intelligenda est. Itaque illi pauperes ἐπιθέται erant, qui sub ementita specie panem vel pecuniam emendicabant, quos non repellendos esse ait S. doctor, qui eadem utitur voce Homiliis in Epistolam ad Hebræos.

quæ penes nos sunt, vel tantillam ejus rei capiamus notitiam, quod dictum est, pro virili patefacere conabor. Dic enim mihi : si quis tibi jam seni et in paupertate viventi polliceretur fore, ut repente juvenis fieres et in flore ætatis, et te fortem formosumque præ omnibus se redditurum esse, regnumque totius orbis daturum, idque per mille annos, regnum, inquam, profundissima pace fruens; quid pro tanta promissione non agendum vel patiendum susciperes? Ecce Christus non hæc, sed his multo majora pollicetur. Neque enim tantum est senectutem inter et juventutem discrimen, quantum inter corruptionem et incorruptibilitatem; neque tanta differentia est inter regnum et paupertatem, quanta inter gloriam futuram et præsentem; sed vere quanta inter somnia et veritatem.

10. Imo vero nihil adhuc dixi : nullus enim sermo possit declarare quanta sit differentia res futuras inter et præsentes; quod ad tempus vero spectat, ne cogitari quidem potest discrimen. Quomodo enim quis comparare præsentibus potest vitam finem non habentem? Pax vero illa tantum differt a præsenti, quantum pax a bello; et ab incorruptibilitate corruptio, quantum a gleba lutea, pura margarita; imo discrimen nemo explicare possit. Etsi enim illam corporum pulchritudinem cum radii luce vel clarissimo fulgure conferam, nihil splendore ejus dignum dixerim. Pro his vero quot pecunias, quot corpora, imo vero quot animas proferre dignum non fuerit? Nunc autem si quis te in regiam induceret, procuraretque ut coram omnibus rex tecum colloqueretur, et unius mensæ consortem faceret, te omnium felicissimum esse diceres : cum in cælum autem ascensurus sis, ac cum universorum Rege versaturus, splendore cum angelis certaturus et ineffabili gloria fruiturus, hæsitas an sint effundendæ pecuniæ, cum oporteret, vel si ipsam vitam deponere deberes, exsultare, lætari, et ex voluptate ceu volucris fieri. Tu vero ut magistratum accipias, qui tibi furandi occasiones præbeat (neque enim id lucrum appellare velim), et facultates projicis, a cæteris fœneraris, atque uxorem filiosque pignori dare non dubitas : regno autem cælorum proposito, atque imperio quod nullum successorem habeat, a Deo præcipiente, non ut angulum terræ, sed totum accipias cælum, cunctaris ac refugis, et ad pecunias inhias; nec cogitas, si eæ partes cæli quas videmus pulchræ jucundæque sint, quanta sint superiora ejus, quantum cælum cæli?

Imperatoris pompa. — Sed quia corporeis oculis illa videre non licet, cogitatione ascende, et supra hoc cælum stans, contemplare ipsum hoc superius cælum, sublimitatem immensam, lucem horrore plenam : angelorum populos, archangelorum cœtus innumeros, alias incorporeas virtutes. Ac rursus a superioribus illis descendens, imaginem rerum quæ in terra sunt assume, depinge tibi terrenum Imperatorem; nimirum homines auro onustos, bigas alborum mulorum, qui auro ornantur, currus lapillis decoratos, stratum niveum et candidum, laminas in curribus agitatas, dracones in vestibus sericis exhibitos, clipeos aureis umbilicis ornatos, lora ex iis ad summas rotas per lapillos multos extensa, equos auro onustos, et frena aurea. At cum ipsum Imperatorem videmus, nulli jam dictorum attendimus : tunc ille solus nos ad se convertit, purpurea indumenta, diadema, cathedra, fibula, calcei, oris splendor magnus. His omnibus accurate collectis, rursus ad superna cogitationem erige, atque ad illum tremendum diem, quo Christus adveniet. Non enim bigas mulorum tunc videbis neque currus aureos neque dracones et clipeos, sed quæ multo plena sunt horrore, tantumque terrorem immittunt, ut ipsæ incorporeæ virtutes percellantur : nam ait, *Virtutes cælorum movebuntur* (*Matth.* 24. 29). Tunc aperietur totum cælum, et apsidum illarum portæ expandentur : descendet unigenitus Dei Filius, non viginti, non centum hastatis satellitibus stipatus, sed millenis, decies millenis angelis, archangelis, Cherubim, Seraphim, cæterisque virtutibus : omniaque erunt timore et tremore plena, dirupta terra, hominibus omnibus ab Adamo usque ad illum diem de terra ascendentibus et raptis, ipso Christo cum tanta gloria sese exhibente, ut et luna et sol et lumen omne occultetur a tanto splendore illuminatum. Quis sermo illam beatitudinem repræsentabit, illum splendorem et gloriam? Hei mihi o anima! Nunc enim lacrymari subit, et valde ingemiscere, cogitanti ex quantis bonis excidimus, a qua felicitate alieni evadimus : nam alieni sumus (de meipso loquor), nisi magnum quidpiam et mirabile operemur. Ne itaque mihi quis hic gehennam memoret : omni quippe gehenna gravius est a tanta gloria excidere, mille suppliciis gravius est sorte illa privari. Attamen adhuc ad præsentia inhiamus, nec cogitamus diaboli malitiam, qui per modica magna nobis subripit, et lutum dat, ut abripiat aurum; imo potius ut abripiat cælum, et ostendit umbram, ut nos abjiciat a veritate, et in somniis imaginationi illudit; hoc enim sunt præsentes divitiæ; ut adveniente die omnium pauperrimos ostendat.

11. Hæc itaque cogitantes, vel sero tandem dolum fugiamus, et ad futura nos transferamus. Non possumus quippe dicere, nos fluxam hujus vitæ conditionem ignoravisse, cum res ipsæ quotidie tuba clarius ejus vilitatem declarent, risum, turpitudinem, pericula, barathra. Quam ergo defensionem habebimus, qui periculosa et turpitudine plena cum studio multo insequimur; tuta vero, quæ gloriam nobis et splendorem pariunt, fugientes, ac pecuniarum tyrannidi nos dedentes? Nam tyrannide gravior est hujusmodi servitus, ut sciunt omnes, qui digni habiti sunt, ut ab hac liberarentur. Ut vos igitur pulchram hanc libertatem ediscatis, vincula rumpite, a laqueo resilite; non vobis aurum domi jaceat, sed quod immensis opibus pretiosius est, misericordia et benignitas pro auro. Hæc quippe nobis fiduciam erga Deum dat; illud autem magnam in nos infundit turpitudinem, idque efficit ut diabolus magnos adversum nos spiritus assumat. Cur ergo hostem tuum contra te armas et fortiorem reddis? Arma dexteram tuam ad-

versus illum, totamque domus pulchritudinem in animam inducito, et divitias omnes in mente depone; aurum, vice arcæ et ædium, cælum custodiat, et nos omnibus nostris amiciamur : nos enim muris longe præstantiores sumus, ac pavimento honestiores. Cur ergo nobis neglectis, in iis studium nostrum reponimus, quæ hinc migrantes non possumus nobiscum ferre, nec sæpe vel hic manentes retinere, cum possimus ita divites esse, ut non modo hic, sed etiam illic opulentissimi appareamus? Nam qui agros, ædes, aurum in anima circumfert, ubicumque visus fuerit, cum his divitiis apparet. Et quomodo, inquies, potest hoc fieri? Potest, et admodum facile. Nam si in cælum illa transferas per manus pauperum, omnia transferes in animam tuam : ita ut postea, quamvis mors adveniat, nemo tibi illas eripiat, sed illuc dives migrabis. Hujusmodi thesaurum habuit Tabitha : ideoque non domus illam celebrem reddidit, non muri, non lapides, non columnæ, sed corpora viduarum induta, fusæ lacrymæ, mors aufugiens et vita rediens. Ejusmodi et nos apothecas nobis comparemus, tales nobis exstruamus ædes. Sic et Deum cooperantem habebimus, et nos cum ipso operabimur. Ille namque ex nihilo pauperes produxit; tu vero productos non sivisti fame perire, vel miseria, undique curans, reficiens et excitans Dei templum. Quid vero paris utilitatis et gloriæ fuerit? Quod si nondum satis edidicisti, quo te Deus ornamento decoraverit, cum jussit te paupertatem fovere, illud tecum reputa : si tibi tantam daret potestatem, ut labens cælum erigere posses, annon id pro honore haberes te longe superante? Ecce majori te nunc honore dignatus est. Nam quod cælis ipsis pretiosius est, id tibi erigendum commisit : in rebus enim visibilibus nihil apud Deum par est homini. Nam et cælum et terram et mare propter illum fecit : et in illo habitare magis gaudet, quam in cælo. Attamen nos hæc videntes, nullam templorum Dei curam habemus, sed illis neglectis, magnas et splendidas nobis construimus ædes. Ideo omnibus vacui bonis sumus, et iis qui valde pauperes sunt pauperiores, quia illas ornamus ædes, quas non possumus auferre cum hinc migramus, illis dimissis quas nobiscum transferre possemus. Nam dissoluta pauperum corpora omnino resurgent. Tum Deus, qui hæc præcepit, illis in medium adductis, laudabit eos, qui ipsorum curam habuere, et prædicabit, quia illos, cum modo a fame lapsuri essent, modo a nuditate et a frigore, modis omnibus sustentarunt. Attamen tot nobis propositis laudibus, adhuc cunctamur et refugimus pulchram illam curam. Atque Christus non habet quo diversetur, sed peregrinus circumit, nudus, esuriens : tu autem suburbana, balnea, ambulacra, et mille paras thalamos frustra et incassum, et Christo ne minimam quidem tecti partem dedisti, corvis autem et vulturibus cœnacula exornas. Quid hac amentia deterius? quid hac insania gravius? Nam insaniæ hæc sunt extremæ; imo quidquid dicere possis, non illa dignum dices. Attamen si velimus, potest hic morbus, etsi gravis, depelli, nec modo possibile, sed etiam facile est, nec modo facile, sed longe facilius est ab has lue liberari, quam a corporeis morbis; quanto scilicet major est medicus. Attrahamus ergo illum, et precemur ut manum operi admoveat, et nostra ad id conferamus, nempe voluntatem et studium. Nullo alio opus habebit; sed si hæc tantum a nobis acceperit, sua omnia ille conferet. Nostra itaque afferamus, ut et hic pura fruamur sanitate, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria unaque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

CAP. 8. v 28. *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

1. Hic mihi videtur totum hunc locum movisse ad eos, qui in periculis versantur; imo non hunc solum, sed etiam ea, quæ paulo superius dicta sunt. Etenim illud, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur;* et illud, creaturam omnem ingemiscere; itemque dictum illud, *Spe salvi facti sumus;* et illud, *Per patientiam exspectamus;* et illud, *Quid oraturi sumus, ut oportet, non novimus :* hæc omnia, inquam, ad illos dicta sunt. Docet quippe illos, non ea quæ ipsi putant utilia esse vel eligenda, sed quæ Spiritus suggesserit. Etenim plurima, quæ illis conducere videntur, aliquando multum afferunt damnum. Quies ergo, periculorum remotio, et cum libertate ac securitate vivere, illis conducere videbatur. Ecquid mirum si illis, quando etiam beato Paulo sic videbatur? Sed postea edidicit quæ his sunt contraria, esse utilia : et edoctus illa amplexus est. Qui ergo ter Dominum rogaverat, ut a periculis liberaretur, postquam audivit illum dicentem, *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur* (2. *Cor.* 12. 9), exsultabat postea persequutiones patiens, contumeliis et intolerabilibus affectus malis. *Mihi placeo*, inquit, *in persequutionibus, in contumeliis, in necessitatibus* (*Ibid. v.* 10). Ideo dicebat : *Nam quid orabimus, ut oportet, nescimus;* omnes sic hortabatur, ut Spiritui hæc concederent. Etenim Spiritus sanctus magnam nostri curam habet, et b[...] Deo placitum est. His ergo illos adhortans, subjicit ea, quæ hodie diximus, ratiocinium movens, q[...] possit illos recreare : nam ait : *Scimus quoniam di[li]gentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* [...] porro ait, *Omnia*, etiam ea quæ molesta vide[ntur] esse dicit. Nam sive afflictio, sive paupertas, seu [car]ceres, seu fames, seu mors, seu quidvis aliud in[ci]dat, potest Deus in contrarium hæc omnia ver[tere;] siquidem hoc ejus ineffabilis potentiæ est, quæ [vi]dentur onerosa esse, levia nobis reddere, et ad a[uxi]lium nostri convertere. Ideo non dixit, Diligen[...]

Deum nihil adversum accidit; sed, *Omnia cooperantur in bonum;* id est, malis utitur ad celebrandos eos, qui insidiis appetuntur : quod longe majus est, quam si impediret, quominus adversa accederent, aut accedentia tolleret. Hoc et in fornace Babylonica fecit. Neque enim impedivit quominus in illam inciderent, neque cum sancti incidissent, flammam exstinxit, sed ardere sinens, per illam mirabiliores illos effecit. In apostolis item miracula alia similia modis omnibus edidit. Si enim homines, qui philosophari sciunt, possunt natura rerum ad contrarium uti, et in paupertate viventes, divitibus opulentiores videri, ac per contemptum splendere? multo magis Deus in iis, qui diligunt eum, hæc et multo majora efficit. Una tantum re opus est, ut sincere ametur, et reliqua omnia sequuntur. Ut igitur his ea, quæ noxia videntur esse, utilia sunt : sic iis, qui non diligunt illum, ea quæ utilia videntur esse, nocent. Judæos enim et signa edita, et dogmata recta, et philosophiæ doctrina perdiderunt : et propter illa illum dæmoniacum vocabant, propter hæc inimicum Deo; ob signa autem illum interficere tentabant. Latro certe crucifixus, clavis affixus, conviciis oneratus, mala innumera patiens, non modo nihil damni accepit, sed etiam lucrum maximum inde retulit. Viden' quomodo diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum? Cum dixisset igitur hoc magnum esse bonum, quod humanam naturam admodum superaret : quia multis hoc incredibile videbatur esse, a præteritis illud confirmat, his verbis : *Iis qui secundum propositum vocati sunt.* Perpende enim hoc statim ab ipsa vocatione dictum. Cur enim non statim ab initio omnes vocavit, aut neque ipsum Paulum cum aliis, cum hæc dilatio videretur damnosa esse? Attamen re ipsa comprobatum est, id utiliter factum fuisse. Propositum autem hic dicit, ut ne totum vocationi tribueretur : alioquin vero futurum erat, ut et gentiles et Judæi contradicerent. Si enim sola vocatio sufficiebat, cur non omnes salvi facti sunt? Ideo ait, non vocationem tantum, sed etiam propositum, vocatorum salutem effecisse : neque enim necessitatem intulit vocatio. Omnes igitur sunt vocati, sed non omnes obedierunt. 29. *Quoniam quos præscivit, eosdem et prædestinavit conformes imaginis Filii sui.* Viden' honoris culmen? Quod enim Unigenitus natura erat, hoc et illi secundum gratiam facti sunt. Nec tamen satis illi fuit conformes dixisse, sed et aliud addidit : *Ut sit ipse primogenitus.* At non hic substitit; sed post hæc iterum aliud addidit, dicens : *In multis fratribus*, per omnia volens manifestam ostendere cognationem. Hæc porro omnia de incarnatione dicta existimato : nam secundum divinitatem Unigenitus est.

2. Viden' quot quantaque largitus sit? Ne ergo de futuris ambigas : nam et aliunde curam suam ostendit, cum ait hæc jam olim sic præfigurata fuisse. Homines enim ex rebus sententias de ipsis mutuantur; Deo autem jam olim ita visum est, et pro nobis ita affectus erat : ait igitur : 30. *Quos autem vocavit, illos et justificavit* [1]. Justificavit per lavacrum regenerationis. *Quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Glorificavit per gratiam, per adoptionem. 31. *Quid ergo dicemus ad hæc?* Ac si diceret, Ne ergo mihi jam de periculis loquaris, nec de insidiis ab omnibus paratis. Nam si futuris quidam non fidem habent, at de jam collatis bonis nihil contra dicere possint; verbi gratia de amore, quem Deus erga te habuit, de justificatione, de gloria. Etenim hæc tibi per ea, quæ tristia esse videbantur, largitus est : et quod turpe existimabas esse, crucem, flagella, vincula, hæc sunt quæ totum orbem in ordinem redegerunt. Quemadmodum igitur iis, quæ ipse passus est, licet ea tristia esse viderentur, ad libertatem et salutem totius naturæ usus est : ita in iis quæ tu pateris agere solet, dum iis ad gloriam et claritatem tuam utitur. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Quis enim non contra nos est, inquit? Nam orbis totus, tyranni, populi, cognati, concives contra nos sunt. Attamen hi, qui contra nos sunt, tantum abest ut nobis noceant, ut etiam vel inviti coronarum nobis et mille bonorum auctores sint, Dei sapientia insidias in salutem et gloriam nostram vertente. Viden' quomodo nullus contra nos? Nam hoc Jobum splendidiorem effecit, quod diabolus contra eum armatus esset : amicos enim contra ipsum adhibuit et uxorem, vulnera, domesticos, ac mille alias movit diabolus machinas; et tamen nihil ipsi mali evenit. At hoc nondum ita magnum est, etsi valde magnum sit : sed quod longe majus est, omnia in bonum et lucrum ejus versa sunt. Quia enim Deus pro illo erat, quæ contra illum videbantur esse, in ejus emolumentum cedebant. Hoc in apostolis quoque contigit. Nam Judæi, gentiles, falsi fratres, principes, populi, fames, paupertas, mille alia contra illos erant; nihil tamen contra illos. Hæc quippe maxime erant, quæ illos et apud Deum et apud homines splendidos, illustres et laudabiles reddebant. Cogita ergo quantum dictum emiserit Paulus de fidelibus et vere crucifixis, quæ ne is quidem, qui diademate redimitur, assequi possit. Nam contra illum multi barbari armantur, et inimici irrumpunt, satellites insidias parant, subditorum multi sæpe insurgunt, et innumera alia contingunt : contra fidelem vero, qui legibus Dei intentus est, non homo, non dæmon, non quidpiam aliud stare possit. Nam si pecunias auferas, mercedem ipsi parasti; si maledixeris, per maledictum splendidiorem ipsum apud Deum effecisti; si famem inferas, major erit gloria et merces; si, quod omnium gravissimum videtur, morti tradideris, martyrii coronam nexuisti. Quid ergo huic vitæ par fuerit, cum nihil contra ipsum fieri possit, sed etiam ii, qui insidiari videntur, non minus quam ii, qui ipsum beneficiis ornant, ipsi utiles sint? Ideo ait : *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Deinde, non contentus iis quæ dixerat, maximum ipsius erga nos amoris signum, et quod sæpe versat, etiam hic adji-

[1] Quidam habent : *ait igitur : « quos prædestinavit, illos et vocavit, quos autem vocavit, illos et justificavit per lavacrum regenerationis. »*

cit, Filii cædem. Non modo, inquit, justificavit et glorificavit ac conformes fecit imagini illi, sed neque Filio pepercit propter te. Quapropter intulit : 32. *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* Cum hyperbole multa atque fervore his verbis est usus, ut ejus amorem demonstraret. Quomodo igitur nos destituet, pro quibus proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum? Cogita enim quantæ bonitatis fuerit proprio filio non parcere, sed tradere illum, et pro omnibus tradere, pro vilibus, ingratis, inimicis, blasphemis. *Quomodo igitur non etiam cum illo omnia nobis largietur?* Id est : si Filium suum largitus est, nec modo largitus est, sed et neci tradidit, quid postea de reliquis ambigis, cum Dominum acceperis? quid dubitas de possessionibus, Dominum habens? Qui enim id, quod majus erat, inimicis dedit, quomodo non minora dabit amicis? 33. *Quis accusabit electos Dei?*

3. *Electio virtutis signum est. Tentationes non timendæ.* — Hic agit contra eos qui dicebant, fidem ad nihil utilem esse, et qui repentinæ mutationi non credebant. Et vide quam cito illis os obstruat ab ejus qui elegit dignitate. Non dixit, Quis accusabit servos Dei, neque, fideles Dei, sed, *Electos Dei:* electio enim virtutis signum est. Si enim equorum domitor postquam pullos elegit ad cursum aptos, a nullo reprehendi possit, sed ridiculus erit, quisquis incusaverit : multo magis cum Deus elegerit animas, ridiculi erunt qui incusabunt. *Deus qui justificat:* 34. *quis est qui condemnet?* Non dixit, Deus qui peccata remittit, sed quod longe majus est, *Qui justificat.* Cum enim judicis calculus justum declaraverit, et talis judicis, quid mereatur accusator? Itaque nec tentationes timendæ sunt : nam pro nobis est Deus, quod ex gestis suis declaravit; neque Judaicæ nugæ : nam et elegit nos et justificavit, quodque mirum est, per Filii sui necem justificavit. Quis ergo nos condemnabit, Deo coronante, Christo pro nobis occiso, nec occiso tantum, sed postea pro nobis precante? *Christus* enim, inquit, *qui mortuus est; imo qui et resurrexit a mortuis, qui est ad dexteram Dei, qui etiam intercedit pro nobis.* Etenim qui in propria dignitate apparuit, nostri curam non deposuit, sed etiam intercedit pro nobis, et eamdem caritatem semper servat. Neque enim cæde contentus fuit, quod tamen summi amoris est, non solum quæ ad se pertinent facere, sed et alium ad hoc advocare. Hoc enim indicare voluit per illud, *intercedere*, humaniore loquens modo et demissiore, ut amorem ostenderet. Nam ex illo quoque, *Non pepercit*, nisi hoc sensu accipiatur, multa sequentur absurda. Et ut discas hoc ipsum esse, quod vult adstruere, cum prius dixisset, *Est in dextera*, tunc intulit, *Intercedit pro nobis*, quia parem honorem ostendit et æqualitatem, ut postea hæc intercessio non minoris dignitatis, sed amoris solius videretur esse. Nam qui ipse vita est et fons bonorum omnium, ejusdem atque Pater potestatis, qui mortuos suscitat et vivificat, cæteraque omnia facit, quomodo precatione opus habeat ut nos adjuvet? Qui desperatos et damnatos ex propria potentia a condemnatione illa liberavit, ac justos filiosque effecit et ad supremos honores adduxit, atque ea quæ nondum sperata fuerant, ad opus reduxit : quomodo postquam omnia perfecerat, et naturam nostram in throno regio exhibuerat, ad faciliora supplicatione opus haberet? Viden' quomodo undique ostendatur, supplicationem non alia de causa dictam fuisse, quam ut fervor et vehementia ejus erga nos amoris ostenderetur? Nam et Pater videtur homines hortari, ut cum illo reconcilientur. *Nam pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo hortante per nos* (2. *Cor.* 5. 20). Attamen Deo hortante, et hominibus apud homines pro Christo legatione fungentibus, nihil dignitate illa tanta indignum cogitamus, sed unum tantum ex iis quæ supra dicta sunt colligimus, nempe amoris magnitudinem. Hoc ipsum et hic faciamus. Si ergo Spiritus postulat gemitibus inenarrabilibus, et Christus mortuus est, et intercedit pro nobis, et pater Filio suo non pepercit propter te, et elegit te, et justificavit te, quid deinde times? quid tremis, tanta fruens caritate, et tanta providentia? Ideo postquam multam ostendit supernam providentiam, cum fiducia deinceps sequentia subjungit, nec dicit, Debetis et vos ita illum amare; sed quasi afflatus ab ineffabili illa providentia dicit : 35. *Quis nos separabit a caritate Christi?* Nec dixit, Dei; ita illi indifferens est et Christum et Deum nominare : *Tribulatio, an angustia, an persequutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Vide beati Pauli prudentiam : non dixit hæc, in quibus quotidie capimur, pecuniarum amorem, gloriæ cupiditatem, iræ tyrannidem: sed ea ponit, quæ his longe sunt immaniora, et quæ ipsi naturæ vim faciant, et sæpe nobis invitis, mentis firmitatem quatiant, tribulationes nempe et angustias : etsi enim quæ dicta sunt facile enumerentur, sed singulæ dictiones mille habent tentationum agmina. Cum enim tribulationem profert, carceres dicit, vincula, sycophantias, exsilia, aliasque omnes calamitates, uno verbo pelagus periculorum peragrans, et omnia in hominibus gravia uno verbo declarans. Attamen contra hæc omnia audax insurgit. Ideoque per interrogationem illud profert, quasi ei contradici nequeat, quia eum, qui ita diligatur, et tanta fruatur providentia, nihil separare poterit.

4. Deinde ne videantur hæc derelictum illum significare, prophetam inducit hæc multo ante tempore prædicentem his verbis : 36. *Quia propter te morti afficimur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis* (*Ps.* 44. 22); hoc est, omnibus sumus ad mala subeunda propositi. Attamen ad tot tantaque pericula, et novas hasce tragœdias, sufficiens nobis consolatio datur, certaminum nempe causa; imo non sufficiens tantum, sed etiam multo major. Non enim propter homines vel quidpiam aliud sæculare hæc patimur, sed propter universorum Regem, inquit. Neque hac tantum, sed etiam alia eaque varia et multiformi corona illos redimivit. Quia enim homines cum essent,

non poterant mille subire mortes, ostendit nihil hinc præmia minui. Etsi enim id natura sortiti simus, ut semel tantum moriamur, ut id quotidie ex voluntate patiamur si velimus, concessit Deus. Unde palam est, nos cum tot coronis decessuros esse, quot diebus vixerimus; imo cum multo pluribus : licet enim in uno die semel, bis et sæpe mori. Nam qui ad illud paratus est, semper mercedem perfectam accipit. Hoc et propheta subindicans dicebat, *Tota die*. Quapropter apostolus ipsum introduxit, illos magis excitans. Nam si ii, qui in veteri lege vivebant, inquit, et qui terram et alia, quæ cum vita peribant, in laborum præmium habebant; ita præsentem despiciebant vitam, et tentationes et pericula : qua nos venia digni erimus, si post promissum cælum et ineffabilia bona molles simus, neque ad illorum veterum mensuram attingamus? At non ita dixit, remque dimittens auditorum conscientiæ, testimonio tantum utitur : ostenditque sacrificium illorum esse corpora, neque turbari oportere, Deo ita dispensante. Alio quoque modo illos hortatur. Ne quis enim diceret, illum sic frustra philosophari ante rerum experientiam, subjunxit : *Æstimati sumus sicut oves occisionis*, quotidianas apostolorum mortes dicens. Viden' fortitudinem et modestiam? Sicut enim illæ, inquit, non obsistunt dum jugulantur : sic neque nos. Sed quia humanæ mentis infirmitas etiam post tot tantaque multitudinem tentationum timebat, vide quomodo rursum auditorem erigat, atque sublimem et lætum efficiat, dicens : 37. *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos*. Quod enim est mirabile, hoc est, non solum quod nunc vincamus, sed quod per insidias quæ nobis parantur vincamus; ac non modo vincamus, sed plus quam superemus; id est, cum omni facilitate, sine sudoribus laboribusque. Non enim cum reipsa patimur, sed etiam cum animum apparamus, ubique contra inimicos tropæa erigimus. Et jure merito; Deus enim est, qui nobiscum decertat. Ne igitur fidem neges, quod flagellati flagellantes superemus, quod pulsi pellentes vincamus, quod morientes vivos profligemus. Cum enim et Dei potentiam et caritatem posueris, nihil impediet quominus hæc mirabilia et incredibilia eveniant, et quod victoria supra modum splendeat Neque enim solum vincebant, sed magno cum miraculo; ita ut discerent, non contra homines bellum insidiantes movere, sed contra invictam illam potentiam. Vide ergo Judæos, qui apostolos in medio tenebant, et dubitabant dicebantque : *Quid faciemus hominibus his* (*Act.* 4. 16)? Hoc enim mirabile est, quod cum eos detinerent ac reos haberent, dubitabant, et quid consilii caperent non habebant, ab iis ipsis victi, per quæ se superaturos sperabant. Ac neque tyrannus, neque carnifices, neque dæmonum phalanges, neque ipse diabolus superare illos potuit, sed illi cum potestate et vi magna superabantur, quæ contra illos machinabantur, pro illis cedere videntes. Ideo dicebat, *Plusquam superamus*. Nova enim hæc victoriæ lex erat, ut per contraria vincerent, et numquam superarentur; sed quasi illi exitus domini fuissent, sic ad hæc certamina exirent. 38. *Certum mihi est enim, quod neque mors neque vita, neque angeli neque principatus neque potestates, neque instantia neque futura*, 39. *neque altitudo neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro*.

5. Magna sunt hæc dicta; sed illa nescimus, quia tantam caritatem non habemus. Attamen etsi magna, ut ostendat ea nihil esse, comparata cum caritate qua dilectus est a Deo, post illam eam quæ sua erat posuit, ut ne videretur magna de seipso dicere. Quod autem dicit, hujusmodi est : Quid opus est, inquit, præsentia dicere, et mala quæ huic vitæ deputata sunt? Etsi enim futura quis dixerit, etsi res, etsi virtutes; res ut vitam et mortem; virtutes, ut angelos et archangelos, omnemque supernam creaturam : hæc mihi parva videntur, comparata cum caritate Christi. Neque enim si quis mortem comminaretur illam futuram æternam, ut a Christo separarer, neque si vitam perpetuam, ego conditionem admitterem. Quid reges hos inferiores, quid consules memoraveris, hunc nempe et illum? Etsi angelos dixeris, et omnes supernas potestates, etsi omnia quæ exstant et futura sunt, omnia mihi parva videbuntur, quæ in terra, in cælo, quæ sub terris, quæ supra cælos, cum illo amore comparata. Deinde quasi hæc non satis essent ad suum declarandum amorem : alia rursus subjicit, *Neque creatura alia*; id est : etiamsi alia creatura esset, quanta est ea quæ videtur, quanta illa spiritualis, nihil me a caritate illa submovebit.

Amor Pauli erga Christum. — Hæc autem dicebat Paulus, non quod angeli vel reliquæ potestates id tentarent, absit; sed quod cum omni hyperbole vellet amorem suum erga Christum ostendere. Non enim Christum amabat ob ea, quæ Christi erant, sed illa ipsa propter Christum, et ad ipsum solum respiciebat : unumque timebat, ne ex illa caritate excideret. Hoc enim illi vel ipsa gehenna formidabilius erat, quemadmodum et in illo persistere, regno desiderabilius. Quid ergo nos mereamur, qui, quando Paulus ne cælestia quidem cum amore Christi comparata in pretio habet, ea quæ in luto et cœno sunt, Christo præferimus? et ille quidem propter ejus amorem in gehennam incidere consentit, atque a regno excidere, si utrumque proponeretur; nos vero neque præsentem vitam contemnimus? An vel ejus calceamentis digni sumus, qui tantum ab ejus animi præstantia distemus? Ille ne regnum quidem aliquid esse censet propter Christum; nos vero Christum despicimus, res autem illius magni facimus. Atque utinam vel res ipsius magni faciamus; nunc vero ne hoc quidem, sed cum regnum nobis sit propositum, misso illo, umbras et somnia quotidie sectamur. Quamquam Deus benignus cum sit et valde mitis, idipsum fecit ac si quis pater prolis amans, filio assiduam cum illo consuetudinem et colloquium ægre ferente, alio modo ipsum sagaciter varie trahat. Quia enim non ejus amore ut par est tenemur, multa alia nobis profert, ut nos sibi junctos retineat. At ne sic quidem persistimus, sed

ad pueriles ludos resilimus. At non ita Paulus, sed ut puer nobilis et liber patrisque amans, patris consortium tantum quærit, alia vero non perinde curat : imo vero plus quam filius. Neque enim una patrem et res patris æstimat, sed ubi ad patrem respicit, illas nihili facit; mallet enim castigatus et flagellatus cum ipso esse, quam ab illo separatus in deliciis vivere.

6. *Amorem terrestrium redarguit. Eleemosynam commendat.*—Exhorrescamus igitur quotquot ne pecunias quidem propter Deum despicimus; imo quotquot ne pecunias quidem propter nos ipsos contemnimus. Paulus enim solus erat, qui propter Christum generose omnia patiebatur, non propter regnum, nec propter honorem, sed propter suam erga illum benevolentiam : nos vero neque Christus, neque ea quæ Christi sunt, a sæcularibus rebus abstrahunt; sed sicut serpentes vel viperæ vel porci, vel hæc omnia simul, sic in limo volutamur. In quo enim feris illis meliores nos sumus, qui cum tot et tanta habeamus exempla, adhuc in terram respiciamus, ac ne parum quidem ad cælum respicere sustineamus? Sed Deus quidem Filium suum tradidit; tu vero ne panem quidem das ei, qui pro te traditus et occisus est. Pater propter te illi non pepercit, cum vere Filius ipsius esset; tu vero illum fame tabescentem contemnis, cum sumptum facturus sis ab iis, quæ illius sunt, idque propter te facturus sis. Quid hac iniquitate deterius fuerit? Traditus est propter te, occisus est propter te, circumit esuriens propter te; ex iis quæ illius sunt das, ut ipse utilitatem accipias : at ne ita quidem das. Quibus lapidibus non stupidiores sunt, qui tot rebus se pertrahentibus in diabolica illa inhumanitate manent? Neque enim satis ille habuit crucem et mortem subire; sed et pauper fieri voluit et peregrinus, erro et nudus, atque in carcerem conjici infirmitatemque pati, ut vel sic te advocaret. Si mihi non retribuis, ut pro te passo, miserere mei tamen propter paupertatem. Si nolis propter paupertatem misereri, propter morbum vel propter carcerem flectaris : si ne hæc quidem ad humanitatem pertrahunt, annue ob petitionis tenuitatem. Nihil a te sumptuosum peto, sed panem, tectum, verborum consolationem. Si postea adhuc ferox maneas, saltem propter regnum cælorum melior efficiaris, saltem ob præmia quæ promisi. Verum ne horum quidem ullam rationem habes? Saltem propter naturam te frangas, nudum videns, et memento nuditatis meæ in cruce, quam propter te passus sum. Si illius nolis, at istius qua pauper et nudus sum. Vinctus tunc fui propter te, et nunc etiam propter te; ut sive illis, sive his motus vinculis, aliquid misericordiæ mihi præstare velis : jejunus fui propter te, rursus esurio propter te : sitivi in cruce pendens, per pauperes nunc sitio; ut vel ex illis vel ex his te ad meipsum alliciam, et pro salute tua benignum te reddam. Ideo te, mille devinctum beneficiis, vicem mihi rependas rogo : non ut a debente exigo, sed ut largientem corono, et pro modicis istis regnum do. Non dico, Solve paupertatem meam, nec, Largire mihi divitias, quamvis propter te pauper sim; sed panem tantum peto, et vestem, et in fame modicam consolationem. Si in carcerem conjectus sim, non cogo te ut a vinculis me solvas et educas, sed unum quæro tantum, ut propter te vinctum videas; hæc mihi gratia satis erit, pro qua tibi cælum largior. Quamquam te ego gravissimis exsolvi vinculis; at mihi satis erit, si velis me vinctum invisere. Possum quidem citra hæc te coronare, sed volo tibi debitor esse, ut cum corona quædam tibi fiducia accedat. Atque ideo cum possim meipsum alere, circumeo mendicans, ad fores tuas adstans tendo manus, cupiens a te nutriri : te enim admodum diligo. Ideo mensam amo tuam, ut amicis mos est, et hac de re glorior, et orbis theatro præsente prædico te, et omnibus audientibus, nutritium ostendo meum. Atqui nos cum a quopiam nutrimur, erubescimus et hoc dissimulamus : ille vero quia nos admodum amat, etiamsi nos taceamus, hoc prædicat cum laudibus magnis, nec erubescit dicere se nudum a nobis indutum, esurientemque nutritum fuisse. Hæc igitur omnia cogitantes, non intra laudes consistamus, sed quæ dicta sunt perficiamus. Quid enim prosunt plausus et tumultus (*a*)? Unum tantum a vobis quæro, operum exemplum et per ipsas res obedientiam : hæc laus mea est, hoc lucrum vestrum, hoc mihi diademate splendidius. Hanc itaque hinc egressi et vobis et mihi coronam per omnium manus parate : ut et in præsenti vita bona in spe una vivamus, et ad futuram vitam migrantes innumera bona assequamur : quæ utinam omnes sortiamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Chrysostomo concionanti plaudebatur.

HOMILIA XVI.

CAP. 9. v. 1. *Veritatem dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per Spiritum sanctum.*

1. Nonne magna quædam, et quæ supra naturam erant, circa Pauli erga Christum amorem in præcedenti concione vobis dixisse visus sum? Etenim natura sua magna sunt, et omnem superant sermonem : attamen ea, quæ hodie dicta sunt, tanto illis antecellunt, quanto illa ea quæ nostra sunt exsuperant. Quamquam nulla putabam illis antecellere, verum ea, quæ hodie lecta sunt, illis omnibus splendidiora visa fuere. Quod cum ille intelligeret, ab exordio id declaravit, utpote in majora ingressurus et a multis non credenda. Prius autem illa affirmat, quæ dicturus est, ut multi solent cum quidpiam dicturi sunt, a multis non credendum, et quod ipsi valde persuasum habent. Nam ait : *Veritatem dico, et non mentior, et conscientia mea testificatur : 2. quod tristitia mihi magna est, et con-*

nuus dolor cordi meo. 3. *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo.*

Paulus quomodo optaret anathema esse.—Quid dicis, Paule? A Christo, ab illo desiderato, a quo neque regnum neque gehenna te separabat, neque ea quæ videntur, neque ea quæ intelliguntur, neque alia tot tantaque, ab eo nunc anathema esse precaris? Quid factum est? an mutatus es? an desiderium illud deposuisti? Nequaquam, inquit: ne timeas: etenim illud potius auxi. Cur ergo optas anathema esse, et alienationem quæris separationemque talem, post quam non alia inveniri possit? Quia admodum illum amo, inquit. Quomodo, quæso, et quanam ratione? res enim hæc ænigmati similis est. Imo vero, si videtur, primo discamus quid sit anathema, et tunc de his illum interrogabimus, atque hanc arcanam et stupendam dilectionem ediscemus. Quid ergo est anathema? Audi illum dicentem: *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit* (1. *Cor.* 16. 22); id est, ab omnibus separetur, alienus sit ab omnibus. Nam sicut anathema seu donum Deo oblatum nemo ausit temere manibus tangere, neque ad id propius accedere: sic et eum, qui ab Ecclesia separatus sit, ab omnibus abscindens et procul omnino amovens, hoc nomine a contrario appellat, cum terrore magno omnibus interminans, ut ab eo separentur et abscedant. Ad anathema enim honoris causa nemo accedere audebat; ab eo autem, qui abscissus erat, ex opposita sententia omnes separabantur. Itaque separatio una, et hæc et illa a vulgo alienata erat: modus vero separationis non unus, sed alter alteri contrarius erat. Ab illo enim se removebant, quia Deo dicatum erat; ab hoc autem, quia a Deo alienatum erat, et ab Ecclesia abscissum. Hoc ergo significans Paulus dicebat: *Optabam anathema esse a Christo.* Nec simpliciter, Volebam; sed expressius dixit, *Optabam.* Quod si hæc dicta tamquam infirmiora te conturbant, rem considera; non solum quod separari vellet, sed etiam causam propter quam volebat, et tunc videbis amoris ejus vehementiam: quandoquidem etiam circumcidit, et non rei gestæ attendimus, sed menti et causæ gerendæ rei, et ideo illum magis admiramur. Non modo autem circumcidit, sed rasit et sacrificavit; nec tamen ideo Judæum illum esse dicimus, sed hoc ipso magis alienum a Judaismo et purum verumque Christi cultorem. Quemadmodum ergo dum vides illum circumcidentem et sacrificantem, non ideo ipsum damnas ut Judaizantem, sed ideo illum magis coronas, ut alienum a Judaismo: sic et cum vides illum optantem anathema esse, ne ideo turberis, sed ideo maxime illum celebrato, cum causam optandi didiceris. Nisi enim causas examinemus, Heliam homicidam dicemus, Abrahamum autem non homicidam modo, sed etiam filii interfectorem: itemque Phinees et Petrum cædis rursum accusabimus; nec de ipsis solum de sanctis, sed de Deo etiam, qui hanc non servat regulam, absurda multa suspicabitur. Ne igitur hoc accidat, in similibus omnibus et causam et mentem et tempus et omnia ad rem defendendam apta colligentes, sic res examinemus: quod jam de beata illa anima faciendum nobis est. Quænam ergo causa? Rursum ipse amatus Jesus. Atqui non ob ipsum, inquit: optabam enim, ab ipso anathema esse pro fratribus meis. Et hoc humilitatis ejus erat: non enim vult, ut magni quidpiam dicens, et hoc in Christi gratiam faciens appareret. Ideo dixit, *Cognatis*, ut magnitudinem rei tegeret. Quod enim propter Christum hoc vellet, audi sequentia: cum enim dixisset, *Cognatis*, subdit: 4. *Quorum est adoptio et gloria et testamenta et legislatio et cultus et promissiones*: 5. *quorum sunt patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.*

2. Et quid hoc? inquies. Si enim, ut alii crederent, volebat anathema esse, oportebat etiam pro gentibus hoc precari: si autem pro Judæis tantum precatur, ostendit se non propter Christum hoc velle, sed propter ejus cum Judæis necessitudinem. Atqui si pro gentibus tantum precatus esset, non perinde id visum fuisset; quia vero pro Judæis tantum, clare ostendit se propter Christi gloriam hoc curare. Scio plane rem vobis novam videri; tamen, nisi perturbemini, id cito demonstrare conabor. Neque hæc sine causa dixit: quia enim omnes dicebant Deum accusantes, quod cum filii Dei vocari dignati essent, et legem accepissent, et ante omnes Deum novissent, tantæ gloriæ consortes; ipsumque ante orbem coluissent, et promissiones accepissent, patresque essent earumdem tribuum, quodque majus est, ipsius Christi proavi (hoc enim significat illud, *Ex quibus Christus secundum carnem*), ejecti tamen et inhonorati fuissent, ipsorumque loco inducti homines ex gentibus, qui numquam Deum cognoverant: quia igitur hæc dicentes contra Deum blasphemabant; hæc audiens Paulus et ægre ferens, ac pro Dei gloria dolens, optavit anathema esse, si fieri posset, ut illi salvi essent, et hanc blasphemiam abigi, ne videretur Deus illorum majores decepisse, quibus dona pollicitus fuerat. Et ut discas illum hoc moleste ferentem, ut ne videretur promissio Dei intercidere, qua Abrahamo dictum est, *Tibi dabo terram hanc, et semini tuo* (*Gen.* 12. 7), hæc optasse: postquam hæc dixerat, addidit: 6. *Non autem, quod exciderit verbum Dei*; ostendens se hæc omnia propter verbum Dei ferre velle; id est, propter promissionem Abrahæ factam. Quemadmodum enim Moyses videbatur quidem pro Judæis intercedere, totum autem pro gloria Dei faciebat (*Ne dicant*, inquit, *quod quia non poterat illos servare, eduxit illos, ut perderet in deserto*: *depone iram* (*Deut.* 9. 28): ita et Paulus, Ne dicant, inquit, promissionem Dei excidisse, eumque non stetisse promissis, nec verba in opus exiisse, vellem anathema fieri. Ideoque non pro gentibus loquitur (non enim id illis promissum fuerat, neque ipsum coluerant,: quare non propter gentes blasphemabant illum); sed pro Judæis, qui promissionem acceperant, et præ aliis ipsi conjuncti erant, hæc optabat. Vides quod, si pro gentibus precatus fuisset, non ita clare videretur, ipsum pro Christi gloria hæc fecisse: quia vero pro Judæis volebat esse

anathema, tunc maxime comprobatum est, illum pro Christo solo hæc desiderare : ideo dixit : *Quorum adoptio et gloria et cultus et promissio.* Etenim inde lex, inquit, quæ de Christo loquitur, et pacta, quæ omnia ad illos pertinent, et ipse ex illis ortus, et patres qui promissa acceperunt, ex illis omnes : attamen contrarium evenit, et a bonis omnibus exciderunt. Propterea discrucior, inquit, et si possem separari a Christi choro, et abalienari, non ab ejus amore (absit, quia illud propter amorem faciebat), sed ab illa fruitione et gloria, id admitterem, ut Dominus meus non blasphemaretur, nec audirem quosdam dicentes, res in scenam versas esse : Aliis promisit, aliis dedit; ex aliis natus est, alios servavit; Judæorum majoribus pollicitus erat, et illorum prole derelicta, eos qui numquam illum noverant, in illorum bona introduxit: illi legem meditantes insudabant et prophetias legebant, et illi ex aris et idolis heri reversi, facti sunt illis superiores : an hæc providentia est? Ne igitur hæc dicantur de Domino meo, inquit, etsi injuste dicantur, a regno cælorum libenter exciderem et a gloria illa ineffabili, omniaque gravia sustinerem, magnam in labore consolationem putans, si non audirem illum, quem tantopere amo, blasphemari. Quod si id, quod dicitur, nondum assequeris, cogita multos patres paria pro filiis admisisse, ab illis separari non recusantes, ut illos claros cernere possent, eorum claritatem suaviorem sibi esse existimantes, quam eorumdem contubernium. Sed quia procul ab hoc amore sumus, quæ dicta sunt ne intelligere quidem possumus.

Quorumdam opinio circa Paulum. — Sic enim quidam Pauli ne appellationem quidem audire digni sunt, et ab illius vehementia tam longe positi sunt, ut putent illum hæc de temporanea morte dixisse : quos tantumdem Paulum ignorare dixerim, quantum cæci solarem radium; imo multo magis. Nam qui quotidie moriebatur, qui innumera subibat pericula, quique dicebat : *Quis nos separabit a caritate Christi? an tribulatio, an angustia, an fames, an persequutio* (*Rom.* 8. 35)? neque dictis contentus, sed supergressus cælum et cælum cæli, atque angelos et archangelos, et superna omnia circumcurrens, unaque comprehendens præsentia et futura, visibilia et invisibilia, tristia et suavia, quæque in utrisque sunt; nihil omittens neque sic satiatus, aliamque tantam creaturam supponens non exsistentem : quomodo, quasi magni quidpiam diceret, post illa tanta temporaneam mortem memoravisset?

3. Non ita se res habet, non ita; sed vermium in limo latentium est hæc opinio. Si enim hoc dixisset, quomodo se anathema a Christo esse optasset? Talis quippe mors illum potius Christi choro junxisset, et effecisset ut gloria illa frueretur. At enim sunt etiam quidam, qui hisce magis ridicula dicere ausint : neque enim mortem inquiunt, sed cimelium seu donum Christi esse optabat. Ecquis hoc, etiamsi admodum tenuis ac depressus esset, non optaret? Quomodo autem hoc pro cognatis esse potuisset? His ergo missis fabulis et nugis (neque enim hæc digna sunt quæ confutentur, ut nec pueris balbutientibus contradicitur), ad ipsum rursus dictum redeamus, oblectati in pelago amoris ejus, ac cum libertate ubique natantes, et flammam cogitantes ineffabilem; imo quidquid dixeris, nihil dignum proferes. Nam pelago omni latior, et flamma omni vehementior erat illa dilectio, et nullus sermo possit illam pro dignitate recensere; sed ille solus ipsam noverat, qui illa vere affectus erat. Age itaque hæc rursus verba in medium adducamus : *Optabam enim anathema esse ipse ego.* Quid est, *Ipse ego?* Qui omnium doctor eram, qui innumera præclara opera collegeram, qui mille coronas exspectabam, qui illum ita desideravi, ut ejus amorem omnibus præferrem, qui quotidie propter illum uror, et omnia postpono amori ejus. Neque enim curabat tantum, ut a Christo amaretur, sed et ut illum admodum amaret; et hoc maxime curabat. Ideo enim, cum hoc unum spectaret, omnia facile ferebat: unum enim per omnia in animo habebat, ut pulchrum hunc amorem expleret. Hæc porro ille optat : sed quia non talis nec anathema futurus erat, tentat demum, ut contra accusationes defensionem paret, quæ ex omnium rumore ferebantur in medium adducens, ut confutet illa. Ac priusquam ad illam defensionem serio veniat, ejus semina jam prius jacit. Cum enim dicit, *Quorum adoptio et gloria et legislatio et cultus et promissiones*, nihil aliud dicit, quam quod Deus quidem illos salvos facere vellet (et hoc quidem declarans per ea, quæ antea fecerat, ex eo, quod Christus ex illis ortus sit, et per ea quæ patribus promisit) : ipsi autem ex ingrato animo suo beneficium repulerant. Ideo illa solum ponit, quæ doni Dei sunt indicia, non illorum encomia : nam adoptio ex illius gratia perfecta est, ut et gloria, promissiones et lex. Quæ omnia cogitans, et perpendens quantam Deus cum Filio curam habuerit illos servandi, voce magna clamavit dixit : *Qui est benedictus in sæcula : amen*; pro omnibus ipse gratiam referens Unigenito Dei. Quid enim, inquit, si alii blasphemant? At nos qui arcana ejus vidimus, sapientiam ineffabilem et magnam providentiam, et scimus dignum esse non qui blasphemetur, sed ut glorificetur. Non contentus autem conscientia sua ratiocinium suum tentat adhibere, et vehementius contra illos sermone instare; nec prius illos adoritur quam illorum suspicionem sustulerit. Ne videretur enim inimicos alloqui, et postea dicit : *Fratres, voluntas cordis mei, et supplicatio ad Deum*, pro illis *ad salutem* (*Rom.* 10. 1) : et hic cum aliis quæ dixit curavit ut ne videretur ex inimicitia proferre ea quæ contra ipsos dicturus erat : unde neque cognatos illos et fratres appellare recusat. Etsi enim illa dixit, pro Christo dixerit; attamen illorum quidem mentem attrahit, et sermoni viam parat, seque omni suspicione liberat propter ea, quæ contra dicenda erant, et tum demum orditur sermonem a multis in controversiam vertebatur. Multi enim quærebant, ut jam dixi, cur ii, qui promissionem acceperant, exciderint; qui vero ne illam quidem quam audierant, ante illos salvi facti sint. Hæc

solvens dubitationem, ante objectionem solutionem adducit. Ne quis enim diceret : Quid ergo? tune magis curas gloriam Dei, quam Deus suam? et, Tuane eget ope, ut verbum ipsius non excidat? contra hæc ille stans, ait : Hæc dixi, *Non quasi Dei verbum exciderit*, sed ut ostendam amorem erga Christum. Nam cum sic res evenerint, non hæsitamus, inquit, quid pro Deo respondendum sit, ut demonstremus promissionem Dei firmam stetisse : Dixit Deus Abrahæ, *Tibi et semini tuo dabo terram* (*Gen.* 12. 7); et, *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Ibid.* v. 3). Videamus ergo quodnam sit semen, inquit; neque enim omnes ex ipso orti semen ejus sunt; quapropter dicebat : *Non enim omnes qui sunt ex Israel, sunt Israel*; 7. *neque quia sunt semen Abrahæ, omnes filii.*

4. *Quodnam verum sit Abrahæ semen.* — Si ergo didiceris quale sit semen Abrahæ, videbis datam esse promissionem semini ejus, et cognosces non excidisse verbum ejus. Quodnam igitur, quæso, semen est? Non ego dico, inquit, sed ipsa lex vetus seipsam explicat, sic dicens : *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* 21. 12). Quid sit, *In Isaac*, explicat. 8. *Id est, non filii carnis, hi filii Dei sunt; sed filii promissionis reputantur in semen.* Et vide Pauli prudentiam animique magnitudinem : interpretans enim non dixit, Non filii carnis, sunt filii Abrahæ, sed, *Filii Dei*; præsenti vetera connectens, et ostendens ne Isaac quidem simpliciter fuisse filium Abrahæ. Id est, quicumque secundum Isaac nati sunt, ii sunt filii Dei et semen Abrahæ. Ideo enim dicit, *In Isaac vocabitur tibi semen*, ut discas eos, qui hoc modo nati sunt secundum Isaac, eos maxime semen esse Abrahæ. Quomodo igitur Isaac genitus est? Non secundum legem naturæ, neque secundum vim carnis, sed secundum vim promissionis. Quid sibi vult, Secundum vim promissionis? 9. *In tempore hoc veniam ad te, et erit Sarræ filius.* Hæc est igitur promissio, et verbum Dei Isaacum formavit et genuit. Quid enim, si vulva subjiciebatur et matrix mulieris? Non enim vis matricis, sed vis promissionis filium genuit. Ita et nos nascimur per Dei verba : etenim in piscina aquarum sunt Dei verba, quæ nos generant et formant : nam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizati generamur. Hæc porro generatio non naturæ, sed promissionis Dei est. Sicut enim cum Isaaci generationem promisisset, tunc illam implevit : sic et nostram ante multa prænuntiavit tempora per omnes prophetas, et postea in opus deduxit. Viden' quantum demonstraverit et quod cum magnum quid promiserit, facillime illud perfecerit? Quod si dixerint Judæi, *Ex Isaac vocabitur tibi semen*, id significare, Ex Isaac natos ipsi reputari in semen, oporteret etiam Idumæos, et omnes, qui ab Esaü orti erant, ejus filios vocari : nam illorum progenitor Esaü filius erat Isaaci. Nunc vero non modo filii non vocantur, sed et valde sunt alieni. Viden' non filios carnis esse filios Dei; sed in ipsa natura eam, quæ per baptisma est, generationem jam olim præscriptam fuisse? Quod si tu mihi matricem dixeris, habeo et ego aquam opponendam. Sed sicut hic tota res est Spiritus, sic illic tota res est promissionis : nam aqua frigidior matrix erat ob sterilitatem et senectutem. Discamus ergo accuratissime nobilitatem nostram, et illa dignum exhibeamus vitæ institutum : neque enim habet quidquam carnale vel terrestre. Ne itaque nos quidpiam hujusmodi habeamus. Neque enim somnus, neque voluntas carnis, neque complexus, neque concupiscentiæ stimulus, sed Dei benignitas totum peregit. Ac sicut illic desperata ætate, ita et hic peccatorum senectute superveniente, statim novus exiit homo, et omnes filii Dei et semen Abrahæ facti sumus. 10. *Non solum autem, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri.* Magnum quidpiam quærebatur; ideoque multa movet ratiocinia, et undique conatur dubitationem solvere. Nam si inexspectatum et novum est post tot promissiones, ab illis ipsis excidere : longe mirabilius est, nos in illorum bona intrare, qui nihil tale exspectabamus. Atque idipsum evenit, ac si quis regis filius, cui promissa fuisset imperii successio, in obscurorum hominum ordinem rejiceretur; atque illius loco damnatus homo, mille vitiis refertus, ex carcere eductus, imperium illi debitum acciperet. Quid enim, inquies, dicere possis? Quod filius indignus sit? Sed hic etiam et multo magis indignus est. Igitur oportebat aut simul pœnas dare, aut simul honorari. Tale quidpiam circa gentes et circa Judæos accidit, imo longe mirabilius Nam quod omnes indigni essent, supra declaravit Paulus dicens, *Omnes enim peccaverunt, et privantur gloria Dei* (*Rom.* 3. 23) : quod autem novum est, cum indigni omnes essent, gentes solæ servatæ sunt. Post hæc aliam etiam quæstionem quis moverit dicens : Si promissionem non impleturus erat Deus, cur promisit? Homines quippe, qui futurum non norunt, sæpe decepti, indignis dona pollicentur : qui vero et præsentia et futura prævidet, et qui clare sciebat illos se promissis illis indignos reddituros esse, et ideo nihil promissorum recepturos, cur promisit?

5. *Solvitur objectio. Omnes sunt vocati, non omnes accesserunt.* — Quomodo hæc solvit Paulus? Ostendendo quid sit Israel, cui promiserat. Hoc enim demonstrato, illud quoque declarabatur, nempe promissa omnia impleta fuisse. Hoc enim declarans dicebat : *Non enim omnes, qui ex Israel, sunt Israel.* Ideo non Jacobi nomen apposuit, sed Israelis, quod et justi viri et superni doni erat, atque etiam symbolum erat quod Deum vidisset. Atqui, inquies, omnes peccaverunt, et privantur gloria Dei. Si igitur omnes peccaverunt, cur alii salvi fiunt, alii pereunt? Quia non omnes accedere voluerunt. Nam quod ad illum spectat, omnes salvi facti sunt : nam omnes sunt vocati. Verum hoc ille non ponit, sed ex abundanti illud solvit, et ex aliis exemplis, aliam quæstionem in medium adducens, et, sicut in præcedentibus, quæstionem maximam solvit per aliam quæstionem. Quia enim quærebatur, quomodo Christo justificato, omnes eamdem justitiam adepti sunt, Adami factum induxit, dicens : *Si enim unius delicto mors regnavit*,

multo magis qui abundantiam gratiæ acceperunt, in vita regnabunt (*Rom.* 5. 10). Quod ad Adamum spectat non solvit, sed quod ab se allatum est solvit ex illo, ostenditque, magis rationi competere, quod is, qui pro ipsis mortuus est, potestatem in illos ad libitum habeat. Nam quod uno peccante omnes puniantur, non admodum rationi consentaneum esse multis videtur: quod autem uno moriente omnes justificentur, et rationi magis consentaneum est, et Deo convenientius. Attamen illam quæstionem non solvit: quanto enim obscurius id manebat, tanto magis Judæo os obturabatur: et illius dubitatio in illud transibat, atque apertius hoc illinc redditur. Sic et hoc loco, ex aliis objectis quæstionem solvit: nam contra Judæos certamen illi erat. Ideo exempla, quæ in medium adduxit, non omnino solvit: neque enim iis obnoxius erat, ut in pugna contra Judæos suscepta: sua vero omnia ex illis apertiora facit. Quid enim miraris, inquit, si ex Judæis alii quidem salvi fiant, alii minime? Nam hoc in patriarchis factum videre est. Cur enim Isaac solus semen vocatur, etiamsi Ismaelis et aliorum compluriam Abraham pater esset? Sed a matre serva fuit? Et quid hoc ad genitorem? Cæterum nihil contendo: ejiciatur ob matrem ille: quid dicemus de iis, qui ex Chettura nati sunt? annon liberi erant, et ex libera? cur non iisdem honorati sunt prærogativis queis Isaac? Ecquid de his loquor? Isaaci sola uxor fuit Rebecca, et duos filios ex Isaaco suscepit: attamen hi, qui ex eodem patre et matre sunt, qui easdem solverunt parturigines, ex eodem patre et matre gemelli, non eadem tamen sortiti sunt. Atqui hic non servitutem matris objicere potes, ut in Ismaele: neque quod hic ex hac, ille ex alia matrice natus sit, ut in Chettura et Sarra, quando etiam eadem hora ex vulva sunt egressi. Ideo Paulus quasi ad clarius exemplum progressus, Non modo in Isaac hoc contigit, inquit: *Sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaaci patris nostri.* 11. *Nondum enim geniti cum essent, nec quid boni vel mali fecissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret,* 12 *non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei:* 13. *Major serviet minori* (*Gen.* 25. 23), *quemadmodum scriptum est: Jacob dilexi, Esaü autem odio habui* (*Malach.* 1. 2. 3). Qua igitur de causa hic quidem amabatur, ille autem odio habitus est? qua de causa hic serviebat, ille imperabat? Quia hic malus, ille bonus erat? Atqui illis nondum natis, ille honorabatur, hic condemnabatur: illis enim nondum natis dicebat Deus, *Major serviet minori.* Cur ergo hoc dixit Deus? Quia non exspectat, ut homo, a rerum exitu videre quis bonus, quis non talis sit; sed antea videt quis bonus, quis non talis erit. Et hoc apud Israelitas factum est majori cum miraculo. Quid enim dico de Esaü et Jacob, quorum ille malus erat, hic bonus? Nam apud Israelitas commune peccatum erat: omnes enim vitulum adorarunt. Attamen alii quidem misericordiam consequuti sunt, alii minime. 15. *Miserebor* enim, inquit, *cujus miserebor, et commiserabor, quem commiserabor.* Hoc ipsum in iis qui puniuntur videas. Quid enim dixeris de Pharaone, qui punitus est, et tantas dedit pœnas? Quia durus erat et inobsequens. Num ipse solus, et nemo alius? cur tam acerbe plexus est? cur apud Judæos non populum vocavit populum, et rursus, non omnes eodem honore dignatus est? *Si enim fuerint*, inquit, *sicut arena maris, reliquiæ salvæ erunt* (*Isai.* 10. 22). Et cur reliquiæ solum? Viden' quanta difficultate quæ proposita sunt repleverit? Et jure quidem: cum enim potes adversarium in dubitationem conjicere, ne statim solutionem afferas. Nam si ipse visus fuerit iisdem periculis obnoxius, cur tu pericula subeas superflua? cur audaciorem illum reddis, totum ad teipsum trahens?

6. Dic enim mihi, o Judæe, qui tantum dubitas, et nihil horum solvere potes, cur super gentium vocatione negotia nobis facessis? Atqui possum ego causam dicere, cur gentes justificatæ sint, vos autem excideritis. Quænam ergo causa est? Quia illi ex fide, vos autem quasi ex operibus legis. Et cum his contentionibus undique proditi estis. *Ignorantes enim Dei justitiam, et propriam justitiam quærentes statuere, justitiæ Dei non subditi fuere* (*Rom.* 10. 3). Loci ergo totius solutio, ut summatim totum referam, sic a beata illa anima profertur: ut autem clariora hæc evadant, singula dicta ad examen deducamus, hoc scientes, in scopo fuisse beato Paulo, ut doceat, per ea quæ dixit omnia, eos qui digni sunt Deum solum nosse; nullumque hominum scire, etiamsi valde nosse videatur, sed sæpe a calculo et sententia sua cadere. Qui vero arcana mentis novit, ipse perspicue scit, quinam corona digni sint, quinam pœna et supplicio. Ideo multos, qui apud homines probi esse videbantur, convictos supplicio affecit; et eos, quos improbos esse homines arbitrabantur, coronavit, ostendens tales non esse; non ex servorum sententia, sed ex proprio judicio accurato et incorrupto calculum ferens, nec exspectans ab actorum exitu dignoscere improbum, et eum qui talis non esset. Cæterum ne rursus sermonem obscuriorem reddamus, ad ipsa apostolica dicta veniamus. *Non solum autem, sed et Rebecca ex uno concubitu habens.* Poteram enim, inquit, de Chettura loqui, sed abstineo. Verum ut ex abundanti victoria referatur, eos, qui ex uno patre et ex una matre nati sunt, in medium affero. Nam ex Rebecca ambo erant, et ex Isaac, legitimo filio, probato, præ aliis omnibus honorato, de quo dixit, *In Isaac vocabitur tibi semen*, qui pater fuit omnium nostrum. Quod si ille pater noster sit, eos, qui ab illo nati sunt, patres oportebat esse; sed non fuerunt. Viden' hoc non tantum in Abrahamo contingere, sed etiam in filio: et ubique fidem et virtutem splendentem esse, et veram cognationem exprimere? Hinc enim discimus, non solum per modum generationis, sed etiam quod digni genitore virtute sint, filios vocari eos, qui filii ejus sunt. Si enim ex modo generationis tantum, oportebat Esaü eadem prærogativa frui, qua Jacob fratre: nam et ipse ex mortua vulva fuit, et sterilis ma-

ejus erat. Verum non hoc quærebatur solum, sed et mores : quod quidem non vulgare est et ad doctrinam vitæ nobis confert. Nec dicit, quia hic bonus, ille vero malus, ideo illi antepositus in honore fuit, ut ne statim hoc illi objiceretur : Quid ergo? bonine fuerunt, qui ex gentibus erant, præ illis, qui ex circumcisione? Nam etsi rei veritas ita se haberet, at nondum illud apponit : onerosius quippe visum fuisset : sed in Dei cognitionem totum rejecit, quacum pugnare nemo ausit, etiamsi valde insaniat. *Cum nondum nati essent*, inquit, *neque boni quidpiam fecissent, dictum est matri, Major serviet minori :* ostenditque nobilitatem carnalem nihil prodesse, sed virtutem animæ quærendam esse, quam ante opera Deus novit. *Cum enim nondum nati essent*, inquit, *nec fecissent quidpiam boni vel mali, ut propositum Dei secundum electionem maneret, dictum est ei : Major serviet minori.* Hoc enim præscientiæ est, quod ex ipsa parturitione eligeretur; ut appareret, inquit, electio Dei, quæ secundum propositum et præscientiam facta est : ex primo namque die et bonum et non talem et novit et prædicavit. Ne mihi ergo dicas, legem te legisse et prophetas, et tantum temporis servivisse. Nam qui novit animam probare, scit quis salute sit dignus. Cede igitur Incomprehensibili electionem : ipse namque solus scit exacte coronare. Quot enim Matthæo meliores videbantur esse, secundum operum eam, quæ apparebat, rationem? Sed is, qui certa novit, et animi conditionem explorare valet, etiam in luto jacentem margaritam novit, et prætermissis aliis, ejusque formam miratus, ipsum elegit, ac propositi ejus nobilitati suam addens gratiam, probatum illum declaravit. Si enim in his l uxis artibus et in aliis rebus omnibus, qui judicare valent, non ab iis quæ privati homines existimant, quæ proposita sunt eligunt; sed ab iis, quæ ipsi perspicue norunt, et id quod a vulgo in existimatione fuit, plerumque reprobant, quodque illi rejiciebant eligunt : et equorum item domitores sæpe circa equos idipsum faciunt; itemque gemmarum periti, aliarumque artium opifices : multo magis benignus Deus immensa sapientia, qui solus omnia clare novit, non cedet hominum opinioni, sed ex propria sapientia accurata, et quæ labi nequit, circa omnia calculum feret. Ideo et publicanum elegit, latronem et meretricem; sacerdotes autem, senes et magistratus improbavit et ejecit.

Deo rationes non repetendæ sunt. — Id in martyribus quoque contingere videas. Multi enim ex iis, qui valde abjecti erant, in certaminum tempore coronati sunt; et e contrario, qui magni a multis putabantur esse, supplantati sunt et cecidere. Ne itaque rationes repetas a Creatore, nec dicas : Cur ille coronatus est, ille punitus? Scit enim omnia accurate facere : quamobrem dicebat : *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Quod enim id juste fecerit, tu quidem a fine nosti; ipse vero ante finem clare noverat. Non enim operum ostensionem tantum quærit Deus, sed etiam propositum [illegible] bam mentem. [illegible] peccet, cito resipiscat. [illegible] sit, non despicietur, sed [illegible] omnia scit Deus : [illegible] etsi quid boni facere videatur, [illegible] mala mente hoc fecerit. Etenim [illegible] set, et mœchatus esset, quia cum quadam [illegible] non maligne meditatus, hæc fecit, [illegible] Pharisæus autem, nihil horum facere [illegible] ex aliis sese bonis venditans, e [illegible] periit. 14. *Quid ergo dicemus? [illegible] Deum? Absit.* Ergo neque in nobis, neque in [illegible]. Addit aliud illo obscurius. Quidnam? *Moysi enim dicit, Miserebor cujus misereor, et commiserabor quem commiseror.* Rursus auget objectionem medium præcidens illam, et aliam rursus difficultatem adjiciens. Ut autem dictum clarius evadat, necessario explicandum est. Dixit Deus, inquit, *Major serviet minori* ante partum. Quid ergo? num injustus est Deus? Minime. Ergo audi sequentia : ibi enim tum virtus, tum malitia rei discrimen faciunt; hic vero peccatum unum erat omnium Judæorum, confectus vitulus, et tamen alii puniti sunt, alii minime; ideoque dicebat : *Miserebor cujus misereor, et commiserabor quem commiseror.* Non tuum enim est, o Moyses, scire qui digni sint misericordia, sed mihi hoc concede. Si autem Moysis non erat hoc scire, multo minus nostrum fuerit. Ideo dictum illud non simpliciter posuit, sed cuinam dixerit, memoravit : *Moysi enim dixit*, inquit, ut personæ dignitate contradicentem pudefaciat. Data igitur difficultatum solutione, per medium secat, rursus aliam objectionem inducens ac dicens : 16. *Itaque non volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* 17. *Dixit enim Scriptura Pharaoni : In hoc ipsum te incitavi, ut ostenderem in te potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Ut enim illic ait, Alii salvi facti sunt, alii puniti sunt; ita et hoc loco hic ad hoc ipsum servabatur. Deinde objectionem rursum affert : 18. *Ergo cui vult miseretur, et quem vult indurat.* 19. *Dices ergo mihi, Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit?* Viden', quomodo hoc dubium facere omni modo studeat? Nec statim solutionem apponit, hoc etiam utiliter faciens; sed primum quærenti sic os obturat, dicens : *Atqui,* 20. *o homo, tu quis es, qui contra respondeas Deo?* Hoc autem facit, intempestivam nimiamque ejus curiositatem reprimens et frenum adjiciens, docensque quid sit Deus, quid homo, et quomodo Dei providentia incomprehensibilis sit, nostrumque ratiocinium exsuperet, ac quomodo in omnibus ipsi obtemperandum sit : ut postquam hoc probaverit auditori, ejusque mentem represserit ac sedaverit, tunc facile solutionem afferens acceptum illi sermonem suum reddat. Nec dicit, non posse illa solvi, sed quid? Iniquum esse alias movere quæstiones, sed oportere Dei dictis obtemperare, nec illa curiose scrutari, etiamsi illorum sensum ignoramus. Ideo dicit, *Tu quis es, qui contra respondeas Deo?* Viden',

ut illum deprimat, ut ejus factum dejiciat? *Tu quis es?* An particeps es imperii? an cum Deo judex sedes? Nam cum illo comparatus, nihil esse potes; non hoc vel illud, sed nihil. Multo enim abjectius est dicere, Quis es? quam dicere, Nihil es. Alioquin etiam majorem indignationem per interrogationem significat. Nec dixit, Tu quis es, qui respondeas Deo? sed, *Qui contra respondeas*, qui contradicas, qui resistas? Nam dicere, Sic oportebat, vel, Non sic oportebat, ex adverso respondentis est. Viden' quomodo terruerit, quomodo percusserit; imo quomodo effecerit ut tremeret potius, quam quæstiones moveret, vel curiose scrutaretur? Hoc optimi præceptoris est, discipulorum studium non ubique sequi, sed illos ad voluntatem tuam deducere, spinas evellere, et tunc semina jacere, nec statim ubique ad interrogata respondere. *Num dicet figmentum ei qui finxit: Cur me sic fecisti?* 21. *Annon habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas in honorem, aliud in ignominiam?*

8. *Deus non liberum arbitrium tollit.* — Hic non liberum arbitrium tollens hoc dicit, sed ostendens quousque Deo obtemperandum sit. Nam ad exigendas a Deo rationes non magis quam lutum paratum esse oportet. Non modo enim contradicere non oportet, nec quæstiones movere; sed etiam ne loquendum quidem omnino est, nec cogitandum; sed similem esse oportet luto inanimato, figuli manibus obtemperanti, et quo ille velit circumacto. Ad hoc enim solum hoc exemplo usus est, non ad instituti vitæ declarationem, sed ad subditam obsequentiam et silentium. Et hoc ubique observandum, exempla non in universum assumenda esse, sed quod usu venit eligendum ad quam rem assumptum est, ac reliquum totum missum faciendum esse. Ut ergo cum dicit, *Recumbens dormivit ut leo* (*Num.* 24. 9), quod inexpugnabile et terribile est intelligimus, non quod ferinum, neque aliud quidpiam quod leoni competat: ac rursus cum dicit, *Occurram illis tamquam ursa dubitans* (*Osee* 13. 8), id ad ultionem pertinet; et cum dicit, *Deus noster ignis consumens* (*Deut.* 4. 24), id quod consumit a supplicio intelligendum: sic et hoc loco lutum, figulus et vasa accipienda sunt. At cum adjicit et dicit: *Annon habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* cave putes, hæc ad opificii rationem a Paulo dici, vel ad propositi necessitatem; sed ad œconomiarum potestatem ac differentiam. Nam si non ita accipiamus, multa sequentur absurda. Si enim de proposito hic quæstio esset, et bonorum et non bonorum ipse opifex esset: eritque homo extra culpam, ipseque Paulus videbitur secum pugnare, qui ubique propositum voluntatis coronat. Nihil ergo aliud hic agere vult, quam ut auditori persuadeat, ut omnino cedat Deo, nec ullius umquam rei rationes ab illo repetat. Ut figulus, inquit, ex eadem massa quæ vult facit, et nemo contradicit: sic cum Deus ex eodem hominum genere alios punit, alios honorat; ne curiose inquiras nec pervestiges, sed adorato tantum, ac lutum imitare; atque ut illud figuli manus sequitur, sic et tu sententiam ejus, qui res ita dispensat. Neque enim temere vel sine causa operatur, etiamsi tu ignores sapientiæ arcanum. Tu porro figulo permittis, ut ex eadem massa diversa faciat, neque id illi vitio vertis: a Deo autem rationem repetis et suppliciorum et honorum; neque concedis ipsi ut sciat, quis dignus, quis indignus sit, sed quia eadem massa ejusdem substantiæ est, eadem voluntatis proposita vis esse. Et quantæ hæc sunt insaniæ? Atqui ne in figulo quidem ex ipsa massa ignominia et honor sequuntur, sed ex eorum usu qui illa tractant: id quod hic etiam ex proposito voluntatis est. Cæterum id, quod supra dixi, ad hoc unum exemplum accipiendum est, non oportere contradicere Deo, sed cedendum esse ejus incomprehensibili sapientiæ. Nam exempla majora oportet esse rebus propositis, quæ in medium adductæ sunt, ita ut auditorem magis afficiant. Nam si majora non essent nec majorem haberent hyperbolen, non possent ut par est contradictorem pungere et pudefacere. Intempestivam ergo illorum contentionem sic ille repressit cum hyperbole congruenti: deinde vero solutionem adducit. Quæ illa solutio? 22. *Si autem volens Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, tulit in multa longanimitate vasa iræ apparata in interitum;* 23. *et ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam;* 24. *quos et vocavit nos* (scilicet), *non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus.* Hoc est, vas iræ erat Pharao; id est, homo qui per duritiem suam, iram Dei incendit: longam enim ejus patientiam expertus, non melior affectus est, sed incorrigibilis mansit. Ideo non modo vas iræ ipsum vocavit, sed præparatum ad perditionem; id est, apparatum, per se nempe et opera sua. Neque enim Deus quidpiam prætermisit eorum, quæ ad ejus emendationem facerent, neque ille quidpiam prætermisit eorum, quæ ipsum perderent et omni venia privarent. Attamen hæc cum sciret Deus, cum multa patientia tulit eum, cupiens illum ad pœnitentiam deducere: nisi enim hoc voluisset, non tam diuturna patientia usus esset. Quia vero ille noluit patientia illa ad pœnitentiam uti, sed præparavit se ad iram, usus est illo Deus ad aliorum emendationem, per illius supplicium alios studiosiores reddens, et sic potentiam suam ostendens. Quod enim nolit Deus sic potentiam suam notam facere, sed alio modo et per beneficia et liberalitatem: id jam ille supra modis omnibus declaravit. Nam si Paulus non ita potens vult videri; *Non enim ut nos probati videamur*, inquit, *sed ut vos bonum faciatis* (2. *Cor.* 13. 7): multo magis Deus. Sed quia diuturnam patientiam habuit, ut ad pœnitentiam deduceret, ille vero pœnitentiam non egit, illum multo tempore tulit, simul benignitatem suam ostendens et una potentiam, si quidem ille nollet ex tanta patientia aliquid lucri referre. Quemadmodum igitur illum incorrigibilem puniens, suam ostendit potentiam: sic illos qui multum peccaverant, et pœnitentiam egerunt, mise-

ratus benignitatem suam monstravit.

9. *Quænam maxima Dei gloria.* — At non dixit ille, Benignitatem, sed, *Gloriam*, ostendens illud maxime gloriam Dei esse, ipsumque plus quam cætera omnia illud curare. Cum antea dicit, *Quæ præparavit ad gloriam*, non totum Dei esse dicit : quoniam si hoc esset, nihil impediret quominus omnes salvi essent : sed rursum ejus præscientiam ostendit, et Judæos inter et gentes differentiam tollit. Nec parvam inde quoque dictis suis defensionem parat. Non modo enim apud Judæos alii periere, alii salvi facti sunt, sed etiam apud gentiles : ideoque non dicit gentes omnes, sed, *Ex gentibus ;* ut neque Judæos omnes, sed, *Ex Judæis.* Sicut ergo Pharao ex propria iniquitate vas iræ factus est, sic et hi vasa misericordiæ ex probitate sua. Nam etsi quod plus est, Dei sit, at nos quoque parum quid intulimus. Ideo non dixit, vasa recte factorum, neque vasa fiduciæ ; sed, *Vasa misericordiæ*, ostendens totum esse Dei. Nam illud, *Non est volentis neque currentis*, etsi ad modum objectionis positum sit ; attamen a Paulo dictum, nullam affert dubitationem. Cum enim dicit, *Non est volentis neque currentis*, non potentiam tollit ; sed ostendit non totum illius esse, sed egere illum superna gratia. Oportet enim et velle et currere ; confidere autem non propriis laboribus, sed Dei benignitati : id quod et alibi dicebat : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum* (1. *Cor.* 15. 10). Ac bene dixit, *Quæ præparavit ad gloriam.* Quandoquidem enim hoc exprobrabant, quod gratia salvi facti essent, et pudore illos afficere putabant ; ex abundantia multa hanc tollit opinionem. Nam si res Deo gloriam attulit, multo magis illis, per quos Deus glorificatus est. Considera autem ejus probitatem et potentiam infinitam. Cum posset enim in sermone de iis, qui puniuntur, non Pharaonem adducere, sed ex Judæis illos qui peccavissent, et sic clariorem reddere sermonem ostendereque, quod ubi iidem patres, ubi eadem peccata, alii perierunt, alii misericordiam consequuti sunt, et persuadere illis ut ne ultra dubitarent, etiamsi quidam ex gentibus salvi facti essent, pereuntibus Judæis : ut ne sermonem onerosum redderet, supplicii exemplum ex barbaro illo profert, ut ne cogeretur illos vasa iræ appellare ; ex Judaico autem populo eos, qui misericordiam consequuti sunt, adducit : quamquam Deum sufficienter defendat, quod cum probe illum nosset, sciretque illum se vas iræ præparasse, tamen sua intulit, tolerantiam, diuturnam patientiam, nec modo diuturnam, sed ingentem ; attamen noluit in Judæis illud tractare. Unde igitur hi vasa iræ, illi misericordiæ ? Ex proprio voluntatis proposito. Deus autem valde bonus cum sit, in ambobus eamdem ostendit benignitatem. Etenim non eos tantum, qui salvi facti sunt, miseratus est, sed etiam Pharaonem, quantum in se erat : nam eamdem diuturnam patientiam tam hi quam illi experti sunt. Quod si is non servatus sit, ex ejus voluntatis proposito totum est : siquidem quantum ad Deum pertinet, nihil minus habuit, quam ii qui salvi facti sunt. Cum ergo solutionem quæstionis per ea quæ tradidisset, ut et aliunde sermonem hunc dignum ostendat, prophetas adducit eadem ipsa prænuntiantes. Nam Osee, inquit, jam olim hæc scripsit, dicens : 25. *Vocabo non populum meum, populum meum* (*Osee* 2. 24), *et dilectam, eam quæ non dilecta erat.* Ne dicerent, Nos decipis dum hæc dicis, Osee testem vocavit clamantem ac dicentem : *Vocabo non populum meum, populum meum.* Quis enim est ille non populus ? Gentes utique. Et quæ illa non dilecta ? Gentes item. Et tamen dixit eos *Populum* ac *Dilectam*, et filios Dei futuros esse. 26. *Illic enim vocabuntur*, inquit, *filii Dei viventis.* Quod si dixerint, hoc de Judæis qui crediderunt intelligendum esse : sic etiam stabit sermo. Nam si iis, qui post multa beneficia ingrati fuerant et abalienati sunt, et id quod populus essent amiserunt, tanta supervenit mutatio : quid impedivit quominus ii, qui non postquam proprii fuerant alienati sunt, et qui semper alieni fuerunt, vocarentur, et obedientes iisdem dignarentur bonis ? Cum ergo Oseam produxisset, hoc non contentus Isaiam quoque affert his consona dicentem : 27. *Isaias enim clamat*, inquit, *super Israel ;* id est, cum fiducia vociferatur, nec reprimitur. Quid igitur nos incusatis, cum illi clarius quam tuba hæc prænuntiarint ? Quid ergo clamat Isaias ? *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ erunt* (*Isai.* 10. 22). Viden' eum etiam non dicere, omnes esse salvos, sed eos qui salute digni sunt ? Non enim multitudinem vereor, neque genus ita diffusum ; sed illos servabo solum, qui se salute dignos præbuerint. Neque modo arenam maris memoravit, sed revocata ipsis veteri promissione, qua se indignos reddiderunt. Quid ergo turbamini, quasi promissio exciderit, cum prophetæ omnes declarent, non omnes salvos fore ? Deinde salutis modum dicit. Viden' accurationem propheticam et prudentiam apostolicam, quodnam testimonium induxerit, quam opportunum ? Neque enim hoc solum declarat quosdam esse qui salvi futuri essent, neque omnes, sed etiam addit, quomodo salvi futuri sint. Quomodo igitur salvi erunt, et quomodo Deus illos hoc beneficio dignabitur ? 28. *Sermonem perficiens*, inquit, *et abbrevians in justitia, quia verbum abbreviatum faciet Dominus in terra.* Id est : Non circuitione opus est et labore, et afflictione illa legalium operum, sed magna cum brevitate erit salus. Talis quippe est fides, in paucis verbis habet salutem. *Si enim confessus fueris*, inquit, *in ore tuo Dominum Jesum, et credideris in corde tuo quod Deus ipsum suscitavit ex mortuis, salvus eris* (*Rom.* 10. 9).

10. Viden' quid sit, *Verbum abbreviatum faciet Dominus in terra ?* Et quod mirum est, hic brevis sermo non salutem modo, sed etiam justitiam attulit. 29. *Et sicut prædixit Isaias : Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma facti fuissemus, et quasi Gomorrhæ similes facti essemus* (*Isai.* 1. 9). Rursus hic aliud quidpiam declarat, quod illi pauci non ex se salvi facti sint. Nam ii quoque periissent et eadem quæ Sodoma passi essent ; id est, internecionem. Nam et illi radicitus omnes perierunt, nec vel parum quidpiam se-

minis reliquerunt: hi itaque ut illi periissent, nisi multa Deus benignitate usus esset, et per fidem illos servasset. Hoc etiam in sensibili captivitate factum est: longe plures enim abducti sunt et perierunt, pauci vero servati sunt. 30. *Quid ergo dicemus*, inquit? *Quod gentes, quæ non sectatæ sunt justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem ex fide:* 31. *Israel autem, qui sectabatur legem justitiæ, ad legem justitiæ non pervenit.* Manifestissima hic jam solutio: quia enim ex rebus ipsis jam ostendit, *Non enim omnes qui ex Israel, sunt Israel*, et ex progenitoribus Jacobi et Esaü, et ex prophetis, validissimam inducit solutionem ex Osee et Isaia, prius quidem difficultatem augens. Nam duo quæsita sunt, et quod gentes assequutæ sint, et non sectando assequutæ sint, id est, sine ulla cura et studio. Et rursus circa Judæos duæ sunt dubitandi rationes, et quod Israel non assequutus, et quod etiam adhibito studio non sit assequutus. Ideoque verbis cum majore emphasi usus est: non enim dixit, Habuit justitiam, sed, *Accepit.* Quod enim novum inopinatumque est, qui sectabatur non apprehendit; qui vero non sectabatur, apprehendit. Et videtur quidem illis gratificari cum dicit, *Qui sectabatur:* postea vero letalem ipsis plagam infert. Quia enim validam habet afferendam solutionem, nihil timet dum graviorem facit objectionem. Ideo neque de fide disserit et de justitia inde parta, sed ostendit illos ante fidem in propriis superatos et damnatos fuisse. Tu enim, Judæe, inquit, neque justitiam ex lege reperisti; illam enim transgressus es, et obnoxius factus es maledictioni: hi vero qui non per legem venerunt, sed per aliam viam, majorem hac invenere justitiam, quæ ex fide est: quod etiam supra dixit: *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriationem, sed non apud Deum* (*Rom.* 4. 2); ostendens hanc justitiam illa majorem esse. Prius ergo dicebant duas esse quæstiones, nunc vero tres quæstiones factæ sunt: quod gentes justitiam invenere, et non persequentes invenerunt, et majorem quam justitiam legis. Eadem ipsa de Judæis in disceptationem veniunt e contrario, quod Israel non invenerit, quod studio adhibito non invenerit, et quod minorem non invenerit. Cum igitur auditorem in dubitationem conjecisset, inducit demum brevem solutionem, et prædictorum omnium causam dicit. Quænam igitur est causa? 32. *Quia non ex fide, sed quasi ex operibus legis.* Hæc est clarissima loci totius solutio: quam si statim ab exordio dixisset, ea non ita accepta fuisset; ubi autem post dubitationes multas et probationes ac demonstrationes illam posuit et correctionibus multis usus est, intellectu faciliorem illam demum et magis acceptam obtulit. Hæc enim causa fuit, inquit, perniciei ipsius, *Quoniam non ex fide, sed quasi ex operibus legis* voluerunt justificari. Nec dixit, Ex operibus: sed, *Quasi ex operibus legis*, ostendens illos neque hanc habuisse justitiam. *Impegerunt enim in lapidem offensionis*, 33. *sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali; et omnis, qui credit in illum, non confundetur* (*Isai.* 28. 16). Viden' rursus quomodo a fide sit fiducia et universale donum? Non enim de Judæis solum dictum est, sed de toto hominum genere. Omnis enim, inquit, etsi Judæus, etsi Scytha, etsi Thrax, etsi quivis alius crediderit, magna fruetur fiducia. Quod autem in propheta mirum, est, quod non solum dixerit credituros esse, sed etiam non credituros: nam impingere est non credere. Ut ergo supra et eos qui pereunt, et eos qui salvi fiunt significavit dicens: *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ erunt*; et, *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus*; et, *Vocavit non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus:* sic et hoc loco dicit, quod alii credent, alii impingent: impingere autem ex eo provenit, quod non attendatur, et quod ad alia inhietur. Quia igitur hi legi attendebant, impegerunt in lapidem. Lapidem autem offensionis et petram scandali dicit, a proposito animi et ab exitu eorum, qui non crediderunt. Num manifesta sunt ea quæ dicta fuere, an multa adhuc egent explicatione? Ego certe puto iis, qui attenderunt, captu facilia esse: si qui vero hæc non capiant, licet illis privatim accedentibus percontari et discere. Ideo enim longiorem adhibui explanationem, ut ne intercepta concionis serie, cogerer claritatem dictorum labefactare et obscurare. Ideo hic concionem claudam, de informandis moribus, contra quam solebam, nihil disserens, ut ne tot dictarum rerum memoriam obscuriorem reddam. Tempus itaque est concioni convenientem finem imponere, gloriamque referre universorum Deo. In communi igitur finem facientes nos dicendi, vos audiendi, ipsi referamus gloriam; quia ipsius est regnum et potentia et gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA XVII.

Cap. 10. v. 1. *Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio mea ad Deum, pro ipsis est ad salutem.*

1. Illos iterum vehementius reprehensurus est, quam prius: quare rursum omnem inimicitiæ suspicionem tollit, multaque utitur prævia correctione. Non attendatis sermonibus, inquit, neque reprehensionibus; hæc enim non inimico ex animo protuli. Neque enim ejusdem est hominis salutem eorum exoptare, et non modo exoptare, sed etiam precari, et tamen illos odisse et aversari: nam hic voluntatem vehemens desiderium vocat. Et vide etiam, quomodo obsecrationem ex mente faciat: non ut illos solum a supplicio liberet, sed et ut illos salvos faciat, magnam adhibet curam et precationem. Neque ex his solum, sed etiam ex sequentibus benevolentiam ostendit, quam erga illos habet. Ab iis enim, quæ excusari poterant, quantum maxime potuit vim faciens et contendens vel umbram quærit ad illos defendendos invenire, et non potest, ab ipsa operum natura victus. 2. *Testificor enim illis*, inquit, *quia zelum Dei habent*, sed

non secundum scientiam. Hæc itaque veniæ, non accusatione digna sunt. Si enim non propter hominem avulsi sunt, sed propter zelum; misericordia magis, quam supplicio digni sunt. Sed vide quam sapienter verbo quidem illis gratificatur, et intempestivam illorum contentionem demonstrat. 3. *Ignorantes enim*, inquit, *Dei justitiam*. Rursus hoc verbum veniam indicat: at quod sequitur vehementem accusationem exprimit, quæ omnem tollat defensionem; nam ait: *Et propriam justitiam statuere quærentes, justitiæ Dei non subditi fuerunt*. Hæc vero dicit, ostendens illos ex contentione et principatus amore magis, quam ex ignorantia errasse, et neque illam ipsam legalium rerum justitiam statuisse. Cum enim ait, *Quærentes statuere*, hoc significat. Et illud clare quidem non posuit: non enim dixit illos ex utraque justitia excidisse; illud tamen admodum scite subindicavit, et cum sapientia sibi competenti. Nam si illam adhuc quærunt statuere, palam est eos non statuisse: si huic non subditi fuerunt, ab illa exciderunt. Propriam vero justitiam illam vocat, vel quod non ultra lex vim haberet, vel quod laborum esset ac sudorum: hanc porro Dei justitiam, quæ ex fide est, eo quod tota sit ex superna gratia, et quod non laboribus, sed Dei dono justificemur. Sed qui semper Spiritui sancto resistunt, dum contenderent per legem justificari, non accesserunt ad fidem: non accedentes autem ad fidem, nec accipientes justitiam, quæ ex illa est, cum non possent a lege justificari, undique exciderunt. 4. *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti*. Vide Pauli prudentiam. Quia enim dixerat justitiam et justitiam; ne putarent ex Judæis illi, qui credebant, unam se habere, ab altera vero privari, et iniquitatis damnari; nam et hos non minus timere oportebat, quia nuper ad fidem accesserant; neve rursum Judæi exspectarent se illam impleturos esse, neu dicerent, Etiamsi nondum illam impleverimus, omnino implebimus: vide quid agat. Ostendit unam esse justitiam, illamque in hanc reduci: et quod qui hanc per fidem implevit, illam quoque impleverit; qui vero hanc reprobaverit, et ab illa et ab hac dicit excidisse. Si enim finis legis Christus; qui Christum non habet, etiamsi illam videatur habere, non tamen habet: qui vero Christum habet, etiamsi legem non impleverit, totum recepit. Nam medicinæ finis est sanitas. Ut igitur is, qui potest sanum facere, etiamsi medicinæ artem non habeat, totum habet; qui vero curare nescit, etiamsi artem exercere videatur, a toto excidit: sic in lege et fide: qui hanc habet, et illius finem habet; qui vero extra illam est, ab utraque est alienus. Quid enim vult lex? Justum facere hominem; sed non potuit: nemo enim illam implevit. Hic igitur finis legis erat, et huc omnia respiciebant, propter hoc omnia fiebant, festa, præcepta, sacrificia, et reliqua omnia, ut justificaretur homo. Sed tunc finem melius per fidem assequutus est Christus. Ne ergo timeas, inquit, quasi legem transgrediens, postquam ad fidem accessisti. Tunc enim illam transgrederis, cum propter ipsam Christo non credis: contra si Christo credideris, legem implevisti multo magis quam illa jussit; multo majorem enim justitiam accepisti. Deinde quia hæc sententia erant, a Scripturis rursus illa confirmat. 5. *Moyses*, inquit, *justitiam quæ ex lege est scribit*. Id est, Moyses ostendit nobis eam quæ ex lege est justitiam, qualis nempe illa sit et unde constet. Qualis igitur illa est, et unde constituitur? Si mandata impleantur. *Qui fecerit ea*, inquit, *vivet in illis*. Non aliter potest quis justificari in lege, quam si omnia impleverit: illud autem nemo potuit.

2. *Quænam sit vera justitia*. — Itaque justitia hæc decidit. Sed aliam nobis, Paule, dic justitiam, quæ ex gratia est. Quænam est, et unde constat? Audi illum clare ipsam describentem. Postquam enim illam arguit, ad hanc demum transit et ait: 6. *Justitia autem, quæ est ex fide, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum? id est Christum deducere: 7. aut, Quis descendet in abyssum? id est Christum ex mortuis reducere*. 8. *Sed quid dicit? Prope te verbum est in ore tuo et in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus: Quod si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et credas in corde tuo, quod Deus illum suscitavit ex mortuis, salvus eris*. Ne dicerent enim Judæi, Quomodo majorem justitiam invenerunt ii, qui minorem non invenerunt? rationem adducit, cui contradici nequeat, leviorem nempe hanc esse viam quam illam. Illa namque omnium adimpletionem requirit; *Cum enim omnia feceris, tunc vives*: justitia vero, quæ ex fide est, non hoc dicit, sed quid? *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et credas in corde, quod Deus illum suscitavit ex mortuis, salvus eris*. Deinde ne videatur illam despicabilem reddere, quod tam facilem declaret, vide quomodo sermonem de illa loquens extendat. Non enim statim ad hoc venit, quod diximus; sed quid dicit? *Illa autem quæ ex fide est justitia sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum? id est Christum deducere; vel quis descendet in abyssum? id est Christum ex mortuis reducere*. Ut enim virtuti, quæ ex operibus est, opponitur segnities et solutio animi ex laboribus parta, quia vigili anima opus est ut non cedat; sic cum credere oportet, cogitationes adsunt; quæ multorum mentem turbant et labefactant, et vividiore anima opus est ad illas depellendas. Ideo illos ipsos in medium adducit: ac quod in Abrahamo fecit, hoc et hic facit. Nam illic cum ostendisset ipsum ex fide justificatum esse; ut ne videretur frustra tantam accepisse coronam, quasi res nihili esset, fidei naturam extollens ait: *Qui præter spem in spem credidit, ut fieret ipse pater multarum gentium, et non infirmatus in fide, non consideravit corpus quidem suum mortuum, et mortuam vulvam Sarræ; verum ad promissionem Dei non hæsitabat propter incredulitatem, sed roboratus est in fide, dans gloriam Deo, et certo persuasus, quod id, quod promissum fuerat, poterat ipse præstare* (*Rom.* 4. 18-21). Et ostendit, quod opus sit potentia et excelso animo, quæ præter spem sunt accipiente, atque in visibilibus non offendente. Hoc igi-

tur et hic facit, et ostendit philosopha mente opus esse animoque magno et ad cælum attingente. Nec simpliciter dixit, *Ne dixeris*; sed, *Ne dixeris in corde tuo*; id est, Dubitare ne cogitaveris quidem, nec intra te dicas, Et qui potest hoc fieri? Viden', hoc maxime esse fidei proprium, ut infima relicta quavis consequentia, quod supra naturam est perquiratur, et rejecta ratiociniorum infirmitate, a Dei potentia omnia admittamus? Atqui non hæc solum dicebant Judæi, sed quod impossibile sit ex fide justificari. Paulus vero illud ad aliud factum dicit, ut cum ostenderit ita magnum esse, ut etiam cum factum fuerit, fide opus habeat, juste videatur illis coronam nectere. Utitur autem verbis ex Veteri Testamento desumptis, curans semper, ut de novitate et de pugna contra legem accusari non possit. Quod enim hic de fide dicit, de præcepto dicit illis Moyses; ostendens ipsos multa a Deo accepisse beneficia. Non est enim quod dicas, inquit, quod a cælum sit ascendendum, et magnum pelagus trajiciendum, ut tunc mandata accipiantur: sed quæ ita magna graviaque sunt, facilia nobis Deus reddidit. Quid vero sibi vult illud: *Prope te verbum est?* Nempe facile est: nam in mente et in lingua tua sita est salus. Non opus est ut longum iter suscipiatur, vel ut pelagus trajiciatur, vel montes superentur ad salutem obtinendam; sed etsi limen transgredi nolis, licet tibi etiam domi sedenti salutem nancisci: in ore quippe et in corde tuo salutis causa est. Deinde aliunde facilem fidei sermonem efficiens ait, *Quod Deus illum suscitaverit ex mortuis.* Cogita enim excitantis dignitatem, et nullam videbis hac in re difficultatem. Itaque quod Christus sit Dominus, ex resurrectione palam est: id quod initio epistolæ dixit: *Qui prædefinitus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum* (*Rom.* 1. 4): quod autem ipsa resurrectio facilis sit, ex ipsius suscitantis fortitudine ostensum est iis etiam, qui admodum increduli sunt. Cum ergo major justitia sit et levis et susceptu facilis, et aliunde justificari nemo possit: annon extremæ contentionis esset, iis relictis quæ facilia sunt, impossibilia aggredi? Neque enim dicere possint, se rem utpote onerosam missam fecisse.

3. Viden' quomodo illos ab omni venia privet? Qua enim defensione digni fuerint, si quod onerosius et quod nihil perficiat eligant, illo prætermisso quod leve est et illis salutem dare possit, eaque præstare quæ lex non potuit? Hæc quippe nihil aliud sunt quam contentiosæ ac cum Deo seditiose agentis voluntatis opus. Nam lex quidem onerosa, gratia vero facilis est: lex, etsi millies contendant, salvum facere nequit: gratia et suam et eam quæ legis est justitiam præbet. Quis ergo sermo illos eximet, qui contra gratiam contentiosi sunt, legi vero frustra et in cassum adhærent? Deinde, quia magnum quidpiam dixerat, a Scriptura illud confirmat. 11. *Dicit enim Scriptura*, inquit, *Omnis qui credit in illum, non confundetur.* 12. *Non enim est distinctio Judæi atque Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnia et in omnes invocantes se.* 13. *Quisquis enim invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Viden' quomodo et fidei et confessionis testimonia adducat? Cum enim dicit, *Omnis qui credit in illum*, fidem declarat; cum autem dicit, *Quisquis invocaverit*, confessionem exprimit. Deinde quod commune est in gratia prædicans, illorumque fastum deprimens, quæ antea multis declaraverat, hæc jam paucis commemorat; rursus ostendens nihil discriminis esse Judæum inter et præputiatum. *Non enim est distinctio*, inquit, *Judæi atque Græci.* Et quod de Patre dixerat in hujus rei probatione, idipsum hic de Christo dicit. Ut enim prius hoc probans dicebat: *An Judæorum tantum Deus, et non gentium? imo et gentium; quoniam quidem unus est Deus* (*Rom.* 3. 29): sic et hoc loco dicit: *Nam idem Dominus omnium, dives in omnia et in omnes, qui invocant ipsum.* Viden' quomodo ostendat ipsum admodum cupidum salutis nostræ? siquidem hanc putat divitias esse suas: ita ut illi jam non desperent, neque putent, si quidem pœnitentiam agere velint, se a venia exclusos esse. Nam is qui existimat divitias suas esse, si nos salvos faciat, dives esse non cessabit: siquidem hæ divitiæ sunt, si in omnes donum effundatur. Quia enim et hoc maxime illos turbabat, quod cum præeminentiam haberent in orbe toto, nunc ex fide a throno suo dejiciebantur, et nihil plus habebant quam cæteri: frequenter prophetas adducit, qui illam honoris paritatem decantant. *Omnis enim*, inquit, *qui credit in illum, non confundetur*; et, *Quisquis invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Et ubique illud, *Omnis*, ponitur, ut ne contradicant.

Vana gloria redarguitur. — Verum nihil vana gloria deterius: hæc enim, hæc maxime omnium, illos perdidit. Quamobrem Christus illis dicebat: *Quomodo potestis credere, gloriam a vobis invicem accipientes, et gloriam quæ a solo Deo est, non quærentes* (*Joan.* 5. 44)? Hæc inanis gloria cum pernicie multam irrisionem inducit, et ante supplicium illic futurum, mille hic involvit malis. Et, si placet, ut hoc discas, cælos interim mittentes, a quibus nos ejicit, et gehennam, in quam injicit, rem omnem, ut hic geritur, examinemus. Quid igitur illa sumptuosius, quid turpius et difficilius fuerit? Quod sumptuosus sit morbus ille, palam est ex illis qui in theatris, in circo inque aliis similibus intempestivis largitionibus pecunias impendunt: ex iis qui domos splendidas et magnificas struunt, aliaque omnia quæ largiter et inutiliter apparant, quæ non jam sermone percensere animus est. Quod autem necesse sit, ut is, qui tam sumptuosus et magnificus est et hoc morbo laborat, rapax etiam sit et avarus, nemini non notum est. Ut enim possit feræ escam præbere, in aliorum facultates manus injicit. Et quid dico, facultates? Non enim pecunias solum, sed etiam animas hic ignis devorat; nec præsentem tantum, sed etiam futuram mortem operatur. Mater enim gehennæ est inanis gloria, ignemque illum vehementer accendit ac vermem venenatum. Videre est etiam illam in mortuos imperium obtinentem; quo quid pejus fuerit? Nam alii omnes animi affectus morte dissolvuntur; hic autem

etiam post mortem vim infert, ac contendit suam ostendere naturam in mortuo corpore. Cum enim splendida sepulcra, quæ omnem ejus substantiam absumant, morientes sibi erigi curent, et in sepultura luxum multum apponi studeant; etiamsi viventes pro obolo et pane uno accedentes pauperes contumelia affecerint, et morientes lautam vermi apponant mensam : quem alium excessum quæras in hujus morbi tyrannide? Ab hoc etiam malo absurdi nascuntur amores. Multi enim non vultus forma, nec concubitus cupiditate, sed quod velint sese jactare dicereque, Hanc vel illam decepi, in fornicationem delapsi sunt.

4. Ecquid opus est alia recensere, quæ inde pullulant mala? Mallem mille barbarorum servus fuisse, quam vanæ semel gloriæ : nihil enim barbari servis imperant simile iis, quæ vana gloria subditis præcipit. Omnium esto servus, inquit illa, etiamsi te splendidiores, etiamsi te viliores sint : despice animam, neglige virtutem, deride libertatem, salutem tuam immolato. Si quid boni facias, non ad Deo placendum hoc facias, sed ut te multis ostentes, et perdas coronam iis debitam : si eleemosynam feceris, si jejunaveris, laborem quidem sustine, sed lucrum perdere curato. Quid his præceptis crudelius fuerit? Hinc invidia ortum habet, hinc arrogantia, hinc mater omnium malorum avaritia. Turba quidem famulorum, aurigeri barbari, parasiti, adulatores, currus argento conspicui, et alia his ridiculiora, non ad voluptatem, non ad usum sunt, sed ad vanam gloriam tantum. Etiam, inquies; hunc quidem morbum malum esse omnibus liquet, quomodo autem illum effugiemus, hoc dicendum est. Maxime effugies, si tibi ipsi probe suadeas gravem hunc morbum esse, optimumque hinc accipies emendationis initium. Nam æger cito medicum requiret, si illud ante omnia discat, quod ægrotet. Quod si aliam evadendi viam requiras, ad Deum assidue respice, illius tibi gloria satis sit. Si videas hunc morbum te allicere et excitare, ut conservis tuis præclara gesta tua enarres; tecum reputans, quod si hæc dixeris, nihil tibi lucri accessurum sit, exstingue cupiditatem; dic animæ tuæ : Ecce a tanto tempore hoc parturis, ut recte facta tua evulges, nec valuisti silentio tegere, sed omnibus enuntiasti ; quid ergo tibi amplius inde evenit? Nihil certe amplius, sed extrema jactura, et quod omnia, quæ cum tanto labore collegeras, evacues. Post hæc illud etiam cogita, multorum calculum et judicium corruptum esse, nec modo corruptum esse, sed cito marcescere. Etiamsi enim ad horam mirentur et laudent, elapso quodam tempore omnium obliviscuntur, et tibi a Deo paratam coronam abripiunt, et ab se paratam non potuere servare tibi. Quamquam si hæc mansisset, miserum valde erat illam cum hac commutavisse : cum autem hæc effluxerit, quam habebimus defensionem, qui manentem pro non manente prodiderimus? qui pro paucorum laude tot bona amiserimus? Quamquam etsi multi laudatores essent, hi certe miseri existimandi sunt, et tunc magis, cum plures laudatores fuerint. Quod si dictum illud miraris, audi Christum hunc calculum ferentem : nam ait : *Væ vobis, quando bene vobis dixerint omnes homines* (*Luc.* 6. 26). Et jure quidem. Si enim singularum artium opifices judices quærere oporteat, quomodo virtutis probationem vulgo committis, nec illi præ omnibus, qui hac in re omnium peritissimus est, et qui tibi plausum et coronam dare potest? Hoc itaque verbum inscribamus in parietibus, in januis, in mente, et frequenter nobis repetamus : Væ nobis, cum bene dixerint de nobis omnes homines. Nam ii ipsi qui dicunt, demum te incusant ut vanæ gloriæ cupidum, et laudum humanarum amantem. At Deus non sic habet; sed cum te viderit ipsius gloriæ amantem, tunc te maxime laudabit, mirabitur, prædicabit. Homo autem non sic, sed te liberum in servum accipiens, et per verbum unum laude te falsa excipiens, veram abs te mercedem aufert, et te sibi plus quam emptitium subjicit. Emptitios enim post mandata dicto audientes habent heri; tu vero etiam sine mandatis famularis. Neque enim exspectas jussionem; sed si solum noveris, quo pacto illis gratificari possis, illis nihil imperantibus omnia facis. Quanta ergo gehenna non digni fuerimus, qui improbos delectamus, iisque antequam imperent servimus; Deo autem quotidie jubente et hortante, non sic audimus? Atqui si ita laudes amas et gloriam, fuge illam quæ ab hominibus est, et tunc gloriam assequeris : averte te a laudibus, et tunc mille frueris laudibus tum a Deo, tum ab hominibus? Neminem enim ita laudare solemus, ut eum qui gloriam despicit; nec celebrare et mirari, ut eum qui laudum contemptor est : si vero nos, multo magis universorum Deus. Cum autem ille te glorificaverit et laudaverit, quis te beatior fuerit? Etenim quantum est gloriam inter et ignominiam discrimen, tanta est inter supernam gloriam et humanam differentia : imo multo et infinito plus excellit. Nam si illa nulli collata turpis est et fœda; quando cum alia illam conferemus, cogita quanta futura sit fœditas. Ut enim meretrix mulier in prostibulo stans, omnibus sui copiam facit : sic vanæ gloriæ servi; imo turpiores illa sunt. Illæ namque sæpe quosdam amasios spernunt, tu vero omnibus prostas, fugitivis, furibus, marsupiorum sectoribus. Illorum enim atque similium turba theatra vos laudantia constant, et quos singulos nihili esse putas, collectos vel tuæ saluti anteponis, et te his omnibus ignobiliorem declaras.

5. Quomodo enim non ignobilior is, qui laude illorum eget, nec putat sibi ipsi sufficere, nisi ab aliis gloriam accipiat? Non cogitas, quæso te, præter ea quæ dicta sunt, te si conspicuus sis et omnibus notus, ubi peccaveris, mille habiturum accusatores; si ignotus vero sis, saltem in tuto hac ex parte collocari? Etiam, inquies; sed dum præclare gero, mille laudatores habeo. Hoc autem grave malum est, quod non solum si peccaveris, sed etiam si præclara feceris, vanæ gloriæ morbus te lædat; illic te mille probris supplantans, hic vero omnem tibi mercedem evacuans. Grave utique est, et ignominia omni plenum,

vel in politicis rebus gloriam amare : cum autem in spiritualibus hoc ipsum passus fueris ; quæ tibi deinde venia superest, cum non tantum Deo honorem præbere velis, quantum tu a domesticis accipis ? Nam servus ad domini oculos respicit, et mercenarius ad operis dominum, qui mercedes redditurus est, et discipulus ad magistrum : tu vero contrarium omnino facis : relicto Deo et Domino qui te mercede conduxit, ad conservos respicis, cum tamen scias, Deum quidem recte factorum etiam in futurum memorem esse, hominem vero in præsenti tantum ; atque in cælo habens theatrum constitutum, terrenos spectatores congregas. Et athleta quidem ubi certat, illic vult celebrari ; tu vero cum in supernis decertes, in inferioribus vis coronari. Ecquid hac amentia deterius fuerit ? Coronas autem, si placet, consideremus : alia quidem ex arrogantia constat, alia ex invidia adversus alterum concepta, alia ex ironia et adulatione, alia ex pecuniis, alia ex servili animo : atque ut pueri ludentes coronas ex fœno sibi mutuo imponunt, et coronatum ejus rei ignarum a tergo irrident : ita et nunc ii, qui te laudibus celebrant, fœno tibi imposito, inter se irrident coronatum : et utinam fœnum tantum imponerent ! Nunc autem multo etiam damno plena est hæc corona, et recte facta omnia nostra perdit. Considerata igitur ejus vilitate, damnum illud fugito. Quot enim vis laudatores habere ? an centum, an bis plures, an ter aut quater ? imo si velis, decies et undecies, aut vigesies, sintque bis aut quater mille ; imo si placet, decies mille tibi plaudant : at illi nihil a graculis superne clamitantibus differunt : imo vero si cogitaveris angelorum theatrum, hi vermibus viliores videbuntur, illorumque præconium araneis, fumo et somniis infirmius. Audi igitur quomodo Paulus, qui hæc accuratius perpenderat, non solum non illa quærat, sed etiam depellat, dicens : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Christi* (*Gal.* 6. 14). Hanc et tu quoque gloriationem æmulare, ne Dominum irrites. Nam dum hæc facis, Deum contumelia afficis, non te tantum. Neque enim si pictor esses et discipulum quemdam haberes, qui ea quæ artis sunt tibi ostendere contemnens, tabellam foris observantibus exhiberet, id patienter ferres. Quod si in conservis hoc contumelia est, multo magis apud Dominum. Quod si aliunde discere velis, quomodo rem contemnas, mente sublimis esto, visibilia irride, veræ gloriæ amorem auge, spirituali sensu plenus esto, dic animæ tuæ ut Paulus, *Nescis quia angelos judicabimus* (1. *Cor.* 6. 3)? illamque sic erectam, corripe et dicito : Quæ angelos judicatura es, ab immundis vis judicari, et cum saltatoribus, mimis, bestiariis, aurigis laudari ? has enim hi laudes sectantur. Tu vero hujusmodi clamore sublimiorem tibi alam parato, et æmulare deserti incolam Joannem, ac disce quantum ille turbam contemneret, adulatoresque videns, non vertebatur ; sed cernens omnes qui Palæstinam incolebant circum se effusos et mirantes ac perculsos, tali honore non inflabatur, sed etiam in illos insurgebat, et quasi cum adolescentulo quopiam loquens, tantum populum sic increpabat : *Serpentes, genimina viperarum* (*Matth.* 3. 7). Quamquam propter illum concurrebant, et urbes dimiserant, ut sacrum illud caput viderent : attamen nihil hujusmodi ipsum emollivit : procul enim erat a gloria et ab omni fastu liber. Sic et Stephanus videns eumdem populum, non se honorantem, sed furentem et dentibus stridentem, sublimior ira illorum effectus dicebat : *Dura cervice et incircumcisi cordibus* (*Act.* 7. 51). Sic et Elias præsentibus exercitibus et rege et populo toto, dicebat : *Usquequo utroque poplite claudicabitis* (3. *Reg.* 18. 21)? At nos omnibus adulamur, iisque servili animo famulamur, sic illorum ementes honorem. Ideo omnia sus deque versa sunt, et ab hac gratia excidimus, res Christianismi proditæ fuerunt, et omnia ob vulgi gloriam negliguntur. Eliminemus ergo hoc vitium : et tunc vere sciemus libertatem, portum et tranquillitatem. Nam gloriæ cupidus iis, qui tempestate jactantur, similis est semper, tremens, formidans, mille heris serviens : qui vero extra hanc tyrannidem est, similis est iis, qui in portu sedent, et pura libertate fruuntur. Ille vero secus, sed quotquot habet sibi notos, tot habet dominos, omnibusque servire cogitur. Quomodo ergo liberabimur ab hac gravi servitute ? Si aliam amemus gloriam ; eam nempe quæ vere gloria est. Quemadmodum enim eos, qui corpora amant, formosior conspectus vultus a priore abstrahit : sic et gloriæ hujus cupidos, resplendens gloria cælestis ab hac poterit abstrahere. Illam itaque respiciamus et accurate ediscamus, ut pulchritudinem ejus admirantes, hujus turpitudinem fugiamus, et multa fruamur voluptate in illaque perpetuo delectemur : quam nos omnes assequi contingat gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

Cap. 10. v. 14. *Quomodo igitur invocabunt eum, in quem non crediderunt? quomodo credent in eum, de quo non audierunt? quomodo audient sine prædicante? 15. quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est.*

1. Rursus a venia illos excludit. Quia enim dixerat : *Testificor illis, quod zelum Dei habeant, sed non secundum scientiam* ; et, *Ignorantes Dei justitiam, non subjecti fuerunt* ; ostendit deinde, quod talis ignorantiæ pœnas Deo debeant. Non sic tamen loquitur, sed probat illud per interrogationem, et clarius reddit argumentum per objectionem et solutionem, totum texit hunc locum. Perpende autem : Olim, inquit, *Dixit propheta, Quisquis invocaverit nomen Domini salvus erit*. Verum forte quis dixerit : Quomodo poterunt eum invocare, in quem non crediderunt ? Deinde

post objectionem interrogatio sequetur : Et cur non crediderunt? Rursusque objectio : potest enim quis dicere, Quomodo poterant credere, cum non audissent? Atqui audierunt, inquit. Deinde alia iterum objectio, quomodo audire poterant sine prædicante? statimque postea solutio : Atqui multi prædicaverunt et ad hoc missi sunt. Et unde liquet illos ipsos esse qui missi sunt? Tunc demum inducit prophetam dicentem : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (*Isai.* 52. 7)! Viden' quomodo a prædicationis modo præcones declaret? Nihil enim aliud illi circumeuntes dicebant, nisi illa bona ineffabilia et pacem illam inter Deum et homines factam. Itaque dum non creditis, non nobis increduli estis, sed Isaiæ, qui ante multos annos dixit, quod mittendi essemus, quod prædicaturi et dicturi ea quæ diximus. Si itaque salus sit ex invocatione, invocatio ex fide, fides ex auditu, auditus ex prædicatione, prædicatio ex missione, illi vero missi sunt et prædicaverunt, et cum illis propheta circuibat illos ostendens, et prædicans dicensque : Hi sunt, quos a multis retro temporibus manifestabam, quorum etiam pedes celebrabam ob prædicationis modum : palam est igitur, quod non crediderint, illorum culpa factum esse : nam a Deo omnia impleta sunt. 16. *Sed non omnes obedierunt evangelio. Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro* (*Isai.* 53. 1)? 17. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Quia rursus aliam objectionem inducebant dicentes : Atqui si hi sunt qui missi, atque a Deo missi sunt, oportebat omnes obedire : vide Pauli prudentiam, quomodo nempe illud ipsum, quod turbas excitabat, omnes turbas et tumultus tollere ostendat. Quid enim te offendit, inquit, o Judæe, post tale tantumque testimonium et rerum demonstrationem, quod omnes non obedierint evangelio? Hoc ipsum cum aliis conjunctum, dictorum fidem tibi facere potest, quod non omnes obediant : nam hoc jam olim prædixit propheta. Et perpende ineffabilem sapientiam, quomodo plus ostendat quam ipsi exspectabant aut se confutaturos sperabant. Quid enim dicitis, inquit? quod non omnes obedierint evangelio? Sed et hoc olim prædixit Isaias; imo non hoc tantum, sed longe amplius. Vos enim accusatis, cur non omnes audierint; Isaias vero plus quam hoc dicit. Quid enim ait? *Domine, quis credidit auditui nostro?* Deinde postquam hunc sustulit tumultum, propheta interposito, rursus priorem exsequitur seriem. Postquam enim dixerat, invocandum esse, et eos qui invocaturi erant, credere oportuisse, et qui credituri erant, audire debuisse, audituros prædicatoribus opus habuisse, prædicatores autem mitti oportuisse; et ostenderat missos illos fuisse et prædicavisse : aliam inducturus objectionem, occasione primo sumpta ex alio prophetæ testimonio, quo paulo prius allatam objectionem solvit, ita illam nectit et jungit præcedentibus. Quia enim prophetam induxerat dicentem, *Domine, quis credidit auditui nostro?* opportune testimonio accepto dicit, *Ergo fides ex auditu.* Hoc autem non simpliciter posuit; sed quoniam singulis temporibus signa quærebant Judæi, ipsamque resurrectionem videre cupiebant, et multi ad hæc inhiabant, ait ille : Atqui propheta prænuntiavit oportere nos ex auditu credere. Idcirco prius arguit ille, dicens : *Ergo fides ex auditu.* Deinde quia hoc demissius videbatur esse, vide quomodo illud sublimius efficiat. Non simpliciter audiendum esse dixi, inquit, nec quod humana verba audire oporteat et credere; sed de auditu magno loquor : est enim auditus per verbum Dei. Neque enim quæ sua erant, sed quæ a Deo didicerant audiebant : quod sublimius est, quam ipsa signa. Deo enim sive dicenti, sive mirabilia patranti perinde credere et obsequi oportet. Etenim opera et miracula ex verbis illius sunt, siquidem et cælum et cætera omnia sic constituta sunt.

2. Cum igitur ostendisset credendum esse prophetis, qui semper ea, quæ Dei sunt, loquuntur, nihilque præter Dei auditum quærendum esse, inducit demum illam, quam dixi objectionem, et ait : 18. *Sed dico, Numquid non audierunt?* Quid enim, inquit, si missi sunt qui prædicarent, et si ea quæ jussi sunt prædicarunt, hi vero non audierunt? Deinde cum hyperbole omni objectionis solutio affertur : *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* 18. 5). Quid dicis, inquit? non audierunt? Orbis et fines terræ audierunt; et vos etiam, quibuscum prædicatores tanto tempore versati sunt et vestrates, annon audistis? ecqua ratione illud stare possit? Si enim termini terræ audierunt, multo magis vos. Deinde alia sequitur objectio : 19. *Sed dico, Numquid Israel non cognovit?* Quid enim, si audiere quidem, nec dicta intellexere, neque novere quod illi missi essent? annon ob talem ignorantiam venia digni sunt? Minime. Nam Isaias illos depinxit, dicens : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem!* et ante hunc ipse etiam legislator : quapropter addit : *Primus Moyses ait : Ego provocabo vos in eo, qui non est populus; in gente stulta irritabo vos* (*Deut* 32. 21). Itaque hinc oportebat prædicatores illos cognoscere : non solum ex eo, quod illi non crediderint, nec ex eo, quod pacem illi annuntiarint, nec ex eo, quod bona illa evangelizaverint, nec quod verbum per orbem terrarum disseminatum sit, sed ex eo, quod eos qui se inferiores, nempe qui ex gentibus erant, in majori honore viderent. Quæ enim numquam vel ipsi vel majores sui audierant, hæc repente philosophabantur ipsi : quod cum auctioris esset honoris, illos mordebat, ad æmulationem ducebat, et in mentem revocabat istam Moysis prophetiam, *Provocabo vos in eo, qui non est populus.* Non modo enim honoris magnitudo illos ad æmulationem conjicere poterat; sed quod gens illa quæ his fruebatur, adeo vilis esset, ita ut ne quidem pro gente aliqua reputaretur. *Ego enim*, inquit, *provocabo vos in eo, qui non est populus, et in gente stulta irritabo vos.* Quid enim Græcis stultius erat, quid vilius? Vide quomodo in omnibus indicia et signa clara horumce temporum dederit illis Deus, ita ut illorum cæcitatem illuminaret. Non enim in

angulo parvo hoc factum est; sed in terra, in mari et ubique terrarum : videbantque eos, qui sibi ante despectui erant, innumeris fruentes bonis. Cogitandum ergo erat, hanc ipsam esse gentem, de qua dixerat Moyses, *Provocabo vos in eo, qui non est populus, in gente stulta irritabo vos.* An Moyses solus hoc dixit? Nequaquam; sed etiam Isaias post illum. Quare Paulus dixit : *Primum Moyses*, ostendens alterum accessurum esse, qui hæc et clarius et liquidius diceret. Ut igitur superius dixit, *Clamat Isaias :* sic et hoc loco, 20. *Isaias autem audet et dicit;* ac si diceret, Contendit ut nihil obscurum proferat, sed res ante oculos nostros nudas exponat; imo maluit periclitari clare loquendo, quam suæ prospicere saluti, si umbram vobis ad tegendum ingratum animum relinqueret : quamquam prophetiæ non esset res tam clare enuntiare. Attamen ut magis ora vobis obstrueret, admodum clare et dilucide omnia prædicit. Qualia hæc omnia? Et lapsum vestrum, et illorum introductionem, sic loquens : *Inventus sum ab iis, qui me non quærebant : conspicuus factus sum iis, qui me non interrogabant* (*Isai.* 65. 1). Quinam ergo sunt non quærentes, qui non interrogantes? Palam est non esse Judæos, sed gentiles, qui numquam Deum noverant : ut igitur Moyses signanter indicavit eos, dicens, *Non gente*, et, *Gente stulta :* sic et hoc loco eos ex eodem signo et argumento notos reddit, a grandi nempe ignorantia. Maxima vero Judæorum accusatio erat, quod qui non quærebant invenerint, et qui quærebant perierint. 21. *Ad Israelem autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem.* Viden' quomodo illud, quod in dubio erat et a multis in quæstionem vocabatur, jam olim dictum, et in propheticis verbis claro solutum deprehenditur? Quid illud est? Audisti Paulum ante dicentem? *Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprenderunt justitiam : Israel vero, qui sectabatur legem justitiæ, ad legem justitiæ non pervenit.* Hoc ipsum et Isaias hic dicit. Illud enim, *Inventus sum a non quærentibus me, conspicuus factus sum iis, qui de me non interrogabant;* idipsum est, ac si diceret : *Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam.* Deinde ostendens id, quod factum fuerat, non ex sola Dei gratia esse, sed etiam ex accedentium voluntate; ut etiam illorum lapsus, ex non obsequentium contentione, audi quid adjiciat : *Ad Israelem vero dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem;* diem hic totum præteritum tempus dicens; expandere manus autem, vocare, attrahere et exhortari significat. Deinde, ostendens totum crimen eorum esse, ait, *Ad populum non credentem et contradicentem.*

3. Viden' quanta sit accusatio? Hi ne quidem vocanti obsequuti sunt; sed et contradixerunt, non semel, non bis, non ter, sed omni tempore, dum hæc facientem viderent : alii vero, qui numquam ipsum noverant, potuerunt ipsum attrahere. Sed non dicit, quod ipsi potuerint Deum attrahere; sed eorum, qui ex gentibus erant, fastum dejiciens, et ostendens gratiam ipsius totam operatam esse, ait : *Ego conspicuus factus sum*, et, *Ego inventus sum.* Ergo illi, inquies, omnino vacui sunt? Minime : nam quod ea quæ inventa sunt acceperint, et quæ apparuerunt agnoverint; hoc ex se attulerunt. Deinde ne hi dicerent, Cur ergo non nobis conspicuus factus es? quod majus illo est ponit : Non modo conspicuus factus sum, sed etiam perseveravi manus extendens et exhortans, paterni amoris et maternæ dilectionis curam exhibens. Vide quam claram difficultatum omnium priorum solutionem attulerit, ostendens ex illorum voluntate perniciem ipsis advenisse, et omnino venia indignos esse. Etenim auditis etiam et intellectis iis quæ dicta sunt, neque sic accedere voluerunt. Et quod multo majus est, non modo curavit, ut illa audirent et intelligerent; sed etiam id adjecit, quod magis poterat contentiosos et contradicentes attrahere. Quodnam illud est? Quod eos pungeret et ad æmulationem provocaret. Nostis enim hujus passionis tyrannidem, et quantam vim habeat æmulationis natura ad contentionem omnem solvendam et ad lapsos erigendos. Ecquid hoc de hominibus dicatur, quando et in brutis et in tenellis infantibus multam vim exhibet? Etenim puellus sæpe hortanti patri non cessit, sed contentiosus mansit; cum autem videt alium puerulum curari, tunc nec vocatus ad paternum sinum venit; et quod vocans pater non potuit, id æmulatio facit. Hoc igitur Deus quoque fecit. Neque enim solum advocavit, et manus extendit, sed etiam æmulationis in illis affectum movit, longe inferiores ipsis (id quod maxime æmulationem movet) introducens, non in bona ipsorum, sed quod majus erat, et quod tyrannicum morbum maxime augebat, in multo majora et magis necessaria, et quæ numquam illi vel per somnium imaginati fuerant. Sed neque ita cesserunt. Qua ergo illi venia digni fuerint, qui tam ingentem contentionem exhibuere? Nulla. Verum id ille non dicit, sed ad complementum dictorum audientium conscientiæ colligendum relinquit : : : rursum illud cum solita sapientia adstruit. Nam quod jam prius fecerat, objectiones inducens, et circa legem et circa populum, majorem accusationem continentes deinde in solutione, quæ objectionem confutat, tamen concedens quanta volebat et res ferebant, ut non onerosus sermo videretur : id hoc loco facit, ita scribens. (*Cap.* 11) 1. *Dico igitur : Num repulit Deus populum suum, quem ante cognoverat? Absit?* Dubitantis personam inducit, quasi ex iis quæ dicta sunt ordiens et hoc terribile ponens, illo sublato, id quod sequitur acceptabile reddit, et quod per ea, quæ supra dicta sunt, omnia demonstrare conatus est, id hic etiam adstruit. Quodnam illud est? Quod, etsi pauci sint qui salvi fiunt, stat tamen promissio. Ideo non simpliciter posuit, *Populum*, sed adjecit, *Quem ante cognoverat.* Deinde pergens demonstrationem affert quod populus repulsus non fuerit. *Nam et ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin.* Ego, inquit, doctor et prædicator. Quia igitur hoc contrarium esse videbatur iis, quæ supra dicta sunt, nempe *Quis credidit auditui nostro?* et, *Tota die expandi m.*

nus meas ad populum non credentem et contradicentem: et, *Provocabo vos in non gente*; non contentus, quod negasset et dixisset, *Absit*, illud rursus resumens probat, et dicit, 2. *Non repulit Deus populum suum*. Atqui illud non est probatio, inquies, sed negatio. Vide igitur probationem priorem et sequentem. Prima quidem erat probare, se quoque ex illis esse: si vero Deus illos repulsurus fuisset, non illum ex hoc genere elegisset, cui prædicationem totam et res totius orbi concrediturus erat, atque mysteria omnia, et œconomiam universam. Hæc ergo una est probatio: secunda sequitur, cum dicit: *Populum, quem ante cognoverat*; id est, quem clare sciebat idoneum esse, et fidem esse accepturum. Nam ter mille et quinquies mille et innumeri ex illis crediderant.

4. Ne quis enim diceret: Tunc populus es? et Quia tu vocatus fuisti, populum dicis fuisse vocatum? subdidit: *Non repulit populum suum, quem ante cognoverat*. Ac si diceret, Mecum habeo ter mille, quinquies mille, et decies mille. Quid ergo? an in tribus millibus, quinquies millibus, decies millibus, consistet semen illud, quod stellas cæli et arenam maris numero æquabat? et sic nos decipis et circumvenis, cum teipsum et paucos, qui tecum sunt, pro toto populo ponis: et vana nos inflasti spe, promissionem impletam esse dicens, cum omnes pene perierint et ad paucos salus pervenerit? Hæc jactantia et fastus sunt: neque hæc sophismata ferre possumus. Ne itaque illa dicerent, vide quomodo per sequentia solutionem afferat, objectionem quidem non ponens, sed, ante illam, solutionem ejus ex veteri historia adstruens. Quænam est igitur solutio? *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura? quomodo interpellet Deum adversus Israel?* 3. *Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam* (3. *Reg.* 19. 10). 4. *Sed quid dicit ei divinum responsum? Reliqui mihi septem millia, qui non curvaverunt genu ante Baal.* 5. *Sic igitur et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ fuerunt.* Ac si diceret: Non repulit Deus populum: si enim repulisset, neminem suscepisset; si vero quosdam suscepit, non repulit. Atqui, inquies, nisi repulisset, omnes suscepisset. Nequaquam: nam Eliæ tempore in septem millibus salus conclusa est; et nunc verisimile est multos esse qui credunt. Quod si id vos ignoratis, nihil mirum, quando et propheta ille, talis tantusque vir, ignorabat; sed Deus, ipso ignorante propheta, res suas dispensabat. Perpende autem apostoli prudentiam, quomodo dum propositum suum probat, Judæorum accusationem latenter augeat. Ideoque totum illud testimonium memorat, ut illorum ingratum animum palam faciat, ostendatque illos jam olim tales fuisse. Nisi enim hoc voluisset, sed unum tantum monstrare studuisset, quod in paucis comprehensus esset populus, dixisset utique etiam Eliæ tempore septem mille relictos fuisse: nunc autem a principio testimonium totum legit. Ubique enim ostendere studet, nihil illos novi circa Christum et apostolos fecisse, sed quæ consue- [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] persona. [illegible] Petrus [illegible] illos maxime [illegible] prophetarum, [illegible] repletus erat, [illegible] hodiernum usque [illegible] ait? *Domine, prophetas* [illegible] *subverterunt, et ego relictus* [illegible] *mam meam*: Quid hac [illegible] Cum enim pro sceleribus [illegible] cari oportuisset, illi etiam [illegible] quæ omnia illos ab omni [illegible] Neque enim fame prævalente, [illegible] tate, sublato pudore, dæmonibus [illegible] Deique demonstrata potentia, ac ipso [illegible] bente, hæc illi ausi sunt, a cædibus ad [illegible] rantes, atque doctores suos, qui se corrigere [illegible] bantur, occidentes. Quid enim dicere [illegible]? [illegible] quod et illi deceptores essent? num quod [illegible] unde essent? At vobis molestiam intulerunt? Verum illi salubria dixere vobis. Cur etiam altaria [illegible] estis? an altaria vos læserunt? an ad iram concitarunt? Vide quantæ protervlæ, quantæ contumeliæ semper exempla dederint. Ideo sibi Paulus hæc ad Thessalonicenses scribit: *Eadem passi estis, et vos a propriis contribulibus, quæ ipsi a Judæis, qui et Dominum occiderunt et prophetas suos, nosque persequuti sunt, ac Deo non placent, hominibusque adversantur* (1. *Thess.* 2. 14. 15). Id quod etiam hic dicit: quod altaria diruerint et prophetas occiderint. Sed quid dicit illi oraculum? *Reliqui mihi septem millia virorum, qui genu non flexerunt ante Baal* (3. *Reg.* 19. 18). At, inquies, quid hæc ad præsentia? Plurimum sane ad institutum nostrum: illa cum præsentibus admodum consonant. Hinc enim probat Deum semper, etsi gentem totam promissio spectet, illos tantum, qui digni sunt, salute donare. Hoc jam supra ostendit cum dixit: *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvabuntur*; et, *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma facti essemus* (*Rom.* 9. 27, 29). Ex his quoque illud ostendit, ideoque subjungit: 5. *Sic et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt.*

5. Vide quomodo quæque lectio suam servet nobilitatem, ac Dei gratiam et eorum qui salute donantur probitatem commonstret. Cum enim dicit *Electionem*, illorum probitatem ostendit; cum autem addit, *Gratiæ*, Dei donum. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non esset gratia.*

Si vero ex operibus, jam non gratia, siquidem et opus jam non erit opus. Rursum ex his dictis Judæorum contentioni occurrit, illisque adversatur, omni exclusos venia declarans. Non enim, inquit, potestis dicere: Prophetæ quidem vocarunt, Deus hortatus est, res ipsæ clamabant, et ad nos pertrahendos æmulatio ipsa satis erat: verum onerosa jussa erant, ideoque non potuimus accedere, quia opera et gesta requirebantur, ipsaque laboriosa: hoc obtendere non potestis. Quomodo enim hæc a vobis exegisset Deus, queis gratia sua obscurata fuisset? Hæc vero dixit ut ostenderet se illorum salutem admodum desiderare. Neque enim ipsis salus facile obtigisset tantum; sed etiam id Deo maximæ gloriæ fuisset, quo benignitatem suam ostensurus erat. Cur ergo accedere timuisti, cum abs te opera non exigerentur? cur contendis et digladiaris, gratia proposita, et legem mihi temere profers? neque enim ex illa salutem consequeris, et donum labefactas. Si enim ex illa te servari posse contendas, hanc Dei gratiam tollis. Deinde ne putarent rem esse peregrinam, prolata illa septem millia virorum ex gratia salutem nacta esse dicit. Cum enim dicit, etiam hoc tempore reliquias secundum electionem gratiæ esse, ostendit illos etiam ex gratia salvos fuisse; neque hinc tantum probatur, sed etiam quod dicat: *Reliqui mihi ipsi:* nam hinc declarat se majorem partem intulisse. Si per gratiam, inquies, cur non omnes salute donamur? Quia non vultis: gratia quippe, licet gratia sit, volentes se servat, non nolentes, qui ipsi perpetuo adversantur, ipsamque propulsant. Viden' quomodo illud semper probet, *Non autem quod verbum Dei exciderit* (*Rom.* 9. 6), ostendens promissionem ad eos qui digni erant pertigisse: atque hos, licet pauci sint, esse posse populum Dei. Quamquam initio Epistolæ, id cum majore vehementia posuerit, dicens: *Quid enim, si quidam non crediderunt* (*Rom.* 3. 3)? neque hic gradum sistens, sed addens: *Sit autem Deus verax, omnis autem homo mendax*. Et nunc rursum id alia ratione probat, gratiæque vim ostendit: et semper alios quidem servari, alios perire dicit. Gratias ergo illi agamus, quod ex servatorum numero simus, quodque cum non possemus ex operibus salutem nancisci, ex Dei dono servati simus. Neque verbis tantum gratias agamus, sed etiam operibus et gestis. Hæc quippe sincera est gratiarum actio, cum ea facimus, queis Deus cum gloria celebrandus est; cum illa fugimus, a quibus erepti sumus. Etenim si, postquam regem contumelia affecimus, loco meriti supplicii honore donati, rursum ipsi contumeliam inferamus, ob animum summe ingratum extremas jure dabimus pœnas, et longe majores quam alias prius debitas. Prima quippe contumelia non perinde nos ingratos exhibuit, atque illa, quam post honorem et redintegratam gratiam intulimus. Fugiamus ergo illa, a quibus erepti sumus, neque ore tantum gratias agamus, ne de nobis dicatur: *Populus hic labiis me honorat, corde autem longe est a me* (*Isai.* 29. 13). Quomodo enim absurdum non fuerit, quando cœli quidem enarrant gloriam Dei, te, cujus causa cœli, qui Deum laudant, facti sunt, talia patrare, ob quæ Deus creator tuus blasphemetur? Ideoque non ille solum qui blasphemat, sed tu quoque supplicio obnoxius es. Cœli namque non voce Deum glorificant, sed alios conspectu suo ad id inducunt, et tamen ipsi dicuntur enarrare gloriam Dei. Ita ii, qui mirabilem exhibent vitam, licet taceant, Deum gloria celebrant, dum ex conspectu suo alios ad Deum laudandum concitant. Neque enim tantam Deus ex cœlis, quantam ex vita pura gloriam refert. Cum ergo gentiles alloquimur, non cælos in medium adducimus, sed homines illos, quos brutis antea deteriores eo adduxit Deus, ut cum angelis concertarent: atque per hanc mutationem illorum ora obstruimus.

6. Etenim homo ipso cælo multo melior est, qui potest animam possidere ipso cælo pulchriorem. Cælum quippe, etsi tanto tempore visum, parum profuit ad persuadendum; Paulus vero prædicans brevi totum orbem attraxit. Animam quippe possidebat cælo non minorem, quæ omnes ad se trahere posset. Nostra quippe anima ipsa terra indigna est; illius autem anima cælo comparanda. Cælum quippe suum servat semper terminum et normam; Paulinæ vero animæ sublimitas omnes transcendit cælos, ac cum ipso Christo conversatur: tantaque erat illius pulchritudo, ut Deus illam prædicaret. Astra cum crearentur, mirabantur angeli; hunc autem ipse Christus miratus est, dicens, *Vas electionis est mihi* (*Act.* 9. 15). Et hoc quidem cælum nubes sæpe obtegit; Pauli vero animam nulla umquam operuit tentatio, sed in tempestatibus illa ipso meridie splendidior erat, ac perinde lucebat atque ante nubium incursum. Sol etenim in illo splendens non tales emittebat radios, qui possent ex tentationum concursu obscurari, sed tunc maxime illi effulgebant. Ideo dicebat: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus mea in infirmitate perficitur* (2. *Cor.* 12. 9). Imitemur ergo illum, et hoc cælum nobis comparatum nihil erit, si voluerimus, neque sol, neque mundus totus: illa enim omnia propter nos facta sunt, non nos propter illa. Ostendamus nos dignos fuisse, ut propter nos ista crearentur. Nam si his indigni videamur, qua ratione regno digni erimus? Et si solis conspectu indigni sunt ii omnes, qui ad blasphemiam Dei vivunt; indigni etiam sunt, qui fruantur creaturis, quæ illum celebrant. Nam et filius qui patrem contumelia afficit, indignus est qui proborum famulorum ministerio fruatur. Idcirco opera Dei multa fruentur gloria; nos autem supplicium et pœnas dabimus. Quam miserum ergo fuerit, si creatura, quæ propter te facta est, in libertatem gloriæ filiorum Dei conformetur; nos vero, qui filii Dei facti sumus, ob ingentem ignaviam in perniciem mittamur et gehennam; nos, inquam, propter quos creaturæ magna illa fruentur felicitate? Ne hoc itaque contingat, si qui animam puram possidemus, illam hoc in statu servemus; imo ejus splendorem augeamus: si vero sordidam habeamus, ne desperemus: etenim ait ille: *Si fuerint peccata vestra*

velut phœniceus color, quasi nivem dealbabo : et si fuerint ut coccinum, quasi lanam albam reddam (*Isai.* 1. 18). Cum autem Deus promittit, ne dubites ; sed illa facito, queis hæc promissa ad te trahere poteris. Innumera et gravia perpetrasti mala? Et quid hoc? Nondum enim in infernum delapsus es, ubi nemo confitebitur : nondum solutum est theatrum tuum, sed in stadio es, ac potes ultimo certamine omnes acceptas clades restaurare : nondum eo venisti, quo dives ille, ut audias, quia *Chaos inter nos et vos est* (*Luc.* 16. 26) : nondum enim advenit sponsus, ut quis timeat de suo subministrare oleo : adhuc potes emere ac deponere. Nec est jam qui dicat, *Ne forte non sufficiat nobis et vobis* (*Matth.* 25. 9); sed multi sunt qui vendunt, nudi, famelici, infirmi, qui in carcere sunt. Hos ale, illos indue, jacentes visita, et oleum plus quam fontes scaturiet. Nondum rationis reddendæ tempus advenit. Tempore ut par est utere : debitorum partes amputato, atque ei, qui centum cados olei debet, dicito : *Accipe cautionem tuam, et scribe quinquaginta* (*Luc.* 16. 6). In pecuniis, in verbis, in aliisque omnibus idipsum facito, œconomum illum imitatus. Ad hæc agenda et te et cognatos hortare. Adhuc in te est hæc dicere : nondum enim necesse tibi est pro hac re alium rogare, sed penes te est et tibi et aliis hoc consilium dare : cum autem illo abieris, neutrum ut oporteret facere poteris : ac jure merito. Cum enim tantum præstitutum tempus acceperis, neque tibi neque alteri utilis fueris : quomodo poteris in judicis potestate constitutus hanc consequi gratiam? Hæc itaque omnia colligentes, saluti nostræ diligenter advigilemus, nec vitæ præsentis opportunitatem prodamus. Possumus enim, utique possumus ad usque extremos halitus Deo placere : possumus etiam in testamento probe agere, non perinde atque in vita, sed possumus tamen. Quomodo et qua ratione? Si cum heredibus tuis Christum adscribas, et sortis partem ipsi attribuas. Non pavisti illum dum viveres? Saltem in decessu, cum non ultra his frui potes, partem ipsi bonorum adscribe : benignus est, nec abs te rationes accurate expetit. Majoris quidem amoris signum et amplioris mercedis causa fuisset, si illum dum viveres aluisses : sed si hoc non feceris, hoc saltem secundo modo utere, coheredem ipsum filiis relinque. Quod si et illud facere hæsites, cogita Patrem ejus te coheredem ipsius fecisse, et inhumanitatem abjice. Quam enim excusationem habiturus es, si illum neque filiorum coheredem constitueris, qui te cælorum consortem fecit, et pro te occisus est? Atqui ille quæcumque fecit, non ex debito fecit, sed gratiam suam exhibuit : tu vero post tot beneficia debitor effectus es. Attamen cum res ita se habeat, ut qui gratiam acceperit, non ut qui debitum expetierit, ita te coronat, cum sua recepturus sit.

7. *Quæ in testamentis dantur utilia sunt animæ.* — Da illi ergo pecunias tibi deinceps inutiles, quæ non ultra in potestate tua erunt; et dabit ille tibi regnum perpetuo usui tibi futurum, et cum regno hæc quoque bona largietur. Si enim filiorum coheres fuerit, orphanos juvabit, molestias solvet, insidias propulsabit, sycophantarum ora obstruet : et si ipsi filii non possint testamenti exsequutioni præesse, ipse præerit, nec sinet ipsum infringi Quod si ipse concedat, quæ in illo descripta sunt omnia implebit cum majori diligentia, quia in ipso cum honore descriptus fuit. Relinque igitur ipsum heredem : ad illum quippe abiturus es : ille judicium feret de omnibus, quæ hic gesta sunt. Verum quidam sunt ita miseri et infelices, ut cum liberos non habeant, id tamen præstare nolint ; sed parasitis et adulatoribus, huic et illi malint sua distribuere, quam Christo, qui tot illis beneficia contulit : quibus quid magis a ratione absonum fuerit? Hos si cum asinis et lapidibus quis conferat, nihil eorum stupiditate et amentia dignum dixerit : nec quis possit similitudinem eorum insania dignam proferre. Quam hi consequentur veniam, quod dum viverent Christum non aluerint, quando ne quidem ad ipsum abituri, de pecuniis, queis ultra non potientur, ne vel minimum quidpiam ipsi largiri volunt ; sed tam inimico et infesto sunt erga ipsum animo, ut ne de iis quidem, quæ sibi inutilia futura sunt, aliquid ipsi impertiri velint? Annon vides quot homines non hujusmodi decessu dignati sunt, sed rapti subito decesserunt? Tibi vero Deus id concessit, ut rebus tuis consuleres, ac de bonis tuis decerneres, deque tuis omnibus disponere posses. Quam ergo excusationem habebis, quando hac accepta gratia, ipsius beneficentiam prodis, et quasi ex diametro oppositus es iis, qui in fide majores tui fuere? Illi namque viventes omnia vendebant, ferebantque ad pedes apostolorum ; tu vero ne moriens quidem aliquam bonorum partem egenis largiris. Melius certe fuerit, ac multam attulerit fiduciam, si dum vivis paupertati opem feras : si autem id nolueris, saltem moriens aliquid generosi præstes. Id certe non magnam exhibet erga Christum caritatem : exhibet tamen aliquam. Etiamsi enim non cum agnis priores sedes occupaturus sis, at non parva res saltem post illos esse, nec cum hircis vel ad sinistram stare. Quod si ne hoc quidem facias, qua, quæso, ratione servari poteris, cum nec mortis metus, nec relictarum pecuniarum tibi futura inutilitas, neque hinc relictum filiis patrocinium, neque quod tibi magnam inde veniam parias : quando, inquam, hæc omnia non te ad benignam largitionem attrahunt? Quamobrem obsecro et oro, ut dum vivitis potiorem bonorum partem egenis largiamini. Si vero quidam ita pusillanimes sint, ut hoc facere non sustineant, saltem ex necessitate benigni et liberales fiant. Nam dum viveres, ac si immortalis fuisses, sic facultatibus hærebas tuis : nunc vero cum didiceris te mortalem esse, id quod decreveras solve, et quasi mortalis de bonis tuis constitue ; imo potius quasi immortali vita fruiturus. Nam etsi molestum et grave sit, quod dicturus sum, atque horrore plenum, necessario tamen dicendum est : annumera cum servis tuis Dominum. Servis tuis das libertatem? Libera Christum a fame, a necessitate, a carceribus, a nuditate. Inhorruisti hæc audiens? At horribilius erit,

si neque hoc præstiteris : , etsi hoc dictum tibi nunc tibi stuporem induxit ; cum vero illo abibis, et his longe graviora audies, atque intolerabilia tormenta videbis, quid dicturus es ? ad quem confugies ? quem auxiliatorem vocabis ? Abrahamum ? Sed non audiet ille. An virgines illas ? At neque illæ tibi oleum daturæ sunt. An patrem, an avum ? Sed horum nullus poterit, etiamsi admodum sanctus sit, sententiam illam solvere. Hæc ergo omnia tecum reputans, eum qui solus potest chirographum tuum delere, et flammam illam exstinguere, roga et obsecra tibique propitium redde, jam illum assidue pascens et vestiens, ut et hinc cum bona spe abeas, et illic constitutus æternis fruaris bonis : quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini, etc.

HOMILIA XIX.

CAP. 11. v. 7. *Quid ergo ? quod quærit Israel, hoc non est consequutus, electio autem consequuta est : cæteri vero excæcati sunt.*

1. Dixerat Deum non repulisse populum suum, ac præfatus quomodo non repulisset, rursus ad prophetas confugit ; et cum ex eorum testimonio ostendisset majorem Judæorum partem periisse, ne videretur rursum ex se accusationem proferre, et onerosum sermonem reddere, ipsosque hostili animo insectari, ad Davidem et Isaiam confugit, dicens : 8. *Sicut scriptum est : Dedit eis Deus spiritum compunctionis.* Imo altius nobis sermo resumendus est. Nam cum ea quæ ad Eliam spectabant dixisset, ostendissetque quid sit gratia, subjunxit, *Quid ergo ? quod quærit Israel, hoc non consequutus est.* Hoc autem non magis interrogantis, quam accusantis est. Secum, inquit, pugnat Judæus, quærens justitiam, quam non vult accipere. Deinde rursus venia illos privans, ab iis quæ acceperant ingratum illorum animum declarat his verbis : *Electio enim consequuta est.* Et illi hos condemnabunt : id quod etiam Christus dicebat : *Si autem ego in Beelzebul ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt ? Ideo ipsi judices vestri erunt* (*Luc.* 11. 19). Ne quis enim rei naturam incuset, sed illorum tantum animum, declarat eos qui consequuti sunt. Quamobrem id cum magna emphasi profert, et supernam gratiam, et illorum studium ostendens. Neque enim ut liberum arbitrium tolleret, dicit illos consequutos esse, sed ut bonorum magnitudinem indicaret, ac majorem partem, nec tamen totum ex gratia fuisse. Nam etiam nos dicere solemus : Ille consequutus est ; ille invenit, quando multum lucri accessit. Neque enim ex humano labore, sed ex divino dono major pars venit. *Cæteri vero excæcati sunt.* Vide quandonam propria voce cæterorum ejectionem dicere ausus sit. Illam quidem jam dixit, sed ita, ut prophetas induceret accusantes ; hic vero ipse demum sententiam profert. Attamen neque hic sua contentus est sententia, sed Isaiam prophetam inducit : cum dixisset enim, *Excæcati sunt*, subjunxit, *Sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum compunctionis.* Et undenam hæc excæcatio ? Causas illius jam prius protulit, et totum in illorum caput convertit, ostendens id illos ex intempestiva contentione passos esse. Cum enim dicit, *Oculos ut non videant, et aures ut non audiant*, nihil aliud quam contentiosam illorum mentem criminatur. Nam cum oculos haberent, ut viderent miracula, et aures haberent, ut audirent mirabilem illam doctrinam ; nullo eorum, ut par erat, usi sunt. Illud vero, *Dedit*, ne putes operationem significare, sed concessionem. Compunctionem hic dicit affectum animi circa pejus, qui nec curari, nec mutari potest. Nam et alibi ait David : *Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar* (*Psal.* 29. 13) ; hoc est, non transferar, non immuter. Sicut enim is, qui cum pietate compungitur, non facile inde transfertur : ita is, qui in malitia compungitur, item non facile mutatur : compungi enim non aliud est, quam infigi et quasi clavis detineri. Insanabilem igitur, et multum difficilem animum illorum declarans, *Spiritum compunctionis* dixit. Deinde ostendens illos hujus incredulitatis extremas daturos esse pœnas, rursus inducit prophetam eadem comminantem, quæ evenerunt et fieri acceperunt. 9. *Fiat*, inquit, *mensa eorum in laqueum, et in captionem et in scandalum* (*Psal.* 68. 23) ; hoc est, illorum deliciæ omniaque bona mutentur et pereant, sintque omnibus captu faciles. Ostendensque illos hæc patientes peccatorum dare pœnas, subjunxit : *Et in retributionem ipsis.* 10. *Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* An hæc quoque aliqua egent interpretatione ? annon vel admodum insipientibus clara sunt ? Etiam ante, quam nos loquamur, ipse rerum eventus verbis i- dem fecit. Quandonam captu faciles fuerunt ? quandonam comprehensu faciles ? quandonam sic dorsum eorum incurvavit ? quandonam talem subierunt servitutem ? Quodque majus est, nulla erit harum calamitatum solutio : id quod et ipsum propheta subindicavit. Neque enim tantum dixit, *Dorsum eorum incurva* ; sed addidit, *Semper*. Si vero de fine contendas, o Judæe, a præteritis præsentia edisce. In Ægyptum descendisti ; sed postquam isthic ducentos emensus es annos, cito ab illa servitute liberavit te Deus, licet impie egeris et fornicationem gravissimam admiseris. Liberatus ab Ægypto vitulum adorasti, filiosque tuos Beelphegori immolasti, templum polluisti, nullam non sceleris speciem adiisti, ipsam naturam ignorasti, montes, saltus, colles, fontes, fluvios, hortos nefandis hostiis implevisti, prophetas occidisti, aras evertisti, culmen omne nequitiæ et impietatis exhibuisti : attamen postquam te annos septuaginta Babyloniis tradidit, rursus te ad pristinam libertatem reduxit, ac tibi templum et patriam restituit ; nec non priscum prophetiæ modum : et rursus prophetæ, rursus Spiritus gratia advenit. Imo et captivitatis quidem tempore derelictus fuisti ; sed in

Daniel et Ezechiel, in Ægypto Jeremias, et in deserto Moyses adfuere.

2. Post hæc autem ad priscam reversus es nequitiam, et debacchatus es, atque ad gentilium institutum te convertisti sub Antiocho impio : sed tunc quoque cum per tres annos et paulo amplius Antiocho traditi fuissetis, per Maccabæos splendida erexistis tropæa. At nunc nihil hujusmodi, sed contrarium prorsus evenit ; id quod maxime admirandum est, quod quæ ad malitiam pertinent cessarunt, quæ ad supplicium vero, adaucta sunt, nec ulla spes est mutationis. Neque enim septuaginta modo anni prætertierunt, neque centum, neque duplo amplius, sed treceati et ultra, nec spei umbra quæpiam comparet : et hoc, cum nec idololatriam exerceatis, neque illa perpetretis, quæ prisce ausi fuistis.

Judæi cur reprobati. — Quænam igitur causa est? Typum seu figuram excepit veritas, ac legem exclusit gratia : quæ jam olim propheta prænuntiavit : *Et dorsum eorum semper incurva.* Vidistin' prophetiæ accurationem, quomodo et incredulitatem prænuntiarit, et contentionem ostenderit, et inde sequuturam ultionem declararit, ac supplicium sine termino prædixerit? Quia enim multi ex crassioribus, qui futuris non credebant, ex præsentibus futura cognoscere cupiebant; hinc jam in utramque partem Christus potentiæ suæ specimen exhibuit, dum eos ex gentibus, qui crediderant, supra cælos extulit; Judæos vero, qui non crediderant, in extremam vastitatem deduxit, et insolubilibus malis tradidit. Illos itaque acrius insectatus, et ab incredulitate et ab iis, quæ passi et passuri erant, rursus dictis aliquam consolationem admiscet, ita scribens : 11. *Dico ergo : Numquid sic offenderunt, ut caderent? Absit.* Postquam ostenderat illos innumeris malis obnoxios, consolationem excogitat. Et observa Pauli prudentiam : accusationem ex prophetis sumptam induxit, consolationem vero ex se affert. Quod enim ab illis magna, inquit, peccata admissa fuerint, nemo negabit; videamus autem, an tantus sit lapsus ut remedium aut curationem non admittat. Verum non ita se res habet. Viden' quomodo rursus insectetur, et in ipsa consolationis exspectatione obnoxios illos faciat peccatis, quæ in confesso erant? Videamus autem, quam consolationem excogitet. Quænam ergo illa consolatio est? Cum autem plenitudo gentium intraverit, inquit, tunc omnis Israel salvus erit, in tempore secundi adventus et consummationis. Verum non hoc statim dicit; sed postquam vehementer in illos incesserat, et crimina criminibus, prophetas prophetis adjiciens adversus illos clamantes, Isaiam, Heliam, Davidem, Moysem, Osee, et semel et bis et pluries : ut ne hinc illos in desperationem injiciens, regressum ad fidem ipsis clauderet, et eos ex gentibus, qui crediderant in arrogantiam extolleret; neve hi inflati circa fidem læderentur : rursus illos consolatur, dicens, *Sed illorum delicto salus est gentibus.* Nos autem oportet hæc non simpliciter audire, sed mentem et scopum dicentis explorare, et quid conficere conetur : quam rem semper a caritate vestra expeto. Nam si hac mente dicta exceperimus, in his nullam videbimus inesse difficultatem. Id enim nunc curat, ut ex dictis, eorum qui ex gentibus erant arrogantiam deprimat; ita enim hi tutius poterant in fide manere, cum modeste agere didicissent; qui vero ex Judæis erant, a desperatione liberati, ad gratiam alacrius accedere. Ad hunc ergo scopum spectantes, omnia hoc in loco dicta audiamus. Quid ergo dicit? et quomodo ostendit Judæos non incurabiliter lapsos esse, nec usque in finem ejectos fuisse? Ex gentibus scilicet, ut ait : *Illorum delicto salus est gentibus, ut illos ad æmulationem provocaret.* Hic autem sermo non Pauli tantum est, sed in Evangeliis quoque hoc parabolæ significant. Nam qui nuptias filio paraverat, quia ii, qui vocati fuerant, venire noluerunt, tunc eos, qui in triviis erant, vocavit (*Matth.* 22. 9). Et qui vineam plantaverat, cum heredem agricolæ occidissent (*Matth.* 21. 38), tunc vineam aliis tradidit. Ac sine parabola ipse dixit : *Non missus sum, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* 15. 24). Syrophœnicissæ autem perseveranti aliquid amplius dixit : *Non est bonum*, inquit, *accipere panem filiorum, et dare canibus* (*Ibid. v.* 26). Et Paulus Judæis seditiose tumultuantibus : *Vobis nunc primum*, inquit, *necessarium erat loqui sermonem Dei ; quia vero vos indignos judicastis, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* 13. 46).

3. Atque ex his omnibus palam est, rerum quidem seriem illam fuisse, ut illi primi accederent, et postea gentiles : quia vero increduli fuerunt, ordo mutatus est, illorumque incredulitas et lapsus ut hi priores intrarent effecit. Ideo ait : *Illorum delicto salus est gentibus, ut ad æmulationem illos provocaret.* Quod si id, quod ex consequentia contigit, quasi primo factum dicat, ne mireris : vult enim illorum animos perculsos consolari. Hoc autem vult significare : Venit ad illos Jesus; illum sexcenta miracula patrantem non receperunt, sed crucifixerunt : gentes postea attraxit, ut honor illis collatus horum stupiditatem morderet, et sic ex contentione inter ambos orta, Judæis ut accederent persuaderet. Oportuerat enim illos primo accipere, et nos postea : ideo dicebat : *Virtus quippe Dei est ad salutem omni credenti, Judæo primum et Græco* (*Rom.* 1. 16) : quia vero illi resilierunt, nos qui secundi eramus, primi facti sumus. Viden' quantum illis hinc attribuat honorem : primo, quod dicat nos tunc vocatos fuisse, cum illi noluerunt; secundo, quod nos ideo vocatos dicat, non ut nos tantum salvi essemus, sed etiam ut illi salutem nostram æmulantes, meliores redderentur. Quid ergo, inquies? an nonnisi propter Judæos vocati et servati sumus? Certe ante illos nequaquam, sed convenienti ordine. Ideo cum discipulis loqueretur, non sic dicebat : Ite ad oves, quæ perierunt domus Israel ; sed, Ite (*Matth.* 28. 19 ; *Marc.* 16. 15), potius, ostendens ad illas, ad gentes scilicet, postea veniendum esse. Et Paulus rursum non dixit : Oportebat vobis annuntiari verbum; sed, *Vobis primo necessarium erat annuntiari*, significans, secundo nobis etiam annuntiandum fuisse. Hæc porro facta dictaque sunt, ut ne

impudentem quidem illi haberent excusationem, quod neglecti fuissent, ideoque non credidissent. Ideo Christus omnium præscius primum ad ipsos venit. 12. *Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum?* Hic ad gratiam illos alloquitur. Etiam si millies illi cecidissent, gentes non salvæ fuissent, nisi fidem suscepissent; sicut etiam Judæi non periissent, nisi increduli et contentiosi fuissent. Verum, ut dixi, illos jacentes consolatur, ex abundanti satagens, ut fiduciam illis adipiscendæ salutis inferat, si tamen mutentur. Nam si, inquit, tunc cum lapsi sunt tot ex illis salutem nacti sunt, et si cum illi ejicerentur, tot sunt vocati: cogita quid futurum sit, quando illi conversi fuerint. Non enim dixit, Quanto magis conversio eorum, vel mutatio eorum, vel correctio eorum, sed, *Quanto magis plenitudo eorum;* id est, quando omnes accedent. Hoc porro dixit, ostendens tunc fore amplitudinem gratiæ ac doni Dei, ac fere totum dandum esse. 13. *Vobis enim dico gentibus: Quamdiu quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo,* 14. *si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis.* Rursus a prava suspicione se liberare satagit: et videtur quidem gentiles incessere, illorumque altos spiritus deprimere, sensim autem Judæum vellicat, et circuitione utitur, quærens illorum tantam perniciem allevare et solari, nihil vero invenit ob rerum naturam et conditionem. Nam ex iis quæ dixit, majori illi erant criminatione digni, quando illa, quæ eis parata erant, alii longe ipsis inferiores acceperant. Ideo a Judæis ad gentiles transit, deque his medium interserit sermonem, ut ostendat, se hæc omnia dicere, ut illos modeste agere doceat. Laudo vos, inquit, duplici nomine: primo quia id oportet me facere, cui ministerium vestrum concreditum est; secundo, ut per vos alios salvos faciam. Nec dicit, Fratres meos, Cognatos meos, sed, *Carnem meam.* Deinde ut contentionem Judæorum ostendat, non dicit, Si quo modo persuadeam; sed, *Si quo modo ad æmulandum provocem, ut salvos faciam,* neque hic dixit, Omnes, sed, *Aliquos ex eis;* ita nempe duri erant. Atque in ipsa hac increpatione rursus res gentilium splendidas esse ostendit. Licet autem illi sibi mutuo salutis causa sint; at non eadem ratione: sed Judæi quidem illis ex incredulitate, illi vero Judæis ex fide bonorum auctores fuerunt. Unde videntur ea quæ gentes spectant paria esse, imo redundare.

4. Quid enim dixeris, Judæe? an, si nos ejecti non fuissemus, vos non statim vocati fuissetis? At reponit gentilis, Si non salutem nactus fuissem ego, non ad æmulationem provocatus fuisses. Si autem scire velis, qua in re nos superiores simus: ego dum credo, salutem tibi pario; tu vero lapsus, aditum nobis dedisti ut priores accederemus. Deinde sentiens se illos tetigisse, priora resumit et ait: 15. *Si enim rejectio eorum, reconciliatio est mundi; quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis?* Sed et hoc rursum illos condemnat; si quidem alii ex illorum peccatis lucrati sunt, ipsi vero ne quidem ex illorum præclare gestis resipuere. Si porro id, quod ex necessitate contigit, illis attribuat, ne mireris: ut enim, quod jam sæpe dixi, hos reprimat et illos hortetur, sic sermonem temperat. Nam, ut dicebam, si millies rejecti fuissent Judæi, gentiles nisi fidem suscepissent, salutem nacti non fuissent. Sed infirmiori parti adest, et laboranti opitulatur. Vide autem in quibus gratificetur, verbis tantum illos consolans. *Nam si ejectio illorum,* inquit, *reconciliatio est mundi.* Et quid hoc ad Judæos? *Quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?* Sed neque hoc ad illos spectat, nisi assumpti fuissent. Hoc est: si Judæis iratus, tot tantaque aliis largitus est; quando cum illis reconciliatus fuerit, quid non largietur? Verum sicut resurrectio ex mortuis non est propter illorum assumptionem, ita neque salus nostra propter illos est; sed ejecti quidem sunt ob insipientiam, nos vero salutem nacti sumus ex fide et superna gratia. Horum vero nihil illis prodesse poterit, nisi congruentem fidem exhibeant. Cæterum ex solito sibi more ad encomium aliud sermonem transfert, quod encomium vere non est, etsi videatur esse, optimos medicorum imitatus, qui eatenus ægros solantur, quatenus morbi natura concedit. Quid enim ait? 16. *Quod si primitiæ sanctæ sunt, conspersio quoque sancta; et si radix sancta, et rami quoque;* primitias hic et radicem vocat, Abraham, Isaac et Jacob, prophetas et patriarchas, et quotquot in Veteri Testamento claruere; ramos autem eos, qui ex illis orti sunt credentes. Deinde quia objiciebant illi, multos non credidisse, vide quomodo id rursus amoveat, dicens: 17. *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt.* Atqui supra dicebas, multo plures periisse, et paucos salvos fuisse: quomodo ergo hic de iis qui periere dicis *Aliqui*, id quod paucos indicat? Non mihi, inquit, contradico, sed laborantes curare et reducere studeo. Viden' quomodo in hoc loco semper deprehendatur id curare, ut consoletur illos? Hoc si de medio tollas, multa sequentur contraria. Tu vero mihi consideres velim illius sapientiam, quomodo dum videtur pro illis dicere et consolationem excogitare, clam perstringat et omnis excusationis expertes dicat; idque a radice, a primitiis. Cogita ramorum malitiam, qui cum radicem dulcem non habeant, imitantur illam: malitiam quoque conspersionis, quando ne a primitiis quidem mutatur. *Quod si quidam ex ramis fracti sunt.* Atqui major pars fracta est; sed, ut dixi, vult illos consolari: ideoque non a seipso, sed ab illis sermonem inducit, in hoc quoque clam illos insectans, et ostendens illos ab Abrahami cognatione excidisse. Hoc enim erat, quod dicere studebat, ipsos nempe nihil commune cum illo habere. Nam si radix sancta est, hi vero non sancti sunt, sane procul a radice illi sunt. Deinde dum Judæum consolari videtur, rursus gentiles per accusationem insectatur: cum dixisset enim, *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt,* subjunxit: *Tu autem cum oleaster esses, insertus es.* Quanto enim vilior gentilis est, tanto magis dolet Judæus illum videns in iis quæ ad se pertinent deliciantem: gentili vero non tantus est a vilitate pudor, quantus a mu-

tione honor. Et vide Pauli sapientiam. Non dixit, [illegible]tus es, sed, *Insertus es;* in hoc rursus Judæum mordens, et ostendens in ipsius arbore gentilitiam illam stare, dum ipsa Judæi arbor humi jacet. Ideo non hic substitit, nec postquam dixit, *Insertus es*, discedit, etiamsi sic totum declarasset : attamen in ejus felicitate immoratur, ejusque celebritatem profert, dicens : *Et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es.* Videtur quidem gentilem quasi additamentum ponere; ostenditque ipsum nihil inde lædi, sed totum illud habere, quod habet ramus de radice ascendens. Etenim ne cum audis, *Tu vero insertus es*, imminutum illum esse putes, cum naturali ramo illum conferens, vide quomodo illum æqualem faciat, dicens : *Et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es;* in eamdem jactus es nobilitatem, in eamdem naturam. Deinde postquam increpavit et dixit : *Noli gloriari adversus ramos*, videtur quidem consolari Judæum, tamen ostendit illius vilitatem et ignominiam multam. Ideoque non dixit tantum, Ne glorieris; sed *Ne glorieris adversus illos*, ita ut illi abrumpantur : nam in illorum loco stas, illisque frueris.

5. Viden' quomodo videatur quidem increpare illos, Judæosque mordeat? 18. *Quod si gloriaris*, inquit, *non tu radicem portas, sed radix te.* Quid hoc ad ramos illos, qui excisi sunt? Nihil. Ut enim dixi, dum quamdam debilem consolationis umbram excogitare videtur, et cum contra gentiles invehitur, letalem Judæis plagam infert. Cum dixisset enim, *Ne glorieris;* et, *Si gloriaris, non tu radicem portas*, Judæo ostendit, tali gloriatione digna esse illa, quæ facta sunt, etsi gloriari non oporteat; illum excitans ad fidem, quasi patronus incessens, ostendensque illi quid damni pertulerit, et quod sua alii possideant. 19. *Dices ergo, Fracti sunt rami, ut ego inserar.* Rursum objectionis modo id quod priori contrarium est probat, ostendens se ea, quæ prius dixerat, non alia de causa dicta esse, quam ut Judæos pertraheret. Non ultra ex delicto illorum salus ad gentes accessit, neque delictum eorum divitiæ sunt mundi, neque ideo nos servati sumus, quod illi lapsi sint; sed contra omnino. Atque ostendit præcipuam vere esse illam erga gentes providentiam, etiamsi ea quæ dicta sunt aliud adumbrate significare videantur : totumque locum per objectionem texit, sese ab inimicitiæ suspicione liberans, et acceptabilem reddens sermonem. 20. *Bene.* Quod dictum est laudat : deinde terret denuo, dicens : *Per incredulitatem fracti sunt; tu vero fide insertus es.* Ecce rursus aliud gentilium encomium, et Judæorum accusatio. Sed rursus illorum fastum deprimit, ac subjungit : *Noli altum sapere, sed time.* Non enim naturæ negotium est, sed fidei et incredulitatis. Videtur quidem rursus refrenare gentilem; sed docet Judæum, non attendendum esse naturali cognationi : quapropter subjungit : *Noli altum sapere.* Non dixit, Humilis esto : sed, *Time :* nam arrogantia contemptum parit et ignaviam. Deinde illorum calamitatem tragice descripturus, ut tolerabilius loquatur, ac si gentilem increparet, hoc pacto loquitur. 21. *Si enim Deus naturalibus* [illegible]
sed. [illegible]
quod [illegible]
que reddens : [illegible]
mens. 22. [illegible]
eos quidem, qui [illegible]
nitatem, si [illegible]
Non dixit : Vide igitur [illegible]
res tuos; sed, Dei [illegible]
superna gratia [illegible]
Ob jactantiæ enim [illegible]
enim benignus erga te fuit [illegible]
que enim immobilia tibi sunt [illegible]
geras; ut nec illis mala, si [illegible]
inquit, nisi manseris in fide, excideris. 23. [illegible]
si non manserint in incredulitate, inserentur. [illegible]
Deus illos excidit, sed ipsi fracti sunt et [illegible]
Et bene dixit, *Fracti sunt :* [illegible]
ejecit, etsi sæpe et multum peccaverint. Viden' [illegible]
sit liberi arbitrii facultas? Quanta animi et voluntatis potentia? Nihil enim horum immobile est, nec bonum tuum nec illius malum. Viden' quomodo et illum desperantem erexerit, et hunc fidentem repressent? Neque ergo tu severitatem audiens, desperes; neque tu bonitatem audiens, confidas. Ideo te severe amputavit, ut reverti desideres; ideo erga te bonitatem exhibuit, ut perseveres. Nec dixit, In fide, sed, *In bonitate;* id est, si Dei benignitate digna feceris : neque enim fide tantum opus est. Viden' quomodo neque illos jacere permisit, neque hos altum sapere, imo et illos ad æmulationem provocavit; rursus per ea, quæ dixit, Judæo tribuens ut in ejus staret loco, quemadmodum et iste locum illius præoccupaverat? Et eum quidem qui ex gentibus est, per Judæos et per ea quæ Judæis contigerunt terret, ne adversum Judæos efferantur; Judæum vero per ea, quæ gentibus concessa sunt, fiduciam habere jubet. Nam tu quoque, inquit, si ignave te geras, excideris : et Judæus etiamsi excisus sit, si diligenter se gerat, inseretur : nam et tu quoque insertus fuisti. Ac prudenter admodum sermonem totum ad eum qui ex gentibus est convertit; uti semper facere solet, dum per firmiorum increpationem, infirmos corrigit. Hoc quoque facit in epistolæ fine, cum de ciborum observatione loquitur. Deinde non ex futuris modo, sed etiam ex præteritis idipsum adstruit; id quod magis auditorem persuadet. Utque ratiociniorum seriem invictam servet, primo ex potentia Dei demonstrationem ponit. Nam etiamsi illi abscissi et projecti fuerint, aliique illorum locum occuparint, ne desperes : *Potest enim*, inquit, *Deus iterum illos inserere;* qui etiam ea, quæ supra spem sunt, efficit.

6. Quod si rerum ordinem ac ratiociniorum seriem quæras, habes in te exemplum majoris potentiæ. 24. *Nam si tu*, inquit, *ex naturali excisus es oleastro, et præter naturam insertus es in bonum olivam; quanto magis hi, si secundum naturam inserantur in propriam olivam?* Etenim si fides id quod præter naturam erat potuit, multo magis secundum naturam poterit. Et si hic a pa-

tribus suis naturalibus excisus, præter naturam ad Abraham accessit; multo magis tu, quod tibi proprium est, accipere poteris. Ipsius enim gentilis malum secundum naturam est, utpote ex natura sua oleastri; bonum autem præter naturam: nam præter naturam in Abrahamo insertus est: contra vero, Judæe, bonum tibi secundum naturam adest: non enim in alienam radicem, ut ethnicus, sed in propriam insereris, si regredi velis. Qua igitur venia dignus eris, si cum ethnicus ea, quæ præter naturam erant, facere potuerit, tu, quod secundum naturam est facere non valeas, sed illud quoque prodas? Deinde quia dixerat, *Præter naturam*, et, *Insertus es;* ne Judæum aliquid amplius habere putares, rursus hoc ipsum corrigit dicens, ipsum quoque Judæum inseri; *Quanto magis hi*, inquit, *qui secundum naturam inserentur in propria oliva?* et rursus, *Potest Deus inserere illos.* Et antea dixerat, Si non maneant in incredulitate, inserentur. Cum audis autem præter naturam et secundum naturam, ne putes illum de hac immobili natura loqui; sed his nominibus decorum, indecorum, seriemque rerum vult significare. Neque enim ex natura sunt bona vel mala, sed ex voluntate et ex arbitrio tantum pendent. Perpende autem quam curet Paulus, ne onerosus sit. Cum dixisset enim, Et tu excideris, si non permanseris in fide; et hi inserentur, si non permanserint in incredulitate: relicto illo quod tristius erat, quod mansuetius est adstruit atque in hoc desinit, magnam Judæis spem faciens, si quidem voluerint. Quapropter subjungit: 25. *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes.* Mysterium hic, quod ignotum et arcanum est dicit, quod mirabile sit ac præter opinionem: nam sicut alibi dicit: *Ecce mysterium vobis dico, Non omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur* (1. *Cor.* 15. 51). Quid ergo est hoc mysterium? *Quod cæcitas ex parte contigit in Israel.* Hic rursus perstringit Judæum, dum videtur ethnicum reprimere. Illud porro significat, quod prius dixerat: quod nempe incredulitas non sit omnium, sed ex parte tantum; ut cum dicit: *Si quis contristavit, me non contristavit, nisi ex parte, ne vobis omnibus gravis sim* (2. *Cor.* 2. 5): et, *Si vobis primum ex parte fruitus fuero* (*Rom.* 15. 24). Sic et hoc loco dicit, ut superius: *Non repulit Deus populum suum, quem præscivit:* ac rursum, *Quid ergo? impegerunt ut caderent? Absit.* Idipsum hoc loco dicit, quod non tota gens avulsa sit, sed multi crediderint vel credituri sint. Deinde, quia magnum quidpiam promiserat, testem adducit prophetam sic loquentem. Nam quod cæcitas evenerit, non testimonio probat: id enim palam omnibus erat: quod autem credituri et servandi essent, id Isaiam inducit clamantem ac dicentem: 26. *Veniet ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem a Jacob* (*Isai.* 59. 20). Deinde salutis insigne ponens, ne quis hæc ad prisca trahat et referat, ait: 27. *Et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum:* non cum circumcisi fuerint, non cum sacrificaverint, non cum legalia fecerint, sed cum peccatorum remissionem consequuti fuerint. Si igitur hoc promissum fuit, necdum illis advenit, neque per baptismum remissionem consequuti sunt, id tamen omnino futurum est: quapropter adjicit: 29. *Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei.* Neque per eam rem tantum illos consolatur, sed etiam per id, quod jam contigerat: et quod ex consequentia factum est, hoc ut præcipuum ponit his verbis: 28. *Secundum evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem dilecti propter patres.* Ne ethnicus inflетur dicens, Ego sto: ne mihi dicas, quid fieri possit, sed quid factum sit, hinc quoque illum reprimit, dicens: *Secundum evangelium inimici propter vos.* Quia enim vos vocati estis, contentiosiores illi facti sunt.

7. Attamen Deus non ideo abscidit vocationem; sed exspectat omnes ex gentibus, qui credituri sunt, ut ingrediantur: et tunc illi quoque venient. Deinde aliam quoque gratiam largitur illis, dicens: *Secundum electionem autem dilecti propter patres.* Et quid hoc est? Ubi inimici sunt, ibi supplicium; ubi autem dilecti, nihil ipsis prodest majorum virtus, nisi credant. Attamen, ut dixi, non finem facit ipsos consolandi, ut attrahat. Quapropter aliunde id quod dictum est adstruens, ait: 30. *Sicut enim et vos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consequuti estis propter incredulitatem eorum:* 31. *ita et isti nunc non crediderunt, quod vos misericordiam consequuti sitis, ut et ipsi misericordiam consequantur.* 32. *Conclusit enim Deus omnes in incredulitate, ut omnium misereatur.* Hic ostendit ethnicos prius vocatos fuisse; deinde quia abnuerunt, Judæos electos esse et vicissim idipsum postea contigisse: quia enim Judæi credere noluerunt, rursus inductæ sunt gentes. At non hic gradum sistit, neque ad illos ejiciendos omnino vertitur; sed ad misericordiam rursum pronus est. Vide quantum ethnicis tribuat, nempe tantum, quantum Judæis antea dederat. Quia enim vos olim ethnici non obtemperastis, inquit, accesserunt Judæi: rursus quia hi non crediderunt, vos accessistis. Neque tamen ad finem usque peribunt: *Conclusit enim Deus omnes in incredulitatem*, id est coarguit et ostendit incredulos esse; non ut increduli manerent, sed ut hos per illorum, illos per horum contentionem servaret. Perpende autem: vos non credidistis, et hi servati sunt; rursus hi non crediderunt, et vos servati estis: neque tamen ita servati estis, ut demum exeatis, quemadmodum Judæi, sed ut manendo illos per æmulationem attrahatis. 33. *O altitudo divitiarum et sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* Hic ad prisca tempora reversus, et illam olim œconomiam Dei contemplatus, ex quo mundus conditus est, usque ad præsens tempus, et secum reputans quam varie illa dispensaverit, obstupuit et clamavit, auditoribus fidem faciens eventura omnino esse quæ dixerat. Neque enim obstupuisset et clamasset, nisi hoc omnino futurum esset. Et quidem quod altitudo sit, novit; quanta vero illa sit, non novit: nam admirantis est dictum illud, quod lateat et quantum nesciat. In admirationem et stuporem ob tantam Dei bonitatem raptus, quantum potuit duobus ne-

nibus eximiis illam prædicavit, nempe divitiarum et altitudinis; et obstupefactus est, quod hæc et voluerit et potuerit, ac contraria per contraria curaverit. *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* Non modo enim comprehendi non possunt, sed neque explorari. *Et investigabiles viæ ejus!* id est, œconomiæ: hæ quippe non solum cognosci nequeunt, sed nec perquiri. Neque enim ego, inquit, omnia inveni, sed modicam partem, non totum: solus namque ipse clare novit ea quæ ipsius sunt: ideo addidit: *Quis enim cognovit mentem Domini? 34. aut quis consiliarius ejus fuit? 35. aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Id est, cum tam sapiens sit, non ab alio sapiens est, sed ipse est fons bonorum: et qui tanta fecit ac largitus est nobis, non ab alio mutuatus dedit, sed de suo effudit; nec mutuum debet alicui, quasi ab illo acceperit, sed ipse semper beneficiorum primus auctor est.

Veræ divitiæ quænam.—Illæ namque veræ sunt divitiæ, redundare et altero opus non habere. Propterea subjunxit: *Quoniam ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia.* Ipse invenit, ipse fecit, ipse conservat: nam dives est, nec opus habet ut ab aliquo accipiat; sapiens est, ac nullius egens consilio. Quid dico consilio? Nemo cognoscere potest quæ illius sunt, nisi ipse solus et dives et sapiens. Multis siquidem divitiis instructus est, qui ethnicos ita divites reddidit; multa sapientia, ut eos qui Judæis longe inferiores erant, Judæorum doctores constituerit. Deinde postquam obstupuerat, gratiarum actionem refert dicens: *Ipsi gloria in sæcula. Amen.* Quando enim magnum quidpiam et arcanum dicit, mirabundus in gloriam Dei desinit. Hoc et de Filio loquens facit: nam tunc quoque admiratus illud ipsum quod hic profert: *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, amen* (*Rom.* 9. 5).

8. *Ex parentum virtute vel nequitia nihil vel boni vel mali filiis accidit, si velint.*—Hunc et nos imitemur, et ubique Deum glorificemus per vitam probe institutam, nec majorum virtutibus confidamus, Judæorum exemplo commoniti. Neque enim est, non est, inquam, apud Christianos talis cognatio, sed affinitas quæ per Spiritum est. Ita enim vel Scytha Abrahæ filius efficitur, et ipsius filius a Scythæ moribus alienior est. Ne igitur patrum recte factis confidamus; sed si mirabilem habeas parentem, ne putes id tibi esse ad salutem satis, aut ad honorem et gloriam, nisi moribus ipsi cognatus fueris: quemadmodum et si patrem habeas improbum, ne putes te ideo damnandum aut deturpandum, si tua recte componas. Quid enim gentilibus ignominiosius? Attamen illi per fidem cito sanctorum cognati sunt effecti. Quid Judæis erat Deo familiarius? Verum illi ob incredulitatem alieni facti sunt. Illa enim cognatio naturæ est ac necessitatis, secundum quam omnes cognati sumus: ab Adamo quippe omnes progeniti sumus, neque alius alio plus cognationis habet, sive ad Adamum sive ad Noe spectes, sive ad terram omnium matrem: cognatio autem illa coronis digna ea est, quæ nos distinguit ab improbis. Non enim possunt hic omnes esse cognati, sed qui moribus sunt similes: neque fratres vocamus eos, qui ex eodem quo nos utero prodierunt, sed eos qui eumdem exhibent zelum. Illo modo filios Dei vocat Christus, eodemque filios diaboli: sic filios incredulitatis, filios gehennæ, filios perditionis. Sic Pauli Timotheus filius erat ex virtute, ac genuinus filius appellabatur; filii vero sororis ejus ne nomen quidem novimus: quamquam ille secundum naturam cognatus ejus erat; sed nihil hinc utilitatis; qui vero ab ipso et natura et patria disjunctus erat ex Lystris civitate (*Act.* 16. 1), ipsi tamen omnibus propinquior factus est. Nos ergo quoque sanctorum filii simus, imo Dei filii. Nam quod possimus filii Dei effici, audi quomodo dicat: *Estote ergo perfecti, ut pater vester, qui est in cœlis* (*Matth.* 5. 48). Ideo Patrem illum precantes vocamus, nec modo gratiam, sed etiam virtutem commemoramus, ne quid indignum tali cognatione faciamus. Et quomodo, inquies, potest quis esse filius Dei? Si omnibus fuerit affectibus vacuus; si mansuetum se exhibeat erga eos, qui sibi contumeliam vel injuriam inferunt: nam et pater tuus talis est erga eos, qui se blasphemia impetunt. Ideo cum plura sæpe dixerit, nusquam tamen ait, Ut sitis similes Patri vestro, nisi cum dicit: *Orate pro molestiam inferentibus: bene facite iis, qui vos oderunt* (*Ibid. v.* 44); tunc illud etiam præmii adjungit. Nihil enim ita nos Deo propinquos et similes efficit, ut hoc præclarum opus. Ideo Paulus cum dicit: *Estote imitatores Dei* (*Ephes.* 5. 1); hoc ipso modo tales esse jubet.

Eleemosyna commendatur. — Omnibus certe bonis operibus egemus, maxime vero humanitate et mansuetudine, quoniam nos ipsi multa egemus humanitate. Nam in multis quotidie peccamus; ideoque multa egemus misericordia. Plus autem aut minus, non ex doni mensura penditur, sed ex facultate largientium. Ne igitur vel dives altum sapiat, vel pauper animo dejiciatur, quod pauca eroget: sæpe namque hic plus quam ille dedit. Non oportet ergo se miserum existimare propter paupertatem: id enim faciliorem nobis reddit eleemosynam. Nam qui multa possidet, et arrogantia et plurium concupiscentia detinetur: qui vero pauca habet, ab hac utraque liber est tyrannide; ideoque plures habet bene faciendi occasiones. Etenim hic facile in carcerem se confert, et ægrotos visitat, potumque aquæ frigidæ dat: dives vero nihil eorum suscipiet, divitiis nempe suis inflatus. Ne itaque animo concidas ob paupertatem: nam tibi commercium cum regno cælorum facilius reddit paupertas. Quod si nihil habeas, sed condolentem tantum animam: hujus quoque rei tibi merces reponetur. Ideo jussit Paulus flere cum flentibus (*Rom.* 12. 15), et cum vinctis simul vinctos esse. Neque enim flentibus tantum quamdam consolationem affert, si multos condolentes habeat, sed etiam aliis qui in calamitate versantur: etenim nonnumquam accidit ut consolationis sermo plus laborantem recreet, quam pecuniæ. Ideo enim Deus pecunias jussit egenis largiri, non modo ut illorum paupertati subveniret, sed ut etiam nos doceret

proximi malis condolendum esse. Ideoque qui pecunias amat odiosus est, non modo quia egenos despicit; sed quia ipse ad crudelitatem et multam inhumanitatem instituitur: ut et is qui pauperum causa pecunias contemnit, ideo amabilis est, quia misericors est et humanus. Certe Christus cum beatos prædicat misericordes, non eos qui pecuniam erogant tantum, sed etiam eos qui ex animi proposito hoc faciunt, laudat. Hoc ergo animi propositum paratum habeamus ad misericordiam, et omnia sequentur bona. Nam qui benigno et misericordi animo præditus est, si pecunias habeat, largietur illas; si quem in calamitate viderit, flebit lugebitque; si injuste læso occurrerit, ipsi patrocinabitur; si injuria affectum viderit, manum porriget. Cum enim bonorum thesaurum habeat, humanum et misericordem animum, omnia hinc effundet pro fratribus, et omnibus fruetur a Deo repositis præmiis. Ut ergo hæc nos etiam assequamur, ante omnia animum nobis mansuetum paremus. Sic enim et hic positi mille operabimur bona, et futuris fruemur coronis: quas utinam omnes assequamur, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XX.

CAP. 12. v. 1. *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

1. Postquam multa de Dei benignitate disseruerat, ostenderatque ejus ineffabilem providentiam, inenarrabilemque benignitatem, quam nemo scrutari queat; illam ipsam deinde profert, quo beneficio affectis suadeat, ut tanto dono dignum exhibeant vitæ institutum. Et cum tantus talisque sit, non recusat illos obsecrare: idque non super iis, quibus ille frui posset, sed super iis, quæ ad illorum lucrum cederent. Ecquid miraris, si ipse non recuset obsecrare, quando miserationes Dei proponit? Quia enim, inquit, innumera vobis bona a miserationibus Dei procedunt, ipsas revereamini, ipsas adite humiliter: nam ipsæ supplicationem parant, ut ne quid illis indignum faciatis. Per illas igitur ipsas, inquit, obsecro, per quas salutem nacti estis: quemadmodum si quis eum, qui magna accepit beneficia, pudore suffundere velit, illum ipsum qui beneficia contulit supplicem inducat. Et quid, quæso, obsecras? *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Cum enim *hostiam* dixisset; ne quis putaret jubere ipsum corpora occidi, statim subjunxit, *Viventem*. Deinde distinguens illam a Judaica, dicit, *Sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*: illa enim Judaica corporalis erat, nec multum placebat. *Quis enim hæc requisivit de manibus vestris* (*Isai.* 1. 12), inquit? Sæpeque alibi hujusmodi hostias repellit. At non hanc; imo illa priore data, hanc requirebat. Ideo dicebat: *Sacrificium laudis honorificabit me*; ac rursum, *Laudabo nomen Dei mei cum cantico: et placebit Deo plus quam vitulus novellus, cornua producens et ungulas* (*Psal.* 49. 23. *et* 68. 31. 32). Alibi quoque hostiam illam abjicit et ait: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* additque: *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua* (*Psal.* 49. 13. 14). Ita et Paulus hic jubet: *Exhibete corpora vestra, hostiam viventem.*

Quomodo corpus nostrum sacrificium fiat.—Et quomodo, inquies, corpus sacrificium fieri possit? Nihil mali oculus respiciat, et factus est sacrificium: nihil lingua turpe loquatur, et facta est oblatio: nihil manus iniquum faciat, et facta est holocaustum. Imo vero hæc non sufficiunt, sed etiam ut bona opera edamus opus est, ut manus quidem eleemosynam eroget, os injuria afficientibus benedicat, auditus divinis assidue concionibus operam det. Hostia enim nihil habet immundum, hostia est primitiæ aliorum. Et nos itaque manus, pedes, os et alia omnia ut primitias offeramus Deo: talis hostia Deo placet, ut Judæorum hostia immunda erat. *Sacrificia enim eorum*, inquit, *panis sunt luctus ipsis* (*Osee.* 9. 4). Sed hostia nostra non item. Illa quod immolatum erat, mortuum exhibebat; hæc quod immolatum est, vivens efficit. Cum enim mortificaverimus membra nostra, tunc vivere poterimus: nova quippe est hæc sacrificii lex. Quamobrem inexspectatus est ignis modus. Neque enim opus habet lignis, nec subjecta materia; sed in seipso ignis noster vivit, nec sacram victimam comburit, sed magis ipsam vivificat. Hanc jam olim Deus victimam quærebat: quamobrem dicebat propheta, *Sacrificium Deo spiritus contritus* (*Psal.* 50. 19). Hanc etiam tres pueri offerebant dicentes: *Non est princeps neque propheta neque locus ad quærendam et impetrandam misericordiam, sed in animo contrito et spiritu humiliato suscipiamur* (*Dan.* 3. 38. 39). Perpende autem quomodo qualibet dictione cum magna accuratione utatur. Non enim dicit, Facite corpora vestra hostiam; sed, *Exhibete*: ac si diceret: Nihil commune deinceps vobis sit cum ipsis; aliis ipsa dedistis. Nam qui equos bellicosos aliis tradunt, nihil commune deinceps in illis habent. Et tu itaque membra tua eduxisti ad bellum, quod contra diabolum est, ad terribilem aciem: ne retrahas illa ad propria ministeria. Aliud item ex hoc ostendit, quod oporteat illa probata et accepta reddere, si velimus illa proferre. Neque enim cuipiam terrenorum hominum illa sistimus, sed Regi universorum Deo; non ut prælientur tantum, sed ut ipsum Regem sessorem habeant. Neque enim recusat ille membris insidere nostris, imo hoc summe expetit: et quod rex ipse, qui conservus noster est, admittere noluerit, hoc angelorum Dominus eligit. Quoniam igitur sistenda sunt illi, et hæc hostia est, omnem ab illis maculam aufer: nam si maculam habeat, non ultra hostia fuerit. Neque enim oculus, qui meretricia respicit, potest immolari, nec manus offerri, quæ rapinæ et avaritiæ dat operam, nec pedes, qui claudicant et ad theatra ascendunt, nec venter, qui deliciis servit voluptatumque concupiscentiam incendit, nec cor iram vel amorem meretricium fovens, nec lingua turpia loquens.

2. Ideo oportet undique dispicere, ne corpus nostrum maculosum sit. Si enim ii, qui veteres illas hostias offerebant, jubebantur omnia circumspicere, nec quod esset succisis auribus, cauda mutila, scabiosum, aut impetiginem habens, offerre permittebantur: multo magis nos qui non irrationabiles oves, sed nos ipsos offerimus, majore accuratione uti oportet atque undique puros esse, ut possimus secundum Paulum dicere : *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat* (2. *Tim.* 4. 6). Etenim hostia omni purior erat : ideo libamen seipsum vocabat. Erit autem hoc, si auferamus veterem hominem, si mortificemus membra quæ sunt super terram, si mundum nobis ipsis crucifigamus. Sic nec gladio, nec ara nec igne opus habebimus; imo potius his omnibus egebimus, sed non manufactis, sed desursum nobis omnia venient; ignis aderit supernus, gladius, ara nobis erit latitudo cælestis. Si enim Elia sensibilem hostiam offerente, flamma superne demissa omnia consumpsit, aquam, ligna et lapides: multo magis pro te hoc fiet. Si quid vero fluxum et sæculare habueris, et cum recta voluntate sacrificium offeras, descendens spiritualis ignis sæculare illud absumet, et oblationem totam conficiet. Quid vero est rationabilis cultus? Spirituale ministerium, vita secundum Christum. Sicut igitur, qui in domo Dei ministrat et sacrificat, quisquis tandem sit, tunc reprimitur et honorabilior efficitur : sic et nos per totam vitam affectos esse oportet, ut Deo ministrantes et sacrificia offerentes. Hoc autem erit, si per singulos dies offeras illi sacrificia et tui corporis sacerdos sis, ejusque quæ secundum mentem est virtutis: exempli causa cum castitatem obtuleris, cum eleemosynam, cum mansuetudinem et injuriarum oblivionem. Hæc cum facis, rationabilem cultum offers; id est, qui nihil habeat corporeum, nihil crassum, nihil sensibile. Cum igitur auditoris mentem per hæc nomina erexisset, et unumquemque per suam carnem ac per institutum vitæ sacerdotem esse declarasset, modum etiam dicit secundum quem omnia possunt recte agi. Quis ille modus est? 2. *Nolite conformari*, inquit, *huic sæculo, sed transformamini per renovationem mentis vestræ.* Etenim hujus sæculi figura humi repens est, vilis et temporanea, nihil habet sublime, nihil perpetuum, nihil rectum, sed omnia perversa. Si itaque recte vis incedere, ne formes teipsum secundum figuram hujus vitæ : nihil enim in ipso manet, et perseverat. Ideo figuram appellat : et alibi rursum : *Præterit enim figura hujus mundi* (1. *Cor.* 7. 31). Nihil enim habet stabile aut fixum, sed omnia temporanea : unde, *Huic sæculo*, dixit : his verbis fluxum esse declarans, per figuram indicans subsistentia carere. Nam si divitias dixeris, si gloriam, si corporis formam, si voluptatem, si quidvis aliud quod videatur magnum esse, figura tantum est, non rei veritas, demonstratio et larva, non manens substantia. Sed tu ne conformeris huic, sed potius te transforma, inquit, per renovationem mentis. Non dixit, Te transfigura, sed, Te transforma; ostendens, id quod mundi est, figuram esse; id autem quod virtutis est, non figuram, sed formam quamdam esse veram, quæ naturalem habeat pulchritudinem, quæ non opus habeat externo illo fuco et figura, quæ simul atque comparent dispereunt : nam hæc omnia priusquam appareant dissolvuntur. Si ergo figuram abjeceris, cito ad formam venies.

Nequitia nihil infirmius. — Nihil nequitia infirmius, nihil ita facile veterascit. Deinde quia homines cum essent, consequens erat illos quotidie peccare, auditorem consolatur dicens, Quotidie teipsum renova. Id quod in domibus facimus, vetustate laborantes ipsas quotidie restaurantes : hoc etiam in teipso facito. Peccasti hodie? animam tuam inveterasti? Ne desperes, neque concidas, sed per pœnitentiam illam renova, per lacrymas, per confessionem, per bona opera; neque umquam hoc facere desinas. Et quomodo hoc facere poterimus? *Si probetis vos ea, quæ potiora sunt, quæ sit voluntas Dei bona, bene placens et perfecta.* Aut hoc dicit, Renovamini, ut discatis quæ potiora sunt et voluntatem Dei; aut, Sic potestis renovari, si discatis quæ potiora sunt et quid velit Deus. Si enim hoc videris, et rerum naturam edidiceris, omnem jam ad virtutem viam reperisti. Ecquis ignorat, inquies, quæ utilia sunt, et quæ sit voluntas Dei? Qui ad res præsentes inhiant, qui divitias expetendas esse putant et paupertatem despiciunt, qui principatus sectantur, qui ad externam gloriam anhelant, qui se magnos quospiam esse putant, si splendidas domos excitaverint, et magnifica sepulcra comparaverint, si mancipiorum greges habeant, magnumque circumferant eunuchorum agmen. Hi et quæ sibi utilia sint, et quæ sit voluntas Dei ignorant : hæc enim ambo unum sunt.

3. Etenim quæ nobis utilia sunt, Deus vult; et quæ vult Deus, nobis utilia sunt. Quænam sunt ea, quæ Deus vult? Ut in paupertate vivamus, in humilitate, in contemptu gloriæ, in temperantia, non in deliciis; in ærumnis, non in quiete; in luctu, non in dissolutione et risu, in aliisque omnibus, quæ ipse præcepit. Verum multi hæc ut malum omen aversantur, nedum putent utilia esse et Dei voluntatem. Ideoque numquam ad suscipiendos pro virtute labores prope accedere poterunt. Qui enim ne sciunt quidem quid sit virtus, sed vice illius ipsam nequitiam in admiratione habent, et qui pro casta muliere meretricem secum concludunt, quandonam poterunt a præsenti sæculo abscedere? Idcirco ante alia omnia opus est, ut rerum judicium habeamus rectum atque distinctum; atque etiamsi virtutem non sectemur, laudemus tamen illam; etiamsi vero nequitiam non fugiamus, improbemus tamen, calculosque interea incorruptos servemus. Sic enim ulterius postea procedentes, ipsa opera suscipere poterimus. Propterea præcipit Paulus ut renovemur, *Ut probetis*, inquit, *vos quæ sit voluntas Dei.* Hic vero mihi etiam Judæos perstringere videtur, qui legi adhærebant : siquidem voluntas Dei etiam erat illa vetus vitæ ratio, at non præcipua, sed propter illorum infirmitatem concessa : quod autem

perfectum et Deo placitum est, novum illud est vitæ institutum. Nam cum rationabilem cultum dixit, ut illum a veteri cultu distingueret ita vocavit. 3. *Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omni versanti inter vos, ut ne altius sapiat, quam oporteat sapere; sed ita sapiat, ut par est sapere, ut unicuique Deus partitus est mensuram fidei.* Supra dixerat, *Per miserationes Dei obsecro vos;* hic quoque dicit, *Per gratiam.* Vide doctoris humilitatem, vide demissum animum. Nusquam se fide dignum esse dicit, in tali hortatu et consilio; sed modo misericordiam Dei, modo gratiam advocat ad fidem faciendam. Non meus est sermo, inquit, sed Dei est. Neque dixit, Dico vobis per sapientiam Dei, nec, Dico vobis per legem positam a Deo; sed, *Dico vobis per gratiam:* frequenter beneficia commemorans, ut gratiores reddat, et ut ostendat hinc debere illos dictis obsequi. *Unicuique versanti inter vos.* Non illi vel illi tantum, sed principi, subdito, servo, libero, idiotæ et sapienti, mulieri ac viro, juveni et seni: communis enim hæc lex est, quia et Dominica. Ita sermonem non onerosum reddit, omnibus doctrinam proponens, etiam iis qui sunt innoxii, ut qui noxii sunt correctionem illam facilius excipiant.

Humilitas mater bonorum. — Et quid, quæso, dicis? *Ne quis altius sapiat, quam oporteat sapere.* Matrem bonorum hic inducit, humilitatem, præceptorem suum imitatus. Quemadmodum enim ille conscenso monte, moralem sermonem habiturus, hinc orsus est, et hæc fundamenta posuit dicens: *Beati pauperes spiritu* (*Matth*, 5. 3): sic et Paulus nunc a dogmaticis ad moralem orationem transiens, universim quidem virtutem docuit, mirabilem hostiam a nobis expetens; cum autem illam per partes descripturus esset, quasi a capite, ab humilitate orditur, et ait: *Non alius sapiat, quam oporteat sapere;* hæc est enim voluntas Dei; *Sed sapiat ad sobrietatem.* Id est, Prudentiam accepimus, non ut illa ad arrogantiam utamur, sed ut ad temperantiam. Nec dixit, Ad humilitatem; sed, *Ad temperantiam.* Temperantiam autem hic dicit non eam quæ lasciviæ et lubricitati opponitur virtutem, sed vigilantiam et sensum bonum: nam et hoc sobrietas dicitur, eo quod sanam et temperatam mentem contineat. Ostendens igitur, eum, qui moderatus non sit non posse temperantem esse; id est, stare sanum; sed desipere et insanire, ac demente quovis magis furere, temperantiam vocavit humilitatem. *Quemadmodum unicuique mensuram fidei partitus est Deus.* Quia enim collata dona multos in arrogantiam extulerant et apud istos et apud Corinthios, vide quomodo morbi causam palam faciat, et paulatim detrahat. Cum dixisset enim oportere sapere, ut par est sapere, subjunxit, *Ut unicuique mensuram fidei partitus est Deus*, fidem hic donum vocans. Cum dixit autem *Partitus est*, eum qui minus acceperat, consolatus est, eumque qui plus acceperat, depressit. Si enim Deus partitus est, nec tuum hoc munus, cur altum sapis?

4. *Contra arrogantiam.* — Si quis vero dicat hic fidem non vocari donum seu charisma, hoc rursum magis ostendit ipsum arrogantes deprimere. Nam si doni causa sit fides, per quam miracula patrantur, et si hoc a Deo est, undenam altum sapis? Nam nisi venisset, nec incarnatus fuisset, quæ ad fidem spectant non invaluissent. Itaque hinc omnia bona initium habent. Si autem ipse det, novit certe quo pacto distribuat: omnes enim ipse fecit, omniumque pariter curam gerit. Ac quemadmodum quod dederit, id ex benignitate factum est, ita et quod tantum dederit. Non enim qui in summa tota bonitatem suam demonstravit, illa scilicet dona largiendo, in mensura te proditurus erat. Si enim te inhonorare voluisset, ne principium quidem illorum dedisset: si porro te servare et honorare studuit; ideo namque venit, et tot bona distribuit: cur turbaris ac tumultuaris, atque prudentia tua ad stultitiam abuteris, magis te dehonestans, quam is qui ex natura sua stultus est? Nam ex natura stultum esse, non culpa est; ex nimia vero prudentia stultum fieri, id venia caret et majus affert supplicium. Tales sunt ii, qui in sapientia sua altum sapiunt, et in extremam incidunt arrogantiam: nihil enim ita stultum reddit ut arrogantia. Idcirco propheta sic barbarum vocabat: *Stultus autem stulta loquetur* (*Isai.* 32. 6). Ut autem ex ejus verbis ipsius stultitiam ediscas, audi quid dicat: *Supra astra cœli ponam thronum meum, et ero similis Altissimo* (*Id.* 14. 14). *Comprehendam manu mea orbem ut nidum, et ut ova derelicta auferam* (*Id.* 10. 14). His itaque verbis quid stultius fuerit? Singula porro jactantiæ verba hoc sibi opprobrium attrahunt. Si verba singula stultorum in medium adducam, dignoscere non poteris, verbane arrogantis sint an insipientis: ita unum idemque hoc vitium est. Etenim alius quoque barbarus ait: *Ego sum deus, et non homo;* aliusque: *Num poterit Deus servare vos, aut eripere de manibus meis* (*Dan.* 3. 15)? et Ægyptius, *Non novi Dominum, et Israelem non dimittam* (*Exod.* 5. 2). Insipiensque apud prophetam talis est, dum dicit in corde suo, *Non est Deus* (*Psal.* 13. 1); et Cain: *Num custos fratris mei sum ego* (*Gen.* 4. 9)? An possis cognoscere arrogantiumne an stultorum sint verba? Arrogantia enim a moderatione et a mente deflectens (ideo amentia dicitur), et stultos et arrogantes efficit. Et si principium sapientiæ sit timor Domini (*Prov.* 9. 10); initium ergo stultitiæ erit non nosse Dominum. Si igitur cognoscere est sapientia, non cognoscere, stultitia; et si non cognoscere ex superbia oritur (initium enim superbiæ est non cognoscere Dominum): ergo superbia, extrema est insipientia. Talis erat et Nabal, etsi non erga Deum, at erga hominem ex arrogantia stultus effectus: at postremo ex timore mortuus est. Cum enim quis ex mensura prudentiæ excidit, et timidus simul et audax redditur, animo scilicet jam infirmante. Quemadmodum enim corpus cum temperatam humorum mensuram amittit, morbis omnibus est obnoxium: sic et anima cum magnanimitatem simul et humilitatem amiserit, habitum quemdem accipiens imbecillum, timida simul et audax atque insipiens evadit, atque seipsam deinceps

ignorabit. Qui vero seipsum ignorat, quomodo illa, quæ supra se sunt, cognoscet? Sicut enim is, qui phrenesi deceptus est, cum seipsum ignoret, neque ea quæ ante pedes ejus sunt noverit; et oculus cum excæcatus fuerit, cætera membra obscurat: sic et in arrogantia contingit. Ideo arrogantes furentibus, et iis qui ex natura sua stulti sunt, miseriores sunt. Nam perinde atque illi risum movent, perinde atque illi injucundi et amentes sunt, sed non perinde atque illi miserationem commovent; insaniuntque tamen ut illi, nec veniam impetrant ut illi, sed odio habentur: et cum utrorumque vitia habeant, venia tamen utrorumque privantur, dum non ex verbis tantum, sed etiam ex habitu ridiculi sunt. Quid igitur, quæso, cervicem erigis? quid extremis pedum unguibus incedis? quid supercilia extollis? quid pectus inflas? Capillum non potes vel album vel nigrum facere, et ac si omnibus imperares, et quasi in aere incedis? Forsan optares tibi pennas innasci, ut ne super terram incederes: forsan et prodigium esse cupis. Jam vero annon te prodigium effecisti, dum, homo cum sis, volare tentas? fortasse vero mente volas et undique accensus es? Qui te vocabo, ut arrogantiam tuam dejiciam? Si te cinerem dicam, pulverem, fumum, lutum, vilitatem quidem dixi, necdum tamen imaginem quam volebam attigi: nam et inflammationem et vacuitatem simul totam illorum depingere volo. Quam ergo imaginem reperiamus iis congruentem? Videntur mihi incensæ stuppæ similes esse. Nam stuppa videtur post immissam flammam inflari et extendi: si vero leviter manu tangatur, tota decidit, et cinere vilior apparet. Tales sunt illorum animæ: vanam enim illorum inflationem, vel levis contactus dejicere tollereque poterit. Arrogantem enim necesse est omnino infirmum esse: altitudo enim illa nullo modo firma est; sed veluti bullæ aquarum facile rumpuntur, ita et hi facile pereunt. Si vero non credas, da mihi audacem talem et arrogantem, et videbis illum vel ex leviori casu decussum facilius, quam is qui ruit in terram. Quemadmodum enim flamma illa quæ ex virgultis oritur, statim atque accensa fuit, in cinerem vertitur; solida vero ligna nec facile incenduntur, et multo tempore flammam servant: sic et animæ firmiores et perseverantiores non facile incenduntur vel exstinguntur. Hi vero hoc utrumque in uno temporis momento patiuntur. Hæc cum sciamus, humilitatem exerceamus: nihil enim illa potentius; est enim et petra fortior et adamante firmior, et in majori nos securitate collocat, quam turres et urbes et muri, omnibus diaboli machinis altior: cum contra arrogantia quibuslibet nos captu faciles reddat, quæ bulla aquæ qualibet, ut dixi, facilius rumpitur, et araneæ tela citius scinditur, et fumo velocius solvitur. Ut igitur in solida petra incedamus, illa relicta, hanc diligamus. Sic enim et in præsenti sæculo requiem inveniemus, et in futuro omnibus fruemur bonis, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XXI.

Cap. 12. v. 4. *Sicut enim in uno corpore membra multa habemus, membra autem omnia non eumdem actum habent:* 5. *ita multi unum corpus sumus in Christo: singuli autem, alter alterius membra.*

1. Rursus eodem utitur exemplo, quo ad Corinthios usus est (1. *Cor.* 12. 12), hoc ipsum reprimens vitium. Etenim magna est hujus pharmaci vis, hujusque exempli virtus multum valet ad emendandum arrogantiæ morbum. Cur, inquit, tu altum sapis? vel cur alius seipsum vilipendit? annon omnes unum corpus sumus, et magni et parvi? Cum igitur secundum caput unum simus et alter alterius membra, cur ex arrogantia te separas? cur erubescis de fratre? Sicut enim ille membrum tuum est, sic et tu illius: multaque in hoc est honoris æqualitas. Duo siquidem adhibet, quæ possint eorum arrogantiam dejicere: et quod alii aliorum membra simus, non tantum is qui minor est majoris, sed etiam is qui major est minoris; et quia omnes unum corpus sumus. Imo et tria posuit: nam donum unum omnibus datum esse ostendit. Ne igitur altum sapias: etenim tibi a Deo datum est; quod tu accepisti, nec tu invenisti. Ideo autem cum de donis seu charismatibus ageret, non dixit, Ille majus, hic minus accepit; sed quid? Diversum. *Habentes* enim, inquit, *dona*, non majora et minora, sed diversa (1. *Cor.* 7. 7). Quid enim, si non eadem tibi commissa sunt, sed corpus idem est? Et a dono incipiens, in bonum opus desinit. Cum dixisset enim prophetiam et ministerium et similia, in eleemosynam et curam et patrocinium desinit. Quia enim verisimile erat quosdam virtute quidem præditos esse, sed prophetiam non habere, ostendit hoc donum multo majus illo esse, ut ostendit in epistola ad Corinthios; tantoque majus, quod hoc quidem mercedem habeat, illud vero mercede careat: totum et donum et gratia est. Ideo ait: 6. *Habentes autem dona secundum gratiam, quæ data est nobis, diversa, sive prophetiam, secundum rationem fidei.* Quia enim sufficienter illos consolatus est, vult etiam acuere et studiosiores reddere, ostendens ipsos occasiones præbere vel majora vel minora accipiendi. Dicit autem illud a Deo datum esse: ut cum ait, *Ut unicuique Deus partitus est mensuram fidei*; et rursus, *Secundum gratiam, quæ data est nobis*, ut superbos reprimeret. Dicit autem initia ab illis poni, ut ignavos incitet: quod etiam in Epistola ad Corinthios facit, hoc utrumque movens. Cum enim dicit, *Æmulamini Charismata* (1. *Cor.* 12. 31), ostendit ipsos causam esse differentiæ donorum: cum vero dicit, *Hæc autem omnia operatur unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*Ibid. v.* 11); illud probat, non oportere eos efferri, qui acceperunt, undique morbum illorum curans: quod etiam hic facit. Ac rursus lapsos excitans, dicit: *Sive prophetiam, secundum rationem fidei.*

Etiamsi enim gratia sit, at non temere effunditur, sed mensuram a recipientibus accipiens, tantumdem fluit, quantum viderit vas fidei sibi oblatum. 7. *Sive ministerium in ministrando.* Hic rem universalem ponit : nam apostolatus, ministerium dicitur; et omne bonum opus spirituale est ministerium. Est quoque et privatæ œconomiæ nomen; hic porro universaliter ponitur. *Sive qui docet, in doctrina.* Vide quomodo indiscriminatim illa ponat, quod parvum est primum, et quod magnum est postea, ostendens : hoc rursum docens ut neque inflentur, neque superbiant. 8. *Sive qui exhortatur in exhortando.* Hoc etiam doctrinæ genus est. *Si enim in vobis est exhortationis sermo*, inquit, *ad populum dicite* (*Act.* 13. 15). Deinde ostendens, non admodum utile esse virtutem amplecti, nisi cum debita lege hoc faciat, adjicit : *Qui tribuit, in simplicitate.* Non enim satis est dare, sed id oportet largiter facere. Simplicitatem hoc ubique complecti novit. Nam virgines oleum habebant, sed quia quantum sufficeret non habebant, at toto exciderunt. *Qui præest, in sollicitudine.* Non enim satis est præesse, (*a*) [nisi cum cura et diligentia hoc faciat]. *Qui miseretur, in hilaritate.* Non enim sufficit misereri; sed id oportet largiter et animo non tristi facere, quin potius læto et gaudente : neque enim par res est non tristari et gaudere. Hoc ipsum autem ad Corinthios scribens, cum multa diligentia constituit : nam ad largitatem excitans, ait, *Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (2. *Cor* 9. 6. 7); animum vero dirigens, addit : *Non ex tristitia, aut ex necessitate.* Utrumque enim adesse debet miserenti, abundantia et voluptas. Cur enim ploras dans eleemosynam? quid doles, dum misereris, et fructum boni operis prodis? Si enim doles, non misereris, sed crudelis es et inhumanus. Si enim tu doles, quomodo illum in dolore degentem allevare poteris? Optandum enim est, ne ille quidpiam suspicetur mali, etiamsi cum gaudio dederis. Quia enim nihil ita turpe videtur hominibus esse, ut ab aliis accipere, nisi ex summa hilaritate suspicionem auferas, et ostendas te magis accipere quam dare, potius accipientem dejicies, quam allevabis. Propterea dicit, *Qui miseretur, in hilaritate.*

2. *Eleemosyna libenter eroganda. Ipsius meritum ex animo penditur.* —Quis enim regnum accipiens, mœstus est? quis peccatorum remissionem accipiens, in tristitia manet? Ne itaque expensæ pecuniarum attendas, sed proventui ab expensa advenienti. Nam si qui seminat gaudet, etsi in incertum seminet : multo magis qui cælum quasi agrum colit. Ita enim, etsi pauca des, multa dabis; ut si cum mœstitia multa dederis, ex multis pauca fecisti. Sic vidua multa talenta duobus obolis superavit; largus enim animus erat. Et quomodo poterit, inquies, is qui in paupertate vivit, et omnia effundit, id alacriter facere? Interroga viduam, et modum audies sciesque mentis angustiam non ex paupertate, sed ex voluntatis proposito et illud et quidquid illi contrarium est fieri : potest enim quis et in paupertate magni, et in divitiis pusilli esse animi. Ideo in largitione simplicitatem quærit, et in misericordia hilaritatem, et in patrocinio diligentiam. Non enim pecuniis tantum vult nos pauperes juvare, sed etiam verbis, rebus, corpore et aliis omnibus. Cum dixisset præcipuam prærogativam, eam quæ per doctrinam est, eam quæ per adhortationem; hæc enim magis necessaria est, quod animi sit cibus : venit ad eam, quæ per pecunias et alia omnia. Deinde ostendens quomodo hæc perficiantur, matrem ipsorum inducit dilectionem : nam ait : 9. *Dilectio, sine simulatione.* Si hanc habeas, non senties pecuniarum expensam, non corporis laborem, non molestiam sermonum, non sudorem et ministerium; sed omnia feres generose, sive corpore, seu pecuniis, seu verbo, seu alio quolibet proximum juvare oporteat. Quemadmodum ergo non largitionem modo exigit, sed in simplicitate, neque modo patrocinium, sed cum diligentia, neque tantum eleemosynam, sed cum hilaritate: sic et caritatem non simpliciter, sed absque simulatione; nam hoc dilectio est : si hoc fiat, alia omnia sequentur. Etenim qui miserebitur, hilariter miserebitur; sibi enim ipsi dat : et qui præerit, diligenter præerit; sibi enim ipsi præerit : et qui largietur, copiose id faciet; sibi enim præbebit. Deinde quoniam in malis etiam rebus dilectio est, ut illa lascivorum, eorumque qui in pecuniis et rapinis una consentiunt; eorum quoque qui in ebrietate et conviviis : hanc ab illis avellens, ait : *Odientes malum.* Non dixit, Abstinentes a malo, sed, *Odientes malum*; nec simpliciter Odientes, sed, *Admodum odientes.* Nam præpositio ἀπό verbis addita vim verbi auget, hic et in aliis exemplis in textu Græco positis. Quia enim multi, qui mala non perpetrant, eorum tamen concupiscentiam habent : ideo dixit, *Admodum odientes.* Vult enim ille ut purus sit animus, utque nequitiam odio et inimicitia magna prosequamur, et impugnemus. Neque enim quia dixi, inquit, *Diligite invicem*, putetis me id dicere, ut in malis rebus mutuam detis operam : nam contrarium prorsus statuo, ut a malitia non solum opere, sed etiam affectu alieni prorsus sitis; nec modo affectu alieni sitis, sed etiam illam summo odio prosequamini et aversemini. Neque hoc satis habens Paulus, virtutis opera inducit his verbis : *Adhærentes bono.* Non dixit, Tantum facientes, sed et affectu prosequentes : hoc enim declaravit, cum jussit adhærere bono. Ita et Deus cum virum mulieri conjungeret, dicebat, *Adhærebit uxori suæ* (*Gen.* 2. 24). Deinde causas dicit, ob quas debemus alius alium diligere. 10. *Caritate fraterna invicem diligentes.* Fratres, inquit, estis, et eosdem partus solvistis : ideoque justum esset ut vos mutuo diligeretis. Hoc et Moyses dicebat iis, qui in Ægypto altercabant : Fratres estis; cur vobis injuriam mutuo infertis (*Exod.* 2. 13)? Quando igitur de externis dicit,

(*a*) Quæ uncinis clauduntur, desunt in Editis atque e Mss. desumpta sunt.

sic loquitur : *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habetote :* quando autem de suis agit, *Caritate fraterna*, inquit, *invicem diligentes*. Illic enim expetit, ut non pugnemus nec odio habeamus vel aversemur ; hic vero ut amemus, nec simpliciter ut amemus, sed etiam affectu amplectamur. Non solum enim, inquit, oportet non simulatam esse dilectionem, sed intensam ferventem, ignitam. Quæ enim utilitas, inquit, si amas quidem sine dolo, sed non ferventer amas? Quamobrem dixit, *Invicem diligentes ;* id est : Ferventer dilige. Ne exspectes ut diligaris ab altero, sed tu potius ad illum prosili et incipe : sic etiam ipsius dilectionis mercedem recipies.

3. Cum dixisset ergo causam cur debemus alter alterum diligere, dicit etiam quo pacto dilectio nostra immota maneat : *Honore invicem prævenientes*. Ita enim dilectio et nascitur, et postea perseverat. Nihil certe ita facit amicos, ut si studeamus proximum honorando vincere. Nec dilectio tantum, sed etiam honor inde major evadit. Nam quæ prius dicta sunt a dilectione nascuntur, dilectio autem ab honore, ut et honor a dilectione. Deinde ut non tantummodo honoremus, aliud quidpiam amplius expetit : 11. *Sollicitudine non pigri*. Nam et hoc dilectionem parit, quando cum honore patrocinium exhibemus : nihil enim ita dilectionem parit, ut honor et patrocinium. Non enim satis est diligere, sed hoc etiam addendum ; imo potius hoc ex dilectione gignitur, ut et dilectio ab hoc fovetur, et utraque sese mutuo confirmant. Nam multi sunt qui animo quidem amant, nec manum porrigunt. Ideo undique dilectionem excitat. Et quomodo erimus sollicitudine non pigri ? *Spiritu ferventes*. Viden' quomodo ubique vehementiam requirat ? Neque enim dixit, Date, tantum ; sed addidit, Largiter ; neque Patrocinamini solum, sed et cum sollicitudine ; neque Misereremini tantum, sed etiam hilariter ; neque Honorate solum, sed et patrocinamini ; nec Diligite modo, sed sine simulatione ; neque Abstinete a malis, sed et odio habete ; neque Adhærete solum bonis, sed et conglutinemini ; neque tantum Diligite, sed cum amabili complexu ; neque Studete, sed etiam non pigre ; neque Spiritum habete, sed spiritum ferventem ; id est, ut sitis ardentes et concitati. Nam si prædicta illa habeas, spiritum attrahes : si hæc apud te maneant, te ad illa studiosum constituent, omniaque tibi facilia a spiritu et dilectione reddentur, cum utrinque incensus eris. Non vides tauros flammam in dorso gestantes, quomodo sint omnibus intolerabiles? Ita et tu diabolo intolerabilis eris, si utramque flammam acceperis. *Domino servientes*. Per hæc enim omnia Deo servire potes. Quidquid enim pro fratre feceris, ad Dominum tuum pertransit : et quasi ipse beneficium acceperit, mercedem tibi rependet. Viden' quo animum ejus, qui talia operatus sit, deduxerit ? Deinde postquam ostendit quomodo flamma spiritus accendatur, ait : 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes*. Hæc quippe omnia ignis illius fomites sunt. Quia enim pecuniarum expensam requisivit, corporum laborem, patrocinium, sollicitudinem, doctrinam, et laboriosa alia, inungit rursus athletam dilectione, spiritu et spe. Nihil enim hominis animum ita virilem et ad omnia promptum efficit, ut bona spes. Deinde ante ea, quæ sperantur bona, aliud etiam dat præmium. Quia enim spes futurorum erat, dicit, *In tribulatione patientes*. Etenim ante futura illa in præsenti magnum decerpes ex tribulatione fructum, quod constans et probatus reddaris. Cum hoc aliud quoque auxilium præbet, dicens, *Orationi instantes*. Cum ergo dilectio facilitatem afferat, spiritus adjuvet, spes allevet, tribulatio probatum faciat et idoneum ad omnia generose ferenda, et cum his aliam armaturam maximam habeas orationem, et supplicationis opem : quidnam postea erit in præceptis laboriosum ? Nihil. Viden' quomodo athletam undique firmet, et quam levia ostendat præcepta ? Perpende rursum quomodo eleemosynam commendet ; nec simpliciter eleemosynam, sed eam quæ sanctis erogetur. Nam cum supra dixit, *Qui miseretur, in hilaritate*, omnibus manum aperuit. Hic vero de fidelibus agit ; ideo hæc subjungit : 13. *Necessitatibus sanctorum communicantes*. Non dixit, Illorum necessitatibus subministrate ; sed, Necessitatibus illorum communicate ; ostendens illos majora accipere quam dent, et rem istam esse negotiationem : communicatio quippe est. Tu pecuniam affers ? Illi tibi fiduciam erga Deum afferunt. *Hospitalitatem sectantes*. Non dicit, Facientes, sed, *Sectantes*, erudiens nos ut non egenos exspectemus, donec ad nos veniant ; sed ut ad illos curramus et sectemur eos. Sic Lot, sic Abraham fecit : nam diem hac in re insumpsit, hanc pulchram exspectans venationem: et cum videret, insiliebat, et obviam currebat, ad terram procidens adorabat, dicebatque : *Domine, si inveni gratiam in conspectu tuo, ne transeas servum tuum* (*Gen*. 18. 3). Non quemadmodum nos cum videmus peregrinum aut pauperem, supercilia attollimus, nec dignos putamus quos alloquamur ; et si post mille supplicationes emolliti tantillum argenti a famulis dari jusserimus, totum nos probe præstitisse putamus. At non sic ille, verum supplicis et famuli cultu atque forma, etiamsi nesciret quosnam excepturus esset.

4. *Hospitalitas quomodo exercenda*. — Nos autem cum certo sciamus nos Christum excipere, neque sic mansueti efficimur. At ille et rogat et supplicat et adorat ; nos autem accedentes contumelia afficimus ; ille per se et uxorem omnia perficit ; nos vero ne per famulos quidem. Si vero mensam scire velis quam apposuit, multam quoque hic liberalitatem deprehendes, non quam copia rerum efficiebat, sed quam probi animi divitiæ parabant. Quam multi divites tunc erant ? Sed nullus quidpiam simile fecit. Quot viduæ erant in Israel ? Sed nulla Eliam excepit hospitio. Quot divites etiam erant Elisæi tempore ? Sed Sunamitis sola hospitalitatis fructum decerpsit : quemadmodum et Abraham suo tempore cum largitate et alacritate fecit. Ideoque maxime admiranda

est, quod cum nesciret quinam advenissent, hæc tamen faceret. Ne itaque tu curiose inquiras; nam Christum excipis. Nam si semper curiose scrutaturus es, sæpe probatum virum prætercurres, et mercedem perdes. Atqui is qui non probum excipit, non accusatur, sed et mercedem habet. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet* (*Matth.* 10. 41). Qui vero ex hac intempestiva perquisitione virum quempiam probitate insignem prætercurrerit, pœnas dabit. Ne igitur vitam et gesta curiose inquiras: nam hoc extremæ imperitiæ est, pro uno pane vitam totam curiose scrutari. Nam si homicida sit, si latro, si quidvis aliud, annon pane et modica pecunia tibi dignus esse videtur? Sed Dominus quidem tuus etiam solem suum illi oriri facit; tu autem diurno cibo illum indignum judicas? Ego vero aliud quidpiam longe majus addam: si certo scires ipsum mille sceleribus esse obnoxium, ne sic quidem approbandus esses, si illum diurno cibo privares. illius enim servus es, qui dicit: *Nescitis cujus spiritus sitis* (*Luc.* 9. 55)? illius es famulus, qui lapidantium se curam gerebat; imo potius ejus, qui pro illis crucifixus est. Ne mihi dicas, Alium occidit: etenim si etiam te occisurus sit, ne sic tamen fame laborantem despicias. Illius quippe discipulus es, qui se crucifigentium salutem desiderabat, qui in ipsa cruce dicebat: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* 23. 34). Illius servus es, qui percutientem se curavit, qui contumelia se afficientem in ipsa cruce coronavit: cui rei quænam possit comparari? Nam initio ambo latrones contumeliis ipsum afficiebant; sed tamen eorum alteri paradisum aperuit. Defletque illos qui ipsum interfecturi sunt: turbatur, cum videt proditorem, non quod crucifigendus esset, sed quod ille periret. Turbabatur igitur, quod præsciret laqueum, et post laqueum supplicium. Et cum illius scelus cognosset, ad usque extremam horam tulit illum, nec repulit, sed osculatus est proditorem. Dominus tuus osculatur, et labiis excipit eum, qui statim pretiosum sanguinem suum effusurus erat: tu vero pauperi ne panem quidem porrigere dignaris? nec revereris legem quam posuit Christus? His enim ostendit non solum pauperes, sed etiam eos qui nos ad mortem deducunt, aversari non oportere. Ne mihi igitur hoc dixeris, Ille mihi mala contulit; sed cogita quid Christus fecerit, qui ad crucem usque per osculum quo proditurus erat, proditorem emendare curavit. Et vide quam ad pudorem pertrahat: *Juda*, inquit, *osculo Filium hominis tradis* (*Luc.* 22. 48)? Quem non emollivisset, quem non flexisset illa vox? quam feram, quem adamantem? Sed non miserum illum. Ne itaque dicas, Ille talem hominem occidit, ideoque illum aversor. Etiamsi gladium in te illaturus sit, et in guttur tuum dexteram immersurus, ipsam dexteram osculare, quoniam Christus os illud osculatus est, quod sui cædem patravit.

5. Et tu igitur ne odio habeas, sed lacrymare et miserare insidiantem: dignus enim est cujus misereamur et quem deploremus. Illius enim domestici sumus, qui proditorem osculatus est (non enim finem faciam hoc repetendi); et osculo ipso dulciora verba protulit. Non enim dixit, O exsecrande, o scelestissime proditor, hanccine gratiam nobis tanti beneficii rependis? sed quomodo? *Juda*, proprio nomine compellans, quod magis miserantis erat et revocantis, quam irati. Nec dixit, Doctorem tuum, Dominum et benefactorem; sed, *Filium hominis*. Etiamsi vero nec doctor, nec Dominus tuus esset, cumne qui ita mansuete, ita sincere erga te affectus erat, ut etiam in tempore proditionis te oscularetur, cum etiam osculum illud signum proditionis esset: cumne, inquam, prodis? Benedictus es, Domine, quantæ humilitatis, quantæ patientiæ exemplum nobis dedisti! Sed erga hunc ita se gessit: at erga illos, qui cum fustibus et gladiis invadebant, non ita. Quid enim mansuetius verbis, queis illos alloquutus est? Cum posset illos repente delere, hoc quidem non fecit, sed modeste illis verba ad pudorem inducentia protulit: *Quid exiistis, quasi ad latronem cum gladiis et fustibus* (*Matth.* 26. 55)? Et cum illos supinos conjecisset: quia tamen quasi sine sensu mansere, libens ille seipsum tradidit, et sustinuit videns vinculis constringi sanctas manus, cum posset omnia movere ac prosternere. Sed tu postea ferocis contra pauperem. Atqui etiamsi sexcentis obnoxius esset sceleribus, egestas et fames possent animum, nisi admodum induratus esset, flectere. Tu vero stas efferatus, et leonis furorem imitans: quamquam illi numquam mortuorum corpora degustaverunt; tu vero licet videas tantis confectum malis, jacentem invadis, et corpus per contumelias discerpis, tempestatem tempestati addis, atque eum qui ad portum confugit, in scopulum impellis, naufragiumque infers marinis naufragiis gravius. Et quomodo dices Deo, Miserere mei? veniam peccatorum postulas, dum illum contumelia afficis, qui contra te nihil peccavit, et ob famem tantamque necessitatem pœnas repetis, feras omnes crudelitate superans? Illæ enim cogente ventre, proprium sibi cibum arripiunt: tu vero nemine impellente vel cogente, fratrem devoras, mordens, discerpens; si non dentibus, at verbis morsu gravioribus. Quomodo ergo sacram oblationem sumes, qui humano sanguine linguam tingis? quomodo pacem das, dum os bello plenum est? quomodo sensibili cibo frueris, dum tantum virus colligis? Non paupertati subvenis: cur etiam conteris? non erigis jacentem: cur illum etiam dejicis? non tollis tristitiam: cur auges illam? non das pecunias: cur verbis contumeliam infers? Non audisti quantas pœnas dent ii, qui pauperes non alunt? quibus damnentur suppliciis? *Ite*, inquit, *in ignem æternum paratum diabolo et angelis ejus* (*Id.* 25. 41). Si ergo qui non nutriunt eos, ita damnantur, quas pœnas dabunt ii, qui non modo non nutriunt, sed et ipsis contumelias inferunt? quo supplicio, qua gehenna non afficientur? Ne ergo tanta nobis incendamus mala: dum facultas est, malum hunc morbum curemus, linguæ frenum imponamus; nec modo non contu-

meliis afficiamus, sed etiam consolemur et verbis et factis, ut nobis multa prius recondita misericordia, promissa nobis bona consequamur, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XXII.

Cap. 12. v. 14. *Benedicite persequentibus vos : benedicite, et nolite maledicere.*

1. Postquam docuit illos, quomodo oporteat mutuo affectos esse, membrisque diligenter conglutinatis, educit illos deinceps ad externam pugnæ aciem, faciliorem inde illam reddens. Quemadmodum enim is, qui ea quæ ad domesticos spectant non recte composuit, difficilius ea quæ ad extraneos pertinent administrabit: sic is, qui pulchre in istis sese exercuit, facilius res externorum componet. Ideo Paulus ultra procedens, post illud hæc ponit, et ait: *Benedicite persequentibus vos.* Non dixit, Ne injuriarum recordemini, nec vos ulciscamini, sed, quod multo majus est, exigit: illud enim philosophi viri est, hoc angeli. Et cum dixisset, *Benedicite*, subjungit, *Et nolite maledicere;* ut ne hoc vel illud, sed id tantum quod ille dicit, faciamus. Nam qui nos persequuntur, mercedis nobis conciliatores sunt. Si autem vigiles, aliam tibi cum hac mercedem apparabis. Ille tibi persequutionis mercedem parat; tu vero mercedem tibi attrahis benedictionis illius, signumque maximum effers dilectionis erga Christum. Sicut enim is qui maledicit se persequenti, ostendit se non multum gaudere dum hæc propter Christum patitur: sic qui benedicit, multum exhibet amorem. Ne igitur illi convicieris, ut et ipse majorem referas fructum, et illum doceas rem ex alacritate proficisci, non ex necessitate; celebritatis et diei festi rem esse, non calamitatis et mœroris. Ideo Christus dicebat: *Gaudete, cum dixerint omne malum verbum adversum vos mentientes* (*Matth.* 5. 11). Idcirco et apostoli reversi sunt gaudentes, non solum quod male audissent, sed etiam quod flagellati fuissent. Præter ea quæ dicta sunt aliud etiam non modicum lucraris, quod sic adversarios percellas, ac per opera illos doceas, te aliam carpere viam. Nam si te viderit gaudentem et alacrem dum male pateris, ex rebus ipsis clare discet, te spem habere præsentibus rebus majorem: si contra non hoc feceris, sed fleveris et lamentatus fueris, unde poterit ille scire te aliam vitam exspectare? Aliud præterea recte factum edes: si enim te viderit de contumeliis non dolentem, sed benedicentem, persequendi finem faciet. Vide igitur quanta hinc bona emergant: et tibi merces major, et tentatio minor, et ille persequi cessabit, et Deus glorificabitur, et philosophia tua erranti doctrina erit, qua ad pietatem ducatur. Ideo non contumelia afficientes modo, sed etiam persequentes et operibus nocentes, jubet contrariis remunerari. Et nunc quidem illis benedicere jussit; progressus vero etiam operibus benefacere ipsis hortatur. 15. *Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus.* Quia enim potest quis benedicere et non maledicere, nec tamen ex dilectione hoc facere, vult ille ut dilectione ardeamus. Ideo illud subdidit, ut non modo benedicamus, sed et compatiamur, si quando illos in calamitatem lapsos videamus. Etiam, inquies: flentibus condolere merito jussit; aliud vero cur præcepit, cum nihil magni sit? Atqui illud animo magis philosophico opus habet, gaudere nempe cum gaudentibus, quam flere cum flentibus. Hoc enim ipsa natura efficit; nemo enim est ita lapideus, ut non defleat eum, qui in calamitatibus versatur: illud autem generosi admodum est animi, prospere agenti non modo non invidere, sed etiam congaudere. Ideo illud primum posuit. Nihil enim ita dilectionem conciliat, ut cum et gaudium et mœrorem communem facimus. Ne igitur, quia tu procul ab ærumnis es, etiam a commiseratione semovearis: nam cum proximus tuus male patitur, communem facere debes calamitatem. Communes ergo tibi sint lacrymæ, ut tristitiam illius alleves: commune gaudium, ut lætitiæ radices ponas, et dilectionem confirmes; et sic ante illum te ipsum juvabis, dum per lacrymas misericordem reddis, et per commune gaudium te ab invidia liberas. Observes autem velim, quam non onerosus sit Paulus. Non enim dixit, Solve calamitatem, ne sæpe dicas id fieri non posse; sed quod facilius erat præcepit, et quod in facultate tua situm erat. Licet enim ærumnam amovere nequeas, induc lacrymas, et majorem partem abstulisti: si non possis augere felicitatem, induc gaudium et magnam accessionem intulisti. Ideo non solum non invidere, sed quod multo majus est, congaudere jubet: id quod multo majus est quam non invidere. 16. *Idipsum invicem sentientes: non alta sapientes, sed humilibus consentientes.*

2. *Arrogantia dissidii causa.*—Multam rursus de humilitate curam gerit, a qua sermonem incepit. Nam verisimile est illos fastu plenos fuisse, tum ab urbis celebritate, tum aliis multis de causis; ideoque frequenter morbum illum traducit et fastum comprimit. Nihil enim corpus Ecclesiæ ita discindit, ut arrogantia. Quid vero significat illud, *Idipsum invicem sentientes?* Advenit tibi pauper in ædes tuas? Esto illi sensu similis: ne majorem assumas fastum ob divitias: in Christo nec dives nec pauper est. Ne itaque pudore afficiaris ob externum amictum, sed suscipe illum propter internam fidem: neque, si lugentem videris, indignum putes quem consoleris; neque si prospere agentem, erubescas partem lætitiæ et gaudii suscipere; sed ut erga te ipsum, ita erga illum affectus esto: nam ait, *Idipsum invicem sentientes.* Exempli causa: magnum te esse existimas? Magnum et illum putato. Humilem et exiguum suspicaris illum? De te quoque ipso eumdem calculum feras, et inæqualitatem omnem elimina. Quomodo autem id fiat? Si arrogantiam abjicias. Ideo subjun-

git, *Non alta sapientes, sed cum humilibus consentientes;* id est, In illorum vilitatem descende, cum illo circumferaris. Ne tantum cum illo humiliter sentias, sed etiam fer opem et manum porrige, non per alium, sed per teipsum, ut pater filio prospiciens, ut caput corpori; quod et alibi ait, *Vinctis ut simul vinculis constricti* (*Hebr.* 13. 3). Humiles autem hic vocat non eos tantum qui humiliter sentiunt, sed viles et contemptibiles. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos;* id est, Ne putetis vos sufficere vobismetipsis. Nam alibi quoque dicit Scriptura: *Væ prudentibus apud semetipsos, et in oculis suis sapientibus* (*Isai.* 5. 21). His autem rursus arrogantiam deprimit, et fastum tumoremque depellit. Nihil enim ita a reliquis amovet et abscindit, ut cum quis putat se sibi satis esse: ideoque nos Deus ita constituit, ut alter altero opus haberemus. Etiamsi enim prudens sis, alio opus habebis: si te non opus habere putes, omnibus factus es stultior et imbecillior. Nam qui talis est, se omni vacuum auxilio constituet, et in peccatis suis nulla fruetur vel correctione vel venia, ac per arrogantiam suam Deum ad iram concitabit, et in multis delinquet. Accidit namque, sæpe accidit, ut qui prudens est, id quod oporteret non videat; et is qui stultior est, aliquid eorum quæ conveniunt reperiat: quod in Moyse et in socero suo contigit, quod in Saüle et in puero suo, quod in Isaaco et in Rebecca. Ne putes ergo te deprimi, si altero indigeas: hoc enim te magis exaltat, hoc te fortiorem facit, hoc te splendidiorem et tutiorem. 17. *Nemini malum pro malo reddentes.* Nam si alium qui tibi insidiatur vituperes, cur te crimini obnoxium facis? si malum ille fecit, cur tu æmulationem non fugis? Et vide, quomodo hic non distinxerit, sed communem legem posuerit. Neque enim dixit, Fideli malum non reddas; sed *Nemini*, etiamsi gentilis sit, etiamsi scelestus, et quisquis tandem fuerit. *Providentes bona coram omnibus hominibus:* 18. *si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Hoc est, *Luceat lux vestra coram hominibus* (*Matth.* 5. 16): non ut ad vanam gloriam vivamus, sed ut ansam volentibus ne præbeamus adversum nos. Unde alibi quoque dicit: *Inoffensi estote et Judæis et Græcis et Ecclesiæ Dei* (1. *Cor.* 10. 32). Bene autem in sequentibus id declarat, dicens, *Si fieri potest, quod ex vobis est.* Aliquando autem fieri nequit, ut cum de pietate sermo est, et quando de injuria affectis concertatur. Et quid miraris, si apud alios homines id fieri non semper possit? quandoquidem inter virum et uxorem hanc solvit necessitatem, dicens: *Si vero infidelis discedit, discedat* (*Ibid.* 7. 15); id est, Quæ penes te sunt præsta, et nemini des ansam belli et pugnæ, non Judæo, non Græco: sicubi vero pietatem lædi videas, ne præponas concordiam veritati, sed generose persiste usque ad mortem; ac neque sic ex animo pugnes, neque ex voluntatis proposito ipsum averseris, sed in rebus tantummodo pugnes: id enim significat illud, *Quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et si ille pacem non servaverit, tu ne animum tuum tempestate repleas, sed ex proposito voluntatis amicus esto, ut dixi, veritatemque nusquam prodas. 19. *Neque vos ipsos ulciscentes, carissimi, sed date locum iræ:* scriptum *est enim: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus* (*Deut.* 32. 35). Cui iræ? Dei. Quia enim hoc maxime videre cupit is, qui injuria affectus est, ut ultione fruatur, hoc ipsum Deus abunde dat: nam si te non ulciscaris, Deus ultor erit. Concede igitur illi, inquit, ut hoc aggrediatur: id enim significat illud, *Date locum iræ.*

3. Deinde, ut magis consoletur, testimonium adduxit, et hac ratione magis illum recreans, majorem ab illo philosophiam requirit dicens: 20. *Si ergo esuríerit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ipsius.* 21. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Quid enim dico, inquit, quod in pace sit vivendum? Nam inimico benefacere jubeo: etenim ait, *Ciba illum et potum da illi.* Deinde quia rem laboriosam et magnam præcepit, subjunxit: *Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ipsius.* Hæc porro dixit, illum metu reprimens, et hunc spe retributionis alacriorem reddens. Nam qui injuste læsus est, cum infirmatus fuerit, non de propriis bonis ita afficitur, ut de supplicio ejus qui se læsit. Nihil enim ita jucundum est, ut ultio de inimico sumpta. Quod ergo desiderat, hoc illi primo dat; et postea cum venenum amisit, tunc ad subliniora hortatur, dicens: *Noli vinci a malo.* Sciebat enim inimicum, etiamsi fera esset, inimicum tamen non mansurum, si cibum ab illo acceperit. Et si is, qui læsus fuit, quantumcumque vindictæ cupidus sit, postquam inimico cibum et potum dederit, non ultra certe vindictam ejus optaturus est. Ideo de fine et exitu rei fiduciam habens, non simpliciter comminatur, sed supplicium vario modo depingit. Non enim dixit, Vindictam sumes; sed, *Carbones ignis congeres super caput ejus.* Deinde sic prædicans illum alloquitur: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum;* atque ita sensim subindicat, non oportere tali animo facere: nam injuriæ memoriam adhuc retinere, est vinci a malo. At primo quidem illud non dixit; neque enim tempus erat: cum autem iram illius evacuavit, tunc subjunxit dicens, *Vince in bono malum.* Nam et hoc victoria est. Pugil enim magis vincit, non cum se subjicit ad plagas recipiendas, sed quando erigens seipsum, id agit ut adversarius in aerem vim suam effundat. Ita enim ipse plagas non accipiet, et ejus vires dissolvet: id quod etiam in contumeliis evenit. Nam cum contumeliam contumelia repellis, superatus es non ab homine, sed quod turpius est, ab illiberali affectu: si vero taceas, vicisti, ac sine labore tropæum erexisti, innumerosque habebis te corona donantes, et convicii falsitatem damnantes. Nam qui contradicit, quasi ex convicii morsu contradicere videtur; cum morsum vero sentiat, suspicionem præbet, quod sit dictorum conscius: si vero deriseris, ex risu calculum et judicium contra te latum solvisti. Si autem

velis clarum dictorum demonstrationem accipere, ipsum inimicum interroga, quando magis doleat, an cum ardens contumeliam vicissim rependis, an cum convicianlem derides: atque hoc postremum magis audies. Neque enim tantum placet ipsi, quod vicissim convicia non reponas, quantum mordetur, quod non possit te commovere. Non vides furore percitos homines, qui plagas acceptas non multum curantes, impetu magno irruunt et plus quam sues agrestes proximi vulnera quærunt, atque ad hoc unum respiciunt, hocque magis curant, quam caveant ne sibi vulnus inferatur? Quando igitur illum ea re privas, quam ipse summopere cupit, omni jam optata re privasti, dejecisti, contemptu dignum ostendisti, et puerulum magis quam virum: et tu philosophi calculum adeptus es, illi vero malæ bestiæ famam conciliasti. Illud et cum verberamur, faciamus: si verberare velimus, ne vicissim verberemus. Sed vis letalem inferre plagam? Verte illi alteram maxillam et mille illum vulneribus confodies. Nam qui plaudunt et mirantur, graviores illi sunt quam si ipsum lapidarent; et ante illos etiam conscientia eum damnabit, et maximas repetet pœnas, et ac si extrema passus esset, sic erubescens abscedet. Si vero gloriam apud multos quæris, hac quoque magis frueris. Nam et alioquin erga illos, qui male patiuntur, aliqua movemur commiseratione: et quando videmus illos sese non ulciscentes, sed adeo sponte se exponentes, non modo commiseratione, sed etiam admiratione dignos habemus.

4. Ideo jam ego pene ingemisco, quod qui possemus et præsentibus potiri, si Christi leges ut par est audiremus, et futura etiam consequi; ab utrisque excidimus, dictis non obsequentes, inutiliter philosophantes. Nam utiliter has omnes leges constituit, ostenditque quid gloriosos redderet, quid turpes et inglorios. Neque hæc ille præcepisset, si hinc discipulos suos ridiculos facturus fuisset; sed quia hoc illos omnium splendidissimos reddit, quod non male dicant, cum male audiunt; quod non male faciant, cum male patiuntur: ideo hæc præcepit. Si hoc autem, multo magis gloriosum erit bene dicere, cum male audiunt; laudare, cum conviciis impetuntur; insidiantibus beneficia præstare. Ideo igitur hanc quoque legem tulit. Discipulis enim suis parcit, scitque probe quid aut parvum aut magnum faciat. Si ergo et parcit et bene novit, cur cum illo contendis, cum alteram viam vis inire? Nam vincere mala faciendo, ad diaboli pertinet leges: ideo in Olympicis certaminibus ipsi consecratis, sic qui decertant omnes vincunt. At non in Christi stadio ea est coronarum lex, sed contraria omnino: lege enim statutum est eum qui percutitur, non eum qui percutit, coronandum esse. Tale siquidem ipsius stadium omnia e contrario constituta habet; ita ut non ex victoria tantum, sed ex victoriæ modo, majus sit miraculum. Quando enim ea, quæ alibi clades habentur, victoriam hic pariunt: hoc Dei potentia, hoc cæli stadium, hoc angelorum theatrum.

Injuriæ patienter ferendæ. — Scio vos jam accensos esse, et cera molliores esse factos; sed cum discesseritis, omnia effundetis. Ideo doleo, quod dicta ad opus non adhibeamus, cum tamen inde maxima lucra reportaturi simus. Nam si mansuetudinem exhibemus, insuperabiles erimus omnibus, nemoque sive parvus sive magnus nobis vel tantillum nocere posset. Sive enim quis maledixerit tibi, te ille nihil, se vero multum læserit: si tibi injuriam fecerit, damnum penes injuriam inferentem erit. Non vides in judiciali foro, quod qui injuria affecti sunt, splendidi et cum multa fiducia stent libere loquentes; qui vero læserunt, demisso capite, cum pudore et metu versentur? Et quid dico accusationem et injustitiam? Etiamsi gladium inimicus contra te acuerit, dexteramque in guttur immerserit, te quidem nihil læsit, seseque jugulavit. Sermoni fidem facere possit is qui primus sic interfectus est fraterna manu. Ille enim ad tranquillum portum abiit, immortalem adeptus gloriam; alter vero vita quavis morte miseriore vixit, gemens ac tremens, et in corpore accusationem sceleris circumferens. Ne itaque hoc, sed illud persequamur. Qui enim male patitur, non habet manens in se malum; neque enim ipse malum peperit, sed aliunde illud accepit, et per patientiam bonum reddidit: qui autem malum intulit, in se plagam nequitiæ habet. Annon Joseph in carcere erat, insidiatrix vero ejus adultera in ædibus splendidis et illustribus? Quem malles te esse? Necdum tamen mercedem dixeris, sed ipsa utrinque facta per se perpende: sic enim longe præferes carcerem cum Josepho ædibus illis, in queis scortum erat. Nam si utriusque animam videris, hanc in latitudine et fiducia multa videbis; Ægyptiæ vero animam in angustia, pudore, mœrore, tumultu, multaque tristitia. Quamquam illa vincere videtur: at non erat hæc victoria. Hæc cum sciamus, ad mala patienda nos præparemus, ut a malis tandem liberemur, et futura consequamur bona, quæ utinam nos omnes adipiscamur, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XXIII.

CAP. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*

1. De hac re plurima verba facit in aliis etiam epistolis, ut domesticos heris, sic et subditos principibus subjiciens. Id vero facit, ostendens Christum non ad eversionem communis politiæ leges suas induxisse, sed ad emendationem, docens ut ne superflua et inutilia suscipiantur bella. Sufficiunt enim insidiæ illæ, quæ propter veritatem nobis parantur, nec par est supervacaneas et inutiles adjicere tentationes. Vide autem quam opportune in hunc sermonem accesserit. Postquam enim magnam illam philosophiam requisivit, et amicis et inimicis commodos, atque iis qui prospere, et iis qui infeliciter

rem gererent, egenis et omnibus utiles reddidit, ac vitæ institutum quod angelis deceret inseruit, iram evacuavit, arrogantiam repressit, illorumque animum in omnibus mansuetum reddidit : tunc de hisce rebus adhortationem inducit. Nam si iis, qui injuriam inferunt, contraria rependere oportet; multo magis iis, qui nos beneficiis ornant, obtemperare convenit. Sed hoc quidem in fine adhortationis ponit : interea vero illa non movet ratiocinia, quæ dixit, sed ea, quæ ex debito obedire jubent. Et ostendens hoc omnibus imperari, sacerdotibus etiam et monachis, nec sæcularibus tantum, hoc ab exordio declarat, dicens : *Omnis anima potestatibus sublimibus subdita sit;* etsi apostolus sis, etsi evangelista et propheta, etsi quivis alius : neque enim hæc subjectio pietatem subvertit. Nec simpliciter dixit, Obediat, sed, Subdita sit. Est autem prima defensio talis constitutionis, quæ et cum fidelibus ratiociniis convenit, quod a Deo hæc præcepta fuerint : *Non est enim potestas*, inquit, *nisi a Deo.* Quid dicis ? omnisne princeps a Deo ordinatus est ? Non hoc dico, inquit : neque enim de singulis principibus mihi nunc sermo est, sed de re ipsa. Nam quod principatus sint, et quod alii imperent, alii subjecti sint, neque omnia casu ac temere ferantur, populis quasi fluctibus hinc et inde circumactis, divinæ esse sapientiæ dico. Ideo non dixit : Non enim est princeps nisi a Deo; sed de re ipsa loquitur dicens : *Non enim est potestas nisi a Deo : quæ vero sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt.* Sic et cum quidam sapiens dicit, *A Deo adaptatur viro mulier* (*Prov.* 19. 14); hoc dicit, quia nuptias Deus constituit, non quia singulos qui mulieres ducunt ipse conjunxerit : multos quippe videmus, qui male et non ex nuptiarum lege junguntur, neque hoc Deo imputaverimus. Sed quod Christus ipse dixit : *Qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos; et dixit, Ideo relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ* (*Matth.* 19. 4. 5; *Gen.* 2. 24); hæc quoque sapiens ille interpretans dicebat : quia enim honoris æqualitas bellum sæpe inducit, multos fecit principatus multasque subjectiones, ut viri et mulieris, filii et patris, senis et juvenis, servi et liberi, principis et subditi, doctoris et discipuli. Ecquid miraris quod hoc in hominibus fecerit, quando idipsum in corpore fecit. Neque enim hic omnia paris honoris fecit, sed hoc minus, illud melius, et alia imperare, alia subdita esse jussit. In brutis quoque idipsum videre est, ut in apibus, in gruibus, in gregibus ovium agrestium. Neque mare hoc bono ordine privatum est; sed et illic multa piscium genera sub uno ordinantur et militant, et sic longas peregrinationes suscipiunt. Nam ubi nullus principatus est, ubique malum et perturbatio regnant. Cum dixisset ergo undenam sit principatus, subjunxit : 2. *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Vide quo rem deduxerit, unde terruerit, ac quomodo ostenderit hoc ex debito fieri. Nam ne fideles dicerent : Nos viles reddis, et contemptui exponis, dum eos qui regno cælorum potituri sunt, principibus subdis : ostendit se ita non principibus, sed Deo illos subjicere : nam qui principatibus subjectus est, illi obsequitur. Verum non ita loquitur, nempe quod Deo obsequatur is, qui principibus obedit; sed per contrarium terret, et accuratius idipsum probat dicens, eum qui principi non obedit, cum Deo pugnare, qui hanc legem posuit; et hoc ubique demonstrare studet, quod non gratiam illis, sed debitum obediendo præstemus. Ita enim ille principes infideles ad piam religionem magis alliciebat, et fideles ad obedientiam. Etenim rumor undique circumferebatur, quo apostoli ut seditiosi et novarum rerum auctores incusabantur, qui ad legum communium eversionem omnia facerent et dicerent. Cum enim ostendes communem Dominum nostrum hoc suis omnibus præcipere, eorum, qui apostolos ut novatores traducebant, ora osbtrues, et cum majori fiducia pro veritatis dogmatibus loqueris.

2. Ne itaque talis subjectionis te pudeat. Nam hanc Deus legem posuit, et eos qui ista contemnunt vehementer ulciscitur. Nam si non obsequaris, pœnas abs te non leves repetet, sed maximas, nec quidquam te repugnantem eximet : quin et ab hominibus gravissimo plecteris supplicio, nemoque tibi patrocinabitur, ac Deum magis irritabis. Quæ omnia subindicans dicebat : *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Deinde post incussum timorem rei utilitatem ostendat, per ratiocinia id suadet, ita loquens : 3. *Nam principes non sunt timor bonorum operum, sed malorum.* Postquam enim profundam inflixerat plagam, illosque terruerat, rursus illos erigit, ut sapiens medicus levia adhibens pharmaca, consolando dicens : Quid times? quid exhorrescis? an te bene agentem corripit? an terribilis est virtutis studioso? Ideo adjicit : *Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa.* Viden' quomodo illum cum magistratu conciliet, dum ostendit illum ipsius laudatorem sedere? vide quomodo iram evacuaverit? 4. *Dei enim minister est tibi in bonum.* Tantum abest ut te terreat, ut etiam laudet : tantum abest ut impediat, ut etiam tecum cooperetur. Cum ergo et laudatorem habeas et adjutorem, cur non te subjicis? Nam et alias faciliorem tibi virtutem reddit, malos quidem puniens, bonos autem beneficiis et honore donans, Deique voluntati cooperans : ideoque ministrum illum vocavit. Perpende autem : Ego ut temperans sis consulo, et ipse per leges ita dicit : Ego hortor ne quis avaritiæ studeat, ne rapiat, et ille super hæc judex sedet. Itaque is cooperator est et nobis auxiliator, et ad hæc rem a Deo missus est. Utrinque ergo venerabilis est, et quod a Deo missus est, et quod ad ejusmodi negotium. *Quod si malum feceris, time.* Non ergo princeps timorem incutit, sed nequitia nostra. *Non enim frustra gladium portat.* Viden' quomodo illum exhibeat armatum ceu quemdam militem, peccatoribus terribilem ostendens? 4. *Dei enim minister in iram, ultor ei, qui malum operatur.* Ne rursus pœnam audiens, supplicium et gladium, resilias, rursus dicit eum Dei legem implere. Quid enim,

princeps ignoret? Sed Deus ita instituit. Si ergo et dum punit et dum honorat, Dei minister est, virtutem vindicans, malitiam abigens, id quod Deo placet, cur cum illo contendis, qui tanta inducit bona rebusque tuis viam parat? Nam multi qui prius ex magistratus metu virtutem exercuerunt, postea propter Dei timorem illam amplexi sunt. Crassiores enim non tam futura tangunt, quam præsentia. Qui ergo multorum animos præparat, vel timore, vel præmiis, ita ut aptiores sint ad doctrinæ verbum, jure minister Dei vocatus est. 5. *Ideo necesse est subditos esse, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Quid significat, *Non solum propter iram?* Non solum, inquit, quia si non subjectus es, adversaris Deo, et magna tibi mala et a Deo et ab hominibus pertrahis; sed quia etiam magistratus in rebus maximis tibi beneficus est, pacem concilians et administrationem politicam. Etenim per magistratus illos mille bona civitatibus inferuntur si illos auferas, omnia abscedent, nec civitates, nec vici nec domus erunt; non forum, non aliud quidpiam stabit; sed omnia subvertentur, potentioribus infirmiores devorantibus. Itaque etsi ira quædam inobedientem non sequeretur, te tamen subjici oporteret, ut ne videreris sine conscientia esse, et ingratus erga benefactorem. 6. *Ideo enim et tributa solvitis,* inquit. *Dei enim ministri sunt, in hoc ipsum incumbentes.* Omissis beneficiis singulis quæ a magistratibus præstantur civitatibus; ut sunt bonus ordo, pax, alia ministeria, quæque milites spectant, quæ communia officia; ex hoc uno totum ostendit. Quod enim ab illo beneficia accipias, inquit, tu testificaris, mercedem illi persolvens. Vide sapientiam, prudentiamque beati Pauli. Quod enim onerosum videbatur esse et grave, nempe exactiones, hoc argumentum facit illorum providentiæ. Cur enim, inquit, tributa regi pendimus? Annon ut providenti? annon ut præposito sollicitudinis suæ mercedem damus? Atqui non penderemus, nisi a principio novissemus, ex tali principatu nobis lucrum accedere: verum ideo jam olim ex communi decreto statutum est, ut magistratus a nobis alerentur, quia domesticis neglectis rebus, de publicis solliciti sunt, et in his otium totum impedunt, quo nostra servantur.

3. Cum dixisset ergo ea, quæ ad externos pertinent, ad priora sermonem revocat: hoc enim modo fidelem magis pertrahere poterat: rursusque ostendit Deo ita placere, qua in re consilium suum concludit, ita dicens: *Dei enim ministri sunt.* Deinde laborem ipsorum ostendens atque miseriam, addit, *In hoc ipsum incumbentes.* Hæc enim illorum vita est, hoc studium, ut pace fruaris. Ideo in alia epistola non solum illis subditos esse, sed etiam pro illis precari jubet: et postquam illic quoque ostendit lucrum esse commune, subjungit: *Ut placidam et quietam vitam agamus* (1. *Tim.* 2. 1. 2). Neque enim parum nobis conferunt ad præsentis vitæ statum, arma moventes, hostes propulsantes, seditiosos in urbibus cohibentes, subortas in omnibus lites solventes. Ne mihi enim dixeris, quod quis sæpe hac potestate [illegible] ordinem respice, [illegible] cipio hanc legem statui [illegible] *go omnibus debita* : [illegible] *gal, vectigal; cui* [illegible] *honorem.* 8. *Nemini* [illegible] *cem diligatis.* Iisdem [illegible] modo ipsis pendere jubens, [illegible] rem. Et quomodo qui supra [illegible] *potestatem? fac bonum*; hic [illegible] Intensum dicit honorem, non [illegible] scientia partum, quem supra [illegible] Date, sed, Reddite, et *Debita* [illegible] ad gratiam hoc facis: debitum [illegible] præstiteris, ingrati pœnas lues. Neque [illegible] fieri, et nocumentum accipere secundum [illegible] phiæ tuæ dignitatem, si præsente principe [illegible] si caput detegas. Nam si cum tunc principes [illegible] les essent, hoc præcepit; multo magis nunc cum fideles sunt, hoc præstandum est. Quod si tu dicas tibi majora concredita esse, disce non adesse nunc tempus tuum: extraneus enim es et peregrinus. Erit tempus, quo omnium splendidissimus apparebis: nunc vita tua abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria. Ne quæras igitur in hac fluxa vita retributionem; sed si cum timore adesse oporteat coram principe, ne putes indignum hoc esse nobilitate tua. Deus enim ita vult, ut princeps ab illo creatus suam fortitudinem habeat. Etenim cum is, qui nullius sibi mali conscius est, cum timore adstat ante judicem; multo magis is, qui mala perpetrat, timore corripietur. Tu vero hinc etiam splendidior eris: neque enim ex tali honore præstito vilis efficeris, sed si honorem non exhibeas: et ipse princeps te magis mirabitur et Dominum tuum hinc glorificabit, etiamsi infidelis sit. *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Rursus ad matrem bonorum confugit et ad dictorum magistram virtutisque omnis causam, dicitque ipsam quoque esse debitum, non quidem tale quale est tributum, quale vectigal, sed perpetuo colendam. Numquam enim illam reddi vult; imo semper quidem reddi vult, non tamen impleri, sed semper deberi. Tale quippe debitum est, ut semper detur, semper debeatur. Cum dixisset ergo quomodo diligere oporteat, ejus rei lucrum declarat dicens: *Qui diligit alium, legem implevit.* Neque hoc gratiam esse putes; nam et hoc debitum est: debes quippe fratri dilectionem ob cognationem spiritualem: neque hac solum ratione, sed et quia membra sumus alter alterius: et si dilectio hæc recedat, totum dissipatum est. Dilige ergo fratrem. Si enim ex ejus dilectione tanta lucraris, ut totam legem impleas, debes illi dilectionem, ut tali ab illo beneficio affectus. 9. *Illud enim, Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, et si quod aliud mandatum, in hoc verbo summatim comprehenditur: Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* 22. 39). Non dicit simpliciter, Impletur, sed *Summatim comprehenditur*; id est, breviter, ac to-

tum præceptorum opus in brevi perficitur : nam principium et finis virtutis est dilectio ; hanc habet radicem, hanc materiam, hoc culmen. Si ergo illa est et principium et plenitudo, quid huic par est?

4. Verum non simpliciter dilectionem requirit, sed etiam vehementem. Neque enim simpliciter dixit, Dilige proximum tuum, sed *Sicut teipsum*. Ideo enim Christus et legem et prophetas ab illa pendere dicebat. Et cum duo posuisset dilectionis genera, vide quo illam deduxerit. Cum dixisset : Primum mandatum est, *Diliges Dominum Deum tuum*, subdidit : *Secundum vero;* nec tacuit, sed adjecit, *Simile huic*, *Et proximum tuum sicut teipsum*. Quid huic benignitati par fuerit? quid huic mansuetudini? Cum immenso spatio ab illo distemus, dilectionem illam inter nos mutuam juxta illam adducit, qua ipse diligitur, et similem huic esse dicit. Ideoque mensuram utrique prope eamdem ponens, de illa dicebat : *Ex toto corde tuo, et ex tota anima tua ;* de hac vero quæ proximi est, *Sicut teipsum*, dicit. Paulus vero, si hæc non fuerit, non multum utilitatis ab illa carpi dicit. Quemadmodum ergo nos cum quemdam diligimus, dicimus, Si illum diligas, me diligis : sic et ille idipsum declarans dicebat ; *Simile* est *huic ;* et Petro : *Si diligis me, pasce oves meas* (*Joan.* 21. 16). 10. *Dilectio proximi malum non operatur : plenitudo ergo legis est dilectio.* Viden' quomodo utramque virtutem habeat, abstinentiam a malis (nam ait, *Malum non operatur*), et bonorum operationem : *Plenitudo enim legis est*, inquit, non solum nobis agendorum doctrinam breviter inducens, sed et ipsorum exhibitionem facilem reddens. Non enim hoc solum curat, ut discamus ea quæ scire debemus (quod legis officium est) ; sed et ad operationem ipsius magnum nobis inducit auxilium, non partem præceptorum, sed universam in nobis virtutem perficiens. Diligamus ergo nos invicem, ut qui hoc pacto eum qui dilexit nos Deum diligamus. Apud homines enim si quem ab alio amatum diligas, repugnat illius amator : hic vero dignatur Deus amorem te communem habere ; ac non communem habentem odit. Humanus quippe amor invidia et livore plenus est ; divinus omni passione vacuus. Propterea quærit qui secum in amore communicent : Dilige mecum, inquit, et tum ego te magis amabo. Viden' verba ardentis amatoris? Si dilectos meos dilexeris, tunc credam me sincere a te diligi. Etenim salutem nostram admodum desiderat, et hoc jam olim declaravit. Quando hominem efformavit, audi quid dixerit : *Faciamus hominem ad imaginem nostram* (*Gen.* 1. 26) ; et rursum : *Faciamus ei adjutorium ; non est bonum eum esse solum* (*Gen.* 2. 18). Et cum postea prævaricatum increpavit, vide quam mansuete id faciat : non enim dixit illi, Scelestе, exsecrande, tot acceptis beneficiis, diabolo postea in omnibus credidisti, et benefactore relicto, maligno dæmoni hæsisti : sed quid ait? *Quis tibi dixit quod nudus esses, nisi quod de ligno, de quo solo præceperam tibi ne comederes, comedisti* (*Gen.* 3. 11)? ac si pater, cum filio ne gladium contingeret præcepisset, illi non obsequuto, et vulnerato diceret : Unde vulneratus es? Inde scilicet, quia me non audisti. Viden' amici potius dicta, quam Domini? amici, inquam, contempti, nec ideo amare cessantis. Imitemur ergo illum, et cum increpamus, hanc servemus mansuetudinem. Nam et mulierem cum eadem mansuetudine increpat ; imo non increpatio, sed admonitio et emendatio erant quæ dicebat, atque ad futuram cautio. Propterea ad serpentem nihil dicit : ille namque erat malorum auctor, et non potuit ad alium transferre culpam (*a*). Propterea illum vehementer punivit. Neque hic substitit, sed et terram maledicti participem fecit. Quod si hominem ejecit e paradiso, et ad laborem damnavit ; ideo maxime ipsum adorare et admirari debemus. Quia enim deliciæ hominem ad ignaviam deduxerant ; lætitiam abscidit, doloremque quasi murum ad ignaviam propulsandam posuit, ut ad ejus dilectionem redeamus. Quid vero erga Cainum fecit? annon eodem usus est mansuetudinis modo? Nam ab illo contumelia affectus, non contumeliam retulit, sed hortatur et dicit : *Cur concidit vultus tuus* (*Gen.* 4. 6)? et si factum illud nullam habebat veniam, ostendit hoc frater junior. At neque sic increpat, sed quid ait? *Peccasti? quiesce, ne adjicias ultra : Ad te conversio ejus erit, et tu dominaberis illius*, de fratre loquens. Si enim times, ait, ne propter hostiam primogeniti prærogativam a te auferam : confide, omnem siquidem principatum in illum in manus pono tuas : tantum melior evadas, et dilige eum qui in nullo te læsit : tamen utriusque curam gero. Et hoc mihi maxime gaudio erit, si nihil inter vos sit dissidii. Sicut enim mater prolis amans, sic et Deus omnia facit et machinatur ut ne quis ab altero divellatur.

5. Ut autem id, quod dico, per exemplum clarius percipias : cogita mihi Rebeccam turbatam et undique circumcursantem, cum major frater juniorem impugnabat. Etsi enim Jacobum amaret, Esaü tamen non aversabatur : ideo dicebat : *Ne forte duobus filiis una die orber* (*Gen.* 27. 45). Ideo et Deus tunc dicebat : *Peccasti? Quiesce : ad te conversio ejus erit* (*Gen.* 4. 7. *sqq.*) ; sic cædem avertere volens, et pacem inter ambos quærens. Postquam vero illum Cain occidisset ; neque sic providentia sua illum destituit, sed rursus mansuete fratricidæ loquitur dicens : *Ubi est Abel frater tuus?* ut hoc pacto rem confiteretur. Ille vero ut prius concertat, idque cum majore et graviore impudentia. Sed neque sic abscessit Deus ; imo rursus amatoris contumelia affecti et despecti verba facit, aitque : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* Ac rursus cum homicida terram ipsam perstringit, in illam iram emittens suam, dicens : *Maledicta terra, quæ aperuit os suum ut exciperet sanguinem fratris tui ;* imitatus eos, qui casus deplorant

(*a*) Serpenti nihil dixit Deus, quod eum a nequitia averteret, neque monita dedit ei, quod mutari non posset, nec ad meliorem se frugem recipere valeret. Sic intelligendus Chrysostomus est, cum dicit Deum serpenti nihil dixisse, sed Adamum et Evam tantum alloquutum fuisse. Sic in sequentibus quædam profert, quæ explicatu opus habent.

Id quod etiam David faciebat, postquam Saül ceciderat. Nam et ille montibus, qui sanguinem exceperant, maledicebat his verbis : *Montes Gelboe, ne cadat super vos ros, nec pluvia, quia ibi projecta sunt scuta fortium* (2. *Reg.* 1. 21). Ita et Deus quasi funebrem cantum edens, ait : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Et nunc maledictus tu de terra, quæ aperuit os suum ad excipiendum sanguinem fratris tui de manu tua.* Hæc porro dicebat effervescentem illius furorem reprimens, et suadens ut vel defunctum diligeret. Illius vitam extinxisti, ait, cur inimicitiam non jam exstinguis? Sed quid facit Deus? Et illum et hunc diligit : utrumque enim ille efformavit : quid ergo? impunitumne homicidam relinquat? At sic ille pejor fiet. An puniet? At patre quovis amantior est. Vide igitur quomodo et puniat simul et amorem exhibeat; imo vero non punit, sed corrigit tantum. Neque enim occidit illum, sed tremore constrinxit, ut culpam exueret, ut vel sic ad ipsius amorem reverteretur, et cum defuncto pacisceretur : neque enim volebat eum inimicum defuncti ex hoc sæculo migrare. Tales sunt ii qui amant : quando beneficia præbentes non diliguntur, coguntur vehementes fieri et comminari, non sponte quidem, sed ab ipso amore ad hoc deducti, ut vel sic eos qui se despiciunt attrahant. Quamquam enim hæc dilectio necessitatem quamdam afferat; attamen ipsos etiam per hoc consolatur, quod admodum diligat : itaque vel ipsa punitio ex amore procedit. Nam qui non dolent quod odio habeantur, neque punire cupiunt. Vide ergo et Paulum hæc Corinthiis dicentem : *Quis est*, inquit, *qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me* (2. *Cor.* 2. 2)? Itaque cum magis supplicium auget, tunc amorem ostendit. Sic et Ægyptia quod multum amaret, vehementer etiam Josephum ulta est. Sed illa quidem ad malum; impudicus enim amor erat : Deus autem ad bonum; digna quippe erat amante dilectio. Propterea non recusat ad crassiora verba descendere, humanorumque affectuum [illegible] est. [illegible] *Luc.* 2. [illegible]

Deus [illegible] ut ipse vult [illegible] avertamus. [illegible] punit quos diligit [illegible] quid dicat [illegible] tur, sed [illegible] *tuos, et tradam te* [illegible] *occident, et* [illegible] *non amplius* [illegible] Quid amplius dixero [illegible] temptus, et postea rursum [illegible] enim non agit Deus ut diligatur [illegible] que Filio suo pepercit. At [illegible] sumus. Sed simus tandem [illegible] Deum ut diligere par est, ut [illegible] fruamur. Si enim qui [illegible] sentit ex iis, quæ quotidie [illegible] divino et puro amore tenebitur, [illegible] voluptate. Hoc enim, hoc inquam, regnum [illegible] est, hoc bonorum fruitio, hoc voluptas, [illegible] hoc gaudium, hoc beatitudo; imo [illegible] nihil umquam potero dignum afferre : [illegible] tia hoc docere bonum potest. Ideo dicebat propheta : *Delectare in Domino*; et, *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* 36. 4. *et* 33. 9). Obsequamur ergo, et delectemur in ejus dilectione. Sic enim hic jam regnum cælorum videbimus, et vita vivemus angelica; atque in terra versantes, nihil minus habebimus quam ii qui in cælo habitant, et postquam hinc migraverimus, omnium splendidissimi ante tribunal Christi sistemur, ineffabilique gloria fruemur : quam utinam omnes assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri, unaque Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIV.

Cap. 13. v. 11. *Et hoc, scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere.*

1. Postquam omnia, quæ par erat, præcepit, illos ad bona opera exsequenda ab eo quod urget impellit. Jam in foribus, inquit, adstat judicii tempus : quemadmodum Corinthiis scribebat, *Tempus jam contractum est* (1. *Cor.* 7. 29); et Hebræis rursum : *Adhuc modicum aliquantulum, et qui venturus est veniet, et non tardabit* (*Hebr.* 10. 37). Sed illic quidem laborantes erigens, et sudoribus frequentium tentationum consolationem adhibens hæc dicebat; hic vero dormientes excitans : nam ad utrumque utilis nobis est hic sermo. Quid vero significat dictum illud, *Hora est jam nos de somno surgere?* Id est, prope est resurrectio, prope est tremendum judicium, prope est dies illa ut clibanus accensa; et opus demum est, ut ab ignavia nos expediamus. *Nunc enim proprior est nostra salus, quam cum credidimus.* Viden' quomodo jam illis resurrectionem adesse dicat? Tempore procedente, inquit, præsentis vitæ spatium insumitur; futuri vero sæculi tempus propius accedit. Si ergo paratus sis, et si omnia quæ præcepit feceris, salutis dies erit; sin contra feceris, non item. Sed interim non a tristibus, sed a jucundis hortatur, hac ratione illos a præsentium rerum affectu solutos reddens. Deinde, quia verisimile erat illos initio studiosiores esse, vigente nempe illorum desiderio; tempore vero procedente, hoc studium omne minui ac pene marcescere : dicit jam contrarium facere oportere, non procedente tempore dissolvi, sed potius vires exserere. Quando enim regis imminet adventus, tum tanto magis sese apparare oportet, quanto propius bravium, tanto magis sese excitare oportet ad certamina. Nam et cursores hoc agunt, cum ad cursus finem devenerunt, et ad bravium accipiendum, tunc magis excitantur. Ideo dixit, *Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credi-*

dimus. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Si igitur illa desinit, hæc autem appropinquat; quæ hujus sunt deinceps faciamus, non quæ illius. Nam et in sæcularibus rebus ita fieri solet: et cum videmus noctem ad diluculum properare, et canentem audimus hirundinem, singuli proximum excitamus, licet adhuc nox non abscesserit: sed cum prorsus desiit, urgemus denique mutuo dicentes, Jam dies est, et diurna opera omnia aggredimur, assumptis vestibus, excussis somniis somnoque depulso, ut nos paratos dies inveniat, ac nondum exortis jam solis radiis, tunc demum incipiamus surgere, et operi manum admovere. Quod illic facimus, hoc jam quoque faciamus: phantasias exuamus, a somniis præsentis vitæ eruamur, profundum somnum deponamus, et pro vestimentis virtute induamur: hæc quippe omnia declarans ait: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* Nam ad aciem et pugnam dies nos advocat. Verum ne timeas, aciem et arma audiens. In armatura enim sensibili durum est et exosum armari, hic vero desiderabile optabileque est: lucis enim arma sunt: ideoque radio splendidiorem te reddunt, fulgorem magnum emittentem, et in tuto te collocant: arma enim sunt; et te fulgentem reddunt, cum arma lucis sint. Quid ergo? annon necesse est pugnare? Necesse quidem est pugnare, sed non defatigari et laborare: neque enim bellum est hoc, sed chorea et celebritas. Talis est horum armorum natura, talis ducis virtus. Ac quemadmodum sponsus e thalamo cum specioso cultu prodit: sic et ille qui his munitus est armis: nam miles simul et sponsus est. Cum dicit autem, *Dies appropinquavit*, non sinit eam prope tantum esse, sed jam lucere curat: ait enim: 13 *Sicut in die honeste ambulemus.* Jam enim adest dies. Et ab iis quæ multi hortando adhibent, ab iisdem ipse attrahit illos, nimirum a decoro et honestate: multam quippe gloriæ, quæ a multitudine exhibetur, curam habent. Nec dixit, Ambulate, sed, *Ambulemus*, ut non onerosa sit hortatio, et tolerabilis increpatio. *Non in comessationibus et ebrietatibus.* Bibere non vetat, sed præter mensuram bibere: non frui vino, sed cum temulentia frui vetat; ut et quod sequitur eum eadem mensura ponit: *Non in cubilibus et impudicitiis.* Neque hic vetat cum mulieribus misceri, sed scortari. *Non in contentione et æmulatione.* Nam pravorum affectuum fomenta extinguit, concupiscentiam et iram. Quapropter non ipsa solum, sed ipsorum fontes aufert.

2. *Vinum concupiscentiam et iram incendit.*— Nihil enim ita concupiscentiam incendit, et iram inflammat, ut vinum et temulentia. Ideo cum prius dixisset, *Non in comessationibus et ebrietatibus*, tunc adjecit, *Non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione.* Neque hic constitit, sed cum pravis nos vestimentis exuisset, audi quo nos ornatu postea decoret dicens: 14. *Sed induimini Dominum nostrum Jesum Christum.* Non jam opera dicit, sed magis illos excitavit. Nam cum de malitia loqueretur, opera memoravit; cum autem de virtute agit, non jam opera, sed arma dicit, ostendens virtutem eum, qui illa ornatur, in omni securitate constituere et in omni splendore. Neque hic constitit, sed rem majorem sermone aggrediens, quod longe horribilius est, ipsum Dominum dat nobis indumentum, ipsum Regem. Qui enim illo indutus est, omnem prorsus possidet virtutem. Cum autem dicit, *Induimini*, undique nos illo circumdari jubet; ut alibi ait, *Si vero Christus in vobis* (*Rom.* 8. 10); et rursus, *In interiorem nostrum hominem habitare Christum* (*Ephes.* 3. 16. 17). Etenim animam nostram vult domum ejus esse, nosque illo indui ut vestimento, ut omnia nobis ille sit intus et foris. Etenim ipse plenitudo nostra est: *Est enim plenitudo omnia in omnibus adimplentis* (*Ibid.* 1. 23); et via, et vir, et sponsus: *Despondi enim vos uni viro, virginem castam* (2. *Cor.* 11. 2). Est et radix, potus, cibus et vita: nam ait: *Vivo jam non ego: vivit vero in me Christus* (*Gal.* 2. 20). Est apostolus, summus sacerdos, doctor, pater, frater, coheres, et sepulcri consors et crucis. *Consepulti enim sumus ipsi*, inquit, et *complantati facti sumus similitudini mortis ipsius* (*Rom.* 6. 4 et 5). Est et supplex: *Pro Christo enim legatione fungimur* (2. *Cor.* 5. 20). Est et advocatus apud Patrem: nam *Supplicat pro nobis* (*Rom.* 8. 34). Est et domus, et hospes: Qui enim *In me manet, et ego in illo* (*Joan.* 6. 57). Est et amicus: *Vos amici mei estis* (*Id.* 15. 14); et fundamentum, et lapis angularis; et nos ipsius membra, agricultura, ædificatio, palmites et cooperarii. Quid enim non nobis esse vult, omni modo nos sibi conglutinans et conjungens? id quod vehementer amantis est. Obtempera igitur ei, ac de somno surgens, indue illum: illo indutus, morigeram ipsi carnem præbe: hoc enim subindicavit, dicens: *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Sicut enim non bibere, sed inebriari vetuit, non sponsam ducere, sed lascivire: sic nec curam gerere carnis prohibuit, sed ad concupiscentias tantum, ne scilicet necessitatem prætergrediamur. Nam quod illius curam gerere non prohibeat, audi quid Timotheo dicat: *Vino modico utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates* (1. *Tim.* 5. 23). Ita et hic curam geras quidem, sed ad sanitatem, non ad lasciviam. Neque enim illud cura et providentia esset, si flammam incenderes, si graviorem fornacem faceres. Ut clarius discatis quid sit, curam ejus habere ad concupiscentiam, et ut talem curam fugiatis; ebriosos, ventri studentes, eos qui se vestibus pretiosis ornant, deliciantes, eos qui vitam mollem et dissolutam ducunt cogitate, et intelligetis quid dictum sit. Illi enim nihil non agunt, non ut valetudine fruantur, sed ut luxurientur, ut concupiscentias incendant. Sed tu qui Christum induisti, illis omnibus præcisis, unum quære tantum, ut sana sis carne: hactenus illam cura, et non ultra; sed totam curam in spiritualibus impende. Ita enim ex hoc somno surgere poteris, illis variis concupiscentiis non gravatus. Nam somnus est præsens vita, et quæ ad illam spectant, a somniis nihil omnino differunt. Ac quemadmodum ii, qui dormiunt, insana verba proferunt, et nihil sani plerumque vident, ita et nos; imo pe-

affecti sumus. Nam qui in somno turpia vel patravit vel dixit, expergefactus, a turpitudine liberatur, nec dat pœnas; hic autem non ita se res habet; sed et turpitudo et supplicium immortalia sunt. Rursus qui in somniis divites sunt, orto die se frustra divites fuisse deprehendunt; hic vero et ante diem hoc ipsum deprehendunt, et antequam hinc abeatur, somnia illa avolarunt. Excutiamus ergo hunc pravum somnum. Nam si nos dormientes dies ille deprehendat, mors nos excipiet immortalis; et ante diem illum inimicis omnibus hinc captu faciles erimus, et hominibus et dæmonibus; ac si nos occidere velint, nemo impediturus est. Quod si multi essent, qui vigilarent, non tantum foret periculum: cum autem unus tantum vel duo sint qui accensa lucerna, cæteris omnibus quasi multa nocte dormientibus, vigilent: ideo multa opus nobis est vigilantia, multa cautione, ne intolerabilia patiamur.

3. Annon splendidus nunc videtur esse dies? an non omnes nos putamus et vigiles et cautos esse? Attamen (etsi forte quod dicturus sum cum risu excepturi sitis, hoc tamen dicam) iis qui multa nocte dormiunt et stertunt, omnes similes sumus. Et si incorpoream substantiam videre possemus, ostenderem vobis quomodo plerique stertant; diabolus vero muros suffodiat et jacentes occidat, ac quæ intus sunt auferat, quasi in profundis tenebris omnia pro libito faciens. Imo vero, etsi id oculis percipere non valeamus, verbo tamen describamus, et cogitemus quot sint ii, qui pravis concupiscentiis gravati sunt, quot gravi lasciviæ sopore detenti, qui lucem spiritus exstinxerunt. Ideoque alia pro aliis vident [1], alia pro aliis audiunt, et nulli ex iis quæ hic dicuntur attendunt. Quod si ego mentior hæc dicens, et tu vigil stas; dic mihi, quid hic hodie factum est, annon hæc tamquam somnia audisti? Et scio quidem quosdam dicturos esse: neque enim adversus omnes loquor; sed tu qui his obnoxius es, qui frustra huc ingressus es, dic quis propheta, quis apostolus nobiscum et de quibusnam rebus loquutus est. Sed non dicere possis: nam multa hic quasi in somno disseruisti, verasque res non audisti. Hæc vero mulieribus quoque a me dicta sunto: nam illæ multo somno deditæ sunt; atque utinam somno! Nam qui dormit, nec malum nec bonum quidpiam loquitur: qui autem ita vigilat, ut vos vigilatis, multa in malum capitis sui verba profundit, usuras numerans, fœnorum cogitationes versans, impudentis cauponæ et negotiationis memor, spinas multas plantans in anima sua, nec injectum semen vel tantillum sinens emergere. Sed expergiscere et has spinas radicitus evelle, ebrietatemque excute: nam hinc somnus venit. Ebrietatem autem non ex vino tantum dico, sed ex sæcularibus etiam curis, et postea illam quæ ex vino procedit. Hæc porro non divitibus tantum, sed etiam pauperibus dico, maximeque iis, qui amicorum convivia parant. Neque enim hoc diliciæ sunt aut recreatio, sed pœna et supplicium: deliciæ [illegible]

Convivia [illegible] quod convenit [illegible] piter agere [illegible] delicias, non pœnas [illegible] vel nimiam [illegible] Christiani deliciari [illegible] nam ait ille, *Exsultate* [illegible] 2. 11). Quomodo exsultationem [illegible] do, precando, psalmos [illegible] canticorum. Ita Christianus [illegible] benedictione totum convivium [illegible] ris, cum spiritualia cecineris, cum [illegible] quæ apposita sunt communionem [illegible] convivio bonum ordinem et temperantiam [illegible] ris: sic et locum in ecclesiam converteris, cum pro intempestivis clamoribus et plausibus, omnium Dominum hymnis celebrabis. Nec mihi dicas aliam [illegible] luisse legem; sed quæ male se habent emenda. *Sive manducatis* enim, inquit, *sive bibitis, sive quid aliud facitis; omnia in gloriam Dei facite* (1. *Cor.* 10. 31). Nam a talibus mensis malæ oriuntur concupiscentiæ, hinc lasciviæ, hinc uxores in contemptu, meretrices vero in honore apud vos sunt: hinc domorum eversiones et innumera mala, omnia sus deque fiunt, et puro fonte dimisso, ad cœni cloacam curritis: nam cœnum est meretricis corpus. Neminem alium interrogo quam teipsum, qui in luto volutaris, annon de teipso erubescas, annon te post peccatum, impurum reputes. Quapropter, obsecro, fugite fornicationem et hujus matrem ebrietatem. Quid seminas ubi metere non licet; imo si metas, multum tibi dedecoris fructus affert? Nam si nascatur puerulus, et tibi dedecus affert, et ipse injuria afficitur, qui propter te spurius et ignobilis nascitur. Etiamsi innumeras ipsi pecunias reliqueris, inglorius domi, inglorius in civitate, inglorius in foro judiciali est et qui ex meretrice et qui ex serva est ortus: inglorius tu quoque et vivens et mortuus: etiamsi enim decedas, manent tamen turpitudinis monumenta. Cur ergo omnia deturpas?

4. Cur seminas ubi arvum corrumpere fructum curat? ubi multæ sunt sterilitatis causæ? ubi ante generationem cædes? nam meretricem non meretricem solum manere sinis, sed etiam homicidam facis. Viden' ab ebrietate fornicationem, a fornicatione adulterium, ab adulterio cædem? imo cæde pejus quidpiam; neque enim scio quo nomine appellem: neque enim quod natum est occidit, sed ne nascatur

[1] Hæc, *alia pro aliis vident*, desunt in uno.

prohibet. Quid ergo? Et donum Dei contumelia afficis, et cum ipsius legibus pugnas, et quod maledictio est, hoc quasi benedictionem quæris, et generationis promptuarium, cædis promptuarium facis, et eam, quæ ad prolis procreationem tibi data est mulier, ad patrandam cædem instruis? Ut enim amatoribus semper formosa et amabilis sit, et plus pecuniæ corradat, neque hoc facere recusat, multum ignis inde in caput tuum accumulans: etiamsi enim hoc illius sit facinus, sed tu in causa es. Hinc quoque idololatriæ. Multæ enim ut jucundæ appareant, incantationes, libamina, philtra, et innumera alia machinantur. Attamen post tantam turpitudinem, post cædes, post idololatriam, res hæc multis indifferens esse videtur, multis etiam uxores habentibus: ubi major est malorum colluvies. Nam hinc veneficia deinceps parantur, non in meretricis uterum, sed in eam, quæ læsa fuit, uxorem, insidiæ innumeræ, dæmonum invocationes, mortuorum incantamenta, bella quotidiana, pugnæ irreconciliabiles et assiduæ contentiones. Ideo Paulus cum dixisset, *Non in cubilibus et impudicitiis*, addidit, *Non in contentione et æmulatione;* gnarus res hujusmodi bella, domorum eversiones, liberorum injurias, et innumera mala parere. Ut ergo hæc omnia fugiamus, Christum induamus, et cum illo semper simus. Nam hoc est illo indutum esse, ab ipso numquam deseri, ipsumque in nobis per sanctitatem et mansuetudinem nostram semper comparere. Sic et de amicis dicimus: Ille talis talem istum induit; dilectionem magnam significantes, perpetuumque consortium: qui enim induitur, illud esse apparet quo induitur. Appareat itaque semper in nobis Christus. Et quomodo apparebit? Si quæ illius sunt feceris. Quid vero fecit ille? *Filius hominis*, inquit, *non habet, ubi caput suum reclinet* (*Luc.* 9. 58). Hoc et tu imitare. Cum cibum sumere oportuit, hordeaceis panibus usus est: cum peregrinandum fuit, nusquam equi et subjugalia, sed tantum itineris pedibus confecit, ut et defatigaretur: cum dormiendum fuit, super pulvinari in prora navis jacuit: cum recumbendum fuit, in fœnum concidere jussit. Vestimenta ejus vilia erant: sæpeque solus versabatur, neminem secum ducens. Illa etiam, quæ in cruce, et quæ in contumeliis fecit, ubi didiceris, imitare: et sic Christum induisti, si carnis curam non habueris ad concupiscentias: neque enim voluptatem res illa habet. Etenim ipsæ concupiscentiæ alias graviores pariunt, et numquam satietatem habebis, sed magnum tibi paries tormentum. Sicut enim is, qui perpetuo sitit, etiamsi mille adsint fontes, nullum inde fructum percipiet, cum non possit morbum exstinguere: sic et qui perpetuo in concupiscentiis vivit. Si vero intra necessaria te contineas, numquam hac febri corripieris; sed omnia illa abscedent, ebrietates, lasciviæ. Tantum ergo comede, quantum satis sit ad sedandam famem; ita induere, ut tegaris tantum, neque carnem vestimentis exornes, ne illam perdas: nam molliorem illam efficis, et ejus valetudinem labefactas, dum nimia illam mollitie dissolvis. Ut ergo illam ut bonum animæ vehiculum habeas, ut gubernator tuto ad navis clavos sedeat, et miles facile arma tractet, omnia recte componas. Non enim qui multa habet, sed qui paucis indiget, inexpugnabilis est. Ille enim, etsi nihil patiatur injuriæ, timet: hic vero etsi injuriam patiatur, meliore animi statu erit, quam ii qui nullam patiuntur injuriam, ideoque in majori alacritate versabitur. Ne igitur hoc quæramus, ut nemo molestiam inferat, sed ut etiamsi molestiam inferre velit, non possit tamen. Hoc vero non alio modo fieri poterit, quam si inter necessaria se contineat, nec plura concupiscat. Sic enim et hic deliciari poterimus, et futura consequemur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXV.

Cap. 14. v. 1. *Infirmum autem in fide suscipite, non in disceptationibus cogitationum. 2. Alius credit se posse manducare omnia; qui autem infirmus est, olera manducat.*

1 Scio multis intellectu difficile esse quod dictum est. Quapropter opus est primo totius hujusce loci argumentum exponere, et exponere quid emendare volens hæc scripserit. Quid ergo vult emendare? Multi ex credentibus Judæorum erant, qui legis conscientia detenti, etiam post acceptam fidem ciborum adhuc observantiam custodiebant, nondum audentes omnino a lege recedere. Deinde, ne deprehenderentur a suillis carnibus abstinere tantum, ab omnibus deinceps carnibus abstinebant, et olera tantum comedebant, ut illud magis jejunium esse videretur, quam legalis observatio. Alii rursum perfectiores erant, qui ab horum nullo abstinebant, quique illis talia observantibus onerosi ac molesti erant, exprobrantes, incusantes, et in mœstitiam conjicientes. Timens ergo beatus Paulus, ne paululum quid emendare volentes, totum subverterent; neve, dum vellent eos ad ciborum indifferentiam deducere, id efficerent, ut illi a fide resilirent; et cum ante opportunum tempus totum emendare studerent, circa capitalia damnum inferrent, a Christi confessione illos assidue increpando removentes, ita ut in utraque incorrigibiles manerent: vide quanta utatur prudentia, et quomodo cum solita sibi sapientia utrique parti providere curet. Neque enim increpantibus audet dicere, Perperam agitis, ne illos in suis observationibus firmaret; neque rursus dicit illos probe facere, ne vehementiores accusatores redderet, sed cum mensura correptionem illam instituit: et videtur quidem fortiores increpare, sed totum in illos alios effundit, dum priores alloquitur. Hæc enim maxime emendatio molestiam non affert, quando ad alium sermone converso, alium perstringit. Neque enim eum, qui increpatur, ...

iram efferri sinit, sed clam et sensim emendationis pharmacum adhibet. Vide quam prudenter illud agat et quam opportune. Cum dixisset enim: *Carnis curam ne feceritis ad concupiscentias*, tunc ad hunc transit sermonem, ut ne videretur pro illis loqui, qui increpabant et omnia comedere jubebant. Nam infirmior pars majori semper cura indiget. Ideo ad fortiorem statim sermonem dirigit dicens: *Infirmum autem in fide.* Viden' jam plagam illi inflictam? Cum dixit enim *Infirmum*, ægrum illum esse demonstrat. Deinde alteram infligit dicens, *Assumite.* Ostendit enim iterum illum multa egere cura, quod extremæ ægritudinis signum est. *Non in disceptationibus cogitationum.* Ecce tertiam infert plagam. Hinc enim declarat hujusmodi peccatum ejus esse, ut ii qui in eadem re non secum delinquunt, amicitiaque tamen ipsi conjuncti sunt, et ejus curationis sollicitudinem gerunt, dijudicentur. Viden' quomodo videatur quidem hos alloqui, et illos clam nec onerose increpet? Deinde ambos mutuo conferens, alium laudibus afficit, alium accusat: subjungit enim: *Alius enim credit se manducare posse omnia*, a fide commendans illum; *qui vero infirmus est, olera comedit*, hunc rursus vituperans ab infirmitate. Deinde, qua tempestivam inflixit plagam, illum postea consolatur his verbis: 3. *Is qui manducat, non manducantem non spernat.* Non dixit, Sinat; non dixit, Ne accuset; non dixit, Ne corrigat; sed, *Ne vituperet*, ne respuat, ostendens illos rem multo risu dignam facere. De altero autem non item, sed quomodo? *Qui non manducat, manducantem non judicet.* Sicut enim perfectiores hos despiciebant, ut modicæ fidei et subdolos, nothos et adhuc judaizantes: sic illi hos judicabant, ut prævaricantes, vel etiam gulæ deditos, quorum, ut verisimile est, multi ex gentibus erant. Quare subjunxit, *Deus enim illum assumpsit.* De illo alio autem non ita dixit: quamquam despici quidem manducantis erat quasi helluonis; judicari autem non manducantis quasi modicæ fidei. Sed ille hæc permutavit ostendens, illum non modo dignum non esse qui despiciatur, sed posse etiam alium despicere. An et ego illum condemno, inquit? Nequaquam: propterea enim adjecit, *Deus illum assumpsit.* Cur ergo de lege illum alloqueris quasi prævaricantem? *Deus enim illum assumpsit*; id est, ineffabilem suam erga illum gratiam exhibuit, et ab omni crimine liberavit. Deinde rursus ad fortem convertit sermonem: *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Unde palam est illos etiam judicavisse, neque solum despexisse. *Domino suo stat aut cadit.*

2. Ecce rursus aliam plagam. Et videtur quidem indignatio esse adversus fortem, infirmum vero perstringit. Cum dicit, *Stabit autem*, ostendit illum adhuc titubare, multaque egere attentione tantaque cura, ut Deum ad hæc ut medicum advocet: *Potens est enim Deus statuere illum*: id quod de iis, qui admodum desperati sunt, dicimus. Deinde, ne desperet, infirmum illum servum vocat, dicens: *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Et hic rursus etiam illum clam perstringit. Non enim propterea jubeo illum non judicari, quod ille talia faciat, quæ judicari non debeant, sed quia alienus est servus; id est, non tuus, sed Dei. Deinde illum rursus consolans non dixit, Cadit, sed quid? *Stat aut cadit.* Sive autem hoc, sive illud fuerit, utrumque ad Dominum spectat; ad illum quippe damnum tendit servo cadente; et illo stante, lucrum ad Dominum spectat. Hæc porro, nisi scopum Pauli respiciamus, qui vult illos non ante opportunum tempus increpari, indigna erunt illa cura quæ Christianos deceat. Sed, ut semper dico, qua mente hæc dicantur scrutari oportet, et de qua materia loquatur, et quid emendare velit cum hæc loquitur. Nec mediocriter autem illum pudefacit, dum hæc loquitur. Nam si Deus, inquit, qui damnum patitur, nihil interim facit, quomodo tu non importunus sis et præter modum curiosus, qui illum angis et exagitas? 5. *Alius judicat diem inter diem; alius vero judicat omnem diem.* Hic mihi videtur sensim de jejunio adumbrate loqui. Nam verisimile erat quosdam, qui jejunarent, eos qui non jejunarent assidue judicare: vel etiam in observationibus verisimile est quosdam fuisse, qui statis diebus abstinerent, et statis non abstinerent: quare dicebat: *Unusquisque in suo sensu abundet.* Sic enim et observantium timorem abegit, rem esse indifferentem dicens; et insurgentium in eos contentionem abstulit, ostendens non tanta illos sollicitudine perpetuo exagitare opus esse. Non tanta autem sollicitudo exhiberi oportebat, non spectando rei naturam; sed quia nondum tempus erat, et quia illi nuper ad fidem accesserant. Nam Colossensibus scribens, hoc magno studio prohibet, dicens: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum* (*Col.* 2. 8.); et rursum: *Ne quis igitur vos judicet in cibo aut in potu*; et, *Ne quis vobis bravium intercipiat* (*Ibid. v.* 16. 18). Et Galatis scribens, cum magna accuratione exigit ab illis in talibus rebus philosophiam et perfectionem. Hic autem non eadem utitur severitate, quod recens illi ad fidem accessissent. Ne itaque ad omnia trahamus illud, *Unusquisque in suo sensu abundet.* Nam cum de dogmatibus agitur, audi quid dicat: *Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, etiamsi angelus fuerit, anathema sit* (*Gal.* 1. 9.); et iterum: *Timeo, ne sicut serpens Evam decepit, sic corrumpantur sensus vestri* (2. *Cor.* 11. 3). Et Philippensibus scribens dicebat: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem* (*Philipp.* 3. 2). Apud Romanos autem, quia nondum tempus erat hæc emendandi, *Unusquisque*, inquit, *in suo sensu abundet.* Nam de jejunio sermo erat, et illorum itaque arrogantiam reprimens, et horum metum abigens sic loquebatur. 6. *Qui sapit diem, Domino sapit: et qui non sapit diem, Domino non sapit. Et qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit Deo: et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo.* Adhuc in iisdem insistit. Hoc autem vult significare: Non de capitalibus agitur: nam quod quæritur est, utrum et hic et ille propter

Deum operentur, si ambo in gratiarum actionem desinant. Nam et hic et ille gratias agit Deo. Si ergo ambo gratias agunt, non magnum est discrimen. Tu vero mihi consideres velim, illum hic etiam judaizantem clam perstringere. Si enim illud quod quæritur est, ut gratiæ agantur, palam est eum qui comedit gratias agere, non vero eum qui non comedit. Quomodo enim hoc faciat, cum adhuc legi adhæreat? Quod et ad Galatas dicit: *Qui in lege justificamini, a gratia excidistis* (*Gal.* 5. 4). Sed hic id quidem subindicat, sed non hoc ita declarat: nondum enim tempus erat. At interim illos tolerat, et per sequentia illud magis aperit: 7. *Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur.* 8. *Sive enim vivimus, Deo vivimus; sive morimur, Deo morimur.* Id clarius his verbis significat. Nam qui legi vivit, quomodo potest Christo vivere? Neque hoc tantum his verbis probat, sed eum, qui ad illorum emendationem properabat, retinet, et patienter agere ipsi suadet, ostendens impossibile esse quod Deus illos contemnat, sed eos ipsum opportuno tempore emendaturum esse.

3. Quid ergo illud est, *Nemo nostrum sibi vivit?* Liberi non sumus, Dominum habemus qui vult nos vivere, et non vult nos mori: et hæc ambo magis ad illum spectant, quam ad nos. His enim ostendit ipsum magis nos curare, quam nos ipsi curemus, et divitias suas vitam nostram putare, mortemque nostram damnum suum. Non enim nobis ipsis morimur tantum, sed Domino, si quidem moriamur. Mortem vero hic eam quæ ex fide est dicit. Satis quidem illud est a persuadendum, quod Deus curam nostri gerat, quod et ipsi vivamus et ipsi moriamur: verum non hoc contentus, aliud subjungit, dicens: *Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Et ab illa morte ad naturalem transiens, ne videatur asperiorem facere sermonem, aliud signum, illudque maximum providentiæ suæ dat. Quale est illud? 9. *In hoc enim Christus et mortuus est et resurrexit et revixit, ut et mortuorum et vivorum dominetur.* Itaque et hoc tibi persuadeat ipsum semper curare salutem et emendationem nostram. Nisi enim tantam erga nos providentiam habuisset, quæ necessitas erat œconomiæ seu incarnationis? Qui ergo tantam curam gerit, ut nos sui efficiamur, ut etiam formam servi acceperit et mortuus sit, ipse postquam sui facti sumus nos contemnet? Non est hoc, non utique est; nollet enim tantum negotii projicere: *In hoc enim*, inquit, *et mortuus est;* quasi quis dicat, Ille servum suum contemnere non possit; suum enim curat marsupium. Neque ita nos pecunias amamus, ut ille salutem nostram. Ideo non pecunias, sed sanguinem suum pro nobis effudit: et ideo numquam eos abjicere possit pro quibus tantum pretium solvit. Vide autem quomodo potentiam ejus ineffabilem esse ostendat. *In hoc enim,* inquit, *mortuus est et revixit, ut mortuis et viventibus dominetur;* et supra: *Sive vivimus, sive morimur, ipsius sumus.* Viden' intensam dominationem? viden' fortitudinem inexpugnabilem? viden' providentiam accuratissimam? Ne mihi viventes dixeris, inquit; etiam defunctis providet. Si autem defunctis, sine dubio et viventibus: nihil enim omisit, quod ad illud dominum attineat, majoremque sibi in homines jurisdictionem apparavit, ut seorsim ab aliis omnibus nostri curam habeat. Homo quippe argentum deponit, ideoque servum suum sibi diligentissime retinet: ipse vero mortem deposuit, et tanto empti pretio, cujus dominium sibi cum tanto studio et negotio acquisivit, salutem non nihili ducet. Hoc porro dicit, judaizantem pudore afficiens suadensque illi, ut beneficii magnitudinem recolat, et quod cum mortuus esset revixerit, et quod a lege nihil lucratus fuerit, et quod ingrati admodum animi esset, relicto eo, qui tanta pro illo designavit, ad legem recurrere. Cum ergo illum satis perstrinxisset, rursus erigit, dicens: 10. *Tu vero quid judicas fratrem tuum? aut etiam tu quare spernis fratrem tuum?* Et videtur quidem illa ut paria ponere, ex dictis autem multum interesse discriminis ostendit. Et primo quidem fratris appellatione controversiam dirimit; postea vero terribilis illius diei commemoratione. Cum dixisset enim, *Quare spernis fratrem tuum?* subjungit: *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* Et videtur quidem hæc dicens perfectiorem increpare, verum judaizantis mentem perstringit, non modo a beneficio accepto pudefaciens illum, sed etiam a futuro supplicio terrens. *Omnes enim*, inquit, *stabimus ante tribunal Christi.* 11. *Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo* (*Isai.* 45. 24). 12. *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Viden' rursus quomodo judaizantis mentem concutit, dum videtur alterum incessere? Tale siquidem est quod subindicat, ac si diceret: Quid tibi curæ est? an tu pro illo pœna plectendus es? Sed non ita loquitur; id ipsum vero subindicavit, mitius enuntians et dicens: *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Et prophetam induxit omnium subjectionem ipsi testificantem, et subjectionem omnimodam, eorumque hominum, qui in Veteri Testamento erant, universorumque omnino. Neque simpliciter dixit, Unusquisque adorabit; sed etiam *Confitebitur*, id est, rationem gestorum reddet.

4. Esto itaque sollicitus, communem Dominum videns in tribunali sedentem, neque scindas vel dividas Ecclesiam, rejecta gratia ad legem reccurrens: nam lex quoque ipsius est. Ecquid legem dico? Et qui in lege, et qui ante legem. Neque lex a te, sed Christus et a te et ab humana omni natura rationes repetet. Viden' quomodo solvit legis metum? Deinde, ne videretur quasi de industria ut terreret illum hæc dicere, sed quasi ex præsenti serie eo devenisse, rursus in eodem argumento insistit dicens: 13. *Non ergo amplius invicem judicemus; sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* Hæc autem non minus ad illum, quam ad hunc pertinent: ideo utrumque possunt aptari et perfecto, cui offendiculo est ciborum observatio, et imperfectiori, qui de nimia pu-

prehensione offendebatur. Tu vero mihi perpendas velim quantas dabimus pœnas, qui in quavis re offendiculo sumus. Si enim, ubi res acta illicita erat, quod intempestiva increpatio esset, hanc prohibuit, ne fratri res offendiculo esset : quando ne emendantes quidem offendiculo sumus, qua digni erimus pœna ? Si enim non servare, culpa non vacat, ut ostendit is qui talentum defodit : offendiculo esse, quid non afferet damni? Quid ergo, inquies, si ille ex se offenditur, cum sit infirmus? Ideo certe omnia jure merito patiaris. Si enim fortis esset, non tanta egeret cura : nunc autem, quia infirmior est, ideo multa opus habet sollicitudine. Illam igitur ipsi præbeamus, et undique illum sustentemus. Non enim propriorum tantum malorum rationem dabimus, sed etiam eorum in quibus aliis offendiculo fuimus. Cum autem illæ rationes subeundæ graves sint, si hæ quoque addantur, quomodo salutem obtinebimus? Ne putemus enim, si peccatorum socios inveniamus, nos hinc excusationem habituros esse : hoc nobis supplicii additamentum erit. Nam serpens plusquam mulier punitus est, ut et mulier plus quam vir, et Jezabel graviores dedit pœnas quam Achab, qui vineam rapuerat : ipsa enim totum negotium texuerat, et regi offendiculo fuerat. Et tu igitur cum aliis perniciei causa fueris, graviora patieris quam ii, qui a te supplantati sunt. Neque enim peccare ita perdit, ut et alios ad peccatum inducere : ideo dicit, *Non solum hæc faciunt, sed etiam facientibus consentiunt* (*Rom.* 1. 32). Itaque cum quosdam peccantes viderimus, non modo non impellamus, sed etiam ex barathro nequitiæ retrahamus, ne ipsi aliorum perniciei pœnas subeamus ; ac frequenter memoriam repetamus tremendi tribunalis, fluvii ignei, vinculorum insolubilium, tenebrarum omni luce expertium, stridoris dentium, vermis venenati. Verum, inquies, benignus est Deus. Ergo hæc mera verba sunt, nec dives ille, qui Lazarum contempsit, supplicio afficitur? nec virgines illæ fatuæ ex thalamo ejiciuntur? qui Christum non aluerunt non abeunt in ignem paratum diabolo et angelis ejus? qui sordidis vestiebatur indumentis, manibus et pedibus ligatis non peribit? qui centum denarios exegit, non traditus est tortoribus? non verum est id, quod de mœchis dictum fuit : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Marc.* 9. 44)? sed hæ comminationes tantum sunt? Etiam, inquies. Et quomodo, quæso, tantam rem audes pronuntiare, et ex teipso calculum ferre ? Ego enim et ab iis quæ dixit, et ab iis quæ fecit Christus, contrarium demonstrare valeo. Si enim propter futura supplicia non credis, saltem ex iis quæ jam facta sunt crede : nam quæ facta sunt et in opus exierunt, minæ non sunt et verba. Quis ergo sub Noe orbem totum inundavit, et grave illud naufragium curavit, totamque generis nostri perniciem? quis postea fulmina illa et incendia immisit in Sodomorum terram? quis Ægyptum totam in mare demersit? quis sexcenta hominum millia in deserto consumpsit? quis synagogam Abironis combussit (*Psal.* 105. 17)? quis jussit terram os aperire, [illegible]

5. Quod [illegible] cupis, [illegible] mulieres [illegible] aliæ alio [illegible] fami traditi [illegible] calamitatum [illegible] stus hæc illis [illegible] tem et per parabolas, [illegible] bolas, ut cum dicit, [illegible] re, *adducite huc et occidite* [illegible] per vineam, et per nuptias [illegible] ut cum comminatur : « Cadent [illegible] ptivi abducentur in gentes, et [illegible] gentium in angustia resonante [illegible] arescentibus hominibus a timore [illegible] 25. 26) ; » et, « Erit tribulatio, qualis [illegible] ab initio neque erit (*Matth.* 24. 21). » [illegible] et Saphira pro paucorum argenteorum [illegible] dederint pœnas (*Act.* 5. 1), omnes nostis. [illegible] des quotidianas calamitates? an neque ista [illegible] runt? Non vides etiam nunc fame pereuntes? eos qui vel elephantiasi vel alio morbo detinentur? eos qui in penuria perpetua vivunt? eos qui millia intolerabilia patiuntur?

Cur Deus in hoc mundo alios puniat, alios minime. — Quomodo æquum fieri talios plecti, alios non plecti? Nam si non injustus est Deus, ut certe non est, peccatorum utique pœnas dabis : sin utpote benignus non puniat, neque illos puniri oportuit. Nunc autem ob talia verba nostra multos hic punit Deus, ut cum comminantibus verbis non obsequamini, saltem ob illatum vere supplicium credatis : et quia prisca illa non ita nos terrent, per ea, quæ in singulis generationibus accidunt, suo tempore socordes corrigit. Et cur, inquies, non hic omnes punit? Ut aliis spatium ad pœnitentiam tribuat. Et cur non omnes illic supplicio afficit? Ne hinc plerique ejus providentiæ non credant. Quot latrones capti sunt, quot hinc migrarunt, non datis pœnis? ubi est ergo Dei benignitas, ubi justum judicium? meum namque fuerit jam abs te sciscitari. Nam si nemo prorsus supplicio afficeretur, posses illo confugere : cum vero alii dent pœnas, alii non, etsi gravius peccaverint, quomodo rationi consonum esse possit, ut pro iisdem sceleribus, non eædem pœnæ infligantur? quomodo non videbuntur injuste puniri ii qui plectuntur? Cur ergo non omnes hic puniuntur? Audi ipsum Christum his de rebus respondentem. Quia enim quidam ex turri delapsa interierant, hac de re quærentibus dixit : *Putatis, quod hi peccatores plus quam omnes*

erant? Non, dico vobis; sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis (*Luc.* 13. 3); adhortans nos, ut ne fiduciam habeamus, cum, cæteris pœnas dantibus, nos, qui multa peccata admisimus, pœnas non damus: nisi enim immutemur, puniemur haud dubie. Et cur, inquies, in æternum punimur, cum hic brevi tempore peccaverimus? quo pacto homo, qui hic brevissimo tempore cædem patravit, in perpetuum ad metalla damnatur? At Deus, inquies, res hujusmodi non facit. Cur itaque paralyticum triginta octo annis in tanta pœna detinuit? Quod enim peccatorum causa illum punierit, audi quid dicat: *Ecce sanus factus es: noli amplius peccare, ne tibi quid deterius contingat* (*Joan.* 5. 14). Attamen, inquies, solutionem invenit. Illic vero non ita se res habebunt: quod enim finem non habitura sint, audi illum dicentem: *Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Marc.* 9. 44); et, *Ibunt hi in vitam æternam, et isti in supplicium æternum* (*Matth.* 25. 46). Si ergo vita æterna est, supplicium est æternum. Non vides quanta comminatus est Judæis? an illa evenerunt, aut verba tantum hæc erant: *Non manebit lapis super lapidem* (*Ibid.* 24. 2). Num mansit? Quid vero quando dixit: *Erit tribulatio qualis non fuit* (*Ibid. v.* 21)? annon id evenit? Lege historiam Josephi, et vix respirare poteris, si solum audias quæ illi his de causis passi sunt. Hæc dico, non ut mœrore afficiam, sed ut cautiores reddam, ne superflue vos demulcens ad graviora patienda deducam. Nam cur, quæso, non dignus es supplicio cum peccas? annon omnia tibi prædixit? nonne minatus est? nonne terruit? nonne innumera pro salute tua fecit? nonne lavacrum regenerationis dedit, et priora omnia condonavit? nonne post remissionem et lavacrum, pœnitentiæ opem tibi peccanti dedit? nonne etiam postea facilem tibi viam fecit ad remissionem peccatorum?

6. Audi igitur quæ præceperit: Si dimittas proximo, dimittam tibi et ego (*Matth.* 6. 14). Quam habet hoc difficultatem? *Judicate pupillo et justificate viduam, et venite et disceptemus*, inquit; *et si fuerint peccata tua sicut phœniceum, ut nivem dealbabo* (*Isai.* 1. 17. 18). Quid in hac re laboris? *Dic tu peccata tua, ut justificeris* (*Id.* 43. 26). Quam hoc habet difficultatem? *Peccata tua eleemosynis redime* (*Dan.* 4. 24). Quid hac in re sudoris? Dixit publicanus: *Propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* 18. 13) et descendit justificatus. Quis labor fuerit publicanum imitari? Sed post hæc tanta non vis credere, quod sit pœna et supplicium. Ergo ne diabolum quidem puniri dixeris. *Ite*, inquit, *in ignem paratum diabolo et angelis ejus* (*Matth.* 25. 41). Nam si gehenna non esset, neque ille puniretur: quod si ille puniatur, palam est et nos, qui ejus opera patramus, puniendos esse: nam et nos inobedientes fuimus, etsi non iisdem in rebus. Quomodo non times cum audacter loqueris? Cum enim dicis, Benignus est Deus, nec puniet; si puniat, non benignus secundum te deprehendetur. Viden' in quæ verba proferenda vos diabolus impellat? Quid autem? an monachi, qui montes occuparunt, et mille modis pietatem exercent, sine corona abibunt? Nam si mali non puniuntur, nullaque est retributio, dicet fortasse alius neque bonos coronari. Nequaquam, inquies: hoc Deo congruens est, ut regnum sit solummodo, et non gehenna. Ergo scortator et mœchus et qui mille mala patravit, iisdem fruetur bonis, queis ii qui castitate et sanctitate floruerunt: et Paulus cum Nerone stabit, imo diabolus cum Paulo. Si enim non est gehenna, et tamen resurrectio est, improbi iisdem fruentur bonis quæis justi. Ecquis vel admodum insanus homo hoc dixerit? imo quis dæmonum hoc protulerit? Nam et illi gehennam esse fatentur: quapropter clamabant dicentes: *Venisti huc ante tempus torquere nos* (*Matth.* 8. 29)? Quomodo non times et exhorrescis, cum, dæmonibus fatentibus, tu negas? quomodo non intelligis quis sit horum magister malorum dogmatum? Nam is qui ab initio hominem decepit, qui bona proposita spe, quæ in manu ejus erant bona excussit; hic est qui etiam nunc hæc dicere et sentire suggerit: ideoque aliquibus suadet, ut suspicentur non esse gehennam, ut in gehennam conjiciat: quemadmodum contra Deus minatur gehennam, et præparavit gehennam, ut edoctus ita viveres, ut non incideres in gehennam. Atqui si, cum gehenna sit, diabolus tibi hæc suadet, quomodo dæmones, si non fuisset, esse illam confessi fuissent, qui admodum curant, ut nos nihil tale suspicemur esse, ut his ignaviores facti cum illis in ignem incidamus? Quomodo ergo, inquies, tunc confitebantur? Necessitatem instantem non ferentes. Hæc itaque omnia cogitantes, desinant ii qui talia dicunt et se et alios decipere. Nam verborum hujusmodi pœnas dabunt, terribilia illa traducentes, et multos qui sui curam gerere vellent, avertentes, neque barbaros Ninivitas imitati. Illi namque, etiamsi omnium imperiti, audientes quod civitas sua subvertenda esset, non modo non fidem negarunt, sed etiam ingemuerunt, sacco se præcinxerunt, et admodum demissi sunt, nec finem fecerunt hæc omnia præstandi, donec iram Dei placarent. Tu vero qui tantam habes rerum experientiam, verbis hæc quæ dicta sunt contemnis? Itaque contraria tibi contingent. Quemadmodum enim illi dicta timentes, reipsa supplicium non experti sunt: sic et tu verba minacia contemnens, reipsa pœnas experieris. Et si nunc hæc dicta tibi fabula esse videntur, sed secus, cum res ipsæ tunc tibi fidem facient. Non vides quid et hic fecerit Christus? quomodo duos latrones præsentes, non iisdem utrumque dignatus sit, sed alium in regnum induxerit, alium in gehennam immiserit? Ecquid dico latronem et homicidam? Neque enim apostolo pepercit, quia proditor factus est: sed cum videret eum ad laqueum tendere, seseque strangulare, ac medium disrumpi (nam *Crepuit medius, et effusa sunt omnia viscera ejus* (*Act.* 1. 18); attamen cum hæc omnia præsciret, permisit eum hæc omnia pati, a præsentibus de futuris etiam omnibus tibi fidem faciens. Ne igitur vos ipsos decipiatis, diabolo obtemperantes: ipsius enim sunt hæc consilia. Nam si

et judices et domini et præceptores, etiamsi barbari sint, bonos honorant et malos puniunt; quomodo consentaneum fuerit Deum contraria facere, et iisdem dignari bonum et improbum? Quandonam ergo a malitia liberi erimus? Nam qui nunc supplicium exspectant, et inter tot versantur timores a judicibus, a legibus, nec tamen a malitia desistunt: cum eo venerint, ut hunc timorem deponant, quod non solum in gehennam non delapsuri sint, sed quod etiam regnum sint adepturi, quandonam a nequitia desistent? An hoc, quæso, benignitatis fuerit, malitiam fovere, et nequitiæ præmium statuere? iisdem dignari bonis castum et lascivum, fidelem et impium, Paulum et et diabolum? At quousque nos nugabimur? Quamobrem obsecro et oro, ab hac insania liberi, et ad vos ipsos redeuntes, animæ vestræ persuadeatis ut timeat et tremat; ut et a futura gehenna liberetur, et hac vita temperanter acta, futura bona assequatur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patri et una Spiritui Sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

Cap. 14. v. 14. *Scio et persuasum habeo in Domino Jesu, quod nihil sit commune per se, nisi qui existimat aliquid commune esse, illi commune est.*

1. Cum prius eum qui fratrem judicabat increpasset, atque illum ab increpando avertisset, tum demum de dogmate decernit, et placide infirmiorem instituit, multam hic quoque exhibens mansuetudinem. Non enim dicit, Pœnas dabit, neque aliud quid simile; sed timorem tantummodo a re abigit, ut eo facilius dictis suis morem gerat; aitque, *Scio et persuasum habeo.* Deinde, ne quis ex non credentibus diceret: Et quid ad nos si tu persuasus es? neque enim ita fide dignus es, ut contra tantam legem et oracula de cælo allata stare possis: subjungit, *In Domino;* id est, Ab illo didici, ab illo certior factus sum. Non ergo humanæ mentis calculus est. Qua igitur de re persuasus es? quid nosti? dic. *Quod nihil sit commune per se.* Natura, inquit, nihil immundum, sed a proposito utentis tantum: illi ergo soli immundum est, non omnibus: *Illi* enim, inquit, *qui existimat commune esse, commune est.* Cur ergo non corrigis fratrem, ne putet immundum esse? cur non a tali consuetudine et suspicione pro virili abducis, ut ne illud commune faciat? Timeo, inquit, ne mœrore illum afficiam: quare subjungit: 15. *Si autem propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas.* Viden' quomodo interim illum sibi familiarem reddat, ostendens se tantam illius rationem habere ut, ne illum mœrore afficiat, nondum audeat imperare illi ea quæ admodum necessaria sunt, ut eum ex indulgentia et ex caritate magis alliciat? Neque enim postquam timorem abegit, ipsi vim infert, ut attrahat, sed ipsum sui dominum relinquit. Par quippe non erat, ut in mœrorem injiceret, dum abduceret a cibo sumendo. Viden' quantam caritatis curam habeat? Sciebat enim illam omnia emendare posse. Quapropter majus quidpiam hic ab illis exigit: Non modo enim, inquit, illos non oportet in necessitatem inducere, sed si oporteat illis indulgere, id non recusandum est. Ideo hæc subjungit: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* An fratrem tuum tanti non facis, ut per abstinentiam a cibis ejus animam lucreris? At Christus neque servitutem, neque mortem illius gratia recusavit; tu vero neque cibos contemnis, ut illi salutem parias? Quamquam enim non omnes lucraturus esset Christus, attamen pro omnibus mortuus est, quod suum erat implens. Tu vero cum scias te illum propter cibum in majoribus subvertere, et adhuc contendis, atque eum, quem Christus tanti facit, ita contemnendum putas, et illum quem Christus dilexit, nullo in pretio habes? Ille non pro infirmo tantum, sed etiam pro inimico mortuus est; tu vero pro infirmo ne a cibo quidem abstines? et Christus quod maximum erat fecit; tu vero neque quod minus est facis, cum tamen ipse sit Dominus, tu vero frater? Hæc sane verba poterant illum coercere: ostendunt enim illum contentiosum esse, et cum magna a Deo acceperit, ne modica quidem retribuere. 16. *Non ergo blasphemetur bonum vestrum;* 17. *non est enim regnum Dei esca et potus.* Bonum hic aut fidem dicit, aut futuram præmiorum spem, aut perfectam pietatem. Non modo enim, inquit, fratrem non juvas: sed et ipsum dogma, gratiam Dei, et donum blasphemari curas. Quando enim litigas et contendis, quando mœrore afficis, quando scindis Ecclesiam, et fratrem conviciis oneras, et quasi inimicum habes, externi blasphemant. Itaque non modo nihil inde emendatur, imo contrarium omnino accidit. Bonum enim vestrum est dilectio, fraternus amor, conjunctio et colligatio, vita in pace et mansuetudine acta. Deinde rursus ut hujus timorem, illius contentionem solvat, ait: *Non est enim regnum Dei esca et potus.* Num ab illis probati esse possumus? Quod et alibi dicit: *Neque si manducemus, abundabimus; neque si non manducemus, minus habebimus* (*Cor.* 8. 8). Neque probatione hic opus est, sed satis est sententiam dixisse, ac si diceret: Num si manducaveris, hoc in regnum te inducit? Ideoque illos carpens, ut altum ea de causa sapientes, non cibum modo dixit, sed et potum addidit. Quænam ergo sunt, quæ in regnum inducunt? Justitia, pax, gaudium, vita cum virtute acta, pax cum fratre servata, cui contraria est contentio; lætitia, quæ ex concordia oritur, quam aufert increpatio. Hæc porro non uni tantum, sed utrique dicit: erat enim hæc utrique dicendi opportunum tempus.

2. Deinde quia dixerat pacem et gaudium (pax vero et gaudium in malis etiam rebus invenitur), subjunxit, *In Spiritu sancto.* Itaque qui fratrem perdit, pacem subvertit et gaudium, magisque læsit, quam

is qui pecunias rapit. Quod autem pejus est, alius servavit, et tu injuria afficis et perdis. Cum autem hæc, nempe cibus, et ea quæ videtur esse perfectio, in regnum non inducant, inducant autem illa quæ hæc subvertunt : quomodo non oporteat modica contemnere, ut majora firmentur? Deinde quoniam increpatio illa ex vana gloria sensim suboriebatur, hæc adjicit : 18. *Qui enim in his servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus.* Non enim sic te mirabuntur omnes propter perfectionem, ut propter pacem et concordiam. Hoc quippe bono omnes fruentur, illo nullus. 19. *Itaque quæ pacis sunt, sectemur; et quæ ædificationis sunt, mutuo custodiamus.* Hoc ad illum, nempe infirmum, pertinet, ut in pace sit; aliud ad fortiorem, ne fratrem suum dejiciat. Attamen illa utrique communia reddidit, cum dixit, *In invicem*, ostenditque sine pace non facile ædificari posse. 20. *Noli propter escam destruere opus Dei;* salutem fratris sic vocans, et timorem augens ostendensque illum contra conatum suum facere. Non solum enim, inquit, non ædificas quod putas, sed destruis, non hominis, sed Dei ædificium, neque magnæ cujusdam rei causa, sed vilis rei gratia; *Propter escam*, inquit. Deinde ne ex tali indulgentia infirmior in mala sua opinione firmaretur, rursus docet illum his verbis : *Omnia quidem munda; sed malum est homini, qui per offendiculum manducat :* qui nempe cum conscientia mala. Itaque etiamsi coegeris et ille comederit, nihil hinc utilitatis : non enim immundum cibus facit, sed propositum qua comeditur. Nisi igitur illud correxeris, frustra omnia fecisti, magisque nocuisti : neque enim par est quidpiam immundum putare, et immundum esse putantem degustare. Dupliciter igitur hic peccas, dum et contentione præjudicium auges, et impurum comedere cogis : igitur ne cogas, donec illi persuaseris. 21. *Bonum est non comedere carnes, nec bibere vinum, neque quidpiam in quo frater tuus scandalizatur aut offenditur aut infirmatur.* Rursus plus exigit, ut non modo non cogat, sed ut sese illi accommodet. Nam et ille hoc sæpe fecit; ut quando circumcidit, quando se totondit, quando Judaicam illam oblationem obtulit. Nec dicit illi, ut hoc faciat, sed quasi opinionem suam profert, ut ne infirmiorem illum ignaviorem reddat. Et quid dicit? *Bonum est non comedere carnes.* Et quid dico carnes? Etiamsi vinum, etiamsi aliud quidvis offendiculo sit, abstine : nihil enim par est saluti fratris tui. Hocque Christus significat, qui de cœlo descendit, et omnia pro nobis passus est. Perpendas etiam velim, quomodo et illum quoque perstringat, dicens : *Offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* Ne mihi dicas, inquit, quod præter rationem, sed quod corrigere queas, nam satis justificatur ille, cum ita juvatur, quod infirmus sit, et tibi nullum hinc damnum emergit : neque enim hypocrisis est illud, sed ædificatio et prudens consilium. Nam si coegeris illum, et repugnabit et te damnabit, et magis firmabitur ut non comedat : si vero indulgens fueris, te amabit, nec dolorem suspectum habebit, ac deinceps poteris sensim in illo recta seminare dogmata. Si vero semel in te odium conceperit, aditum omnem verbis tuis præclusisti. Ne itaque cogas illum, sed tu propter illum abstine, non quasi ab immundo, sed quia alioquin illi offendiculo res erit : et sic ille magis te amabit. Ita et ipse Paulus præcepit, dicens : *Bonum est non comedere carnes;* non quod immunda res sit, sed quod frater scandalizetur et infirmetur. 22. *Tu fidem habes? Penes temetipsum habe.* Hic mihi videtur perfectiorem vanæ gloriæ tacite accusare : hoc autem vult indicare. Vis mihi ostendere te perfectum et consummatum esse? Ne id mihi declares, sed satis sit tibi conscientia.

3. Fidem autem hic non eam, quæ circa dogmata est, dicit, sed eam, quæ ad rem propositam spectat. De illa enim dicit, *Ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* 10. 10); et, *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum* (*Luc.* 9. 26). Illa enim subvertit, nisi eam confiteamur; hæc vero, si intempestive confiteamur. *Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat.* Rursus infirmiorem incessit, ostenditque hanc ipsi sufficere coronam, conscientiæ nempe. Etiamsi enim homo non viderit, tu tibi sufficis, ut sis beatus. Quia enim dixit, Penes semetipsum habeat; ne putaret, hoc tribunal exiguum esse, ait hoc toto orbe tibi melius esse. Etsi omnes te accusant, si tu teipsum non damnes, nec conscientia reprehendat, beatus es. Non autem de omnibus universim hoc dixit. Multi namque sunt, qui semetipsos non damnant, quique admodum delinquunt : hi omnium miserrimi sunt. Sed interim præsenti argumento insistit. 23. *Qui enim discernit, si manducaverit, damnatus est.* Rursum hoc dicit, suadens illi ut infirmo parcat. Quæ enim utilitas, si discernens manducet, et semetipsum damnet? Ego enim illum probo, qui et manducat et cum nulla hæsitatione manducat. Vide quomodo illum inducat non tantum ad comedendum, sed ad comedendum cum pura conscientia. Deinde causam dicit, ob quam damnatus est, his verbis : *Quia non ex fide :* non quod immundus sit cibus, sed quod non ex fide comedatur : non enim mundum esse credidit, sed ut immundum attigit. Per hæc porro ostendit ipsis, quantum damni inferant, qui nondum persuasos cogant attingere res, quæ sibi adhuc immundæ videntur, ut vel ideo ab increpando desistant. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Cum enim non confidat, inquit, nec credit esse mundum, quomodo non peccaverit? Hæc porro omnia Paulus de proposito argumento dixit, non de aliis omnibus. Et observa quantum curet ne offendiculo sit : nam superius dixit : *Si autem propter cibum frater tuus contristatur, non jam secundum caritatem ambulas.* Si vero mœstitiam inferre non oportet, multo magis offendiculo esse non oportet. Ac rursus, *Ne cibi causa destruas opus Dei.* Nam si ecclesiam diruere grave est et impium, multo magis templum spirituale destruere : homo enim ecclesia pretiosior est. Neque enim propter parietes mortuus est Christus, sed propter hæc templa.

Ignorantiæ nemo culpa vacat.—Omnia itaque nostra undique circumspiciamus, et nullam cuivis præbeamus ansam. Stadium quippe est præsens vita, et innumeros undique oculos habere oportet, nec putandum est ignorantiam satis esse ad excusationem. Sunt enim, sunt utique de ignorantia repetendæ pœnæ, quando scilicet ignorantia excusari nequit: quandoquidem et Judæi ignorarunt, sed hæc ignorantia non erat digna venia: Græci quoque ignorarunt, sed defensionem non habent. Quando enim ea, quæ sciri nequeunt, ignoraveris, culpæ obnoxius non eris; quando autem ea, quæ scire facile posses, ignoras, extremas dabis pœnas. Alioquin vero, nisi admodum socordes fuerimus, et si omnia quæ penes nos sunt adhibeamus, in iis quæ ignoramus Deus nobis manum porriget: quod et Philippensibus Paulus dicebat: *Et si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus vobis revelabit* (*Philipp.* 3. 15). Quando autem ne ea quidem, quæ penes nos sunt, perficere volumus, neque illius ope fruemur: quod et Judæis accidit. *Ideo* enim *in parabolis loquor eis*, inquit, *quia videntes non vident* (*Matth.* 13. 13). Quomodo videntes non videbant? Pulsos dæmonas videbant, dicebantque, *Dæmonium habet*: videbant suscitatos mortuos, nec adorabant, sed ipsum interficere conabantur. At non talis erat Cornelius. Ideo quia omnia, quæ penes se erant, diligenter fecerat, quod reliquum erat, Deus adjecit. Ne ergo dicas, Quomodo illum sincerum et probum gentilem Deus neglexit? Nam primo, an quis sincerus sit, non potest homo scire, sed ille solus, qui singula corda formavit: deinde illud quoque dicendum, hominem illum sæpe non curavisse nec diligentem fuisse. Et quomodo poterat, inquies, cum sit admodum sincerus? At hominem hunc simplicem et sincerum observes velim, et circa res sæculares examines, videbisque in his illum magnam diligentiam adhibuisse: quam si voluisset circa spiritualia exhibere, non neglectus fuisset: nam quæ ad veritatem spectant sole clariora sunt. Et quocumque quis migraverit, facile salutem suam curabit, si attendere voluerit, neque hoc leve negotium putaverit. Num in Palæstina hæc negotia conclusa sunt? num in parvo orbis angulo? Non audisti hanc prophetæ vocem: *Omnes cognoscent me a parvo usque ad magnum* (*Jer.* 31. 34)? annon vides rei veritatem? Quomodo ergo illi veniam consequentur, qui cum videant veritatis dogma extensum, nec satagunt nec curant ut discant?

4. An hoc, inquies, exigis a rustico et barbaro? Non a rustico et barbaro tantum, sed a quibuslibet, etiamsi plus quam barbari fuerint. Cur enim, quæso te, si circa sæcularia injuriam patiatur, et contradicere scit, et vim inferentes propulsare, nihilque non agit et aggreditur, ut ne vel minime lædatur; in spiritualibus vero non pari prudentia utitur? et cum lapidem adorat et deum putat, cum dies festos celebrat, et pecunias profundit, multumque timorem exhibet, nusquam socors ex simplicitate comparet; cum autem verum Deum requirere oporteret, tu mihi sinceritatem et simplicitatem memoras? Non ita se res habet, non ita: nam socordiæ hoc imputandum crimen est. Quos enim simpliciores et agrestiores esse putas, eosne qui Abrahami tempore erant, an hodiernos hosce? Illos sine dubio. Quandonam piam religionem invenire facilius fuit, an nunc an tunc temporis? Nunc utique. Nunc enim apud omnes nomen Dei proclamatur, prophetæ prædixerunt, res effectum habuit, et gentium religio confutata fuit: tunc vero plurimi sine doctrina erant, peccatum regnabat, neque lex erat quæ institueret, neque propheta, neque miracula, non doctrina, non multitudo Deum agnoscentium, non aliud quid simile, sed quasi in profundis tenebris, atque in nocte illuni et hiemali res omnes positæ erant. Attamen admirabilis ille et generosus vir, cum tot essent impedimenta, et Deum noverat, et virtutem exercebat, et multos in eumdem zelum induxit: et hoc, cum non esset externæ illius sapientiæ peritus. Quomodo enim potuisset, cum nondum literæ inventæ fuissent? Attamen quia quæ sua erant intulit, Deus etiam quæ sua erant adjecit. Neque enim dicere possis Abrahamum a patribus suis piam religionem accepisse: nam et ille idololatra erat. Attamen a talibus ortus progenitoribus, et barbarus in medio barbarorum educatus, cum nullum pietatis doctorem haberet, et Deum novit et nepotibus suis omnibus, quibus lege et prophetis frui datum est, usque adeo factus est clarior et probatior, ut nec sermone exprimi queat. Quare? Quia sæcularia non multum curabat, et spiritualibus sese totum dediderat. Quid vero Melchisedec? nonne et ipse iisdem vixit temporibus; atque ita claruit, ut et sacerdos Domini appellaretur? Etenim fieri nequit, nec nullo modo fieri possit, ut qui vigilat contemnatur. Ne vero isthæc vos conturbent; sed gnari quod ubique mentis prævalebit vis, nostra circumspiciamus, ut meliores evadamus. Ne a Deo rationes repetamus, neque exploremus, cur hunc reliquit et hunc vocavit. Nam idipsum facimus ac si quis domesticus, re male gesta, heri sui œconomiam curiose exploraret. Miser et infelix, cum oporteret rationes tuas scrutari, et cogitare quomodo herum placare possis, rationes repetis eorum, de quibus ipse rationes reddere debes; illa prætercurris, de quibus pœnas daturus es?

Exempli boni vel mali vis. — Quid ergo, inquies, Græco dicam? Hæc, quæ supra dicta sunt. Et vide, non tantum quomodo Græcum alloquaris, sed quomodo illum emendare poteris. Quando vitam tuam explorans, hinc offendiculum patitur, hic cogita quid dicturus sis. Pro illo enim, etiamsi scandalizetur, rationem non dabis; a vita vero tua, si hinc ille lædatur, extremum subibis periculum. Cum viderit te de regno philosophantem et tamen ad præsentia inhiantem, gehennam timentem, et mala præsentia metuentem, tunc sollicitus esto. Cum his conspectis ille te reprehendet ac dicet: Si regnum desideras, cur res præsentes non despicis? si tremendum tribunal exspectas, cur præsentes ærumnas non contemnis? si immortalitatem speras, cur mortem non derides? cum hæc dixerit, sollicite considera, quid responsu-

rus sis. Cum viderit te, qui cælos exspectas, pecuniarum jacturam trementem, lætumque de unius oboli lucro ac modicæ pecuniæ causa animam prodere, tunc sollicitus esto : hæc enim, hæc, inquam, sunt, quæ Græcum offendunt. Itaque si tuam curas salutem, pro his defensionem tibi para, non verbis, sed rebus et factis. Nam propter illam quæstionem nemo umquam Deum blasphemavit ; propter vitam autem pravam mille sunt undique blasphemiæ. Hoc itaque corrige : alioquin rursus tibi Græcus dicet : Unde discam, quod possibilia præceperit Deus? nam ecce tu cum a majoribus Christianus sis, et in hac bona religione educatus, nihil tamen illa dignum facis. Quid ergo dices? Omnino dices, Ostendam tibi alios qui hæc faciant, monachos nempe in desertis sedentes. Atqui non erubescis, cum te Christianum esse confiteris et ad alios remittis, ut qui non possis ostendere te ea quæ Christianorum sunt facere? Etenim ille statim dicet : Igitur quæ necessitas est ad montes et deserta migrare? Nam si non possibile sit in mediis civitatibus philosophari, multa hinc criminatio huic religioni inferetur, si debeamus relictis urbibus ad deserta currere. Sed ostende mihi hominem uxorem, liberos, et domum habentem, qui philosophiæ studeat. Quid ergo ad hæc dicemus? annon necesse est demisso capite erubescere? Neque enim Christus ita præcepit, sed quomodo? *Luceat lux vestra coram hominibus* (*Matth.* 5. 16); non coram montibus vel desertis inviisque locis. Hæc porro dico, non ut iis detraham qui montes occuparunt, sed lugens eos qui in urbibus habitant, quia virtutem inde expulerunt. Quamobrem, obsecro, philosophiam ex montibus huc inducamus, ut civitates sint vere civitates : hæc possunt Græcum emendare, hæc a mille offendiculis liberare. Quamobrem si velis et illum a scandalo liberare et hinc mille frui mercedibus, vitam tuam emenda et undique splendere cura, *Ut homines videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*. Sic enim et nos frui poterimus ineffabili illa et magna gloria ; quam nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVII.

CAP. 14. v. 24. *Ei autem, qui potens est vos confirmare secundum evangelium meum et prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti;* 25. *manifestati autem nunc per Scripturas propheticas, secundum præceptum æterni Dei, ad obedientiam fidei, in cunctis gentibus cogniti;* 26. *soli sapienti Deo, per Jesum Christum, cui gloria in sæcula. Amen* (a).

1. Mos est semper Paulo precationibus et glorificatione adhortationem claudere : sciebat enim rem non esse levis momenti. Illud porro ex amore et pietate solet facere. Etenim præceptoris est filiorum et Dei amantis, non solum verbo docere, sed etiam per precationem Dei auxilium discipulis conciliare ; quod et hic facit. Hac porro serie legendum est : Ei autem qui potest vos confirmare gloria in sæcula. Amen. Rursus de infirmis illis agit, et ad illos sermonem convertit. Nam cum increparet, communem faciebat increpationem : nunc vero cum precatur, supplicationem pro istis ponit. Cum dicit autem, *Confirmare*, adjicit quo pacto, *Secundum evangelium meum*. Hoc vero dicens significabat, illos nondum confirmatos esse, et stare quidem, sed nutantes. Deinde ut fide dignum reddat sermonem, adjicit, *Et prædicationem Jesu Christi;* id est, ipse prædicavit. Si ipse prædicavit, non nostra sunt dogmata, sed illius leges. Deindeque de illa prædicatione philosophans, ostendit multæ beneficentiæ esse donum istud, multique honoris. Et primo quidem ab ipso prædicante hoc probat, deindeque ab iis quæ prædicabantur : evangelia enim erant. Ad hæc vero, ex eo quod nemini nota fuissent ante nos. Hoc porro subindicavit dicens : *Secundum revelationem mysterii;* quod certe amicitiæ maximæ signum est, quod nos mysteriorum participes fecerit, et neminem ante nos. *Temporibus æternis taciti, manifestati autem nunc*. Olim quidem prædefinitum erat, nunc autem apparuit. Quomodo apparuit? *Per Scripturas propheticas*. Hic rursum metum infirmi abigit. Quid enim times? ne deficias a lege? Hoc vult lex, hoc jam olim prædixit.

Fides obedientia opus habet, non perquisitione. — Si autem examinaveris cur nunc manifestatum sit : non tutam rem facis, cum mysteria Dei curiose inquiris, et rationes exigis. Neque enim talia curiose examinanda sunt, sed amanda et amplectenda. Ideoque hoc animi propositum refrenans, adjecit : *Secundum præceptum æterni Dei ad obedientiam fidei*. Fides enim obedientia opus habet, non curiosa perquisitione : ac cum Deus præcipit, obedire, non curiose inquirere oportet. Deinde aliunde illos confirmat dicens : *In cunctis gentibus cogniti*. Neque enim tu solus, sed universus orbis ita credit, non hominem sed Deum habens doctorem. Quapropter adjecit : *Per Jesum Christum*. Non cognitum autem fuit tantum, sed etiam confirmatum : utrumque vero ipsius opus est. Ideoque ita legendum est : Ei autem qui potest vos confirmare per Jesum Christum. Nam, ut dixi, utrumque ipsi adscribit ; imo vero non utrumque tantum, sed et gloriam in Patrem. Ideoque dixit : *Cui gloria in sæcula. Amen*. Glorificat etiam de incomprehensibilitate mysteriorum horum stupefactus. Neque enim etiam nunc postquam apparuerunt, cogitationibus illa

(a) Hi tres ultimi versus in vulgatis exemplaribus in fine capitis XVI et ultimi jacent. In exemplari vero Chrysostomi et in quibusdam aliis ad finem capitis XIV adduntur.

comprehendi possunt, sed per fidem illa nosse oportet; alio autem modo non licet. Bene dixit, *Soli sapienti Deo*. Cum enim cogitaveris, quo pacto gentes induxerit, et cum aliis olim probe viventibus commiscuerit, quomodo desperatos servarit, quomodo terrà indignos in cælum induxerit, et a præsenti vita delapsos in æternam illam et ineffabilem transtulerit, et a dæmonibus conculcatos angelis æquales fecerit, et paradisum illis aperuerit, omniaque vetera mala solverit, et hæc brevi tempore, perque facilem et compendiosam viam : tunc sapientiam cognosces, cum videbis illud, quod neque angeli, neque archangeli sciebant, gentiles derepente per Jesum edoctos fuisse. Cum ergo oporteret ejus mirari sapientiam, ipsumque glorificare; tu circa exigua versaris, adhuc in umbra sedens, quod non valde est Christum glorificantis. Qui enim illi non fidit, nec fide persuasus est, ejus operum magnitudini testimonium non præbet. Verum pro illis gloriam ipsi refert Paulus, illosque ad idem studium provocat. Cum vero audis illum dicentem, *Soli sapienti Deo*, ne putes hoc dici ad contemptum Filii. Si enim hæc omnia, per quæ sapientia ejus ostenditur, per Christum facta sunt, et sine ipso factum est nihil : palam est ea, quæ ad sapientiam spectant, paria esse. Cur ergo, *Soli*, dixit? Ad differentiam universæ creaturæ. Reddita igitur glorificatione, rursus a precatione in adhortationem venit, ad fortiores sermonem convertens, ac dicens : *Cap.* 15). 1. *Debemus autem nos, qui potentes sumus.* Debemus, non gratificamur. Quid debemus? *Imbecillitates infirmorum sustinere.*

2. Viden' quomodo illos encomiis efferat, non solum quod potentes vocet, sed quod illos secum statuat? Neque hoc solum modo, sed ex utilitate illos allicit, et sine aliqua molestia. Tu enim potens es, inquit, et si te demittas, nihil hinc tibi damni : ille vero de extremis periclitatur, nisi sustentetur. Neque dixit, Infirmos, sed, *Imbecillitates infirmorum*, ad misericordiam ipsos attrahens et advocans : ut alibi dicit : *Vos spirituales hujusmodi hominem instruite* (*Gal.* 6. 1). Potens factus es? Redde Deo mercedem, qui te talem fecit : reddes autem, si ægroti infirmitatem emendaveris. Nam et nos infirmi eramus, sed a gratia potentes facti sumus. Hoc autem non hic tantum faciendum est, sed etiam erga eos, qui alio modo infirmantur. Exempli causa, si iracundus quis fuerit aut conviciator, aut si aliquo hujusmodi vitio laboret, id sustine. Quomodo autem hoc fiet? audi sequentia. Cum enim dixisset, *Debemus sustinere*, adjunxit, 2. *Et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo placeat in bonum ad ædificationem.* Id est : Potens es? Experimentum potentiæ tuæ sumat infirmus; fortitudinem ille tuam ediscat; illi placeas. Nec simpliciter dixit, *Placeas*, sed, *In bonum;* neque tantum in bonum, ne dicat perfectus : Ecce enim illum ad bonum traho; sed adjecit, *Ad ædificationem.* Itaque etiamsi dives sis, etiamsi in potentia sis: ne tibi ipsi, sed pauperi et egeno placeas : sic enim et vera gloria frueris, et utilitatem multam afferes. Nam sæcularis gloria confestim avolat; illa vero, quæ ex spiritualibus nascitur, manet, si ad ædificationem hoc facias. Ideoque ab omnibus illud exigit : neque enim ille vel ille, sed *Unusquisque vestrum.* Deinde quia magnum quidpiam præcepit, et propriam demittere perfectionem jussit, ut corrigatur alterius infirmitas, rursus Christum in medium adducit : 3. *Etenim Christus non sibi placuit.* Quod ille quidem semper facit. Nam cum de eleemosyna loqueretur, ipsum adducebat, dicens : *Cognoscite gratiam Domini, quia cum dives esset, propter nos factus est pauper* (2. *Cor.* 8. 9). Et cum ad dilectionem adhortaretur, inde etiam adhortabatur, dicens : *Quemadmodum et Christus dilexit nos* (*Ephes.* 5. 25). Et cum de ferendo pudore atque periculis consilium daret, ad ipsum confugit dicens : *Qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta* (*Hebr.* 12. 2). Ita et hic Christum idem fecisse ostendit, et prophetam inducit idipsum olim prædicentem : quapropter subjungit : *Sicut scriptum est : Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Quid vero sibi vult illud, *Non sibi placuit?* Poterat ille non opprobria ferre; poterat non pati quæ passus est, si sua spectare voluisset. At ille noluit; sed quod nostrum erat respiciens, quod ad se pertinebat neglexit. Et cur non dixit, Seipsum evacuavit? Quia non hoc solum ostendere volebat, quod homo factus sit, sed quod et contumeliam passus, et malam apud plurimos acceperit famam, cum infirmus esse putaretur. Nam dicebant ei : *Si Filius Dei es, descende de cruce;* et, *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere* (*Matth.* 27. 40 *et* 42). Ideo rem commemorat ad præsens argumentum ipsi utilem, exhibetque multo plus, quam promisit. Non enim Christum solummodo opprobriis affectum ostendit; sed etiam Patrem : nam ait, *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me;* id est, nihil novi accidit, nihil peregrinum. Qui enim in veteri lege exprobrare illi cogitaverant, iidem contra Filium furore correpti sunt. Hæc porro scripta sunt, ut nos imitemur. Hic illos ad patientiam in tentationibus munit deinceps : nam ait : 4. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus;* id est, ne excidamus. Varii siquidem sunt agones, intus et foris, ut roborati et consolatione accepta per Scripturas, patientiam exhibeamus; ut in patientia viventes, maneamus in spe. Nam alia ab aliis mutuo generantur, patientia a spe, spes a patientia : quæ ambo a Scripturis nascuntur. Deinde rursus ad orationem sermonem convertit, dicens : 5. *Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundum Jesum Christum.* Quia enim quæ sua erant dixerat, Christi exempla subjecit, testimonium ex Scripturis attulit, ostendens se cum Scripturis etiam patientiam dare. Ideo dicebat : *Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundum Christum Jesum.* Hoc enim est dilectionis, ut quod de seipso sentit, idipsum de alio sentiat.

3. Deinde ut ostendat se non simpliciter dilectionem quærere, subjungit, *Secundum Christum Jesum* : quod ubique facit, quoniam aliud est dilectionis genus. Et quodnam est concordiæ lucrum? 6. *Ut unanimiter*, inquit, *uno ore glorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Non dixit solum, *Uno ore*, sed et una anima hoc fieri jussit. Viden' quomodo totum corpus conjunxerit, et quomodo rursum sermonem in glorificationem concluserit? Unde potissimum ad consensum et concordiam inducit. Deinde rursum in eadem adhortatione pergit, dicens : 7. *Propterea, suscipite vos mutuo, sicut et Christus suscepit vos ad gloriam Dei.* Rursus exemplum a supernis ducit, et ineffabile lucrum : nam hoc maxime Deum glorificat, quod hoc consensu nos mutuo muniamus. Itaque etiamsi dolens pro hac re a fratre dissentias, cogitans te si iram dimittas, Dominum tuum glorificare, etiamsi non propter fratrem, propter hoc ipsum reconciliare : imo propter hoc ipsum primo. Nam hoc Christus semper sus deque versat, et Patrem alloquens dicebat : *In hoc cognoscent omnes quod tu me miseris, si fuerint unum* (*Joan.* 17. 21).

Dilectio commendatur etiam erga inimicos.—Obtemperemus igitur, et nos mutuo jungamus. Hic enim non jam infirmos tantum, sed omnes excitat. Et si quis a te discindi cupiat, ne discindaris tu, neque hoc frigidum verbum proferas : Si me dilexerit, diligo ; et si non dilexerit dexter oculus, effodiam illum : nam satanica sunt hæc dicta, et ad gentilium simultates pertinent. Tu vero, qui ad majus institutum vitæ vocatus es, et in cælo descriptus, majoribus es legibus subditus. Ne ista dixeris ; sed cum te ille diligere nolet, tunc majorem illi dilectionem exhibe, ut illum allicias : membrum enim est ; membrum autem cum per necessitatem quampiam a reliquo corpore scinditur, nihil non agimus, ut illud rursus uniamus, et tunc majorem impendimus curam. Etenim major est merces, cum non diligere volentem attraxeris. Si enim ad prandium invitare jubet eos, qui nobis non possunt vicem rependere, ut merces augeatur; multo magis in dilectione hoc faciendum est. Nam is qui dilectus diligit, mercedem tibi reddidit; qui vero dilectus non diligit, Deum tibi debitorem constituit : ac præterea cum te diligit, non multa cura opus habet; cum autem non diligit, tunc tuo opus habet auxilio. Ne igitur curæ ac diligentiæ causam reddas ignaviæ causam, neo dicas : Quia infirmatur, ideo ipsum negligam ; morbus enim est dilectionis frigiditas ; sed tu fove id quod refrigeratum est. Quid vero, inquies, si non incalescat? Mane semper quæ tua sunt faciens. Quid si magis aversetur? Rursus majorem tibi mercedem conciliat, et tanto magis te ostendit Christi imitatorem. Nam si diligere invicem discipulorum insigne est : *In hoc enim*, inquit, *cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si diligatis invicem* (*Joan.* 13. 35); cogita quantum sit odientem se diligere. Nam Dominus tuus eos qui se oderant diligebat et hortabatur; et quanto infirmiores erant, tanto magis illorum gerebat curam, et clamabat dicens : *Non opus habent bene valentes medico, sed qui male habent* (*Matth.* 9. 12) : et publicanos peccatoresque sua dignabatur mensa ; et quanto majori illum ignominia dedecoravit Judæorum populus, tanto majorem illi honorem et curam exhibuit ; imo multo majorem. Hunc et tu æmulare. Neque enim parva res est hoc opus, sed sine quo ne martyr quidem admodum potest placere Deo, quemadmodum Paulus dicit (1. *Cor.* 13. 3). Ne itaque dicas, Odio habeor, et ideo non diligo : ideo enim magis amare debes. Alioquin autem non potest is, qui diligit, tam cito odio haberi ; sed etiamsi fera quis fuerit, diligentes se diliget : hoc enim, inquit, faciunt ethnici et publicani (*Matth.* 5). Quod si quisque diligentes se diligit, eos qui odio habiti diligunt, quis non dilexerit? Hoc itaque exhibeto, et ne finem facias hoc dicendi, quantumcumque me odio habeas, te diligere non cessabo, et omnem contentionem sedasti, et omnem animum emollivisti. Morbus enim hic aut ex inflammatione oritur, aut ex frigiditate : sed utrique dilectionis vis ex ardore suo mederi solet. Non vides turpes illos amatores, ut alapas, sputa, opprobria et innumera mala patiuntur a mulieribus illis meretricibus? Quid ergo hunc solvet amorem? contumeliæ? Nequaquam, imo magis accendent : etiamsi illæ quæ hæc faciunt, præterquam quod scorta sunt, ex obscuro et vili genere sint ; qui vero hæc patiuntur, divites sæpe possint progenitores numerare, et alia ratione illustres sint : attamen ne hoc quidem illos solvit, nec ab amata avellit.

4. Annon erubescimus, quod non tantam secundum Deum dilectionem exhibere possimus, quanta illa vis diabolici et dæmoniaci amoris? non cogitas hoc maximum esse telum contra diabolum? Non consideras quod malus ille dæmon instet illudque excisum membrum ad se trahat, suumque facere conetur? tu vero prætercurris, et pugnæ præmium prodis? Nam veluti præmium in medio jacet frater : si viceris, coronam accipies ; sin ignave agas, incoronatus discedes. Finem ergo fac satanicum illud dictum proferendi, Si frater meus me oderit, ne videre quidem illum volo. Nihil enim turpius hoc dicto, etiamsi illud generosi esse animi putent multi : at nihil est ignobilius, stultius, immanius. Ideo maxime doleo, quod multi putent ea, quæ ad malitiam pertinent, esse virtutem : ac quod despicere et contemnere splendidum et honestum videatur esse. Hic maximus est diaboli laqueus, quod nequitiæ bona tribuatur fama : quare difficile est malum hoc deleri. Etenim multos ego audivi gloriantes, quod sibi adversantes non adirent : atqui Dominus tuus in ea re gloriatur. Quoties illum homines conspuerunt? quoties aversati sunt? ille vero non cessat accurrens. Ne igitur dicas, Me odio habentes adire non possum ; sed dic, Respuentes me respuere nequeo. Hoc dictum est discipuli Christi ; ut illud aliud diaboli ; hoc illustres facit et claros, aliud vero turpes ac ridiculos. Nos miramur Moysem, quod ipso Deo dicente, *Dimitte me, et iratus conteram illos* (*Exod.* 32. 10. 32), non potuerit illos respuere, qui illum sæpe aversati fuerant

rant; sed dicebat : *Si quidem hoc peccatum illis dimittis, dimitte; sin minus, et me dele.* Dei enim amicus et imitator erat. Ne itaque gloriemur in iis, ob quæ nos pudere deberet; neque dicamus ea, quæ dicunt forenses et infimum vulgus, Innumeros aversari scio : sed etiamsi quis alius hoc dixerit, irrideamus illum et os illi obstruamus, quia in iis gloriatur, de quibus pudere illum oporteret. Quid, quæso, dicis? aversaris hominem fidelem, quem, infidelis cum esset, Christus non respuit? Quid dico, non respuit? Ita illum, inimicus et deformis cum esset, dilexit, ut etiam pro illo moreretur. Hic, inquam, eum qui talis erat, ita dilexit; tu vero nunc, dic mihi, cum speciosus et mirabilis factus est, illum respuis, qui membrum Christi et corpus Dominicum factus est? annon cogitas quid dicas? annon sentis quanta audeas? Caput habet Christum et mensam et vestimentum, et vitam et lucem et sponsum, et omnia ipsi ille est, et dicere audes, Illum respuo? neque illum tantum, sed et innumeros alios cum illo? Cohibe te, o homo, et seda furorem : agnosce fratrem, disce hæc verba stulti esse atque lymphati, et contraria dicito : Etsi millies me respuat, ego non discedam : sic et fratrem lucraberis, et ad gloriam Dei vitam duces, atque futura consequeris bona, quæ utinam omnes adispiscamur, gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XXVIII.

CAP. 15. v. 8. *Dico autem Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis pro veritate Dei, ad confirmandas promissiones patrum.*

1. Rursus de Christi cura et sollicitudine disserit, eidem adhuc capiti inhærens, et ostendens quæcumque ille propter nos fecerit, et quomodo sibi ipsi non placuerit. Posteaque illud probat, eos ex gentibus qui credebant magis debitores esse Deo. Si ergo magis debitores sunt, tenentur Judæos infirmantes sustinere. Postquam enim illos vehementer perstrinxerat, ne hinc isti sublatis animis essent, ipsorum rursus arrogantiam deprimit : Judæis quidem ex promissione patribus facta, bona data fuisse ostendens; gentilibus vero ex sola misericordia et benignitate : ideo dicebat, *Gentes autem super misericordia glorificare Deum.* Ut vero clarior res sit, ipsa rursus verba audi, ut discas quid sit, *Pro veritate Dei Christum fuisse ministrum circumcisionis*, ad confirmandas promissiones patrum. Quid ergo est, quod dicitur? Promissio Abrahamo facta fuerat, dicens : *Tibi dabo terram et semini tuo*, et, *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* 12. 7. *et* 22. 18). Verum postea quotquot ex semine Abrahæ erant, facti sunt pœnis obnoxii. Violata quippe lex iram in illos concitavit, et promissione patribus facta demum illos privavit. Adveniens vero Filius cum Patre cooperatus est, ut promissiones illæ veræ deprehenderentur, et ad effectum adducerentur. Cum enim legem omnem et circumcisionem adimplevisset, atque sic et per crucem quoque a maledictione per transgressionem allata liberasset, non permisit ut promissio caderet. Cum ergo dicit, *Ministrum circumcisionis*, hoc sibi vult, ipsum, cum venisset et totam legem implevisset, ac circumcisus fuisset, semen Abrahæ factum, maledictionem abstulisse, iram Dei sedavisse, illosque demum idoneos effecisse, qui promissionem accepturi erant, semel ab offensa sua liberatos. Ne ergo dicerent ii, qui accusabantur, Quomodo ergo Christus circumcisus fuit, et totam legem implevit? in contrarium istud invertit. Non ut maneret lex, hoc fecit, inquit, sed ut illam solveret teque ab imminente maledictione eriperet, atque a legis dominio te prorsus liberaret. Quia enim tu legem transgressus fueras, ideo ipse illam implevit, non ut tu impleres, sed ut tibi promissiones patribus factas confirmaret, quas lex abrogaverat, ostendens te offendisse et hereditate indignum esse. Itaque et tu per gratiam salutem nactus es : nam ejectus eras. Ne itaque disceptes neque contendas, intempestive legi adhærendo, quæ te a promissione amovisset, nisi tanta pro te passus esset Christus. Hæc porro passus est, non quod tu salute dignus esses, sed ut Deus verax agnosceretur. Deinde ne hoc gentilem inflaret, ait : 9. *Gentes autem super misericordia glorificent Deum.* Hoc est, Judæi quidem saltem promissiones habuere, etsi indigni essent; tu vero neque hanc habebas, sed ex sola benignitate salute donatus es. Tametsi illis nihil amplius ex promissione accessurum erat, nisi advenisset Christus : attamen ut illos temperet, nec sinat insurgere contra infirmos, promissiones commemorat : de gentilibus vero dicit, quod ex misericordia solum salutem nacti sint : ideoque magis debent Deum glorificare. Gloria autem Deo est, quando coadunamur, quando jungimur, quando unanimiter illum celebramus, quando infirmum portamus, quando abruptum membrum non contemnimus. Deinde et testimonia inducit, in quibus ostendit conjungi debere Judæos fideles cum gentilibus credentibus, ita dicens : *Sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo* (*Psal.* 17. 50); 10. et, *Lætamini gentes cum populo ejus*; 11. et, *Laudate omnes gentes Dominum, et collaudate eum omnes populi* (*Psal.* 116. 1); 12. et, *Erit radix Jessæ, et qui exsurget imperare gentibus : in ipso gentes sperabunt* (*Isai.* 11. 10). Hæc porro omnia produxit, ostendens ipsos debere simul conjungi et glorificare Deum; simulque Judæum reprimit, ne contra gentilem insurgat, cum prophetæ omnes gentiles advocent; illique, qui ex gentibus est, modeste agere suadet, ostendens illum majori esse gratiæ obnoxium.

2. Deinde sermonem rursus in precationem concludit, dicens : 13. *Deus vero spei impleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe in virtute Spiritus sancti.* Id est, ut liberemini ab hac mutua rixa, et numquam a tentationibus dejiciamini :

hoc erit, si vos abundaveritis in spe. Hoc autem omnium causa est bonorum. Hoc a Spiritu sancto erit : nec simpliciter a Spiritu sancto, sed si ea, quæ penes nos sunt, conferamus. Ideo ait, *In credendo :* sic enim potestis repleri gaudio, si credatis, si speretis. Sed non dixit, Si speretis, sed, Si *abundetis in spe :* ita ut non modo consolationem malorum reperiatis, sed et gaudio exsultetis propter abundantiam fidei et spei. Sic et Spiritum attrahetis : sic postquam ille advenerit, bona omnia servabitis. Quemadmodum enim vitam nostram esca continet, atque hanc vita dispensat : sic si bona habeamus opera, Spiritum habebimus : si Spiritum habeamus, bona habebimus opera; sicut et contrario, nisi opera habeamus, Spiritus avolat. Si autem a Spiritu sancto vacui fuerimus, etiam circa opera claudicabimus : abeunte siquidem illo, spiritus immundus accedit : quod palam est ex Saüle. Quid enim, si nos non suffocat perinde atque illum? Sed alio modo præfocat per mala opera. Cithara ergo Davidis opus nobis fuerit, ut divina cantica animæ concinamus, et ea quæ ad illum pertinent, et ea quæ ex bonis operibus procedunt. Nam si vel alterum fecerimus, et cantionem audientes, canenti per opera repugnemus, ut tunc Saül faciebat; pharmacum nobis in damnationem erit, et immanior fiet insania. Nam antequam audiamus, timet malignus dæmon, ne audientes corrigamur : cum autem audientes iidem ipsi manemus, ipsi metus abscedit. Psallamus canticum per opera, ut peccatum ipso dæmone deterius ejiciamus. Dæmon enim non omnino privat nos regno cælorum, sed et aliquando vigilanti prodest; peccatum autem omnino excludit. Peccatum enim dæmon est voluntarius, ac spontanea insania; ideoque non habet qui misericordiam et veniam tribuant. Hoc ergo incantationis genere cantemus animæ sic affectæ, et ab aliis Scripturis et a beato Davide : psallat os et mens erudiatur. Neque enim illud spernenda res est : nam si linguam canere doceamus, illa canente animam pudebit contraria volentem. Neque enim illud tantum boni hinc decerpemus, sed et nos multa sciemus, quæ nobis utilia erunt : nam et de præsentibus et de futuris tibi David loquitur, de visibili et de invisibili creatura. Si de cælo discere velis, an nempe maneat vel mutetur; clare tibi respondet et dicit : *Cæli sicut vestimentum veterascent, et sicut amictum involves eos,* Deus, *et mutabuntur* (*Psal.* 101. 27). Si de forma ejus audire velis, audies : *Extendens cælum sicut pellem* (*Psal.* 103. 2). Si de dorso ejus plura quis scire cupiat, dicet tibi rursum : *Qui tegis aquis superiora ejus* (*Psal.* 103. 3). Neque hic sistit, sed etiam de latitudine et de altitudine tibi disserit, hæc paria ostendens : *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Secundum altitudinem cæli a terra, corroboravit Deus misericordiam suam super timentes se* (*Psal.* 102. 12. 11). Quod si terræ quoque fundamenta scrutari volueris, neque illa tibi celabuntur; sed audies psallentem et dicentem : *Quia super maria fundavit eam* (*Psal.* 23. 2). Si discere cupias unde veniant terræ motus, te omni dubio liberabit, sic dicens : *Qui respicit terram, et facit eam tremere* (*Psal.* 103. 32). Si noctis usum requiras, illum ab ipso disces : *In ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ* (*Psal.* 103. 20). Si quæras cui rei montes sint utiles, respondet tibi : *Montes excelsi cervis.* Et cur petræ sint, dicit tibi, *Petra refugium chærogrylliis et erinaciis.* Cur sint infructuosæ arbores disce : *Illic passeres nidificabunt* (*Psal.* 103. 18. 17). Cur in desertis fontes? *Ibi volatilia cæli habitabunt, et bestiæ agri* (*Ibid.* v. 12. 11). Ad quid vinum? Non tantum ut bibas; nam ad id satis esset aqua; sed ut lætificeris et placide agas. nam *Vinum lætificat cor hominis* (*Ibid.* v. 15). Ita doctus scies quousque vino uti debeas. Unde alantur volatilia, et agrestes feræ? Audies dicentem : *Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore* (*Ibid.* v. 27). Si dixeris, ad quid jumenta? respondet tibi hæc etiam propter te facta esse : *Qui producit,* inquit, *jumentis fœnum et herbam servituti hominum* (*Ibid.* v. 14). Quænam lunæ utilitas? Audi illum dicentem, *Fecit lunam in tempora* (*Ibid.* v. 19). Et quod omnia fecerit, sive visibilia, sive invisibilia, clare docuit dicens : *Ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* 32. 9). Et quod etiam mortis solutio futura sit, illud te docet dicens : *Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me* (*Psal.* 48. 16). Unde nobis corpus? Et hoc dicit, *Recordatus est quoniam pulvis sumus* (*Psal.* 102. 14). Quo demum abit? *Revertetur in pulverem suum* (*Psal.* 103. 29). Cur hæc omnia? Propter te : *Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum* (*Psal.* 8. 6). An nos homines quid commune habemus cum angelis? Et hoc dixit ita psallens : *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (*Ibid.*). De dilectione Dei : *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentium se* (*Psal.* 102. 13). De iis quæ post hæc nos exceptura sint, et de tranquilla sorte illa : *Convertere,* inquit, *anima mea in requiem tuam* (*Psal.* 114. 7). Cur adeo magnum est cælum? Illud quoque dicet : *Cæli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* 18. 1). Ad quid facta est nox et dies? Non ut illa luceat, et hæc quietem det tantum, sed ut nos instituant : *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum* (*Ibid.* v. 4). Quomodo mare circumdet terram? *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus* (*Psal.* 103. 6): ita siquidem Hebraicum habet.

3. Ab iis quæ dicta sunt, initio ducto, alia omnia edisceti; quæ circa Christum, quæ circa resurrectionem, quæ circa futuram vitam, de requie, de punitione, deque iis quæ ad mores spectant, de dogmatibus omnia, et innumeris repletum bonis librum invenietis. Si in tentationes incideris, multam inde referes consolationem : si in peccata, innumera pharmaca hic reperies : si in paupertatem, si in ærumnam, multos videbis portus : si justus fueris, multam cautionem et securitatem inde lucraberis : si peccator fueris, multam consolationem. Si justus sis, et gravia patiaris, audies dicentem : *Propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis* (*Psal.*

43. 22. 18). *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te.* Si vero facta tua te extollant, dicentem audies : *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* 142. 2); et statim humilis evades. Si peccator sis, et de te ipso desperes, audies frequenter canentem : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione* (*Psal.* 94. 8. 9); et statim te eriges. Si diadema in capite gestaveris, et altum sapias, disces : *Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ* (*Psal.* 32. 16); et poteris modeste agere. Si dives sis et gloriosus, rursus audies psallentem : *Væ qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur* (*Psal.* 48. 7); et, *Homo, sicut fœnum dies ejus, tamquam flos campi sic efflorebit* (*Psal.* 102. 15); et, *Non descendet post eum gloria ejus* (*Psal.* 48. 18); nihilque in terra magnum esse putabis. Nam quod omnium splendidissimum est, gloria et potentia, cum tam vile sit, quid aliud in terra existimatione dignum fuerit? An in mœrore versaris? Audi illum dicentem : *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deum, quoniam confitebor illi* (*Psal.* 41. 12). Sed quosdam vides præter meritum celebres? Dic : *Noli æmulari in malignantibus, quoniam tamquam fœnum arescent, et quasi olera herbarum cito decident* (*Psal.* 36. 1 *et* 2). Viden' justos et injustos plecti? Audi quod non eadem de causa; nam ait : *Multa flagella peccatoris* (*Psal.* 31. 10). De justis autem non dixit, flagella; sed, *Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus* (*Psal.* 33. 20); et rursum, *Mors peccatorum pessima*; et, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* 115. 15). Hæc frequenter dicito, hinc erudiaris : nam singula verba sensuum pelagus immensum habent. Nos quidem illa perfunctorie transcurrimus : si autem volueritis dicta accuratius examinare, multas videbitis divitias : Sed interim ex dictis instantes pravi actus reprimi poterunt. Cum enim nec invidere permittant, neque dolore et mœrore intempestive affici, neque divitias quidpiam esse putare, nec ærumnas nec paupertatem, neque vitam ipsam tanti facere, omnibus te passionibus liberant. Pro his autem omnibus gratias agamus Deo, et thesaurum hunc ita tractemus, *Ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus*, et futuris fruamur bonis : quæ utinam omnes consequamur gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XXIX.

Cap. 15. v. 14. *Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis bonitate, repleti omni scientia; ita ut possitis alterutrum monere.*

1. Dixerat, *Donec sum gentium apostolus, ministerium meum glorificabo*; dixerat, *Ne forte nec tibi parcat*; dixerat, *Ne sitis prudentes apud vosmetipsos*; et rursus : *Tu vero quid judicas fratrem tuum?* et, *Tu quis es, qui judicas alienum servum* (*Rom.* 11. 13. 21. *et* 12. 16. *et* 14. 10. 4)? et alia longe plura his similia. Quia ergo multis in locis asperiore usus est sermone, iis medetur demum : et quod initio dixerat, in fine repetit. Initio quidem dixerat : *Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo* (*Id.* 1. 8); hic vero : *Certus sum*, inquit, *quoniam pleni estis bonitate; ita ut possitis alterutrum monere* : quod magis est quam illud prius. Nec dixit, Audivi, sed, *Certus sum*, nec opus habeo ab alio discere; sed, *Ego ipse*, id est, qui increpo, qui accuso. *Quod pleni estis bonitate.* Hoc ad illam admonitionem spectat, quam paulo ante fecerat; ac si diceret : non quasi immites ac fratrum osores vos sic hortatus sum, ut eos suscipiatis, nec dimittatis neque dissolvatis opus Dei : scio enim quod pleni sitis bonitate. Videtur autem mihi hic universam virtutem sic vocare. Et non dixit, Habetis, sed, *Pleni estis bonitate.* Et quod sequitur cum eadem emphasi profert, *Repleti omni scientia.* Quid enim si dilexissent quidem, sed nescivissent quo pacto oporteret cum dilectis agere? Propterea adjecit, *Omni scientia; ita ut possitis etiam alios monere*; nec modo discere, sed etiam docere. 15. *Audacius autem scripsi vobis ex parte.* Vide Pauli humilitatem, vide sapientiam, quomodo in præcedentibus profundam inflixerit plagam, et postquam quod volebat perfecit, multa deinceps utatur medela. Præter ea enim, quæ dicta sunt, sufficiebat quod se asperius audaciusque loquutum fateretur, ut illorum animum mitigaret. Hoc et ad Hebræos scribens facit, ita loquens : *Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti : tametsi ita loquimur* (*Hebr.* 6. 9). Et Corinthiis similiter : *Laudo vos, quia per omnia mei memores estis : et sicut tradidi vobis traditiones, ita tenetis* (1. *Cor.* 11. 2). Galatis autem scribens dicebat : *Confido in vobis, quod nihil aliud sentiatis* (*Gal.* 5. 10). Et ubique in ipsius epistolis hanc sententiam frequenter videas; hic vero maxime. Nam in majore erant dignitate constituti, opusque erat tumentem illorum animum deprimere, non perstringendo solum, sed etiam remittendo; nam diversa illud ratione facit. Propterea hoc loco dicit, *Audacius vobis scripsi.* Neque hoc satis illi fuit, sed adjecit, *Ex parte*, hoc est, sensim. Neque hic constitit, sed quid ait? *Tamquam in memoriam vobis reducens.* Nec dixit, Docens, sed, *In memoriam reducens*, id est, paululum commemorans. Viden' finem cum exordio consentire? Sicut enim illic dicebat : *Fides vestra annuntiatur in universo mundo* : sic et in epistolæ fine : *Obedientia vestra ad omnes pervenit.* Et sicut in exordio dicebat : *Desidero enim videre vos, ut aliquam vobis spiritualem gratiam impertiar ad confirmandos vos* (*Rom.* 1. 8. 11); id est, ad mutuam capiendam consolationem : ita et hoc loco dixit, *Tamquam in memoriam vobis reducens.* De throno namque doctoris hic et illic descendens, tamquam fratres alloquitur, et amicos et æquales : id

quod maxime doctoris est, ad auditorum utilitatem sermonem varie tractare. Vide ergo, quomodo cum dixisset, *Audacius scripsi*, et, *Ex parte*, et, *Tamquam in memoriam revocans*, non hæc satis habuerit, sed adhuc humilius loquens dicat : *Propter gratiam, quæ data est mihi a Deo :* quod etiam in principio dicebat, *Debitor sum*. Id est, non honorem mihi arripui, neque prior in illum insilivi, sed Deus jussit, et hoc per gratiam, non quasi dignum ad hoc deputans. Nolite igitur exasperari : neque enim ego in vos insurgo : Deus est qui præcipit. Et sicut illic dicit, *Cui servio in evangelio Filii ejus :* ita et hic cum dixisset, *Per gratiam quæ data est mihi a Deo*, subjunxit : 16. *Ut sim ego minister Jesu Christi in gentibus, sancte administrans evangelium Dei*. Postquam enim supra dicta multis probaverat, ad id, quod gravius erat, sermonem vertit, non simpliciter cultum ponens, ut in principio, sed liturgiam et sacrum ministerium : Hoc est enim mihi sacerdotium, prædicare et annuntiare : hoc offero sacrificium. Sacerdoti autem nemo vitio vertit, quod curet immaculatam offerre hostiam. Hoc porro dicebat, ut simul eorum animos erigeret, et ipsos esse hostiam ostenderet, ac sese purgaret, quod ita præceptum fuisset. Gladius enim meus, inquit, est evangelium, prædicationis verbum ; causa vero, non ut ego gloriam nanciscar, non ut ego splendidus videar ; sed, *Ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu sancto*. Id est, ut animæ discipulorum acceptæ sint. Non tantum, ut me honoraret, Deus in hoc adduxit, quantum ut vestri curam gereret.

2. Et quomodo fuerit acceptabilis oblatio? In Spiritu sancto : non enim fide tantum opus est, sed etiam spirituali vitæ instituto, ut Spiritum sanctum semel datum retineamus. Neque enim ligna et ignis, non ara et gladius, sed Spiritus omnia apud nos est. Propterea nihil non ago, ut ne ignis ille exstinguatur : hoc enim mandatum mihi fuit. Cur ergo iis loqueris, quibus non est opus? Propter hoc ipsum, inquit, non doceo, sed commonefacio : ut sacerdos adstat ignem accendens, sic et ego animum vestrum excitans. Et vide, non dixit, *Ut fiat oblatio* vestra, sed *Gentium*. Cum vero dicit, *Gentium*, orbem dicit, terram et mare in universum, illorum reprimens animos, ut ne dedignentur illum habere doctorem, qui ad terminos terræ contenderet : quod etiam initio dicebat, *Sicut et in reliquis gentibus Græcis et Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum. Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum*. Quia enim sese valde humilem exhibuerat, sermonem rursus erigit, idque in ipsorum gratiam facit, ne contemptibilis esse videatur. Dum autem sese extollere videtur, moris sui non oblitus sic dicit, 17. *Habeo igitur gloriationem*. Glorior, inquit, non in me ipso, neque in nostra diligentia, sed in Dei gratia. 18. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus in obedientiam gentium verbo et factis*, 19. *in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Dei*. Neque enim possis dicere, inquit, quod hæc ex fastu loquar : nam hæc sacerdotii mei sunt symbola, et ordinationis meæ signa multa proferenda habeo ; non tunicas talares, non mitram aut tiaram, non tintinnabula, sicut illi veteres, sed longe iis horribiliora signa et miracula. Neque enim dici potest, me ordinatum quidem fuisse, sed jussa non exsequutum esse : imo potius non ego feci, sed Christus. Ideo in hoc glorior, non de vulgaribus rebus, sed de spiritualibus : hæc enim sunt, quæ ad Deum pertinent. Quod enim ea, propter quæ missus sum, perfecerim, et non ex fastu verba prodeant, ostendunt miracula et gentium obsequentia. *Non enim ausim quidpiam loqui eorum, quæ Christus non operatus est per me, ad obedientiam gentium, verbo et opere, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Dei*. Vide quanta vi contendat ut omnia ostendat esse Dei, et nihil sui ipsius. Sive enim quid loquar, sive faciam, sive miracula operer, omnia Deus, omnia Spiritus sanctus facit. Hoc autem dicit, ostendens Spiritus dignitatem. Viden' quomodo hæc veteribus illis mirabiliora et terribiliora sint, sacrificium, oblatio, symbola? Cum enim dicit, *In verbo et opere, in virtute signorum et prodigiorum*, hoc significat, nempe doctrinam, regni Dei philosophiam, operum et institutæ vitæ specimen, suscitatos mortuos, pulsos dæmones, cæcos sanatos, salientes claudos, alia prodigia, et omnia operabatur Spiritus sanctus in nobis. Deinde horum demonstratio (quia hæc interim probabant) discipulorum multitudo. Ideo subjunxit : *Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim evangelium Christi*. Numerat igitur et urbes et regiones et gentes et populos, non eos tantum qui sub Romanis, sed etiam eos, qui sub barbaris erant. Ne mihi enim solam Phœnicen et Syriam et Ciliciam et Cappadociam adeas, sed etiam quæ retro sunt cogita, Saracenos, Persas, Armenios, aliosque barbaros. Ideo enim dixit, *Per circuitum*, ut non solum viam tritam carpas, sed etiam australem Asiam mente percurras. Et sicut imbrem miraculorum uno verbo prætercurrit dicens, *In virtute signorum et prodigiorum :* sic et innumeras urbes, gentes, populos, regiones, hoc uno verbo comprehendit, *Per circuitum* : erat enim ab omni fastu procul. Et hæc illorum gratia dicebat, ut ne altum de se saperent. Et in exordio quidem dicit, *Ut aliquem fructum in vobis habeam, sicut et in reliquis gentibus* (*Rom*. 1. 13) ; hic vero sacerdotii necessitatem ponit. Quia enim asperius loquutus fuerat, potestatem suam clarius ostendit. Ideo ibi quidem simpliciter dicit, *Sicut et in reliquis gentibus ;* hic autem locum omnem memorat, ut illorum fastum undique succidat. Nec simpliciter dixit, Ut prædicaverim evangelium, sed *Ut impleverim evangelium Christi*. 20. *Ita vero studens evangelizare, ubi non est nominatus Christus*.

3. *Pauli modestia*. — Ecce aliam hyperbolen, quod non solum tot gentes evangelizaverit et converterit, sed quod non eos adierit qui jam didicerant. Ab his scilicet abstinebat, quominus sese projiceret in alienos discipulos, atque gloriæ causa hoc faceret,

studebat illos docere, qui nondum audivissent. Neque enim dixit, Ubi nondum crediderant, sed, *Ubi nondum nominatus fuerat Christus :* quod majus quidpiam est. Et cur talia sollicite curabat? *Ne super alienum fundamentum ædificarem*, inquit. Hæc porro dicit, se ab inani gloria alienum ostendens, illisque insinuans se non ex gloriæ amore, neque ut apud illos in honore esset, ad scribendum se contulisse, sed ut ministerium suum impleret, et sacerdotium perficeret, utpote qui illorum cuperet salutem. Alienum vero apostolorum fundamentum dicit, non ex personæ qualitate, neque ex prædicationis natura, sed secundum mercedis rationem. Etenim prædicationes alienæ non erant, sed quantum ad mercedem tantum alienæ : nam merces eorum, quæ alii cum labore operati erant, huic aliena erat. Deinde prophetiam impletam dicit : 21. *Sicut scriptum est : Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt ; et qui non audierunt, intelligent.* Viden' accurrentem ubi major labor, ubi major sudor erat? 22. *Quapropter et impediebar plurimum venire ad vos.* Vide rursus, ut exordio similem finem attexat : nam epistolam incipiens, dicebat : *Sæpe proposui venire ad vos, sed impeditus sum usque ad hoc tempus* (*Rom.* 1. 13) : hic vero causam memorat, qua impeditus fuit, nec semel, sed bis ac pluries. Nam ut illic ait, *Sæpe proposui venire ad vos*, sic et hoc loco, *Impediebar plurimum venire ad vos :* id quod maxime desiderium ejus declarat, quod pluries tentaverit. 23. *Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus.* Viden' quomodo ostendat, se non ut gloriam apud ipsos sibi pareret, et scribere et eos adire velle? *Cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam annis*, 24. *cum in Hispaniam proficiscar, spero fore ut in itinere videam vos, et a vobis deducar illuc, si vestri consortio prius ex parte satiatus fuero.* Ne videretur enim illos despicere si diceret, Quia nihil mihi faciendum incumbit, propterea ad vos proficiscor, rursus dilectionis sermonem movet, dicens, *Cupiditatem habens veniendi ad vos a multis annis.* Non ideo venire cupiebam, quod in otio essem, sed ut concupiscentiam, quam olim parturiebam, jam parerem. Deinde ne et hoc illos inflaret, vide quomodo illos reprimat, dicens, *Cum in Hispaniam proficiscar, spero fore ut in itinere videam vos.* Ideo namque illud posuit, ut ne altum saperent : simul enim et dilectionem suam vult ostendere, et illos a fastu cohibere. Ideo frequenter illud apponit, ac deinceps ea, queis utraque confirmantur, hinc inde spargit. Ideo rursum, ne dicerent, Nos invisit, quia hac transeundum est via, subjungit, *Ut a vobis deducar illuc ;* id est, ut vos mihi testes sitis, quod non vos despiciens, sed necessitate vocante, vos prætercurram. Quia vero hoc etiam illis aliquid mœroris afferre videbatur, suavius ipsi medetur, dicens : *Si vestri consortio prius ex parte satiatus fuero.* Cum enim dicit, *In itinere*, se gloriam non ab illis quærere ostendit : cum vero dicit, *Satiatus fuero*, se illorum dilectionem magni facere ostendit, nec utcumque amare, sed vehementer : ideoque non dixit tantum, *Satiatus fuero*, sed addit, *Ex parte.* Nullum enim tempus me satiare poterit, nec consortii vestri fastidium ingenerare. Viden' quomodo dilectionem ostendat, quandoquidem vel festinans non prius profecturum se dicat, quam cum satiatus fuerit? id quod magni affectus animi argumentum est, et quod tam ferventibus utatur verbis. Neque enim dixit, Invisero, sed, *Satiatus fuero*, parentum verba imitatus. Et in principio quidem dicebat, *Ut aliquem fructum habeam ;* hic vero, Ut satiatus sim : quæ ambo valde attractum indicant. Maximum enim illorum erat encomium, si ex obedientia fructum illi præbituri erant ; amoris vero sui genuinum erat indicium. Et Corinthiis scribens dicebat : *Ut vos me deducatis, quocumque iero* (1. *Cor.* 16. 6) ; in omnibus suam erga discipulos dilectionem exhibens, cui par nihil. Ideoque in principio epistolarum sic semper exorditur, et in eadem ipsa desinit.

4. Quemadmodum enim pater prolis amans, unicum et genuinum filium diligit, sic ille fideles omnes diligebat : ideoque dicebat : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (2. *Cor.* 11. 29)? Nam præ aliis omnibus hoc insit oportet in doctore. Ideoque Petro dicebat Christus : *Si diligis me, pasce oves meas* (*Joan.* 21. 17). Qui enim Christum diligit, gregem quoque illius diligit. Et Moysem tunc Judæorum populo præfecit, quando ille suam erga populum benevolentiam exhibuit : et David quoque tunc ad regnum pervenit, cum prius populi amans compertus fuisset. Sic igitur, cum adhuc juvenis esset, populi causa doluit, ita ut animam exponeret suam, quando barbarum illum prostravit. Etsi vero dixit : *Quid dabitur ei, qui alienigenam illum occiderit* (1. *Reg.* 17. 26)? non mercedem requirens hoc dicebat, sed ut sibi crederetur, et sibi pugna adversus illum committeretur. Cum ergo post victoriam ad regem ingressus est, de mercede ne verbum quidem fecit. Et Samuel valde populum amabat, ideoque dicebat : *Absit a me ut in hoc peccem, ut cessem precari Domino pro vobis* (1.*Reg.* 12. 23). Ita et Paulus ; imo vero non ita, sed multo plus quam omnes alii ardebat erga subditos sibi. Ideoque discipulos suos usque adeo erga se affecit, ut diceret : *Si possibile fuisset, oculos vestros eruissetis, mihique dedissetis* (*Gal.* 4. 15). Ideo Judæorum præceptores, plus quam omnes alios Deus increpat, dicens : *O pastores Israel! num pascunt pastores seipsos? annon oves pascunt?* Isti vero contrarium fecerunt. *Lac enim*, inquit, *comeditis, lana vos tegitis, et quod pingue erat mactabatis, et oves non pascebatis* (*Ezech.* 34. 2. 3). Et Christus optimi pastoris normam efferens, dicebat : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (*Joan.* 10. 11). Hoc David tum multis in locis fecit, tum etiam cum terribilis illa ira e cælo imminebat contra totum populum : cum omnes enim occiderentur, dicebat : *Ego pastor peccavi, ego pastor inique egi ; isti, qui grex sunt, quid fecerunt* (2. *Reg.* 24. 17)? Ideoque cum eligendum supplicium esset, non famem, non hostium persequutionem elegit, sed a Deo immissam mortem ; quod exspectaret alios qui-

dem in tuto ponendos esse, se autem ante alios omnes percutiendum fore. Quia vero illud non ita contigit, luget ac dicit : *In me sit manus tua* ; si vero non satis sit, *etiam in domo patris mei. Ego*, enim, inquit, *pastor peccavi*. Ac si diceret, Etiamsi illi peccaverint, ego obnoxius supplicio eram, qui non correxi : cum vero peccatum sit meum, ego pœnas dare debeo. Etenim culpam augere volens, pastoris nomen usurpavit. Ita ergo iram sedavit, ita sententiam revocari curavit : tantum valet confessio : *Justus* enim, *in principio sermonis*, *accusator est sui* (*Prov*. 18. 17) : tanta res est sollicitudo et commiseratio optimi pastoris. Etenim ejus viscera discerpebantur illis cadentibus, ac si ejus genuini filii necarentur : ideoque iram in se converti precabatur. Et initio cædis illud fecisset, nisi grassantem illam ad se quoque venturam sperasset : cum porro vidit illud non fieri, calamitatem vero illos opprimentem non ultra tulit, sed magis accensus est, quam super Amnone primogenito suo. Tunc enim mortem sibi non postulavit, nunc vero id precatur ut ante alios cadat. Talem oportet esse principem, magis de aliorum quam de suis calamitatibus dolere. Tale quidpiam quoque erga filium passus est, ut disceres illum non magis, quam subditos, filium dilexisse. Tametsi enim lascivus esset juvenis et parricida ; attamen dicebat : *Quis dabit mihi ut moriar pro te* (2. *Reg*. 18. 33) ? Quid dicis, o beate, omniumque hominum mitissime ? te filius occidere conatus est, et in mille te mala conjecit ; et cum ille de medio sublatus est, et tropæum jam erectum est, tunc mortem optas ? Etiam, inquit : exercitus enim meus non mihi vicit ; sed nunc vehementius impugnor, quam antea, et viscera mea nunc magis discerpuntur. Hi itaque eos, qui sibi commissi fuerant, curabant.

5. Beatus vero Abraham etiam eorum, qui sibi concrediti non fuerant, magnam gerebat curam, et tantam, ut etiam se magnis exponeret periculis. Quod enim non pro fratris filio tantum hoc faceret, sed pro Sodomitis, non prius destitit a Persarum insequutione, donec omnes liberavit. Quamquam licebat illi recepto fratris filio abscedere, noluit tamen : omnium enim pariter gerebat curam : id quod etiam ex sequentibus declaravit. Cum enim non jam barbarorum exercitus illos obsessurus esset, sed ira divina illorum urbes funditus esset eversura, et non jam armis, nec pugna vel acie opus esset, sed supplicatione, tantam ille adhibuit sollicitudinem, quantam si ipse periturus fuisset. Ideoque semel, bis, ter et pluries ad Deum accedit, et ad naturam confugit, dicens : *Ego autem terra sum et cinis* (*Gen*. 18. 27). Et quia sciebat illos per se iræ Dei traditos, propter alios hos servari precatur. Ideoque dicebat Deus : *Num abscondam a servo meo Abraham, quæ facturus sum?* ut discamus, quam hominum amans sit justus. Neque ille a precando destitisset, nisi Deus prior destitisset. Et videtur quidem ille pro justis precari, sed totum pro illis aliis faciebat. Nam justorum animæ admodum sunt mites ac benignæ, et pro suis atque etiam pro alienis, et usque ad bruta suam extendunt mansuetudinem. Ideoque sapiens quidam dicebat : *Justus miseratur animas jumentorum suorum* (*Prov*. 12. 10). Si autem jumentorum, quanto magis hominum? Sed quia jumentorum mentionem feci, perpendamus illos ovium pastores in Cappadocum regione, quot et quanta patiantur ut bruta illa animantia tueantur : sæpe enim nive obruti per tres mansere dies. Dicuntur autem etiam Libyæ pastores, non minores istis labores subire, per integros menses difficile desertum illud, immanissimis repletum feris, pervagantes. Si autem circa bruta tantæ impenduntur curæ, quam defensionem habebimus nos, qui rationabiles animas nobis concreditas habentes, gravi somno dormiamus? an respirare omnino oporteret? an quiescere, et non undique circumcursare, et mille sese mortibus exponere pro talibus ovibus? An ignoratis gregis istius dignitatem? annon pro illo Dominus tuus innumera operatus est, ac demum sanguinem suum effudit? tu vero quietem quæris? ecquid deterius fuerit talibus pastoribus? Annon cogitas circa illas oves adesse lupos, lupis vulgaribus multo acerbiores et immaniores? non tecum reputas qua opus habeat anima is, qui talem præfecturam sit administraturus? Sed homines, qui populis præsunt, de vulgaribus rebus consulentes, noctes diebus vigilantes adjungunt; nos vero, qui de ipso cælo certamen habemus, in ipso quoque die dormimus? Ecquis nos demum liberabit a supplicio, hisce delictis debito? Nam si corpus trucidandum, si sexcentæ subeundæ mortes essent, annon quasi ad celebritatem eo currere oporteret? Hæc porro non modo pastores, sed etiam oves audiant, ut pastores inde alacriores fiant, ut magis illorum propositum acuant, ut ipsi nihil aliud quam obsequentiam præbeant. Ita et Paulus jussit : *Obedite præpositis vestris, et subditi estote : quia ipsi vigilant pro animabus vestris, tamquam rationem reddituri* (*Hebr*. 13. 17). Cum autem dicit, *Vigilant*, mille dicit labores, curas, pericula. Nam bonus pastor, et qualem Christus optat, cum innumeris conferri potest martyribus : siquidem martyr semel propter Christum moritur, ille millies propter gregem, si talis ille pastor fuerit, qualem decet. Qui talis enim est, quotidie mori potest. Propterea vos, laborem cognoscentes cooperamini precibus, sollicitudine, alacritate, amicitia, ut nos vestra gloriatio, et vos nostra sitis. Ideo enim et apostolorum coryphæo, qui plus quam alii omnes ipsum amabat, gregem commisit, prius sciscitatus, si diligeretur ab ipso (*Joan*. 21. 15), ut discas hoc præ aliis omnibus signum dilectionis erga ipsum ab illo poni : nam hoc virili opus habet animo. Hæc porro a me dicta sunt de optimis pastoribus, non de meipso et de nostri similibus : sed si quis talis sit, qualis Paulus erat, qualis Petrus, qualis Moyses. Hos itaque imitemur et præfecti et subditi : licet enim subdito pro parte pastoris ar-

merari, domi, in amicos, in domesticos, in uxorem, in filios. Si sic nostra dispensemus, omnia consequemur bona, quæ nos omnes adipisci contingat gratia et benignitate, etc.

HOMILIA XXX.

Cap. 15, v. 25. *Nunc autem proficiscor Jerosolymam, ministrans sanctis.* 26. *Placuit enim Macedoniæ et Achaiæ collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt Jerosolymæ.* 27. *Placuit enim ipsis, et debitores sunt eorum.*

1. Quoniam dixerat, *Locum in his regionibus amplius non habeo, et concupiscentiam habeo a multis annis venire ad vos;* cum esset adhuc moram facturus, ne videretur illis illusisse, causam dicit cur interim tardet, dicitque, *Proficiscor Jerosolymam.* Et videtur quidem cunctationis causam dicere; per hæc autem aliud quidpiam apparat, incitatque illos ad eleemosynam erogandam, diligentioresque reddit. Nam nisi hoc efficere voluisset, satis erat dixisse, *Proficiscor Jerosolymam;* nunc autem et causam peregrinationis adjicit: *Proficiscor* enim, inquit, *ministrans sanctis.* Et in hoc sermone immoratur, ratiociniaque movet, dicens quod debitores sint; et, *Si spiritualium ipsorum consortes factæ sunt gentes, debent etiam in carnalibus ministrare:* ut discant illi imitari ipsos. Ideoque maxime Pauli sapientiam admirari oportet, quia hunc consilii dandi modum excogitavit: ita enim acceptior illis fuit, quam si hortatus esset. Putassent enim se contumelia affici, si ad æmulationem Corinthios illis et Macedonas proposuisset. Propterea sic illos ibidem hortatur, dicens: *Certiores vos facio, fratres, de gratia Dei, quæ data est Ecclesiis Macedoniæ* (2. *Cor.* 8. 1); rursusque Macedonas per istos hortatur: *Zelus enim, qui ex vobis est, plurimos excitavit* (*Ibid.* 9 2). Et per Galatas etiam idipsum facit, ut cum dicit: *Quemadmodum præcepi ecclesiis Galatiæ, sic et vos facite* (1. *Cor.* 16. 1); cum Romanis vero non item, sed multo demissius. Hoc ipsum facit et circa prædicationem, ut cum dicit: *An ex vobis egressum est verbum Dei? aut ad vos solos pervenit* (*Ibid.* 14. 36)? nihil enim ita forte est ut zelus. Ideo sæpe illud memorat: nam et alibi dicit: *Quemadmodum in omnibus Ecclesiis præcipio* (*Ibid.* 7. 17); et rursum, *Sicut ubique in omni Ecclesia doceo* (*Ibid.* 4. 17). Colossensibus vero dicebat: *Fructificat et crescit evangelium Dei in toto mundo* (*Coloss.* 1. 6). Hoc etiam hic facit de eleemosyna loquens. Et perpende quomodo magnifice dictionibus utatur: non enim dixit: Proficiscor eleemosynam deferens, sed, *Ministrans.* Quod si Paulus ministrat, cogita quanta res fiat, cum orbis doctor deferendam accipit, et quod ad Romanos peregrinaturus, et quod illos usque adeo videre desiderans, hoc illi præferat. *Placuit enim Macedoniæ et Achaiæ,* id est, approbaverunt et desiderarunt, *communicationem aliquam.* Rursus non dixit eleemosynam, sed *Communicationem.* Illud autem, *aliquam,* non sine causa posuit, sed ne videretur hos carpere. Nec dixit simpliciter, In pauperes, sed, *In pauperes sanctorum;* duplicem faciens commendationem, et a virtute et a paupertate. Neque hoc satis illi fuit, sed subjunxit, *Debitores sunt.* Deinde ostendit, quomodo sint debitores. *Nam si spiritualium ipsorum,* inquit, *consortes factæ sunt gentes, debent etiam in carnalibus ministrare ipsis.* Id est, propter ipsos venit Christus; illis qui ex Judæis erant omnia promissa fuerant; ex ipsis est Christus: ideo dicebat: *Ex Judæis est salus* (*Joan.* 4. 22); inde sunt apostoli, inde prophetæ, inde bona omnia. Horum igitur omnium consors fuit orbis. Si ergo in majoribus, inquit, participes fuistis, et si cœnarum illis paratarum vos ingressi consortes fuistis, secundum evangelii parabolam, debetis etiam carnalia communicare et tradere illis. Neque dixit, Communicare, sed *Ministrare,* illos in diaconorum ordine constituens, eorumque qui regibus tributa perdunt. Neque dixit, in carnalibus vestris, ut dixerat, In spiritualibus ipsorum: spiritualia quippe ipsorum erant, carnalia vero non horum tantum sunt, sed communia omnibus: pecunias enim omnium jussit esse, neque possidentium eas tantum. 28. *Hoc igitur cum consummavero, et obsignavero eis fructum hunc;* hoc est, quasi in regia penuaria deposuero, quasi in tuto et securo loco. Nec dixit, Eleemosynam, sed rursus, *Fructum;* ostendens lucrum accedere largitoribus. *Per vos proficiscar in Hispaniam.* Rursus Hispaniam memorat, ostendens quam impiger et quam fervidus esset erga Hispanos. 29. *Scio autem, quod veniens ad vos, in plenitudine benedictionis evangelii Christi veniam.* Quid est, *in plenitudine benedictionis?* Vel de pecuniis loquitur, vel simpliciter de omnibus bonis operibus. Benedictionem enim ut plurimum eleemosynam solet appellare, ut quando dicit: *Quasi benedictionem, non quasi avaritiam* (2. *Cor.* 9. 5); et ex veteri more ita vocabatur. Quia vero hic addidit *Evangelii,* dicimus non de pecuniis tantum dictum fuisse, sed et de aliis omnibus; ac si diceret: Scio autem, quod veniens videbo vos in omnibus probatos, et in bonis florentes, ac mille laudibus dignos secundum evangelium. Estque hoc genus consilii admirandum, quod encomiis eos præveniat. Quando enim recusat hoc per modum adhortationis facere, ad hunc venit correctionis modum. 30. *Obsecro autem vos per Dominum Jesum Christum et per dilectionem Spiritus.*

2. Hic rursus Christum et Spiritum præmittit, et nusquam hic Patrem memorat. Hæc porro dico, ut cum videris ipsum Patrem et Filium memorare, aut Patrem solum, ne Filium vel Spiritum dejici putes. Nec dixit, Spiritus; sed, *Dilectionis Spiritus.* Quemadmodum enim Christus dilexit mundum, et Pater quoque, ita et Spiritus. Quid, quæso, obsecras? *Ut mecum concertetis in orationibus pro me ad Deum,* 31. *ut liberer ab incredulis, qui sunt in Judæa.* Magnum certe illi certamen propositum erat; ideo preces illorum implorat. Non dixit, Ut manus conseram, sed, *Ut li-*

berer; quemamodum Christus jussit, *Orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* 26. 41). Hæc vero dicens significabat, improbos quosdam lupos, qui feræ magis quam homines essent, se invasuros esse. Ex hoc aliud etiam apparat, ut probet se ministerium hoc sanctis præstandum juste suscepisse, si quidem tot adhuc essent increduli, ut, quo ab illis liberetur, preces postulet. Nam qui inter tot inimicos versabantur, fame erant perituri; ideoque necesse erat ut aliunde cibum acciperent. *Et ut ministerium meum in Jerusalem acceptum sit sanctis*; id est, ut grata sit hostia mea, utque cum alacritate dona suscipiant. Viden' quomodo rursus accipientium dignitatem extollat, quandoquidem tanti populi precibus utendum est, ut missa suscipiantur? Ex hoc autem aliud quidpiam ostendit, nempe quod non sufficiat eleemosynam dedisse, ut ea accepta sit. Quando namque ex necessitate et invitus quis dederit, vel ex injuste partis, vel ad vanam gloriam, fructus abscedit. 32. *Ut cum gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei*. Quemadmodum in principio dixit: *Si quo modo prosperum iter habeam in voluntate Dei, ut veniam ad vos* (*Rom.* 1. 10); ita et hic ad eamdem voluntatem confugit et dicit: ideo festino, et inde eripi opto, ut quamprimum vos videam, et cum gaudio videam, nec minimum inde mœrorem attraham. *Et vobiscum requiem habeam*. Vide quomodo rursum se a fastu alienum ostendat. Non enim dixit, Ut doceam vos, ut instituam, sed *Ut vobiscum requiem habeam*. Atqui ille erat qui decertabat, et pugnabat: quomodo igitur dicit, *Ut vobiscum requiescam?* Ad gratiam illis loquitur, et alacriores illos reddit, cum coronarum consortes facit, ostenditque illos etiam certare et laborare. Deinde, ut semper facere solet, precationem adhortationi adjicit, dicens: 33. *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.* (*Cap.* 16) 1. *Commendo autem vobis Phœben sororem, quæ ministra est Ecclesiæ, quæ est in Cenchreis*. Vide quantum illam honoret: nam illam ante alios omnes memorat, et sororem vocavit: nec parva res erat Pauli sororem vocari. Dignitatem quoque adjicit, ministram vocans. 2. *Ut illam suscipiatis in Domino, ut decet sanctos*. Hoc est, propter Dominum, ut honore fruatur apud vos. Nam qui propter Dominum suscipit, etiamsi non magnum quempiam suscipiat, cum sollicitudine suscipit: cum autem illa sancta esset, cogita quo cultu illa digna fuerit. Ideo adjicit, *Ut decet sanctos*; ut tales suscipere oportet. Duplici autem de causa digna est quæ curetur a vobis, et quod propter Dominum suscipiatur, et quod sancta sit. *Et assistatis ei in quocumque negotio vobis indiguerit*. Viden' quam studeat, ut ne onerosus sit? Non enim dixit, Ut liberetis eam; sed, Ut quæ penes vos erunt afferatis, et manum porrigatis; et in quibus ope vestra eguerit: non quocumque in statu illa sit, sed in quibus opera vestra eguerit; si in iis egeat, in quibus vos auxiliari possitis. Deinde ineffabilis laus sequitur: *Etenim ipsa multis adfuit, et mihi ipsi*. Viden' prudentiam? Primo laudes, deinde in medio adhortationem, postea rursum laudes posuit, utrinque præstanda officia laudibus beatæ mulieris concludens. Quomodo enim non beata, quæ tanto Pauli testimonio celebratur, quæ potuit illum juvare, qui totum orbem emendavit? Hoc enim illius virtutum colophon erat: ideoque hoc postremum posuit, dicens, *Et mihi ipsi*. Quid est illud, *Et mihi ipsi?* Prædicatori orbis, ei qui tot tantaque passus est, qui innumeris hominibus sufficit. Imitemur ergo et viri et mulieres sanctam illam, et eam quæ sequitur cum viro suo. Quinam illi sunt? 3. *Salutate*, inquit, *Priscillam et Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu*. Illorum virtutem Lucas quoque testificatur tum quando dicit: *Mansit apud illos Paulus: erat enim scenofactoriæ artis*; tum quando ostendit mulierem illam Apollo virum suscepisse et viam Domini illum docuisse.

3. Magna illa sunt, sed multo majora quæ Paulus dicit. Quid enim ait? Primo comministros vocat, ineffabilium laborum et periculorum participes ostendens: deindeque ait: 4. *Quia pro anima mea suas cervices supposuerunt*. Viden' consummatos martyres? Verisimile quippe est sub Nerone innumera fuisse pericula, quia jusserat Judæos omnes Roma pelli. *Quibus non ego solus gratias ago, sed et omnes Ecclesiæ gentium*. Hic hospitalitatem et pecuniarum subministrationem subindicat, celebrans illos quod et sanguinem suum et opes totas communes proposuerint. Viden' generosas mulieres, queis sexus infirmitas ad virtutis cursum non impedimento fuit? Idque jure merito: nam *In Christo Jesu non est masculus, nec femina* (*Gal.* 3. 28). Et quod de priore dixit, hoc ipsum de ista dicit: nam de illa dicebat, *Quæ multis adfuit, et mihi ipsi*; de hac rursus, *Non ego solus gratias ago, sed et omnes Ecclesiæ gentium*. Ne videretur enim per adulationem hæc dicere, alios adducit testes mulieribus his multo plures. 5. *Et, quæ in domo illorum est, Ecclesiam*. Ita enim probati et clari erant, ut domum suam ecclesiam facerent; tum quod omnes fideles redderent, tum quod peregrinis omnibus illam aperirent. Neque enim simpliciter solet domos ecclesias appellare, nisi pietas multa et magnus Dei timor in illis radicatus fuerit. Ideo Corinthiis etiam dicebat: *Salutate Aquilam et Priscillam cum Ecclesia, quæ in domo illorum est* (1. *Cor.* 16. 19); et de Onesimo scribens dicit: *Paulus Philemoni et Appiæ dilectæ, et Ecclesiæ, quæ est in domo tua* (*Philem.* 1. 1. 2). Potest enim etiam qui matrimonio junctus est mirabilis et generosus esse. Ecce et isti connubio juncti admodum clari erant, etsi ars illorum splendida non esset: erant enim scenofactoriæ artis, et tentoriorum artifices; attamen omnia virtus tegebat, et plus quam solem illustres reddebat: neque illis nocebat vel ars vel connubium, sed dilectionem, quam Christus expetit, illi exhibebant: nam ait: *Majorem hac caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* 15. 13). Et quod signum discipuli est, hoc exhibuerunt: nam crucem acceperunt, et sequuti sunt Christum. Etenim qui hoc pro Paulo fecerunt, multo magis pro Christo fortitudinem ostenderunt. Hæc et pauperes et divites

audiant. Nam si ii, qui manibus sibi victum parant, et officinæ præsunt, tantam exhibuere largitatem, ut Ecclesiis plurimis utiles essent; quam excusationem habeant divites, qui pauperes contemnunt? Illi namque ne sanguini quidem suo pepercerunt, ut Deo placerent; tu vero pecuniis modicis parcis, animam sæpe tuam despiciens. Verum fortasse erga doctorem illi tales fuere, erga discipulos vero non item? At hoc dici nequit; nam Ecclesiæ gentium, inquit, ipsis gratias agunt. Etsi enim ex Judæis essent, ita sincere credebant, ut etiam gentibus cum omni alacritate ministrarent. Tales oportet esse mulieres, *Non in tortis crinibus aut auro aut sumptuosa veste* (1. *Tim.* 2. 9), sed his ornatas recte factis.

Priscillæ laudes. — Quænam, dic quæso, umquam regina ita splenduit? quænam ita celebratur, ut illa uxor tentoriorum artificis? Illa in omnium ore versatur, non decem, non viginti annis, sed usque ad (secundum) Christi adventum: et omnes illam super iis deprædicant, quæ magis eam ornant, quam regium diadema. Quid enim majus, quid par ei esse poterit, quæ Pauli adjumento fuit, quæ periculis suis orbis doctorem servavit? Perpende autem quot reginæ taceantur; tentoriorum vero artificis uxor ubique celebratur cum viro suo, et in toto quem sol respicit orbe hæc mulier laudatur: Persæ, Scythæ, Thraces, et qui extremas habitant terras, mulieris philosophiam concinunt, beatamque illam prædicant. Quantas divitias, quot diademata, quot purpuras non libenter abjicias, ut tale testimonium acquiras? Neque enim possit quispiam dicere, illos tunc in periculis fuisse tales, et pecuniam largiter spargentes, sed prædicationem non curavisse: nam ideo illos cooperatores et comministros vocat. Nec pudet vas electionis illud mulierem comministram vocare, sed etiam hac de re gloriatur: non enim sexum attendit, sed propositum coronat. Quid huic ornatui par? ubi nunc sunt divitiæ vestræ, queis undique circumfluitis? ubi faciei cultus et ornatus? ubi vana gloria? Disce mulieris ornatum, non corpori circumpositum, sed qui animam exornet, et numquam deponatur; qui non in arca reponitur, sed in cælis.

4. *Priscilla nobis exemplar. Pauli Epistolæ, et alii Scripturæ libri legendi.* — Respice laborem illorum circa prædicationem, martyrii coronam, in pecuniis liberalitatem, erga Paulum dilectionem, erga Christum amorem: confer istis tua, studium circa pecuniam, certamen cum meretricibus, contentionem pro fœno; et tunc videbis quinam illi fuerint, et quis tu sis. Imo potius non modo conferas, sed æmulare mulierem depositoque fœni onere (hoc est enim vestimentorum sumptus), ornatum accipe cælestem, et disce unde tales facti sint Priscilla et qui cum illa erant. Undenam tales facti sunt? Per duos annos Paulum hospitio acceperunt: biennium autem illud, quid non in anima eorum effecerit? Quid ergo faciam, inquies, qui Paulum non habeo? Si volueris, plenius illum habebis, quam illi: neque enim illos Pauli conspectus tales fecit, sed verba Pauli. Itaque, si volueris, et Paulum et Petrum et Joannem et totum prophetarum chorum cum apostolis habebis frequenter tecum conversantes. Accipe beatorum illorum libros, et lege frequenter illorum scripturas, et te poterunt talem efficere, qualis erat tabernaculorum opificis uxor. Et quid dico Paulum? Ipsum, si velis, habebis Pauli Dominum: nam per Pauli linguam ipse te alloquetur. Et alio quoque modo poteris hunc suscipere, cum sanctos suscipies, cum iis, qui in illum credunt, ministrabis: sic et abeuntibus illis, multa pietatis monumenta habebis. Solet enim ea mensa in qua sanctus comedit, et sella in qua sedit, et lectus in quo jacuit, illum qui suscepit compungere, etiam postquam ille abierit. Quantum putas compunctam fuisse Sunamitidem, in superius conclave illud ingredientem, ubi manebat Elisæus, videntem mensam et lectum, in quo sanctus ille jacebat? quantam inde pietatem conceperit? Nisi enim hoc ita esset, non projecisset illuc filium mortuum, nisi multum utilitatis inde tulisset. Nam si nos post tantum temporis spatium illo ingressi, ubi Paulus manebat, ubi ligatus est, ubi sedit et disseruit, quasi alis assumptis erigimur, et ad diei illius recordationem ex locis ipsis remittimur: cum adhuc recentes res essent, quo non religionis affectu movebantur ii, qui cum pietate hospitio suscipiebant? Hæc cum sciamus, sanctos excipiamus, ut splendeat domus, ut a spinis liberetur, ut domuncula portus fiat; excipiamus, et pedes illorum abluamus. Non es tu Sara melior, nec nobilior aut ditior, etiamsi regina esses. Trecentos illa ac decem et octo vernaculos habebat, quo tempore vel duos habere servos divitiæ erant. Ecquid dico trecentos decem et octo domesticos? Totum orbem in semine et promissionibus possidebat: virum habebat Dei amicum, ipsum Deum patronum, quod regnis omnibus majus erat. Attamen, cum in tanto splendore esset et gloria, ipsa farinam miscebat, et in reliquis omnibus ministrabat, comedentibusque adstabat instar ancillæ. Non es tu Abrahamo nobilior, qui ea quæ famulorum erant faciebat, post tropæa illa, post honorem a rege Ægypti acceptum, postquam reges Persarum profligaverat, et splendida erexerat tropæa. Neque respicias vile esse id quod apparet, sanctos qui apud te divertunt, pauperes et pannosos plerumque; sed illius memor esto vocis dicentis: *Quantum fecistis uni ex his minimis meis, mihi fecistis;* et *Ne contemnatis unum ex his minimis meis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris nostri, qui in cælis est* (*Matth.* 25. 40. *et* 18. 10): illosque alacriter excipe, qui per salutationes pacis innumera tibi bona afferunt. Et cum Sara etiam Rebeccam tecum reputa, quæ et adaquavit et potum dedit, et intro vocavit hospitem, omni calcato fastu; ideoque magnam hospitalitatis accepit mercedem. Tu vero, si velis, etiam majorem accipies. Non enim filii fructum solummodo dabit tibi Deus, sed etiam cælum et bona quæ illic sunt, atque a gehenna liberationem peccatorumque veniam: nam magnus est, utique magnus hospitalitatis fructus. Sic et Iothor, etsi bar-

barus, generum habuit illum, qui cum tanta potestate mari imperavit : nam filiæ ejus hunc optimum venatum reti suo ceperunt. Hæc cogitans, et mulierum illarum virilitatem considerans, necnon earum philosophiam, præsentem calca fastum, vestium ornatum, aureorum varietatem, unguentorum usum ; et missa mollitie delicataque agendi et incedendi ratione, omnem illam curam in animam transfer, inque mente tua cælorum desiderium incende. Nam si te hic amor capiat, cœnum et lutum deprehendes, et ea quæ nunc miraris deridebis : non potest enim mulier spiritualibus ornata recte factis, hæc ridicula quærere. Rejectis igitur his omnibus, quæ forensium uxores, qua saltatrices et tibicinæ, multa cum ambitione sectantur, philosophiam tibi compone, hospitalitatem, sanctorum curam, compunctionem, preces frequentes. Hæc aureis vestimentis meliora sunt, hæc lapillis et monilibus honestiora : hæc et apud viros acceptam te reddunt, et apud Deum magnam tibi ferent mercedem. Hic est Ecclesiæ ornatus, ille vero theatrorum : hic cælis dignus est, ille equis et mulis : ille etiam mortuorum corporibus apponitur, hic in anima solum bona splendet, in qua Christus habitat. Hunc ergo possideamus ornatum, ut ubique et nos venerandi simus, et Christo placeamus in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXI.

Cap. 16. v. 5. *Salutate Epænetum dilectum meum, qui est primitiæ Achaiæ in Christo.*

1. Multos etiam ex iis, qui studiosi admodum videntur esse, hanc puto epistolæ partem prætercurrere ut superfluam, et quæ nihil magni habeat : atque idipsum illis in genealogia, quæ in Evangelio habetur, evenire existimo : quia enim nominum est catalogus, non se magnum inde lucrum facturos arbitrantur. Et aurificum quidem pueri minima quoque ramenta curiose perquirunt ; hi vero tantas auri massas prætercurrunt. Ne hoc itaque patiantur, satis sunt ea, quæ dicta fuere, ut illos ab hac socordia abducant. Nam quod non parvum inde lucrum carpi possit, ex supradictis jam ostendimus, animum vestrum ex his salutationibus erigentes : hodie quoque tentabimus ex hoc quoque loco auri metallum extrahere. Potest enim vel in simplicibus nominibus magnus inveniri thesaurus. Nam si didiceris cur Abraham sic vocatus sit, cur Sarra, cur Israel, cur Samuel, hinc multarum rerum historiam invenies. Atque a temporibus et locis hoc ipsum poteris colligere. Nam qui studiosus est, hinc divitias acquirit ; qui vero negligens est, ne ab iis quidem quæ manifesta sunt, quidpiam lucratur. Etenim Adami nomen non modica nos philosophia imbuit, itemque filii ipsius, atque uxoris, aliorumque plurium. Nomina quippe, multarum rerum sunt monumenta : ac Dei beneficentiam mulierumque gratiarum actionem ostendunt : nam cum ex Dei dono concepissent, ipsæ filiis suis nomina imponebant. Sed quid nunc de nominibus philosophamur, cum tot tantæque sententiæ negligantur, et multi ne nomina quidem librorum sciant? Attamen non ideo nobis ab hujusmodi rerum studio recedendum est : *Debebas enim*, inquit, *argentum deposuisse ad nummularios* (*Matth.* 25. 27). Quapropter, etiamsi nemo sit qui excipiat, quod nostrum est faciamus, et ostendamus nihil supervacaneum vel frustra proferri in Scripturis. Nisi enim hæc aliquid lucri habuissent, Epistolæ adjecta non fuissent, neque Paulus hæc scripsisset. Verum quidam ita sunt rudes ac stupidi cælisque indigni, ut non modo nomina, sed integros libros supervacaneos esse dicant, ut Leviticum, Librum Josue, aliosque plures. Sic etiam Vetus Testamentum multi insipientes repudiarunt : et progressi in prava illa consuetudine, etiam multa Novi Testamenti absciderunt. Sed horum quidem, utpote ebriorum et carni viventium non multa nobis ratio est : si quis vero sit philosophiæ amator, et spiritualis concionis amicus, audiat neque ea, quæ in Scripturis minuscula esse videntur, frustra vel in cassum jacere, et vetera etiam multum afferre lucri. *Hæc enim omnia figuræ sunt*, inquit, *et ad nostram institutionem scripta* (1. *Cor.* 10. 11). Ideoque Timotheo dicebat : *Attende lectioni, adhortationi* (1. *Tim.* 4. 13), ad veterum librorum lectionem ipsum inducens, hominem tantum habentem spiritum, ut dæmonia ejiceret et mortuos suscitaret. Proposito itaque nostro hæreamus. *Salutate Epænetum dilectum meum.* Licet hinc observare, quomodo singulis suas varie laudes distribuat. Neque enim parva hæc laus est, sed magna admodum et multam indicans virtutem, quod Paulus illum dilectum habeat, qui nesciebat ex gratiæ affectu, sed ex judicio diligere. Deinde aliud sequitur encomium, *Qui est primitiæ Achaiæ.* Vel enim hoc dicit, quod alios omnes credendo prævenerit, quæ non modica laus est ; vel quod plus pietatis exhibuerit, quam reliqui omnes. Ideo cum dixisset, *Qui est primitiæ Achaiæ*, non tacuit, ne mundanam suspicareris gloriam, sed addidit, *In Christo.* Si enim in civilibus rebus qui primas tenet, magnus esse videtur et splendidus : multo magis in his. Quia enim verisimile erat eum humili genere ortum esse, veram nobilitatem dicit et prærogativam, inde illum exornans. Neque Corinthi solum, sed etiam universæ gentis illum dicit esse primitias, ac si janua et introitus aliis factus sit. Talium vero merces non modica est : nam qui hujusmodi est, ex aliorum recte factis non modicam excerpet mercedem, quod illis in principio multum contulerit. 6. *Salutate Mariam quæ multum laboravit vobis.* Quid hoc est? Rursum mulier coronatur et prædicatur, rursum nos viri pudore afficimur ; imo non solum non afficimur pudore, sed cohonestamur ; ideoque cohonestamur, quod tales apud nos sint mulieres ; sed pudore afficimur, quod procul ab illis retro relinquamur. Sed si discamus

undenam illæ ornentur, cito et nos illas attingemus. Undenam ergo ornantur? Audiant viri ac mulieres: non ab armillis, non a monilibus, neque ab eunuchis et ab ancillis et a vestibus auro intertextis, sed a sudoribus pro veritate susceptis. *Quæ multum*, inquit, *laboravit nobis;* non sibi tantum, neque propriæ virtuti, id quod multæ jam mulieres faciunt, jejunantes, humi cubantes: sed etiam aliis, apostolorum et evangelistarum cursum suscipientes. Quomodo igitur dicit, *Mulierem docere non permitto* (1. *Tim.* 2. 12)? Ne in medio præsideat prohibens, et a throno excludens, non autem a verbo doctrinæ. Nam si hoc esset, quomodo dixisset ei, quæ infidelem habebat virum: *Quid enim scis, mulier, num virum salvatura sis* (1. *Cor.* 7. 16)? quomodo permisisset ut pueros admoneret, dicens: *Salvabitur autem per filiorum generationem, si manserint in fide et dilectione et sanctificatione cum castitate* (1. *Tim.* 2. 15)? Quomodo Priscilla Apollo virum instituit? Non igitur colloquium illud (*Act.* 18. 26) seorsim habitum prohibens, hoc dicebat: sed illam prædicationem, quæ in medio et in communi theatro habebatur, quæ doctoribus competit. Et rursus, si fidelis vir fuerit et valde perfectus, qui possit uxorem docere, ut ipsa sapientior fiat, non impedit quominus doceat illam et corrigat. Nec dixit, Quæ multa docuit, sed, *Quæ multum laboravit*, ostendens illam et sermone et aliis in rebus ministrasse, sive pericula subeundo, sive pecunias dispensando, sive peregrinationes suscipiendo.

2. Erant enim tunc mulieres leonibus ardentiores, cum apostolis partem laborum in prædicatione suscipientes: ideoque una cum illis peregrinabantur, et in reliquis omnibus ministrabant. Et Christum quoque sequebantur mulieres, quæ ex suis facultatibus ministrabant et doctori serviebant. 7. *Salutate Andronicum et Juniam cognatos meos.* Hoc quoque encomium videtur esse: at multo majus est quod sequitur. Quale illud est? *Concaptivos meos:* hæc enim maxima est corona, et magna proclamatio est.

Pauli labores. — Et ubinam captivus fuit Paulus, ut dicat, *Concaptivos meos?* Captivus quidem non fuerat, sed graviora quam captivi passus erat, non modo a patria abalienatus et domo, sed et cum fame decertans et cum morte assidua, et cum innumeris aliis. Captivo enim hoc solum grave est, quod a domesticis sejunctus, servus sæpe pro libero fiat: hic autem imbres tentationum dicere possis, quas beatus ille subivit, raptatus, circumactus, flagellatus, vinctus, lapidatus, in mare demersus, innumeros habens insidiatores. Et captivi quidem neminem habent adversarium postquam abducti sunt, sed illis admodum providetur ab iis, qui illos ceperunt: hic vero sæpe inter medios versabatur hostes, et ubique hastas videbat et acutos gladios, aciesque et pugnas. Quia igitur verisimile erat illos multorum ipsius periculorum consortes fuisse, concaptivos illos vocat, ut et alibi dicit: *Aristarchus concaptivus meus* (*Col.* 4. 10). Alia deinde laus sequitur: *Qui sunt insignes inter apostolos.* Atqui vel apostolos fuisse magnum erat; inter eos autem insignes esse, cogita quantum sit encomium: insignes porro erant ab operibus, a recte factis. Papæ! quanta mulieris hujusce philosophia, ut etiam apostolorum nomine appellaretur. Neque hic gradum sistit, sed aliam rursus laudem addit: *Qui etiam ante me fuerunt in Christo.* Etenim et hæc laus est maxima, præsiliisse et ante alios venisse. Perpende autem mihi beatam illam animam, quam a vana gloria pura alienaque esset. Post tantam enim talemque gloriam alios sibi præponit, nec occultat quod ipse post alios venerit, neque pudet ipsum hoc confiteri. Et quid miraris, si non pudet ipsum, quando et pristinam suam vitam palam incessere non recusat, se blasphemum et persequutorem vocans? Quia igitur non poterat eos aliunde sibi præponere, quæsivit eum qui post alios venisset, nempe seipsum, illicque invenit laudem ipsis tribuendam, sic loquens: *Qui etiam ante me fuerunt in Christo.* 8. *Salutate Ampliam dilectum meum.* Rursus hunc laudat a dilectione: nam dilectio Pauli propter Deum erat, innumera complectens bona. Si enim a rege diligi magnum est, a Paulo diligi quantum est encomium? Neque enim, nisi magna præditus virtute fuisset, ad amorem ipsum attraxisset. Solebat enim eos, qui in nequitia viverent, non modo non diligere, sed etiam anathematizare, ut quando dicit, *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit* (1. *Cor.* 16. 22); et, *Si quis vos evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* 1. 8). 9. *Et urbanum adjutorem meum in Christo.* Hoc majus est illius encomium; nam hoc præcedentem etiam complectitur laudem. *Et Stachyn dilectum meum.* Rursus hunc eadem laude coronat. 10. *Salutate Apellen probatum in Christo.* Nihil huic laudi par est, nempe irreprehensibilem esse, et in rebus ad Deum spectantibus nullam præbere accusandi ansam. Cum enim dicit, *Probatum in Christo*, omnem virtutem comprehendit. Et cur nusquam dicit, Dominum meum talem? Quia hæ laudes majores illa erant: illæ quippe laudes honoris tantum essent, hæ virtutem indicant. Atque etiam hac ratione honoravit illos non utcumque, quod multos ex inferioribus cum sublimibus et magnis salutaret. Quod enim salutaret, et cum aliis salutaret in eademque epistola, omnes similiter honoravit; quod vero propria cuilibet poneret encomia, propriam singulorum virtutem nobis declarabat; ita ut non invidiam pareret ex eo, quod alios honoraret, alios secus, neque socordiam vel confusionem omnes iisdem laudibus dignando, qui iisdem tamen non digni essent.

3. Vide ergo quomodo rursus ad claras mulieres veniat. Cum dixisset enim, *Salutate eos, qui sunt ex Aristobuli domesticis*, 11. et *Herodionem cognatum meum, et eos qui sunt ex Narcissi domo* (quos verisimile est non tales fuisse, quales ii qui supra memorati sunt: quare non omnes nominatim memorat, congruentem ipsis laudem reddens, quod fideles sint; hoc enim sibi vult illud, *Qui sunt in Domino*): ad mulieres

rursum salutationem transfert, dicens : 12. *Salutate Tryphænam et Tryphosam, quæ laborant in Domino.* Et de illa quidem jam dixerat, quod laboraverit nobis ; de his vero quod adhuc laborent. Nec parvum hoc est encomium, nempe in operibus omnino versari, nec modo operari, sed etiam laborare. Persidem vero etiam dilectam vocat, hanc esse majorem ostendens : nam ait, *Salutate Persidem dilectam ;* multumque illam suscepisse laborem testificatur dicens, *Quæ multum laboravit in Domino.* Ita solebat singulos secundum dignitatem suam compellare : hos alacriores reddens, dum eos nulla debita laude privaret, sed etiam vel minimam virtutem prædicaret ; alios vero studiosiores reddens, et ad eumdem zelum talibus encomiis concitans. 13 *Salutate Rufum electum in Domino, et matrem illius et meam.* Hic quoque universa bona sunt, quando et Filius talis et mater talis est, et plena domus est benedictione, et radix cum fructu convenit. Neque enim simpliciter dixisset, *Matrem illius et meam,* nisi magnam mulieris virtutem testificaretur. 14. *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, et eos qui cum ipsis sunt fratres.* Hic ne respicias, quod hos sine laudibus memoret, sed quod etiam eos qui longe omnibus inferiores erant salutatione non dedignaretur : imo vero non minima laus hæc est, quod fratres illos vocet, quemadmodum et sequentes sanctos appellat : nam ait : 15. *Salutate Philologum et Juliam, et Nereum et sororem ejus, et Olympam et omnes qui cum eis sunt sanctos.* Quod quidem maxima dignitas erat, et honoris ineffabilis magnitudo. Deinde, ne qua contentio oriretur, quod hos hoc, illos alio modo salutasset, alios nominatim, alios indefinite, alios cum majoribus, alios cum minoribus encomiis : jam illos commiscet et conjungit dilectionis pari honore, et osculo sancto, dicens : 16. *Salutate invicem in osculo sancto.* Per hanc pacem cogitationem omnem quæ turbare posset amovet, et simultatis ansam eliminat, ut ne major minorem despiceret, nec minor majori invideret, sed et superbia et invidia pelleretur, hoc osculo omnia mitigante et adæquante. Propterea non solum salutare illos hoc modo jubet, sed et omnium Ecclesiarum salutem sic illis mittit : nam ait, *Salutant vos,* non hunc vel illum speciatim, sed in communi universos, *Ecclesiæ Christi.* Viden' quomodo ex salutationibus istis non modica lucrati fuerimus? Quot thesauros prætercursuri eramus, nisi hanc epistolæ partem accurate exploravissemus, quantum penes nos erat ? Si quis vero repertus fuerit vir sapiens et spiritualis, profundius penetrabit pluresque videbit margaritas. Sed quia sæpe nonnulli quæsiere, cur in hac epistola tot homines salutaverit, quod in nulla alia fecit ; hoc utique dicemus, id illum facere, quod nondum Romanos vidisset. Atqui, inquies, neque Colossenses viderat, et tamen nihil tale fecit. Verum Romani celebriores aliis omnibus erant, et ex aliis urbibus plurimi eo se contulerant, quasi ad tutiorem et regiam urbem. Quia igitur illi in extranea urbe degebant, et multa eos in securitate versari oportebat, ac quidam ex ipsis Paulo noti erant, et quidam eorum pro ipso præsentes ministeria multa et magna subierant ; jure illos per literas commendat. Etenim non modica tum erat Pauli gloria, sed tanta, ut ex ejus tantum literis plurimi multam haberent commendationem : non modo enim venerabantur, sed etiam timebant illum. Nisi enim hoc fuisset, non dixisset, *Ipsa quippe multis adfuit et mihi ipsi ;* et rursum, *Optabam ego ipse anathema esse* (*Rom.* 9. 3). Ac Philemoni scribens dicebat : *Utpote Paulus senex, nunc autem et vinctus in Christo Jesu* (*Philem.* 9) ; et Galatis, *Ecce ego Paulus dico vobis ;* et, *Tamquam Christum Jesum suscepistis me* (*Gal.* 5. 2. *et* 4. 14). Et Corinthiis scribens dicebat : *Tamquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam ;* et, *Hæc autem transfiguravi in me et Apollo, ut in nobis discatis non ultra quam scriptum sit sapere* (1. *Cor.* 4. 18. *et* 6). Ex quibus omnibus palam est, omnes de illo magnam concepisse existimationem. Cum vellet igitur illos in securitate et honore esse, singulos salutavit, exornans illos quantum poterat. Alium quippe dilectum vocavit, alium cognatum, alium utrumque, alium concaptivum, alium cooperatorem, alium probatum, alium electum. Et hanc quidem a dignitate ; neque enim tantum dixit, *Quæ ministrat ;* nam si hoc fuisset, certe Tryphænam, Tryphosam et Persidem sic vocasset ; sed aliam quidem ordinationem diaconissæ habentem, aliam vero cooperariam et administram, aliam matrem, aliam a laboribus quæ subiit celebravit. Et alios quidem a domo, alios a fratrum suorum nomine, alios appellat sanctos, alios solo probato nomine honorat, alios primitias vocando, alios a tempore quod priores accesserint : verum plus quam omnes Priscillam et Aquilam. Etiamsi enim omnes fideles essent ; at non omnes similes, sed pretio dispares. Ideo omnes ad majora ducens, nullius laudes occultat. Si enim ii, qui plura fecerunt, non majorem mercedem accepturi essent, multi segniores evaderent.

4. Ideo in regno non par erit honor, neque inter discipulos omnes æquales sunt, sed tres aliis præeminebant, atque inter tres illos multum discriminis intererat : multa quippe accuratio apud Deum est, adusque ultimos. *Etenim stella a stella differt in gloria* (1. *Cor.* 15. 41), inquit. Quamquam omnes erant apostoli, omnes supra duodecim thronos sessuri, omnes sua reliquerant, omnes cum Christo versati sunt ; attamen tres ille accepit. Atque rursum ex his etiam quosdam eminere et præcellere dixit : nam ait : *Sedere autem ad dexteram vel sinistram, non est meum dare, sed quibus paratum est* (*Marc.* 10. 40) ; ac Petrum ipsis anteponit, dicens : *Diligis me plus his* (*Joan.* 21. 15) ? et Joannes plus quam alii omnes diligebatur. Etenim accuratum omnium examen erit, et si paululum superes proximum, quantulumcumque illud fuerit, neque hoc negliget Deus. Hoc autem jam prisce factum videre est. Nam Lot justus erat, sed non quantum Abraham ; Ezechias quoque, sed non quantum David : itemque omnes prophetæ, sed non per

de atque Joannes. Ubinam ergo sunt illi, qui, cum tanta adhibita sit diligentia, gehennam esse nolunt? Si enim justi omnes non iisdem fruentur bonis, si vel parum alios antecellant (*Stella enim*, inquit, *a stella differt in gloria* [1. *Cor.* 15. 41]); quomodo peccatores iisdem fruentur bonis, queis justi? Hanc enim confusionem ne homo quidem faceret, nedum Deus faciat. Si autem vultis, et in iis qui peccaverunt, et in his quæ jam facta sunt, hoc vobis discrimen ostendam, nec non accuratum judicium. Perpende autem: peccavit Adam, peccavit et Eva; et ambo transgressi sunt, sed non æqualiter: igitur nec pari sunt pœna plexi. Tantum enim erat discrimen, ut Paulus diceret: *Adam non deceptus est, mulier vero seducta in transgressione fuit* (1. *Tim.* 2. 14). Atqui seductio una fuit; attamen Dei examen accurate factum tantum ostendit discrimen, ut Paulus hoc diceret. Rursum Cain punitus fuit; Lamech vero qui post illum occidit, nihil tale passus est; etiamsi et hoc et illud cædes esset, et hæc Lamechi multo gravior, quia ille exemplo dato non melior effectus est. Attamen quia ille neque fratrem post admonitionem occidit, neque accusatore opus habuit, neque interrogante Deo impudenter respondit, sed nemine redarguente, seipsum reprehendit et damnavit, veniam consequutus est: ille vero, quia contraria fecerat, supplicio est affectus. Vide cum quanta diligentia et accuratione Deus gesta examinat. Ideo illos qui tempore diluvii erant alio, Sodomitas alio supplicio affecit: rursum Israelitas diverso modo, eos qui in Babylone, necnon eos qui sub Antiocho; ostendens se magnam habere nostrorum operum rationem. Et illi quidem septuaginta annis servierunt, hi vero quadringentis: illi filios suos comederunt, et innumeris aliis calamitatibus plexi sunt; neque sic tamen sunt liberati, neque isti, neque ii qui in Sodomis vivi combusti sunt. Nam ait, *Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum, quam civitati illi* (*Matth.* 10. 15). Etenim si ille nos peccantes nihil curaret, nec probe agentes, fortassis rationi consonum esse posset dicere, nullum fore supplicium: si vero tantam adhibet curam, ut nos non peccemus, et si tanta molitur ut probe agamus, palam est illum peccantes punire, et bene agentes coronare. Tu vero mihi consideres velim multorum inæqualem judicandi formam. Hic enim Deum accusant, quia sæpe patienter moratur multosque negligit, scelestos, lascivos, violentos, qui non dant pœnas; ac postea cum comminatur, acerbi et molesti sunt atque incusant. Atqui si hoc molestum est, illud etiam approbandum erat et laudandum. Sed o stultitiam! o stultam et asinariam mentem? o animam peccati ac voluptatis amentem atque ad nequitiam respicientem? Etenim a voluptatis amore hæc dogmata omnia nascuntur: ita ut si ii, qui talia dicunt, virtutem amplecti vellent, cito de gehenna persuasi essent, nec dubitarent.

Gehenna, quo in loco sit. — Et ubinam, inquies, quove in loco hæc gehenna erit? Cur hoc tibi curæ est? Quod enim quæritur est, ut ostendatur an sit, non ubi reposita sit et quo in loco. Quidam enim fabulantes dicunt, in Valle Josaphat, id quod de præterito quodam bello dictum est, ad gehennam trahentes; Scriptura vero non hoc dicit. Sed quonam in loco, inquies, erit? Extra mundum hunc totum, ut ego puto. Quemadmodum enim regum carceres et metalla procul posita sunt, ita extra mundum hunc erit gehenna.

5. Ne ergo quæramus ubinam sit, sed quomodo illam fugiamus: neque quia Deus non omnes hic punit, ideo futuris fidem neges: nam benignus est et patienter moratur. Ideo comminatur, nec statim in gehennam conjicit: nam ait, *Nolo mortem peccatoris* (*Ezech.* 18. 32). Si vero non est mors peccatoris, hoc frustra dicit. Et scio quidem his sermonibus nihil ingratius vobis esse; sed iis mihi nihil jucundius. Atque utinam et prandentes et cœnantes et in balneo et ubique de gehenna loqueremur; neque enim hic ærumnas ægre ferremus, neque in bonis deliciaremur. Quid enim mihi grave dicere possis? paupertatem, morbum, captivitatem, mutilationem corporis? Verum illa omnia risu sunt digna, si cum supplicio illo comparentur. Etiamsi eos qui semper fame torquentur dixeris, etiamsi eos qui a prima ætate cæci sunt, et cibum emendicant; hæc mala cum illis comparata nihil sunt. Hæc itaque frequenter versemus; nam gehennæ memoria non sinit incidere in gehennam. Non audis Paulum dicentem: *Qui supplicium luent æternum a facie Domini* (2. *Thess.* 1. 9)? non audis qualis Nero fuerit, quem antichristi mysterium vocat Paulus? nam *Mysterium*, inquit, *iniquitatis jam operatur* (*Ibid.* 2. 7). Quid ergo? nihilne patietur Nero? nihil antichristus, nihil diabolus? Ergo semper antichristus erit, et diabolus: neque enim nisi plexi fuerint, a malitia sua desistent. Etiam, inquies; sed quod punitio quidem et gehenna sit, cuivis manifestum est; verum soli infideles in illam incident. Cur, quæso te? Quia fideles, inquies, Dominum suum agnoverunt. Et quid hoc est? Nam si vita illorum impura fuerit, propterea graviores dabunt pœnas, quam infideles: *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur* (*Rom.* 2. 12); et, *Servus qui scit voluntatem Domini sui, et non facit, vapulabit multis* (*Luc.* 12. 47). Si vero nulla vitæ danda sit ratio, sed hæc frustra dicta fuere, neque diabolus punietur: nam et Deum novit, magis quam multi hominum; dæmonesque omnes illum cognoscunt, et horrent, atque judicem confitentur. Si igitur nulla sit vitæ neque operum ratio danda, hi quoque effugient. At non ita se res habent, non ita; ne vos ipsos decipiatis, dilecti. Si enim non sit gehenna, quomodo apostoli judicabunt duodecim tribus Israel? Cur dicit Paulus: *Nescitis quia angelos judicabimus? quanto magis sæcularia* (1. *Cor.* 6. 3)? quomodo Christus dicebat: *Viri Ninivitæ surgent in judicio, et condemnabunt generationem istam* (*Matth.* 12. 41)? et, *Tolerabilius erit terræ Sodomorum in die judicii* (*Id.* 11. 24)? Quid ergo ludis in non ludicris? quid teipsum decipis, et animæ tuæ imponis, o homo? cur contra Dei beni-

gnitatem pugnas? Ideo enim gehennam apparavit et comminatus est, ut ne incidamus, timore illius meliores facti. Itaque qui sermonem de gehenna de medio tollit, nihil aliud facit ignarus, quam quod hac fallacia in illam impellit et conjicit. Ne itaque manus dissolvas eorum, qui pro virtute laborant, neque dormientium socordiam augeas. Nam si multis persuasum fuerit non esse gehennam, quandonam a malitia discedent? ubinam justitia apparebit? Non dico de peccatoribus et justis, sed de peccatoribus et peccatoribus. Cur ille talis hic punitus fuit, ille qui eadem, imo qui graviora perpetraverat, punitus non fuit? Si enim non sit gehenna, nihil poteris ista redarguentibus respondere. Ideo obsecro ut ab his ridiculis dictis desistentes, os obstruamus iis, qui his in rebus nobis contradicunt. Nam vel minimarum rerum tum in peccatis tum in bonis operibus accuratum fiet examen. Etenim rationem daturi sumus impudici aspectus, verbi otiosi ac ridiculi, convicii, iracundiæ et ebrietatis : ac rursum in bonis operibus mercedem accipiemus pro calice aquæ frigidæ, pro verbo bono et pro solo gemitu. Nam ait : *Pone signum in facie gementium et lugentium* (*Ezech*. 9. 4). Quomodo igitur dicere audes, eum qui cum tanta accuratione nostra examinat, frustra et in cassum gehennam comminatum est? Ne, obsecro, ne te tam vana spe perdas, eosque qui tibi fidem habent. Nam si nostris sermonibus non credis, examina Judæos, gentiles, hæreticos omnes qui tibi quasi uno ore respondebunt, judicium fore a retributionem. Annon sufficiunt homines? Interroga ipsos dæmonas, et audies clamantes : *Quid venisti huc ante tempus torquere nos* (*Matth*. 8. 29)? hisque omnibus collectis, menti tuæ persuade ne frustra nugetur, ut ne per experientiam gehennam esse discat; sed hinc resipiscens, et tormenta illa effugere poteris, et futura assequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXII.

CAP. 16. v. 17. *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis.* 18. *Nam qui tales sunt, Domino nostro Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri; et per dulces sermones ac benedictiones seducunt corda innocentium.*

1. *Quam placide adhortetur Paulus. Dissensio in dogmatibus.* — Rursus adhortatio, et precatio post adhortationem. Cum dixisset enim observandos esse eos, qui dissidia facerent, neque illis esse obtemperandum, subjungit : 20. *Deus autem pacis conteret satanam sub pedibus vestris*; et, *Gratia Domini vobiscum*. Vide autem quam placide adhortetur; non quasi consilium dans, sed quasi supplicans, multique cum honoris significatione : etenim fratres illos vocat, et supplicat eis. *Rogo vos, fratres*, inquit. Deinde illos sollicitos reddit, mala inferentium dolum indicans. Quasi enim non per se manifesti sint, ait : *Rogo autem vos ut observetis*; id est, ut accurate scrutemini, et discatis ac perquiratis. Quosnam, quæso? *Eos qui dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt*. Hæc quippe potissimum Ecclesiæ eversio, cum nempe divisa est : hæc diaboli sunt arma, illud omnia sus deque vertit. Donec enim corpus unitum fuerit, non potest introitum habere, sed ex dissensione offendiculum oritur. Dissensio autem unde? A dogmatibus, quæ præter doctrinam apostolorum inferuntur. Hæc vero talia dogmata unde? Quod ventri aliisque affectibus serviatur : *Nam qui tales sunt*, inquit, *Domino non serviunt, sed ventri suo*. Itaque non offendicula, non dissidia evenient, nisi dogma quodpiam præter apostolicam doctrinam excogitatum fuerit : quod hic declarans dicebat, *Præter doctrinam*. Nec dixit, Quam docuimus, sed, *Quam vos didicistis*, prævertens illos et ostendens persuasos fuisse, audivisse et suscepisse. Et quid faciemus illis, qui mala isthæc operantur? Non dixit, Simul aggredimini et impugnate, sed, *Declinate ab illis*. Nam si vel ex ignorantia vel ex errore id agebant, corrigere oportebat : quia vero scientes peccant, resilite. Alibi quoque hoc ait : *Subducite vos*, inquit, *ab omni fratre qui inordinate ambulat* (2. *Thess*. 3. 6). Et Timotheo de fabro ærario loquens, talia hortando dicebat : *Quem et tu observa* (2. *Tim*. 4. 15). Deinde eos qui talia auderent traducens, causam dicit, ob quam tale dissidium excogitarunt : *Qui tales sunt*, inquit, *Domino Jesu Christo non serviunt, sed ventri suo*. Hoc Philippensibus etiam scribens dicebat : *Quorum deus venter est* (*Philipp*. 3. 19). Hic vero mihi eos qui ex Judæis erant subindicare videtur, quia ut gulosos maxime semper exagitare solet. Etenim Tito scribens illis dicebat : *Malæ bestiæ, ventres pigri* (*Tit*. 1. 12). Et Christus illos hac de causa carpens ait : *Devoratis domos viduarum* (*Matth*. 23. 14). Et prophetæ de illis ipsos accusant : *Impinguatus est*, inquit, *et incrassatus est, et recalcitravit dilectus* (*Deut*. 32. 15). Ideoque Moyses hortabatur dicens, *Cum comederis et biberis, repletusque fueris, recordare Domini Dei tui* (*Deut*. 6. 12. 13). Et in Evangeliis, cum Christo dicerent : *Quod signum ostendis nobis* (*Joan*. 2. 18), et alia omnia prætercurrerent, manna commemorant : sic ubique huic subditi vitio apparent. Quomodo ergo non pudeat Christi fratrem, si ventris servos, doctores habeat? Et erroris quidem occasio hæc est, insidiarum vero modus, alius rursum morbus est, nempe adulatio : nam *Per dulces sermones*, inquit, *seducunt corda innocentium*. Et bene dixit, *Dulces sermones*; verborum enim tenus est obsequium; mens autem non talis est, sed dolo plena. Nec dixit, Vos seducunt, sed, *Corda innocentium*. Neque hoc contentus fuit; sed, ut quod dicit gravius reddatur, subjungit : 19. *Vestra enim obedientia ad omnes pervenit*. Hoc vero facit, ut

sinens eos impudenter agere, sed encomiis prævertens illos, et testium multitudine retinens. Neque enim ego solus testificor, sed orbis universus. Nec dicit, Prudentia vestra, sed *Obedientia vestra;* id est, persuasio obsequens, quod illorum mansuetudinis testimonium est. *Gaudeo igitur de vobis.* Non modica hæc laus est. Post laudem sequitur admonitio. Ne enim a culpa illos liberans ut ignorantes, ignaviores reddat, rursus illis insinuat his verbis : *Sed volo vos sapientes esse ad bonum, sinceros autem ad malum.* Viden' quomodo rursum illos perstringat, licet sine ulla suspicione? hoc enim est subindicantis, quod ex illis quidam seducti sint. 20. *Deus autem pacis conteret satanam sub pedibus vestris velociter.* Quia enim memoraverat illos, qui dissidia et offendicula parabant: Deum pacis jam dicit, ut confidant se ab illis esse liberandos. Nam qui de pace gaudet, ea quæ illam labefactare possunt dissolvet. Neque dixit, Subjiciet; sed, quod majus est, *Conteret:* neque solum illos, sed et ducem eorum hac in re satanam. Neque solum conteret, sed *Sub pedibus vestris;* ita ut ipsi victoriam reportarent, et erecto tropæo illustres essent. A tempore quoque consolatio illa datur : subjungit enim, *Velociter.* Hoc autem simul precatio et prophetia erat. *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum.* Arma fortissima, murus infractus, turris inconcussa : illis quippe gratiam memoravit, ut alacriores redderet. Si enim ex gravioribus liberati fueritis, et per gratiam tantum, multo magis a minoribus eripiemini, quia et amici facti estis, et quæ penes vos erant intulistis.

2. *Preces cum operibus, opera cum precibus.*—Vide quomodo neque precationem sine operibus, neque opera sine precatione ponat. Cum enim obedientiam illorum testificatus esset, tunc pro illis precatus est, ostendens utrisque nobis opus esse, et iis quæ a nobis sunt, et iis quæ a Deo, si quidem per diligentiam servandi simus. Non enim solum antea, sed et nunc, etiamsi magni simus et probati, ejus gratia opus habemus. 21. *Salutat vos Timotheus adjutor meus.* Viden' rursus solita encomia? *Et Lucius et Jason et Sosipater cognati mei* (*Act.* 17). Jasonis hujus Lucas quoque meminit, fortitudinemque ejus nobis commendat dicens, quod duxerint eum ad magistratus urbis clamantes. Et alios quoque verisimile est ex insignibus fuisse : neque enim simpliciter cognatos memoraret, nisi pietate sibi similes essent. 22. *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam.* Non modica hæc quoque laus est, scribam esse Pauli : verum hoc non ideo dixit, ut sese laudaret, sed ut ferventem apud illos dilectionem ex hoc ministerio conciliaret. 23. *Salutat vos Gaius hospes meus et universæ Ecclesiæ.* Viden' quantam illi coronam nexuit, tantam hospitalitatem testificans, et universam Ecclesiam in ejus domo congregans? hospitem enim hic vocat eum, qui hospites excipit. Cum autem audis illum Pauli hospitem fuisse, non illum hospitalitatis tantum causa lauda, sed etiam vitæ probitatis : non enim apud illum diversatus esset, nisi ille virtute sua dignus fuisset. Qui enim multa Christi præcepta etiam transcendere curabat; non hanc prætergressus esset legem, qua jubebatur hospites explorari, et apud dignos diversari. *Salutat vos Erastus arcarius civitatis, et Quartus frater.* Non sine causa posuit, *Arcarius civitatis;* sed ut Philippensibus scribebat, *Salutant vos, qui ex domo Cæsaris sunt* (*Philipp.* 4. 22), ut indicaret prædicationem ad optimates etiam pervenisse : ita et hic quoque dignitatem memorat, idipsum hic probare volens et ostendere, eum qui attendat, nec divitias nec principatus curas neque aliud simile quidpiam impediturum esse. 24. *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum vobis. Amen.* Viden' unde incipienda et terminanda sint omnia? Nam hinc et epistolæ fundamentum jecit, et tectum imposuit, simul illis et matrem bonorum omnium invocans, et beneficentiam omnem commemorans. Hoc est enim maxime generosi doctoris, non verbo tantum, sed etiam oratione discipulos juvare; ideo dicebat : *Nos autem orationi et ministerio verbi assidue incumbemus* (*Act.* 6. 4). Quis ergo et nobis bene precabitur, postquam Paulus hinc abscessit? Hi Pauli æmulatores; tantummodo nos tali patrocinio dignos exhibeamus, ut ne hic tantum Pauli vocem audiamus, sed etiam postquam illo migraverimus, Christi athletam videre mereamur. Imo si hic audierimus, illic quoque ipsum videbimus, licet non prope stantes; videbimus tamen fulgentem prope solium regium, ubi Cherubini glorificant, ubi Seraphini volant. Illic Paulum cum Petro videbimus, in sanctorum choro coryphæum et principem, veraque illic dilectione fruemur. Nam si hic usque adeo homines diligebat, ut cum penes illum esset dissolvi et esse cum Christo, maluerit hic esse : longe magis ardentem illic ostendet amorem. Propterea ego Romam diligo, quamquam aliunde illam laudare possim, a magnitudine, ab antiquitate, a pulchritudine, a populi frequentia, a potentia, a divitiis, a rebus in bello fortiter gestis. Sed missis cæteris omnibus, ideo illam beatam prædico, quia Paulus et dum viveret illis scripsit, atque ipsos ita dilexit, ac præsens ipsos alloquutus est, vitamque ibidem clausit. Ideoque hinc clarior est civitas, quam ex aliis omnibus : ac quemadmodum corpus magnum et robustum duos illa urbs habet oculos splendentes, horum videlicet sanctorum corpora. Non ita splendet cælum, cum radios sol emittit, ut Romanorum urbs duas illas lucernas habens per totum orbem lucem emittentes. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Cogitate et exhorrescite, quod spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex illa theca cum Petro resurgentem, et sublatum in occursum Domini : qualem rosam Christo mittit Roma, quibus coronis urbs illa circumdatur, quibus aureis catenis cingitur, quos habet fontes! Propterea urbem admiror, non propter auri copiam, vel propter columnas aliumque fastum, sed propter has Ecclesiæ columnas.

3. Quis mihi nunc dederit, ut corpus Pauli circumplectar, ut sepulcro hæream, ut pulverem videam corporis illius quæ Christo deerant adimplentis, sti-

gmata illius gestantis, prædicationem ubique disseminantis? pulverem, inquam, illius corporis, per quod ubique discurrebat : pulverem corporis per quod Christus loquebatur, et lux splendebat omni fulgure clarior, et vox exsiliebat quovis tonitru dæmonibus terribilior; per quod beatum illud dictum emittebat : *Cupio anathema esse pro fratribus meis* (*Rom.* 9. 3) ? per quod loquebatur coram regibus, nec erubescebat : per quod Paulum didicimus, et Pauli Dominum ? Non ita tonitru nobis formidabile est, ut vox illa dæmonibus. Nam si vestimenta ejus horrebant, multo magis vocem. Hæc vinctos illos duxit, hæc orbem expurgavit, hæc morbos solvit, nequitiam expulit, veritatem reduxit, Christum insidentem habuit, et cum illo quoquoversum prodibat : et quod ipsi Cherubini erant, hoc erat et Pauli vox. Ut enim in virtutibus illis, ita et in Pauli voce insidebat. Nam digna fuit quæ Christum exciperet, illa tantum loquens, quæ Christus diligeret, et ad ineffabilem volans altitudinem, ut Seraphini. Quid enim sublimius illa voce dicente : *Certus sum, quod neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu* (*Rom.* 8, 38) ? quot alas tibi videtur habere vos isthæc? quot oculos? Ideo dicebat : *Non enim cogitationes illius ignoramus* (2. *Cor.* 2. 11) : ideo fugiebant dæmones, non modo loquentem audientes, sed etiam procul positi vestimentum videntes. Oris hujus pulverem videre vellem, quo magna et arcana Christus loquutus est, et majora quam per se ipsum : ut enim majora per discipulos suos operatus est, ita et majora loquutus est : per quod Spiritus mirabilia illa oracula orbi contulit. Quid enim non operatum est os illud eximium? Dæmonas expulit, peccata solvit, tyrannos ad tacendum compulit, philosophorum linguas obstruxit, orbem Deo obtulit, barbaris ut philosopharentur suasit, omnia quæ in terra erant composuit : etiam quæ in cælo, ut voluit coaptavit, ligans quos volebat et solvens illic, secundum datam sibi potentiam. Nec oris tantum, sed etiam cordis illius pulverem videre vellem, quod si quis cor orbis fuisse dixerit non erraverit, nec si innumerorum fontem bonorum, ac principium et elementum vitæ nostræ dixerit. Nam spiritus vitæ inde in omnia effundebatur, ac membris Christi dabatur, non per arterias emissus, sed per bonorum propositum. Adeo latum cor illud erat, ut civitates integras, populos, et gentes caperet : nam ait : *Cor meum dilatatum est* (2. *Cor.* 6. 11). Attamen tam latum cor aliquando cohibuit et strinxit amor, qui ipsum dilatabat : *Ex multa enim tribulatione et angustia cordis*, inquit, *hanc vobis scripsi* (*Ibid.* 2. 4). Et dissolutum videre cuperem, quod ardeat erga singulos pereuntes, quod iterum parturiat abortivos filios, quod Deum videat (Nam qui mundo corde sunt, inquit, Deum videbunt [*Matth.* 5. 8]) : cor hostiam factum (*Sacrificium* enim *Deo est spiritus contritus* [*Psal.* 50. 15]) : cor cælis sublimius, orbe latius, radio splendidius, igne ardentius, adamante fortius, fluvios emittens (nam ait : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* [*Joan.* 7. 38]): ubi erat fons saliens, et irrigans non faciem terræ, sed hominum animas : unde non flumina tantum, sed etiam fontes lacrymarum emanabant et nocte et die : cor, inquam, quod novam ducebat vitam, non hanc nostram (nam ait, *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* [*Gal.* 2. 20]. Cor itaque Christi erat cor Pauli, et Spiritus sancti tabula, et gratiæ liber) : cor quod propter aliorum quidem peccata tremebat (*Timeo* enim, inquit, *ne frustra laboraverim vobis* (*Gal.* 4. 11], *Ne sicut serpens Evam seduxit* [2. *Cor.* 11. 3], *Ne forte veniens, non quales volo inveniam vos* [2. *Cor.* 12. 20]) : pro seipso autem et timebat et confidebat (Timeo, inquit, *Ne aliis prædicans, ipse reprobus efficiar* [1. *Cor.* 9. 27] ; et, *Certus sum, quod neque angeli neque principatus potuerunt nos separare* [*Rom.* 8. 38]) : cor quod Christum ita diligere meruit, ut nullus alius dilexit, quod mortem et gehennam sprevit, et fraternis lacrymis conterebatur (*Quid enim facitis*, inquit, *flentes et conterentes cor meum* [*Act.* 21. 13]) ? cor patientissimum, et non sustinens tempus, quo metuebat, ne Thessalonicenses deficerent (1. *Thess.* 3. 5).

4. Vellem pulverem videre manuum catenis constrictarum, per quarum impositionem Spiritus dabatur, per quas hæ literæ scriptæ sunt : *Videte*, inquit, *qualibus literis scripsi vobis manu mea* (*Gal.* 6. 11); ac rursum, *Salutatio mea Pauli manu* (1. *Cor.* 16. 21) : manuum, inquam, illarum, quas videns vipera in rogum cecidit. Vellem pulverem videre oculorum prius excæcatorum, et postea rursus videntium ad salutem orbis, qui et Christum in corpore videre dignati sunt, qui terrena videbant et non videbant, qui illa quæ non videntur videbant, qui somnum non noverant, qui mediis in noctibus vigilabant, qui non eadem quæ invidi patiebantur. Vellem quoque pulverem videre pedum illorum, qui orbem peragrantes non laborabant, qui in ligno vincti erant, quando carcerem concussit ; qui terram habitatam et inhabitatam circuierunt, ac sæpe vias emetiebantur. Et quid opus est singula recensere ? Vellem sepulcrum videre, ubi jacent arma justitiæ, arma lucis, membra nunc viventia, et mortua dum ille viveret, in quibus omnibus vivebat Christus, quæ crucifixa erant mundo : membra Christi, quæ Christum induebant, templum Spiritus, ædificium sanctum, quæ Spiritu signata erant, quæ confixa erant timore Dei, quæ stigmata Christi habebant. Hoc corpus urbem illam quasi mœniis cingit, quod omni turre et vallis innumeris totius est : et cum hoc etiam Petri corpus : nam illum viventem honoravit : *Ascendi*, inquit, *videre Petrum* (*Gal.* 1. 18) Ideoque hinc demigrantem illum contubernalem facere gratia dignata est. Vellem videre leonem spiritualem. Quemadmodum enim leo ignem emittens in vulpium greges, sic in dæmonum et philosophorum turmam incidit, ac velut fulminis jactus, in dæmonis phalanges illatus est. Neque enim in acie contra illum stabat; sed ita timebat tremebatque, ut si vel umbram ejus videret, aut vocem

audiret, procul fugeret. Sic igitur illum qui fornicatus erat, tradidit illi cum procul esset, et rursus ex illius manibus abripuit: sic et alios, ut discerent non blasphemare. Perpende autem quomodo eos qui sub illo ordinati sunt ad pugnam, educat stimulans et acuens: ac nunc quidem Ephesiis dicat: *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus principatus et potestates* (*Ephes.* 6. 12); deinde præmium ponit in cælestibus, dicens: *Non enim circa terrena nobis certamen est, sed circa cælos et ea, quæ in cælis sunt;* nunc vero aliis dicit: *Nescitis quia angelos judicabimus, quanto magis sæcularia* (1. *Cor.* 6. 3)? Hæc itaque omnia cogitantes, stemus generose. Nam et Paulus homo erat, ejusdem nobiscum naturæ, et alia omnia habens communia: sed quia multum erga Christum amorem exhibuit, cælos transcendit, et cum angelis constitutus est. Itaque si voluerimus et nos paululum excitari, et ignem illum in nobis accendere, poterimus sanctum illum æmulari. Neque enim, si id fieri non posset, exclamasset ille dicens: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (1. *Cor.* 4. 16). Ne ergo solummodo admiremur ipsum, nec obstupeamus tantum, sed et imitemur, ut mereamur hinc migrantes illum videre, et ineffabilis gloriæ consortes esse. Quam utinam omnes assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri unaque Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SPURIA.

MONITUM

IN TRES ORATIONES DE POENITENTIA.

Hoc opus non Chrysostomi, sed inepti Græculi esse, quivis statim et in primo conspectu pronuntiabit. Hic quippe, quod ad stylum spectat, nihil vitii non offendas, repetitiones innumeras, epitheta plerumque insulsa, et ad nauseam usque multiplicata. Grammaticæ leges passim violatas deprehendes in nominibus, in verbis, in delectu vocum. Ita hic quisquis sit scriptor longissimam omnium orationem contexuit. Hanc tertia sui parte mutilam edidit Savilius, nos integram proferimus ex Codice Colbertino cum interpretatione nostra Latina.

Duæ sequentes orationes longe breviores ejusdem farinæ sunt, ejusdemque scriptoris esse videntur.

DE POENITENTIA: UBI OMNIA HOMINUM VITIA MEMORANTUR ET NOTANTUR. SERMO I.

1. Dei quidem semper meminisse bonum optimumque est. Ecquid hoc melius fuerit? Nam judiciorum ejus memoria consolationem affert, ut ait propheta: *Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum* (*Psal.* 118. 52). Quanta par est eum consolatione et lætitia frui, qui semper Dei meminit? ut idem ipse rursum propheta dicit: *Memor fui Dei, et delectatus sum* (*Psal.* 76. 4). Hujusque memoriæ lætitia fruens, nullam aliam in mente admittit memoriam, nisi solius Dei, et ait: *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius* (*Psal.* 70. 16); et rursus: *Recordabor nominis tui in omni generatione et generatione* (*Psal.* 44. 18); et alibi iterum generatim loquens: *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ* (*Psal.* 21. 28). Viden' quantam utilitatem pariat Dei recordatio? viden' quantum robur habeat, ut etiam fines terræ ad se trahat? Neque solum ab idololatria liberavit, sed etiam illius memoriam, prorsus delevit. Dei namque memoria allecti, illuminati, et veri Dei notitia pleni, de inanibus idolis dicunt: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea* (*Psal.* 15. 4). Vidistin' memoriæ Dei vim? vidistin' bonam mutationem? vidistin' laudatam transmigrationem? *Vere Hæc mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* 76. 11), mirum adventus Christi, qui est in dextera Patris, per quem omnia facta sunt. Recte igitur in exordio dixit, omnium bonorum optimum esse Dei recordationem. Hanc expertus memoriam propheta, ejusque utilitatem, omnium oblitus voluptatum ac delectationum, ut etiam de comedendo pane non cogitaret, dicebat: *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius;* et, *Non obliviscar justificationum tuarum* (*Psal.* 70. 16. 118. 93). Hujus memoriæ utilitate deprehensa et degustata dicebat etiam apostolus Timotheo; nec illi tantum, sed etiam cuivis homini: *Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis* (2. *Tim.* 2. 8). Ac quemadmodum is, qui thesaurum habet absconditum in quodam loco, in omni hora, die ac nocte mentem habet illic repositam, et quasi ferro vinctus ibi manet, nec vel minimum a loco abscedit, ut Dominus ait: *Ubi thesaurus, ibi est et cor vestrum* (*Luc.* 12. 34): sic qui desiderat illam speciem et adventum cælestis sponsi, semper illius tantum recordatur, divino amore et insatiabili desiderio allectus, psallens semper cum sacro psalmista Davide, *Memor fui Dei et delectatus sum* (*Psal.* 76. 4). Hoc et Dominus præcepit nobis dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* 22. 19). Vides quomodo vult Dominus, ut semper sui memoriam habeamus. Memores ergo semper simus Dei, quotquot Christi amantes sumus, nec ejus obliviscamur; ne nobis Spiritus sanctus improperet, *Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Dei qui te nutrivit* (*Deut.* 32. 18). Sed Dei recordari non cessemus, et assidue clamemus precantes ut ipse memor nostri sit: *Memento nostri, Domine, cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* 23. 42). Ut autem pulchra res est semper meminisse Dei ob insatiabilem illam lætitiam: sic etiam magnum lucrum et utilitas accedit ex hujusmodi memoria, non modo rerum lætarum, sed etiam tristium et adversarum: harum quippe recordatio memorem efficit meliorem et diligentiorem. Quarum rerum tristium, inquies? Non ignoras, ut puto, et edoceri cupis? Audi ex multis pauca, divitis torti miserabiles voces ad hospitalem Abrahamum emissas, qui dives ob duritiem suam non potuit horrendum illum hiatum per-

transire, quem ipsi fecerat animi durities : similiterque quinque fatuarum virginum exemplum, quas quod misericordia carerent, sponsus ex thalamo exclusit : deinde eorum qui a sinistris erunt opprobrium, turpitudinem, infamiam; denique illam probrosam sententiam, *Discedite a me maledicti* (*Matth.* 25. 41). Illum maxime cogita, qui manibus pedibusque ligatis ex regiis gloriosisque nuptiis cum magna turpitudine ejectus est, et in horrendum tremendumque illum locum detrusus, *Ubi erit fletus et stridor dentium* (*Id.* 8. 12), cujus vel auditus solus cruciatum parit. Nam talium meminisse, ut supra diximus, non parvum animæ lucrum est : etenim Dei meminisse, ut dicitur, lætitiam memori affert; illumque ad excelsa trahit; tristium vero memoria metum affert et compunctionem, hominemque studiosum ac diligentem efficit. Quis in memoria ferens inconsolabilem illam regni amissionem, non compungitur, non lamentatur, nec conterit cor suum? quis non lacrymis rigat lectum, pectus et totum corpus suum, dum tantum damnum cogitat, quod nullam amittat consolationem? Nam quodvis infortunium vel naufragium ante mortem quoddam habet remedium et solatium. Dum enim quis in humano versatur cœtu, alia reperit eorum vice quæ perdidit, quibus ærumnam suam leniat; pernicies autem illa post mortem inconsolabilem habet luctum : illud enim quod amisit revocare non potest. Quantumvis turbetur, quantumvis ingemiscat, lugeat, lacrymas effundat, alta voce clamet, nihil acceptum habetur. Ideo omnis Scriptura clamat, ideo cum tanta cura lex data est, ideo certamina, ideo rationes et obsecrationes, fletus, vigiliæ, humi cubationes, maceratio corporis, cibus aridus, abrenuntiatio, virginitas, paupertas spiritus, ministeria, eleemosynæ, secessus a mundo : ideo patientia in adversis, tolerantia ignominiæ, odii, persequutionum, sputorum, alaparum omniumque tentationum, ad imitationem Domini, Stephani et cæterorum sanctorum; ut ne in die illa a scopo infelicissime aberremus, cum maxime habeamus Domini nostri præcepta, quæ plus quam omnis civitas, plus quam omne præsidium nos tueantur. Quæ præcepta? *Ego vobiscum sum* (*Matth.* 28 20); *Non relinquam vos orphanos* (*Joan.* 14. 18); *Nolite timere ab iis qui occidunt corpus* (*Matth.* 10. 28); *Servate caput* (*Col.* 2. 19); *Omnis enim viri caput ego sum* (1. *Cor.* 11. 3); *Servate caput; Ne obliviscamini Dominum Deum* (*Deut.* 8. 11); *Habentes redemptionem animarum vestrarum in corpore et sanguine meo* (*Ephes* 1. 7); *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* 22. 19), et salutem vestram. Viden' quomodo præcipiat, ne ipsius obliviscamur et semper ipsius recordemur, ut jam dictum est? Ideo omnibus hominibus dico, quod Paulus Timotheo scribit : Fili Timothee, semper recordare, et numquam obliviscaris Dei te nutrientis, neque obliviscaris omnium retributionum ejus (*Psal.* 102. 2). Maxime vero frequenter memor esto tremendarum Judicis vocum, quas iis qui a sinistris sunt sine misericordia protulit, similiterque virginibus quinque fatuis; itemque immisericordi diviti per patriarcham Abrahamum dixit : ad hæc quoque illi etiam diviti avaro, qui horrea sine modo amplificabat. Num scis quam sententiam circa utrumque protulerit? num recordaris tristium illarum vocum? num in corde retines vel modicum verbum ex divina lectione? Si hæc ignoras, cur, quæso, ad ecclesiam venis? annon accedis, ut audias et hinc utilitatem percipias? Si ideo in ecclesiæ cœtum ea de causa te confers, laudabile est studium tuum, et in te impletur Domini sermo : *Oves meæ vocem meam audiunt* (*Joan.* 10. 27). Scio enim multos huc convenire, non propter Deum, nec ut sancta ejus verba audiant. Alios quippe video dormitantes, alios huc illuc se vertentes, alios cum amicis loquentes : et Dominus quidem nos amabili voce alloquitur, *Vos amici mei estis* (*Id.* 15. 14); nos autem illo relicto, amicos ipsi anteponimus. Alios video turbas dantes, et hoc audentes, dum adhuc nos Deus alloquitur. O ingentem stultitiam! o insanabilem impudentiam! o gravem insaniam! Rex passionibus nobis similis sæpe populum alloquitur, et omnes ceu inanimatæ columnæ stant sine voce, donec ille finem loquendi fecerit. Neque id tantum, sed etiam, si ejus literæ legantur, in loco magnum silentium auditoribus imperatur, ita ut videatur nemo ibi esse, nisi is qui regias legit literas; hic vero prophetæ, apostoli, patriarchæ, regibus omnibus sublimiores, loquuntur quid velit Deus, et quomodo colatur, et quomodo possimus grave illud vitæ pelagus trajicere : nos autem hæc verba nugas esse existimamus, imo dum otiosis verbis uti perseveramus, id quietem arbitramur. Num sic colitur Dominus, qui dixit sanctis nobiscum conversantibus, *Vos estis lux mundi* (*Matth.* 5. 14)? Ecquid loquor de ministris et servis, cum ipse omnium Dominus et Rex gloriæ, quem formidat omnis creatura, quem laudat omnis spiritus, per immaculata Evangelia vos alloquatur, moneat, minis terreat, hortetur, advocet, regnum suum illud immensum et non fluxum offerat; nos tamen ita ipsi animum adhibeamus, ut cum quis infirmus et inops homo nos nugaciter alloquitur, nec cum illo ut cum amico tractare dignemur. Vere [illegible] *ni filii hominum* (*Psal.* 61. 10); opportune utique [illegible] lis dicatur : *Stulti, quando sapietis* (*Psal.* 93. 8. [illegible] 77. 33)? Illis competit alius prophetæ versus, *Defecerunt in vanitate dies eorum* : angelicum enim [illegible]num et divina verba quasi nugas abjicientes, [illegible] sermoni et somno se dediderunt. Somnus autem hujusmodi non est vulgaris somnus, sed est segnitiei gravis animæ somnus, molliorum detrimentum, cordis cæcitas, quæ thesauros Spiritus deripit : quare Deum precabatur propheta dicens : *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in mortem* (*Psal.* 12. 4) : qua de re Salomon quoque vehementius scribit : *Quandonam a somno excitaberis* (*Prov.* 6. 9)? Qui et audient illud, *Quid statis tota die*, imo per totam vitam, *otiosi* (*Matth.* 20. 6)? Hujusmodi homines in collectis minime collecti, in festis sine festo, in precibus non benedicti, in memoria sanctorum immemores, cum pax datur reprobi, in ecclesia imparati, in communione indigni, in dormitione et exitu turbati, formidolosi, mœsti, tenebrosi et desperati sunt : de quibus propheta prædixit, *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum* (*Psal.* 145. 4).

2. Vidisti quantum damnum segnities afferat? [illegible]rus est somnus, animarum lacus, mollitiam [illegible]bulatrix, contubernalis, magistra. Ideo Paulus quosdam ob nimiam segnitiem mollitiemque mulieres vocat : neque solum mulieres, sed etiam mulierculas oneratas peccatis (2. *Tim.* 3. 6) : solent enim hujusmodi mulieres custodias simul agere, simul sedere, nugacia et indecentia loqui, quas non pascit Deus. *Non* enim *proposuerunt Deum ante conspectum suum* (*Psal.* 53. 5); *Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes* (2. *Tim.* 3. 7). Qui vero Dominum toto corde diligit, ejusque semper memoriam servat; ubi audit præconem, ad tremendam illam et vivificam Dei immolationem advocantem, confestim surgit, et primo cogitat num quid contra alium, aut alius contra se habeat, atque hoc sublato salutis [illegible]ce, postquam se ab hoc gravi vinculo solvit, currit ad divina verba audienda : quemadmodum cervus ad fontes aquarum (*Psal.* 41. 2), ita cum fide ac desiderio currens, ad spiritualem Dei portum appellit : atque præcinctus, collecto animo, abjecta omni sæculari cura, præparat aures suas ad audiendam angelicam melodiam. Deinde sacro psalmista [illegible] canente, *Venite, et videte opera Dei. Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos* (*Psal.* 65. 5; 33. 12), et exsultationem, sacrificium justitiæ et oblationem : venite, videte supra altare vitulum saginatum, et agnum Dei immolatum, nec tamen mortui [illegible]ditum; *Magnificate Dominum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* 33. 4. 9). Postea Isaias, hirundo Ecclesiæ, magna voce clamat : *Quasi ovis ad occisionem*

ductus est. Lætamini cœli et exsultet terra, quia miseratus est Dominus populum suum (*Isai.* 53. 7. *et* 44. 23). Vade, popule mi, ad audiendum : audite quid Dominus per os meum præcipiat : dicite, fratres, odientibus vos et abominantibus, ut nomen Domini glorificetur. Deinde successor Isaiæ Paulus, lyra Spiritus sancti, cicada Ecclesiæ, Christi habitaculum, supra ambonem erectus, clara voce et cum fiducia clamat : *Pascha nostrum immolatus est Christus* (1. *Cor.* 5. 7) *Qui factus est nobis sapientia a Deo, justitia, sanctificatio et redemptio* (1. *Cor.* 1. 30). *Per sanguinem ejus remissionem peccatorum accepimus Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* (1. *Cor.* 11. 28). Quid sibi vult illud, *Probet seipsum?* Id est, cogitet ea quæ scripta sunt, et examinet seipsum, ne forte imparatus sit ad accipiendum corpus et sanguinem Domini : et num se præparaverit sicut Symeon et sicut Anna prophetissa, et sicut Joseph in sindone munda. Si te ita præparaveris, cum fiducia, fide et timore, accede clamans et dicens : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* 16. 16); et non condemnaberis, utpote qui studueris te dignum reddere. *Nam qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (1. *Cor.* 11. 29). *Videte*, fratres, *ne quis malum pro malo reddat* (*Rom.* 12. 17). *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* 4. 26). *Videte quomodo ambuletis* (*Ephes.* 5. 15). Viden' quanta bona et quale gaudium accipiat, qui diligit Deum, et propter illum ad collectam venit. Audi rursum Joannem clamantem : *Filioli, novissima hora est, et antichristus venit; et nunc antichristi multi facti sunt* (1. *Joan* 2. 18) Sed *Non omni spiritui credite, quia multi seductores exierunt in mundum* (1. *Joan.* 4. 1). Deinde frater Dei Jacobus in medium prodiens dicit : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Dominus diligentibus se* (*Jacob.* 1. 2. 12). Post hos Petrus ille sublimis accurrens clamat : *Carissimi, omnium finis appropinquavit : vigilate et estote prudentes in orationibus* (1. *Pet.* 4. 7). *Deponentes igitur omnem malitiam et omnem dolum et simulationes et invidias et omnes detractationes, sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite* (1. *Pet.* 2. 1. 2). Postea lectiones illas excipit, cælestis angelorum sermo, Dei laus, supernarum virtutum tragœdia, quemadmodum beatus Joannes vidit et scripsit dicens : *Audivi supernarum virtutum vocem, quasi turbæ magnæ, et quasi vocem tonitruorum magnorum dicentium, Alleluia* (*Apoc.* 19. 6). Demum postquam omnia prænuntiata fuerint, cessabunt præcursores et ministri prædicare et significare ascensum Domini supra tribunal, sacerdotibus interim sedentibus ministrisque silentibus, adveniente hora, ut in excelso loco appareat insatiabilis ille dominator et Dominus gloriæ, et populus aures paret ad audienda divina illa et vivifica verba, seseque impellat ut ad tribunal accedat, factoque silentio, cum non licet ultra sedere summum sacerdotem, nec sacerdotem alium, nec regem, ob immensam ejus qui apparet gloriam, tunc cum potestate clamant ii qui angelorum ordinem tenent, dicentes omnibus et parvis et magnis : Stantes omnes audiamus quid loquatur Dominus Deus : stantes audiamus quid jubeat, et quid velit Rex regum; stantes audiamus verba et præcepta vitæ æternæ : præceptum enim ejus vita æterna est. Illud vero, *stantes*, quid sibi vult? Scio enim multos intelligere consurrectionem tantum ex thronis : ego vero quid amplius suspicor et profundius : neque modo solam ex thronis consurrectionem, sed etiam quid magis mysticum significari; id est, erecti fide, erecti corde, erecti cogitationibus, caritate, confessione, erecti ad omne præceptum Domini, erecti superne ad cælum. Ut rationabiles quæ sursum sunt sapite, et ne sicut jumenta, quæ deorsum sunt proni respicite. Deinde surgentibus omnibus et cum timore stantibus, audi quid nobis Dominus loquetur ex Scriptura, ut nobis propheta David præsignificavit, quid jubebit, quid præcipiet, qui volet terribilis in consiliis (*Psal.* 65. 5). Deinde exaltatur celebrata illa margarita, exspectatio gentium, illuminatio mundi, gratia ex labiis Servatoris nostri Dei diffusa, quæ est solatium afflictorum, solutio vinctorum, redemptio peccatorum, lapsorum erectio, medicina infirmorum, spes desperantium, auxilium laborantium, gaudium pœnitentium, persequutionem patientium refugium, lex libertatis iis qui alieno imperio subditi erant, sagena quæ non interficit, sed vivificat eos qui in salsuginoso mundi pelago demerguntur, fontes aquarum, fundamenta orbis, quatuor fluvii qui ex paradiso, ex sacro scilicet Christi ore, egrediuntur. Et apertis divinis, venerandis et intemeratis evangeliis, clamant iterum cum timore terreni angeli, nempe sacerdotes, ad populum, Attendamus : id est, Hic mens cujusque, hic corda omnium, nemo avolet, nemo circumspiciat, nemo susurret. Attendamus, Deus est qui loquitur : attendamus : nam Rex cæli et terræ omnisque creaturæ nos alloquitur : attendamus : Pastor magnus alimentum vitæ animabus distribuit : attendamus : qui mortem interemit et mundum vicit, gaudium immensum et regnum finem non habens nobis indignis pollicetur. O incomprehensibilem, o inenarrabilem benignitatem! Quod ipse invisibilis, immensus, omnium Creator et Dominus, quem horret cælum, terra, mare, cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium et infernorum (*Philipp.* 2. 10) : non per angelum, non per Seraphim, vel per alium quempiam ministrum, sed per semetipsum nos indignos alloquatur, implens prophetiam Isaiæ prophetæ dicentis : *Non legatus, non angelus, sed ipse Dominus veniet, et salvabit nos* (*Isai.* 35. 4). Similiter et David hac de re prænuntiavit dicens : *Ipse Dominus enarrabit in scriptura populorum* (*Psal.* 86. 6). Quamobrem ipse sanctus apostolus nos acrius coarguit, dicens : *Propterea abundantius oportet observare nos* (*Hebr.* 2. 1), propter Dominum loquentem. Nam si sermo quem loquutus est angelus firmus fuit, et omnis transgressio et inobedientia ultioni subjecta fuit : quomodo nos effugiemus, qui tantam salutem neglexímus, quæ cum ab ipso Domino annuntiata fuerit ab initio, ab ipsis qui audierant, nobis confirmata fuit? Propterea oportet nos abundantius observare. Cur, quæso, Paule? Quia non per angelum, nec per alias potestates loquitur nobis, ut priscis illis loquebatur; sed ipse angelorum et omnis spiritus Dominus loquitur, enarrat et annuntiat præceptum Patris, ceu pauper quidam. Quis non exhorrescit? quis non miratur? quis non compungitur de tanta bonitate et clementia Domini?

3. Num hæc dicentes vobis persuadebimus, ut saltem quidam ex multitudine studiosius attendant Deo loquenti? Credo multos ex vobis esse, qui diligenter attendunt, nec alio avocantur : qui audient Dominum Patri dicentem : *Hi crediderunt quia tu me misisti : Pater, serva eos in nomine tuo* (*Joan.* 17. 8. 11). Qui vero non crediderunt, audient, Vos non estis ex ovibus meis : nam oves meæ vocem meam audiunt. Num horruistis hæc audientes? usquequo gravi corde? usquequo mentibus infantes? usquequo loquenti non attenditis, nec statis ut Christianos deceret, sursum corda tenentes; sed ecclesiam boum stabulum, prætorium et cauponam fecistis? Cavete ne in vobis impleatur tremendum illud apostoli dictum : *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit eos in immunditiam* (*Rom.* 1. 28). Nos vero relictis iis, qui cor suum perdiderunt, de quibus Salomon ex persona Domini dicebat, *Loquebar, et non audistis; extendebam sermones, et non attendistis* (*Prov.* 1. 24), ad propositum revertamur, atque ad ambonem progressi, audiamus quid loquatur in nobis Dominus Deus, magnus ille evangelista, qui cæleste Patris præceptum annuntiat nobis in terra. Certum autem est illum loquuturum esse pacem in plebem suam, utpote Deum pacis. Ad se afflictos advocat utpote bonus, ipsos suscipit ut rex justus : eos qui lugent ad pœnitentiam, beatos prædicat, eos

qui in hypocrisi vivunt, miseros dicit, vigiles beatos, segnes miseros prædicat, misericordes utpote misericors gloria afficit et beat : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* 5. 7). Ut autem alienus a duritie et immanitate, atque omnis nequitiæ expers, inhumanitatem omnem abjicit et eliminat, atque immanes, immisericordes et tenaces aversatur : ac cum illis rationem ducet, aliquando per se, aliquando per patriarcham Abraham vel per alios sanctos. Illos qui a sinistris locandi sunt, accusat illisque exprobrat, utpote qui misericordiam exercere potuerint, et non exercuerint. Neque enim ab inopibus judex hujusmodi debitum exigit, quippe qui aliorum ope egeant; sed ab iis, qui Dei munera ubertim acceperunt, et largitoris obliti, ac si non accepissent sese jactant : illos vituperat, illos incusat dicens : O stulti et immisericordes! annon ego vobis omnia dedi? quid enim intulistis in mundum? annon nudi nati estis et rursum nudi migrabitis? Non audistis apostolum clamantem quod *Nihil intulimus in mundum, ac nihil utique inde possumus auferre* (1. *Tim.* 6. 7)? Cogita, stulte, te nihil proprium habere, nisi voluntatem sive bonam, ut Deus jussit, sive immanem, ut tu voluisti. *Argentum et aurum meum est* (*Agg.* 2. 9). *Cœlum thronus meus est, terra scabellum pedum meorum* (*Isai.* 66. 1); orbis fines in manu mea : omnia mihi serviunt, cœlum et omnes exercitus angelorum, terra, mare, omnis creatura, omnisque spiritus meus est, mihi obsequitur, ministrat, servit : tu solus immisericors a benignitate mea alienus repertus es. Dic mihi, stulte, quis terram tibi expandit? quis plantas ita multiplicavit? quis seminibus dat incrementum? quis dat terræ pluviam in tempore trituræ, et ventos proprios ventilatori? quis tantæ molis boves subjecit et subdidit, ut terram sulcarent, in area triturarent, plaustra traherent? nonne hæc omnia large præbui, et iis qui digni sunt et vobis pariter; quod vos vellem administratores esse, meorumque donorum œconomos, ut in tempore malo et in diebus famis mihi subministraretis? *At esurivi, et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* 25. 42). Ego dedi et ego esurivi, de meis exquisivi, et non dedistis mihi quod manducarem. Non expetivi superfluas impensas, non lautitias, non viatica, sed quod manducarem in præsenti necessitate; et non dedistis mihi cibum. Sæpe vero cum de meis donis laute et cum tumultu viveretis ac lætaremini mollibus induti vestibus, stabam ego ad ostium pannis laceris indutus, frigore confectus, fame tabescens, ut ex vi famis ne clamare quidem possem; nec dedistis mihi quod ederem. Non petii vinum, non carnes, non siceram, sed panem tantum; et non dedistis mihi. O crudelitas, immanitas gravis, et profundæ tenebræ! Quomodo non recordati estis ejus, qui hæc vobis largitus erat? quomodo non revocastis in mentem justum Jobum clamantem : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc* (*Job.* 1. 21)? Nunquam audistis sacerdotem in mystica mensa ad me clamantem, mihique gratias agentem ac dicentem : *Tua ex tuis tibi offerimus?* Vos autem gloriamini quasi non acceperitis : velletis in illa rerum copia inconcussi in æternum manere. Apposite propheta hujusmodi hominum assumpta persona, illorum morbum traduxit, dicens : *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum* (*Psal.* 29. 7). Etiam, panem non dedisti, quod Deum qui tibi dederat non cognosceres; cur non saltem sub tecto illum excepisti? nam vel hoc magnam mercedem meretur : vel infirmum non visitasti? neque enim gressus tuos parvipenderem : vel me in carcere positum non adiisti, ut me verbis consolatoriis juvares? certe mercede tua non caruisses : vel me nudum non induisti, aut sitienti mihi potum aquæ non dedisti? quantam a me mercedem accepisses? Vos autem cum hæc omnia facere possetis, non fecistis, *Sed evanuistis in cogitationibus vestris, et obscuratum est insipiens cor vestrum* (*Rom.* 1. 21), vosque vita æterna privastis, ac naufragium passi estis, cui remedium nullum possit afferri. Quid ergo tandem dicam vobis? num illud, *Venite?* Sed inhumanitati vestræ hæc vox non competit : illud enim, *Venite benedicti*, aliis datum est. Omnes igitur, qui a dextris meis stabant, hac voce dignati sunt, hanc gloriam acceperunt, hoc gaudium sunt lucrati; hoc regnum rapuere misericordes et clementes. In æternis quippe mansionibus inhumani hereditatem non habent, in palatium meum immisericors non ingreditur, cœlesti thalamo immitis non dignus habetur, in supernis mansionibus qui non largitur non habitat; sed soli misericordes, soli mites, hospitales, pupillorum altores, viduarum et inopum curatores, afflictorum protectores, ærumnosorum patroni, fluctuantium confirmatores, indigorum promi, desperatorum consolatores, infirmorum ministri, mala patientium assidui sustentatores, lugentium et pusillanimium consolatores, eorum qui in dura servitute sunt patres, eorum qui in calamitate versantur auxiliatores, cum vinctis colligati, errantium duces, nudorum tectores, debentium fidejussores; et ut compendio dicam, egenorum et pauperum œconomi : tales sunt palatii mei habitatores, æternorumque bonorum heredes : talium habitaculum est superna civitas, pro talibus rogavi Patrem meum : Volo, Pater, ut ubi ego sum, ibi sint illi, et videant gloriam meam (*Joan.* 17. 24) : talibus hominibus dixi, ac semper dico : *Vos amici mei estis* (*Id.* 15. 14). Vobis vero quid dicam? an vestri miserebor? Sed in vobis misericordiæ fructum non video. Num misericors ero? Sed non video in vobis viscera misericordiæ. Num veniam concedam? Sed majus est scelus, quam ut remitti possit. Non modo enim viscera mihi clausistis, cum panem peterem, sed etiam pannos quibus indutus eram mihi rapuistis, et me nudastis, et panem, quem alius vir misericors mihi dederat, ex ore meo abripuistis. Quoties veni ad ostium tuum, et vidi lautam mensam, ciborum molem, canes multos perpastos, et in lectis jacentes, mihique fores occlusistis, meque indigne remisistis, neque frustum panis mihi ut uni ex catellis obtulistis? quoties me ex tugurio abjecistis, instante frigore, et equos vestros induxistis, nec cogitastis eum non propter canes et equos crucifixum fuisse et sanguinem fudisse? Jumenta curatis, canes et equos, et membra mea, pauperes et inopes, fame, siti et frigore pereuntes videntes, ridetis et exsecramini et faciem avertitis, maximeque ab iis, qui sacro morbo detenti jacent? quorum membra ante mortem terræ traduntur, quorum corpora multis tenebrosa et abominanda putantur; sed anima splendebit sicut sol. Vos autem epulis deliciisque dediti, accepistis bona in vita vestra. Nunc autem quid vobis dicam? annon audistis, judicium futurum paratum esse iis, qui misericordiam non exercuerunt? Etiam, non misericordes estis, imo etiam immanitati serviistis. Cur autem etiam id, quod pauper habebat, abripuistis? Certe si qui non miseretur, punitur, quia non largitus est, qui vero atterit et aliena rapit, quid patietur? Quid ergo dicam de inhumano proposito vestro? Video enim majus esse peccatum vestrum quam ut remittatur; vulnus omnem superat medelam, infortunium vestrum consolationem non habet; naufragium vestrum est sine remedio, plaga incurabilis, morbus insanabilis, scelera vestra veniam non merentur. Non ultra pœnitentia, non ultra consolatio valebit, non opus jam est lacrymis. Mei non meministis, apostolos non audistis, sacras Scripturas meas abominati estis, esurientem me non miserati estis : audite denique acerbam vobis congruentem vocem, quam immisericordia vobis conciliavit : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* 25. 41).

4. Vidistis duram amaramque sententiam? vidistis calamitatem, quæ nullam consolationem admittit? vidistis damnum, quod omnia damna exsuperat? audistis horrendam immisericordium migrationem? audistis quod sit eorum habitaculum, qui misericordes non fuerunt? nostis quo mittantur immites illi? an

stis in quam regionem longinquam demigrant qui pauperes opprimunt? Vultis nunc audire, in quam requiem, in quas delicias abeant? in ignem paratum diabolo et angelis ejus. Inhumani exhorrescite, et induite viscera misericordiæ: immisericordes contremiscite, et discite misericordiam: tyranni vertigine correpti estote, et finem imponite nequitiæ vestræ: raptores formidate, et rapinam nolite concupiscere (*Psal.* 61. 11). Cogitemus omnes tremendam reddendæ rationis horam, et singuli convertamur a via nostra mala: imitemur Ninivitas, et parati simus, ut Dominus præcepit. Dicere possem et disserere de iis, qui in lascivia tunicas suas inquinant, et qui cum infamia a regiis nuptiis et a lætitia illa et gloria ejiciuntur in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium. Sed reddamus interim ea quæ sequuntur circa immisericordes illos; stat enim adhuc tragœdia de illis repræsentanda. Nam quinque virgines fatuæ, quod misericordiæ expertes essent, exclusæ sunt, non ob violatam virginitatem; virgines quippe erant; non quod carerent jejunio, vigiliis, psalmorum cantu; non quod macerationem corporis negligerent: hæc quippe omnia cum studio magno et laboribus plurimis peregerant, ac diei pondus æstumque toleraverant; sed quod misericordiam non exercerent. Ipsa quippe inclementia mater est omnium malorum, odii parens, quæ Deum et Patrem ad iracundiam provocat, ac Spiritum sanctum expellit: inclementia, quæ Christum mitem, mansuetum, pacis conciliatorem, ab ira remotum, quasi iracundum exhibet, ut scriptum est, *Tunc loquetur ad eos in ira sua* (*Psal.* 2. 5). *Tunc*, quandonam? Quando cum angore multo atque mœrore loquetur ad eos, *Discedite a me maledicti*. Viden' quot bona conciliet immisericordia? Hujus namque fructus est odium fratrum; hujus agricultura, amor pecuniæ; hujus ministerium, tenacitas; hujus celebritas Dei mœrorem cumulavit, hujus horreum immanitate plenum; in hujus foro omnis abundantia, sed penuria et fames misericordiæ Dei, commiserationis et humanitatis: hujus incolæ a sinistris sunt: hujus discipulus dives immisericors, qui olim mendicum Lazarum ad ostium suum jacentem fastidiebat; hujus amicæ et discipulæ quinque fatuæ virgines; hujus cives omnes vendunt et emunt species sine misericordia et caritate: quamobrem audient illud, *Nescio vos* (*Matth.* 25. 12). Hujus heredes audient illud, *Discedite a me;* hujus mercatores omnia possident præter Dei benignitatem, ut et prædictæ virgines fatuæ omnia recte peregerant, virginitatem, jejunium, psalmodiam, vigilias, temperantiam, humi cubationem, aridi tenuisque cibi comestionem, orationem, balnei privationem, labores sudoresque multos, silentium: super hæc autem gravem perniciosamque possessionem adeptæ sunt, nempe immisericordiam Deo perosam, quæ memoratas omnes virtutes atque sudores inutiles reddidit. O immisericordia, et fratrum et Dei inimica! o immisericordia iræ Dei receptaculum! o immisericordia, quæ habitaculum habet ignem exteriorem, ubi fletus et stridor dentium. Vidisti possessionem quæ parva quidem videtur, sed multas magnasque virtutes et bona opera pessumdat? Credite mihi, fratres, formidine et tremore perculsus sum, dum cogito quomodo hoc unum vitium omnia illa recte facta inutilia et reproba exhibeat, et certatores ignotos efficiat: audierunt enim illud: *Amen dico vobis, nescio vos*. Quid sibi vult illud? Non quod ignoret is qui omnia novit antequam fiant, sed quod hæc certamina non propter ipsum suscepta sint, sed ad humanam ostentationem, non ex amore Dei. Quamobrem, quæ inhumanitatem ad consilium adhibuerant, non a cœlesti sponso tantum privatæ sunt, sed etiam a speciosissimi paradisi spectaculo insatiabili. Ubi enim sine caritate quidvis perficitur, ibi Christus non habet ubi caput suum reclinet. Jamque inhumanitas libertatem nacta, locum sine custodia repertum confestim insiliens occupat et cum imperio tenet, caritatem expellit, commiserationem fugat, misericordiam eliminat, angelum pacis recedere cogit: ac demum ubi locus Dei amore et misericordia vacuus est, domus deserta fit habitaculum omnis vitii et impuri spiritus, terra aliena et terra oblivionis, ubi Deus non cognoscitur. Quapropter audiunt illud, *Nescio vos* (*Matth.* 25. 12). O immanem feram! qualem vineæ fructum corrupit, nec satiata est! Hæc enim totam quæ a sinistris erat multitudinem devoravit, ipsique ignem æternum conciliavit: hæc invento in quinque fatuarum virginum animis loco, cum ipsas discipulas sibi fecisset, et nuptialis thalami portas clausisset, ignotas illas sponso reddidit. O pessimam et insatiabilem feram! quam multos devoravit, quam multos delevit, quam multos occidit, quam multos in illo igne combussit! At non clementes et misericordes invasit, absit: gloriatur enim misericors, nec judicium timet: *Perfecta* enim *caritas foras mittit timorem* (1. *Joan.* 4. 18). Sed, secundum immortalem Domini vocem, diabolo paratus est ignis et angelis ejus (*Matth.* 25. 41). Ego autem addo, et discipulis ejus, de quibus modo loquuti sumus, de iis nempe qui a sinistris sunt et de virginibus fatuis. Hi omnes tandem qui similia agunt, discipuli ejus sunt. Hæc et divitem illum sibi discipulum factum, in locum illum tormentorum detrusit, ubi combustus alta voce clamat: *Crucior in hac flamma* (*Luc.* 16. 24): hujusmodi namque munera largitur inhumanitas diligentibus illam. Hæc namque hiatum illum immanem ante conspectum ejus fodit, ne umquam ad requiei locum transiret ac quietem inveniret: hæc quippe lacus effodit et parat: nullam enim aliam hæc fera callet artem. Væ tibi, inhumanitas, et discipulis tuis: væ tibi, crudelitas, et possessoribus tuis! quæ tibi utilitas, si tantam hominum multitudinem a Deo separes? Audi illam respondentem: Opus meum est foveas fodere, portas claudere, contaminare tunicas, occludere viscera misericordiæ; meum lucrum est, amicos multos acquirere, ipsosque perdere; gaudium meum est, innumeros attrahere discipulos, quos in infernum mittam. Quando ii, qui a sinistris erant, pudore suffusi aderant probris et accusationibus impetiti, tunc ergo choreas agebam: quando mittebantur in ignem æternum, id quod ego ipsis conciliavi, ego exsultabam: quando lugentes abibant, dentibus stridentes et a dæmonibus impulsi, ego una impellebam illos gaudens: quando decem virgines se apparabant ut sponsum adirent, ego circumsistebam illas; ex iis quinque non potui abducere: nam multos in circuitu habebant pauperes, mendicos et inopes, qui cum angelis ipsas custodiebant: videbam quoque dexteram Domini ipsas tegentem, et exhorrui; cæteras vero quinque Dei amore nudatas, meas effeci discipulas, ipsisque suasi ne oleum emerent, exstinxi lampadas earum per immisericordiam, et obtenebravi corda earum, ac demum cum luce carerent, ingressu prohibitæ sunt. Aliæ vero quinque cum paratæ essent, cum sponso ingressæ sunt; et ego clausi januas, nec permisi ut quinque meæ intrarent. Opus enim meum est ut ante homines claudam ostia, nec sinam eos intrare in æternam illam vitam. Illi, quibus persuasi ut discipuli mei essent, et quos docui ne emant oleum, illuc intrare non possunt, nec a me separari.

5. O diram et immanem feram, iterum dicam, quantam multitudinem hominum abduxit a misericordia, quos filios gehennæ fecit! Audite immisericordes, qui viscera clauditis ab indigentibus: audite tenaces et malefici. Sicut enim ii qui non miserentur, immisericordiæ sunt discipuli: sic qui alios atterunt, lædunt, mulctant, verberant, in carcerem conjiciunt etiam insontes, qui exspoliant, rapiunt, qui fratres liberos in servitutem redigunt, qui servos suos fame enecant, et nudos ire sinunt immaniterque verberant, qui viduarum et pupillorum bona injuste rapuerunt, et sic ditescunt; hi omnes immisericordiæ filii sunt et discipuli. Deus enim miserator et misericors noxiis etiam atque indignis pœnas jussit remittere. Qui ergo innoxios opprimunt quid patientur?

Audite tenaces, quorumnam amici estis ignorantes : audite inhumani, cujus discipuli esse vultis : audite tyranni, qui fratres vestros opprimitis, cujus ministri estis ; et cum didiceritis, quam requiem, quod munus vobis illic præparaverit, quos lacus, quos hiatus, tenebras exteriores, stridorem dentium et his similia, exhorrescite, contremiscite, caligine afficimini, et relicta hac impudente Dei et fratrum inimica inhumanitate, simus discipuli misericordis et miseratoris Dei, qui omnium miseretur et omnia dimittit. Quotquot inhumanitatis discipuli et amici estis, induite viscera misericordiæ : dum tempus habemus, discamus misericordiam et miserationem, discamus veniam concedere. Qui olim tyrannice agebatis, cessate, neminemque exagitetis ; sat vobis sint obsonia vestra : qui mollibus studetis, et immisericordes estis, induite viscera misericordiæ, ut jubet Christus per os Pauli : qui maximas domos construitis et illic omnia quæ bona putantur esse congeritis per manus et sudores pauperum, qui sine cibo, sine mercede laborant, recordamini quid audierit ille olim insatiabilis dives male consultus, qui instar pauperis spe destituti lugebat dicebatque, Quid faciam, quia non habeo latiora horrea. In memoriam revocantes sententiam illi a Deo prolatam, Aperite thesauros vestros et date eleemosynam ; facite vobis thesaurum indeficientem in cælo (*Luc.* 12 33), ut præcipit Dominus. Qui iniquas divitias ex usura et iniquitate possidetis, facite vobis amicos de mamona, ut præcipit Dominus, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula (*Id.* 16. 9) : qui injustitiam exercetis, cogitate illum qui facit judicium injuriam patientibus, et exhorrescite : qui mercenarios mercede fraudatis, recordamini ejus qui dicit : *Qui fraudat mercedem mercenarii, quasi qui effundit sanguinem* (*Eccli.* 34. 27) : et qui fraudatur a vobis clamat ; *Et clamores metentium in agris vestris, ad aures Domini sabaoth ingressi sunt.* Qui fratres verberatis, desistite ; imo facies vestras verberare incipite, memores intolerabilis damnationis eorum, qui impeccabilem Dominum alapis ceciderunt ; necnon ejus qui flagellavit eum, et ingemiscite, quia sæpe in fratre quem verberas, occultatur Christus, qui rursum a te flagellis cæditur. Nam qui a nobis alapis cæduntur, Christum induerunt, ut ait apostolus : *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* 3. 27) : propter quos ille mortuus est, quibuscum alapis cæditur. Annon hæc audiens exhorrescis, et contremiscis ? non cessas verberare conservos ? annon his auditis, manus tua obtorpuit ? Ego hæc solum loquutus tremo : tu vero qui hæc facis, cujus feræ animum habes, qui sine pudore perseveres ? annon qua mensura mensus fueris, remetietur tibi (*Matth.* 7. 2) ? Tandem vel paululum desine a vanitate, ne *Thesaurizes tibi iram in die iræ et revelationis et justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Rom.* 2. 5. 6). At rursum resumens singulos, ut decet, admonebo summatim. Inhumani divites, qui quotidie lætamini, memores estote immisericordis illius divitis, quem sua non sinit inhumanitas pertransire hiatum illum, quem ipsi fodit immisericordia, et exhorrescite : qui de sola virginitate gloriamini et inhumanitate pleni estis, ne obliviscamini virginum fatuarum : qui viscera clausistis egenis, semper cogitate eos, qui a sinistris stant, et cum pudore multo caput inclinant, illamque amaram vocem audiunt : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* 25. 41), et exhorrescite. Qui aliena rapitis, audite eum, qui per os sanctorum loquitur : *Qui manus in manum injicit injuste, non impunitus erit* (*Prov.* 11. 21) ; ac rursum, *Ego Dominus odio habens rapinam ex iniquitate* (*Isai.* 61. 8) : et alibi : *Rapinam nolite concupiscere* (*Psal.* 61. 11). Qui pupillos et viduas opprimitis, cogitate quis sit eorum protector et ultor. Deus enim, ut ait David, est pater orphanorum et judex viduarum (*Psal.* 67. 6) : qui contra conjugatos vos extollitis, memores estote Christi dicentis per os Pauli : *Honorabiles nuptiæ, et torus immaculatus* (*Hebr.* 13. 4). Qui vero templum Dei per fornicationem corrumpitis, eumdem audite dicentem : *Scortatores et adulteros judicabit Deus* (*Ibid.*). Qui cum dolo osculamini, audite et ne obliviscamini dolosi osculi Judæ, qui Jesum prodidit : audite fures, quid de vobis Dominus ad prophetam Zachariam loquutus sit : *Quid tu vides, Zacharia? Et dixit : Falcem volantem ego video : longitudo ejus cubitorum viginti, et latitudo cubitorum decem. Et dixit* Dominus : *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem terræ ; quia omnis fur ex hoc usque ad mortem punietur : et ingredietur in domum furis et in domum jurantis nomen Dei in mendacio, et diversabitur in medio domus ejus, et consummabit eam, et ligna ejus et lapides ejus* (*Zach.* 5. 20 4). Num hæc satis sunt, o fures, ut vos ab improbo cursu retrahant? an alia divina verba proferam, quæ vos avertant et damnent, et deterreant ad conversionem? Audite ergo etiam apostolum dicentem : *Qui furabatur, jam non furetur, sed laboret operando manibus quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti* (*Ephes.* 4. 28) ; et rursum, *Fures regnum Dei non possidebunt* (1. *Cor.* 6. 10). Hæc de furibus dicta satis sint, si voluerint. Qui injuriarum recordamini, audite apostolum Petrum clamantem : *Non reddentes malum pro malo, et maledictum pro maledicto, sed deponentes omnem malitiam et omnem detractionem, quasi* modo geniti *infantes vivite* (1. *Pet.* 3. 9. *et* 2. 1. 2). Si quando superatus, coactus alicui cedere, oderis ipsum, ne dicere audeas, Diligo Deum : magnum enim tibi onus, magna damnatio odium fratris, omniumque onerum gravissimum : nec tibi mendacium adsciscas ; nam *Qui fratrem suum odit, et dicit, Diligo Deum, mendax est* (1. *Joan.* 4. 20), sicut scriptum. Avari cogitate quid diligatis, clamante apostolo : sin autem id vos fugit, venite, audite, et narrabo vobis quod malum diligatis ; *Radix omnium malorum est avaritia* (1. *Tim.* 6. 10). Ignoratis quam perniciosa sit animæ hæc fera, quam diligitis?. Nemo umquam auri cupidus fuit humanus : qui autem humanus non est, nec Christum amat.

6. Considerate quam sit impudens avaritia, quam inverecunda : non reverita est venerandum illum et beatum apostolorum chorum, quem horrent dæmones, quorum umbræ morbos fugabant, quorum corpora ægritudines sanabant, sub quorum pedibus omnes gentes, reges, dynastæ, et sapientes subjecti erant. Attamen impudens illa insilivit quasi latro et quasi leo rugiens, et rapuit apostolum, adeo ex duodecim illis electis, præcipuis, qui nec Christi benedictione vel donis vacuus erat perinde atque alii undecim. Cum enim largus et beneficus esset Magister, illum ut reliquos honoravit, deditque illi gratiam curationum, et potestatem contra adversarium. Imo etiam pedes ejus, qui contra Magistrum currebant, ut et cæterorum discipulorum, propriis manibus lavit bonus ille nec memor injuriæ Dominus. Quam potestatem accepisse eum a Deo et Domino universorum contra dæmonas et omne genus morborum? Ego dicam : omnes reges et dynastas superabat, et omni potestate formidabilior erat. Considerate, o avari, si talem ac tantum militem, quasi nudum et ope destitutum malo affecit et cepit ut captivum, quid de nobis fiet, qui nullum præclarum virtutis opus habemus? Sed quid de apostolis et discipulis loquor? Ipsum Dominum universorum non reveritus est ; sed in illum etiam manus extendit, et eum qui vendi non poterat, vendidit, et eum qui omni gloria et honore dignus erat, inhonoravit, atque eum cui flectitur omne genu, colaphis cecidit, eum quem tremente cælestes exercitus adorant, sputis inspersit ; atque ut quod majus est dicam, vitæ principem, qui omnia vivificat, occidit. Demum nemo glorietur in hominibus, nemo se in propria vanitate confirmet, nemo confidat vel dicat, Me vitium numquam superat. In multis enim te vincit ; et te victorem esse putas!

apostolum Christi vicit, et tu contemnis? coryphæum captivum duxit, et tu non curas et altum sapis? Vide ne qui te putas stare cadas. Vis ostendam tibi quot in rebus vincaris nescius? vis patefaciam tibi quam multa ex malo facias, et quasi insons vitam agis? Audi : jurasti tremendum Dei nomen, quod nec angeli ausint; hoc ex malo est, ut Dominus declaravit : mentitus es ; id delictum est : conviciatus es ; ergo victus fuisti : pecunias recondidisti, cum frater tuus, imo cum Christus esuriret, et nudus esset; victus, clade maxima et inexcusabili es affectus, quæ tibi hanc ultimam et terribilem accusationem conciliet, *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* 25. 41), et cætera : et quod gravius est, fratris Christi clamantis non misertus es. Brevi relictis omnibus eo abiturus es, unde non redibis; sed ex eorum numero eris qui audient, *Discedite a me, maledicti*, etc. Viden' in quantis superatus es, et non intelligis? viden' quot delictis obnoxius sis, et quasi victor et insons in negligentia vivis superatus et miser? Non audisti quod scriptum est : Qui vicerit, heres erit æternorum bonorum, quæ in Apocalypsi Joannes declaravit, et ea narravit quæ ipse vidit : inexplebile gaudium, lætitiam immortalem, vitam cum Domino universorum actam, et cum omnibus sanctis, angelis et archangelis : atque alia multa et mirabilia loquutus, tandem intulit : *Qui vicerit, hæc possidebit* (*Apoc.* 21. 7). Victoriam præfati sumus, si mente retinetis; sed propter segniores rursum dicamus quam dicit victoriam. Eam victoriam, qua Dominus noster vicit, ut ipse docet : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* 16. 33). Audistin' quam dicat victoriam? Qui vicerit, gaudium possidebit. O beatam hæreditatem! o sortem omni gaudio plenam! Multis certaminibus, fratres, opus est, multis sudoribus, multis lacrymis, multa precatione, et humilitate cordis. Quo utemur modo? quam artem excogitabimus? quam inveniemus methodum, ut ne excidamus a præsignificatis illis bonis, quæ revelata sunt beato Joanni? quem interrogabimus, qui doceat nos, quomodo heredes esse possimus ineffabilium hujusmodi bonorum, *Quæ præparavit Deus diligentibus se* (1. *Cor.* 2. 9)? Qui docet hominem scientiam, ipse modum nos docebit, quomodo vincere mundum oporteat. Accedamus confidenter ad eum, et sincere interrogemus : imitemur venerandum illum apostolorum chorum; ac quemadmodum illi accedentes interrogabant eum de consummatione et de omnibus, et ab ipsa veritate veritatem ediscebant; accedamus nunc ad illum, etiamsi indigni et viles simus, multumque ab apostolorum dignitate remoti. Neque enim procul est, neque distat ab iis, qui in veritate quærunt illum, ut ait propheta : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate* (*Psal.* 144. 18). Dic nobis, Domine, dic nobis, quomodo oporteat vincere mundum : *Domine, doce nos facere voluntatem tuam :* Domine, deduc nos in via tua, ne quando absorbeat nos profundum maligni hujus sæculi (*Psal.* 142. 10. *et* 68. 16) : Domine, Domine, ne derelinquas nos : Domine, præter te alium non novimus; miserere nostri, quia infirmi sumus : Domine, ne relinquas nos orphanos : *Magister bone, quid facientes vitam æternam possidebimus* (*Luc.* 10. 25)? Ad hæc quid respondeat audiamus : Venite post me, vestigia mea sequimini, imitatores mei estote, sponte pauperes sitis, ut ex victoriæ meæ modo divites evadatis. Audite apostolum enarrantem et dicentem : *Propter nos pauper factus est, cum dives esset* (2. *Cor.* 8. 9). *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem* (*Philipp.* 2. 8). Sic quisquis voluerit vincere, humiliet se : id certe debet præstare, plus quam ego, utpote qui servus sit; alioquin saltem ut ego qui Dominus sum : persequutiones sustineat, contumelias, ignominias, alapas, sputa. Qui ita vivit cum recta confessione, vincit mundum, et hæreditate accipit ea, quæ a Joanne recensita sunt, quæ angeli videre desiderant. Certe nihil fortius illo, qui propter Christum pauper est; nemo ita formidabilis dæmonibus, ut humilis: qui vult vincere mundum et ea quæ in mundo sunt, et altum sapientem et superbum, mandata mea custodiet, ut ego mandata Patris mei custodivi, factus obediens usque ad mortem, perpessus contumelias, ignominias, alapas, sputa : et sic ille vicit mundum. Hic modus terruit et enervavit diabolum, ejusque dentes confregit, contrivitque ejus fortitudinem vanumque robur ejus : in hoc glorietur is qui gloriatur, ut scriptum est : *Glorietur frater humilis in exaltatione sua* (*Jacob.* 1. 9) : hic enim est qui vincit mundum. Viden' humilitatis sublimitatem? viden' paupertatis victoriam? viden' invictam aciem ejus qui est humilis corde? O paupertas regibus omnibus opulentior! o humilitas gigantibus potentior, et obedientia telum contra malignum! Vere frustra conturbatur omnis homo, qui alio modo vult vincere mundum. Noli errare, o homo, nemo Christo fortior; sed ipse sic aciem instruxit et vicit, cum nos docuisset modum reportandæ victoriæ insuperabilem : hoc modo superbum illum prostravit, hac arte dejecit eum qui dicebat, *Ero similis Altissimo;* hac methodo vicit mundum et principis mundi dentes confregit, persequutionibus afflictus, insidiis, contumeliis, sputis. Viden' invictam armaturam? viden' et victoriam et artem? viden' invictum robur ejus, quæ secundum Deum est, paupertatis? viden' quam formidabilis sit dæmonibus is qui humilitate est indutus? Domini, ut diximus, est imitator, angelis desiderabilis, apostolis honorabilis, martyribus connumeratus, dæmonibus formidabilis, mundi victor, æternorum incorruptibiliumque bonorum heres. Hunc numquam timor invadit, hunc tota legio dæmonum fugit et formidat, videns in illo Christum mundi victorem, se conculcantem, ipsorumque vanum robur dejicientem?

7. Demum, filioli, tunc edocti modum et artem, ne simus negligentes, sed imitemur Dominum nostrum et per humilitatem virtutesque ipsi similes effecti, ipso cooperante vincamus; cum maxime desideremus bona illa, de quibus sæpe audistis, ne segnes simus, ne demus somnum oculis nostris, ne vincamur a nefario illo mundi principe, ne quando dicat, Prævalui adversus eum. Cave ergo, carissime, ne des palpebris tuis dormitationem : cave ne dormitet qui custodit te. In circuitu impii ambulant, *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (1. *Petr.* 5. 8). Hæc cum sciamus, filioli, ipsi nos excitemus, simus parati ad bellum, atque iterum paulo postea simus prompti ad defensionem. Quousque non attendemus verbis Domini dicentis, *Estote parati*, nimirum ad profectionem ex hac vita? Deinde Judice tunc aperiente libros, non alios extraneos quos non novimus, sed hos quos circumferimus ac quotidie legimus et audimus, qui nobis in causis quibuslibet ostendunt cujusque præcepti observationem, quid respondebimus? quomodo eos latebimus, quos persequuti sumus, vel alios quos contempsimus, vel multis affecimus malis, maxime vero eos, qui prope Judicem adstantes clamabunt : Vindica nos nunc, Domine : Deus enim ultionum es. Jam quid facto opus sit, dicite si nostis : nam, ut jam demonstratum fuit, impossibile est manus Judicis effugere, et scimus nihil cum latere. Nam et infernus nudus erit, atque omnia oculis ejus nuda esse scimus : omneque opus sive bonum sive malum, sive parvum sive magnum, in medio illo theatro, præsentibus angelis cunctisque potestatibus, omnique humano spiritu legetur. Didicimus porro quod *Tunc laus erit unicuique a Deo* (1. *Cor.* 4. 5), et quod unusquisque onus suum portabit, et ii qui parati sunt intrabunt cum eo in æterna tabernacula, et negligentibus porta claudetur; ut que quod terribilius est dicam, supplicia finem non habent, sed in sæcula infinita extenduntur, ut nobis declaratum est; et quod omnes nudi ante tribunal Christi adducendi simus, ut unusquisque referat secundum opera sua; quodque judicium sine misericordia futurum sit, ipseque venturus sit judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum

opera sua, quotidie in ore ferimus; omnesque scimus peccatorem omnem, qui de pœnitentia agenda non curaverit, in supplicium æternum immitti. Hæc omnia cum certo sciamus, cur non contremiscimus? cur non lugemus? cur non nos mutuo excitamus salutari consilio, quod Deo placeat? Venite igitur, omnes fideles et religiosi : venite, unanimi consensu conveniamus, et cum fieri non possit, ut omnes termini simul conveniant, singulæ tamen regiones congregentur : quod si illud etiam difficile sit, saltem urbs cum vicinis locis conveniat; multisque congregatis, nos mutuo examinemus circa tremenda illa judicia; incipiamus exploremusque num parati simus; videamus circa singula delicta; quod judicium Dominus scripto tradiderit. Ita singuli agnoscentes delictum suum et damnationem illius, sese emendabunt priusquam cœtus dissolvatur, nisi inemendabilis maneat. Nam si rex quæ sibi debentur non dimittit, sed accurate illa expetit, princepsque omnis debita exigit : quanto magis justus Judex omnia debita nostra repetet? Propterea rogo vestram in Christo caritatem, nemo hinc abeat cum debito. Hic datur excusandi locus, multi sunt modi, multæ viæ ad vitam agendam. Etiamsi enim peccata multa sint, at multo major est Dei misericordia, ut sæpe vobis narravimus : etiamsi res inenarrabilis sit, tamen iterum ea de re alloquar vestram in Christo caritatem; sed attente audiamus cum Dei timore multisque lacrymis. Qui segnes sumus, vigilemus; qui dormitamus, expergiscamur; qui in tentationibus, omnem sollicitudinem mittamus ad Dominum, sicut scriptum est, Quia ipse curam nostrum gerit. Hic mentem colligamus, bonos audiamus mores, mores salutares, artes animæ utiles, conversionis et pœnitentiæ methodum, divinum verbum breviter expositum sinceramque doctrinam. Tantum, ut dixi, mentem adhibeatis, nemo segniter ac negligenter audiat. Modus enim ille, de quo loquuturus sum, omne delictorum genus in mentem revocat adstantibus, ut unusquisque nostrum suum agnoscens peccatum, fleat, ingemiscat, peccatum emendet, sese ad defensionem paret. In memoriam rursum revocare vobis volo tristia illa et horrenda supplicia, ut etiam initio sermonis feci : nam cum hæc dicimus, nihil damni, imo multam utilitatem vobis afferimus : stilla namque sæpe cadendo cavat lapidem, ut scriptum est. Undenam ergo incipiam? quod delictum, quem morbum proferam, ut aptam ægritudini medelam inducam? Primum malum haud dubie est superbia, quæ luciferum de cælo in terram detrusit. Audi primo tu, superbe, recordare illius quod scriptum est, *Deus superbis resistit*, et procul a te hunc gravem morbum abjice, ut ne Deum tibi resistentem offendas : recordare ejus, qui desursum in terram decidit; et qui cum Deo et reliquis comministris angelis degebat, jam in infernis, in tenebrosis locis ac perniciosis habitat : cogita semper Dominum gloriæ, quomodo cum dives esset, pauper effectus sit : in mentem revoca insidias ipsi structas, calumnias, alapas, et horrore plenus : teipsum deprime, ut salutem nanciscaris, et exalteris in die visitationis : nam prope est Dominus iis, qui contrito sunt corde; et qui se humiliat, exaltabitur. Qui vero in fornicationibus oberrabant, abscedant, neque ultra umquam oberrent; sed recordentur apostoli clamantis, *Fornicatores et adulteros judicabit Deus* (*Hebr*. 13. 4); et, *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (1. *Cor*. 6. 18); et, *Fornicatores regnum Dei non possidebunt* (*Ibid*. *v*. 9). Ne obliviscamini autem ejus, qui per fornicationem nuptialem vestem inquinavit, et cum dedecore ex regiis nuptiis ejectus est : et, *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cælorum* (*Matth*. 3. 2). Adulteri, formidate divinam vocem dicentem, *Non adulterabis*, et apostolum clamantem, *Fornicatores et adulteros judicabit Deus*. Recordamini etiam Salomonis dicentis : *Adulter vero ob inopiam mentis interitum animæ suæ parat* (*Prov*. 6. 32. 32). Audite quoque Dominum, adulteræ dicentem, *Vade et noli amplius peccare* (*Joan*. 8. 11). Ut brevius dicam. Pœnitentiam agite. Audite etiam apostolum prædicantem, *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem et injustitiam hominum* (*Rom*. 1. 18). Mares qui in maribus turpitudinem operamini, contremiscite antequam Judex adveniat, cum maxime contra naturam audacter agatis, cogitantes quanta supplicia tales facinorosos exceptura sint, nisi cum labore multo et pro ratione delicti pœnitentiam agant. Mementote apostoli clamantis, *Iniqui regnum Dei non possidebunt, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores* (1. *Cor*. 6. 9. 10) regnum Dei possidebunt. Et qua de causa in tam gravem lapsum proruperunt? dic Paule. Quia *Non probaverunt habere Deum in notitia* (*Ibid*. *v*. 28), tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Vidistin' causam gravis lapsus? ideoque admonet idem apostolus, ne simus mala concupiscentes, nec servi vitiorum (*Ibid*. 10. 6) : *A quo enim quis superatur, hujus et servus est* (2. *Petr*. 2. 19). Ideo semper precari oportet, semper lacrymas fundere et lugere, ut nos eruat Dominus ex sensu corporis mortis hujus; et ea tandem desideremus, quæ vere desiderabilia sunt, quæ ipsi angeli respicere desiderant.

8. Hæc nos quoque desideremus, et pœnitentiæ studeamus ut per pœnitentiam ita puri efficiamur, ut eramus ante lapsum. Tale namque genus, talis virtus est pœnitentiæ, quæ pretiosa est possessio : in pristinum quippe honorem, quem habuit ante lapsum, pœnitentem restituit. Dicere vero ausim quosdam sublimiores fuisse. Postquam multum laboraverant, multasque lacrymas fuderant, fœtorem peccatorum abluerunt, ut dicit ille : *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Psal*. 50. 9). Multa vero cura opus est, quia qua hora nescimus exactor rapiet, et nemo sit qui eruat. Quocirca divina vox indesinenter clamat : *Estote parati*. Qui judicandi munus habes, judicia proferre devita, dicente Domino, *Nolite judicare* (*Luc*. 6. 37) : neque exigas ab eo, qui labore conficitur, sed Domini recordare dicentis, *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate* (*Joan*. 7. 24) : et iterum, *Nolite condemnare, ut non condemnemini* (*Luc*. l. c.). Quod si alterum condemnans teipsum eadem ipsa facis, non effugies judicium Dei. Audi apostolum hujusmodi homines increpantem ac dicentem : *Propter quod inexcusabilis est, o homo, qui judicas* (*Rom*. 2. 1), eos qui talia faciunt, et tu ipse facis : *in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas. Qui ergo doces alterum, teipsum non doces? qui prædicas non furandum esse, furaris? qui dicis non mœchandum esse, mœcharis* (*Ibid*. v. 21. 22)? *Ejice primum trabem de oculo tuo* (*Matth*. 7. 4), ut dixit Dominus : *In quo enim judicio*, inquit, *judicabitis, judicabimini*. Tu ergo qui judicas, ne accipias dona contra innocentem : scriptum est enim : *Væ qui justificatis impium pro donis, et quod justum est a justo aufertis* (*Isai*. 5. 23). Si quis ergo judex se iis obnoxium repererit, studeat se per pœnitentiam irreprehensibilem reddere : ecce enim Judex judicum stat ad fores. Ne ultra igitur alter alterum judicet, sed nos mutuo diligamus, mutuo juvemus, pro aliis mutuo precemur, ut hinc per gratiam Domini nostri Jesu Christi sanemur. Si quis iræ et furori subditus sit, audiat apostolum dicentem : *Omnis amaritudo et ira et indignatio tollatur a vobis* (*Ephes*. 4. 31); et rursum, *Ira viri justitiam Dei non operatur* (*Jac*. 1. 20); et iterum, *Deponite iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro* (*Col*. 3. 8). Audi præcipue prophetam sic te hortantem, *Desine ab ira, et derelinque furorem* (*Psal*. 36. 8). Insuperque ait Salomon, *Cum viro iracundo ne simul habites* (*Prov*. 22. 24). Nam qui iracundus est, non est servus Dei, sed vitii se possidentis, ut scriptum est : *A quo enim quis superatur, hujus et servus est* (2. *Petr*. 2. 19). Et cito abjecta ira, pœnitentiam cum labore agite, ut ne rapti deportemini

locum illum, ubi congregantur filii iræ, ex quo eruamur gratia Domini nostri Jesu Christi. Qui gulæ deditì estis et deliciis, audite Dominum cum minis clamantem : *Væ qui saturati estis, quia esurietis* (*Luc.* 6. 25) : et prophetam dicentem : *Comedit Jacob et saturatus est, et dereliquit Deum qui fecit eum* (*Deut.* 32. 15). Viden' quomodo ii, qui deliciis dant operam, a Deo segregentur, quos apostolus atheos appellans dicebat : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt* (*Philipp.* 3. 19). Audi rursum quomodo Deus præmoniat omnes per Moysem dicens : *Attende tibi, ne cum comederis et saturatus fueris, obliviscaris Domini Dei tui* (*Deut.* 6. 12. 13); et relicta diligenter voluptate omnium vitiorum et omnis fœtoris matre, suscipe bonum odorem, nempe temperantiam, fructum Spiritus sancti, ut apostolus docuit; et attende tibi, ne audias et tu ut ille dives in deliciis vivens, pauperum osor, *Recepisti bona tua in vita tua* (*Luc.* 16. 25). In pœnitentia persisto, quæ est caput salutis nostræ, quia nescimus diem neque horam, qua Dominus noster venturus est. Qui ebrietati subditi ab immortali regno cælorum sponte vos segregastis, audite prophetam prædicantem, *Væ ebrii* (*Isai.* 28. 1); et apostolum dicentem, *Ebrii regnum Dei non hæreditate accipient* (1. *Cor.* 6. 10); et rursus præcipientem, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* 5. 18); ac relicto vino, imo potius ebrietate, quæ excludit a regno, concupiscite vinum illud, quod Deus ex sacris Scripturis miscuit nobis secundum prophetam, vinum compunctionis, quod qui bibitis, in compunctione pœnitentiam agite lacrymantes : dulcia enim verba Domini. Qui in carne et in propria vanitate fiduciam habetis, audite Deum per sanctorum ora clamantem : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria hominis quasi flos fœni* (*Isai.* 40. 6); et rursum, *Firmans carnem brachii sui, quia vana salus hominis* (*Jerem.* 17. 5; *Psal.* 59. 13). Ideo apostolus scribit : *Ut non confidentes simus in nobis ipsis, sed in Deo* (1. *Cor.* 1. 9); ut et propheta similiter dicit : *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine* (*Psal.* 117. 8). Et pœnitentiam agite : venit enim Judex qui personam non accipit, ut destruat omnem principatum et potestatem et virtutem (1. *Cor.* 15. 24) : nihil enim illo fortius. Qui curiosa sectamini occulti homicidæ, qui locum homicidarum hereditate accepistis, occulti lupi, et carnales dæmones, inferorum habitatores, æternarum tenebrarum filii, et inexstinguibilis ignis proles, audite quid loquatur sanctus evangelista Lucas, de hujusmodi hominibus verba faciens in Actibus apostolorum : *Multi autem eorum, qui erant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus : et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium* (*Act.* 19. 19). Vidistin' promptum obedientiam, vidistin' brevi partam salutem? vidistin' quomodo multiplicatæ sunt infirmitates eorum? Sed obedientiæ celeritas omnia emendavit. Et vos qui in similibus erratis et animo decepti estis, hanc respuentes gravem et inhumanam fraudem, et quasi a serpente fugientes, condignam pœnitentiam exhibere studentis, priusquam ad vos veniat intolerabilis illa comminatio et ejulatus : tempus enim prope est, et nolite negligere. Qui curatu difficili morbo laboratis, invidia nempe et livore, recordamini invidorum illorum, qui audierunt : *Amice, non facio tibi injuriam : tolle quod tuum est, et vade* (*Matth.* 20. 13. 14). Quonam? Sine dubio in tenebras exteriores. Et hoc abjecto morbo, pœnitentiam agite : *Horrendum enim est incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* 10. 31). Qui divinas Scripturas contemnitis et contumeliam infertis Spiritui sancto, qui loquutus est per os eorum, qui in Veteri et Novo Testamento fuerunt; quid facietis in tremenda illa hora, cum judicium sedebit, et aperientur libri, quos nunc exsecramini et aversamini? quo fugietis? ubi vos abscondetis a facie ejus, qui ex omni divina Scriptura loquetur, et omnes sacros libros proferet? Et væ et pernicies vos apprehendet, nisi jam celeriter assumpto fletu ac gemitu exoraveritis eum, quem ad iracundiam provocastis, consolatorem Deum. Non auditis Dominum dicentem : *Scrutamini Scripturas* (*Joan.* 5. 39)? non auditis quomodo errantes vocet eos qui Scripturas ignorant? Audite apostolum qui a Deo inspiratam, utilem, verbum sanum et sanitatem afferens, sacras literas et legem libertatis illam appellat. Audite rursus quomodo per Salomonem Spiritus sanctus vos impios vocet his verbis : *Sapientiam et disciplinam impii despiciunt* (*Prov.* 1. 7).

9. Hæc audientes pœnitentiam agite, vosque præparate ad excusationem, antequam veniat dies Domini. Utque compendio omnia dicam, omnis homo, qui jam sese emendare non festinaverit, sed sine emendatione hinc migraverit, is exspectet illud, *Revelatur ira Dei de cælo*, non super hoc vel hoc peccatum, sed *super omnem impietatem et injustitiam hominis* (*Rom.* 1. 18), tam virorum, quam mulierum : non enim est distinctio quia omnes peccavimus. Ideo sanctus apostolus secundum gratiam sibi datam etiam de mulieribus, scripsit dicens : *Mulieres modestas, ministras fideles in omnibus. Docere autem mulieri non permitto, nec auctoritatem habere in virum* (1. *Tim.* 3. 11. et 2. 12); sed in quiete degere, domus curam habere, bene docere, *Ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, non multo vino servientes* (*Tit.* 2. 4). De viduis quoque sic scripsit : *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt* (1. *Tim.* 5. 3. et 10). Si perseverant in obsecrationibus et orationibus, *Si filios educavit, hospites suscepit vel sanctorum pedes lavit, si afflictis subministravit, si omne opus bonum prosequuta est*. De senioribus item viris et mulieribus loquutus est Spiritus sanctus per os sanctorum; de servis quoque et dominis præcepta dedit, de regibus, de militibus, de episcopis; nihil utilium prætermisit : quoniam ut dixit, *Super omnem impietatem et injustitiam* et minimorum et magnorum *revelatur ira de cælo* (*Rom.* 1. 18). Omnia vestræ caritati commemoravi, ut sciatis omnia præcepta, et omnis principatus et potestas omnisque ætas discat consilium et voluntatem Dei, tremendumque ejus de cælo adventum, horrenda supplicia et tristem illam separationem; ac singuli curent emendare vitam suam, seque præparent ad defensionem, neque negligentia sua sese prodant, ut excidant ab ineffabilibus illis æternisque bonis. Vide ergo tu, o segnis, ne perseveres in segnitie tua, ne a fallacia et voluptate supereris : vide ne per divitias bonitatis, tolerantiæ et patientiæ Dei contemnas, et thesaurizes tibi iram in die iræ, ut ait apostolus. Convertere demum, vigila, attende; satis tibi est præteritum tempus : in deceptione et amore voluptatis ne permaneas, nec in iniquitate radices ponas. Non vides angelum sequentem et scribentem gesta tua? an nescis per duritiem et perseverantiam tuam gravius ulcus effici, gravius describi, et iram magis incendi? nescis ex frequenti mala operatione effici, ut malum difficilius deleatur; ut in tabella characteres levius impressi, facilius delentur; si profundius vero, difficilius complanantur? Cave contemnas eum, qui te judicaturus est : cave ne perseverans majorem iniquitatem efficias, quam quæ remitti possit. Ideo in omnibus omnes præmunivit paracletus bonusque Spiritus, et de omnibus commonefecit, quomodo fornicator ex regiis nuptiis cum ignominia ejiciatur, quomodo quinque fatuæ virgines ob inhumanitatem ex cælesti gaudio exclusæ sint, quomodo dives ille ob voluptatem et immitem animum locum tormentorum sortitus sit; similiterque alius dives, qui horrea sua extendebat, multaque recondebat sine lucro, jure stultus audivit. Nec ignoratis quid audierint ii, qui a sinistris positi erant, quod de bonis suis non erogassent. Furem vero Dominus homicidam appellavit, dicens : *Fur non venit, nisi ut furetur et mactet et perdat* (*Joan.* 10. 10). Hæc et similia Spiritus sanctus per os sanctorum loquutus est. Ego vos commonui, insuperque circa hæc omnia id apostolus clamat : *Videte ne recusetis loquentem* (*Hebr.* 12. 25). Interim

vobis hæc dicta sufficient, maximeque diligentioribus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, qui omnia in prædicto tempore dispensavit in salutem nostram, nosque advocat ad æternum regnum suum, precibus sanctorum quos commoravimus : cui gloria et imperium una cum Patre et Spiritu sancto, ut erat a principio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

DOMINICA TYROPHAGI DE POENITENTIA ET ELEEMOSYNA. SERMO II.

1. Terreni regis milites ad aciem instruunt tubæ clangentes ; cælestis vero Regis Jesu Christi milites ad gloriam Deo referendam et ad ejus timorem excitat divinarum Scripturarum lectio ; sed illos ad pugnam adversus hostes sensibiles et ad bella sub sensum cadentia, nos autem adversus invisibiles inimicos et dæmonas, ut ait Paulus : *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus principatus et potestates et mundi rectores tenebrarum hujus sæculi, adversus spiritualia nequitiæ in cælestibus* (*Eph.* 6. 12). Videte, fratres, quales inimicos habeamus : videte cum quibus hostibus pugnemus. Maligni enim sunt, ut conspicitis, et impudentes, qui ad omne peccatum nos vi pertrahant. Si in hoc a scopo aberrent, ad aliud accedunt ; si in alio similiter, in aliud transeunt : et ut summatim dicam, non cessant ab alio in aliud invadere, donec optatum assequantur. Hunc incitant ad fornicationem, illum ad adulterium, alium ad rapinam alienorum, alium ad furtum, alium ad avaritiam insatiabilem, hunc ad invidiam et livorem, illum ad cædem vel injuriam inferendam, alium ad detractionem et fratrum cædem, alium ad gulam et puerorum corruptionem, alium ad templorum exspoliationem et impudentiam, hunc ad hominum captandam gratiam et ad vanam gloriam, illum ad immisericordiam et inhumanitatem, alium ad abnegationem et juramentum, alium ad contumeliam et infamiam, alium ad iram et furorem, alium ad usuram, ad æmulationem et contentionem ; alium ad blasphemiam et immunditiam : et aliis quidem suadent ut ne pauperum misereantur, aliis ut vicinorum terminos removeant, aliis ut mercenarios sua mercede privent : quo quid miserabilius fuerit ? aliis suadent ut pupillos exuant, aliis ut viduas opprimant, aliis ut ne in ecclesiam intrent : alios in mille vitia præcipitant, quorum non est numerus, quæ si enarrarem, vitæ tempus me deficeret. Videte, fratres, in quot mala quotidie incidamus, neque attendimus. Sed, væ mihi, quid de me fiet, si hæc narravero ? Credite mihi, fratres, dum hæc scribo solum, timore et tremore teneor, horror incidit in me, obstupesco, et lacrymari subit, dum cogito, quot pravis et diabolicis vitiis inescemur. Cur ergo negligimus, cur procrastinamus ? quod tempus exspectamus ? cur salutem nostram despicimus ? cur non curamus exitum nostrum ? cur negligimus, cur refugimus ? quousque animo deficiemus ? quousque deliciæ, quousque ebrietas, quousque voluptates, quousque illecebræ, quousque insatiabilitas, quousque rapinæ, quousque injustitia ? quousque incursus in pauperes ? quousque præda ex inopibus parta ? quousque divitiæ, quousque pecuniæ, quousque aurum ? quousque avaritia, animarum laqueus ? quousque invidia, quousque mendacium, quousque detractio, quousque convicium, quousque turpes et lascivæ concupiscentiæ ? Cur erramus ? cur exspectamus ? cur inopportune laboramus ? cur nos ipsos irridemus ? cur nos frustra maceramus ? cur aliena invadimus ? cur turbamur ? Cur defatigamur ? cur temporanea colligimus ? Pœnitentiam denium agamus, expergiscamur, vigilemus, quæso, fratres : excutiamus gravem peccati somnum, *Venite, audite, et narrabo vobis, omnes qui timetis Deum* (*Psal.* 65. 16). Venite, audite, et res et verba spiritualia et salutaria : venite, discite consilium salutare et Deo placitum : venite, scitote quomodo confitebimur Deo salutari nostro : venite antequam vitæ societas solvatur : venite priusquam ostia vitæ claudantur, priusquam mors veniat, et vos imparatos reperiat : venite antequam sol occidat et lux obscuretur. *Venite, audite, omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem* : venite, *Terrigenæ, filii hominum, simul in unum dives et pauper* (*Psal.* 48. 1. *sqq.*) : venite nobiles et gloriosi, servi et liberi : : venite omne genus, ætas omnis, viri simul et mulieres, parvi et magni, juvenes et senes : venite sacerdotes Domini, et omnis plenitudo Ecclesiæ a terminis usque ad terminos orbis terrarum. Venite *Juvenes et virgines, senes cum junioribus* (*Psal.* 148. 12) : venite reges terræ sive sapientes, sive idiotæ : venite, *Procidamus ante Dominum qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus pabuli ejus et oves manus ejus* (*Psal.* 94. 6. 7). Venite, fratres, et sciamus nihil nobis profuturos esse terminos terræ : venite, videte nos nudos ingressos, nudos decessuros esse : venite, confiteamur Domino in lacrymis, gemitibus, eleemosynis et miserationibus pauperum ; et ipse docebit nos quomodo salutem consequamur. Dicamus et nos illi : Domine, peccavimus in cælum et coram te : suscipe conversionem et pœnitentiam nostram, suscipe gemitum et lacrymas, suscipe nostrorum peccatorum pœnitentiam, gemitum et fletum usque ad mortem : suscipe nos miseros, qui turpiter viximus : suscipe nos, o benigne, qui multum te ad iram provocavimus : suscipe nos, Domine, qui in luxuria et omni iniquitate et immunditia vitam totam transegimus : suscipe, Domine Deus, eos qui præcepta tua transgressi sunt : suscipe nos, Domine, inutiles servos tuos, et ne reddas nobis secundum opera manuum nostrarum. Confitemur, Domine, nos ne vita quidem dignos esse ob peccata nostra : confitemur, Domine, ne dignos quidem esse qui solem respiciamus, quia nullum peccatum est, nullum mali genus, quod non miseri fecerimus. Sed suscipe nos, Domine, ut filium prodigum, ut latronem, ut meretricem et publicanum. Domine, converte nos ; Domine, providentiam nobis largire, et ne irascaris, sed propitius esto peccatis nostris. Tu es Deus noster, et præter te alium non novimus. Domine, erue nos de inimicis nostris, et ne intres in judicium cum servis tuis : Domine, tu es Deus, et nos populus tuus. Peccavimus enim, inique egimus, iniquitatem et malum fecimus, peccavimus in omnibus, et mandatis tuis non obedivimus : ideo longe a te aberravimus. Sed miserere, Domine, opera manuum tuarum : miserere Domine eorum, qui fallacia serpentis ex paradiso ejecti sunt : miserere nostri, et indue nos tunicam lætitiæ, salutare vestimentum : miserere nostri, quos diabolus auxilio tuo nudavit. Misericors, miserere eorum, qui te reliquerunt, et illi servierunt : miserere errantium : miserere eorum qui præcepta tua non observarunt, et dæmonum malignitatibus ministrarunt : miserere eorum qui peccatis contaminati sunt : miserere eorum qui sub diabolo tyrannide fuerunt : miserere eorum qui luxuria sordidati sunt : miserere misericors, miserere benigne, miserere longanimis, quia omne malum, omnem immunditiam, avaritiam, iniquitatem manus nostræ exercuerunt. Polluimus enim animam, quam ad imaginem tuam fecisti, polluimus corpus et sensum. Lingua nostra gladius acutus fuit contra proximum : oculi nostri ignem respiciunt, manus nostræ sanguine plenæ sunt : pedes nostri veloces ad malum inferendum : os nostrum contra fœdatum est, et, ut summatim dicam, contaminavimus terram et aerem. Iniquitates enim nostræ ...

cælum usque accesserunt, rapinæ nostræ plus quam montes exaltatæ sunt, avaritia nostra nubes prætergressa est, nequitiæ nostræ ad cælum pertigerunt, peccata nostra irremissibilia sunt, lapsus nostri consolationem nullam habent, erratum nostrum inconsolabile est, et ecce terra mala nostra ferre non potest. Ideo, Domine, misericordia tua egemus. Agnoscis infirmitatem naturæ nostræ : miserere, Domine, operis manuum tuarum : tuam enim miserationem imploramus, ne tua nos prives ope : nobis indignis misericordiam tuam mitte, patrocinio tuo nos peccatores fove, ostende faciem tuam et salvi erimus. Hæc, fratres mei, dicentes et facientes, fugiamus omnem nequitiam et omnem immunditiam; fugiamus omnem iniquitatem et avaritiam; fugiamus vanam gloriam, ebrietatem, insatiabilitatem; fugiamus crapulam malorum omnium matrem; fugiamus pecuniæ amorem, principium et radicem omnis peccati; fugiamus odium fratrum et inhumanitatem; fugiamus detractionem et convicium; fugiamus fornicationem, adulterium et omnem blasphemiam; fugiamus furtum et rapinam; fugiamus vanam gloriam, personarum acceptionem, contentionem, æmulationem, et reliquam fallaciam hujus inanis vitæ : ne veniens Dominus noster Jesus Christus inveniat nos negligentes, et dissecet nos, ac sententiam contra nos ferat, dicens : *Ligatis manibus et pedibus auferte eos, et injicite in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* 22. 13). O quantum tunc flebimus, fratres, quantum lamentabimur et lugebimus, nosque macerabimus sine ulla utilitate! Væ nobis, si in illa tremenda hora sine pœnitentia reperiamur. Melius nobis fuisset non nasci, quam illo in statu inveniri. Acerbe lugeamus, fratres, ne illic immortali supplicio tradamur : misereamur, ut misericordiam consequamur et veniam : pecunias dispergamus, ne post mortem nostram alii ex nostro labore convivantes, bibentes et delicientes, ita psallant : *Thesaurizat dives, et ignorat cui congregabit ea* (*Psal.* 38. 7); ac rursum, *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum* (*Psal.* 51. 9). Quæ enim utilitas, fratres, ex laboribus nostris, si alii illis fruantur? Præmittamus illuc, ut inveniamus. *Quod enim seminat homo, hoc et metet* (*Gal.* 6. 8). Nemo excusans se dicat, Uxorem habeo et filios, nec possum pecunias dispergere, ne moriens mendicos illos relinquam.

2. Ne, fratres, ne, quæso vos omnes, hæc curemus : est enim Deus in cælo misericors, qui curet et foveat et uxorem et filios quos ille creavit. Nos tantum curemus, nos lugeamus, nos præparemus, nos præmuniamus circa illa tunc judicia et tribunalia. In illa quippe hora nec filii, nec uxor, nec pater, nec mater, neque frater, neque cognatus; imo nec Abraham, vel Noe, vel Daniel, vel Petrus, vel Paulus, poterunt nos redimere ab incomprehensibilibus illis tormentis; sed sola opera nostra. De cælo venit qui judicaturus est vivos et mortuos, venit qui scrutatur corda et renes; venit, et quis effugere poterit manus ejus? venit qui sedet super thronum Cherubinorum, et intuetur abyssos; venit Deus deorum et Dominus dominantium; venit Princeps principum, et Judex judicum; venit Rex regum et Censor censorum: venit qui publicat et redarguit omne pravum et absconditum mysterium; venit qui manifestat et revelat delicta abscondita; venit is qui cogitationes, opera, verba et sensum quemlibet coram omnibus traducit; venit verus et insomnis oculus, judex qui personam non accipit, scrutator qui dona non admittit, qui omnem fœdam actionem et turpem voluptatem comburit et in gehennam mittit; venit qui pacem amat, et omne verbum malum odit, omnem rapinam, omne peccatum, omnesque, qui offendicula parant, æternum excruciat; venit is a cujus conspectu terra fugit, mare siccatur, cælum volvitur ut liber, stellæ cadunt, aer agitatur, sol obscuratur, luna non dabit lucem suam; virtutes cælorum commovebuntur, Cherubini tremunt, Seraphini stupent, angeli exhorrescunt, archangeli contremiscunt, superna et inferna moventur et omnia concutiuntur; venit is qui non accipit personam hominis, qui non miseratur pauperem in judicio; venit qui reddit unicuique secundum opera sua, qui redarguit et confutat omnis spiritus consilia et proposita; venit qui miseratur misericordes, damnat inhumanos, *Terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal.* 65. 5); venit is, cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium et infernorum; venit is cujus thronus flamma ignis, et rotæ ejus ignis accensus; venit, ut justos salvos faciat et glorificet, peccatores vero puniat; venit, ut sitientes beatos, satiatos autem miseros prædicet; venit, ut honoret eos, qui decertant et vigilant in orationibus et psalmodiis, in gratiarum actione, obsecratione, patientia; segnes vero ac negligentes in tormenta suppliciaque mittat; venit ad peccatores quidem tremendus et durus, quos minis adhibitis puniet; ad justos vero mitis, hilaris, mansuetus : et quid ait illis? *Venite, benedicti Patris mei, hereditate accipite paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* 25. 34); non quia divitias multas in terra habuistis, nec quia multos servos et ancillas, nec quia ingenui et nobiles fuistis, nec quia multos agros et vineas possedistis, nec quia horrea et amplas ædes construxistis, nec quia multa juga boum et greges ovium habuistis, nec quia lautam et copiosam mensam, nec quia splendidis vestibus induti fuistis, nec quia unguentis et aromatibus vos unxistis, nec quia ab omnibus honorati fuistis, non quia gloria et magnitudine sublimes fuistis, non quia jejunastis, aut vigilastis, non quia virginitatem servastis vel ærumnas subiistis; sed *Quia esurivi et dedistis mihi manducare, sitivi et dedistis mihi bibere* (*Ibid.* v. 35) : vidistis me hospitem, et me in domos vestras collegistis, magnamque mihi consolationem attulistis; vidistis me nudum, et texistis; infirmum jacentem, et visitastis, magnoque ministerio dignati estis; vidistis me in carcere, et cum magno studio ad me venistis. Respondent justi : Domine, quando te vidimus esurientem, et nutrivimus; sitientem, et potum tibi dedimus; hospitem, et collegimus; nudum, et teximus; infirmum aut in carcere, et ministravimus? Judex autem ait illis : Amen, amen dico vobis, in quantum fecistis uni horum meorum minimorum, pauperum, abjectorum, hospitum, humilium, despectorum, mutilorum, eorum qui in calamitate versabantur, in necessitate, in fame et siti, eorum qui vulnerati sunt, qui affliguntur, infirmantur, mala habent; in quantum feceritis uni ex his omnibus, mihi fecistis; membra mea fovistis, mihi ministrastis, animæ meæ quietem dedistis : ideo *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Venite in primis ii, qui fidem immaculatam et intemeratam servastis; venite qui propter me pauperes fuistis spirituali paupertate; venite qui in desertis, in montibus, in speluncis et in foraminibus terræ cum feris propter nomen meum habitastis; venite qui lugetis et afflicti estis; venite qui propter me esuriistis et sitivistis; venite qui persequutionem passi estis propter justitiam; venite qui probra et odia tulistis propter nomen meum : venite mundi corde, venite misericordes, venite largitores, venite miserantes, venite pupillorum nutritii, venite hospitum exceptores, venite viduarum patroni, venite inopum susceptores, venite infirmorum consolatores, venite qui incarceratos visitastis, venite debitorum sponsores, venite qui animas esurientium et sitientium propter nomen meum implevistis, venite eorum, qui injuste in captivitatem redacti sunt et periclitati sunt, patroni ardentes, venite exulum et acerbe servientium misericordes liberatores, venite qui mitem et quietam vitam propter me duxistis, venite qui in virginitate, exercitatione et honesta vita usque ad mortem decertastis, venite qui in continentia et castitate corpus et animam immaculatam servastis; venite qui in jejuniis, vigiliis, psalmodiis, totam vitam vestram

peregistis; venite qui quotidie in ecclesia diem ac noctem transigitis, venite qui aras meas ornatis et curatis, venite qui terrena despexistis, cælestia apprehendite; venite qui propter me reliquistis patres, matres, filios et filias, domos, agros et cognatos, ac bona cælestis Jerusalem accipite: venite et videte gloriam meam, gaudete et exsultate, quia merces vestra multa est in cælis; venite et videte qualis Domini servi sitis, gaudete et exsultate, quia vestrum est regnum cælorum. Intrate in gaudium Domini vestri, accipite bona illa, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: intrate in penuaria Patris mei, quo angeli respicere concupiscunt: accipite præmia et coronas mercedemque certaminum vestrorum. Portastis pondus et æstum diei; accipite regnum cælorum: tolerastis famem et sitim, humicubationem et cibos aridos; fruimini ergo gloria ineffabili et lætitia inenarrabili, quam vobis amicis præparavi; requiescite demum in atriis paradisi, in mansionibus splendidis, in deliciis et gaudio sine fine, in tabernaculis conspicuis et gloriosis: intrate in loca lucida, et requiescite a laboribus vestris, quos propter me sustinuistis; requiescite cum sanctis angelis meis, cum apostolis, cum prophetis et sanctis qui mihi a sæculo placuerunt; intrate in meum palatium, ubi nec labor nec tristitia nec gemitus, nec fletus, sed æterna vita et immortalis. Talia largior dona iis, qui sermonem meum servarunt; sic ego honoro eos, qui me honorarunt, sic glorifico eos, qui me glorificarunt: hanc requiem do iis, qui membra mea, pauperes et inopes foverunt, sic ego beo eos, qui ecclesias meas curarunt; sic ego reddo largiter et centuplum, vitam æternam. Dedistis mihi fragmentum panis, accipite regnum cæleste: dedistis mihi argentum, accipite paradisum voluptatis: dedistis mihi vestimentum vetus, vos induo luce quæ numquam exuitur: dedistis mihi calicem aquæ, accipite aquam viventem illius requiei: introduxistis me sub tectum, ecce do vobis ut cum angelis sitis; dedistis mihi corruptibilia, accipite incorruptibilia: dedistis mihi temporanea, accipite æterna: mensa vestra me dignati estis, accipite delicias æternas: eruistis me de carcere, me infirmum visitastis, famem et sitim mihi abstulistis, pedes meos lavistis, rigentem calefecistis; ecce vobis largior sinum Abrahæ. Accepi lutum, do margaritas; accepi fœnum, do aurum; vestra enim omnia quæcumque sint, donis meis collata, fœnum sunt et lutum; vestra enim terrena, mea cælestia sunt; vestra omnia marcescunt, mea sunt lux, vita, gaudium, requies. Scio ego quæ mihi feceritis, novi quantum ex ore vestro detraxeritis, ut animam meam impleretis: scio, nec oblitus sum quoties me hospitem exceperitis, et propter hæc omnia, quæ in cælo et quæ in terra sunt bona vobis amicis meis largior in sæculum sæculi.

3. Vidistis, fratres, eleemosynæ lucrum: ejus vim nostis, ejus virtutem didiscitis et utilitatem intellexistis. Deinde dicit Dominus iis, qui a sinistris sunt, immisericordibus illis, qui turpiter vitam egerunt: *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere*, etc., (*Matth.* 25. 42). Quoties veni ad januam vestram quærens præceptum, et me re infecta repulistis? quoties veni in domos vestras, et vidi mensam omnibus bonis refertam, quæ scorta, saltatores et adulatores alebat; et me ne quidem frusto panis dignum judicastis? Num vestra quærebam? Vel ex meis non dedisti mihi manducare. Quoties veni in domos vestras gravi instante hyeme, nudus, sine calceis, ne loqui quidem valens ob vim frigoris; vos autem cum contemptu me foris reliquistis, nec quasi unum ex catellis reputastis? Ideo discedite a me, maledicti, in ignem exteriorem, ubi vermis numquam dormiens et stridor dentium: quia non solum mei miserti non estis, sed etiam eos qui mei misereri vellent cohibuistis dicentes: Pauperes fures sunt, cur eorum misеremini? Canes alitis, equos curatis; jumenta, asinos, porcos, oves: horum, inquam, curam geritis; membra autem mea, pauperes et inopes numquam miserati estis: sic neque vos misericordiam consequemini. Nescitis, o miseri, quemque hominem per pauperes salutem consequi? non legistis me ipsos fratres meos appellavisse? non audistis Scripturam dicentem, *Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo* (*Prov.* 19. 17)? Non didicistis illud, *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam* (*Jacob.* 2. 13)? O quantum clamarunt pauperes, fratres mei, lamentantes, lugentes, flentes! quem clamorem non adhibuerunt, ut cor vestrum durum flecterent, Miseremini, auxiliamini dicentes, date benefici, date misericordes, date, amici Dei, date, o mansueti, et sexcenta alia verba modosque adhibuerunt, quæ potuissent vel lapides emollire, et feras in mansuetudinem vertere: vos autem viscera obdurastis, nec modo non miserti estis nec consolati illos estis, sed etiam persecuti estis a loco in locum; ita ut multi ex fame et frigore interirent. O quot pupillos injuste læsistis! quot viduas oppressistis! quot inopes attrivistis! quot afflictos, nudos et captivos fecistis! quot mercenariorum mercedes retinuistis, quorum causa in æternum cruciabimini! Non didicistis ex quinque virginibus fatuis omnem virtutem sine eleemosyna nihil prodesse? Sive virginitatem dixeris, sive jejunium, sive orationem, sive vigilias, sive aridum cibum, famem, sitim, quidquid sine eleemosyna protuleris, nihil est. Quid demum dicam contra inhumanum vestrum morem? Ideo *Discedite a me maledicti in ignem æternum* (*Matth.* 25. 41). In meum enim palatium immisericors non ingreditur, cælestibus mansionibus inhumanus non dignatur, in paradisum meum improbus, blasphemus et versipellis non intrat: thalamo meo fornicator, adulter et masculorum concubitor non dignabitur: ad mensam meam inhumanus et illiberalis non recumbet: in supernis mansionibus rapax et avarus non ambulabit: ad regiam meam fur et conviciator non accedet: ad supernum altare mendax, maledicus et ebrius non intrabit: in domo mea avarus et raptor non requiescet: sub cælesti velo impurus, lascivus et profanus non transit: in æternam requiem segnis, somniculosus et homicida non transibit: ad cœnam meam iracundus, murmurator, et qui injuriarum recordatur, non accedet: in cubiculum meum nuptiale vaniloquus, fabulator et scurra non habitabit: in æterna tabernacula impudens vel invidus hæreditatem non habebit. Nemo decipiatur, nullus injustus aut ipsi affinis in regnum cælorum admittetur; sed hi soli intrabunt, largitores, pauperes spiritu, qui lugent, mites, qui esuriunt et sitiunt justitiam, qui mundo sunt corde, pacifici: hi intrabunt in regnum cælorum, et gaudebunt et exsultabunt, quia merces eorum multa est in cælis. Vos autem inhumani et immisericordes ite in ignem exteriorem, paratum diabolo et angelis ejus: sicut enim miserti non estis, sic nec misericordiam consequemini. Demum discedite a me operarii iniquitatis, ite in tenebras sempiternas maledicti et perosi, ubi vermis insomnis, et ignis qui non exstinguitur: ubi erit fletus et stridor dentium. *Et ibunt hi in supplicium sempiternum, justi vero in vitam æternam* (*Matth.* 25. 46). Hæc cum didicerimus, fratres, venite et convertamur a via nostra mala: pœnitentiam agamus, ingemiscamus, pectus tundamus, vigilemus qui dormitabamus, expergiscamur, peccata nostra lugeamus: ac si quem calumnia impetivimus, si rapuimus, restituamus, ne condemnemur. Misereamur, ut misericordiam inveniamus: et si quid contra quempiam vel pauperem vel divitem habeamus, omnia toto corde nostro condonemus, ut jussit Christus, ne condemnemur et nos in die judicii, ut et illi immisericordes et hominum osores. Simus alii erga alios humani, placidi, mites, amici, modesti, patientes, opem ferentes, alios tolerantes, aliis condonantes, mutuo emendantes, admonentes, alter alterius onera portantes: ut et memorati supplicii experimentum

giamus, et præsentem vitam cum remissione peccatorum transigentes, æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

DE POENITENTIA, SERMO III.

Describamus, dilecti, pœnitentiæ pharmaca, ut ad salutis portum appellamus. Peccato vulnerati sumus; pœnitentia sanemur: per peccatum nos diabolus vulneravit; per pœnitentiam nos Christus sanavit: ille per peccatum radices posuit; Dominus per securim pœnitentiæ peccatum radicitus abscidit. *Ecce enim*, inquit, *securis ad omnem arborem posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur* (*Matth.* 3, 10). Diabolus peccatum ut zizaniam seminavit; Christus falce pœnitentiæ zizanium sive peccatum abscidit. Malum vitium est peccatum, sed bona res est pœnitentia. Fugiamus ergo illud tremendum, et amplectamur illam desiderabilem. Per peccatum diabolus ad gehennam; per pœnitentiam Christus ad cælum ducit. Peccasti? Quiesce: non enim peccare tam grave est, sed in peccato perseverare malum est: illud enim excusationem habet, hoc vero irremissibile supplicium infert. Quandoquidem Petrus negando peccavit, et Paulus Christum persequens deliquit, Davidque adulterium et cædem exsequutus, dignam morte rem patravit. Verum etsi ut homines peccaverint; at ut sancti pœnitentiam egerunt: etsi incaute in retia peccati inciderunt, sed incredulitatis pernicie ex oculis mentis amota, ad pœnitentiam accurrerunt, ut per illam, remissionem delictorum referrent. Venite ergo, et nos accurramus ad pœnitentiam. Etsi enim nos diabolus peccato oneravit; at exonerat nos Dominus Jesus Christus, qui natus est a sancta Virgine Maria ob pœnitentiam onus peccati in se suscipiens: nam ait, *Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* 1. 29). Diabolus enim peccatum hominibus imposuit; Dominus vero peccatum ex hominibus abstulit: ille dedit peccatum, ut per illud hominem perderet; Dominus abstulit peccatum, ut humanam naturam a delicto liberaret. Ante Christi adventum formidabilis erat diabolus; ante crucem intolerabile erat peccatum: nunc vero crux peccati stimulos confregit. In terra Christus apparens diabolum quasi fulgur compressit: nam *Videbam*, inquit, *Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* 10. 18). Mors Christi mortis regnum destruxit: etenim etsi *Mors regnaverit ab Adamo usque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri* (*Rom.* 5. 14); attamen post mortem Domini vel pueris mors res ludicra facta est. Quapropter post Christi resurrectionem mortis fastui illudentes dicimus, *Ubi est, mors, stimulus tuus? ubi est, inferne, victoria tua* (1. *Cor.* 15. 55)? Ante crucem serpentis consilium mortem insufflavit: post crucem vero, post Christi passiones, ecce senes et mulieres, adolescentes et ephebi, quasi uvarum calcatores, sic et illi calcant supra serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici. Hæc dixi, ut ostendam peccati lapsum, et pœnitentiæ vim. Ne acuas ergo contra te peccati stimulum, ne segnities tua eos peccati efficiatur. Non condemnaris quia peccasti, sed puniris quia post peccatum pœnitentiam non egisti. Sicut enim cum infirmitatem corporis nosset Dominus, medicinæ scientiam hominibus indidit, et effecit ut terra herbas ad medelam aptas emitteret: ita cum animam sciret ad lapsum pronam, et peccati vulnera nosset, quasi animarum pharmacum pœnitentiam dedit, et in divinis spiritualibusque libris pœnitentiæ modos quasi herbas inseruit, ut hinc singuli nostrum medicinæ emplastrum habentes, a morbo effugerent, ipsum sibi per fidem imponentes. Verum ne in verbis solum stet nobis pœnitentia: absurdum enim esset in verbis solum pœnitentiam sistere, nec rebus ipsis Ecclesiam Jesu Christi Domini nostri exædificare. Confitere delicta tua, o homo, declara peccatum tuum, ut peccati veniam accipias. Si confitearis, remissionis peccatorum donum consequeris. Testis accedat David qui dicit: *Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei* (*Psal.* 31. 5). Si nunc delictum tuum declaraveris, veniam invenis; nam præsens tempus clementiæ est: in futuro autem sæculo inutiles fletus emittes, et etiamsi te pœniteat, remissionem non consequeris: nam *In inferno quis confitebitur tibi* (*Psal.* 6. 6)? Etiamsi vero tunc peccatum confitearis, nihil hoc tibi proderit. Nam dives ille cum vidit Lazari egestatem in prosperitatem mutatam fuisse, suamque opulentiam in penuriam ingentem, ingemuit, sed non consequutus est misericordiam; flevit et lamentatus est, sed consolationem non impetravit; quærebat misericordiam, sed non accepit, quia cum ab ipso peteretur, concedere noluit. Hic dives, illic pauper fuit; hic de divitiis admodum inflatus erat, illic in paupertate miserabilia loquebatur; hic visi torrentes et unguentorum fontes habebat, illic stillam aquæ quærens non accipiebat, sed huc illuc se versabat, igne subtili combustus. Accurramus ergo nos ad pœnitentiam: nam tempus est pœnitentiæ: peccati flammam rore pœnitentiæ exstinguamus. Cave ne Dei longanimitati attendens, cor impœnitens serves. Ne ergo animum tuum induret benignitas Dei: nam benignitas Dei ad pœnitentiam te excitat et adducit. Vide ergo ne *Secundum duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizes tibi iram in die iræ revelationis et justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* 2. 5. 6). Peccasti? Pœnitentiam age, ne per segnitiem insanabilem morbum reddas. Tenebræ mutantur adveniente luce; peccatum deletur apparente pœnitentia. Agricola tuus esto; peccatum ut zizanium avelle, ut spinam excerpe iniquitatem, ut oleastri ramum, ut infrugiferam plantam, sic peccatum succide. Gaudent dæmones peccatum videntes, exsultant angeli pœnitentiam conspicientes: lætantur enim angeli Dei, secundum dominicam vocem, super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* 15. 7). Ne te exuas, o homo, ne projicias illam sancti Spiritus armaturam, ut ne captu facilis sis inimicis tuis: pœnitentiæ scutum arripe, et concupiscentiæ tela excute. Dulcis est fornicatio, sed noxia; dura est continentia, sed utilis. Fornicatio cooperantem habet corporis naturam; continentia adjutricem obtinet Spiritus gratiam. Ubi ergo fornicatio est, ibi diabolus habitat; ubi continentia, ibi Dominus noster Jesus Christus requiescit. Ideo beatus Paulus dicit: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*; et rursum, *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit* (1. *Cor.* 3. 17. *et* 6. 15). Peccati igitur impetum per ancoram pœnitentiæ retineamus, ne frequentior concupiscentiarum flatus naufragium pati cogat. Sed nautæ naufragium in aquis patiuntur; peccatores vero in fluvio igneo, qui fluit ante tribunal Christi quasi plumbum demerguntur, non cum curribus et equis, sed cum cogitationibus et sententiis. Revereamur ergo Christi benignitatem ejusque passiones, ne vanas reddamus ejus plagas; ne turpem voluptatem ejus præclaræ voluptati et præcepto anteponamus; ne mala benefico rependamus, ne accipiamus ejus membra, ut faciamus membra meretricis: non sumus quippe heri dominique

nostri : pretio redempti sumus (1. *Cor.* 6. 20). Quis nos vendidit, quis nos emit? Diabolus nos vendidit per peccatum; Christus non emit per justitiam. Quomodo nos emit? an auro argentove? Nequaquam; sed proprio sanguine, qui est super aurum et lapidem pretiosum multum; omnia enim peccata nostra emit : quæ multa certe sunt, et varie diversisque modis saluti nostræ obsistunt. Quæ peccata? Legis : at lex non est peccatum, absit; sed quia sine lege peccatum non nossem. Quia ergo lex me ut transgressorem maledicto obnoxium faciebat; ideo veniens *Christus Jesus redemit me de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* (*Gal.* 3. 13). Ne ergo populare diaboli providentiam præferamus œconomiæ Christi; ne peccati causa prætermittamus pœnitentiæ dec... rem. Si minas times, confuge ad præceptum : si fu turam damnationem vis effugere, *Declina a malo,* ... *fac bonum* (*Psal.* 33. 15); id est, depone peccatum et pœnitentiam operare; ut qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, animæ tu... studium amplexus, remissionem tibi peccatorum lar giatur. Nos autem pro supra dictis laudem et gloria referamus Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc ... semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN ORATIONEM SEQUENTEM.

Hanc Chrysostomi esse non posse, vel primo conspectu quivis emunctæ naris homo statim pronuntiabit, sed alicujus Græculi, qui opusculum suum tanto doctori adscribere ausus est; cujusmodi fuere Græci multi, qui tantam adulteratorum farragin nobis induxerunt. Hanc emendavimus ex Codice R... mano, qui illam breviorem exhibet.

DE ELEEMOSYNA.

Prata variis ornantur floribus, quorum alii ad oculorum, alii ad narium delectationem, alii ad curam hominum exercendam apti, singulique sunt hominibus idonei : sic et Ecclesia divinarum Scripturarum lectionem habet evangelicam, apostolicam et propheticam, cæterosque divinos libros : Singula autem ad Christum referuntur. Verum in vulgaribus pratis exortus sol flores exsiccat, illorumque decorus aspectus aufertur : in hoc autem prato sol justitiæ exoritur, qui alium temperantem reddit, alium justificat, alium miseratur. Exortus porro nobis est hodie per evangelium dicens : *In quantum uni ex his fratribus meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* 25. 40). Rursus pauperum commemoratio, rursus divitum opprobrium. Non dignitati exprobro, absit, sed intemperanti animo; non divitias vitupero, sed eos qui ipsis male utuntur : bonæ namque sunt divitiæ iis, qui illas recte administrant : bona quoque est paupertas iis, qui illam patienter tolerant. Quoniam et Abraham dives erat, et adversus neminem superbiebat; et Lazarus pauper erat, et nunquam id impatienter tulit, etsi in tanta necessitate constitutus. Cur autem duos hic testes attuli? Age, accedat hic beatus Job, qui utriusque experientiam habuit; qui cum dives esset, inquit, *Omni homini aperiebatur domus mea;* qui cum pauper esset, ait, *Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est* (*Job.* 31. 32. *et* 1. 21). Quantum impugnavit illum diabolus, nec justum decussit? Pharetram telis evacuavit, et militem non vulneravit; machinas admovit, et turrim non concussit; arborem excussit, et fructum non decerpsit; ramos fregit, et radicem non avulsit; murum perforavit, et thesaurum non diripuit. Thesaurum dico, non auri et argenti, sed inconcussam ejus fidem : hunc enim ejus thesaurum volebat diabolus diripere. Vidisti fructum multiplicatum? vidisti fidem firmam quasi petram? vidisti turrim inconcussam? vidisti militem in acie stantem? diabolum eliminatum? vidisti Deum præmia largientem? vidisti diabolum pudore suffusum? Quo nomine justum illum vocem ignoro. Athletam appellabo? Sed multa ille subiit certamina. Militemne dicam? Sed corde firmior et validior est quam miles. Turrimne dicam? Sed sensu sublimior est. Petram? Sed firmior est petra. Arborem? Sed speciosior est. Thesaurum? Sed opulentior est. Quo nomine justum illum appellem nescio. Audiant divites, audiant pauperes, quomodo dives hic rebus prosperis divitias suas dispensaverit, et quantam in paupertate tentationem sustinuerit; neque spes, quam in Deum ...bebat, dejecta fuit. Viden' quam bonæ sint d... recte dispensantibus, et quam bona paupertas pa... tolerantibus? Ne mihi dicas, Paupertatem tim... Paupertatem times, et Deum non times? in... times, et peccatum non times? Ne timeas paupertatem, sed prævaricationem matrem supplicii. Si r... gem amicum habeas, te ditabit : et si Christum ... pauperes diligas, te ille ditabit. Ipse divites et pauperes facit, humiliat et exaltat : suscitat de te... inopem, et de stercore erigit pauperem. D... petit præceptum, et tu non das? Cum enim ... eum dicentem, *In quantum uni ex his minimis ... fecistis, mihi fecistis,* vides te, si pauperi de... Deo dare. Si non dederis ei, quomodo ab illo pe... in die illa, ut tui misereatur? annon te sic acc... bit : Esurientem me vidisti, et non pavisti : si... tem, et non potum dedisti; nudum, et non ind... Quid ergo respondebis illi? quam veniam conseq... ris? Tu sericis, leporinis et caprinis vestibus ind... es; et pauper pannum non habet : tu phasian... linas et anseres similiaque comedis; et pauper ... potest pane et oleribus ventrem suum implere ... parietes habes auratos, marmora Laconica ... columnas et capitella columnarum aurea; et p... non habet tugurium. Interdum vero domum ex ... habes, et postea moreris, ac nihil habens de... manetque domus tua perpetua accusatrix, qu... tua redarguat. Quisque enim transiens dictur... Hæc domus illius est raptoris, avari : quot ... oppressit? quot pupillos læsit? quot bona ... quot pauperes spoliavit? Ne mihi dicas, Pr... sum : dignitatem nec novi, nec incuso; sed ... improbos, qui bonis male utuntur. Bonum est ... divitem : quæ Deus fecit, omnia valde bona ... Vides pauperem, et superbis, nec cogitas ... pauperem hominem esse; hominem, animal ... Deus admodum curat; hominem, propter que... lum extensum fuit; hominem, propter quem sol ... sus suos perficit; hominem, propter quem lu... casum nescit; hominem, propter quem ste... splendorem suum, propter quem mare effusum ... terra fundata est super aquas; propter quem m... saltus, colles; propter quem nemora, sylvæ, ... valles, planities; propter quem fontes, fluvii, ... propter quem terra germinavit herbam fœni, ... emittunt animas viventes; propter quem j...

quadrupedes, reptilia, aves; propter quem tempora, anni, menses, dies, horæ et noctes; propter quem angeli, archangeli, principatus, potestates, throni, dominationes, Cherubim et Seraphim. Quid plura dicam? Propter quem Dominus sanguinem suum fudit. Homo pretioso sanguine redemptus est, et illum despicis? nonne homo est ut tu, licet pauper sit? ideone in illum superbis? nonne pauperes elegit Deus? num divites elegit? Petrus apostolorum coryphæus, fundamentum Ecclesiæ, qui vere et re et nomine Petrus, nonne pauper erat? nonne miserabilis et abjectus? nonne vilis et despectus? nonne piscator erat? Similiter Jacobus et Joannes, nonne pauperes erant et piscatores? *Et præteriens* Jesus vidit eos et patrem eorum Zebedæum *reficientes retia sua dirupta* (*Marc.* 1. 19). O paupertatem summam! usque adeo pauperes erant, ut non possent retia emere ad piscationem, sed vetera reficiebant; et arte artem fulciebant, sutoria piscatoriam. Similiterque Matthæus nonne publicanus erat? *Et pertransiens Jesus vidit illum sedentem in telonio, et dicit illi: Surge, et sequere me. Et surgens sequutus est eum* (*Matth.* 9. 9). Non cogitavit se regium officium habere, sed secum reputavit, se a Rege regum vocari: et qui olim aliena rapiebat, nunc se a rebus suis removit; olim lupus, nunc ovis. Abjecit Petrus retia, et accepit claves cælorum: dimisit Matthæus telonium, et accepit evangelium. Similiter et Paulus, nonne artifex erat? nonne cultrum sutorium tenebat, ac pelles secabat? nonne accepit epistolas a principibus synagogæ, ut veniens sanctos captivos duceret? Et apparuit illi Jesus in via, *Et lux circumfulsit eum*, et ait, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ille vero conversus dixit: *Quis es, Domine? Et dixit: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris* (*Act.* 9. 4. 5). Et lapsus in faciem, excæcatus est. Cur addidit, *Nazarenus?* Ne putaret alium esse Jesum illum, et alium qui se de cælo vocaret. Dicebant enim Judæi Jesum non assumptum fuisse, sed discipulos ejus furatos illum esse. Ideo dixit, *Jesus Nazarenus*, ut sciret hunc ipsum et tunc et nunc esse. Ingressus est ergo Paulus manu ductus Damascum, et abiit ad Ananiam, qui imposuit manus in oculos Pauli, et sanavit eum. Longa est historia, sed paucis volo eam vobis enarrare. Recepto visu ille statim docebat in nomine Jesu. Audientes autem Judæi Paulum docere in nomine Domini nostri Jesu Christi, quærebant eum comprehendere. Id videntes Pauli discipuli, injecerunt illum in sportam, et demiserunt eum per murum, et sic effugit et abiit Jerosolymam. O beatam illam sportam, quæ tale obsonium orbi misit! Similiter et beatus Joannes, nonne desertum incoluit, et postea cæli civis effectus est? nonne locustas et mel sylvestre comedit? annon omnes prophetæ et apostoli pauperes erant? et per hos pauperes hominibus salutem paravit? Quot reges, quot tyranni, quot consules, quot principes, quot præfecti a sæculo mortui, jam omnes oblivioni traditi sunt? et hi miseri, abjecti, viles, despicabiles, non in oblivionem venerunt. Sed hic rex, purpura indutus, diademate redimitus et gloria, galeam auream gestans, militibus stipatus, migrat in sepulcrum piscatoris, pauperis, miseri, despecti, ipsum amplectitur, flet et precatur eum, qui ipsi gloriam indidit. Quis regi suadet ut talia faciat? quis? Ego dicam. Attendite mihi, quæso, dictis animum adhibete. Qui dixit illis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et ego vobiscum sum omnibus diebus vitæ vestræ usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* 28. 19. 20). Hic est, qui ipsis talem artem indidit. Viden' quantum valeant pauperes? Neque solum hoc, sed etiam dæmoniaci ad eorum sepulcra abeunt, et curantur. Viden' mortuos esse vivis potentiores? Ne ultra pauperes rejicias. Intrat pauper in atrium tuum quærens eleemosynam, et duas insumit horas nihil accipiens, et interdum servo mandas ut foras illum ejiciat. Nescis, si illum [illegible] namque [illegible] nis, nisi [illegible] inferas. Cur [illegible] pauperi [illegible] Hæc dico [illegible] *cere nos pigrum* [illegible] Non cessabo [illegible] scriptum est enim [illegible] *dientium* (*Eccli.* [illegible]) [illegible] Vides pauperem [illegible] gis in ecclesiam, et [illegible] aperis, et Deum invocas [illegible] non exhorrescis? [illegible] dum? Da eleemosynam, [illegible] mosyna et precatio tua. [illegible] nem emittunt ad terrenum regem [illegible] impendunt, et plerumque [illegible] illud ceu schedulam retinent [illegible] adscribi supplicationi tuæ? [illegible] bit, et sæpe contraria subscrip[illegible] si subscribat, res firma et stabilis [illegible] plicationem duobus subscriptam [illegible] lavacra sunt ante portas ecclesiæ: alterum aquæ quo manus lavas; alterum manus pauperis, quo animam tuam abstergis. Intra in ecclesiam, et [illegible] manus tuas: depone obolum in manum pauperis, et ablue animam tuam. Sin ingressus te laveris et [illegible] veris, nihilque pauperi dederis, quæ tibi hinc utilitas? Divitiæ sunt tibi, et illas in terra occultas, [illegible] sæpe fures noctu veniunt et effodiunt et furantur thesaurum tuum: et exsurgens mane vides abreptum illum. Vis non abripi? Id fac, quod tibi dico, et numquam tibi abripietur in æternum. Thesaurum habes? Depone illum in ventrem pauperum, et esto securus: numquam enim potest abripi. Si effodias in terram, perdes illum: quod si non perdideris, sed servetur, post mortem tuam alii de bonis tuis divites erunt. Quæ tibi hinc utilitas, quod labores et defatigeris, ut alii bona tua invadant, a quibus mercedem non recipies, dum ipsi iis deliciis gaudebunt. Non audisti prophetam dicentem, *Thesaurizat dives, et ignorat cui congregabit ea* (*Psal.* 38. 7)? Idem rursus alibi dicit: *Insipiens et stultus peribunt, et relinquent alienis divitias suas*; et, *Ne timueris cum dives factus fuerit homo, vel cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus* (*Psal.* 48. 11. et 17. 18). Et in Evangeliis Dominus insipienti diviti dicit: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam; quæ vero parasti, cujus erunt* (*Luc.* 12. 20)? Vides quanta patiantur ii, qui thesauros sibi colligunt in terra. *Sed thesaurizate in cælo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur* (*Matth.* 6. 20), et thesaurus manet tuus. O miser et infelix! tu terræ fidem habes, et Deo non credis dicenti: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Nescis quosdam agricolas esse pauperes, miserabiles, qui quotidianum panem ex propriis laboribus parant, et sationis tempore non habent unde serant: tunc accepta sua vel uxoris tunica, imo sæpe ipso instrumento quo ad agriculturam utuntur, illa dant in pignus pro uno modio vel duobus vel tribus, vel quot potest ejus arvum capere: acceptumque pro pignore granum spargit in terram, et terræ committit, exspectatque tempus, donec fructus ex terra emerget? Ille pignore acceptum terræ concredidit, tu autem Deo non credis? ille conservo suo credidit, et tu Domino non credis? Quam, quæso, veniam impetrabis? Hæc dico, non ut vos de tanta inhumanitate damnem, absit; sed ut vos concitem et paratos reddam ad eleemosynam serendam. Aurum amas sanguinarium, ab omnibus optatum, omnibus inimicum, ab omnibus dilectum, omnibus insidians, fugitivum, ingratum. An nescitis, quod sit ejus contubernium? Ut meretrix infida hunc alloquitur, illi annuit; alium admittit hodie, cras ad alium transibit; hodie princeps es, cras subditus; hodie dives,

cras pauper; hodie jus dicis, cras condemnaberis. Vides vitæ mutationem, quomodo sicut umbra prætercurrat, et fumo subtilior dissolvatur? annon ut aranea dissipatur? Non finem faciam vos monendi: sive agatis, sive non agatis, ego tamen dicam, neque cessabo: scriptum est enim, *Beatus qui loquitur ad aures audientium: inobedientia mortem operatur.* Imitamini saltem viduam illam inopem, quæ duos obolos injecit: quomodo ex præclaro proposito justificata fuit. Non duos habes obolos? Unum dato. Nec unum habes? Da panem. Si neque panem habeas, saltem ingemisce, cum vides pauperem, et oratio tua accepta erit. Nam qui novit occulta cujusque mentis, qui omnia scit antequam fiant, bene novit te, si habuisses, daturum fuisse. Propositum animi vult; cor scrutatur et novit: homo enim in faciem, Deus autem in cor respicit. Rogo igitur, servate præceptum, quod vobis trado: *In hoc enim discipuli mei eritis, si diligatis invicem.* Hæc ipsius Domini vox est, quam dixit discipulis; et rursus, *Diliges Dominum Deum tuum ex totis viribus tuis, et proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex et prophetæ* (*Marc.* 12. 30. 31; *Matth.* 22. 37. 39. 40). Rogo igitur, ut sitis mutuo humani, hospitales, pauperum amantes: præcipue vero Dei dilectionem perpetuo habeamus, ut possimus digni haberi æternæ vitæ: quam utinam nos omnes assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium cum Patre et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SEPTEM SERMONES DE JEJUNIO.

Non est quod lectorem moneamus, hosce de Jejunio sermones brevissimos non esse Chrysostomi, sed cujusdam imperiti Græculi et plerumque nugacis, qui hæc ab se consarcinata Chrysostomo adscripsit. Hæc Latine convertimus, nec sine fastidio et labore; nam scriptor hic res interdum sic enuntiat, vix ut intelligatur, quod est in oratione vitium vel maximum, inquit Tullius.

IN PRÆDICATIONEM JEJUNII. SERMO I.

Ad medelam hodie Deus genus nostrum advocat. Per prophetam enim jejunium medicinam esse definivit: *Sanctificate jejunium*, inquit, *prædicate medelam* (*Joel*, 1. 14). Quia enim vidit Deus Adamum multis vulneribus confectum ex paradiso ejectum fuisse; huic medelam jejunium assignavit, et quidem recte. Quid enim non sanat jejunium? quod animæ vitium non delet? Intemperantiæ satietate eliminata, cor renovat; vitæ humore evacuato, iræ ardorem comprimit, invidiæ duritiem emollit, concupiscentiarum tumoribus medetur, voluptatum febrem fugat, vanæ gloriæ fastum pellit, sollicitudinis vigilias ejicit, oculorum lippitudines purgat, corporis et animæ sensus emundat: artifex enim illa desuper medendi vim accepit a Creatore. Qui ergo sanitatem amat, jejunio sese prompte dedat: non enim exigit adhibitæ medicinæ pretium; imo etiam mercedem addit. Quam mercedem? hoc enim operæ pretium fuerit ediscere. Dat mercedem, non obolos, sed temperatas cogitationes; non aurum, sed bonos mores; non argentum, sed membrorum puritatem; non lapides pretiosos, sed pios cogitatus; non splendidas vestes, sed integros carnis sensus. Dat meretricibus mercedem, castitatem, ebriosis abstinentiam, avaris liberalitatem, auri amatoribus amorem pauperum, fratrum osoribus fratrum dilectionem et hospitalitatem, pusillanimis longanimitatem: quodque majus est, dum vivificat, Deo conjungit. Non possunt enim, non possunt cum Deo versari, qui non prius jejunii medelam adhibuerint. Ita enim a sæculo alii inimici, alii amici Dei comprobati sunt, intemperantia vel temperantia utrumlibet efficiente. Adam comedendo a Deo fugit ut inimicus: Cain, qui primos fructus Deo non dederat, ingemiscebat et tremebat ut Dei inimicus: deliciis se dedentes Noæ coætanei, Judicem contra se excitarunt: voluptatibus incumbentes Sodomitæ, ut inimici Dei superna excepere tonitrua: comestio impedivit Esaü, quominus dilectus et primogenitus vocaretur: cibus et potus Israelem constituit inimicum ejus, qui ipsum cum signis et prodigiis duxerat: per vinum et siceram propheta populum accusavit: vinum et ebrietas Herodem Joannis et Christi amicitia privavit. Nostin' eos, qui per intemperantiam inimici Dei facti sunt? Disce eos, qui per jejunium in Dei amicitiam sunt admissi. Non enim quod gustasset Abel, sed quod Deo obtulisset, se Dei amantem ostendit: Moyses quia jejunaverat, amicus celebris et fidelis vocatus est: postquam jejunasset Elias, quasi amicus assumptus est: cum jejunassent prophetæ, ut amici Dei mysteria noverunt: postquam jejunaverat Isaias, Seraphinos sex alarum vidit et descripsit: jejunus Ezechiel certis oculis instructos Cherubinos mente percepit: eos in Babylone qui jejunaverant visitavit Deus, mittens angelum iis, qui in fornace erant, et prophetam Habacuc ei, qui inerat in lacu: ex inimicis Ninivitæ per jejunium amici facti sunt: similiterque David ex inimico amicus est effectus. Nam cum Uriæ uxorem amavit, inimicus erat Deo; cum autem in jejunio humiliavit animam suam, audivit illud: *Inveni David filium Jessæ, virum secundum cor meum* (Act. 13. 22). Joannes filius Zachariæ sponsi amicus fuit. Quare? Quia in deserto manebat locustas colligens, et mel silvestre. Anna cur Deo accepta? Quia jejuniis et orationibus incumbens, nocte et die ministrabat Deo. Petrus et Joannes amici quare? Quia jejuni ascenderunt in templum ad horam orationis nonam. Paulus amicus erat quare? Quia carnem castigans in servitutem redigebat. Amicus Timotheus cur? Quia per potum aquæ voluptatum exstinxit rogum. Amicus Cornelius quare? Quia jejunus per ministerium Petri salutem accepit. Amici erant Christi martyres quare? Quia carnem et temporaneam vitam contempserunt. Vides quomodo non solum ad medelam obtinendam, sed et ad divinam amicitiam Deus per jejunium genus nostrum advocet, curans ut Adam sanctus et sanus efficiatur, continens, amicus, temperans, mansuetus, modestus et congener? Quid enim est amicus esse Dei, quam ejus congener effici? Esto igitur per jejunium amicus Dei, esto per jejunium Dei congener. Ne maneas intemperans, ne maneas inimicus, ne maneas infirmus, ne maneas vulneratus, ne maneas paralyticus. Ecce enim jam tibi hodie adstat Christus in hac pulchra ecclesia, nova Jerusalem: ecce adest quadragesima, spiritualem tibi piscinam ostendens, non quæ per annuum circulum infirmum unum sanet, sed totum populum: ecce Jerusalem, ecce Christus, ecce quadragesima, piscina spiritualis. Ingredere gaudens,

ut ejus fluentis lætus fruaris; lava carnem, cor ablue, animam absterge, mentem exterius et interius a peccati sorde purga. Ablue Adamum, cum audieris Christum dicentem, *Surge, tolle grabatum tuum, et ambula* (*Marc.* 2. 9). *Num qui cadit, non resurget* (*Jer.* 8. 4)? Sta, pedes habens evangelicos, cogitationes Deo amicas, manus liberales, genua non flexa, femora voluptatis expertia, renes concupiscentiis liberos, lumbos et ventrem tutos, meditationem legis Dei, pectus et cor purum, collum et mores obsequentes, animam et mentem piam, os modestum, pupillam non declinantem, auditum recte compositum, labia quæ Christo amica verba proferant. Talis esto, ut quadragesimæ quasi piscinæ spiritualis experientiam sumas: hac enim te vult Jesus iniquitates tuas plurimum abluere: hac te a peccato purgari optat qui tollit peccatum mundi, hac te medicina sanari, hac renovari et purificari, hac rursum in mensuram ætatis adduci: et ut tibi quidpiam arcanum dicam (sed ne hoc ob Judicis liberalitatem et bonitatem in dormitatione detineat): dicamne quidpiam arcanum? Per jejunium te vult Christus semel renatum aqua et Spiritu divino et igni ad priscam nobilitatem reducere. Ecce tibi medici et judicis mysterium revelavi. Ideo te rogo et obsecro, ne, ut promptum habens remedium, sæpe labi pergas; ne, ut paratam habens pœnitentiam mediatricem, perseveres illa agere quæ Deo non placent, in mundo volutatus, ac Dei amicitiam in aliud tempus remittens; ne differas, ut præsto habens purgationem. Incertum enim est futurum, incertus dies crastinus, incertus hodiernus, incertum præsens tempus; viatores sumus in mundo; non domini, sed peregrini et advenæ vocamur. Advocare judicem non possumus, cum adstamus et rationes expetuntur; nec tempus nec momentum impetrare valemus. Ne igitur, ut divitem illum opulentum, nos inveniant ii, qui animam a nobis repetent, in nocte intemperantiæ, in nequitiæ caligine, in tenebris avaritiæ; sed in die jejunii, in die honestatis, in die amoris fraterni, in luce pietatis, in matutino fidei, eleemosynæ et precationis, ut nos diei filios invenientes, Soli justitiæ offerant, non post ex ædificata horrea malitiæ, sed postquam illa evacuaverimus, nosque per pœnitentiam et jejunium renovaverimus, gratia Christi, cui gloria et imperium in sæcula. Amen.

DE JEJUNIO. SERMO II.

Rursus nos sacrum jejunium ad bonorum fructum vocat, rursus certatores apparat, rursus nos strenuos vult esse, ut vitiorum victores declaret, et pulchritudinem animæ splendidiorem ostendat, ac per labores coronas nostris nectat capitibus. Quid enim est jejunium, quam corona certaminum præmiorum causa et salutis via? Jejunium enim a servitute in libertatem transfert, a captivitate in patriam reducit: jejunium vulnera animæ sanat: jejunium corruptam peccatis animam renovat, roborat animam, sensum virilem reddit, Dei timorem inducit, vitia destruit, cogitationes sedat. In diebus jejunii voluptates exstinguuntur, virtutes florent, et temperantiæ pulchritudo purior apparet, ac corpus in animam mutat, quod præter naturam spirituale efficitur. Gaude in jejunio, nec mœstus sis ut sunt hypocritæ, qui exterminant facies suas ad spectaculum humanum, per duntque jejunii mercedem. Servatoris hic sermo est: In jejunio unge caput tuum, faciem tuam lava bonis operibus, virtutibus resplende, ut jejunans appareas tantum mihi, qui occulta video (*Matth.* 6. 17 et 18). Ne ægre feras, dilecte, jejunium et abstinentiam matrem virtutum, bonorum radicem, continentiæ fontem, pietatis custodem, sanctorum collactaneam, angelorum contubernalem, diaboli inimicam, Spiritus amicam, per quam voluptates nos fugiunt, dæmones recedunt, ira sedatur, concupiscentia exstinguitur, virtutes vivunt et in nobis splendent; per quam passiones quiescunt, et voluptatem tumultus comprimitur, mensque quasi in tranquillo navigat, tempestatis nequitiæ fluctus per hanc temperantiam pulchre trajiciens, et ad portum virtutis naviculam ducens. Habes deinceps lucrum quod diripi nequeat, sarcinam naufragio superiorem, cum in præceptis Spiritus negotiaberis, cum cogitationem timore Dei firmans, præsentia depuleris, audiens divinam Scripturam dicentem: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Ne diligamus hujus mundi delicias, quæ sicut onus grave animæ scapham demergunt. An nescis ciborum voluptatem in gutture stare, neque ultra guttur procedere; supplicium autem illa partum, in perpetuum torquere? Illa voluptas eos, qui non jejunant, obtenebrat, animæ pulchritudinem obscurat, spirantem mortuum reddit, inducit ad ea facienda, quæ non licet, organa voluptatis excitat, bellum auget, concupiscentias suscitat. Ad virtutem demum ineptus es: solutis enim membris et mente vino subducta, non potes ultra resistere, et superatu facilis es hostibus; sicut navis a vento agitata, non habens gubernatorem qui possit fluctuum impetui obsistere, quæ huc illuc pellitur, et nihil ipsi exspectandum superest, nisi naufragium. Ne igitur, quæso, ne post jejunium gulæ deliciis operam demus, neque multos labores incuria exstinguamus; sed labores laboribus addentes, sic præmium exspectemus. Cum enim quis mercedem mercedi adjicit, multum habet depositum lucrum. Ne exstinguamus jejunii florem, neque ciborum deliciis mentem in naufragium pelli sinamus, ne incurabilibus malis animam reservemus. Si post jejunium corpus infirmum vis curare, moderatione cura, ut quasi oneraria levem ferens sarcinam, sic anima sit fluctibus nequitiæ superior. Si concupiscentiæ tentationes excitentur, vigilare poterit ad resistendum, ad cogitationes gubernandas, ut scapham sine naufragio servemus. Habemus enim sororem jejunii auxiliatricem, precationem dico: etsi mors sit, etsi tentatio, vel malum aliud quidpiam, oratione et jejunio solvitur. Et quid dico? Jejunium dæmonas fugat, diaboli tyrannidem solvit, maxime si precationem habeat adjutricem: jejunium et oratio Eliam in cælos induxerunt, Ninivitas ex morte eruerunt: jejunium Danielem a leonibus illæsum custodivit, jejunium tres pueros in medio fornacis intactos servavit, jejunium Moysen invisibilis gloriæ dignum reddidit, jejunium Elisæum principem prophetarum constituit. Et quid ultra dicam? Nisi jejunium esset pharmacum salutis, non a principio Deus ipsum præcepisset. Si enim jejunasset Adam, mors non ipsum adiisset, non excidisset ille a dignitate sibi a Deo data, nec ejectus fuisset a paradiso voluptatis, neque ad hanc laboriosam vitam damnatus fuisset: verum quia ventris legi paruit, ideo ad mortem pervenit. Jejunium est angelorum victus; quodque majus est, Servator jejunavit, non quod ipse egeret jejunii pharmaco, sed ut nobis exempla jejunii insereret ad salutem. Accipe igitur jejunium per totam vitam socium, ut te custodiat, teque a morte eruat, teque in tentationibus servet, et inducat te in portum regni cælorum, gratia Domini et Dei nostri Jesu Christi, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

DE JEJUNIO. SERMO III.

Nuper ex auditis didicistis, fratres, quam sit sublime et nobile jejunii prooemium. Jejuni namque mundi elementis ceu obsoniis excepti convivio fuimus; nec parvo, imo vehementi conatu Deum mentis oculo contemplati sumus, cælum extendentem, firmamentum ornantem, mare frenantem, ex terra alimenta parantem. Et mihi rem miram considera: mulieres pariunt infantes, et tunc escam proferunt; ita ut nisi infans prodiisset, sine lacte mamma fuisset: terra vero, priusquam Adam esset, cibum protulit, et ante partum mensa puero parata erat, ante partum primo parenti mensa prostabat: dixit enim Deus, *Germinet herbam*; et tum hominem formavit de limo (*Gen.* 1. 11. *et* 2. 7); nec sine causa, sed ut ex terra productus, et in terra ambulans, hanc matrem appellans, hanc respiciens, non altum saperet, sed Abrahamicam illam Deo proferret vocem: *Ego autem sum terra et cinis* (*Ibid.* 18. 27). Hanc enim confessionem Deo supplicans protulit hospitalis ille: hanc quoque nos proferre optimum fuerit. Hæc quippe vox est naturæ frenum tutissimum: hæc non permittit ut inordinate incedat si quis terram amet, cum sit ipse terra. Nam si terram amat, corpus suum in possessionem habeat, frugiferum ipsum exhibeat, virtutes in proventum reddat Agricolæ orbis; *Pater meus agricola est* (*Joan.* 15. 1), inquit. Quandonam enim aurum concupiscet, qui novit se terram esse? quando vestem splendidam amabit, qui se pulverem vocat? quando in dignitatis amorem studio feretur, qui se terram esse confitetur? Quod is qui hanc vocem meditatur, non dicturus sit proximo malum, linguam aut dexteram contra vicinum non moturus sit, nemini non notum est. Sic sapiens et divina erat hospitalis viri vox: nam dicit, *Ego sum*; non ait: Figmentum tuum, quod tamen verum erat: non, Imago tua, quod tamen certum; non, Insufflatio divina, quod accurate dictum; non, Rationabilis statua, quod tuto dici possit: sed his omnibus missis et silentio traditis, pie se coram Judice terram et cinerem vocat. Hanc vocem quis secum reputans, modestiam exerceat, humilitatem sectetur, proximo primas concedat, in dignitate ne altum sapiat, in potentia ne inflammetur, in balteo ne supercilia attollat, in divitiis ne speret, in bona valetudine ne calcitret, in eloquentia ne arrogans sit. Nam qui hodie in honore est, cras in terra erit; qui hodie in gloria, cras in loculo; qui hodie in solio, cras in luctu; qui hodie in fastu, cras in sepulcro; qui hodie in tribunali, cras in monumento; qui hodie dux est, cras cinis erit; qui hodie conspicuus, cras lutum; hodie insignis, cras exsecrationi habitus; hodie illustris, cras dejectus; hodie terrorem incutiens, cras pannis sepulcralibus et ligaminibus involutus: hodie eloquens, cras sine loquela; hodie adulatoribus stipatus, cras a vermibus corrosus; hodie formosus, cras deformis; hodie onerosus, cras horridus. Pulchre dixit Sapiens, *Quid superbit terra et cinis* (*Eccli.* 10. 9)? Hæc cum sciret Anna Samuelis prophetæ mater, precans dicebat filium Deo offerens: *Ne glorietur fortis in fortitudine sua, et ne glorietur dives in divitiis suis* (1. *Reg.* 2. 10. *in Græco*); sed in hoc glorietur is qui gloriatur, in cognitione Domini. *Ne glorietur*, inquit, *sapiens*: nam pulvis effectus, insipiens est qui sapiens erat. *Ne glorietur fortis*: nam cum in sepulcro lutum appareat, quemadmodum fœnum, corporis florem amittit. *Ne glorietur dives*: nam advena et peregrinus divitiis est, ut psallit David. Cum autem dicit, sapiens, fortis, dives, omnium supercilia deprimit eorum, qui in præsentis fluctus incertum statum spem reponunt. Etenim præsentia fluctus vere sunt et mare, ac cujusque finis incertus est, ut experientia docet: fluctus sunt præsentia et mare, frequentesque procellas et tempestates animæ quotidie excitant. Hunc enim ex honore, illum ex balteo inflat; hunc ex potentia opprimit, alium ex divitiis vel ex forma in præcipitium agit: omnes vero, ut ita dicam, ex spiritus concupiscentiis in vitiorum profundum demersit. Sed tu, fidelis, secundum apostolum, homo Dei, fuge concupiscentiæ fluctus, declina a vitæ tempestatibus: superior autem vitiis, ut procellis, effectus, navi trajice vitæ mare, salutari ligno committens animæ scapham. Malus tibi crux sit, ancora fides, rudens spes, remus oratio, gubernacula rectæ cogitationes, velum Christus, secundus ventus Spiritus sanctus, gubernator universorum Pater. Si ita naviges, non est tibi incertus vitæ terminus: sic enim navigans Noe sine damno universale pelagus illud trajecit: sic navigans Abraham primas Loto cessit, et se terram appellavit; et hujus rei gratia Isaac quæ optabat consequutus est: sic navigans Jacob, simplex mansit, nec exagitatus, panem solum et vestem, non divitias a Deo petens: nam qui divites esse student, incidunt in tentationem. Sic navigans Joseph, insidiarum et voluptatis procellam effugit: sic navigantes Moyses, Josue et reliquus prophetarum et justorum chorus, quasi in portum fluctibus vacuum, in Domini dexteram, ceu scapha, se receperunt. *Justorum* enim *animæ*, inquit, *in manu Dei sunt*: quæ postquam recte navigaverint, portum habent divinam dexteram: qui conversantur cum Deo, et se terram et cinerem vocant. Sed, o stuporem, o mentis excessum! cum Deo Abraham conversabatur, pater gentium constitutus erat, promissionis hæres erat advena, primogenitum suum tamquam ovem offerebat, et se terram et cinerem vocabat: qui vero nunc brevissimi terræ spatii non domini sunt, sed dispensatores, temporanea et diurna dignitate ornati (vera enim dignitas est pietas), balteo ad tempus accincti, temporaneam potestatem habentes; qui cum rege vel cum principe, non cum Deo conversati sunt, cum ex rapina dona ecclesiæ obtulerunt, vel tantillum pecuniæ pauperibus largiti sunt, statim supercilia attollunt, et quasi nos de cælo respicerent, nos alloquuntur, qui vere sunt pulvis et cinis; imo potius terra infrugifera. Spinarum enim locus, fratres, est avari animus, infructuosus ager est pecuniæ amantis animula, infructuosa possessio alieni boni usus fructus, deserta agricultura fornicatoris corpus; præcipitiis plenus locus est superborum cogitatio; accusatorum verba sunt negotiatio sine lucro; vanum negotium est, diabolique consors, proximi sui insidiator. Hæc cum in ecclesia didicerimus, odio habeamus raptores, virtutes exerceamus, nequitiam fugiamus, caritatem sectemur, declinemus a voluptate, castitatem amplectemur, aversemur dolum, simplicitatem mutuo foveamus: nam ait ille, *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar* (*Psal.* 100. 5). Nos ipsos terram frugiferam exhibeamus, justitiæ plantam emittentes, humanitatis, continentiæ et æquitatis fructum proferentes, confessionis maturam uvam offerentes Deo. *Cum enim*, inquit, *hæc omnia feceritis*, dicite, *Servi inutiles sumus* (*Luc.* 17. 10). Hæc vox Christi Domini est: ipsi gloria et imperium cum Patre et Spiritu sancto in sæcula. Amen.

DE JEJUNIO. SERMO IV.

Fontes hausti puriorem aquam emittunt, atque omnium usum sitimque explentes ex scaturigine semper fluunt. Possunt ergo singuli pro necessitate sitim sedare, dives, pauper, sapiens, idiota: omn

busque fontes potum affatim subministrantes, inexhaustum habent thesaurum. Sicut ergo fons unus multis potum præbet : sic una Scriptura multorum mentes illustrat. Venite igitur et vos, dilecti, ad prius memoratum fontem pergamus, et doctrinæ de jejuniis consortes simus. Nam ut id diviti satis fuit : sic et nobis utpote pauperibus non deficiet. Jejunans Elias auriga ille, melote et virga fluvium secuit; idemque jejunans cælos clausit : verbo namque nubes imbrium clausit. Cum jejunasset, etiam igneos equos frenavit, curruque flammeo in cælum vectus est : cum jejunasset Moyses Dei servus, horrendum pelagus discidit, et piscosum mare in aridam mutavit, assumptosque Hebræos servavit, atque Ægyptios in mare demersit. Jejunium Moysis virgam sanctam in dextera ejus posuit, ac per eam ille petram percutiens, aquam potabilem subministravit. Jejunium Danieli sapientiam indens, somniorum interpretem arcanorum exhibuit illum. Idem ipse jejunans in lacu feras frenavit : leonum pastor effectus, ipsos in cælum respicere docuit. Jejunium trium puerorum corpora incorrupta servavit, voracemque Babylonicæ fornacis flammam in rorem commutavit. Per jejunium Jonas propheta cetum refrenavit, ipsoque velut subjugali usus, Niniven concessit. Non enim animal illud quo libuit perrexit, sed quo voluit intus positus auriga, illuc cete pervenit. Jejunantes Ninivitæ urbem servaverunt, et prophetæ plantam marcidam reddiderunt. Jejunium Dei donum est, angelorum esca; jejunium Moysem mysteriis initiavit, Abraham fidelem reddidit; jejunium Isaacum justificavit, jejunium cum Jacobo peregrinatum est, jejunium Josephum clarum effecit, jejunium Melchisedecum exaltavit, Lotum ex Sodomis eripuit; jejunium cum Jobo certavit, jejunium prophetas sapientia replevit, jejunium reges potentes effecit, jejunium sacerdotes initiavit, jejunium [illegible] cum Aarone [illegible] Jesu Nave exercitum [illegible] mavit, jejunium [illegible] nuclem portare [illegible] jejunium Isaiam [illegible] lam indidit, jejunium [illegible] nio Joanni [illegible] indidit, jejunium Pauli [illegible] orbem obsignavit, jejunium [illegible] nium leonum genas [illegible] num ferocitatem restrinxit, jejunium [illegible] vit; jejunium paradisi [illegible] dictorum caput, corpus [illegible] impetus strenue excepit; jejunium [illegible] jejunium donorum augmentum, jejunium [illegible] tium advocatus, jejunium orationis [illegible] jejunium principium divitiarum, jejunium [illegible] consolatio, jejunium laborantium auxilium, jejunium somnum depellens, et hymnum inducens, jejunium aqua est, quam potamus, quæ immortalitatis [illegible] nobis subministrat. O jejunium, quod solo [illegible] mas nostras ad pietatem disponit, et sale peccatorum nostrorum fœtorem abstergit! o jejunium quod per quadraginta dies aerem nobis per gradus disponit, quibus nos ad cælum deducit! o jejunium per os jejunantium misericordiam et judicium Dei attemperans, ut modo audivimus. David enim, qui sanctorum prophetarum chorus est, justum judicium cum misericordia mixtum, futurum nempe judicium nobis describens Deo dicebat, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* 100. 1). Jejunium cum Cherubinis versans, jejunium cum Seraphinis habitans, jejunium Enochum in paradisi domo constituens, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula. Amen.

DE JEJUNIO. SERMO V.

Hodie, dilecti, medicum adoremus. Ecce enim instat jejunium quod animarum et corporum salutem largitur, quasi resurrectionem præbens stupendam; ita ut illo ceu oleo ad spiritualia certamina ungamur. Oratio et jejunium angelorum opus, jejunium paradisi porta, jejunium peccatorum purgatio, jejunium fiducia erga Deum, jejunium puritas cordis, jejunium omnium, quæ nobis a Deo collata sunt, bonorum caput; jejunium sanctificatio animæ, jejunium sanitas corporis, jejunium domus securitas, juvenum pædagogus, infantium custos, senum temperantia, mulierum ornatus et modestia. Sed cum orationi et jejunio eleemosyna additur, tunc pietatis operarius secundum Deum dives invenitur. Deo enim fœneratur qui pauperi largitur (*Prov.* 19. 17). Vidistin' Deum pro hominibus sponsorem factum? Ideo propheta Judæos, quod non totis viribus jejunium exercerent, vituperans, dicebat: *Non hoc jejunium ego elegi, dicit Dominus, ut humiliet homo animam suam* (*Isai.* 58. 5). Quæ enim utilitas ore jejunare, et re occidere? quæ utilitas a cibis abstinere, et fornicatione fœdari? Carnes non comedis, sed fratris tui carnes devoras. Quod lucrum vino non indulgere, et opibus inebriari? quæ utilitas panem non edere, et ira temulentum esse? quod lucrum jejunio macerari, et proximo conviciari? quæ utilitas a cibis temperare, et aliena rapere? quæ necessitas corpus exsiccare, et esurientes non alere? quæ utilitas membra atterere, et viduas pupillosque non miserari? quis fructus in sollicitudinibus et curis degere, et pupillos exagitatos non eruere? Nulla est utilitas hominibus nomen tantum Christianorum ferre, et operibus bonis non incumbere : non enim dignitates apud Deum in pretio habentur, sed opera exquiruntur. Nam Judas inter apostolos erat, eodem quo alii fruens honore; sed ex pecuniæ amore laqueum sortitus est; ut et multi nunc etiam vestimenta ovium gestant, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Si jejunare velis, avaritiam odio habe : magnum est malum avaritia. Jejunas? Fuge fornicationem, fuge detractionem, mendacium, convicium, inimicitiam, blasphemiam, omnemque curiositatem. Jejunas? Fuge avaritiam, rapinam, contentionem et animæ perniciosam invidiam. Jejunas? Fuge iram, fornicationem, æmulationem, perjurium, et omnem iniquitatem. Jejunas? Fuge crapulam omnis nequitiæ matrem, quæ ab ipso Deo nos separat; crapulam quæ deducit nos usque in abyssum perniciei. Si propter Deum jejunas, fuge omne opus Deo exosum, et tuam ille pœnitentiam acceptam habet. Pœnitentiæ enim est præsens tempus, non requiei : pœnitentia lapsam animam erigit, abalienatam Deo amicam reddit, fractam excitat, claudicantem reformat, contritam sanat, vulneratam ad valetudinem restituit. Curramus itaque ad pœnitentiam, fratres, curramus. Nam tempus est pœnitendi, non deliciandi et relabendi; tempus flendi et lugendi, non vellicandi et superbiendi; tempus confessionis, luctus, gemituum, non incuriæ et negligentiæ. Pœnitentia enim est regni cælorum conciliatrix, ingressus in paradisum, æternarum deliciarum fructus : pœnitentia peccatorum remissio, macularum emundatio : pœnitentia salutis mater, diaboli supplantatio, vitiorum excidium : pœnitentia vincula peccatorum dissolvit, desperatas animas servat, obtenebratos illuminat, procul abductos ad Deum convertit, errantes revocat : pœnitentia omnium desperatorum refrigerium et consolatio : pœnitentia omnis infirmitatis animæ et corporis medicina et salutare pharmacum. Sed ad propositum revertamur. Jejunas? Pauperem ne despicias. Jejunas? Respice viduæ lacrymas. Jejunas? Nudum tege. Jejunas? Respice orphanos ge-

mentes. Jejunas? Si potes, da eleemosynam; sin non potes, saltem ne rapias aliena. Jejunas? *Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* (*Psal.* 33. 14), et tibi ad salutem sufficit. Jejunas? Noli exterminare faciem tuam sicut hypocritæ (*Matth.* 6. 16): ne tristis appareas, sed unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne appareas hominibus jejunans, sed illi qui scrutatur corda et renes. Si jejunaveris, sic jejuna ut Christus præcepit; ut ne et laborem toleres et mercedem perdas. Si jejunes, cave pecuniam tuam des ad usuram. Jejunas? Rumpe chirographum violentarum pactionum: veniam concede, ut tibi concedatur: remitte fratri injuriam, ut tibi remittatur: miserere, ut misericordiam consequaris: dimitte proximo delictum. Jejunas? Miserere ejus quem læsisti; ne invideas unquam fratri, nec quempiam oderis. Jejunas? Ne vanam gloriam secteris. Jejunas? Fuge fornicationem, quæ et animam et corpus inquinat; fornicationem, quæ nos separat a Deo et a sanctis; fornicationem, quæ nobis æternum et inexstinguibilem ignem accersit. Jejunas? ne calumnieris pauperem, ut ne irrites illum qui fecit eum. Jejunas? Da cibum esurienti, potum sitienti, nudos indue, peregrinos consolare, infirmos visita, eorum qui in carcere sunt ne obliviscaris, afflictos miserare, ærumnosos et dolentes cura: sis misericors, mitis, bonus, mansuetus, pacificus: sis patiens, miserator, injuriarum immemor, non litigator; pius, ut Deus jejunium tuum acceptum habeat, et pœnitentiæ lucrum cum magna accessione tibi præbeat. Frater enim non potest nos juvare in tremenda illa judicii die; sed pœnitentia et eleemosyna juvabunt. Hæc, quæso, fratres, accurate servemus, ut mercedem referamus a Deo, et audiamus beatam illam vocem dicentem: *Venite, benedicti Patris mei, hæreditate accipite paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram et infirmus, et nudus, et in carcere, et ministrastis mihi* (*Matth.* 25. 34-36). Quam vocem utinam omnes consequi dignemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quem decet gloria, honor, adoratio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

DE JEJUNIO. SERMO VI.

Rursus jejunii tempus, rursus deliciarum occasio, rursus certaminum spectaculum, rursus tuba Christi pulchrum certamen prædicat, et certatores ad arenam congregat: rursus annuus Christi adventus prædicatur. Nos omnes puros reddamus, ut illum excipiamus. Si enim regis mortalis adventus prænuntiatus, illum excepturos cogit cum timore et tremore domos apparare, ut dignas eo, qui illic habitaturus est, ædes instruant: quanto magis nos, qui verum regem excepturi sumus, nos dignos reddere oportet eo, qui in nobis habitaturus est? Accedat hodie Jeremias propheta, qui missus a Domino audivit: *Ecce posui te hodie prophetam in gentes, ut eradices et plantes, destruas et ædifices* (*Jer.* 1. 10). Hunc audiamus: hic est, qui præparat templa magni regis. Eradicemus voluptates, et plantemus continentiam; evellamus nequitiam, ædificemus virtutes, persequamur mendacium, et lucremur veritatem; ejiciamus superbiam, resumamus pœnitentiam, exscindamus iram, et sumamus mansuetudinem. Ait enim Christus: *Super quem requiescam? Super mansuetum et quietum, et trementem verba mea* (*Isai.* 66. 2). Ne pares domum ex lapidibus: *Non enim Altissimus in manufactis habitat* (*Act.* 7. 48). Præpara templum rationabile, orna ipsum virtutibus: commodum tibi est præsens tempus. De hoc Paulus dicit: *Ecce tempus breve est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint; et qui emunt, tamquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi* (1. *Cor.* 7. 29-31). Non opus est auro neque argento, non opus est lapidibus pretiosis nec amplis ædibus; sed opus est anima hilari, pœnitentia sincera. Terreni regis præcursores, qui ejus adventum annuntiant, nihil cœleste gestant, sed omnia terrena; alius clypeum, alius thoracem, alius aureos dracones, alius aurea vestimenta; ipse vero rex potestatem in omnia fert in seipso, purpuram et diadema: præcursores vero cœlestis Regis nihil terrenum gestant, sed omnia Rege digna: Moyses regiam legem profert, Isaias jejunium, Jeremias orationem, Joannes baptisma pœnitentiæ: ipse vero Rex fert purpuram et diadema, per quæ omnes libertate donat: habet enim purpuram: corpus est purpura, verbum diadema. Hunc videns Joannes clamat et dicit, *Nos omnes ex parte*. Moyses Israeli legem dat, Isaias Israeli prophetat, Jeremias similiter; ego autem baptisma pœnitentiæ mundo, sed nullus libertate donat. Venit is, qui omnium habet potestatem: ipse est, qui a nobis prædicatur, ipse est Rex gloriæ, ipse non uni genti gratiam confert, sed universo mundo salus efficitur. Agnum lex habuit; sed pro una gente mactabatur, neque peccata remittebat; figura namque erat. Post hunc agnum Isaias prædicat: *Quasi ovis ad occisionem ductus est, et tamquam agnus sine voce coram tondente se, sic non aperit os suum. Generationem ejus quis enarrabit? judicium ejus ab ipso sublatum est* (*Isai.* 53. 7. 8). Hic est verus agnus, qui verbis prædicatus est, et nunc re ipsa apparet: hic est, qui pro toto mundo seipsum tradidit: hic est agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Prophetæ scripto futura vaticinati sunt, non res ipsas exhibuerunt: si res eveniant, illæ comprobant vera scripta fuisse. Prophetavit David de illis, quæ in Jesum eventura erant; sed cum nondum res advenissent, umbra adhuc erant quæ scripta ferebantur, Deo ita dispensante. Nam si novissent Judæi scripta rebus ipsis comprobari, scripta deleturi erant, metuentes ne a rebus ipsis redarguerentur. Dicebat enim David in secundo psalmo: *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania* (*Psal.* 2. 1-3)? Herodis et Caiphæ arrogantiam dicit: *Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum*, ad insidias Domino parandas, *adversus Dominum et adversus Christum ejus. Dirumpamus vincula eorum et projiciamus a nobis jugum ipsorum*. De cruce vero loquens in vigesimo primo dicebat: *Circumdederunt me canes multi, tauri pingues obsederunt me. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Psal.* 21. 13, *et* 17-19). Umbra erant hæc scripta; ubi autem res evenerunt, tunc umbra recessit. Et vident Judæi manus et pedes clavis ab se confixos, libris suis ita ipsos redarguentibus: neque ultra possunt scripta delere. Utraque enim palam facta sunt, dum scripta rebus consonant. Dicebat Isaias: *Quasi ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus sine voce coram tondente se, sic non aperit os suum. Judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit?* Judæi legebant, et res non intelligebant: *Umbram enim habuit lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem* (*Hebr.* 10. 1). Cum autem venit tempus ut res manifestæ fierent, et verus agnus ad cædem duceretur, et ovis vera pro universo mundo mactaretur, vera ut purgatio hominum fieret, verusque sanguis pro salute totius mundi effunderetur, et Judæi illa perficerent; impleta Isaiæ prophetia, Judæi confusi sunt. Nam si velint Judæi negare, lego ipsis Davidem, lego Isaiam, ex suis illos scriptis confuto. Venit et Moyses nobis patrocinans circa Crucifixum: qui volens ipsis prædicare eum, qui crucifigendus erat, id scripto præ-

cavit. Ideo ait, Etiamsi ego taceam, ipsa opera clamabunt. Quæ opera? Id ignorant Judæi: umbra enim legis insidet. Venit autem tempus, cum opera manifesta fiunt, et umbra recedit, ac res scriptis confirmantur. Exierunt aliquando serpentes in deserto, qui homines mordebant: et fecit Moyses æneum serpentem, quem cruci affixit; ac jussit quemcumque momordisset serpens accedere, et medelam consequi; id Deo prius dispensante in figura, ut adveniente virtute, umbra recederet, et figura veritatem ostenderet. Quod autem id figura esset veritatis, sic declaravit Moyses: Non est hoc veritas, figura est, ventura est ipsa veritas. *Videbitis* enim *vitam vestram pendentem coram oculis vestris nocte et die; et non credetis vitæ vestræ* (*Deut.* 28. 66). Christum dicens vitam pendentem coram Judæis non credentibus ipsum esse vitam. Cur vero serpentem Moyses in cruce suspendit? In figuram Christi; quia per serpentem et lignum peccatum factum est: oportebat autem Christum per lignum peccatum per lignum factum solvere, et maledictum per serpentem allatum, in seipsum attractum delere; ut factus pro nobis maledictum, Dei justitiam nobis largiretur. [illegible] crucifixus est, ut nos [illegible] autem in ligno [illegible] erat; umbra autem veritatem [illegible] Christus; ascendit in lignum. [illegible] Moysis, et [illegible] *vestram pendentem coram oculis* [illegible] *non credetis vitæ vestræ*. [illegible] de ipso vobis loquutus est: [illegible] *duxit captivitatem, dedit dona* [illegible] 19). Ascendit in altum, in crucem [illegible] diabolum, solvit mortem, [illegible] projecit maledictum et serpentem [illegible] veniente, figuræ abjiciuntur: [illegible] contra diabolum, et dat sibi [illegible] contra diabolum, dicens illis: Propter [illegible] dicto, propter vos sub lege, propter [illegible] nio; propter vos bella, propter [illegible] *dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et supra omnem potestatem* [illegible] 19). Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

DE JEJUNIO. SERMO VII.

Venit etiam hodie Jeremias propheta, qui templa magni Regis præparat, et nos alloquitur dicens: *Novate vobis novalia, et ne seminetis in spinis* (*Jer.* 4. 3). Nunc omnes indiscriminatim alloquitur, a Domino eruditus. Olim namque cum nollet populo inobsequenti loqui, illa passus est quæ ipse narravit. Videns enim genus hominum peccatis sordidatum, loqui nolebat dicens: Nunc cædes, furtum et adulterium effusa sunt super terram; et ideo sermonem retineo, donec sese purgaverint. Quemadmodum servus fidelis, cui concreditum est pretiosum unguentum, non illud infundit in vas luto fœdatum, ne unguentum fragrantiam amittat: sic et propheta verbum habens unguento pretiosius, videns homines luto conspersos, verbum serere renuit. Hoc autem [verbum] erat quasi ignis comburens in visceribus ejus; undique dissolvebatur, nec ferre poterat (*Jer.* 20. 9). Dicebat autem illi Deus: Missus es ad prædicandum, cur taces? missus es ad serendum, cur semen retines? Sere indiscriminatim id quod tibi concredidi: sere supra spinas, sere supra petrosa, sere in bonam terram. Tu seminare debes, et terra fructum ferre. Si ascendant spinæ, et semen suffocent, tu non in causa eris. Si bona terra fructum ferat, reddit semen ut bona terra. Servus es: credidi tibi pecuniam: da illam nummulariis, et ego veniens illam a nummulariis repetam. Si quod illis concredidi, mihi duplum reddant, ex parvis illos super magna constituam, ex terrenis super spiritualia. Quod si accepto semine, non se digne præparent ad fructum ferendum, sed sollicitudines mundi admittant, quæ sunt spinæ, igne digni erunt. Si vero in petrosis non inveniatur terræ profunditas; id est, si quis inveniatur corde durus, neque habeat fidem, et si semen exsiccaverit, ille duritiei suæ pœnas dabit. Similiter ii, quibus pecunia credita fuit, si duplam retulerint, ipsis majora credentur; qui vero talentum solum sibi creditum retulerit, supplicio condemnabitur. Tu vero prædica indiscriminatim; nam ægris medicus missus es. Etenim agricola incultam terram colit, et eam quæ seminata non fuit seminat. Non enim culta et sata terra opus habet cultura, nec secundo seritur; neque sanus opus habet medico: sic neque justus doctrina. Neque enim qui videt vult visum recipere, sed cæcus. Ita enim dicit Dominus in Evangeliis: *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* 9. 13) ad pœnitentiam. His consonat Paulus dicens: *Christus Jesus venit in mundum peccatores salvare, quorum primus ego sum* (1. *Tim.* 1. 15). Sic etiam dicit Petrus in Actibus: *Viri fratres, emundemus nosmetipsos ab omni inquinamento carnis et spiritus* (2. *Cor.* 7. 1). *Et nolite dicere, Patrem habemus Abraham* (*Matth.* 3. 9) *dico enim vobis, quod potest Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Ideo edoctus propheta indiscriminatim prædicare, clamabat, *Novate vobis novalia, et ne seminetis in spinis* (*Jer.* 4. 3). Sicut enim inculta terra sulcatur ligno et ferro trahentibus bobus, et sic agricola semen jacit: ita et nos homines accipiamus lignum et ferrum, bovesque trahentes. Sit nobis lignum crux, ferrum clavi, boves lex et prophetæ, trahentes nos doctrina sua ad eum qui pendet in cruce; ut videns nos paratos, mittat Spiritum sanctum ad sanctificationem aquarum, et ad regenerationem renovatorum per doctrinam, secundum beatum Davidem dicentem: *Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (*Psal.* 103. 30). Proprie homo vocatur, quia *Insufflavit in faciem ejus, et factus est homo in animam viventem* (*Gen.* 2. 7). Dicit vero David: *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur* (*Psal.* 33. 6). Et rursus in Evangeliis Christus advocatis discipulis, insufflavit in faciem eorum: *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* 20. 22). Novemus nobis novalia, depone veterem malitiam, evelle spinas inobedientiæ: quando enim non obedivit Adam, ejectus est ex paradiso, hocque accepit a Domino: *Maledicta terra in operibus tuis: spinas et tribulos germinabit tibi* (*Gen.* 3. 17. 18). Hoc cum sciret propheta, prædicabat, *Novate vobis novalia, et ne seminetis in spinis*; his monens nos, ut nos innovemus per pœnitentiam, et eradicemus inobedientiæ ultionem, nempe spinas. Sunt enim in homine spinæ, contentio, æmulatio, ira, dissensiones, immunditiæ, avaritia, adulteria, cædes. Statim concipiens Eva Cainum parit, qui æmulationis princeps fuit, cædium inventor, hypocrisis pater, mendacii creator. Interrogatus enim a Domino: *Ubi est Abel frater tuus?* statim mendacium generat dicens, *Numquid custos fratris mei sum ego?* Deus autem volens ipsi ex rebus ipsis persuadere se omnia scire, dixit: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me*. Non verbis clamat sanguis, qui verbi non est particeps; sed res ipsa ob crudelitatem fratricidam traducit. Ideo clamat propheta, *Novate vobis novalia, et ne seminetis in spinis*. Audistis in Actibus Apostolorum (*c.* 8. *v.* 19) de Simone mago, quomodo cum non novasset neque spinas evulsisset, accessit ad apostolos ut baptisma acciperet. Et qualis descendit, talis et ascendit, non ex baptismi imbecillitate, sed quod ipse crucifixo et clavis affixo non obtemperaret. Non credidit prophetis, qui quasi boves crucis symbola trahunt, ferrum et lignum, et doctrina sua hominum genus renovant. Ideo non absolvitur a maledicto Adami, sed etiam secundum

accipit maledictum, et additur iniquitas iniquitati ejus, ut non intret in justitiam Dei : nihil enim ipsi profuit baptisma. Accessit ad apostolos dicens : *Accipite aurum, et data mihi hanc potestatem, ut cuicumque manus imposuero, accipiat Spiritum sanctum* (*Act.* 8. *v.* 19). Petrus autem dixit ei : *Non est tibi pars neque sors hac in re, quia donum Dei voluisti pecunia comparare* (*Ibid. v.* 21. 20). Hic non obedivit prophetis, non novavit rationabilem agrum suum : hic neque accepit Spiritum sanctum, q... a prophetis prædicatus fuerat. Timete tale exemplum, et novate vobis novalia, neque seminetis in spinis. Si spinas exscindas, excipies semen, fructum feres, et eris consors Spiritus sancti. Sic prophetæ obediens Cornelius, seipsum novavit, excidit spinas, et Deo fructum tulit (*Act.* 10). Visus est enim ipsi angelus dicens : Corneli, eleemosynæ tuæ ascenderunt ante Dominum. Hic probus agricola spinas evulsit, novavit se hominem, ascendit fructus ejus in conspectum Dei. Viden' fructum pœnitentiæ? E terra in cælum ascendit, et ante Deum cum fiducia stetit. Quemadmodum enim bona opera cum fiducia supplicant, sic quæ secus sunt studiose accusant. Audisti bona opera pro Cornelio precantia : audi cædem a Caino factam studiose accusantem : sic enim dicit Deus Caino : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* Audi et ultionem definitam, *Gemens et tremens eris super terram* (*Gen.* 4. 10. 12) : audi etiam mercedem eleemosynæ et orationis, quid ait angelus : *Mitte in Joppen, et accerse Petrum, et ipse te docebit quid te oporteat facere* (*Act.* 10. 5. 6). Venit Petrus, et cum loqui inciperet, incidit in eum Spiritus sanctus, ut in apostolos. Viden' mercedem jejunii, orationis et eleemosynæ, Spiritum sanctum datum? Hoc tempus jejunii et eleemosynæ : hoc tempus prævidens Elias, jejunavit quadraginta diebus : ideo in igneo curru assumitur, et usque ad hanc diem in corpore est. Hoc tempus prophetavit Moyses cum jejunavit quadraginta diebus : ideo legem accepit ad emendationem contribulium. Hoc tempus nos docuit Christus, qui jejunavit quadraginta diebus; ut nos doceret hanc alacriter amplectendam esse rationem, qua novatur rationabilis ager, qua evelluntur spinæ, qua exstinguuntur concupiscentiæ, qua dissolvuntur opera diaboli, qua sanctificantur aquæ Jordanis, qua regeneratur homo, qua descendit Spiritus sanctus, qua vita et resurrectio datur. Hanc prophetæ vaticinati sunt, hanc Christus docuit, hanc diligamus, hanc accipiamus : addamus eleemosynam et orationem, ut consequamur Spiritum sanctum, sicut Cornelius; et glorificemus Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Ipsi gloria in sæcula. Amen.

ADMONITIO

IN DUAS DE PATIENTIA ORATIONES.

Ejusdem farinæ sunt hæ duæ orationes, atque præcedentes de Jejunio : infacundi scilicet Græculi, qui eloquentiam affectat, et epithetis innumeris ac plerumque ineptis omnia conspergit. Ac si quando bona quædam profert, ex narrandi modo illa pessumdat. Verbis utitur insuetis, atque ex loquendi modo insitato sæpe interpreti Latino negotium facessit. Hoc experti dicimus : etenim non sine difficultate quædam Latine convertimus.

DE PATIENTIA, ET QUOD MORTUI NON AMARE LUGENDI SINT.

Age hodie diligentius quam præteritis diebus ad doctrinæ sermonem accedamus : solet enim sæpe sermo laboris solatium afferre : potest doctrina moderata mœrorem solvere. Etenim video multos eorum, qui heri vobiscum erant, hodie non vobiscum adesse; sed vel ad Dominum evocatos esse, vel in lectis decumbere, hosque omnes mortem exspectare. Ideo vos in luctu video, multum in urbe tumultum, plurimum in Ecclesia perturbationem; immoderatas lugentium lacrymas, absurdos multorum mores et actus. Certe vos hac de re sæpe consolatus sum et commonui, nempe de patientia et gratiarum actione, in ferendo filiorum et cognatorum exitu; atque non ita inhoneste agendum esse dixi, neque putandum esse eos, qui ad Deum migrarunt, periisse : maxime vero si infantes incorrupti vitam reliquerint. Quamobrem non illos, sed potius nos, qui in peccatis vitam ducimus, lugeamus. Si enim hodie non vigilemus, quandonam demum convertemur? Si mors fratris tui te sapere non suadet, quis te convertet? nisi mortuum jacentem videns vitam emendaveris, quando tandem Deum exorabis? Ecce videmus, ecce experientia discimus. Ideo nobis parcamus, quæso, ne frustra et incassum turbemur, neque nos immortales esse imaginemur. Una est enim mortis via, et non alia : commune poculum est, et omnibus datur : una hora, et mala hora : pons unus qui exitum non habet : omnium debitum, unæ primitiæ, et omnium finis. Dei gladius est, qui personam non accipit. Non enim regem mors horret, non sacerdotem summum honorat, non senium miseratur, non formam, non juventuti parcit, non unigeniti miseretur, non lacrymis flectitur, non principem tremit, non tyrannos formidat, non pecuniis vitatur, non faciem cujusquam accipit, non occiput; sed omnes æque mors invadit. Qui hodie nobiscum sunt, cras illic ante nos erunt : qui hodie amice nos amplectuntur, cras a nobis miserabiliter efferentur : qui hodie in vita, cras in sepulcro : qui hodie conspicui sunt, cras a vermibus rodentur : qui hodie unguentis sunt delibuti, cras fœtentes erunt : qui hodie hic deliciantur, cras lugebunt : et uno verbo, qui hodie parasitos habent, cras illic damnabuntur. Quos quærentes sæpe et illorum obitum ignorantes, alii alios percontamur, Ubi est ille princeps? et audimus, Præteriit demum; et, Ubi est ille dynastes, interrogamus, ac discimus mortuum esse; et, Ubi est rex ille superbus? Illuc, inquiunt, profectus est; et, Ubi ille amicus? Illuc concessit. Illuc, quo? Ubi Judex judicum : illuc, ubi formidabilis ille formidabilibus fortior : illuc, ubi Rex æternus, et Judex incorruptus. Illuc? Ubi, et quomodo, quem in locum, vel qua ratione, ii qui nos præcesserunt se habent? Nemo dicere possit : illud solum novimus, ibi esse, ubi solus æternus et solus immortalis est; ubi solus bonus et solus benignus, factor animarum et corporum. In illud magnum et formidandum tribunal profectus est, ubi non est risus, sed luctus; ubi non est pulchritudinis studium, sed tenebræ; ubi non est complexus, sed examen; ubi non est convicium, sed excusatio; ubi non sunt divitiæ, sed horror; ubi non est acceptio personarum, sed justum judicium; ubi omnes nudi adstamus, servi et liberi, nobiles et privati, peccatores et justi, divites et pauperes; alii confusi, alii coronati. Ubi est illic regum fastus? ubi

principum superbia? ubi divitum inhumanitas? ubi judicum personarum acceptio? ubi juventutis pulchritudo, tam imaginarii decoris? juventus insensibilis, longam vitæ spem habens; juventus corde seditioso, admodum sollicita voluptas: juventus quæ in multis sæpe labitur, quæ male carni adulatur; juventus, cui adulatio fallaciam parit, quæ lutum est, misera, fœnum facile marcescens; spica quæ facile corrumpitur; juventus, somnium oblivioni datum, umbra sine re; juventus impia ætas, cor non laboriosum, oculus intentus, lucerna quæ facile exstinguitur; juventus, fervor sanguinis, consuetudo macularum; juventus, infrenis equus, et ad omnem perniciem idoneus. Attamen qui hic ferox est, illic est miserabilis; qui hic temulentus, illic stilla aquæ indiget; qui hic est ad convicium paratus, illic linguam adustam habet; qui hic sericis induebatur vestibus, illic nudus aderit. Ne mihi dicas, Da mihi hodiernum diem, et accipe crastinum: neque enim hic te considero quis sis, sed illic te exspecto, ubinam futurus sis. Nec mihi dicas, Clemens est Deus, etiamsi peccavero, miserebitur mei; sed illud considera, quod Deus hic miseretur, illic examinet; hic toleret, illic scrutetur; hic conversionem exspectet, illic igni tradat. Ubinam sapiens illic erit, fratres, ubi potens? ubi tumultus, ubi lauta prandia, ubi cœnæ, ubi illi qui cum tympanis et choris vinum potant? ubi parasiti, theatra? maxime dum fratres nostri esuriunt, sitiunt, infeliciter et male habent, nudi sunt, lacrymantur, mortem ex mœrore optant et quærunt? Papæ! calix ille omnibus horribilis, iis qui in necessitate sunt desiderabilis est, et vita, quam omnes amant, apud illos odio habetur, atque lux hæc nobis optabilis, illis est odiosa. Benedictus Deus, qui omnia facit ad utilitatem. Non mala, fratres, sed utilis est mors. Non meus est hic sermo: *Mors viro requies* (*Job*. 3. 23. *in Græco*), dixit divinus Job: quoniam qui moritur, jam non ultra peccat, avaritiam deponit, cessat addere malo malum, et augere onus et sarcinam, finemque facit irritandi Deum suum. Prudenter audi: mors est infantibus consolatio, mors servorum requies, laborantium refrigerium, debitorum absolutio, mors sollicitorum liberatio, defatigatorum recreatio, mors peccandi impedimentum. Nisi mors instaret, nos mutuo devoraremus; nisi Judicem venturum exspectaremus, vitæ spem non haberemus; nisi ultionem præstolaremur, male agendi nullum finem faceremus, neque prævaricandi corruptionem deponeremus. Viden' Domini benignitatem? Prævaricantium ultio salutaris evasit. Si justus est is qui moritur, gaude, quia cum fiducia ad Dominum requiem habiturus pergit: si peccator, ne lugeas, quia illa quæ additurus erat mala sibi lucratus est. Si nos hic mansuri essemus, jure mortuos lugeremus: si vero omnes omnino illuc proficiscimur, ne illos qui tantillum nos præcedunt plangamus: ne illa quæ circa mortuos recte persolvimus, per ea, quæ male agimus, labefactemus. Annon vides quæ circa mortuos facimus? Cum psalmis et hymnis illos efferimus: ideoque in signum gratiarum actionis novis nos vestimentis induimus, novum incorruptionis nostræ vestimentum præsignificantes. Unguentum et oleum infundimus, existimantes chrisma baptismatis ad viaticum cum illis pergere: cum thymiamate et cereis illos comitamur, qua re indicamus illos hac tenebrosa vita solutos, ad lucem veram se conferre: ad orientem arcam vertimus, resurrectionem ipsi hoc modo præsignificantes. Ne itaque nos, qui resurrectionem credimus, sic doleamus, sicut et cæteri qui spem non habent. Nam qui resurrectionem non sperat, periisse mortuum jure putat. Verum ita ludant gentiles, hæc faciant Samaritani: nos vero Christum audiamus, et credamus *Quia venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audient, vivent* (*Joan*. 5. 25), et resurgent ii qui in sepulcris sunt, et renovabitur terra.

Itaque si resurrecturi sunt mortui, ut vere sunt resurrecturi, ne tam immoderate, quæso, nos geramus circa mortuos: ne nos fideles imitemur incredulos, ne tunicas nostras scindamus, sed potius animam compungamus, quia idem nos quoque calix exspectat. Ne brachia feriamus, ut ne gentiles imitemur; ne præficas advocemus, ut ne magis iram Dei accendamus; ne capillis caput nudemus, ut ne caput nostrum Christum dehonestemus; ne multis diebus ploremus, ut ne resurrectionis fidem violemus; ne lingua blasphemum quidpiam proferamus, ut ne et defunctum et nos lædamus. Dedisti filium? Gratias age, hymnis celebra, adora eum, qui accepit id quod tibi dederat: glorifica eum, qui elegit illum quem formaverat, et accepit fructum ventris tui incorruptum: glorifica eum, qui prolem viscerum tuorum servavit: adora, sicut Job, magnificum illum: gratias age, quia Domino obtulisti immaculatum sacrificium, castam victimam, oblationem mundam, novum Isaacum, ut olim Abraham. Christus accepit, adoremus; qui formaverat reformavit, ne murmuremus; Creator creaturam requisivit, ne obsistamus; neque enim possumus. Dedisti fratrem? Adora Christum qui accepit eum, quia ille propter te olim mortalis factus est. Infantem dedisti? Gratias illi age, quia ille propter te olim infans fuit in præsepio. Servum tuum accepit? Illum lauda, quia propter te formam servi accepit omnium Opifex. Unicum filium sepelisti? Glorifica, procumbe, reverere, recordare quomodo propter te Deus unigenitum Filium suum incarnatum ad mortem tradiderit. Puellam in thalamo degentem dedisti? Gratias age, ut ne indignatus aliam dare cogaris. Nuptam filiorum matrem præmisisti? Hymnis celebra et constans esto, ut ne Dominum offendas, ut ne et tu quoque obeas. Quid facis, homo? nam hoc ipsum resumimus. Mortuum vides jacentem, et blasphemare audes? mysterio tanto ades, et adversus illum, qui animam abstulit pugnas? Deo dicis, Quiesce, et in Deum contumelia afficis? Cur Judicem in judicium trahis? cur invictum aggrederis? cur animo turbaris? cur dolore ebrius es? non vides quantum sit hoc mysterium? non vides quam gravis nos ipsos finis exspectet? Quantumvis gravis sit, per eum transimus. Non vides onerosam esse viam? At per eam omnes incedimus. Evigila, o homo. Qui jacet, tremit, et tu ludis? ille examinatur, et tu alia imaginaris? ille tremit, et tu non te præparas? ille obstupescit, turbatur totus, ea videns quæ numquam viderat, et audiens quæ numquam audierat. Quapropter sudat, ut qui in agro metunt, et omnes nos salutat, omnibus valedicit quamdiu lingua loqui potest. Valete, inquit, valete fratres, et pro me orate. In via incedo, in qua numquam gressus fueram, et in mundum animarum eo, unde nemo umquam reversus est, inque mansiones illas tremendas, ubi nullus mihi viæ socius, et ad tribunal horrendum, ubi nescio quid mihi eventurum sit, et ad res peregrinas, de quibus nihil narratu accepi. Ecce quæro auxiliatorem, et nullus adest: ecce quæro redemptorem, et nemo est qui eruat: ecce quæro viæ socium, et nemo compatitur mihi. Ubi pater qui me genuit? ubi mater quæ me parturivit? ubi frater? Ubi frater fratrem non redimit, quomodo redimet homo hominem? His nos alloquuntur qui nos deserunt, ac deinceps eunt per æternam viam suam. Nam *Quis est homo, qui vivet et non videbit mortem?* aut *Quis redimet animam suam de manu inferi* (*Psal*. 88. 49)? Benedictus Deus, quia homo, fratres, ecce jacet, et nulli deinceps rerum hujus vitæ incumbit; ecce quievit, ecce a vanis cessavit. Parva febris fuit, et omnia desierunt: una fuit hora, et qui apparuerat, non ultra apparuit: unum momentum, et *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam*, ex qua assumptus est. In illa die peribunt omnes cogitationes nostræ: in illa hora relinquet homo patrem et matrem, amicos et cognatos, filios et filias, et abibit solus et relictus in æterna via sua. Eamus cum iis, qui nos præcedunt, antequam abscedamus; sedete, et jacenti ne turbas moveatis; quiescite, et tumultum solvite, vos ipsos sedate; respicite, et magnum mysterium

videte; exhorrescite, et hoc ipsum recipite; reges intuemini, et ne ultra altum sapiatis; principes respicite, et ne magna sentiatis. Videte jacentem, et ne ultra te regem vel principem putes. Qualis enim rex est, qui ne seipsum quidem redimit? Sed ecce ille quoque calicem tremit; ecce quasi unus e vulgo concertat; ecce omnino miserabilis est; qui modo formidabilis erat, mortuus est; ecce adducitur ut noxius, quem heri tremebant noxii; ecce turbatus est, ecce totus commotus est, ecce omnis sapientia et potestas absorpta est, ecce stupefactus est. Vidit enim potestates angelicas, et suæ potestatis oblitus est; vidit exercitus angelorum formidabiles, et potentiam suam quasi araneam existimavit; vidit formas dominicas, et formam suam mutavit; audivit sententiam in animam, et totus in carne contremuit, ac quasi in seipso recogitat, obstupefactus et secum perpendens, quo migravit regum fastus, quo principum potestas. Papæ! ecce verus ordo, ecce potestas valida, ecce potentia non ficta, ecce formæ terribiles, ecce immortalis exercitus. Hæc et similia ac magis arcana cogitantes, quæ ii soli, qui nos præcesserunt, experti norunt, alii in lecto jacentes resiliunt, fugere volentes, sed irrito conatu; alii dentibus strident, alii genas percutiunt, alii oculos miserabiliter versant, ut vident corporis vires paulatim deficere, linguam loquentem et depositum suum firmiter retinentem; contrarias potestates adstantes, rationes repetentes, accusantes, rapere conantes: deinde furem intrantem, declarantem, et animam a corpore vi abstrahentem. Tunc nobis multis opus est orationibus, multis bonis actibus, multo angelorum patrocinio, multo ductu in aeris ascensu. Nam si cum in peregrinam regionem et urbem migramus, egemus ductore, quot patronis et ductoribus opus habemus, qui nos servent transeuntes per principatus et potestates et mundi rectores invisibiles hujus aeris, quos persequutores, publicanos et exactores vocat divina Scriptura? Tunc optima nobis viæ socia est eleemosyna et commiseratio, quæ nos possint sine damno ad portam cælorum perducere et servare: ibi nobis optimi patroni sunt pauperes, quorum hic ante mortem miserti sumus. Ideo præveniamus antequam præveniamur; curramus antequam comprehendamur: vita brevis est, ars longa, finis proximus, timor magnus, et nemo qui solvat. Egrediamur ad sepulchrum, donec sumus in corpore; videamus vanum sensum nostrum, quam habeat domum; videamus quid paulo post erimus, et ne erremus; videamus quomodo dissolvamur, et nos emendemus; videamus in quid desinamus, et de fine nostro solliciti simus. Quotquot formas conspicitis, in sepulcro eas curiose intueamini: quotquot de principatu et potestate vos extollitis, in loculis respicite, et Deum timete: quotquot injuriarum et rixarum memoriam mutuo servatis nec eam dissolvitis, venite, videte quomodo illas dissolvatis. Attente respice in feretrum: vide jacentes ibi eos, qui olim reges erant, vide principes in loculis, vide horrendum reliquiarum spectaculum, et dic: Quis illic rex, quis princeps, quis miles, quis dux exercitus, quis dives, quis pauper, quis juvenis, quis senex, quis formosus, quis Æthiops? Num potes dicere, hæc omnia non esse cinerem, non pulverem, non fœtorem? annon omnia quæ olim amabilia, nunc horrenda videntur? O stultitiam! Quid hoc magnum circa me mysterium? Qui heri mihi amabilis erat, nunc jacet horrendus: quod heri mihi ceu membrum erat, nunc alienum video: quem paulo ante in ulnis complectebar, nunc ne tangere quidem velim: illum lacrymis rigo ut meum, et saniem ejus quasi alieni fugio: ad fœtentem accedere affectus cogit; sed a corruptione et a vermibus impedior: jacentis imaginem qualis paulo ante erat cogito; sed in ipso illam nullo modo conspicio. Ubi forma vultus? Ecce jam atrum video. Ubi annuentes et formosi oculi? Ecce tabefacti sunt. Ubi comæ decor? Ecce decidit. Ubi extensum collum? Ecce contritum est. Ubi lingua illa vivida? Ecce quiescit. Ubi pulchritudo manuum? Ecce soluta est. Ubi staturæ proceritas? Ecce defluxit. Ubi vestium sumptuositas? Ecce putrefacta est. Ubi unguenta et aromata? Ecce computruerunt. Ubi juventutis licentia. Ecce transiit. Et in summa ubi fastu plenus homo? Ecce pulvis rursum, pulvis factus est. Attamen ne sepulcrum dumtaxat cogites; sed inde transi ad resurrectionem: ac tecum reputa et crede, hunc qui jacet resurrecturum esse, et linguam quæ nunc tacet, tunc rursus loquuturam esse, quando Deo flectetur omne genu cælestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confitebitur; et ut ait Daniel: *Videbam donec Throni positi sunt, et antiquus dierum sedit. Thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus; fluvius igneus trahebat in conspectu ejus: millia millium assistebant ei, et decies millies dena millia ministrabant ei. Judicium sedit, et libri aperti sunt* (*Dan.* 7. 9. 10). Multus haud dubie illic timor, multus tremor, inenarrabilis necessitas, indesinentes lacrymæ, non tacendi gemitus. Quando repente veniet super solium excelsum et elevatum, tunc cælum convolvetur ut liber, stellæ dispergentur, virtutes angelorum præcurrent, sepulcra aperientur, corpora resurgent, fontes siccabuntur, abyssi commovebuntur, omnis terra agitabitur. Quales nos tunc erimus? quales utique, cum rationem dabimus operum, cogitationum, verbi otiosi, eorum quæ in nocte, eorum quæ in die, eorum quæ sponte, eorum quæ inviti fecimus? Hoc curare oportet, hoc nocte ac die perpendere opus est. Quid rationi consonum tunc dicere poterimus? quam excusationem, quæso, o homo, afferemus? Ecce deliciis incumbis quinquaginta vel centum annis, dives es, liberos procreas, filios et filias connubio jungis, gentibus et populis rex imperas: et post hæc mors venit, et post mortem judicium, cujus nullus finis erit, nulla post illud pœnitentia. Nam ait ille: *Non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal* 6. 6)? Certe nemo. Etsi enim mille turbas demus, et multum supplicemus, nullus erit qui eruat. Ideo maxime beatos prædicamus infantes, qui moriuntur: ideo omnes dicimus, Utinam infantes mortui essemus! Ne itaque, id quod nobis optamus, in filiis videntes, dolore afficiamur. Nobis enim mortis calix periculosus est, infantibus vero salutaris; et quod omnibus horrendum est, illis est optabile, et quod nobis est initium supplicii illic subeundi, illis est initium salutis. Qua enim de re rationes redderent, qui neque peccatum experti sunt? qua de re punirentur, qui nec boni nec mali notitiam habent? O beatorum infantium beata mors! o mors incorruptorum vere initium vitæ æternæ! o finis initium immortalis gaudii! Sed quid dicunt pusillanimes? Filius, aiunt, mihi erat unigenitus, formosus et nobilis; hic erat generis mei successio, hic erat facultatum hæres, hic in mœrore consolatio, hic senectutis meæ baculus, hic patriæ gloria, hic radicis meæ ramus, totus forma jucundus, totus mitis, dexter, affabilis, et suis pariter atque extraneis amabilis tum videntibus, tum audientibus. Hic talis cum esset, repente ex manibus mihi raptus est: is quem ante videbam, non ultra comparet, sed genitorem relinquens, migravit ad Conditorem: me relicto nutritore, ad vocantem migravit; a matris visceribus separatus, descendit in monumentum terræ omnium matris. Annon, quæso, talem filium lugeam? annon ut pupillam oculi requiram? Non possum, inquit, non possum: etiamsi enim millia mihi documenta opponas, etiamsi sexcenties monueris non lugendos parentibus esse filios suos, non suadebis, quia Deus sic definivit, naturæque vinculum annexuit, et ignem in visceribus parentum erga filios posuit. Non hoc dico, o homo, neque lege decerno non lugendos esse filios: si hoc dicerem, id proferrem quod fieri nequit. Etenim ego quoque legibus naturæ obsequor, et afflictionis tempori non obsisto: nam et ego mortalis sum, ex matre genitus et ejusdem

naturæ. Novi patrum luctum, novi matrum gemitum, novi mœroris pelagus ipsos inundans, novi perturbationem doloris; scio illorum internum affectum et erga filios phantasiam, quomodo non præsentem quasi præsentem filium sibi depingant, illiusque imaginem cum lacrymis sibi repræsentent, illorum mores, verba, opera omnia præ oculis ponentes. Sed non ita mirabilis ille Job : nam cum et filii ejus et servi et boves et cameli et omnes facultates in exitium issent, non turbatus est, non blasphemavit, ut multi faciunt; sed surrexit, et in terram cadens, ex qua assumptus fuerat, Dominum adoravit dicens : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum in sæcula* (*Job* 1. 21). Servus sum, et factori meo subditus non obsisto : non enim res est stupenda : mortui sunt filii, sed non perierunt. Quis enim pastor non habeat potestatem in gregem suum? Bonus pastor elegit oves suas. Post pusillum etiam nos migrabimus. Hunc et nos imitemur, nec tam immoderate lugeamus. Ut fideles fleamus, non ut infideles turpiter nos geramus : ut Christus Lazarum flevit, sic fleamus : ideo enim flevit, ut tibi mensuram et modum statueret. Quomodo enim flere debuit eum, quem mox suscitaturus erat? Sed ut discas quantum flere debeas, ut et naturæ commiserationem ostendamus, et infidelium exemplum fugiamus. denuumque precemur ut eadem nobis portio eveniat, quæ iis, qui in virtute ætatis cursum emensi sunt : ne illo migrantes, filios nostros in requie videamus, nosque intolerabili supplicio deputemur. Quotquot enim ante sordes et corruptionem ab hac infelici et gemitu digna carne separati sunt infantes, has voces parentibus emittunt, etsi non verbis, re tamen ipsa : Ne nos lugeatis, patres, nullo fructu. Vos enim velletis nos vobiscum esse in ista inani vita, ubi omnia ingrata et dolore plena, ubi omnia fallacia sunt et incomposita, ubi nihil stabile et firmum : sed cum Dominus noster et Deus nos diligat, ceu ex ore leonis, sic ex hac inani vita nos eripuit; quasi rosas ex spinis, sic nos a peccatis hujus sæculi segregavit; quasi agnos dilectissimos, sic bonus ille pastor sejunxit nos a vobis, quasi ex tenebris in lucem. Et in regione viventium degimus, ubi omnia quieta et tranquilla, ubi omnia luminosa et Deo placita, ubi nullus iniquus, nullus tyrannus; ubi non est peccatum neque nigror, ubi lux inaccessa et gaudium ineffabile, ubi non est labor nec lacrymæ, ubi non est sollicitudo, non cura, non gemitus nec fletus, sed ubi Deus tantum laudatur et glorificatur. Nos sancti angeli pacifice separarunt a corpore; nos sine damno principatus et potestates aeris pertransivimus : bonos enim habuimus duces. Neque enim illi invenerunt in nobis ea quæ inquirebant, nihil eorum quæ sperabant in nobis viderunt. Viderunt corpus immaculatum, et pudore affecti sunt : viderunt animam probam et mundam, et confusi sunt : viderunt linguam puram et immaculatam, et coerciti sunt. Præterivimus et despeximus illos : prætergressi sumus illos, et contra ipsos cantavimus : *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum* (*Psal.* 123. 7. 6). Hinc angeli nobis occurrentes gaudebant, justi nos amplectebantur, sancti gratulabantur dicentes : Bene venerunt agnelli Christi. Apertæ nobis sunt paradisi deliciæ, ostensus nobis fuit sinus Abrahæ : nos enim Dominus benigne excepit : hilarem nobis vocem emisit, hilari nos oculo respexit : quapropter nos in libro vitæ descripsit. Tunc clementi Judici diximus : Juste judex, Domine, terrenis nos privasti, a cælestibus ne excludas; nos a parentibus segregasti, ne nos segreges a sanctis : salvum habemus tuum baptismatis signaculum, immaculatum tibi corpus offerimus ob magnam infantiam. Ne nobis ergo invideatis salutem, quam ante tempus sine labe nacti sumus; nec fleatis quod ex pejore in melius translati simus, si pro corruptis incorrupta accepimus. Nos cum angelis hymnos canimus, cum sanctis choreas agimus; sed etiam pro vobis, qui in peccatis estis, intercedimus : nos cum infantibus ab Herode propter Christum interfectis connumeramur; nos cum Jobi filiis exsultamus. Quapropter ne solliciti sitis de nobis; imo potius vos ipsos lugete : nam mortis nostræ congruentem jam rationem intelligitis : et ut cognoscentes ac firmiter credentes, Dominum nos ad utilitatem nostram elegisse, et in sanctorum sorte constituisse, cum puerili juvenes et incorrupti a vobis abstracti huc ad nos transferentur, gaudete et lætamini, ac cum justo Jobo psallite : *Dominus dedit, Dominus abstulit : Sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job.* 1. 21), ex hoc nunc et usque in sæculum sæculorum. Amen.

DE PATIENTIA.

Viatores sitibundi procul positum fontem imaginantur, et illius desiderio moti celerius festinant, ut siti medelam reperiant, et flammam intus excitatam ejus fluentis refrigerent. Eodem modo vos, dilecti, verbum veritatis sitientes, studiose acceditis ad verum fontem Dominum nostrum Jesum Christum. Ipse enim est, qui dixit : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat* (*Joan.* 7. 37); et rursus, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* 5. 6). Hunc fontem desiderans beatus David sic modulabatur : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus* (*Psal.* 41. 2). Sed ne videamur extra modo lectas Scripturas manere, his adhibitis procemiis, age jam sermonem aggrediamur : sic enim nobis splendidior oratio videbitur, ac læta nobis erit ecclesia. Sed ad propositum revertamur. Quid igitur est id, quod jam audivimus dicentem beatum Davidem : *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi, et exaudivit precem meam* (*Psal.* 39. 2. 3)? Magnum nobis tropæum apparuit patientia : omnes enim sanctos patientia coronatos deprehendimus, hujusque doctorem habemus Abrahamum, qui centenarius nondum filios habebat, sed per patientiam jam fructus ob oculos decerpebatur. Arbor folia amiserat, radix aggravabatur; caro senuerat, et sensus ejus vigebat : sed tamen per patientiam Isaacum fructum percepit. Vide mihi beatum Jobum, orbis athletam, qui decertavit, et diaboli vim dissipavit : quot pugnas commisit diabolus, et athletam non fregit? Sagittis pharetram evacuavit, machinas adhibuit, et turrim non concussit; fluctus excitavit, et scapham non demersit; ramos confregit, et radicem non evulsit, tempestates suscitavit, et petram non commovit. Vides patientiam justi? vides certamen athletæ? vides patrem firmam? vides militem instructum ad aciem? vides turrim stantem? vides justum gloriosum, et diabolum cum dedecore fugatum? Vide mihi, si placet, et patientiæ ejus coronidem. Post captos boves, post perditas oves, post domum eversam et filiorum interitum (vidit quippe illos diversis temporibus natos, sed uno et communi vitæ exitu sublatos) : post tantam igitur cladem invadit illum uxor his verbis : Usquequo tolerabis dicens, Ecce sustineo paulum temporis, exspectans spem salutis meæ? ecce enim deleta est memoria tua de terra : deleti filii tui et filiæ tuæ, quos cum labore peperi, atque in vanum laboravi : tu vero ipse in fœtore vermium jaces, noctemque sub dio transigis; et ego errans et supplex locum ex loco, et domum ex domo circumeo, exspectans quando sol occidat, ut a laboribus quiescam, et

a doloribus me ambientibus, qui me nunc detinent. Sed dic verbum quoddam in Dominum, et morere (*Job.* 2. 9) Ille vero respiciens eam, vocem protulit ab omnibus celebratam : *Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus* (*Ibid.* v. 10)? Viden' patientiæ pelagus? viden' doctrinam inconcussam? Non emollivit ejus patientiam intolerabilis casus; sed tot irruentibus malis, quasi decumanis fluctibus, scapha non submersa fuit. Vidisti patientiam justi? vidisti coronam justo ex patientia nexam? Vide mihi etiam Lazarum mendicum, imo divitibus opulentiorem, quomodo et ipse per patientiam in sinu Abrahæ requiescat. Hic enim Lazarus ad ostium divitis sedebat fame tabescens : et ille quidem dives variis lautisque cibis quotidie ventrem implebat; Lazarus vero ne pane quidem poterat ventrem implere : ille parasitos alebat; hic a canibus lingebatur : ille vino coronatos crateras habuit; hic plagas suas leniebat : ille ædes habuit auro tectas, marmora Laconica, diademata aurea; Lazarus vero ne tugurium quidem habuit : ille vestiebatur sericis et leporinis; Lazarus ne pannum quidem habuit. Sed vide mihi patientiæ finem. Mortuus ergo est dives; mors enim divitis, mors est : nam mors peccatorum pessima : mortuus est etiam Lazarus; imo potius translatus est. Hic ab angelis assumebatur, hic in cælo versabatur; ille autem in gehenna comburebatur : hic aquis abunde fruebatur; ille in gehenna urebatur, et stillam desiderabat : hic in sinu Abrahæ requiescebat; ille a verme immortali rodebatur. Et vide, si placet, patientiam beati Lazari. Non dixit in semetipso : Ego cum virtute vitam ducens paupertate premor; et ille iniquam ducens vitam dives est : huic servi adsunt indesinenter ministrantes : hic beatus, ille miser prædicabatur ab hominibus : coqui illi magna cum arte ministrabant, pistores, archipistores : balnea in urbe, balnea in agris, horti et pomaria. Hic quotidie honore summo fruebatur : terra ubertim illi proferebat, et nihil largiebatur egenis : arbores fructibus onustæ in terram vertebantur : ille vero malorum pondere oppressus, in cælum non respiciebat. At Lazarus solus sedebat, tempestatem paupertatis in patientia reponens. Vidistin' patientiam justi? vidistin' crudelitatem divitis? vidistin' tolerantiam pauperis? vidistin' inhumanitatem divitis? vidistis quod obsonium patientia protulerit? Vide mihi etiam tres pueros in fornace versantes, et per patientiam in fornace quasi in tenui aere ambulantes : quomodo hi juvenes tantum adire tormentum ausi sunt, nec secum reputarunt illam comminantem flammam, nec quam acerbos cruciatus experturi erant? Verum ita erant patientiæ animo elati, ut dicerent : *Sin minus, notum tibi sit, Rex, quod deos tuos non colimus, nec statuam auream, quam erexisti, adoramus* (*Dan.* 3. 18. 18). Attamen ejus tormenta adire sunt ausi; et ambulabant in fornace, Deum hymnis celebrantes, quasi in prato vel pomario vel viridario : et sic ambulabant, ac si quis in deliciis ageret, dicebantque : *Benedictus es, Domine Deus, patrum nostrorum, et laudabile et gloriosum nomen tuum in sæcula* (*Ibid. v.* 26). Ac vide patientiam, quæ humilitatem deinceps ingenerat : *Quia justus es in omnibus quæ fecisti nobis* (*Ibid. v.* 27). Quamvis si peccata admiserant, omnia illa vis flammæ absterserat : verumtamen illi cum patientia dicebant, *Justus es in omnibus quæ fecisti nobis.* Vidistin' patientiam justorum? Non secum reputabant corpora sua in igne versatura esse, sed adamante firmiores inventi sunt, et tam strenui erant, ut non in uno starent fornacis loco. *Et ambulantes benedicebant Deum et glorificabant* (*Ibid. v.* 24). Nec modo ipsi soli, sed etiam omnes creaturas secum advocabant, solem et lunam et stellas cæli, mare et flumina, fontes, stagna et terram, montes, colles, saltus, campos, noctes et dies. Et vide mihi rem mirabilem : ordine celebrabant et glorificabant Deum. Lege mundi creationem, ibi invenies : *In principio fecit Deus cælum et terram* (*Gen.* 1. 1). Deinde in sequenti creaturam inducit. Sic et pueri, qui legem sciebant, et Deum noverant, dicebant, *Benedicite cæli Domino, stellæ cæli Domino, aquæ omnes quæ super cælos sunt Domino, sol et luna Domino* (*Dan.* 3. 59. *seqq*). Et vide postremo omnium rem miram. *Benedicite Anania, Azaria et Misael Domino.* Ut enim in mundi creatione legislator dicebat historiam describens, postquam consummata creatio fuerat : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* 1. 26) : sic et hi in fine omnium postquam hymnum compleverant, dicunt, *Benedicite Anania, Azaria et Misael Domino.* Vidisti patientiam justorum? vidisti coronam nexam? vidisti strenuorum juvenum fortitudinem? vidisti zelum igne ardentiorem? vidisti os cum angelis versans? vidisti linguam angelorum comministram? vidisti patientiam athletarum? Non timuerunt mortem, non mutatus est vultus eorum ob futurum cruciatum, sed læti et florentes dicebant : *Sin minus, notum tibi sit, rex, quod deos tuos non colimus, nec statuam auream, quam erexisiti, adoramus.* Vidistin' quomodo ubique patientia regnum cælorum conciliat? Vide mihi, si placet, beatum Danielem in lacum leonum conjectum et leones jejunare docentem. Non enim audebant feræ propheticas gustare carnes, quia ille in patientia educatus fuerat. Hic ergo beatus Daniel in lacum leonum ingressus, non timuit, sed precatus est Deum, ipseque per patientiam feritatem in mansuetudinem mutavit, et naturæ ferocitas in mansuetudinem ovis convertebatur; eratque stans Daniel ut pastor cum agnis (*Dan.* 14). Vidisti naturam mutatam? E[t] tyrannus confundebatur, videreque erat rem stupendam et mirabilem : leones ipso rege mansuetiores facti sunt. Illi namque cibum accipientes, cum fame premerentur fame, non ausi sunt propheticas gustare carnes, nec mensam et obsonium appositam : suam negaverunt naturam ob prophetæ patientiam : neque ille incursu ferarum læsus est, quia sperabat in Domino : novit enim natura ferarum Dei imaginem revereri. Ideo cum probe sciret David, ei qui talis Dominum nihil esse aspectu formidabile, ait, Et conculcabis leonem et draconem (*Psal.* 90. 13); et rursum Dominus : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici* (*Luc.* 10. 19); et rursum David : *Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* (*Psal.* 22. 4). Vide mihi, si placet, et beatum Eliam, qui per tres annos et sex menses cælum verbo clausit, quomodo et hic in patientia manserit, non comedens panem, neque aquam sorbens; sed in montibus spatiabatur, statusque circuibat ob metum Jezabelis : et vir iste per patientiam nutriebatur a corvo (3. *Reg.* 17. 6). Juxta fluvium Chorasin sedebat in patientia perseverans, et a corvo nutritus, etsi corvus secundum legem immundus sit. Adsit Judæus : cur propheta tuus ab immunda ave alebatur? cur, dic mihi? Moyses dixit corvum esse immundum (*Levit.* 11. 15) : propheta vero tuus ab immunda ave cibum accipiebat. Annon alia avis erat? non erat in regione illa turtur aut columba, ut a corvo nutrietur? Expone mihi, Judæe, quæstionem illam de ave. Annon Moyses legem dedit de corvo, quem inter immundas aves posuit; quomodo igitur propheta, quem tu venturum exspectas, qui conscendit in currum igneum, qui clausit cælum tribus annis et sex mensibus, quomodo hic qui oratione mortuos suscitavit a corvo nutriebatur? annon poterat is, qui cælum clauserat, panes sibi deducere? Sed ut ostenderet tibi veterem legem et quæ legis erant evertere. Et hic per perseverantiam et patientiam decertans vitam exegit, omnes sanctos comperimus per patientiam concertasse. Contemplare mihi, si vis, et beatum Davidem, ultimum hominum, ultimum fratrum, denique regnantem fratres suos, qui tantum hostem lapide prostravit et phalangem ejus profligavit, virtutemque ejus ut araneam dissipavit; qui tamen cum ita pugnasset

Saüle impugnabantur, etiamsi illi David beneficia contulisset, psallenteque illo dæmonium fugaretur: et cum sæpe illum invenisset David, ita ut facile occidere posset, illum tamen injuriæ immemor illæsum reliquit: et cum sæpe Saül ipsum invasisset occisurus, David rursus totum Deo committebat.

Vide autem mihi et beatum Josephum, castitatis athletam, quomodo et ipse patientiæ philosophiam sectatus sit. Primo quidem insidiis appetitus a fratribus propter somnia. Et vide fratrum livorem. Si vera somnia, qua machina fieri poterat, ut quæ prævisa fuerant non acciderent? si vero mendaces somniorum visiones, quid invidetis ei qui deceptus est? Et vide rem miram, dilecte: seipsum vidit a sole et luna et undecim stellis adoratum. Hoc audierunt ejus fratres; imo potius discipuli diaboli, qui a patre suo diabolo edocti erant invidiam et cædem, sorores iniquitatis ipsorum, quas Paulus conjunxit dicens, *Plenos invidia et cæde* (*Rom.* 1. 29). Audierunt regnum in seipsos quod ipse erat accepturus, et ad illum occidendum concitati sunt. Beatus vero Joseph agonem illum sustinuit; et cum fratres ejus abiissent, ut pascerent oves in Sychem, dixit pater ejus: *Nonne ecce fratres tui pascunt in Sychem? Veni, mittam te, et vide si valeant fratres tui et pecora, et annuntia mihi* (*Gen.* 37. 13). Illo eunte, viderunt eum procul venientem, et mutuo dixerunt: *Ecce somniator ille venit. Venite, occidamus eum, et videamus si prosint illi somnia sua* (*Ibid. v.* 19. 20). Viden' consilium ad fratris cædem peragendam? Rursus diabolus ipsis consiliarius fuit, et ipsi has disciplinas accuratius didicerunt. Venit frater ad illos, et exuerunt eum tunica; sed non fuit patientia nudatus. Etiamsi enim velamen corporis deposuerit, at castitatem suam et spem in Deum non deposuit, sed ad Deum ille causam suam retulit. Hœdum mactarunt, tunicam ejus sanguine repleverunt, et patri attulere dicentes: Agnosce cujus sit hæc tunica. Agnovit pater filii tunicam polymitam. Lugere cœpit et lamentari, flensque dicebat: Fera pessima devoravit Joseph. Vere enim feræ pessimæ erant qui hæc fecerant; imo ipsis feris ferociores, qui consilio inito fratrem occiderint, et fratricidium perpetrare voluerint. Attamen beatus Joseph concertans cum patientia ferebat: injectus est in lacum; id quoque toleravit. Dicite mihi, o exsecrandi, cur tantam inhumanitatem in fratrem admisistis? non satis fuit vobis, quod illum tunica exueritis: ipsum etiam injecistis in lacum? non cogitastis Deum in cælo omnia videre? non exhorruit corpus vestrum? non formidavit cor vestrum, cum hoc facere ausi estis? nescitis primum legis præceptum esse, *Non occides:* et hoc in primis facere curastis, maximeque in fratrem? Deinde habito consilio, decreverunt illum vendere in servitutem. Descendebant Ismaelitæ in Ægyptum: viderunt eos, et extraxerunt illum de lacu, et vendiderunt regem suum, quasi is qui servus erat, numquam regnaturus esset. Descenderunt in Ægyptum. Et vide quomodo tentatio tentationem exceperit. Ipsum convenit Ægyptia: pernicioso verbo justum allicere tentavit dicens, *Dormi mecum* (*Ibid.* 39. 7), et præmia donaque tibi præbebo: servi mei sub manibus tuis sint, opibus te variis et multis ditabo, totam domum meam tibi committam, et ego ancilla tua ero: solum obtempera mihi, Joseph, vulneri meo te accommoda, exstingue flammam intus ardentem, cor meum affectu ardens refrigera, infelici animæ meæ te attempera. Ille vero respondens dixit: O mulier, servus numquam fueram, sed per invidiam et livorem servus huc descendi. Ne fœdes meam castitatem, ne abripias meam nobilitatem: non prodo sensum meum, non me projicio in os mortis, non perdo generis mei dignitatem. Abrahami sum abnepos, qui cum Deo loquutus est cum fiducia, cui Deus dixit: *Certe benedicens benedicam tibi, et multiplicans multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, et sicut arenam quæ est in littore maris* (*Ibid.* 22. 17). Avus meus est Isaac ille, qui in sacrificium se alacriter obtulit: pater meus est Jacob, qui cum angelo luctatus est, ille qui vidit cælestem scalam, quæ a terra in cælum firmata erat, et angelos Dei ascendentes et descendentes. Hujus filius sum: non sum fugitivus, non acerbus; non damnatus hic venditus sum, sed per invidiam et livorem. Ut vero suis sermonibus non potuit illum ad adulterium deducere, neque castitatem ejus blandis eloquiis labefactare, detinuit eum vestimento. Ille vero exutus vestimentis suis abscessit nudus. Vidisti patientiam? Exiit castus athleta dicens, Propter serpentem induimur, per castitatem exuimur: propter inobedientiam tegumentum accepimus, propter mandatum Dei dicens: *Non adulterabis*, illud deponimus. Et exiit nudus; imo potius Christum indutus. Spumam tunc emisit mare, et furebat procellas excitare volens, et navim cum viris demergere, neque potuit, sed in tanta tempestate quasi in tranquillo mari sic navigabat ille. Quanta movit, et hunc non læsit? Scapham perforavit, et sarcinam non abstulit. Quot turbas movit et thesaurum non abripuit? Demum illa circumspiciens, et optatum non inveniens, incipit demum calumniam, et viro suo dicit: *Induxisti mihi huc puerum Hebræum, qui illuderet mihi* (*Gen.* 39. 17). Audivit ille et ira incensus est, ipsumque in carcerem trusit. Nam qui in tenebris erant, opus habebant lucerna, et qui fame tabescebant, frumenti largitore. Hic mihi demum alium agonem contemplare. Non satis erat ei, quod patre privatus esset, quod a fratribus insidiis appetitus, quod a terra sua sublatus; sed additus est mulieris insultus, addita in carcerem conjectio. Demum, dilecti, in carcere jacebat. Injecti sunt in locum eumdem princeps pincernarum et princeps coquorum (*Ibid.* 40. 3). Ambo somnia viderunt, et mœstæ erant facies eorum. Vidit illos Joseph et dixit eis: Cur vultus vestri mœsti sunt? Responderunt illi: Somnium vidimus, et non est qui interpretetur. Reposuit ille: Referte mihi uterque quid videritis. Quid ais, Joseph? an non vidisti somnium? Horum finis nondum advenit. Vidisti te a sole et luna adorari; et ecce servus venditus es: vidisti manipulos fratrum tuorum conversos et adorantes manipulum tuum; et ecce in carcere inclusus es. Quid ergo interrogas, dum fratrum opera tantam fers calamitatem? cur tantum insanis? Non insanio, inquit; novi patientiæ meæ coronam, novi harumce calamitatum lucrum, novi qualis flos exoriturus sit: *Nemo enim coronatur, nisi qui legitime certaverit* (2. *Tim.* 2. 5); ac rursus beatus David: *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi* (*Psal.* 39. 2). Vidisti patientiam athletæ, vidisti perseverantiam, vidisti sensum non servilem, vidisti certatorem non lapsum, vidisti ex castitate coronatum, vidisti naviculam castitatis, vidisti gubernaculum juvenum, vidisti frenum vivacium, vidisti gubernatorem voluptatum, vidisti ejus certamen, vidisti ejus agonem? Quotquot ergo juvenes estis, hoc ratiocinium accipite: nihil enim patientia fortius. Radix enim omnium bonorum est patientia, mater pietatis, ramus lætitiæ, fructus qui non marcescit, turris inexpugnabilis, portus non agitatus fluctibus. Vidistis quam bonum obsonium sit patientia? Transeamus, si placet, ad beatam Susannam; hæc quoque in patientia certavit (*Dan.* 13): et videamus in muliebri corpore virilem animam, et mulieris castitatem cujus memoria manet immortalis cum victoria conjuncta. Nam et ipsa beata Susanna decertavit in publico theatro, ubi Deus et angeli et principatus et potestates ejus certamina videbant. Nam ejus quoque patientiam hic celebrare volo. Hæc igitur Susanna pro more ingressa est in pomarium ad spatiandum: duo autem scelesti seniores absconditi erant in pomario. Erat porro illa ceu agna solitaria deambulans in pomario; duo autem seniores lupi tecti meditantes quomodo illam caperent. Invenerunt autem illam solam, et ad illam accurrerunt: illa vero non formidavit, neque terruit eam illorum incursus, sed stabat castitate firma. Illi

vero dixerunt ei, In concupiscentia tui sumus, nobis obtempera : nos sumus seniores populi. Qui populum gubernare videbantur, ipsi sese demergunt. Nobis subjecta est lex (imo potius vos lex damnat dicens : *Non concupisces uxorem proximi tui* [*Exod.* 20. 17]) : si autem nobis non obtemperes, te accusabimus quod cum juvene fueris. Illa autem hoc audito sermone ingemuit dicens, *Angustiæ mihi sunt undique.* Eligenda potius mors est pro castitate, quam nuptiæ illicitæ. Illi autem amissa præda, accusabant illam ante populum : hæc vero tacebat patientiæ lucrum cernens. Condemnarunt illam ob violatam castitatem, imposuerunt illi manus, ipsa pergebat ad mortem. Vidit populus condemnationem : universorum vero cognitor Deus excitavit Spiritum sanctum super Danielem, qui occulta consilia aperuit, seniorum impudicitiam, Susannæ castitatem. Ipsi pudore suffusi sunt, et illa glorificata est : hi in infamia, illa in gloria. Nostis quod obsonium sit patientia. Quotquot igitur imaginem patientiæ habetis, hoc desiderium æmulamini : *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* 24. 13) in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO

IN ORATIONEM SEQUENTEM.

Hæc oratio Chrysostomi nomine habetur in Codice Vaticano 572, fol. 18. Habetur etiam in duobus Regiis, in Anglicano Baroc., et in Taurinensi quodam. Vide etiam Lambec. L. IV, p. 94. Editaque fuit a Savil. T. 6, p. 968. Ubique fertur nomine Chrysostomi; sed nihil habet Chrysostomo dignum, ut quisque vel mediocriter peritus statim animadvertet.

DE SALUTE ANIMÆ.

Carissimi, quotquot res hujus vitæ vanas et fluxas reliquistis, concertate ne rursum in illas animum vestrum convertatis. Divitiæ namque transeunt, et gloria perit, pulchritudo marcescit, omniaque mutantur et sicut fumus dissipantur, atque ut umbra prætereunt, et ut somnium dissipantur. Ideo dicebat Salomon, *Vanitas vanitatum*, *omnia vanitas* (*Eccli.* 1. 2) : Davidque ait : *In imagine pertransit homo* (*Psal.* 38. 7). Sed frustra conturbantur omnes, qui pro rebus hujus vitæ concertant : vere frustra conturbantur, frustra tumultuantur, frustra agitantur, concertantes et colligentes ea, quæ paulo post relicturi sunt : quæ nobiscum assumere non possumus ; sed omnibus relictis, nudi ut nati sumus, ad tremendum Judicem migrabimus. Etiamsi omnes thesauros corraserimus, nudi, tenebrosi, miserabiles, tristes, demissi, humiliati, contriti, timidi, trementes, mœsti, dolentes, prono ad terram vultu, ipsumque præ pudore obtegentes : sic migrabimus, sic resurgemus, sic adstabimus ante tribunal illud horrendum, acerbum, ubi nulla personarum acceptio, ubi angeli tremunt, ubi throni terribiles ponuntur, ubi libri actorum aperiuntur, ubi fluvius ignis inexstinguibilis, ubi immanis ille vermis, ubi tenebræ sine luce, ubi frigidus ille tartarus, ubi stridor dentium, ubi lacrymæ interminabiles, ubi gemitus qui comprimi nequit, ubi luctus inconsolabilis ; ubi non est risus, sed planctus ; ubi non est gaudium, sed gemitus ; ubi non est voluptas, sed judicium ; ubi non est vox, sed tremor. Horribile est audire, dilecti, horribilius est videre omnem creaturam stantem, et rationem reddentem, de verbo, de opere, de cogitationibus, queis in nocte et in die peccavimus. Magnus tunc timor, fratres, magna necessitas, qualis numquam fuit, neque erit usque ad diem illam. Tunc angeli circumcursant, tubæ clangunt, stellæ cadunt, sol obtenebratur, cæli convolvuntur, terra concutitur, potestates præcurrunt, Seraphim clamant, superna, infima, terrestria, inferna turbantur, sepulcra aperiuntur, corpora resurgunt et congregantur, judicium apparatur. Multus timor, inenarrabilis tremor, incomprehensibilis necessitas quæ tunc erit : magna hiems illa, magnus dolor, gravis calamitas, incessabilis tumultus, magnus ululatus. Audi igitur Danielem dicentem : *Aspiciebam in visione noctis, donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit. Vestimentum ejus candidum sicut nix, capillus capitis ejus purus ut lana : thronus ejus flamma, rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus trahebat in conspectu ejus : millia millium assistebant ei, et decies millies dena millia ministrabant ei. Judicium sedit, et libri aperti sunt. Inhorruit* tunc spiritus meus. *Ego Daniel vidi, et visio capitis mei conturbavit me* (*Dan.* 7. 9. 10. 15). Papæ ! propheta ad visionem futuri judicii inhorruit. Ecquid nos passuri sumus, cum ad res ipsas pervenerimus ? cum ab oriente sole usque ad occidentem congregati aderimus nudi, et cum onus peccatorum in collo positum omnibus ostendemus ? Tunc blasphemorum linguæ flammis ardebunt, et nemo erit qui refrigeret ; tunc obtrectatorum dentes conterentur a trucibus angelis ; tunc avarorum manus pendentes trement, et excarnificatæ dolorem afferent ; tunc nugatorum ora igne obstruentur ; tunc annuentium oculi effodientur sine misericordia. Ubi tunc parentes, ubi fratres, ubi pater, ubi mater, ubi cognati, ubi amici ? ubi regum fastus, ubi principum potestas, ubi tyrannorum arrogantia, ubi judicum superbia ? ubi servi, ubi ancillæ ? ubi luxus vestimentorum, ubi colores gemmarum, ubi fastus auri, ubi sonus argenti ? ubi ornatus annulorum, ubi calceus pedem circumstringens, ubi serica vestimenta, ubi byssina ? ubi carnes, ubi unguenta et variæ fumigationes ? ubi reconditi thesauri, ubi ornati lecti ? ubi ii qui despiciebant pauperes ? ubi ii qui negligebant illos qui in necessitate erant ? ubi illi qui se sapientes putabant ? ubi qui cum tympanis et choris vinum bibebant ? ubi illi qui semper ridebant, et piis illudebant ? ubi illi qui servos male afficiebant et timorem Dei nihili pendebant ? ubi illi qui ultionem divinam non credebant, et quasi immortales versabantur ? ubi sunt qui dicebant : Comedamus et bibamus, cras enim moriemur ? ubi sunt illi qui dicebant : Da mihi hodiernum diem, et sume tibi crastinum ? ubi sunt qui dicebant : Fruamur præsentibus, et de illis videamus ? ubi sunt qui dicebant : Clemens est Deus, peccatores non puniet ? O quantum poenitebit eos qui talia dicunt ! quantum lugebunt, et nemo miserebitur illorum ! quantum ingemiscent, et nemo redimet ! quanta sese macerantes dicent : Væ, quia nobis illusimus ; væ ! quia nos perdidimus. Docebamur, et non attendimus : monebamur, et despiciebamus : hæc testificabantur nobis, et non credebamus : dum Scripturas audiremus, nos ipsos in errorem induximus. Justum judicium Dei : digna et ex iis quæ fecimus, recipimus. Væ nobis, quia pro extemporaneam voluptatem, æternum cruciamur ! propter modici temporis incuria in æternum ignem dejicimur ; propter vanam gloriam a gloria Dei excidimus.

ob parvas delicias a paradisi deliciis [illegible] ter divitias perituras regni divitias [illegible] vano sæculo nos fruebamur; sed qu[illegible] fruebantur, jam lætantur. Nunc qu[illegible] deliciis fruuntur; qui decertarunt, in [illegible] mo choreas agunt; qui divitias disper[illegible] narunt, in exsultatione metunt; qui fleverunt [illegible] num exsultant; qui terrena despexerunt, [illegible] acceperunt: nos soli miseri suppliciis [illegible] sumus. Et nunc clamamus, nec est qui misereatur ingemiscimus, nec est qui nos servet. Ut ne quar nos cum illis insanis hujusmodi verba in futuro sæculo proferamus, venite, præveniamus furem animarum nostrarum, curramus dum tempus habemus, ingemiscamus, pœnitentiam agamus, expergiscamur, quæso, ex somno negligentiæ nostræ, ex onere peccatorum et segnitiei nostræ; extendamus manus nostras ad eum qui nos servare potest, et dicamus: *Domine, salva nos, perimus* (*Matth.* 8. 25). Festinemus solum, antequam sol occidat, antequam janua claudatur, antequam nox adveniat. Cum enim cœtus solutus fuerit, nemo negotiabitur; cum theatrum solutum fuerit, nemo coronabitur, nemo certabit. Quapropter curramus: cursu enim opus est, fratres, ac concitato cursu, ut præveniamus, ut ne nos etiam pulsantes audiamus, *Nescio vos:* celeriter curramus, etiam cum tantillo pudore. In quantis Dominum inhonoravimus, in quantis benefactorem ad iram concitavimus? ille nobis beneficia confert, et nos id quotidie ignoramus; ille miseratur, et nos contemnimus; ille alit nobisque prospicit, et nos ejus præcepta quotidie transgredimur, nec nos pudet. Nos demum pudeat: nam tempus appropinquat et dies advenit, et nos oportet de tota vita nostra rationem reddere. Finem demum imponamus immoderatis deliciis turpique risui, ne illic amare fleamus: fratribus nostris conviciari cessemus, nec illos odio habeamus vel lædamus. Finem faciamus thesaurizandi, deliciandi, fornicandi: incumbamus orationibus, obsecrationibus, lectionibus, jejuniis, pœnitentiæ: novam vitam exhibeamus, confiteamur, convertamur: nam conversionis tempus est. Pœnitentiam agamus, ploremus, Deo exhibeamus sollicitam pœnitentiam, et peccatum odio habeamus. Hic paulum, quæso, laboremus, ut ne illic multum cruciemur. Decertemus ante tempus, fratres, ut ne cruciemur in æternum. Tempus breve est, judicium longum, finis prope, timor magnus, et nemo erit qui misereatur. Requiret enim tempus, quod quisque male insumpsit, et utinam non inveniat. Væ obtrectatori, quia ardens aquæ stillas quæret, nec inveniet! væ incredulo, quia æternum cruciabitur! væ negligenti, quia ad severum Judicem pergit! væ illi qui non certaverit, quia immanibus angelis tradendus est! Qui aurum perdit, aliud aurum invenit; aliud vero pœnitentiæ tempus inveniri non potest. Ne parcamus, fratres, nostris corporibus, sed illa atteramus: quia *Beati qui esuriunt et sitiunt, beati qui lugent* (*Matth.* 5. 6). Corpus enim lutum est: venietque hora et dies tremenda, mala et inevitabilis, et terra in terram ibit, pulvisque in pulverem redigetur. Vigilemus, fratres, obsecro, iter agamus, respiremus: veniet enim hora, et vere veniet exitus nostri: ne nos ipsos decipiamus. Esto, [illegible] ex lectis [illegible] oculis et [illegible] deprecantes [illegible] mendi, qui [illegible] fructuosum et [illegible] catorem a corpore [illegible] propitii estote et [illegible] tempus ad pœnitentiam [illegible] eleemosynas facientes [illegible] sumpsi et transegi. [illegible] O misera anima, dices [illegible] transegisti, et nunc vis [illegible] tunata anima, sol tuus [illegible] riit: jussit Deus te a corpore [illegible] demneris et detrudaris in [illegible] opera tua: non enim est tibi [illegible] sed æternum supplicium. Hæc [illegible] vera credentes, non fabulas, ante [illegible] certemus; et si adsit consuetudo [illegible] mus illam per pœnitentiam. Ne [illegible] judicium futurum est, æternumque [illegible] qui non exstinguitur, vermis qui non [illegible] bræ exteriores, tartarus, stridor dentium, [illegible] magnus, ut Dominus in Evangeliis commemorat [illegible] non mendax enim est, qui dixit: *Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non præteribunt* (*Matth.* 24. 35). Quamobrem timeamus et exhorrescamus omnes, qui in peccatis viximus, et solliciti simus, ut cum sanctis per pœnitentiam inveniamur. Ne dixeris, Furatus sum, occidi, fornicatus sum, et non accipiet me Deus: nihil horum dixeris: omnes enim accipit, ut latronem, ut publicanum, ut meretricem. Tantum ne desperemus, quæso, ne segnes simus. Pulsemus per pœnitentiam et dicamus: Aperi nobis, Domine, indignis et peccatoribus: propter nomen sanctum tuum ne avertaris a nobis, sed placare, et ne prives nos regno tuo. Tu es enim Deus eorum, qui spem non habituri videntur, et salus omnium, qui ad te confugiunt: ac tuum est regnum et potestas et gloria cum Patre qui sine principio est, et cum sanctissimo, bono et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN ORATIONEM SEQUENTEM.

Hanc oratiunculam, etsi minus ineptam quam præcedentes, non licet Chrysostomo adscribere. Reclamat enim styli diversitas, quæ maxime in ethicis, apud Chrysostomum suis se notis indiciisque prodit.

IN CATECHUMENOS.

In externorum stadiis multi cursus laborem subeunt, unus vero coronam victoriæ reportat; certaminisque labores sudoresque multorum sunt, præmii gaudium unius : in hoc autem spirituali ecclesiæ loco unus omnium est pietatis cursus, sed par est coronarum et currentium numerus. Et nihil ea de re stupendum est : neque enim inops est præmiorum largitor, sed dives stat medius inter certantes Christus, qui singulorum bonum affectum quasi cursum accipit, et æqua lance præmia distribuit. Non enim dynasten præfert, et mendicum negligit; non gloria celebrem admittit, et infirmum repudiat; non coronat senectutem, et juventutem contemnit; non arridet justo, et peccatorem accurrentem torve respicit; sed omnibus æqualiter sagenam miserationum expandit : omnes similiter ad pietatis retia pertrahit. Nam id commune omnibus proposuit, atque, ut modo audivimus, benignitatis præceptum illud omnibus clamat : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* 11. 28). Venite omnes, qui salsum hoc vitæ mare navigantes trajicitis, mihi salutis gubernacula concredite : artem habeo diabolicis scopulis contrariam; negotiationem vobis fluctibus superiorem afferam. Venite omnes; multa instat peccati tempestas : est mihi piscinæ portus hominibus salutaris, diabolum suffocans. O vocationem, quæ peccatum denudat! o vocem, quæ totam dæmonis substantiam abripit! o pharmacum, quod ægros singulos pervadit! o donum in eos, qui volunt, sine obice influens! o fontem, qui omnibus vitam sitientibus festinanter dat potum! Nam ait : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* (*Joan.* 7. 37) : si quis sitit salutis fluenta, si quis aquam vivam concupiscit, si quis secundum veram cognitionem loquitur, si quis sitit pietatem. Nam Judas sitivit proditionem, Herodes sitivit puerorum exitium, sitivit synagoga cædes prophetarum, sitivit Jezabel Nabuthæ vineam, sitivit Dalida Samsonis infirmitatem, sitivit Herodias sanguinem Præcursoris, sitierunt Servatorem Judæi; sed sitierunt siti perniciem afferente, sitierunt siti febrim conciliante, sitierunt siti ultionis causa. Sed si quis sitit, ut Zacchæus conspectum meum sitivit, ut hæmorroissa curationem sitivit, ut sitivit meretrix ablutionem peccati, ut sitivit Matthæus evangelistæ dignitatem, ut sitivit latro paradisum, ut sitivit Thomas vivificorum vulnerum tactum, ut sitivit eunuchus Æthiopiæ baptisma, circa quod ardens apostolo clamabat : *Ecce aquam, quid prohibet me baptizari* (*Act.* 8. 36)? Audi, catechumene : fons vitæ non modo vocat, sed etiam rogat : *Venite*, inquit, *omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Ad totius generis mei beneficium paratus sum; imbre volo charismatum fontem emittere. Venite omnes; etiamsi multa sint millia infirmorum, accedant. Nemo medicum me putet deficere, dum toto orbi medelam offero : non defatigor in curando, si quidem non segnis fui in creando; copiam meam non minuit mundus, dum mea dona partitur; non pauper evado cum largior : cum diripior gaudeo, cum auferor delector : dum effundor non minuor : furto subductus, mihi placeo, cujus rei testis est hæmorroissa quæ furata est; ideo et anima et corpore coronata. *Venite omnes, qui laboratis.* Vides, o Christi amans, quanta sit creatoris erga genus nostrum liberalitas? Cur ergo negligis, o catechumene? cur differs? Accede ad Dominum te vocantem. Non audis sapientem te hortantem ac dicentem : *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : repente enim veniet ira Domini* (*Eccli.* 5. 8. 9)? Tempus enim præscindit, dum videt hominum naturam facile ac brevi tempore verti. Multi enim qui ad brevissimum tempus distulerunt spei suæ tutandæ putabant se utrinque sapienter providisse, neque se ab spe lapsuros exspectabant, et se interim vitæ usum lucrari arbitrantes, antequam necessariis fruerentur rapti sunt, atque æternis suppliciis et cruciatibus traditi : et cum putarent se breve tempus suffurari, totam sibi salutem subripi non cogitarunt, subito rapti ante senium. Ideo Dominus Christus mortem hominis furem vocavit : *Sicut fur*, inquit, *in nocte, sic veniet* (1. *Thess.* 5. 2); ut nos de indefinitis illis insidiis turbati, diuturnius nobis statutum tempus non speraremus. Non enim penes nos est illa diuturnior dilatio, non possumus tantum vivere quantum vellemus. Ideo horæ translationis nostræ notitia nobis credita non fuit, ut immoderatam peccandi licentiam minuamus, timore mortis ad temperantiam inducti. Numeremus eos, qui quotidie ad sepulcra efferuntur, observemus quomodo inter senes magnus juvenum numerus immixtus sit. Cur ergo, o catechumene, animæ tuæ securitatem negligis, et misso mortis metu, tempus mihi profers ut fortem certatorem? quot homines vitæ voluptatibus fruentes, et de carnis bona valetudine quasi de immutabili potentia gloriantes, quasi pulvis a turbine, repente in sepulcrum rapti sunt? Itaque cum nobis vitæ tempus definire non valeamus, mortis timorem non excutiamus. Quot negligentes, qui diuturnam vitam exspectabant, repente incendium in pulverem redegit? quot terræ motu absorpti sunt? quot navigantes mare obruit? quot terræ hiatus repente absorbuit? quot viatores flumina exundantia abripuere? quot in feras aut latrones incidentes periere? quot hostium gladius messuit? quot a repentinis morbis sunt sublati? quot ex patria ejecti, mortem subiere, neque communi sepultura digni sunt? Non audis frequenter Dominum clamantem, et finis vicinitatem nuntiantem : *Securis ad radicem arborum posita est* (*Matth.* 3. 10)? Quæ securis? Mors. Quæ radix? Vita hominis. Quis exscindit? Domini sententia, quæ exscindendo clamat, *Pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* 3. 19). Ergo ab illa recedentes, accedamus ad Christum vocantem; curramus a tenebris ad lucem translati, curramus ad Dominum qui nobis quietem confert, subigentes carnem spiritui; curramus, festinemus celerius quam mors; præveniamus angelos, qui ad patrocinandum nobis veniunt. Hæc vita ceu verbum est; vitæ spatium ut umbra prætercurrit. Tempus absumitur, mores non in meliora mutantur; opera præcurrunt, judex exspectat, præceptum urget, adsunt angeli, conscientia accusat. Ecquid faciemus ad judicium vocati? Institutum ergo vitæ bonum diligamus, odio habeamus consuetudinem peccandi, futuram curemus defensionem, puritatem vitæ obtineamus : nam qui mundi sunt corde, Deum videbunt (*Matth.* 5. 8) : dominicas coronas diligamus; cum alacritate magna vitæ stadium decurramus, ipsum habentes in agone cooperantem agonothetam Christum : *Diligentibus eum Deum*, inquit, *omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* 8. 28). Quod autem mirabilius est audi : certaminis tempore Dominus cum certantibus pugnat, et in hora victoriæ præmii dator sedet : ad pugnam ungit, et paulo post ipse coronas imponit : una certat, certantibus vires indit, victoriæ ansas præbet, et paulo post victoriæ mercedem retribuit. Undenam id liquet? Audi Davidem clamantem : *Cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum et glorificabo eum* (*Psal.* 90. 15). O benignitatem ineffabilem! o bonitatem sermonem omnem superantem. Vide namque quid Dominus dicat : In tempore tribulationis, inquit, cum ipso sum : in tempore laboris cum ipso venio, eripio ex periculo. Illi omnia facio una concertans. Deinde ut præmii dator et Dominus, liberalitatem promo dicens : *Glorificabo eum. Longitudine dierum adimplebo eum.* Hoc ... Dominus facere in eo qui libenter erogat : ...

pauperis eleemosynam recipientis excavat. Cum audis Christi manum, intellige palmam, quæ orbis terminos gestat. Extendit igitur manum arcano modo, clam obolos accipit, observat dantis vultum; in terra beneficium accipit, et in cælo mercedem præparat. Quomodo et quando dat retributionem? *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis in gloria Patris sui, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super thronum gloriæ suæ: et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis: et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris: et dicet eis, qui a dextris sunt: Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* 25. 31. 34). Invenistis enim judicem debitorem: ne timeatis thronum, sed ad sedentem ut beneficio affectum accurrite: chirographum quod exposui vobis profero: non occulto beneficium, ne ex benignitate mea aliquid amittatis: non nego donum vestrum; nam ad retributionem festino. Venite, vos semen miserationum exhibuistis; ego messem gaudii vobis præparavi. Dic qua de causa, Domine. Esurivi, et dedistis mihi manducare. Nemo igitur pauperem quasi inopem rejiciat: nam Judicem futurorum sæculorum esurientem rejiceret. Debitorem ergo nobis constituamus eum, qui illic judicaturus est. Nam *Qui miseretur pauperis*, inquit, *fœneratur Deo* (*Prov.* 19. 17). Studeamus dignos effici qui a dextris constituamur, odio habeamus exsecrandam hædorum cognationem, agnorum societatem assequamur: nam in potestate nostra est meliorem sortem eligere. Ideo namque nobis Judex præsignificavit Dominicum illud et terribile tribunal, necnon sententiæ severitatem, ut edocti, a malo et a comminatione declinemus. Ne prætergrediamur Pauli præceptum: *Quæstus magnus est pietas* (1. *Tim.* 6. 6). Non subjicitur rationi reddendæ (in tempore autem cogita Judicis severitatem): non timet clamorem accusantis ante thronum: non exspectat damnationem, sed consolationem. Non est enim indigus. Frueris bonis. Divitiæ auferri nequeunt, honor successorem non habet, lucrum non reconditur, auxilium præcedit, gratia comitatur, cordis est curatio, animæ exsultatio, conscientiæ gaudium, defensio facilis, occasio fiduciæ. *Pietas ad omnia utilis est* (1. *Tim.* 4. 8); promissiones habens vitæ et præsentis et futuræ: quam et nos consequi dignemur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN ORATIONEM SEQUENTEM.

Hæc oratiuncula fragmentum videtur esse: nec est quod curemus de restaurandis iis quæ interciderant. Nam dignum tenebris opus publicum facere ne cogitassemus quidem, nisi prior Savilius edidisset. Seriem plerumque obscuram vel vitiatam divinando vertimus.

MISERI PRÆDICANTUR QUI VIRGINES CHRISTI CORRUMPUNT.

Quid vobis dicendum, miseri et infelices, pessimarum voluptatum duces? quo pacto effugere vultis manus Dei viventis? quid facietis quando is, qui illam desponsavit, veniet judicaturus vivos et mortuos? quam defensionem afferetis, qui tam scelesta in sponsas Christi admisistis? usque adeone despexistis? non contremuistis, non formidastis, non exhorruistis? non pepercistis animabus vestris? nescitis nullam esse iniquitatem huic parem? nescitis virgines esse templum Dei? ignoratisne Spiritum Dei in ipsis habitare? quæ quotidie cum Christo de indeficientibus et manentibus in sæcula nuptialibus pignoribus loquuntur, et quas Paulus virgines castas exhibere se Christo declaravit, vos in luto et fœtore volutastis? Heu, quomodo ausi estis virgines Christi corrumpere, pessimæ concupiscentiæ auctores? Si quis cum conserva puella misceri ausit, non impune est: cum autem Christi sponsas contra suum vestrumque Dominum armatis, num vos ultionem effugere posse speratis? non audistis apostolum dicentem, *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam* (*Jac.* 2. 13)? Ecquid hac re misericordia indignius? uno quippe gladio cædes duas perpetratis, dum et vos ipsos et illas interficitis: illud quippe mors est apud eos qui recte sentiunt. O, quis non ingemiscat? quis non lugeat? quis non plangat et lamentetur immaturam cædem? quis non fleat inexspectatam mortem? quis non doleat de iniqua plaga? Nuptiale pignus et scriptum apud legitimum qui illam incorruptam duxit virum, cælestem sponsum Christum servantur, et virginitas proditur mœcho? Sed dicet quæpiam: Ex necessitate Christo conjuncta sum; non erat in proposito meo ipsi nubere, sed conservo. Ausa es, misera, contra te ipsam sermocinari? cum enim non voluntatis proposito erga Dominum affecta esses, ille te amavit. Audi, o infelix, et interrogabo te, et saltem ex rebus hujus sæculi certiorem te faciam. De sæcularibus loquor: si alius loco alterius puellam rapiat, dum par sit utriusque conditio, raptus hujusmodi ratus habetur, et leges, et rex raptui favent. Non enim rapuit ut contumeliam inferret, sed ut honoraret, et nuptialia pignora et dona afferre potuit. Si ergo apud homines nulla mutatio *, quia prævenientem illa sequitur: quid respondebis tu, quæ præter spem a Domino rapta fuisti? Neque enim necessitatem illam dico, propter quam cum Domino jungi dignata es, sed œconomiam et benignitatem Domini; ut ex necessitatis specie tu indigna connubium incorruptum te exsuperans lucrareris. Ne ergo dicas, te ex necessitate virginitatem elegisse: ne sis ingrata cælesti sponso, qui te sine dote, vili genere natam, servam ducere dignatus est: serva enim ejus es, velis nolis. Itaque rogo te, o virgo, ut obsequens sis sine controversia et turpissimis ratiociniis. Et si nondum spirituales nuptias repudiasti, pacta firmiter serves; si vero jam prævaricata et lapsa es, surge, surge, obsecro. Adest enim jam tibi bonus ille et clemens Dominus, abs te inhonoratus: non rejicit contubernium tuum, porrige illi manum. Quia enim primam dexteram contumelia affecisti, ne hanc quoque repudies. Non vulnera tua contemnit: sanat enim ille plagam et corporis et animæ, est quippe medicus indulgens. Revela illi morbum tuum per confessionem, ut ille invisibiliter imponat salutare pharmacum: non venit enim vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Ad te venit jacentem: surge igitur, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam; id est, ad pœnitentiæ portum. Ne ultra attendas vel carnis vel mentis oculis adultero illi, qui te in gehennam ducit et ad vermem nunquam morientem. Tolle, inquit, tolle hinc: nolo enim te jacere. Scinde peccati symbolum: abluere lacrymis, non in piscina, sed in ecclesia: potest

enim Deus restituere tibi pristinam dignitatem. Ne doceas figulum quomodo figmentum suum restauret. Peccasti? Quiesce: ne dicas, Quomodo fieri potest, ut in pristinam dignitatem restituar? ne hoc dicas, o virgo: nam *Deus est qui justificat, et quis est qui condemnet* (*Rom.* 8. 33. 34)? Audi Dominum quomodo per Jeremiam prophetam desperationem redarguat dicens: *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? cur non ascendit medela filiæ populi mei* (*Jer.* 8. 22)? O commiserantem medicum! non accusat de lapsu, sed de incuria: non dixit, Cur plagam accepisti? sed, Cur non curata fuisti? non dixit, Cur cecidisti? sed, Cur non surrexisti? Quod vero te Dominus per pœnitentiam splendidiorem reddere velit, audi illum per Isaiam prophetam dicentem: *Si fuerint peccata vestra sicut puniceum, quasi nivem dealbabo; si fuerint sicut coccinum, quasi lanam dealbabo* (*Isai.* 1. 18). Neque uqmuam apostolus importunum subiisset laborem, nisi prius benignitatis Domini pacta accepisset; neque dixisset: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* 4. 19). Quia enim, inquit, animam ad imaginem Dei factam corruptori dæmoni tradidisti, faciens membra Christi membra meretricis; non finem faciam lugendi ac mœrendi, donec rursum videam formatum in te Christum, teque castitatis pulchritudine indutam. Ne abjicias bravium pœnitentiæ, quæso, rogo et obsecro: viriliter age, te purifica, et spiritualiter unge: adhortationem apostolus multiplicat: *Propter Christum legatione fungor, reconciliamini Deo* (2. *Cor.* 5. 20). Obsecrat apostolus, ut Christo desponsatam, quæ pacta solvit, revocet iterum. Benignus Dominus ait: Non injuriæ illatæ recordor: cubile meum contumelia est affectum, conjugium meum dehonestatum est, sed jam de re gesta te non accuso. Cur adversario bellum inferenti non restitisti? cur venenata tela ejus per signum crucis meæ non repulisti? Nonne ideo ego in virginea vulva habitavi, ut natura olim inhonorata, per virginitatem honoraretur? Virginem namque Evam inimicus captivam fecit; et per virginitatem rursus illam in paradisum induxi. Non audisti me dicentem, nullum esse qui relinquat patrem aut matrem aut domum, et abneget omnia quæ ad vitam pertinent, qui non centuplum recipiat, et vitam æternam possideat (*Matth.* 19. 29)? non audisti me per Isaiam prophetam dicentem, *Qui serviunt mihi, lætabuntur* (*Isai.* 65. 14)? annon per eumdem servum meum Isaiam pollicitus sum, eos qui in castitate corpus servant possessuros esse bona multa, et fructus meliores quam sint filii et filiæ? annon per * virginitatem ** caput meum tenuit? annon Joannes filius Zebedæi per virginitatem filius tonitrui vocatus est, et filius matris meæ? quomodo non audisti Paulum apostolum dicentem: *Carnis curam ne feceritis* (*Rom.* 13. 14.)? Etiam, inquit, Domine; sed indignæ ancillæ tuæ miserere, et ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Nam princeps mali et homicida inimicus venenatum telum jaculatus est in me, et invasit cor meum, renes et reliquos sensus; oblitaque sum timoris tui et justæ tuæ retributionis. Obscuravit enim mentis meæ oculos ignis intus invadens. Verum inexcusabilis sum, Domine, quod non te tunc in auxilium meum advocaverim: sed peccavi, Domine, peccavi, quod te dereliquerim, ut turpi atque ignominioso affectui servirem. Tunc et ipse reponet tibi: Bonum fuisset tecum reputare et timere, ne cito mitterentur qui abs te animam repeterent: et ubi tunc fuisset confessio et pœnitentia? Ideo enim dico, *Vigilate, quia nescitis diem neque horam* (*Matth.* 24. 42). Cæterum abhinc jam noli peccare, neque me relicto, adultera voceris. Et nos itaque obsecramus, Reconciliamini Deo, et tu, o virgo, ita dicito: *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine* (*Psal.* 25. 6): quia jacentem erexisti, mortuam vivificasti, sordidatam splendidam fecisti, in peccato demersam hamo pietatis extraxisti, errantem reduxisti, captivam redemisti, contumeliam inferentem non ultus es, fugitivam revocasti, sanguine respersam abluisti, a voluptate quasi venatu captam recuperasti, dignam tartaro cæli civem fecisti, a gehenna liberasti, a gladio redemisti, a vinculis solvisti, æterna vita dignatus es, a periculo eripuisti, diabolum pudore suffudisti, chirographum discerpsisti. O bonarum lacrymarum agricola! quid his miraculis splendidius? Convenite igitur quotquot in talis naufragii periculum incidistis; scitote, discite, docemini, peccati fructum esse mortem, fructum vero Spiritus esse vitam, pacem, sanctificationem. Quotquot igitur nunc et semper hanc mortem effugere vultis, dicta omnia in argumentum salutis accipite, et hoc semper meditamini omnes, præcipue autem monachi et virgines, quæ corpora vestra Domino consecrastis: *Spiritu ambulate, et desiderium carnis ne perficiatis* (*Gal.* 5. 16). Nam concupiscentia carnis fructum peccati mortem protulit; fructus vero Spiritus vitam æternam, incorruptionem, sanctificationem et pacem animæ et corporis. Quapropter hoc notum omnibus vobis sit, nullam virtutem pretiosiorem virginitate esse ad omne germen pietatis; sed et nullam huic similem reperiri, si monachus ille aut virgo mente non fornicetur: nam cogitationum consensus totam rem perficit. Non enim mendax est, qui dixit: *Omnis qui respicit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* 5. 28). Non enim fit distinctio inter marem et feminam; omnes enim ex eadem massa sumus, ut ait Evangelium, dum voluntatem viri et voluntatem carnis idipsum esse dicit (*Joan.* 1. 13). Ideo oportet Christi virginem se totam cum corde immaculatam et incorruptam servare sponso suo et creatori Christo, et oculis mentis suæ respicere eum, qui est speciosus forma præ filiis hominum: omne verbum otiosum, quod non sit ad ædificationem, aversari oportet: cum viris non libere versari, maxime vero, si sint immodesti. Si vero sit agendum de animæ utilitate, non repellendi sunt viri modesti et temperantes. Non cum nimia fiducia agendum nec immorandum est; cum mulieribus immodestis non confabulandum; juramentum nullum ex ore egrediatur: Dominicum enim præceptum est, nec per caput tuum jurare licitum esse: Omne, inquit, quod abundantius est, quam, Est et Non, ex malo est (*Matth.* 5. 37). Sordidæ et inhonestæ cogitationes et omnes carnis tentationes timore et amore Christi et signo crucis ejus sunt abigendæ. Ecce patres et matres, fratres et sorores et filios, omniaque utilia * commendavi vobis, nempe monachis et virginibus. Hæc custodite, et non cadetis; sed digni eritis et vos, qui hæredes Christi declaremini, quorum omnium bonorum, quæ præparata sunt, nos dignos efficiat Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, gratia, miserationibus et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri gloria, honor, adoratio cum sanctissimo Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SERMONEM SEQUENTEM.

Quæ sæpe Chrysostomus in scriptis suis clare, argute et dilucide suo more contra Arianos et An-

mœos prosequitur, hic quisquis sit scriptor perplexe tractat; Arium et Arianos carpit; in multis ita obscure, ut nonnunquam divinando ea Latine convertere coacti simus.

CONTRA HÆRETICOS.

Cum vos et choreas pietatis agentes et milites videam, modo moralium rerum cantum suavem ut choreas agentibus propono, modo dogmaticam auribus persono severitatem, et tubæ clangorem ut militibus. Ex utroque enim pietatis forma constituitur, moralibus corporis ordinem implentibus, dogmatibusque adjunctis ad animæ dignitatem conferentibus. Sicut enim corpore ab anima separato, membrorum compositio inutilis fuerit, etsi ea laudetur: sic et moralium rerum decor, nisi dogmatum vi fulciatur, emortuus est. Quæ enim utilitas est moralium quæ temperantiam doceant, si temperantiæ Judicem temperans ignoret? quod eleemosynæ lucrum est, si eleemosynæ Judex contemptus indignetur? quid juvat milites, si strenuissime rem agant, dum inimici regis sunt? Virtutis culmen inutile ponis iis qui non utuntur, si quidem recta dogmata radicem non posuerint. Oportet enim fructus ex radice proficisci, et virtutum nervos ex capite prodire. Ex hoc nos pendentes, et huic membra bonorum operum copulantes, pietatis totum corpus perficimus, corporis caput Christum complectentes. *Ipse enim est*, inquit, *caput corporis Ecclesiæ* (*Col.* 1. 18). Quod caput hæretici non dignati sunt habere. Precibus igitur opus habent, ut ne Christiani appellati, contra Christum insaniant. Nunc autem gratiæ illis de insania sua habendæ sunt, quia dum rabidi instant, ut vigilemus efficiunt: ad pugnam enim desiderabilem nos incitant: pugnam enim amo pace meliorem, bellum diligo caritate beatius. Sententiam libenter effero, quæ apud gentiles in honore habetur ob Christum; apud nos autem dissidiorum causa est, quia nos Christum exaltamus. Talis enim erat Arius: quando cum gentilibus loquebatur, cum honore Christum memorabat: quando nobiscum disserebat, contra Christum loquebatur. Talis Eunomius: quando gentilismum deprimebat, fictitios deos traducebat: cum vero nobiscum loquebatur, Deum factum inducebat: deum factum enim inducit, Deum Verbum dicens creatum esse Deum, ita ut creatura colatur. Quid facis, hæretice excutiens? Christum inducis ea stabilientem quæ ipse destruxit: et quæ tu cogitas ille evulsit, nempe creaturas in deos mutatas, creaturarumque cultum; ut majora insereret. Ne lædas christianismi nobilitatem, ne illi affinem gentilismum efficias: cultus enim Creaturæ, sive major sive minor sit cratura quæ colitur, gentilium cultui affinis est, Non enim accusat Paulus gentiles, quod parvum cultum exhiberent; sed quod omnino exhiberent creaturæ, potius quam creatori (*Rom.* 1. 25). Nam creaturam colere vel in parvo vel in magno, idipsum reputatur; imo hæreticus magis quam gentiles divinam naturam impetit. Non enim tantam contumeliam numini infert qui creaturam vocat Deum, quam is qui Deum vocat creaturam. Nam qui creaturam Deum efficit, videtur servum regia purpura induere: qui vero Deum creaturam facit, numen in personam privatam redigit. Gentilis quidem numen, quod Deum suspicatur esse, omnino colit: Arius vero non colit, quia Dei appellationem non fert. Colendum et adorandum esse Christum non negat; si vero celsissimis honoribus colatur, dolet. Si quis dixerit increatum, statim irascuntur illi; si sub nullius esse dominio, ægre ferunt; si paternæ dignitatis consortem, quasi majori accepto vulnere exasperantur; si suo arbitrio dantem munera, hac de re fremunt; nomine Christiani, sententia Christi osores. Perpende, Ari, quam auctoritatem violes: audi illum aliis alio modo Domini more præcipientem: *Tibi dabo*, inquit, *claves regni cælorum* (*Matth.* 16. 10); et, *Tu hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* 23. 43); Tu misso telonio, me sequere: Tu ne timeas, sed loquere, quia ego tecum sum: Tibi dico, leprose, mundare (*Matth.* 9. 9. *et* 8. 3): Tu curre lavare te in Siloe (*Joan.* 9. 7), et visum recipe: Tibi, paralytice, remittuntur peccata: Tu, mare, tace, obmutesce: *Vos, venite post me, et faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* 9. 2. *et* 4. 19); *Vos, solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* 2. 19): Vos, *Docete omnes gentes. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* 28. 19. 20) Nihil horum ita dixit: Tibi dabit Pater claves regni cælorum; te in paradisum ducet Pater; tu, leprose, ex voluntate Patris mundare; tu ex jussu Patris impera mari, tace, obmutesce; vos, venite post me, et faciet vos Pater piscatores hominum: sed ex auctoritate loquitur. Quod si aliquando voces moderatioris auctoritatis sunt, ut illud, *Gratias tibi ago, Pater, quia exaudisti me;* talis demissionis causam addit, *Propter circumstantem turbam dixi, ut credant quia tu me misisti* (*Joan.* 11. 41. 42): ex iis vero qui ipsum admirabantur*, quidam illum excelsis vocibus coronabant. Accessit pro puero rogans centurio, qui illum pro virili laudibus extollebat: nam ait; *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus;* et cum applausu donum accepit. *Amen dico vobis*, inquit, *nec in Israel tantam fidem inveni. Sed vade, et ut credidisti fiat tibi* (*Matth.* 8. 8. 10. 13). Rursus mulier quædam sanguinis fluxum patiens, Christi tunicæ gloriam et laudem referens, * quanto magis divinitati, cum laude donum accepit. Honoratus fuit latro in paradiso, quia crucifixum Regem vocavit. Tanto major a nobis, quam ab illis, requiritur fides erga Dominum Christum, quanto majorem accepimus cognitionem. Esto tamen, Ari, saltem his similia dicere liceat. Non vis me de Christo altius sentire, quam in prædictis exprimatur? Prava certe est voluntas, sed his saltem stemus. Cur humiliores iis qui ipsum invocant voces suggeris? In exemplum habeo sermones, quos tunc illi proferebant. Non dico Christo: Domine, memento mei in ministerio tuo; sed vocem pronuntio, per quam latro exauditus est, *Domine, memento mei in regno tuo* (*Luc.* 23. 42). Non dico Deo Verbo: Domine, donorum Patris minister; centenarius enim id non concedit, qui clamat, *Domine, dic tantum verbo, et sanabitur puer meus.* Non dico ei, Domine, si petieris a Patre, salvus ero: muliebri enim fide minorem non proferam divinitati vocem, o Ari. Sic voco Filium, ut vocatus ille gaudet. Accedo cum hujusmodi vocibus, queis usi illi, rem consequuti revertebantur. Quod si latro, mulier et miles fidelis, ad fidei doctrinam non recipiendi sint; reverere saltem apostolorum chorum, quando opus erat donis supernaturalibus, quæ Christum celebrarent. Quid loquutus Petrus paralyticum erigit? *Ænea*, inquit, *sanat te Christus* (*Act.* 9. 34); ac rursus cum alium sanat, *Non est*, inquit, *in alio nomine salus* (*Act.* 4. 15). Quid dicens Ananias Paulum sanavit? *Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui visus est tibi in via, ut visum recipias, et repleberis Spiritu sancto* (*Act.* 9. 17). Cujus sibi virtutem precabatur Paulus? *Libenter*, inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (2. *Cor.* 12. 9) Cui ad ultionem Samaritanorum supplicabant Jacobus et Joannes? *Domine*, inquiunt, *vis dicamus ut descendat ignis de cælo, et consumat eos* (*Luc.* 9. 54)? Angelorum vero chorus

quid de illo hominibus tradebat? *Ipse*, inquiunt, *salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* 1. 21). Et hæc minora erant dignitate ipsius. Non est enim hymnus exaltans Filium, neque æqualem dicens; sed quantumcumque laudibus procedas, quantumcumque sermone gloriam referas, cum Davide victus clamabis, *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi* (*Psal.* 115. 12)? Quod si, o Ari, vox illa, increatus, plus quam par est Filium extollat, licebit tibi, mutatione facta, Davidis voce clamare: Domine, si te increatum dixero, quid retribues mihi, qui te majori, quam tibi debeatur, afficio honore? Sed contra illos vociferabitur Joannes: Stulti et cæci, non sumus digni solvere corrigiam calceamenti ejus. Undique igitur ad divinam naturam verbis exaltandam excitemur: magnas in hymnis de Deo sententias meditemur: totis viribus exaltemus eum, quem honoramus: inopem sensum in tempore quo de Deo loquimur, depellamus: honoremus Patrem cum sublimibus Filii laudibus, glorificemus Genitorem et Geniti similitudinem naturæ cum ipso pari honore: generationis veritatem confiteamur: possideamus Patris dilectionem per cultum ejus, qui ex ipso est: nam *Si quis diligit me*, inquit, *diliget eum Pater meus* (*Joan.* 14. 21): cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM

IN SERMONEM DE ELEEMOSYNA.

Ineptissimi opusculi a Savilio Græce T. 6, p. 811, dati hic interpretationem Latinam publicamus. Hanc orationem Savilius poterat sine dispendio prætermittere, ut indignam luce, qui non paucas similes in tenebris reliquit. Sed ne quid ex Savilii editis prætermisisse videamur, hanc cum aliis ejusdem farinæ Savilianis edidimus.

CHRYSOSTOMI HOMILIA DE ELEEMOSYNA.

1. Rursum nobis a Domino Deo et Servatore nostro Jesu Christo tempus datum est, quo in auribus vestris eleemosynæ semina jaciamus: rursum nobis Christus modum concessit, quo illum satorem imitemur, qui cum semen suum in bonam terram jecisset, centuplum recipit. Ecce namque tuba cecinit ut manuum opera prædicaret: ecce theatrum eleemosynæ coactum est. In medium ergo vocentur, religiosi, liberales et pauperum amantes: vocentur coronarum amatores. Adest enim Deus qui præmia largiatur, qui pro accepta modica pecunia regnum cælorum confert largitoribus. Nemo vestrum, quæso, illa mulctetur gratia: nemo hoc magnum supernumque donum propter modicam pecuniam despiciat, non pauper, non dives, non servus, non liber, non sapiens, non idiota, non vir, non mulier: sed omnes, rogo, alacriter regnum cælorum emant. Ne quis pauperum dicat mihi, Pauper sum: illos namque primos aggredi necesse est, quia putant excusationem suam probabilem apud Deum videri. Quid enim sæpe dicit pauper? Pecuniam non habeo, quotidiano egeo cibo, tota die labore et sudore premor, ut vitam servare vix possim: onera humeris gesto, opere fabrili et malleo laboro, et corporis vires absumo: et tu sedens me ad id damnas, ut labores meos alienis impertiam? Num, quæso, tuos prorsus esse labores dicis, tuasque putas esse corporis vires? non credis te, si modicum quid ex laboribus, quos tuos dicis, impertias, eleemosynam illi erogare, qui tibi robur et vires ad operandum indidit? Imo potius parum da corpori, ut animæ grandem thesaurum tribuas. Num si decem obolos habens, novem corpori, et unum animæ dederis, hinc tibi omnes vitæ facultates subvertuntur? Si quinquaginta obolos habens, quinque Deo per inopes erogaveris, et quadraginta quinque tibi, animam fide roborasti, corpus validius per aliorum preces reddidisti, gratiamque accepisti ad ulteriorem laborem et ad majus lucrum, factusque es opulentis opulentior ad eleemosynam. At dices utique mihi, Quid hinc lucrabor? Non ultra pauper vocaberis, sed Dei fœnerator. Et unde, inquies, hoc mihi eveniet? Crede Scripturæ dicenti: *Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo* (*Prov.* 19. 17); et ab illo audies, *In quantum fecistis uni ex his minimis, mihi fecistis* (*Matth.* 25. 45). Annon sæpe in foro sedens vidisti divitem transeuntem, et beatum illum prædicasti dicens: Felix est hic dives, quia non eget aliorum ope, imo potius fœneratur? Verum ille hominibus fœneratur, tu Deo: ille de singulorum laboribus accipit, et peccat, nec sine lite et jurgio; tu vero sine labore et cura a Deo cum lætitia centuplum accipis: ille ad hanc brevem vitam accipit, tu perennem et æternam vitam possidebis. Si mihi non credis, crede Deo, cum juramento affirmanti ac dicenti, *Amen dico vobis, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis* (*Matth.* 19. 28. 29). Ne putes ergo tibi facultates minui, cum pauperibus erogas; non pauper evadis pauperibus largiendo. Si pauper pauperis misereatur, non fit pauperior, sed laudandus est, et in paupertate tutius agit. Audisti prophetam dicentem, *Junior fui, etenim senui: et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panes* (*Psal.* 36. 25)? et rursum, *Tota die miseretur et commodat justus, et semen ejus in benedictionem erit* (*Ibid. v.* 26)? In benedictionem, quare? Quia qui seminat in benedictione, de benedictione metit: nam qui curam habet vestimentorum tuorum, animam quoque tuam curabit. Nihil enim ita animam tegit, ut viduæ, pupilli, et pauperis tegumentum. Neque enim sinit animam nudam a Deo videri in die illa terribili et tremenda; sed amictu lucis circumdata per eleemosynam, cum omni gloria apparebit Deo: dicit enim Deus per prophetam: *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam; et tunc erit matutinum lumen tuum, et medelæ tuæ cito orientur, et anteibit coram te justitia tua* (*Isai.* 58. 7. 8).

2. Vidistin' quanta merces ob modicum panem aut obolum unum tibi sit reposita? nostin' quantam tibi lucem adducat eleemosynæ fructus? Vis scire quantum nobis thesaurum conciliet modica inopibus facta largitio? vis videre qui pauperes minima offerentes, magnos obtinuere thesauros? Audi. Neque enim ex Novo Testamento tantum hac de re te certiorem facimus, sed etiam ex Veteri, ut tu ex pauperum ante cælestem thesaurum lucreris. Fames aliquando per universam terram homines absumebat; tantaque fames, ut quotidie quasi fluvius hominum et animalium in mortem rueret, non modico tempore, sed per tres et dimidium annos; ita ut omnis terra in perniciem iret. Mali causa erat Israelitarum idololatria, necnon Achabi et Jezabelis iniquitas; propter quam Elias, homo cum esset, potuit claustra cælis imponere, dicens: *Vivit Dominus, si erit pluvia nisi per os meum* (3. *Reg.* 17. 1). Neque pluit super terram per spatium trium annorum et sex mensium. Sentiens demum res

iniquus Eliam prophetam esse hujus sententiæ ministrum, circuibat quærens interficere illum. Ideoque propheta in alienigenarum terram fugiens invenit mulierem viduam, quæ ex famis reliquiis tantillum farinæ habebat, et tantillum olei, in queis et suæ et filiorum vitæ spem residuam habebat: dicitque illi Elias propheta: *Affer mihi paululum panis in manu tua* (3. *Reg* 17. 11. 12). Et dixit illi mulier: *Vivit Dominus Deus tuus, si est mihi subcineritius, nisi quantum pugillus capere potest in domo, et paululum olei in lecytho: et ecce colligo duo ligna, et ingredior ad parandum ipsum mihi et filiis meis, et comedemus, et moriemur.* Num quis hodie nostrum ad talem penuriam deducitur? Absit. Attamen ex his reliquiis, quas mors subsequutura erat, vidua prophetæ primo subcineritium paravit ipsique obtulit, parvi ducens suam et filiorum mortem. Ecquam accepit mercedem tam exiguæ eleemosynæ? Audi quid clare dicat propheta: *Hæc dicit Dominus, Hydria farinæ non deficiet, et lecythus olei non minuetur.* Usquequo, propheta? *Donec det Dominus pluviam et rorem super terram.* Ideo dicit propheta: *Benedictus homo qui confidit in Domino: et erit spes ejus in tempore siccitatis, et non minuetur, neque deficiet* (*Jer.* 17, 7). Ac verbum prophetæ in opus deductum est; neque hydria defecit, neque lecythus est imminutus. Num hac pauperior es, o homo? num tanta fames instat tibi, ut non facere possis eleemosynam? Non ita res est, absit; sed et habes et potes, quisquis tandem sis, si maxime sis infidelis. Ac circa corpus quidem liberalis es, circa animam vero tenax. Eleemosyna alimentum est animæ: ac sicut panis et vinum corporis sunt alimentum et lætitia, sic eleemosyna et precatio animæ sunt medela et gaudium. Ecquam dat homo commutationem pro anima sua, nisi eleemosynam? Si id ignoras, disce et a vidua illa Novi Testamenti, quæ per duos obolos regnum cælorum lucrata est, quæque universorum Deum habuit hujusce paupertatis laudatorem, cujus operis fructus ad cælum usque ascendit. Non vidisti Servatorem in sacris Evangeliis viduam illam celebrare, quæ duo minuta in gazophylacium conjecit (*Luc.* 21. 2), ipsique coronam cælestem elargiri? Vidit enim animæ fragrantiam, vidit pauperem pauperum amantem, vidit egentem pecunia iis qui egeni non erant erogantem. Multi erant qui multa inferebant in gazophylacium: et gestis aderat Deus simul et homo, qui non judicat secundum faciem, et corda hominum scrutatur. Audiamus quam de his ferat sententiam: *Amen, amen dico vobis, quia vidua hæc plus quam omnes injecit.* Non enim ea quæ jaciuntur omnia accepta habeo, inquit, sed propositum afferentium exploro. *Amen dico vobis, quia vidua hæc plus quam omnes injecit.* Quare? Quia illi ex superfluo suo intulerunt; hæc vero totum victum suum intulit. Igitur quia recte judicavit, Deo dicamus nos omnes, ut propheta dixit: *Justus es, Domine, et recta judicia tua* (*Psal.* 118. 137); quia propositum hominum exploras, neque ex oblatorum mole regnum circumscribis: neque enim oblatis attendis, sed affectui offerentium. Ne segnis ergo sit quispiam vestrum, quæso, sive duo minuta, sive decem obolos in gazophylacium viduarum et orphanorum conjicere: hoc enim docet sacra Scriptura, secundum propositi rationem tantum quempiam acceptum esse Deo. Ne sit ergo illa mensa aliena a proventu, sed partem habe cum illa, ut partem accipias cum afferentibus, misericordiam nempe a clemente Deo qui dicit: Miseremini, ut misericordiam impetretis. Quemadmodum enim creditur angelum de cælo preces populi recipere, illasque Deo offerre, et tu studes preces Deo emittere cum omnibus, ut orationis munus tuum cum omnibus acceptum sit: ita crede angelum esse, qui ea quæ pauperibus erogas recipiat, et illa Deo offerat. Et quis est ille angelus, nisi is qui Cornelii orationes et eleemosynas Deo offerebat, et dicebat illi: *Corneli, eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei* (*Act.* 10. 4)? Et erat ille nuper gentilis: postea vero, ex quo loquutus est ei angelus, fidelis effectus est; et sic acceptæ fuerunt eleemosynæ. Quanto magis tuæ acceptæ erunt, cum Christum ames?

3. Demum operæpretium est, ut divites hortemur, eos maxime qui pauperes diligunt, et suo motu id perficiunt (siquidem probe curarunt ut a talibus viris et magistris, qui nos præcesserunt, irrigarentur ad fructum ferendum): attamen quoniam illi expetunt ut de pauperibus sermo a nobis habeatur, non pigebit illos admonere, et ad eleemosynam hortari, hæcque duo cavebo, ut neque illi a Deo incusentur, neque ego ab angelis reprehendar; et qua ratione, ego dicam. Nisi enim divinæ Scripturæ eloquia in bonam mensam vestram injecero, sicut argentum in trapezitam, statim accusor a Deo et ab illo audio: *Oportuit te pecuniam meam committere nummulariis, et ego veniens quod meum erat exegissem cum usura* (*Matth.* 25. 27). Hac enim de re incusavit in sacris Evangeliis eum cui concreditus fuerat denarius, qui eum absconderat. Quomodo autem de argento propheta loquatur, audi: *Eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum* (*Psal.* 11. 7). Ita Deus loquitur prophetæ: *Fili hominis, testificare populo huic*; et rursum alibi: *Advocate, sacerdotes, populum meum: loquimini ad aures Jerusalem* (*Isai.* 40. 1). Cum hæc præcepta acceperim, vos omnes rogo ut ad eleemosynam vos conferatis, ut ne a vobis in illa hora accuser, si quis, quod absit, in illa tremenda die a Judice audiat: Serve nequam, cur non misertus es conservi tui? et quomodo nunc tu vis misericordiam consequi? ac rursum: Pœnitentiam agite nunc, quia illic non est tempus pœnitentiæ: ne forte quis in illa formidanda hora accusatus, dicat: Non edoctus sum a Pastore, non didici, quam dabit homo commutationem pro anima sua; neque dixit ille nobis eleemosynam peccata abluere; non interpretatus est nobis Scripturam a te datam, quæ ait: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus* (*Psal.* 40. 1); sed tantum a Judaica incredulitate nos separavit, et a gentilium superstitione abduxit, a quorum impietate edocti abstinuimus. Nam si ad eleemosynam nos instituisset, ejus fructus certe tulissemus. Ideo fidenter hortandi finem non facio; sed moneo et contestor divites simul et pauperes, viros et mulieres, vestris parcite animabus, et pecuniis illas a futura ira redimite: onus peccatorum per eleemosynam leve reddite: misereminì, ut misericordiam consequamini. Nam eleemosyna sacri baptismatis vim habet; et sicut sanctum lavacrum hominum peccata abstergit, sic et eleemosyna misericordium animarum delicta purgat. Non meus est sermo, sed id divina docet Scriptura: eleemosynæ fideles sunt, expurgant peccata. Pecuniæ vel invitis nobis hic manent; anima velis nolis hinc migrat, rationes peccatorum datura. Idcirco Dominus noster Jesus Christus in Evangeliis dicebat: *Quid proderit homini, si mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua* (*Matth.* 16. 26)? Audi igitur, rogo, hoc verbum, quod cum in pace versamur, despicitur; cum autem in angustiis sumus, legis Dei virtutem ostendit. Sæpe namque audis, *Quid proderit homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* et vim hujus verbi prætercurris: et si in pace versans illud despexeris, in necessitatibus virtutem loquentis edisces. Quid enim facit Deus, cum videt quempiam opes servantem, eleemosynam vero aversantem, qui omnia perpeti malit, quam pecunias erogare? In angustiis ipsum docet legem Dei: quomodo autem, audi. Cogita mihi quempiam negotiatorem maria peragrantem, solis intentum pecuniis, ad omnia toleranda paratum, ne obolum perdat: mille juramentis ille utitur contra animam suam, ne sua bona prodat. Verum ille crudelis et tenax, angustiæ tempore, quando tempestate jactatur et periclitatur in mari; cum urgent fluctus, procellis agitatur mare, fluctus ad cæ-

lum ascendunt : tunc avaritia tabescit, et qui omnem subiit laborem, ut opes colligeret, propriis ipse manibus omnia quæ habet abjicit, et divitias suas mari elargitur. Sed statim illum interroga : Quid facis, mi homo? cur insanis? cur pecunias in cassum abjicis? deposita tua mare non custodit : non sicut terra semina recipit, et multo plura reddit : non recipit semina, ut reddat manipulos. Cur ergo ingrato elemento inutiler fœneraris? cur infidelibus fluctibus creditum deponis? cur mari, quod nihil reddit, depositum tribuis? Deo fœnerari noluisti, et in pelagus immane opes conjicis? Quid ergo statim ille respondet? Malo animam servare, quam totum mundum lucrari. Nunc nosti illud, *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* nunc didicisti dictum Christi sic admonentis : *Quid proderit homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* (*Matth.* 16. 26)? At non te erudivit lex? Erudiat saltem te timor. Non erudivit te Dei doctrina? Erudiat te mare furens. O actionem non consequentem! o necessitatem omnes erudientem. Mare vi omnia accipit; Deus ad regnum cælorum hortans, vix partem minimam obtinet? mari credis, nihil tibi bonum promittenti, et Deo non obsequeris centuplum tibi promittenti et largienti? Vis alteram tibi talis necessitatis imaginem apponam? oportet enim et per terribilia, et per bona, undique animæ tuæ prodesse. Cogita igitur et eos, qui in terra negotiantur, qui nihil non agunt et movent ut aliquid lucrentur, qui jurare audent et omni perjurio uti, ut obolum sibi addant : hi certe Dei leges adulterant. Prophetæ prædicant, et illi aures claudunt : magistri clamant, et illi monita subsannant. Quid vero illis demum accidit? non omnibus enim, sed illis tantum. Talis quippe negotiator sæpe incidit in latrones : et is qui ad divitias inhiabat, et pecuniarum inexplebili amore tenebatur, statim hunc morbum deponit, et largus efficitur; videt enim gladium, quo invaditur a latrone, et affectum eliminat : irruit latro, et ille demum liberalis invenitur, et sua adhibitis precibus tradit. Quid ergo tunc latroni dicit? Omnia accipe, et animam solum vitamque largire. Hic etiam audiatur : Et jam nosti quam dabit homo commutationem pro anima sua. Latroni quæcumque vult das cum precibus, licet in omnibus te lædat; Deo autem modicum quid commodato accipere volenti non fœneraris, qui tamen tibi largiter omnia confert et terrena et cælestia; sed neque tam times Deum, quam latronem? Ensem nudum times, gehennæ vero ignem quem Deus comminatur contemnis. Ne, quæso, ne tales sint quidam ex nostris; non enim tales vos estis, utpote Christi amantes : nostis enim omnia quæ hominibus eventura sunt. Animas vestras in tuto ponite ante excessum ex hac vita, et agnoscite eum, qui in sacris Evangeliis dixit : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* 5. 7). Ipsi ergo miseranti, nutrienti, nec exprobranti Deo gloriam referamus, simulque Patri et sanctissimo vivificoque Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO

IN SEQUENTES SPURIOS SERMONES.

Hic magnam cernis spuriorum seriem, quam libenter in tenebris reliquissemus, nisi illa edidisset vir diligentissimus et sagacissimus Henricus Savilius. Qui si ea antequam ederet examinasset, procul dubio ea, vel saltem magnam illorum partem cum blattis et tineis certare sivisset; non pauca enim ille similiter rejecit ut videas T. 8, in notis p. 857. Sed cum plurima ipsi confertim ex bibliothecis Europæ et Orientis accederent, ea ille, non tanto adhibito examine, urgentibus typographis, publici juris faciebat.

Tanta porro erat ubique S. Joannis Chrysostomi existimatio, ut innumeri pene scriptores, cum non ex se suapte opera nomen sibi parere posse confiderent, inscripto Chrysostomi nomine, aliquam sperarent scriptis suis adjici dignitatem : hinc accidit, ut tanta vis opusculorum nomen Chrysostomi ementiatur : quorum pleraque, imo fere omnia, ab insulsis Græculis consarcinata sunt. Qualis est epistola sequens ad monachos, omnino futilis et inepta, quæ tamen a Petro Possino in Thesauro suo Tolosæ edito prior locata fuit : quales sunt etiam sequentes sermones, inepti plerumque et ridiculi, quod semel dixisse satis sit; neque enim digni sunt, qui prævium ad singulos monitum obtineant, nisi fortassis in decursu quidpiam notatu dignum occurrat.

EPISTOLA AD MONACHOS UTILITATIS ET VIGILANTIÆ PLENA.

Epistola ad monachos utilitatis et vigilantiæ plena.

Ait divinus apostolus, *Sine intermissione orate, sine ira et disceptationibus* (1. *Thess.* 5. 17. *et* 1 *Tim.* 2. 8). Et recte dixit sanctus ille, *Sine disceptationibus :* omnis enim disceptatio mentem separat a Deo, etsi videtur esse bona; sed tota diabolus est, ne dicam diaboli esse. Totum enim hoc certamen diaboli est, ut separet et segreget mentem a Deo, et ad mundanas trahat curas et voluptates : atque intus in corde præcepta et bona opera dictat, et alias quasdam rationabiles, imo potius irrationabiles cogitationes, quibus nullo modo attendendum est. Totus enim animæ agon est ut non separetur mens a Deo, nec consentiat impuris cogitationibus, neque attendat iis, quæ in corde depingit versutus ille et antiquus pictor diabolus. Aliquando figuras, interdum habitus et colores, et post hæc omnia vultus etiam efformat diabolus : et deceptus miser homo uno in loco stans, putat se alibi esse, sibique videtur aliquos respicere et personas alloqui, negotia ordinare, quæ sunt diabolicæ fallaciæ. Cavendum igitur : mens gubernanda et frenanda est, omnisque cogitatio ac maligni operatio castiganda per invocationem nominis Domini nostri Jesu Christi : et ubi corpus est, ibi mens esto; ut inter Deum et cor nihil intermedium nec murus quispiam reperiatur, aut sepes, quæ cor obscuret et separet a Deo. Si quando autem mentem abripiat, non oportet in cogitationibus illis immorari; ne consensus in actum reputetur coram Domino in die judicii, cum judicabit Dominus abscondita hominum. Vacate igitur semper, et perseverate apud Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri : et nihil aliud quærite, quam misericordiam a Domino gloriæ. Dum vero misericordiam quæritis, in humili et compuncto corde quærite, et clamate a mane usque ad vesperam, si fieri potest, et in nocte tota : Domine Jesu Christe, Fili Dei, miserere nostri : et mentem vestram ad hoc vi compellite usque ad mortem : multa enim violentia eget hoc opus, quia *Angusta est porta et arcta via, quæ ducit ad vitam* (*Matth.* 7. 14), et violenti ingrediuntur in eam;

violentorum enim est regnum cælorum. Ne separetis, quæso, cor vestrum a Deo, sed perseverate et custodite illud, cum memoria semper Domini nostri Jesu Christi, donec inseratur nomen Domini intus in corde : nihilque aliud cogitetis, quam ut magnificetur Christus in vobis. Rogo igitur vos, hanc orationis regulam nunquam intermittatis; sed sive manducatis, sive bibitis, sive viam carpitis, sive aliud quid facitis, sine intermissione clamate : Domine Jesu Christe, Fili Dei, miserere nostri; ut ipsa memoria nominis Domini Jesu Christi nos incitet ad bellum contra inimicos. Omnia enim per memoriam vi impulsa anima invenit, sive bona sive mala. Primo enim mala in corde videre potest, et postea bona. Memoria enim potest hominem humiliare; memoria potest redarguere peccatum in nobis habitans; memoria potest ipsum consumere; memoria potest in corde excitare omnem potentiam inimici; memoria potest ipsam movere et in corde eradicare per partes. Pars enim illa nominis Domini nostri Jesu Christi in profundum cordis descendens, draconem pascua tenentem deprimit; animam vero servat et vivificat. Indesinenter igitur perseverate nomen Domini Jesu in corde clamantes; ut et cor Dominum et Dominus cor absorbeat, et illa duo unum fiant. Hoc autem opus non est unius diei, nec duorum, sed multo tempore, certamine et labore opus est, donec ejiciatur inimicus, et inhabitet Christus. *Quoniam non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus principatus et potestates, adversus spiritualia nequitiæ* (*Ephes.* 6. 12), ut ait Apostolus. Sic oportet orantem precari, ut mentem omnem colligat et intendat ad invocandum Deum cum animo dolente, nec longos texere sermones, neque longam supplicationem, sed pauca et simplicia proferre verba : non enim ex multiplici sermone, sed ex vigili mente exaudiemur. Quod ex Anna Samuelis matre videre est. Non opus est ergo multis sermonibus, sed frequenti oratione, ut per Paulum Christus jussit, cum modica intermissione. Si enim sermonem protrahas, ut sæpe in segnitiem cadis, multam offers diabolo licentiam te invadendi et supplantandi, atque mentem tuam a verbis abducendi : si vero frequentes emittas preces, frequentia illa totum tempus occupante, cum multa vigilantia poteris preces fundere. Vis scire vigilandi, precandi et perseverandi modum? Adi Annam, disce quid illa fecerit (1 *Reg.* 1. 9. 13). Surrexerunt, inquit, omnes a mensa : et statim illa non ad somnum vel ad quietem versa est. Quare videtur illa ad mensam sedens frugaliter egisse, neque cibis sese onerasse : neque enim tantas emisisset lacrymas. Neque quia claram et magnam emisit vocem, sed quia intus in corde magnopere clamabat : nam *Vox ejus*, inquit, *non audiebatur :* ideo exaudivit illam Deus. Non enim tam voce opus est, quam animo, ut neque tam extensione manuum, quam intenta anima; non habitu, sed animo opus. Licet enim extra ecclesiam sis, clama et dic : Domine Jesu Christe, miserere mei; non labia moveas, sed mente clamans : nam tacentes etiam exaudit Deus. Non quæritur locus, sed quæruntur mores : ubicumque sis, precare : templum es, ne quære locum. Mare ante positum erat, post tergum Ægyptii, in medio Moyses nihil loquens : et dicit illi Deus : *Quid clamas ad me?* Et tu igitur, cum tentatio ingruit, ad Deum confuge, Dominum Jesum voca. Num homo est, ut locum quemdam petas? Deus semper prope est. *Adhuc te loquente dicet, Ecce adsum* (*Isai.* 58. 9). Nondum finita oratione ipse dat id quod petitur. Si enim mentem habeas puram ab absurdis passionibus, licet in foro, licet in via, licet in mari, licet in diversorio, vel ubicumque fueris, si Deum invoces, rem petitam consequi poteris. Sæpe, inquies, petii, nec accepi. Certe quia male petiisti, aut infideliter, aut superbe, aut quæ tibi non utilia erant : etiamsi vero sæpe tibi utilia petieris; at non perseverasti. Scriptum est enim : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* 21. 19); et, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* 10. 22). Nam nisi cum labore et perseverantia magna petieris, non accipies. Primo enim oportet desiderare, et cum desiderio ex veritate et in fide ac patientia quærere ea, quæ singulis conducunt, non te accusante conscientia, quod perfunctorie et negligenter petas : tunc accipies, cum Deus volet. Nam ille melius quam tu videt ea, quæ tibi utilia sunt : et ideo fortasse differt, ut te hinc ad perseverandum sapienter alliciat, ut cognoscas quid sit donum Dei, et cum timore custodias id quod tibi datum est. Quæcumque enim quis cum labore multo acquirit, cum magna cura custodit, ne perdat illud, atque una laborem illum magnum, et ne, cum gratiam Domini spreverit, indignus efficiatur æterna vita. Quid profuit Salomoni, quod cito acceperit sapientiæ gratiam, qui illam postea perdidit? Ne ergo pusillus sis animo, si non statim petitionem accipias. Si enim sciret Dominus te cito acceptam gratiam non perditurum esse, paratus esset vel ante petitionem tibi illam conferre : nunc autem ita facit curam tui gerens. Nam si servus qui talentum accepit, et integrum servavit, quia non negotiatus erat, condemnatus est : multo magis qui perdiderit illud, condemnabitur. Attende tibi, et te undique circumspice : ad tui custodiam insomnem mentis oculum habeto : in medio laqueorum transis, occulti inimici laquei undique defixi sunt. Omnia ergo circumspice, ut a laqueis quasi δορκὰς (caprea) evadas. Illa enim laqueis capi nequit ob visus acumen; ideoque ab ὀξυδορκίᾳ (visus acumine) nomen habet. Hoc porro sciendum est, nos neque aliud præceptum, neque amorem Dei vel proximi servare posse, si ab alio ad aliud mente vagemur. Sed et exercitium illud placendi Deo secundum Christi evangelium, in secessu a curis sæculi, et in omnimoda repulsa inutilium occupationum perficitur. Sic et discipulis Dominus, sincerum nec elatum affectum adeptis, testificabitur dicens : *Vos non estis ex hoc mundo* (*Joan.* 15. 19) : et a contrario non posse mundum cognitionem Dei acquirere, nec Spiritum sanctum capere declarabat. Nam ait : *Pater juste, mundus te non novit*; et, *Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere* (*Joan.* 17. 25. *et* 14. 17). Illum ergo qui vere Deum vult sequi, solutum esse oportet a vinculis affectus erga vitam : hoc vero per omnimodum secessum et oblivionem veterum morum perficitur. Quo facto omni custodia cor servandum est, neque cogitatio Dei removenda, neque memoria mirabilium ejus vanis cogitationibus fœdanda est, sed per assiduam et puram memoriam sanctam Dei cogitationem animabus nostris ceu sigillum indelebile impressam oportet habere. Sic enim vincit in nobis caritas erga Deum, quæ simul nos excitat ad observationem mandatorum Domini; et hinc illa ipsa servatur in perpetuum illæsa. Et hoc declarat Dominus aliquando dicens : *Si diligitis me, mandata mea servate*; aliquando vero, *Si mandata mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*; et ut validius inflectat, *Sicut ego mandata Patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione* (*Joan.* 14. 15. *et* 15. 10). Qui vero mandati accurationem in operando corrumpit, sine dubio circa Dei memoriam infirmatur. Confert autem non elatum animo esse, et separatim domi habitare : nam cum aliis in vita sese commiscere, noxium est. Itaque ut ne per aures nec per oculos incitemur, et ut in oratione perseverare possimus, primo domi seorsum vivamus : ita enim priscam consuetudinem superamus, qua vitam a Dei præceptis alienam ducebamus. Et illud, *Si quis venit ad me, abneget semetipsum* (*Matth.* 16. 24), quandonam quis eorum vel unum servare possit? Oportet enim nos abnegantes nosmetipsos, et tollentes crucem nostram, sic illum sequi. Abnegatio autem sui est, præteritorum omnium oblivio, et voluntati propriæ abrenuntiatio. Si vero quidpiam terrenum in memoria retineamus in substantia corrupta, jam mente quasi in quodam cœno demersa, anima a Deo non respicitur, atque ad concupiscentiam cælestium et ad repositorum bonorum promissionem immobilis est.

In summa ne res quidem necessarias curare ipsi conceditur, verbi gratia alimenta, vestem : ne ceu spinis detineamur malis, mundi cogitationibus, quæ semen ab animarum nostrarum agricola jactum a fructu ferendo prohibent; Domino nostro Jesu Christo dicente : Hi sunt qui in spinas inciderunt, qui a sollicitudinibus et divitiis et a voluptatibus vitæ suffocantur, nec fructum ferunt (*Matth.* 13. 22). Neque enim peccatis tempus dabimus, neque inimico locum in cordibus nostris relinquemus, si per frequentem memoriam Deum inhabitantem habeamus. Attentio autem mentis et consuetudo sese non extollendi pueris per rectam educationem facile aderunt, si a gubernatoribus frequenter observentur, quo scilicet mentem vertant, et quid versent in cogitationibus. Nam ætatis simplicitas sine dolo et mendacio facile mentis arcana revelat. Ne autem puer frequenter vetita facere deprehendatur, cogitationem avertit ab illicitis rebus, reprehensionum pudorem metuens ***

Et dixit Deus: Faciamus hominem ad similitudinem nostram (*Gen.* 1. 26), de interiori homine loquens. At dices : Non loquitur de cogitationibus : hominem dicit ad imaginem Dei; cogitatio autem quomodo homo fuerit? Audi apostolum dicentem : *Licet is qui foris est homo corrumpatur, tamen is qui intus est homo renovatur de die in diem* (2. *Cor.* 4. 16). Duos homines agnosco, unum apparentem, et unum qui in apparente occultatur. Interiorem ergo habemus hominem, et quasi duplices sumus : et tunc recte dicimus, Nos intus homines esse, foris vero minime : eo quod in rationabili anima id quod perfectum est habeamus. Itaque corpus est instrumentum animæ hominis : proprie autem homo est id quod ad animam pertinet. Illud, *imperent*, corporine dicit, an ratiocinio? in animane, an in corpore est imperium? Sed in quo est imperium, nisi in ratiocinii potestate? Quantum enim deficit homo virtute corporis, tantum excellit ratiocinii facultate. Non dixit, Faciamus ad imaginem nostram et irascantur : neque enim passiones ad Dei imaginem assumptæ sunt : sed ratio est passionum domina. Datum est tibi imperium in bruta, ut brutæ passioni imperes : si ergo feris imperas, cur non imperes interioribus feris? si exterioribus imperas, cur interiores sine imperio relinquis? Princeps igitur creatus es : ne ergo elatas habeas cogitationes, neque levis et inconstans mente sis. Si ea quæ exterius volant dejicis, teipsum qui ita leviter te extollis dejicere debes Ne itaque inflatus supra id quod est te extollas, ne majora, quam natura humana ferat, sapias, neque laudatus infleris, neque gloriam quæras, neque magnum te quidpiam esse putes : quia eris sicut avis non firma, hinc et inde jactata. Impera cogitationibus tuis, ut sis omnium dominus : nam imperium nobis in animalia datum nos ita concinnare debet, ut nobis ipsis imperemus. Quemadmodum nihil prosunt domus, urbs, ostia, nisi adsint qui illa custodiant, et sciant, quando claudere, quando aperire oporteat : sic neque monacho prosunt alia bona opera, nisi voluntatum ejus ostiaria sit ratio, cui commissum est ut cor vel claudat vel aperiat, cum accuratione et multa prudentia, ut sciat, quænam ejicere, quænam introducere oporteat. Et si qua cogitatio vehementer insurgat, oportet illam intus suffocare, nec permittere ut in verba erumpat; sed hanc radicem exsiccare, et tutum ostium habere cum diligenti custodia, malasque voluntates ne nasci quidem sinere, natas vero præfocare. Ideo Deus malas cogitationes intus comprimi jubet dicens : *Qui respicit mulierem ad concupiscendum eam* (*Matth.* 5. 28), etc. Viden', quomodo illas ne germinare quidem vel initium sumere sinat, nec concupiscentiam scilicet, nec iram? dicit enim : *Qui irascitur fratri suo, reus erit gehennæ ignis* (*Ibid.* v. 22). Sint fores clausæ, inquit, et malæ cogitationes cito profligabuntur. Ex ira enim et concupiscentia omne peccatum animæ oritur. Ideo David Deum precatur dicens, *Ne declines cor meum* (*Psal.* 140. 4); non quod Deus cor declinet, absit; sed significat : Ne sinas declinare aut perverti in malas cogitationes. Inde enim scaturit fons malitiæ et nequitiæ. Sicut enim si oculus frequenter circumflectatur et nunc in transversa feratur, nunc in superna vel inferna, clare subjectam rem videre nequit; sed opus est ut meus visam rem firmiter apprehendat, et verus aspectus fiat : ita et mentem hominis mille sollicitudinibus involutam impossibile est clare veritatem intueri, et paratam esse oportet ad suscipiendas in corde impressiones ex doctrina divina inductas, ut hæc disciplina nullam consuetudinem reprimat. Alio enim modo non possunt divina in corde inscribi, nisi prævias consuetudinis labes sustulerint. Mens enim non dissipata in exterioribus, neque a sensibus in mundum effusa, ad seipsam revertitur, et hinc ad Dei cogitationem evehitur : atque illa fulgens pulchritudine, ipsam naturam obliviscitur, neque cura cibi vel vestimenti pertrahitur; sed a terrenis curis vacans, totum studium vertit ad æternorum bonorum possessionem; quæ nos assequi contingat in Christo Jesu Domino.

IN ANNUNTIATIONEM SANCTISSIMÆ DEIPARÆ.

Regiorum mysteriorum festum celebremus hodie : omnis creatura congregata exsultat. Cælum stellarum ministerio ducebat eos, qui ad celebritatem festinabant; terra per pastores ad adorationem currebat : Isaias vivido prophetiæ gressu incedebat, ut cœtui virginem ostenderet; Jeremias renuens, attamen gradiebatur, ipsum cœtus Dominum ostendens, ac dicens : *Hic Deus noster* (*Baruch.* 3. 36). Zacharias gaudium cœtui afferens accurrebat, Dominici adventus mandatum revelans ac dicens : *Gaude, filia Sion; ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, insidens super subjugalem et pullum juvenem* (*Zach.* 9. 9). Maria et Joseph in præsepio pretiosissimam margaritam posuere : ac magi videntes ac stupentes ob naturæ pulchritudinem, hunc Herodi ut dignum regem indicaverunt. Hoc ille audito, per dolum obtendens mortiferam adorationem, margaritam videre festinabat : sed quia indignus erat, optatum non assequutus est; et quasi illusus, quid acturus esset meditabatur. Angeli vero incorporeæ naturæ in celebritate illa choreas agentes dicebant : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax* (*Luc.* 2. 14). O novum et stupendum miraculum! Omnem linguam superat festivitatis argumentum, ut vix Mariæ laudes enarrare possit : ad quam missus angelus clamabat : *Ave, gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* 1. 28). Illa vero concitata, torvo oculo dicentem aspexit; et de visione obstupefacta, verba illa mente ponderabat, qualis nempe esset ista salutatio dicens : O peregrine, peregrina me voce alloquens obstupefacis. An ignoras salutantium consuetudinem? num me tentas an captu facilis sim? Illud quidem, *Ave*, salutantibus omnibus commune est; illud vero, *Gratia plena*, extraneum, iis maxime quæ cum pietate castitatem profitentur. Quamobrem austero vultu et irato obtutu, cum minis, loquentem repudiavit : Discede, discede, o homo, ex liminibus meis : siccine veniens orsus es? non places mihi, etsi secus existimes. Me decipere vis, ut Evam generis matrem : non vinces vultus mei pulchritudinem, neque internum affectum, quem erga sponsum meum pauperem habeo. Antequam senex veniat, aufuge a domo mea : hinc abscede, ne te senex ille carpat : zelotypus enim est. Expedit tibi ut abscedas : nam si te loquentem mihique talia quæ naturam humanam superent p[...]

centem deprehendat, et tibi malum et mihi luctum lacrymasque conciliabis. Ille vero his non obtemperans, illud, *Ave, gratia plena*, proferebat. Conspecta Virgo ejus perseverantia, aurem præbuit, ut accuratius dicentis scopum edisceret: atque illud, *Ave, gratia plena*, postea accepit admisitque. Ille vero pergit, *Dominus tecum*. Ut autem audivit Virgo illud, *Dominus tecum*, loquentem statim intus advocavit. Dominum, inquit, tecum affers, intus ingredere, et cur veneris cito narra. Tum angelus: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Emmanuel: hic erit magnus*, Deus fortis, princeps pacis, potens, pater futuri sæculi. Ad hæc Virgo, Nondum nuptiæ sunt, nondum nuptialis thalamus, et jam partus? Quid facias non habes. Si utpote peregrinus aliquo indigeas, accipe et vade, et ne intempestive quæ nescis vaticineris. Attamen si concipiam, ex Josepho utique. Tum angelus: Non te decipio: *Hic erit magnus*. Reponit Virgo: Quomodo magnus? sponsus meus pauper est, et ego admodum inops: possessiones non sunt mihi, pecuniis caremus, genere conspicui non sumus, et postea ad censum trahimur. Didrachma solvet, et dicis, Erit magnus? Desiste, desiste a talibus promissis. Ait angelus: Id quod minus est non credis? id quod majus est velis nolis accipe: *Filius Altissimi vocabitur*. Tum Virgo: Jam hinc abscede, ne audiat Joseph et sacerdotibus nuntiet, et qui conjugio privatur, securi tibi collum abscindat, quia prope me alloqueris et in foribus cellæ meæ. Ex cælo mihi sponsum polliceris? ecqua natura in cælo conjugium expetit? Cælestes omnes spiritus incorporei sunt: quomodo igitur incorporea corporeis miscebuntur? Tum angelus: Ex corpore et incorporeo Filius Altissimi vocabitur. At Virgo: Unde patrem habebit is quem dicis ex me nasciturum? Respondet angelus: Hoc enim est, o Virgo, admodum mirabile, quia virum non cognosces, et illum quem dico tibi paries, ac puer ille pupillus non reperietur. Ex utero tuo egredietur, et ostium non lædet, nec virginitatem amittes, et natum lactabis. infantem in ulnis feres, ipsumque supra Cherubim sedentem videbis. Huic ex te nato *Dabit Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* (*Luc.* 1. 32). Tum Virgo: Vel invitus loquendo lapsus es. Os tuum te accusat, labia tua te redarguunt; paulo ante dicebas, *Filius Altissimi vocabitur;* et nunc dicis filium Davidis; quis hic sermo est? Pro lubito tuo mentem meam ad cælum extollis, et postea rursum in terram dejicis. Cui verbo credam, primone an secundo? Dicis enim, *Dabit illi Dominus thronum David patris ejus; et regni ejus non erit finis*. Nullus rex immortalis fuit, nullus communem finem effugit: omnes invadit mors ut domina, omnes a vermibus roduntur: nullus rex inferni portam effugit: omnibus mors imperat, omnes in sepulcris custodit: nemo ejus retia transiliit, nemo ejus laqueos effugit. Nonne Saül mortuus est, qui primus regni diadema accepit? nonne David qui unctus ex cornu olei manifestatus est? nonne Samuel regum pater, qui per oleum eum qui dignus erat indicabat et indignum pellebat? nonne Salomon sapientissimus, qui per gladium meretricis mendacia redarguit? nonne Ezechias, qui lacrymis mortis sententiam avertit? et quomodo filius meus regnabit in æternum? Respondet angelus: Hoc enim est, Maria, stupendum mysterium, quod omnes mortui sint, et filius tuus mortem sit victurus, mortuos suscitaturus, sepulcra aperiturus, tartari claustra confracturus, et multa corpora dormientium resuscitaturus: nam ex immortali immortalis natus per mortem suam occidet mortem. Quocirca ne ultra credere differas, ut ne culpæ sis obnoxia. Is enim de quo loquor jam per auditum tuum in uterum tuum insiliit, uteri tui encænia celebrans. Tum Virgo: Ut his assentiar, primo me fac certiorem, quomodo sit Filius Altissimi et filius David, is qui ex me, ut dicis, sine patre nascetur; et quomodo duos patres prædicaveris. Reponit angelus: Primo disce, et postea contradicito. Cum tibi dixi, Filius Altissimi, eum qui ante sæcula impassibiliter ex Patre natus est indicavi; et cum dixi, Filius David, sic loquutus sum, quia tu ex patre Davide prodiisti. Accepta ergo certa notitia, sermones meos custodi: nam ego servus ejus sum, quem tu paritura es. His dictis, angelus Virginem reliquit. Illa vero hæc secum reputabat: Josephone annuntiabo, an potius tacebo mysterium? si mentitus est is qui venit, senis linguam contra me excitabo. Et dum hæc cogitabat Virgo, uterus intumescebat, et infans intus choreas agebat. Maria vero hac de re sollicita erat, et mille velamenta ventri imponens, id curabat ut Joseph rem ignoraret: sed non potuit occultare urbem supra montem positam. Josephum pupugit tumor uteri, et torvo ille oculo Virginis ventrem considerabat. Contumeliam ei dicere volebat, et tacere cogebatur: contumeliam ei dicere volebat, ut quæ virginitatis cimelia vendidisset; sed vita ejus id impediebat. Demum animam suam ærumnis cruciabat, Hei mihi, dicens, quid faciam? facies virginis est, status virginis, oculi virginis, risus virginis; at venter non virginis, sed matris; verba virginis sunt: hei mihi, hei mihi, illud videns ferre nequeo. Remne traducam, Mariam redarguam? Communis erit turpitudo. Clamabone magna voce, ne ejus qui sine semine nascitur pueri pater appeller? Nullus puellæ accusator est, quia is qui utero gestatur, nullum habuit seminantem. Forte non sine periculo mihi est vel tacere vel loqui. Quid ergo faciam? num interrogabo, an id declarabo ante interrogationem? Hoc scriptura testificatur: illam potius redarguam. An non fecit? Ipsa igitur vocata austero vultu, judex in utero gestati judicis sedebat. Dic mihi, inquit, vere, quid tibi acciderit, ne abscondas mihi: nemo adest qui hæc audiat; arcana servare novi: nemo rem sciet, me tantum certiorem facito. Unde accidit illud quod in te videtur? hujus patrem mihi indica, et te culpa liberam habeo: veniam quippe obtinebis, ut mulier concupiscentia percita. Respondit ei Virgo: Si patrem hujus quæris, numquam invenies: si vero pupillum putes, perinde laberis. Tum Joseph: Non potes, Maria, mentiri: quomodo enim potest pupillus non esse, et patrem non habere? Reponit Virgo: Si quæras quis sit, o Joseph (illud enim ignoras), si veritatem dixero tibi, non credes. Uterum vides, et occultum in eo Dominum non vides: ventrem consideras, nec cogitas eum qui ex utero ante luciferum ex Patre natus est, et in me habitat. Si dicam tibi id, quod mihi dixit angelus, dices, Tibi ipsi testimonium reddis, et testimonium tuum non est verum. Tum Joseph: Produc eos qui audierunt, qui præsentes fuerunt, profer veraces testes. Dicit Virgo: Si hæc quæris, numquam invenies: unus enim ad unam missus, solus soli loquutus est: nullus aderat, quia nullus futurus erat nati pater. Cum autem non crederetur Virgo, secum reputans rursum, in aliam cogitationem incidit: Uterus me prodit, puer in utero exsultans me accusat: cur ergo contra me Josephum magis irritabo? Comprimam silentio labia mea, et cum angelo invisibiliter disceptabo: Ubi nunc es, qui mihi, *Ave gratia plena*, dixisti? quibus in locis versaris? dic, ut illo me conferam, et a collo tuo pendeam, donec veniens certiorem facias Josephum, cujus filius sit is qui in uteri mei cubiculo exsultat. Non fero senem torve respicientem, murmurantem. Tu quo loco tempus agas nescio: veni et causam meam tuere. Hæc dicente Maria, statim angelus Josephum adit, et cum rei certiorem fecisset, prohibuit ne virginem dimitteret. *Noli timere*, inquit, *Joseph, accipere Mariam conjugem tuam*. Non nuptiarum consortium, sed divinorum mysteriorum œconomiam tibi annuntio. Sed pater non es? In terra patrem ne quæras, neque in cælis matrem. A pupilli statu natura liberatur: solus enim ex solo unice ante sæcula est; nunc vero solus ex sola, ut novit ipse solus. Ne pusillus animo esto circa Mariam, ne affli-

gas id quod ex Maria oritur : ne quæras quomodo, ne te lædat infans : ne curiose inquiras arcam, ut ne depositum amittas. Immaculatum est vas, sine labe cimelium est, non sordidatum alabastrum, sine semine partus, sine marito puella, sine thalamo virgo, non incisa petra, hortus conclusus, fons signatus, non seminatus ager, non plantatus palmes, non excogitatus partus. Si mihi non credis dicenti, tempus partus exspecta. Quod si fleverit et ingemuerit Maria, ut reliquæ mulieres ; homo est, et non Deus, qui ex Maria nascitur. Respondet Joseph : Si hæc ita se habent, ut dixisti, o archangele, *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* Cui angelus : Si quæris discere, cito accipe : quia Dominus nascenti dixit : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* 2. 1. 7). Quia ipsum decet gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN ILLUD : QUÆCUMQUE LIGAVERITIS SUPER TERRAM, ERUNT LIGATA ET IN CÆLO (*Matth.* 18. 18); ET DE PARABOLA CENTUM OVIUM, ET IN DICTUM EVANGELISTÆ : SI DUO CONSENSERINT, etc. ET IN ILLUD : QUOTIES, SI PECCAVERIT IN ME FRATRER MEUS, DIMITTAM EI (*Ibid. v.* 12. 19. 21)?

Unam habens fons aquæ naturam, multis variisque animalibus medelam siti subministrat. Nam et boum armenta et ovium greges illuc ad potandum accurrunt, quadrupedumque turmæ, ac ferarum vicina genera diversa illo properant et bibunt, atque avium multitudo eodem convolat et aquam haurit, ut sitis ardorem sedet. Neque modo brutis usus est; sed etiam rationabilibus hominibus potum ubertim suppeditat : omnis denique natura reptilium, volatilium, quadrupedum et rationabilium hominum ex uno fonte aquam hauriunt. Talis est, carissimi, divinarum Scripturarum natura, una cum sit. Quia enim ex una Dei sapientia scaturit, multa ac diversa hominum corda sapientia imbuit. Hinc doctores sapientiam hauriunt, discipuli erudiuntur, Ecclesiarum bonus odor manat, sitientes potum sumunt, obtenebrati illuminantur. Quod hæc ita se habeant, ex evangelio jam lecto facile discitur. Quid enim ait Dominus? *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo.* Una vox est; quæ ad usum cujusque varie divisa, aptatur senibus, junioribus, mulieribus, virginibus, viris, discipulis, et magistris. *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo.* Tibi dedit potestatem ligandi atque solvendi : teipsum ligasti avaritiæ catena, teipsum solve per præceptum misericordiæ erga pauperes : teipsum ligasti œstro voluptatum, teipsum solve temperantia : teipsum ligasti prava Eunomii fide, teipsum solve per orthodoxam sententiam. Doctores ligate Eunomii, Arii et Marathonii disciplinas, et solvite nobis Patris, Filii et Spiritus sancti evangelicas sententias : ligate dæmonas, qui contra fideles pugnant per preces ad Deum emissas, et solvite gentiles qui convertuntur in baptismate, peccatorum ipsorum catenas dirumpentes : ligate per separationem eos qui post baptisma peccarunt, illosque pœnitentiam agentes rursus solvite, et ut fratres recipite : verus est enim ille sermo : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.* Illud enim etiam apostoli faciebant. Ligavit aliquando Paulus eum, qui Corinthi fornicatus erat, et postea solvit cum ex corde pœnitentem : ligavit Petrus eum, qui post baptisma pecunia voluit donum Dei emere, et postea ex corde procumbentem solvit. Denique multos peccantes nec pœnitentes ligarunt, alios vero pœnitentes solverunt. Ligavit Petrus Ananiam et Sapphiram, qui tentabant Spiritum Domini, et solvit Tabitham ex morte, cum illam a mortuis suscitavit; solvit Cornelium centurionem credentem, et ligavit Romæ Simonem magum, qui magicis artibus ludebat : ligavit Paulus Elymam magum, quando illum verbo excæcavit, et solvit puellam a Pythonio dæmone : ligavit seipsum Judas fune proditionis, et solvit Petrus negationem suam per pœnitentiam : ligavit Paulus seipsum dum persequeretur Ecclesiam, sed seipsum postea solvit in via, quando viam veritatis agnovit. Multa prophetæ quoque ligarunt et solverunt. Ligavit Elias Thesbites nubes imbrium, ne impiis pluviam præberent, et solvit eas rursum rege Achabo ante ipsum procumbente : solvit ejus discipulus Elisæus Neeman Syrum a lepra, et ligavit Giezim, qui propter pecuniam mentitus fuerat, ac maledicto lepram ipsi intulit : solvit Daniel Nabuchodonosoris somnium, et ligavit armatas contra ipsos Chaldæorum manus : solvit templum idolorum, everso Belo et occiso dracone, et ligavit ora leonum sanguinem vorantium. Ligaverunt quoque tres pueri vim ignis, non combusti ab eo, et solverunt regis mandatum, ejus imaginem non adorantes. Plus quam illos omnes Dominus noster Jesus Christus ligavit et solvit. Solvit enim inimicitiam inter nos et Deum ortam, et ligavit principem malorum serpentem, per quem inimicitia orta fuerat : ligavit omnes dæmonas, qui contra hominem pugnabant, et solvit omnes homines ab ipsis exagitatos : ligavit flammeum gladium contra nos vibratum, et solvit latronem in cruce ligatum, quem in paradisi delicias induxit : ligavit fratricidam Cainum, tremoribus addicens ipsum, et solvit paralytici tremores, membrorum usu restituto : solvit Isaacum ab Abrahamo vinctum, et ligavit pro eo arietem in planta Sabec detentum : ligavit Judam argenteos amantem, et solvit principem publicanorum Zacchæum, qui pecunias suas pauperibus distribuit : ligavit Judaicos porcos, quos dæmonibus tradidit, et solvit ligatam asinam et pullum, missis discipulis : ligavit infructuosam ficum arefactis radicibus, et solvit inclinatam mulierem, dicens, illi : *Confide, filia* (*Matth.* 9. 22), soluta es ab infirmitate tua. Solvit Petrum catenis vinctum, et ligavit homicidam Herodem, membra ejus vermibus rodenda tradens : firmavit fundatam supra firmam petram orthodoxam Ecclesiam, et solvit tabernaculum heterodoxorum, super arenam mobilem constructum : ligaverunt etiam Judæi Christum, sed solvit Christus illorum templum, Jerusalem evertit, dissolvit legalia ipsorum, abrogavit circumcisionem, destruxit synagogas, abripuit eis legem et prophetas, ipsosque paleæ instar per omnes civitates et regiones ventilavit. Ligavit quoque diabolus Dominum in crucem actum, sed dirupit Christus ejus insatiabilem ventrem, voraces ejus dentes, per firmam petram suam nervos ipsius fractos dissolvit, ejus amictum contrivit, comam demisit, luctum et planctum æternum et tenebrosum injecit in eum, quia ille in gaudio versantem hominem, in peccatorum luctum deduxit. Exstinxit ejus impudentes oculos, pudore suffudit ejus ignominiosum vultum, acutis spiculis illum confodit, triplici gladio perforavit, spem dissipavit, scrutatus est absconditos illius nidos, et in omni vento thecas ejus dispersit; prostravit immanes dæmonum ejus filios et nepotes, igni combussit inexstinguibili manufacta ejus idola, in barathrum conjecit lectum ejus, penuaria ejus tenebrosa dirupit, omnes inferni portas aperuit, et solutis vinctis omnibus, secumque assumptis, in cælos ad Patrem ut gigas ascendit, ut ait propheta : *Exsultabit ut gigas ad currendam viam suam : a summo cælo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum*

cœlum, nec est qui se abscondat a calore ejus. Exsultabit ut gigas ad currendam viam suam (*Psal.* 18. 6. 7). Exsultavit, ut modo audiebatur in Evangelio, ob inventam unam perditam ovem. Reliquit enim nonaginta novem oves non errantes, id est, angelicas virtutes, in montibus, nempe in cælis; et venit ad errantem ovem clamantem et dicentem : *Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus* (*Psal.* 118. 176). Hac audita ille errantis ovis voce, inclinavit cælos et descendit, et venit quæsitum ovem errantem ; qua reperta exsultavit. *Exsultabit ut gigas ad currendam viam.* Cucurrit per viam a cælis in terram exsultans : deinde a terra in inferos cucurrit. Illic solutis animabus omnibus a diabolo detentis, in terram cucurrit ; et rursus a terra in cælos ad Patrem ut gigas insiliit. *Nec est, qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* 18. 7). Cum calorem Christi audis, cogita illum esse solem justitiæ. *Nec est, qui se abscondat a calore ejus.* Quis enim frigidissima morte enectus, se abscondat a calore ipsius Spiritus, et nonne omnes a mortuis resurgent? Tuba canet enim, et mortui resurgent incorrupti. Deinde quid est illud quod sequitur, dilecti? Etsi pauca ex multis dixerimus in illud : *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo ; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo,* in sequentem versum mentem transferamus : *Amen dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint mutuo de omni re quamcumque petierint, dabitur illis* (*Matth.* 18. 19). Abraham consentiens cum Sara uxore sua, ille ad boves currens, illa panes apparare festinans, rem stupendam in senectute impetrarunt, nempe filium. Jacob patriarcha cum matre consentiens, benedictionis æternæ fructum accepit. Moyses et Aaron consentientes totam Ægyptum expilarunt, Hebræorumque genus liberarunt. Jesus et Chaleb consentientes, soli terram promissionis in hæreditatem acceperunt. Debora cum Baraco consentiens crudelissimum tyrannum vicit. Judith cum ancilla sua consentiens, alienigenam Holophernem prostravit. Tobias cum angelo consentiens, homicidam dæmonem, qui uxorem suam observabat, colligavit, et occlusos patris oculos aperuit. Ezechias et Isaias simul orantes, centum octoginta quinque millia alienigenarum prostraverunt. Paulus et Silas simul in carcere orantes effecere ut fundamenta carceris motu commoverentur. Alio etiam modo potest hic locus intelligi : *Si duo consenserint mutuo de omni re, quamcumque petierint, dabitur eis.* Si hæc duo, quæ multum dissidere et contendere solent, consenserint, id est, caro et spiritus : nam caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem ; si hæc duo consenserint, ita ut hic dominetur, illa serviat ; hic sapiat, illa non contradicat : tunc Dominus erit in medio animæ et carnis, et omnis res, quamcumque petierint, dabitur eis. Multi enim id observantes, exauditi sunt, ut Elias in monte, Daniel in lacu, Jonas in ceto, Ezechias in lecto infirmitatis suæ, Petrus in Joppe, et Cornelius Cæsareæ. Multæ mulieres cum solæ precarentur, ut Sara Raguelis in Ecbatanis, Judith in cubiculo, Susanna in judicio iniquorum. *Tunc accedens,* inquit, *Petrus dixit Domino : Quoties dimittam fratri meo in me peccanti? usque septies* (*Matth.* 18. 21)? Quid ad illum Dominus? *Non solum dico tibi, Usque septies, sed usque septuagies septies.* Quia enim audierat Dominum dicentem : *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata in cælo ; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta in cælo ;* promissionem Domini implet, scire simul volens, quanta esset illa tam benigna Domini gratia. Dixisti nobis, *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo ; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.* Quoties ergo, si peccaverit in me frater meus, dimittam ei? usque septies? Dominus autem considerans inopem illius circa proximum humanitatem, dixit ei : *Non solum dico tibi, usque septies, sed usque septuagies septies.*

Tu enim ut homo pauper rem pauperem petiisti, ego vero ut Deus magnificus, ubertim gratiam largior. *Non solum usque septies, sed usque septuagies septies.* Sed in hoc verbo mysterium est occultum. Nisi enim agricola ligonem in terram profunde impresserit, non fructus in futuro tempore uberes inveniet : sic et nos, nisi mentem profunde in literam applicemus, occultum Spiritus thesaurum non inveniemus. *Quoties, si peccaverit in me frater meus, dimittam ei? usque septies?* Cur non dixit, Usque octies, vel sexies, vel decies ; sed, *Usque septies?* Quia Deus sex diebus omnia fecit, et die septimo requievit ab operibus suis. De re arcana interrogat Petrus Dominum, ecclesiasticos canones ediscere volens : nempe, Si peccaverit in me frater meus usque in finem vitæ suæ, et ultimo vitæ suæ die, scilicet in septimo pœnitentiam egerit, num dimittam ei? Respondit Dominus : Non modo in præsenti sæculo peccata dimittes ei, sed etiam in futuro parces illi, quod sæculum præsenti majus est septuagies septies. Verax enim est qui dixit tibi, *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælis.* Sed adhuc profundiorem sensum exploremus : Si peccaverit in me frater meus, non in te Deum, sed in me, quoties dimittam ei? Respondet Dominus : Peccata in me non modo usque septies dimittes, sed usque septuagies septies. Verum enim est quod dixit : *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus ; blasphemia autem in Spiritum sanctum non remittetur, neque in hoc sæculo neque in futuro* (*Matth.* 12. 31). Gratia autem Deo, quod nos hoc peccatum non timeamus : non enim blasphemamus in Spiritum sanctum, sed ipsum adoramus et glorificamus. Sed adhuc dictum examinemus. Nam aurum conflatum fulgidius est : sic et Scriptura examinata clarior evadit. *Si peccaverit in me frater meus, quoties dimittam ei? usque septies?* Quia sciebat legem hominibus peccata dimittere in septenario hujus sæculi : neque enim habebat octavam resurrectionis diem ; quia nondum advenerat Christus qui resurrectionis diem habet : ideoque David, quia sub lege erat, septies in die laudat Deum ; dicit enim, *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* 118. 164), non octies : nondum enim venerat Christus ; neque octava dies resurrectionis : adhuc sum sub lege, sub lege serviam tibi ; adhuc ancillæ filius sum, nempe synagogæ : nondum enim ex libera natus sum : ideo ait, *Ego servus tuus et filius ancillæ tuæ* (*Psal.* 115. 16). Nam eorum, qui in gratia regenerati sunt Christianorum mater libera est, ut dicit apostolus : *Illa vero, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum* (*Gal.* 4. 26). Quoties ergo peccabit in me frater meus et dimittam ei? usque septies? Ac si diceret : Præcipisne ut dimittam peccata fratribus meis, ut lex præcipit (id enim significat, *Usque septies*) an amplius? Dominus vero gratiam amplificat dicens : *Non modo usque septies, sed usque septuagies septies.* Quantum enim legem superat Verbum, tantum gratia legem : non enim Verbum Deus ex lege, sed lex ex Verbo. Et sciendum est, carissimi, quanta sit verbi utilitas, ut discas, quanto majus est verbum, quam lex. Lex decem verba dat Judæis, et nihil profuit : nobis vero Deus unum Verbum dedit, et omnes servavit Sed adhuc literam Spiritu sarriamus. Nam qui thesaurum aperuit, non modo aurum et argentum accipit et abit, sed etiam lapides pretiosos ipsosque varios quærit. *Si peccaverit in me frater meus, quoties dimittam ei? usque septies?* Mysterium est, dilecti, absconditum in litera, et multos latuit. Tu vero mihi sensum diligenter considera : acutus enim est, volucre levior, qui facile possit oculum mentis prætergredi, etiam iis, qui acutissime vident : *Si peccaverit in me frater meus, quoties dimittam ei? usque septies?* Nam quæsitu dignum est, cur dixerit Petrus, *Usque septies,* et cur Dominus responderit, *Usque septuagies septies.* Sed Petrus in scopo habebat homicidii scelus, quod gravissimum est, et in mysterio scire volebat ecclesiasticos

canones, num jubeat Dominus in baptismo dimittere homicidii scelus. Advertens enim Cainum dolo occidisse fratrem suum, et in septem crimina incidisse (primus enim inter homines occidit, primus simulavit, primus mentitus est, primus terram sanguine polluit, primus portas mortis aperuit : nondum enim mors degustaverat hominem, nisi Cain per invidiam hunc partum edidisset) : attendens ergo Petrus cædem a Caino peractam septem culpis esse obnoxiam, accedit ad Dominum, arcano modo interrogans : *Si peccaverit in me frater meus, quoties dimittam ei? usque septies?* Id est, Jubes in baptismate fratricidæ Caini scelera dimittam ei? Dominus autem quid ait ad ipsum? Non modo scelus Caini septies in baptismate dimittes, sed etiam illud Lamechi septuagies septies : in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN ILLUD JUDÆORUM DICTUM, DÆMONIUM HABES ; ET IN ILLUD, NOLITE JUDICARE SECUNDUM FACIEM (*Joan.* 7. 20. *et* 24).

Quemadmodum luna lucida obscuritatem noctis albo colore tingens, iis qui in terra et in mari iter agunt nautis et viatoribus facem pulcre præferens, sine obice procedendi dat facultatem : sic et Ecclesiæ doctor, instar lunæ, divinæ cogitionis fulgorem verbis illustrans, cum eos qui in hujus vitæ pelago voluptatum salsuginem transcurrunt, tum eos qui in Christiana vita incedunt, ad veritatem Christum transmittit. Solet vero divina Scriptura Ecclesiæ doctores, qui honeste vitam ducunt, secundum imaginem lunam et stellas vocare, ut ait David propheta : *Lunam et stellas, quæ tu fundasti* (*Psal.* 8. 4). Clarius autem videre est ex apostoli verbis sanctorum discrimen, quod ordine quodam solis, lunæ et stellarum nomine significatur : *Alia*, inquit, *est claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum : stella differt a stella in claritate* (1. *Cor.* 15. 41). Et nos itaque instar minimæ stellæ lucentes, evangelicarum sententiarum fulgura vobis ostendamus. Dicebant ergo, inquit, Judæi Domino : *Dæmonium habes;* ille vero, *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* O Judæi, me dicitis dæmonium habere : opera mea cum vestris conferte, et vestræ conscientiæ examini subjicientes, dicite, Quis habeat dæmonium, egone, an vos? *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Vos per mare Rubrum, ut per herbosum campum transeuntes et in deserto ineffabili modo dulcem aquam ex petra manantem accepistis, et ex medio aere coturnicem decidentem : et post tot tantaque ac plura alia accepta bona, Moyse in montem ascendente, conflato vitulo legionem dæmonum adorastis ; ego autem veniens, legionem illam dæmonum ab hominibus abegi. Quis ergo dæmonium habet? ego, an vos? dicite. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Vos filios et filias vestras dæmoniis immolatis ; ego vero filium viduæ et filiam principis synagogæ mortuos suscitavi : illum in arca jacentem tactu manus, vim curationis ad intus positum immittens, sanum reddidi ; illam verbo ex morte seu ex somno excitavi. Quis ergo dæmonium habet? ego, an vos? *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Vos ex conflictis Jezabelis verbis occiso Nabuthe, lætitiæ genitricem vineam in arvum olerum mutastis, infirmorum cibum secundum apostolum, *Qui autem infirmus est, olus manducat* (*Rom.* 14. 2) : ego vero eis, qui instar humilium olerum, in infirmitatem delapsi erant, in ictu oculi ad sanitatem restitutis, panis cœlestis alimentum dedi, ac rursus in eumdem ordinem restitui dicens : *Ego sum vitis, vos palmites* (*Joan.* 15. 5). Quis ergo dæmonium habet? ego, an vos? *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Vos Isaiam lignea serra secuistis et dissolvistis : ego vero dissolutam morte humanam naturam per participationem ligni crucis coaptans suscitavi. Quis ergo dæmonium habet? ego, an vos? dicite. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Vos Jeremiam prophetam in lacum cœni conjicientes suffocastis : ego vero propheticum verbum in cœno voluptatum vestrarum emortuum retraxi, et in animabus obsequentium stabilivi. Quis ergo dæmonium habet? ego, an vos? dicite. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Vos magnum illum Zachariam inter templum et altare occidistis : Zacharias autem significat memoriale Dei : ego autem veniens, hunc Zachariam, memoriale Dei, a vobis inter templum et altare occisum ; id est, inter corpus et animam (nam templum animæ est corpus, et altare Dei anima, in qua oblatio rationabilis cultus et thymiamata orationum emittuntur) ; hoc memoriale Dei vivificans, in cordibus hominum locavi, ut omnes qui reciperent sacrificia offerrent Deo. Quis ergo habet dæmonium? ego, an vos? dicite. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Recordati sunt autem discipuli Domini hujus dicti. Cum enim a Scribis et Pharisæis prohiberentur, ne docerent in nomine Christi : *Nonne præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine Jesu? et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra* (*Act.* 5. 28) : tunc respondent illi, monentes simul ne judicarent injuste, ac dicentes : *Si justum est vos potius audire, quam Deum, judicate* (*Act.* 4. 19). Vide quoque prophetam, dilecte, in Psalmo qui modo nobis cantatus fuit, clarissime de domini in carne adventu loquentem, ac monentem, non judicandum esse injuste : *Deus*, inquit, *stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicabit* (*Psal.* 81. 1). Quis autem fuerit Deus qui stetit in synagoga deorum, nisi omnino Christus, qui stetit in synagoga Judæorum, qui olim dii fuerant? ad quos responsum fuit : *Ego dixi, Dii estis.* Quantum enim ad Dei benignitatem pertinebat, deos illos vocavit : quantum vero spectabat ad ipsorum nequitiam, sicut homines moriebantur, et quasi unus de principibus cadebant ; principibus vero, non terrenis hominibus, sed ex iis qui ex cælestibus fornicibus ceciderant, de quibus ait Paulus : *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus principatus et potestates et mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cælestibus* (*Ephes.* 6. 12). Igitur, *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicabit.* Deos ex iis, qui olim dii erant, Judæis, dijudicabit. Aitque illis Spiritus sanctus : *Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis* (*Psal.* 81. 2)? et Dominus dicit : *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Deinde rursus Spiritus sanctus : *Judicate pupillo et egeno.* Vide mihi quomodo circa Christum omnia inducat, omnia doceat, volens illorum iniquitatem tollere : nam ait : *Judicate pupillo et egeno, humilem et pauperem justificate* (*Isai.* 1. 17). Sed fortasse dicet quispiam auditorum, videri nos in dubio versari, quod Dominus pupillus audiat. Nam quod egenus sit, facile disci potest ex verbis apostoli : *Qui propter nos egenus factus est, cum dives esset* (2. *Cor.* 8. 9) : sed quis pupillus sit, nisi is, qui nec patrem nec matrem habeat? Audi vero apostolum de Christo dicentem : *Sine patre, sine matre, sine genealogia* (*Hebr.* 7. 3). Sine patre in terra est Dominus secundum humanitatem ; sine matre in cælis secundum divinitatem. Judicate pupillo et egeno, qui propter nos egenus factus est. Omnibus enim omnia factus est plus quam apostolus, ut omnes lucrifaceret.

Humilem et pauperem justificate. Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* 11. 29.). Sed quid dicit? *Nescierunt neque intellexerunt : in tenebris ambulant* (*Psal.* 81. 5). Nescierunt Deum Verbum carnem factum esse propter nos : nam Verbum caro factum est, non mutatum, sed quatenus habitavit in nobis. Nescierunt æternam divinitatis formam in servi imagine : non cognoverunt : nam si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed neque intellexerunt : non intellexerunt miraculorum ejus virtutem, quot nempe symbolorum imagines haberent : non intellexerunt thesaurum in agro absconditum, id est, divinitatem in carne absconditam, et in cælis cum Patre manentem : non intellexerunt ea, quæ circa Lazarum facta fuerant : non intellexerunt lapidem revolutum a monumento, quod stulta hominum corda amoverentur, significare : non intellexerunt cujus rei figura essent monumentum et intus jacens quatriduanus Lazarus : quod scilicet in imagine corporis sepulcrum intus contineret mentem mortuam et occisam. Nam revera corpus nostrum sepulcrum erat ante Christi adventum, ut ait in evangelio, Sepulcra dealbata (*Matth.* 23. 27). Vere sepulcra eramus plena peccatis letiferis, intus habentes mentem voluptatibus enectam, quatriduanum jam fœtentem, mentem scilicet ex quatuor generalibus virtutibus constantem, prudentia, justitia, fortitudine, temperantia. Similiterque corpus ex quatuor elementis constat, ex calido et frigido, humido et sicco. Nescierunt neque intellexerunt : cum enim Christum lucem non susceperint, in tenebris ambulant. *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* 1. 5). *Moveantur omnia fundamenta terræ* (*Psal.* 81. 5) : non ejus quam calcamus, sed ejus de qua dicitur : *Terra es, et in terram reverteris* (*Gen.* 3. 19). Fundamentum enim corporis anima est : qua egressa, velut fundamento recedente, domus tabernaculi nostri decidit. Moveantur omnia fundamenta terræ; id est, transmoveantur et transferantur animæ ab idololatria ad Dei cognitionem. Deinde : *Surge Deus*, inquit, *judica terram* (*Psal.* 81. 8). Surge qui crucifixus es, surge qui peccata nostra sub spinarum imagine in capite tuo redimivisti. *Surge Deus, judica terram.* Terram dixit, non cælum. Ne timeas, dilecte. Si regeneratus es ex aqua et Spiritu, cælum es. *Quotquot enim in Christum baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* 3. 27). *Qualis terrenus, tales terreni : qualis cælestis, tales cælestes* (1. *Cor.* 15. 48). *Surge Deus, judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Tu Christus, cui dedit Pater potestatem omnium, potestatem omnes judicandi. Nam *Pater non judicat quemquam : omne quippe judicium dedit Filio, ut honorent Filium, sicut honorant Patrem* (*Joan.* 5. 22). *Tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Tibi enim dixit Pater : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* 2. 8). Deo igitur gloriam demus in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

DE POENITENTIA.

Corona aureis floribus nexa auditorum capita ornare volentes, ex immortalibus pratis, Christi digitis pulcherrimos flores decerpentes, rogemus angelos, ad id a divino Spiritu deputatos, ut nobis opem ferant. Dignus enim es, Dei popule, imo Dei templum, ut tali corona decoreris; ii vero maxime qui Dei templum immaculatum sine sorde custodistis, ore purpureo et lucida margarita animas in tenebris positas, pietatis fulgore illuminate. Demittite illis cum caritate manus, et quasi ex profundo ignorantiæ, ad mirabilem spei luce ipsos educite. Quotquot autem inconsiderate templum Dei per voluptates violastis, ne usque in finem desperetis, sed per pœnitentiam ipsum renovate. Sicut enim vir prudens domum ex negligentia sua pessumdatam diligenter reparat renovatque, ut nihil deficiat in domo, quam ab initio excitaverat : ita mens in anima nostra habitans, illam peccatis labefactatam et lapsam per pœnitentiam renovat. Pœnitentia namque lapsam animam erigit, a Deo abalienatam ei rursus amicam reddit : pœnitentia caliginem animæ offusam fugat, mortemque abigit : pœnitentia maledictam animam suscitat, claudicantem erigit, contritam et vulneratam sanat. Curramus ad pœnitentiam, quæ regnum nobis confert, quæ peccata delet, quæ salutis mater est. Pœnitentia diaboli persequutio, dæmonum supplantatio. O pœnitentia! propter quam Jonas propheta fugiebat a facie Dei, quæ decretam mortiferam Dei sententiam evertit, et mortis præconem mendacem ostendit : tu enim occurrens Dei sententiæ contra Ninivitas latæ, ipsam quidem impedivisti; Ninivitis vero fontes vitæ ubertim immisisti. Pœnitentia cum lacrymis ante Deum procumbens, Ezechiæ regi pro morte vitam elargita est. O pœnitentia a terra in cælos recurrens, et angelicas potestates exsuperans, ac per divinum Spiritum ad Domini thronum admovens : quæ cum Deo colloquitur, atque ex thesauris Dei quasi ex suis vitam accipit, et se tenentibus fidenter confert. O pœnitentia, vitiorum medica, quæ minas mitigat, et ignem furoris exstinguit, iram sedat, et amicitiæ lucernas inexstinguibiles conciliat! O pœnitentia in corde hominis nata, et statim in cælis habitans : te inventa beatus David, æterni supplicii ultionem de duobus sceleribus, cæde videlicet et adulterio, effugit. O pœnitentia, quæ vincula peccatorum solvit, et tutam animam servat. Pœnitentia ex medio corde gemitum emittens, Deum exorat : pœnitentia ferventes lacrymas ex oculis emittens, sordidatas animas baptismate illustrat. O pœnitentia, ex mortali homine profectum pharmacum, quod immortalitatem præbet. Anima, quæ te possidet, dicit : *Nigra sum, sed formosa* (*Cant.* 1. 4) : nigra propter peccati tristem luctum; formosa propter bonum fulgorem ex pœnitentia ortum. O pœnitentia, Petri advocata, et Pauli auxiliatrix et ultrix! Te si invenerit Christicida Pharisæus, Christifer Galilæus efficitur. Pœnitentia confractam animam in metallum transformat, spinosum cor statim mutat. Dicunt quidam aquilam, cum senuit et in altum sublimis volat, si se in limpidissimum fontem demittat, juvenescere. Talis est pœnitentia : cor enim illam possidens in altum extollit, et fonte lacrymarum vetustate peccatorum abstersa, Spiritus novitate ipsum induit. Ideoque Spiritus animæ pœnitenti dicit : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua* (*Psal.* 102. 5). Hanc videns magnus ille animarum nostrarum medicus omnibus esse virtutibus efficaciorem, dicit : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cælorum* (*Matth.* 3. 2). Accedite ad pœnitentiam cum fiducia, *Respicite in antiquas generationes, et videte, quis credidit Domino, et confusus est? aut quis perseveravit in timore ejus, et derelictus est? aut quis invocavit illum, et despexit eum? Quia miserator et misericors Dominus, et dimittit peccata, et servat in tempore tribulationis* (*Eccli.* 2. 11.-13). Et ne te pudeat, fili, confiteri peccata tua : est enim pudor qui inducit peccatum, et est pudor gloria et gratia. Anima, quæ hic pœnitentiam agit, accipit remissionem peccatorum : nam *In inferno quis confitebitur Domino* (*Psal.* 6. 6)? Ingemisce de peccatis tuis, ut salutem consequaris : *Quando* enim, ait, *conversus ingemueris, tunc salvaberis. Dic tu*, inquit, *peccata tua, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris* (*Isai.* 30. 15. *et* 43. 26). Dic peccata tua. *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris. Secun-*

dum misericordiam tuam. memento mei tu propter bonitatem tuam, Domine (*Psal.* 24. 7). Perpende hanc vitam ut umbram prætercurrentem esse. Ubi sunt perceptæ voluptates præteritorum temporum? ubi vana sollicitudo? ubi ærumnæ? ubi laudes? nonne ut nubeculæ a turbine correptæ hæc depulsa sunt? Ne solum respiciamus ad præsentem vitam, sed et ad futuram. *Memorare*, inquit, *novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* 7. 40). Respice diem et horam exitus, qualis esse velis in lecto jacens et infirmus, cum nemo te juvare poterit: considera circum te adstantes amicos, vicinos, cognatos, fratres, domesticos; omnes unanimiter flentes, lacrymantes sine ulla consolatione, lugentes propter te: similiterque filios hinc inde stantes, ac patris vocem pro more requirentes, lamentantes, nec te audientes: uxor quoque mœrens, mortemque propter te et ante te optans aderit: angelos terribiles videbis, qui pignus animæ tuæ repetent. Si quidem opera digna honore anima fecerit, ab angelis stipabitur; si vero erga congeneres pauperes immisericors fuerit, sine misericordia condemnabitur: *Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam* (*Jacob.* 2. 13). Intra in penuarium animæ tuæ; spectator esto operum tuorum; confer mala cum bonis, et si videris mala prævalere, bonis operibus illa obrue, utpote qui peccata visurus sis tibi adversantia. Respice mihi vermem illum insomnem, chaos illud tenebrosum, ignem inexstinguibilem, tremendum, qui aqua non exstinguitur, et a pœnitentia superatur. O pœnitentia, quæ ignem inexstinguibilem et æternum exstinguit! quæ vermem insomnem destruit, chaos tenebrosum obruit et illuminat! o pœnitentia murus animæ firmissimus, urbs turrita, in qua Pater et Filius et Spiritus sanctus regnat! o pœnitentia, quæ stimulum mortis solvit, diabolum sub pedes conjicit, draconem interficit, Christum celebrat, virtutem florentem reddit! o pœnitentia quæ in luctu gaudium parit, in lacrymis exsultat, ac per lacrymas, æternas aufert lacrymas! o pœnitentia, quæ seminat in lacrymis, et in exsultatione metet! o pœnitentia, quæ in sacco fulgentem Christi vestem nuptialem apparat! o pœnitentia, quæ mores Caini ex corde eliminat, atque amorem gaudiumque castitatis inducit! o pœnitentia, quæ fœtorem peccatorum abstergit, atque bonum odorem operum piorum inducit! o pœnitentia pacis et amicitiæ contubernalis, caritatis socia, flos spei fragrantiam emittens! te illi argentei agni pascentes, purpurea sceptra Trinitatis eructant. Sed ne sermonem protrahentes, videamur nugas venditare, hic sermonum nostrorum crumenam obsignantes, ad pratum a Deo creatum vos mittamus; ubi sunt arbores suave spirantes, dogmatum plantæ, quas Deus per Patres in Ecclesiæ tectum vobis plantavit, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui gloria et imperium cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

DE FIDE.

Medico similis est Ecclesiæ doctor, qui cum Ecclesia sit multis et variis morbis detenta, singulis ægris secundum morbi naturam remedium applicat. Exempli causa: venerunt quidam in officina medicinali Ecclesiæ, tumenti superbiæ morbo capti: accepto humilitatis emplastro, inflatum superbiæ morbum curarunt. Alii accurrerunt ira ferventes: hi vero animæ freno** sedati morbum exstinxerunt. Alii carnis affectibus ad lasciviam perciti accurrerunt; et hi quoque, emplastro castitatis accepto, castitate se accinxerunt. Venite ergo, dilecti, quia is qui præcessit doctor infirmorum animas triplici fide curavit: nos quoque ejus vestigia sequamur. Puto autem multos ex adstantibus velle de fide audire, non quod illi egeant; sani quippe sunt; sed quod velint infirmantes sanare. Multi enim sunt sani quidem, sed qui non possint eos, qui male habent, per se curare. Quamobrem, dilecti, etsi in argumentum habeo id quod in Evangelio jam lectum est explanare, et ex Spiritu sancto hunc vobis potum dare; supersedeo tamen, ut id quod pollicitus sum exsequar. Oportet enim nos apostoli discipulos omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaciamus. Rogo autem, si in dictionibus labamur, veniam mihi detis: nam qui ex tempore orant, sæpe labuntur, cum mens non possit simul et Scripturam speculari et orationem ornare. Vos autem internum vestrum hominem et cor hic exhibete purissimum, ut quisque vestrum non modo dicta audiat, sed et videat et cujusque rei vim ediscat. Prima ergo res est fides in Deum, res incomprehensibilis, quæ tangi nequit, invisibilis, quæ reprehendi nequit, quæ silentio honoratur et adoratur. Fides a Patre incipit, per Filium venit, in Spiritu sancto impletur: fides sedes animæ, fundamentum vitæ, radix immortalis: fidei radix vivens est Pater, ramus immarcescibilis Filius, fructus immortalis Spiritus sanctus: Trinitas simplex, incomposita, ineffabilis, inenarrabilis, indivisibilis secundum consensum, secundum virtutem, secundum operandi vim, secundum divinitatem, secundum magnitudinem, in hypostasibus et nominibus distincta, in rebus et potestatibus unita: Trinitas ante sæcula existens, non a principio cœpit esse, sed sine principio, sine tempore, sine senio. immortalis, interminabilis: non aucta, nec cessans, nec senescens, sed indissoluta: similiter Trinitas exsistens, non nunc inventa et adorata, sed a sæculis in cælo ab angelis adorata, a patribus in terra glorificata, a prophetis habita in honore, ab apostolis prædicata, ab Ecclesia ad hoc usque tempus celebrata. Incipiamus, dilecti, a cælis: incipiamus ostendere Trinitatis unam dominationem, adorationem, magnitudinem. Ter superni angeli, potestates, Cherubim et Seraphim illud, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, incessabili ore modulantes, in unam dominationem extollunt gloriam. Tres angelos Abraham patriarcha sub quercu Mambre in tabernaculo cernens, unam dominationem et æqualitatem angelorum Trinitati attribuit. Tres vero sunt angeli; et quercus et tabernaculum et Abraham; et crux et Ecclesia et semen hominum. Ipse Abraham via trium dierum ivit, ut filium suum Isaac in holocaustum Deo offerret. Trium dierum iter est ut Isaac offeratur; trium dierum est passio Christi per crucem. Quod autem Christi mysterium Abraham in Isaaco specularetur, testificatur Christus dicens: *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum: et vidit et gavisus est* (*Joan.* 8. 56). Tribus diebus Moyses iter agit, ut immolet Deo; dicit enim Pharaoni: *Viam trium dierum ibimus ad sacrificandum Domino Deo nostro* (*Exod.* 3. 18). Tres mensuras similæ Sara accipiens, subcineritios panes fecit: tres mensuræ similæ et Sara et subcineritii panes sunt triplex fides, et Ecclesia in abscondito cordis hominum servata. Tres virgas Jacob in aquam injecit, ovibus Labani potum dedit: tres virgæ, aqua et oves bibentes, sunt Trinitas, baptisma et populus illuminatus. Tribus diebus et tribus noctibus Jonas in cete fuit: tres dies et noctes, Jonas et cete, significant Unigenitum in inferis. Et quod hæc ita sint, jam dicatur: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* 12. 40). Tribus diebus Ninivitæ jejunarunt: tres dies et jejunium et Ninivitæ viventes sunt Trinitas lucem afferens, abstinentia a malis et mundi vita. Ter Elias propheta super assulas et membra boum aquam infundens, ignem de cælo super illa demisit: triplex vero aqua assulæ,

membra bovis et ignis cælestis, sunt triplex baptisma et crux et membra Christi et cælestis splendor. Ter in die Daniel, apertis domus suæ fenestris, ad orientem precans, rem petitam assequutus est; docente nos mysterio, oportere nos mentis oculis apertis, Patri et Filio et Spiritui sancto ad orientem supplicare. Tres pueri incorrupti, in fornacem conjecti, ipsi quidem nihil passi sunt, sed Chaldæos combusserunt: tres pueri incorrupti, fornax et Chaldæi sunt Trinitas incorrupta, judicium et dæmones. Tres virtutes beatus Paulus Ecclesiæ tradit dicens: *Fides, spes, caritas* (1. *Cor.* 13. 13): fides in Patrem, spes in Filium, et plenitudo legis caritas (*Rom.* 13. 10): nam *Fructus Spiritus est caritas.* Ter et ipse Paulus rogabat Dominum dicens, *Propter quod ter Dominum rogavi* (2. *Cor.* 12. 8). Et animadverte viri sapientiam, in simplicissimo verbo comprehensam. Non dixit, Tertio Dominum rogavi, sed, *Ter.* Pater, Filius et Spiritus sanctus, tres hypostases, una autem dominatio. Et *Ter*, inquit, *virgis cæsus sum* (*Ibid. v.* 25); id est, tres quidem hypostases confessus sum, semel autem fidem Trinitatis lapide confessionis ad unum animæ concentum firmavi. Et *Ter*, inquit, *naufragium pertuli;* id est, Judaicorum onus peccatorum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti in fonte baptismatis demersi. Tria sata farinæ, et regni cælorum similitudo allata, mulier quæ accepit, et modicum fermentum abscondit ac totam massam fermentavit: tria vero sata farinæ, modicum fermentum et mulier fermentans, sapientia Dei est, quæ per corpus Christi totam humanam naturam in Trinitatis fidem convertit. His omnibus mysteriis quasi sigillum apponens Dominus noster, in tribus immersionibus corporis unum baptisma discipulis suis tradidit, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* 28. 19). Unam esse operationem facile demonstrabimus: cum autem unam esse operationem Patris et Filii et Spiritus sancti demonstretur, necesse est omnino unam credi substantiam: quorum enim operatio una, una quoque est substantia. Incipiamus ergo dicere de mundi creatione, de adoptione, de libertate, de cælo, de terræ constitutione, atque uno verbo de omni opere, deque aliis omnibus ad vitæ nostræ usum pertinentibus: ac quibus occasionibus eæ a Patre et Filio et Spiritu sancto perfectæ sint. A primis incipiamus, et ad secunda veniamus; et sic deinceps orationem nostram persequamur. Cælum fecit Pater non sine Verbo et Spiritu: nam *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* 32. 6). Totum orbem replevit Pater, ut scriptum est: *Cælum et terram ego impleo, dicit Dominus* (*Jer.* 23. 24). Replevit et Filius: nam *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* 1. 3). Audi Sapientiam dicentem de Spiritu: *Spiritus Domini replevit orbem* (*Sap.* 1. 7). Quid vero? Creaturarum maxima homo, non a Patre solo facta est, sed cooperante Filio, complente Spiritu sancto: nam ait, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* 1. 26). Faciamus, non, Faciam ego, non, Facias tu, non, Faciat ille; sed, *Faciamus.* Si enim dixisset, Fac tu, subministrum declarasset: æqualitatem vero demonstrans, ait, *Faciamus hominem.* Communis sententia, commune opus, commune figmentum. Quod autem Pater et Filius et Spiritus sanctus fecerit hominem, David mihi testificatur Deo dicens: *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me* (*Psal.* 118. 73). Non tu me solus fecisti: non manus tua sola fecit me, quæ est Unigenitus tuus. *Manus tuæ fecerunt me;* id est, Verbum et Spiritus. Ac si diceret, Verbi quidem sapientia formavit me, Spiritus vero intelligentia fecit me, te complente. Similiter et Job Deo dicit: *Manus tuæ formaverunt me, et fecerunt me* (*Job.* 10. 8). Nam et cælum et virtus cælorum per ipsum facta sunt, Davide dicente: *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* 32. 6); in propheta autem Osea: *Cujus manus creaverunt exercitum cæli.* Nam hic significat per Spiritum et Verbum exercitum cælorum creatum fuisse. *Faciamus hominem ad imaginem nostram;* non, Ad imagines nostras; sed, *Faciamus hominem ad imaginem nostram:* illud, *faciamus*, pluraliter; illud, *ad imaginem nostram*, singulariter. Et ne quis suspicaretur hominem ad imaginem Patris solam factum fuisse, addidit illud, *nostram.* Et ideo, quia illa imago primigenia Adami, per transgressionem inimica facta, opus habebat renovatione et purgatione, non in nomine Patris solius in baptismate regeneratur, sed et Filii et Spiritus sancti: quia ab initio sic factus est. Vere igitur obsignat Pater in baptismate, ut Paulus ait: *Qui autem fecit nos ad hoc ipsum Deus, et unxit nos et signavit nos* (2. *Cor.* 1. 21. 22). Signat autem et Spiritus sanctus: *Nolite enim contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis* (*Ephes.* 4. 30). Signati autem a Patre et Spiritu sancto in cordibus nostris, non in duas imagines transformamur, sed in unam Filii ejus. Ex his autem colligitur illud, *in unam*, esse Patris et Filii et Spiritus sancti. Signati in cordibus nostris, conformes Filio efficimur, et imago Dei, ut clamat Paulus dicens: *Vir quidem non debet velari, cum sit imago et gloria Dei* (1. *Cor.* 11. 7). Multo magis Spiritus sanctus est imago Dei. Magnus etiam est Filius, interminabilis est Spiritus sanctus: *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus* (nam Christus Dei virtus), *et sapientiæ ejus non est numerus* (*Psal.* 146. 5). Id est, Spiritus sanctus Dei, Spiritus est sapientiæ et intellectus. Pax quoque est Pater: *Ecce declinabo super eam quasi fluvius pacis* (*Isai.* 66. 12). Pax quoque est Filius, ut Paulus ait: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* 2. 14). Pax quoque est Spiritus sanctus: *Fructus autem Spiritus*, inquit, *caritas, pax* (*Ephes.* 5. 9). Fons est Pater: *Quoniam apud te est fons vitæ* (*Psal.* 35. 10): fons est Filius: *Me enim dereliquerunt, fontem aquæ vivæ* (*Jer.* 2. 13). Nisi esset fons Spiritus sanctus, non dixisset Paulus, *Et omnes in eodem Spiritu baptizati sumus* (1. *Cor.* 12. 13). Liquidius autem ex Domini verbis ediscitur, Spiritum fonti fuisse comparatum. Veniens quippe Jesus clamabat: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat aquam*, et, *Sicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* 7. 37-39). Lux est Pater, *Quia Deus lux est* (1. *Joan.* 1. 5): lux Filius; nam, *Ego sum lux mundi* (*Joan.* 8. 12); lux et Spiritus: non enim dixisset Paulus, *Spiritum nolite exstinguere* (1. *Thess.* 5. 19). Sed quia hoc ut vi eductum quidam habent, David proprie dicat: *In lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* 35. 10), nempe Spiritum sanctum. Liberat Pater redactum in servitutem peccati: liberat Filius; dicebat enim Judæis, *Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* 8. 36): liberat Spiritus: *Ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas* (2. *Cor.* 3. 17): lex Spiritus liberat: *Lex vero Spiritus liberavit te a servitute corruptionis* (*Rom.* 8. 2). Bonus est Pater: bonus Filius: *An oculus tuus*, inquit, *nequam est, quia ego bonus sum* (*Matth.* 20. 15)? bonus etiam est Spiritus sanctus: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* (*Psal.* 142. 10). Ubi vult est Pater; nemini enim subjectus est: ubi vult est Filius; liber quippe est: ubi vult est Spiritus sanctus; nam *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis; sed nescis unde veniat, aut quo vadat* (*Joan.* 3. 8). Omnia continet Pater, omnia continet Filius, omnia continet Spiritus sanctus; David enim dicit: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam* (*Psal.* 138. 7)? Omnipotens est Pater, ut dicit Job: *Novi, Domine, quod omnia possis, nihilque tibi sit impossibile* (*Job.* 42. 2). Omnipotens est Filius, ut ait illi qui vix credebat in Evangelio: *Credenti omnia possibilia sunt* (*Marc.* 9. 22). Omnipotens et Spiritus sanctus: est enim, inquit, Dei virtus Spiritus sanctus, Spiritus intelligentiæ, sanctus, multiformis, tenuis, facile mobilis, clarus, perspicuus, illæsus, acutus, non impedi-

tus, beneficus, hominum amans, firmus, tutus, non sollicitus, omnipotens, omnia perspiciens. Neque modo omnia perspiciens est Spiritus sanctus, sed etiam homines episcopos, sive perspicientes facit, ut testificatur mihi Paulus in Actibus dicens : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos* (*Act.* 20. 28). Misit prophetas Pater, misit prophetas Filius, misit et Spiritus sanctus, ut unus ex prophetis dicit Isaias : *Et nunc Dominus, Dominus misit me, et Spiritus ejus*. A Filio missi sunt apostoli : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Matth.* 10. 16) : missi quoque sunt a Spiritu sancto, sicut in Actibus : *Qui ergo missi erant a Spiritu sancto, descenderunt Seleuciam* (*Act.* 13. 4). Advocavit Pater apostolos, advocavit Filius apostolos, similiterque Spiritus sanctus advocavit apostolos : *Ministrantibus illis Domino*. Quibusnam? Apostolis. *Dicit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam et Paulum in opus ad quod vocavi eos* (*Ibid. v.* 2). Segregate vos, segregate mihi Barnabam et Paulum. Loquor ut dominus ; obedite ut servi. *Jejunantibus autem illis et ministrantibus Domino*. Attende : *Et ministrantibus*. Ubi sunt qui dicunt Spiritum sanctum esse ministrum? Si minister est Spiritus sanctus, unus est angelorum vel sanctorum apostolorum : qui facit enim angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis (*Psal.* 103. 4). At non minister est Spiritus sanctus, sed ministratur illi : *Ministrantibus autem illis*, inquit, *dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi*. Sed est Domini vox, *Segregate mihi Barnabam et Paulum in opus ad quod vocavi eos*. Nunc vos segregate mihi Paulum et Barnabam : ego enim segregavi eos ab utero matris eorum. Et quia a Spiritu sancto vocatus erat Paulus, ab apostolis segregatus est in evangelium, ut ille in prima Epistola dicit : *Servus, vocatus apostolus, segregatus in evangelium Dei* (*Rom.* 1. 1). Sed id nunc, dilecti, excogitarunt ii, qui blasphemiæ dant operam : cum oportuisset operam dare divinæ Scripturæ, et agnoscere Dominum et dictum illud : *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* (*Psal.* 45. 11). Nunc aliam blasphemam quæstionem invenerunt, et interrogant nos : Thronumne habet Pater? Respondemus, Etiam : *Dominus super thronum sanctum suum*. Habetne thronum Filius? Respondemus, Etiam : scriptum est enim de Filio : *Thronus tuus, Deus in sæculum sæculi*. Sed cum audis thronum Dei, id ut Deum decet cogitandum est ; thronum, nempe potestatem, regnum, dominationem : nobis enim Scriptura ut hominibus loquitur. Ubi enim scriptum est, etiam Spiritum sanctum habere thronum, ut ex throno æqualitatem honoris intelligentes, dominationem concedamus? Certe tali quæstioni par esset nos non respondere. Si enim servi ex terra nati, apostoli, inquam, digni habiti sunt qui in thronis sederent: *Ecce vos duodecim sedebitis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* 19. 28) ; multo magis Spiritus sanctus. Ad hæc interrogant : Ubinam Spiritus sancti gloria? glorificatur Pater, glorificatur Filius : ubinam Spiritus sanctus, quærunt increduli. Dicant fideles, et Isaias testificetur : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum* (*Isai.* 6. 1-3) ; de Spiritu loquitu, ut paulo post demonstrabitur ; *et elevatum : et plena erat domus gloria ejus. Et Seraphim stabant in circuitu ejus : sex alæ uni, et sex alæ alteri. Et clamabant : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth, plenum est cœlum et terra gloria ejus*. Hic attende, et thronum et gloriam vide. *Et dixit Dominus ad me, Quem mittam, et quis ibit ad populum hunc* Judæorum? *Et dicet illis, Auditu audietis et non intelligetis : incrassatum enim est cor populi hujus, et auribus suis graviter audiunt*, etc. (*Ibid. v.* 8-10) Venit Paulus post multas annorum periodos a data prophetia : Romam venit. cum Judæis edisserit, ut illos inducat in Unigeniti fidem : illi vero avertebantur, et non credebant. Tunc memorat hanc prophetiam, quæ jam implebatur. Et quid dicit illis : *Bene dixit de vobis Spiritus sanctus per Isaiam prophetam : Auditu audietis, et non intelligetis*, etc. (*Act.* 28. 25. 26). Ecce quem Isaias dicit Dominum Sabaoth super thronum excelsum sedere, et ab angelis glorificari, Paulus dicit Spiritum sanctum esse. Quis postea ita stultus erit ut dubitet, et Dominum et Deum et Spiritum esse colendum? cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

DE SPE.

Omnes homines natura industrii sunt, quod ex natura sua judicio et mente polleant. Singuli enim ad agriculturam, viatoriam vel artem aliquam quadam spe fulti se dedunt. Cuncti enim labores, sudores, pericula et ærumnas alacriter subeunt ob futurorum bonorum exspectationem. Agricola nervorum tensione, membrorum et dorsi incurvatione, ambabus manibus conto et aratro armatis, hiemis frigus, glebæ et spinarum injurias libenter suffert, fructuum exspectatione labores allevans. Viator in arduis et præruptis itineribus, duro solo plantas lædente, sudore a vertice ad ungues usque ubertim manante, æstum, sitim, famem strenue tolerat, lucri ex itinere futuri spe fultus. Medici quoque in tumentium vulnerum sectione fœtorem sustinent, ventris evacuationes humorumque effusiones manu excipientes, non refugiunt, propter infirmorum curationem, et spem amplæ mercedis ab iis qui curati fuerint sibi oblatæ. Nautæ quoque relicta terra, salsum mare et cærulea dorsa sulcantes, adversi venti vim atque tumultum sustinent, rudentum multiplices extensiones, velorum et antennarum stridulos horrendosque sonos, immaniumque fluctuum terrores ipsis oculis excipientes, spe lucri cum salute parti tolerant. Hi omnes aliique plures labores et pericula ferunt, ob spem boni paulo post obventuri. Multo magis religiosum Christianorum genus, virorum dico ac mulierum (non enim mas tantum apud Deum militat, sed etiam fœmina), non robore corporis, sed animi fortitudine persequutiones, famem, jejunium, vigilias, humi cubationem, aliasque inenarrabiles ærumnas ambo sexus alacriter ferunt, ob immortalem et beatam in cælis spem. Unusquisque ergo stet in proprio opere, et in spe firmetur : agricola, in spiritualem agrum injice doctrinæ aratrum, in eum mentis locum ubi excipi possit. Deinde cum injectis hæreticorum seminibus, germen etiam evelle Judaicorum et gentilitiorum sophismatum, ut expurgata anima, sacra fidei semina injicias, necnon spei exsultationem et caritatis suavitatem. Non modo enim Jeremiæ dedit potestatem evellendi pejora et plantandi meliora, sed etiam tibi, cum dixit : *Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas et destruas et perdas, et reædifices et plantes* (*Jer.* 1. 10). Evelle igitur agrestes lasciviæ motus, et planta sanctas castitatis imitationes, destrue maligni plantationem, et planta Christi institutum vitæ : perde fugiendas disciplinas, et erige probas sententias. Qui ædificas dirue ea, quæ male per diaboli machinas in animis hominum structa fuerant spectacula, et ædifica templum Dei, poneque fundamentum Filium Christum lapidem angularem, supra quem construuntur pulchra justitiæ opera. Hæc faciens, etiamsi affligaris, persevera ; etiamsi persequutionem patiaris, ne fatiscas ; etiamsi esurias, ne refugias, sed omnia fortiter feras, ob eam quam speras paradisi voluptatem. Viator es secundum illum qui dicit : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur*

vestigia mea (*Psal.* 16. 5). Fuge latam et spatiosam viam, quæ ducit ad perditionem: accipe baculum Spiritus, qui duas res efficit, in via insidentem tortuosum draconem interimit, et te in tentationibus solutum et cadentem sustentat. Fer oblatam tentationem; si premaris siti, ad immortalem fontem Christum curre; si esurias, panem vivum quære; ne fessus labare, neve cedas voluptatibus emollitus, sed vires assume viæ terminum videns, ac sperans in regno cœlorum vitam angelorum vitæ parem. Medice animarum, seca gladio Spiritus tumentia et fœtida superbiæ vitia, ablue lutum voluptatum aqua doctrinæ, cura plagas per peccata in animos hominum importatas, vino et oleo utens, ut ait Dominus; vino comprime, ne emollitus homo concupiscentias sequatur; oleo autem dissolve animæ labores, et præteritorum peccatorum promptam remissionem promitte. Ne pecuniaria lucra respiciens pauperem contemnas, neque ob respuendas divitias divitem despicias, sed pauperem et divitem simul ad temperantiam revoca. Neminem desperare sinas, ne eum quidem qui gravissime peccavit, ne ipsos in abyssum peccatorum conjiciamus; sed porrige manum lapso, dicens: non venit Dominus salvare justos, sed peccatores; ut alacres, declinantes a malo, faciant bonum et salutem consequantur. Omnia fac propter infirmantium valetudinem, spe innutritus eorum qui salvi fient, necnon exsultatione, quæ a Deo speratur. Ut athleta, secundum legem decerta: nam *Nemo coronatur, nisi qui legitime certaverit* (2. *Tim.* 2. 5). *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus principatus et potestates, mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* 6. 12). Asceticos labores amplectere, diabolicos laqueos fuge. Vide Paulum currentem, pugnantem, certantem, *sic curro*, inquit, *ut comprehendam; sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, ne ego qui prædicavi, ipse reprobus efficiar*. (1. *Cor.* 9. 26. 27). Curre igitur, ut comprehendas; pugna et certa, ut inimicum vincas: te oleo pietatis unge: habes certamina a patribus tibi relicta: assume Moysis oblivionem injuriarum, Josephi castitatem, Davidis mansuetudinem, Eliæ virginitatem, Elisæi jejunium, Isaiæ paupertatem, Pauli et Petri fidem, Christi caritatem: ut cum in omnibus pulchre certaveris, victoriæ bravia ex manu Dei accipias. Pastor es rationabilium Christi ovium? Oves in caula congrega, errantes reduc, contritas alliga, a lupo laniatas sanato, lupos abige, canes pro ovilis defensione voca: non enim somnolentos, sed latrantes in Domini ovili esse par est: illos vero expelle. Herbam virentem ex Maria germinantem ostende: immortalem fontem baptismatis indica, et sordidatam ovem aqua lacrymarum ablue: laborem omnem et defatigationem sustine, ut cum apparuerit princeps pastorum Christus, accipias immarcescibilem gloriæ coronam. Ovis es? Pastori obtempera, ab ovili ne fugias, fidem complectere, a virga pastoris ne declines: non enim te percutiet, ut occidat, sed ut ab errore deducat. Florem ex virga Jessæ germinantem indiscriminatim cole: ex fonte de prærupta petra scaturiente immortali bibe, ut inde in caulam voluptatis reducaris. Ne divitias colligas, imo ne diligas, pecuniarum curam fuge, pecunias ne colligas, unde oriuntur crimina; sed largiter semina pauperibus escam, sperans te manipulum animæ plenum et amplum esse messurum. Si pauper es, ne animo deficias, ne vitæ maledicas, ne blasphemes; sed gratias age, sustine onus paupertatis quod est brevissimi temporis, respice in exemplar tuum Lazarum, et te spe confirma: nam tu quoque in Abrahami sinu recipieris: ubi nos omnes cunctorum Dominus Deus recipere dignetur in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

DE CARITATE.

Nullus potest sermo digne caritatem exprimere, quod illa non sit terrena, sed cœlestis. Puto autem vel ipsam angelorum linguam vix posse illam accurate explorare, quoniam ex ipsa magna Dei mente incessanter illa procedit. Ergone, quia nec angelorum nec hominum lingua potest illam accurate enarrare, nos ideo non audebimus? Nequaquam: quoniam dona quidem maxima divitum apud Deum semper accepta sunt; sed tamen alia sine simulatione et cum hilaritate oblata, licet perquam minima sint, grata habentur, ut viduæ illius, quæ duo minuta in gazophylacium misit, oblatio anteposita fuit donis eorum qui multum auri intulerunt. Et nos quoque spem in Deo habentes auxiliatore et dictorum emendatore, corde alacri duos caritatis denarios in gazophylacium mentis vestræ projiciamus. Illos enim puto duos denarios esse duo præcepta; in quibus lex pendet et prophetæ. Dictum est enim a Domino in Evangeliis: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* 22. 39. 40). Amor Dei et amor proximi, duo præcepta quæ sibi mutuo cohærent: qui unum illorum habet et alterum minime, hic nec illud quod videtur habere possidet. Ut enim anima sine corpore non vocatur homo; neque rursum corpus sine anima: sic nec amor Dei, nisi adjunctum habeat amorem proximi, non est amor; neque rursum amor proximi, nisi sit cum amore Dei, vocatur amor. Ideo raro invenitur perfecta caritas. Gentiles hanc ignorant, licet videantur amorem mutuo habere: cum autem Deum ignorent, ab hac alieni sunt Judæi licet dilectionem mutuo habeant, cum Dominum legis oderint qui dicit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ipsi pro dilectione odium intus habentes, Dominum gloriæ crucifixerunt, ut in propheta ait ipse: *Et posuerunt odium pro dilectione mea* (*Psal.* 108. 5). Hanc dilectionem neque ii habent, qui dicunt Filium Dei rem factam aut creatam esse, etiamsi se mutuo diligant. Quomodo enim is, qui Deum amat, dixerit hunc esse creatorem aut factorem Christi, et non progenitorem? et quomodo dicet se Filium diligere qui dicit illum esse rem creatam aut factam? Etiamsi dixerit se Patrem diligere, si Filium non diligat, Patris dilectione privatur, ut ait apostolus: *Qui non habet Filium, neque Patrem habet* (1. *Joan.* 2. 23). Hanc dilectionem non habent item qui Spiritum rem factam aut creatam esse dicunt, etiamsi videantur Patrem confiteri et diligere Si quis enim Spiritum Christi non habet, hic non est ipsius. Quotquot igitur catholice credunt circa Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et caritatem mutuam inter se servant, hi perfectam caritatem possident. Caritas Patrem confitetur, Filium adorat, Spiritum sanctum glorificat: caritas Trinitatis concentum non dividit. O caritas angelorum consors, patrum socia, prophetarum contubernalis, martyrum consors certaminum, apostolorum choro juncta, Ecclesiæ vinculum. Caritas bellum non novit, inimicum non habet, pacem conciliat: caritas sanguinarium furorem mitigat, rationabiles populos honorabiles reddit: caritas, quæ in mundo non capitur, et in humili corde habitat: caritas melle et lacte dulcior, non modo in ore suavitatem habens, sed etiam in intimo corde diffunditur: caritas omnibus competit, per quam terrena constant, cœlestia augentur: caritas propter quam Deus Filium suum misit in mundum: nam *Sic Deus*

dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (*Joan.* 3. 16) in mundum pro nobis : caritas pericula in terra et in mari ferre docuit : caritas martyres perficit, beatificat, coronat : caritas proximum ut seipsam respicit, et quæ propria sunt, omnibus communia existimat : caritas proximi egestatem ut sibi propriam statuit : caritas mensam omnibus communem parat, pauperi et diviti, sapienti et idiotæ : caritas amaritudine plenam animam suavitate replet, afflictam curat, humiliatam recreat : caritas inexstinguibilem virginitatis lucernam circumfert, et suos curiose inquirit, caritas regni portas aperit, et virginitatem coronatam inducit, nec prohibet quin ii, qui in honorabili conjugio vixerunt, introeant : caritas eleemosynam amat, et iis qui illam colunt coronas auro splendentes parat : caritas superbiam non novit, humiles autem gloria afficit : caritas maledicta fugit, et benedictiones amplectitur : caritas viros et mulieres matrimonio conjunctos concordes esse suadet, separari vero ab invicem numquam concedit : caritas præcipit ut patres filios ament, et filii patribus serviant ut dominis suis : caritas heros hortatur ut misericordes sint erga servos, et servos ut sine dolo serviant heris : caritas foras mittit timorem, et fiduciam erga Deum in corde constituit : nam *Perfecta caritas*, inquit, *foras mittit timorem* (1. *Joan.* 4. 18) : caritas hanc nobis patrum coronam nexuit, et stirpem spei suavem et fructuosam firmavit in nobis : caritas gregem in caulam Ecclesiæ inducit, viridemque illam paradisi voluptatem tribuit : caritas omnium nostrum auditum unum et benevolentiæ plenum reddidit, et concinnavit, linguam nostram dilatavit : caritas corpus educat, spiritum fovet, animam candidam reddit : caritas ascetarum labores honorabiles reddit, et Filii sinus his gratiosos aperit : in quos nos quoque ut recipiamur dignetur omnium Dominus in sæcula sæculorum. Amen.

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC TOMO NONO CONTINENTUR.

FINIS TOMI NONI.